Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
8
F
19
NAPOLI

THEOPHILI RAYNAVDI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, OPVSCVLORVM MISCELLA PHILOLOGICA.

VIDELICET

I. De incorruptione Cadauerum.
II. De Stigmatiſmo Sacro & Prophano.
III. Vitæ ac Mortis humanæ terminalia.
IV. De bono Regimine S. Cœtuum.
V. Laus Breuitatis.
VI. Anagnoſtes ad Eccleſiaſticam Menſam.
VII. Bibliotheca noua Homiliarum.
VIII. De Pileo, cæteriſque Capitis tegminibus.

TOMVS DECIMVS-TERTIVS.

EDITIO NOVA, ASSIDVO AVTHORIS LABORE, altero tantò ferè auctior.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXV.

Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. BERNARDO VIGIL DE QVINNONES,

SVPREMO TOTIVS SICILIÆ REGNI S. Fidei Inquiſitori.

NIHIL ego ſanè dubitavi INQVISITOR VIGILANTISSIME, cuius patrocinium huic Operum aliquot meorum collectioni accerſere deberem. Scilicet, vt perpetua, qua Te vnicè proſequor, obſervantia, & à Te profecta in me amicitiæ documenta monumentum hoc qualecunque à me non extorſiſſet, ipſa libri materies, vt Tibi iſtud officij præſtarem, ſatis ſupérque impuliſſet. Etenim cum in his Opuſculis mixta Sacræ Eruditioni omnigena humanioris literaturæ ſupellex à me ex Patribus & Prophanis Autoribus collecta ſit; aberratem vehementer, ſi Patronum operi alium deligerem, in cuius nimirum vniverſa vivendi ratione, ſive publicam, ſive privatam perſonam intuear, ſpirantem video, doctrinæ, humaniratis, ac nobilitaris Effigiem; quibus magna apud æquos æſtimatores huic operi claritas accedet. Siquidem id cui non arridebit, quod fuiſſe Tibi comprobatum videbitur; Tibi inquam, qui dum alij Libros inquiſiêre meos animo arrodendi doctrinam, quam à puero totam Deo & Eccleſiæ mancipavi, quæſiviſti eos, & vndecunque Tibi diligenter comparaſti, méque Tibi incognitum, tótque milliaribus diſſitum humaniſſimis literis compellaſti, vt eos Tibi quoquo pretio tranſmitterem. Partem aliquam literarum Tuarum hîc adducerem, niſi me tot laudum puderet, quas non tam agnoſco ex meritis meis, quàm ex ſingulari Tua benignitate profectas. Sed pro me par Tibi rependent libelli hoc volumine contenti; Tractatus *de Incorruptione Cadaverum*, oſtendet Tuam in Eccleſiaſticis Iudiciis inviolatam fidem; *Laus Brevitatis*, Ius ſuum vnicuique reddi à Te ſine ambagibus, ac fori tricis probabit abundè; In *Vitæ ac Mortis humanæ Terminalibus*, agnoſcent omnes quibus oculis fortunas & dignitates caducas, velut infra Te poſitas, deſpicias. Denique in Commentario *de Bono Regimine*, ac *Pileo Quadrato*, habebit Hiſpania vniverſa quo glorietur, ex Tua Illuſtriſſima Familia

ſupereſſe

ſupereſſe, hodiéque hominem tantum, qui in eminenti eo Siciliæ faſtigio relictam à maioribus gloriam non ſuſtineat modò, ſed multis acceſſionibus amplificet. Invitat nempe Te hic ſplendor Avorum ad eas virtutes quibus omnibus es admirationi, liberalitatem ſcilicet, ac comitatem ingenij, orationis ſuavitatem, rerúmque, ſumma omnium approbatione gerendarum peritiam. Atque ego ne Tuam, adulationis ſpecie, benevolentiam captare videar, quam immerenti mihi tam prolixo animo contuliſti, Tuis laudibus in præſentia ſuperſedeo: ſed illud tacere non poſſum, habere Te in proavorum ſtemmate Eminentiſſimum Cardinalem FRANCISCVM DE QVINNONES Clementis VII. ætate, & rebus præclarè geſtis, & reformato Eccleſiaſtico Officio celebratiſſimum; ac paulò poſt virum omnium gentium hiſtoriis commendatum D. CLAVDIVM DE QVINNONES Comitem Lunæ, & DOMVS DE QVINNONES Caput, in Tridentino Concilio Caroli V. Legatum meritiſſimum. Quid dicam de IOANNE DE QVINNONES laudatiſſimo ante annos circiter quadraginta Valliſoletanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quid de Conſiliariorum Regiorum ingenti numero qui ex clariſſima Tua gente prodierunt, quæ hodie vnita Familiæ PIMENTELIÆ Comitum de BENAVENTE, inter primos Hiſpanicæ Nobilitatis Dynaſtas gradum obtinet priſca ſua dignitate haudquaquam inferiorem. Verum his omnibus ſplendidis ornamentis potior mihi eſt virtus Tua, quam cùm in Ovetenſi Eccleſia Canonicum ageres, ita probaſti & amore pietatis, & fama doctrinæ, vt Te abſentem, ac tale nihil cogitantem in ſupremum hoc officium evexerint quibus id muneris incumbit, ne lux tanta ſub modio diutiùs lateret. Ad extremum non leve fuit Tuæ ambiendæ amicitiæ incitamentum amor ſingularis quo Noſtram Societatem complecteris. Teſtes ſunt è Caſtellana Provincia ſocius mihi cariſſimus P. Petrus Tello Hiſpanus, cuius ſynceritatem, & rerum mearum promovendarum zelum ſatis prædicare non poſſum, è Sicula P. Ioſephus Maria Minolfus quem Tibi à Confeſſionibus elegiſti, quorum erit, quod ſolvendo non ſim, Opitulari amico ſuo, gloriæ Tuæ percupido, & infinitis nominibus

Illuſtriſsimæ Dominationis Tuæ.

Deditiſſimo Servo
THEOPHIL. RAYNAVD.
Soc. IES. Sacerd.

Lugduni 1. Octobr. 1663.

DE INCOR

DE INCORRVPTIONE CADAVERVM.

Occaſione demortui fœminei corporis poſt aliquot ſæcula incorrupti, nuper refoſſi, Carpentoracti.

CONSPECTVS OPERIS.

OCCASIO *& momentum ſcriptionis.*

CAPVT I. *Protheoria, de naturali ſecundùm communem curſum, humanorum corporum reuerſione in terram ſuam.*

II. *Eſſe tamen aliqua mortua hominum corpora quæ corruptionem non videant, monſtratur exemplis.*

III. *Preluditur veſtigationi cauſarum incorruptionis corporum; diſcuſſione naturæ & cauſarum corruptionis naturalis, ſimpliciter, ac ſecundùm quid dictæ, ſiue perfectæ ac imperfectæ putrefactionis.*

IV. *Cauſæ incorruptionis corporum, ex natura & cauſis corruptionis naturalis, repetitæ, ac vniuerſim digeſtæ.*

V. *De incorruptione cadauerum ſponte naturæ, & citra artem.*

VI. *De incorruptione cadauerum, humanæ artis interuentu.*

VII. *De dæmoniaca incorruptione cadauerum, ſimilitudinaria & vera.*

VIII. *De diuinitus cauſata incorruptione cadauerum, in Sanctis vindicatis.*

IX. *Exempla quædam incorruptionis, piè mortuis nondum vindicatis conceſſæ.*

X. *Ob quæ virtutum decora, incorruptio corpori aut membro cuipiam interdum conceſſa.*

XI. *Cuiuſmodi cenſenda ſit incorruptio, quæ huic diſquiſitioni, occaſionem præbuit, pronunciata diribitoria.*

OCCASIO ET MOMENTVM SCRIPTIONIS.

ANTE annos aliquot Carpentoracti inter concamerandum pauimentum templi maximi, refoſſus eſt loculus cum integro corpore, vt diſtinctiùs infrà cap. 2. referam. Rogauere meam ea de re ſententiam, qui adhibiti fuerant ad corporis recognitionem. Rem totam haud perfunctoriè conſideranti, dignum viſum eſt argumentum, de quo aliquid diligentiùs elucubraretur. Et verò ea tractatio in vtiliſſimas ſimul & iucundiſſimas materias quibuſcum nexa eſt, ſtylum neceſſariò infert. Nam hinc, de corruptione paſſim in noſtra corpora graſſante, nec niſi per raram prærogatiuam à paucis corporibus aliena, cogitatio refricatur: qua recordatione nihil melius, & ad peccati fugam rerúmque fluxarum contemptionem vtilius, poteſt occurrere; vt propterea Scripturæ & Patres nihil frequentiùs ſtudioſiúſque inſigant, quàm redituros nos in terram noſtram de qua ſumpti ſumus, & eò denique reuolui cogitationes mortalium, quoniam vanæ ſunt. Omnibus ſigillatim tentationibus, medelam hinc apparat Petrus Damiani Opuſcul. 15. capite vigeſimo tertio. Inde occurſat animo, incorruptela de qua præcipuè & directè agendum eſt: cuius conſideratio non ſecus ac prægustatio quædam, cœleſtis corporum gloriæ, hominem in his fæcibus defixum, & in corpore mortis huius ingemiſcentem, animat erigítque, donec deſponſa immutatio veniat, & abſorbeatur quod mortale eſt à vita.

Itaque huic tractationi inſiſtere, aliud reuera non eſt, quàm ſuſpendi inter cœlum & terram, non ad modum mulieris illius in voluptatis ac peccati typum inſidentis amphoræ, cúmque ea exportandæ in terram Sennaar; ſed vt vtriuſque illius ſtatus attenta conſideratione, & fluxa ac corruptibili corporum & corporearum rerum conditione, compoſita cum incorruptione quam caro & ſanguis non poſſidebunt, procul fiamus ab omni confuſione, & æterno decore in ſplendoribus Sanctorum honeſtandi, per exquiſitè hîc ſeruatam incorruptionem animorum & corporum, euadamus. Sic Adam inter cœlum & terram ſuſpenſus eſt, imo factus cœlum & terra iudice Philippo bonæ ſpei Abbate, qui Tomo quarto moralit. in Cantic. *ad finem*, quod in capite libri ſcriptum eſt, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, interpretatur præter cætera, de Adamo, in prima conditione, cœli inſtar puro & innocente, atque adeò incorruptibili; ſimúlque terra, quatenus in eam vitio ſuo relabi poterat, ſi non ſtaret in veritate, & inditum gratuitò cœleſtis diuinæque naturæ conſortium improuidè abiiceret. Fœlix ſi inhærens cœleſtibus, cœlum incontaminatum & immarceſcibile eſſe, in perpetuum delegiſſet, potiùs quàm reuerti in terram ſuam, & eiuſdem maledicti infelicitatem in nos deuoluere. Ac proinde fructuoſiſſimum nobis eſt, inter cœlum quo ille excidit; deſponſam inquam corporis quoque incorruptelam quam ille perdidit, nóſque in eo; ac terram in quam cum illo reuerſuri ſumus, cogitatione ſuſpendi; vt recogitato eius lapſu, damna illa (nam per Chriſtum licet) ſtudioſè reſarciamus, declinatis eius veſtigiis; nec iam hærentes inter cœlum & terram quo nos deduxit peccatum cum ſpiritualibus nequitiæ in cœleſtibus, vt piè ſimul ac eleganter de more differit Sanctus Bernardus ſerm. de Sancto Martino.

DE



DE INCORRVPTIONE CADAVERVM.

CAPVT I.

Protheoria, de naturali ſecundùm communem curſum, humanorum corporum reuerſione in terram ſuam.

1. ET diuinis Oraculis, & perpetuo omnium retrò ſæculorum experimento, fit extra dubium, corpora noſtra ex conſueto naturæ curſu, tandem corrumpi, atque putreſcere. Hoc denunciauit lata poſt cognitam primorum Parentum cauſam, diuina ſententia. Mox enim ab admiſſo contra Dei interdictum peccato, audiuit Adam Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi; & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Inuoluunt hæ pœnæ, mortales omnes. Nam tametſi aliqui videntur in labore hominum non eſſe, & cum hominibus non flagellari; nimirum Reges ac Principes; ad quorum tabernacula, & flagellum in ſpeciem, non appropinquat; tamen reuera ipſi quoque, præ angoribus & aculeis quibus aſſidue transfiguntur corde, dici poſſunt in ſudore ſui veſci pane ſuo, iuxta egregiam S. Auguſtini diſputationem, lib. 2. de Geneſi contra Manich. cap. 20.

Quomodocunque verò contingat verum eſſe, mortales omnes anterioribus illis pœnis peccato Adami diuinitùs repoſitis affici; in poſtremam ſiue corruptionem corporis, & reuerſionem in terram de qua ſumptum eſt, ex communi & conſueto naturæ curſu, omnes incurrunt. Omnibus enim dictum eſt; *In terram de qua ſumptus es, & in puluerem reuerteris.* Quæ verba manifeſtè ferunt de qua terra agatur in eo ſummi Regis edicto. Apertè enim agitur de terra iſta noſtrate quam calcamus, quia ex ea ſumptum eſt corpus Adæ, vt Geneſ. 2. habetur. Et quod Anaſtaſius Sinaïta, lib. 11. in Hexaem. vt Chriſtum quoque ſub eo edicto comprehenſum doceret, aliter *terram* ſumpſit, myſticum eſt ac ſimpliciter non admittendum. Ait enim de Chriſto. [Morte affectus, reuerſus eſt in propriam terram, ea qua ſumptus eſt, ea qua etiam fuit aſſumptus, cum ſancti corporis natura è terra genita, congruenter voci quæ ei dixit, *Terra es*, vt qui ſis homo; *& in* aliam *terram reuerteris*, cœleſtem; in terram ſpiritualis Iſraëlis, veræ noſtræ in cœlis promiſſionis, in terram mitium, in terram ſanctam, in terram & regionem viuentium, & ciuitatem Domini virtutum, Hieruſalem cœleſtem.] Hæc *terra* notio, quoad Chriſtum eſt neceſſaria, vt ſaluum ſit vniuerſale Dei decretum de omnibus in terram ſuam reuerſuris; neque quoad cæteros homines poteſt admitti. Nam quamuis Chriſtus ex principiis naturæ corporeæ, eſſet corruptibilis, vt contra Aphtartocitas eſt definitum; tamen non fuit obnoxius corruptioni, vt huius diuinæ legis Adamum ſurientis, quæ cadit in eos duntaxat, qui mediatè ſaltem de terra ſumpti ſunt; quatenus ex Adamo procreati via ſeminali & ordinaria; quem ortus modum Chriſtus non habuit. Itaque quod eſſet corruptioni obnoxius, & ſecluſo fauore extraordinario fuiſſet abiturus in terram, non habuit vi maledicti in omnes mortales intorti, & diſruptionis priuilegij naturæ ſupra naturam conferendi, ſi primus homo non peccaſſet; ſed ſimpliciter fuiſſet Chriſtus corruptioni obnoxius, niſi diuina manus ſupra vim naturæ interueniſſet, quia ita ferebat compactio corporis humani quo conſtabat. Non eſt igitur ea *terra* notio, neceſſaria vt ſaluum ſit Dei decretum quoad Chriſtum, qui eo decreto non eſt comprehenſus. Quanquam ſi eo comprehenſum diceremus, facile eſſet, decretum illud Dei monſtrare incolume circa Chriſtum, multo magis quàm circa alios illo decreto comprehenſos, & tamen non abeuntes

tes in terram ſuam, vt infrà dicetur. Multo minùs admitti poteſt quoad alios, *terra* uorio ab Anaſtaſio propoſita: quia *terra* de qua in decreto agitur, illa ipſa eſt de qua primus homo ſumptus eſt, vt ipſum decretum diſertè exprimit. Ea autem terra, eſt hæc terra noſtras cui inſiſtimus, non autem terra viuentium ſiue cœleſtis, cui hęc noſtra eſt *ἀντίχθων* terra ex aduerſo ſita, vt Pythagoræi loquebantur ex Clemente 5. Strom. *in fine*. Proſtat ergo hoc ſummi Regis edictum, vt omnes in hanc terram noſtram reuertantur.

Exiſtimarim huc pertinuiſſe veterem vſum infantes cum primùm editi erant in terra collocãdi, de quo more fusè Bernartius ad l. 1. Thebaïd. v. 60. ex Suetonio in Auguſto c. 5. & in Nerone c. 6. ac Tertulliano l. de anima c. 39. itémque Bollengerus l. 3. de Imperat. c. 18. ac Cuiacius l. 15. obſeruat. cap. 30. & Alfonſus Carranza in Opere de partu: & multa quoque de eo more Lorinus ad cap. 7. Sapient. v. 3. exponens illud *In ſimiliter factam decidi terram*. Quod minùs commodè Chriſtophorus Caſtro accepiſſe videtur de vita hac mortali, quaſi ſenſus ſit, *veni in vitam* omnibus communem, caducam, paſſibilem, mortalem, *ὁμοιοπαθῆ*, qua Græca voce ſuam mortalem conditionem expreſſere Paulus & Barnabas Actor. 14. auerſantes delatam ſibi tanquam Diis adorationem. Et eadem voce Iacobus c. 5. humanam Eliæ conditionem expreſſit, qua non obſtãte auditus ſit orans. Sed quamuis ea vox cum de homine agitur ſonet paritatem conditionis mortalis; tamen aliò aptata, ſimiliter affectam rem, nec melioris ſtatus deſignat. Profitetur ergo Sapiens ſe naſcendo cecidiſſe in eandem terram in quam reliqui mortales. Et quamuis pro vſu quẽ variis in locis viguiſſe diximus, puer è matris vtero non cadaret reuera in terram, ſed ferè lecto in quo puerpera iacebat exciperetur, tamen quia mox ab exitu ex vtero, nudus in terra ſternebatur, quaſi cecidiſſet, dicebatur in terram cadere; vnde niſi abiiceretur, leuabatur & tollebatur à patre, ex Turnebo lib. 4. cap. 15. Leuanam ei leuationi & aliis pueri de terra ſublationibus quoties caderet, præpoſitam Deam, appellabant Ethnici apud Auguſtinum 4. Ciuit. cap. 11. Hunc ergo vſum à Sapiente veriſſimillimè inſinuatũ, à pleriſque vero gẽtibus vſurpatum, vbi primùm è matris vtero prodibant, in nuda terra collocandi, ſpectare cenſuerim ad ingerendam memoriam primi ortus noſtri è terra, & reuerſionis denique in eam per mortem, ex lege vniuerſali qua nullus, planè inquam nullus eximitur.

Dei ſententia de homine in terram reuerſuro, vtrique ſexui communis.

2. NEque verò eſt vnde fœmineus ſexus obtendat ſibi ab hac pœna immunitatem, quod non ſit ſumptus de terra. Scriptura enim de ſolo Adamo dicit; *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Inferiùs de mulieris formatione ait: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus, coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eã ad Adam; dixítque Adam, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* En mulier, nõ de limo, ſed de viro ſumpta eſt. Quadrátque huic loco reſpõſum ſcorti Edeſſeni occurrentis Sancto Ephræmo, & in eum defigentis oculos. Sciſcitanti enim Sancto, cur ſubſiſteret, & ita in eum oculos figeret, reſpondit mulier. *Intueor te, quia ego mulier, ex te vero ſumpta ſum. Tu autem non me intuearis, ſed terram ex qua tu vir ſumptus es.* Narrat Nyſſenus in Sancti Ephremi laudatione. Non eſt ergo mulier ex terra. Stultè autem Thalmudiſtæ, ex illis verbis, *hoc nunc os*; & ex illis, *hæc vocabitur virago*; Euam matrem noſtram ex Adamo eductam agnoſcunt; in quam pronomen illud demonſtratiuum *hoc*, & *hæc*, itémque aduerbium *nunc*, præſentis temporis nota, cadat. Fuiſſe autem Adamo aliam anteriorem Vxorem nomine *Lilis*, è terra formatam, iiſdem quibus Adamus ipſe principiis, è qua dæmones per annos 130. quibus ante Euam cum Adamo vixit, ſint procreati. Refert has Thalmudicas gerras Abulenſis ad c. 2. Geneſ. q. 28. quæ iuuare non poſſunt, vt intelligamus quomodò mulieres quoque, de terra ſumptæ ſint, & idcirco in terram æquè ac mares reuerti debeant. Nam præterquam quod ſomnium illud de alia Adæ muliere, vanum prorſus eſt & gratis confictum: nec Adamus Euam cum Lilis, ſed cum brutis ante ad ſe adductis comparabat: fatentur Thalmudici, ſolos dæmones ex ea anteriore Adæ Vxore eſſe ſuſceptos. Non igitur idcirco mulieres ex terra eſſe dici poſſent, cum ſupponantur non eſſe ſatæ niſi ex Eua, cuius materia fuit, non limus, ſed coſta carnoſa. Itaque Sophronius Hieroſolymitanus homil. de Chriſti Natiuit. à Peltano edita, diſertè agnoſcit, ſoli viro impoſitam eſſe pœnam reuerſionis in terram ſuam. Monſtrans enim Chriſtum primas maledictiones naſcendo & moriendo euacuaſſe, ait. [Terribile illud noſtræ condemnationis iudicium, quaſi extritum, abolitum eſt, & Euæ pœna reſtincta eſt. Ibi propter admiſſam in Paradiſo præuaricationem, maledictio illa, *in dolore paries filios*, omnino proſcripta eſt, quippè cum lætitia & gaudium, Chriſti natalitia exceperint: hic verò alterum illud maledictum, *terra es & in terram reuerteris*, penitùs euacuatum eſt. Siquidem Euæ maledictio, & pœna, erat illud, *in dolore paries filios*. Adami verò alterum illud) *terra es & in terram redibis*. Vtriuſque autem paruam & miſeram vitam perpetuò ducere.] Nihil elatius. Nam Adamo ſoli pœnam reuerſionis in terram aſſignat: ſoli autem Euæ, partum cum dolore: & vtrique communiter vitam ærumnoſam. Non igitur vtrique communem cenſuit, pœnam reuerſionis in terram, quæ reſpectu mulieris dici non potuit *terra ſua*. Et ſanè (vt conſiderat S. Chryſoſtomus homil. 34. in 1. ad Cor.) conſultò Deus noluit mulierem ex terra fabricare, ſed eius quoque originem ex vno totius generis capite eſſe voluit, ne eneruaretur potens illud incentiuum amoris inter nos mutui, quod omnes ab vno principio deriuemur. Quæ amandi ratio concidiſſet, ſi mulier quoque ex terra fuiſſet formata. Non diſſimiliter ratiocinatus eſt S. Auguſtinus 12. Ciuit. c. 21. & initio libri de bono coniugali.

3. Nihilominus mulieres quoque inooluit propoſita pœna corruptionis corporum. Nam ſaltem mediatè, de terra ſumptæ ſunt; quatenus ex viro formata eſt Eua, vir autem de terra

ſumptus

ſumptus eſt, & de limo formatus. Deinde admodùm veriſimile eſt, materiam ex qua Deus formauit mulierem, vltra coſtam ex Adamo deſumptam, fuiſſe terram. Mulier quippè non eſt formata ex ſola coſta, vt notum eſt; quamuis enim coſta potuiſſet diuinitus tate fieri, quantum ferebat extenſio mulieris; tamen longè tenuior & gracilior fuiſſet mulier, ſi alia materia non fuiſſet adiuncta, quanta neceſſaria eſſet ad compagem fœminei corporis humani. Alia ergo materia vltra coſtam carnoſam adhibenda fuit, vt prima mulier formaretur. Eam materiam S. Thomas 1. p. q. 91. artic. 3. ad 1. cenſet per creationem aduenisse. Sed hoc non cohæret cum receptiſſima doctrina, quod in primo mundi opificio, tota materia quæ vnquam extitura erat, creata ſit: deinceps verò nulla nouæ materiæ portio ſit producta. Itaque verius eſt, coſtæ carnoſæ è qua ad inſinuandam viri & vxoris vnitatem, & originem omnium ex vno, charitatiſque ignitabulum inde exiſtens, formanda fuit mulier, admiſtum eſſe limum. Atque ita verum eſſe liquet, mulierem quoque de terra ſumptam eſſe, & in terram de qua ſumpta eſt, eſſe reuerſuram, vt tulit diuina ſententia.

Non ſubducit item mulieres ſententiæ prædictæ de reuerſione in terram ſuam, quod ea ſententia videatur intorta in Adamum, ſeorſim ab Eua. Sicut in Euam ſeorſim ab Adamo vibrata eſt peculiaris mulierum damnatio, penes ærumnarum multiplicationem ex conceptibus & partûs doloribus. Hoc inquam nihil refert ad eximendas mulieres, pœnæ corruptionis corporum & reuerſionis in terram. Alioqui eximenda quoque eſſet mulier à neceſſitate moriendi, poſt guſtatum cibum vetitum. Soli enim Adæ cap. 2. Geneſeos interminatus erat Deus. *Ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Et tamen mulier cap. 3. agnouit, ad ſe quoque pertinere hoc præceptum, ſibique imminere mortem ſi cibum guſtaret. Dixit enim ſerpenti: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Idcircò igitur Deus, (vt notauit Bellarminus lib. 3. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati cap. 11.) pœnam vtrique ſexui communem futuram, coniungere potiùs voluit cum pœnis magis propriè ad virum pertinentibus, quia propriè cauſa tranſmiſſionis peccati, vnáque mortis in genus humanum, fuit Adami ſolius peccatum. Eua quippè ſi ſola comediſſet, ſola contraxiſſet peccatum, & mortis neceſſitatem. Adamo autem peccante, per vnum hominem, peccatum & mors intrauit in mundum. Atque ita meritò ipſi ſoli denunciata eſt hæc pœna, communis futura vtrique ſexui. Præterquam quod vir eſt caput mulieris, atque adeò in viro comprehenſa eſt mulier. Et ſicut in poſteris Adæ peccatoris, non numerantur ſoli viri, ita & viris & mulieribus, ſecundùm communem naturæ curſum, eſt deſcendendum in corruptionem. Sanè S. Epiphanius hær. 78. Euæ quoque agnoſcit poſt tranſgreſſionem dictum eſſe, *terra es & in terram reuerteris*, admittens, & eam diuinam ſententiam protendi ad mulierem; non minùs quàm ad virum, iuxta verborum corticem pertineat, & mulieri quoque pœnam deſcenſus in corruptionem, ex

mente Dei communem eſſe. Idem tradit Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 20. & Bleſenſis ſer. 2. de Aſſumpt. Sophronius verò qui in contrarium adducebatur, ſignificare tantùm voluit, quòd pœna in actu ſignato, & conceptis verbis vtrique ſexui ſeorſim inflicta eſſet; quamuis reipſa vtrique præterea ſexui pœna de qua agimus communis eſſet futura.

Variæ ſcripturæ, de reuerſione hominis cuiuſcumque in terram ſuam.

1. FErme hoc, præter locum ex Geneſi hactenus diſcuſſum, variæ aliæ ſcripturæ quibus indiſcriminatim vtrique ſexui, (iuxta obſeruationem Iſidori Peluſiotæ lib. 3. Epiſt. 12.) communi voce *hominis* deſignato, denunciatur mors & corruptio, ſiue reuerſio in terram ſuam. Ita enim aperte ferunt loca quibus homo *puluis*, & *terra*, & *cinis*, & *vermium*, aut *putredinis filius* denominatur. Sic de ſe Abraham, Geneſ. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.* Et Dauid Pſalmo 102. *Recordatus eſt quoniam puluis ſumus; homo ſicut fœnum dies eius.* Et Pſalm. 21. *In puluerem mortis deduxiſti me.* Pſalm. 145. *Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam.* Vtique homo, quia exeunte ſpiritu putreſcit & reſoluitur in terram. Quod iterat Pſalm. 103. verbis illis: *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Eccleſiaſtis 12. Salomon hortatur iuuenem vt Creatoris ſui meminerit, *antequàm reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat. & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*: vbi nomine *pulueris* intelligitur corpus; quia in primo homine è puluere coaluit, & in puluerem denique redit; ſpiritu, id eſt, anima rationali, redeunte ad Deum à quo per creationem dimanauit, vt Hebræi quoque interpretantur apud Buxdorfium in Synagoga Iudaïca cap. 36. admiſto tamen de more nonnullo limo; quatenus cenſent, ſpiritum non remigrare vnde prodiit, quouſque corpus ſit ſolutum in puluerem, vnde oriri putant notitiam rerum noſtratium ab anima in terris hærente comparatam. Quæ mora regreſſus animarum ad Deum ſi in exceſſu è corpore niteãtur, commentitia eſt ac explodenda. Nobis in præſentia ſat eſt, reuerſio pulueris in terram ſuam, aſſerta à Salomone. Siracides item Eccleſ. 17. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam.* Nempe terram de qua creatus eſt. Et in fine capitis: *Omnes homines terra & cinis.* Iuxta Lanfrancum lib. de corp. & ſang. Dom. [Locutionis modus eſt, quo res effecta, materiali ſolet nomine appellari. Et Creator ex terra creato primo homini, in Geneſi dicit: *Terra es & in terram ibis.* Quaſi diceret, quia factus es ex terra, quandoque fies terra, & reuerteris in terram.

Eodem locutionis modo; quia homo in putrem materiam reſoluendus eſt, à Iobo cap. 25. dicitur *putredo*, ea emphatica hominis definitione. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Ad quæ verba S. Gregorius 17. Moral. cap. 9.

hominem, id eſt, Adamum, *putredinem* dictum ſit, poſteros verò eius, *vermes*. [Primus namque humani generis Parens, humo non filius hominis; ex quo quiſquis prodiit, non ſolùm homo, ſed filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius, ita ex putredine naſcitur vermis. Vnde rectè homo *putredo*, filius verò hominis *vermis* vocatur. Primus quippè homo putredo, non vermis, quia etſi per mortem putruit, non tamen ex putredine per natiuitatem venit. Qui autem hominis eſt filius, *vermis* dicitur: quia iam ex mortalium corporum corruptione propagatur.]

Genuinus tamen Iobi ſenſus eſſe videtur, omnem hominem eſſe putredinem & vermem, quia in putredinem denique ac vermes deſinit. Iuxta illud eiuſdem Iobi cap. 17. *Putredini dixi, Pater meus es; Soror mea & Mater mea vermibus.* Vocat putredinem *Patrem ſuum*, quia ex puluere factus erat in primo homine. Et eodem iure poterat putredinem matrem ſuam dicere, quo nomine ſæpè donatur terra, etiam in ſacris Literis, vt cum idem ipſe dixit cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Non enim reuerſurus erat in aluum eius quæ ipſum genuerat; ſed in terram de cuius quaſi vtero formatus eſt homo primus, & nos omnes in eo. Audi Chryſoſtomum in catena Græcorum in Iobum. [Cuius vteri meminit? Nempe primi illius opificij, ſuæque è terrâ coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus è terra diuino munere confirmatus ſum, minimè fucatus; nulla ſe ſuperuacaneâ oneratus; ac propè dixerim, à materiæ concretione ſecretus. Ergo nudus quoque reuertar illuc. Quo? nempè ad locum plangore liberum. Si enim ad eum vterum, qui in promptu eſt, cogitationem traduxeris, credideris maternam aluum, vnde extitiſti, tibi rurſus ſubeundam eſſe; orationis decorum, atque verborum apta conſecutio perierit.]

Homo per mortem, Vermes, Serpentes, & Beſtias hæreditat, iuxta Siracidem.

5. TErra ergo & puluis, ſeu putredo, mater hominis, in cuius vterum regreditur. Quo ipſo *matris* nomine eandem ob cauſam, vermes donabat Iob. In pabulum enim vermium cedit cadauer emortuum, iuxta illud Eſaiæ 14. ad Regem Babylonis. *Concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et quò caro pinguior & curatior eſt, eò plures ac tetriores ex illa vermes exiſtent, iuxta celebratam in Capitulis Patrum paræmiam, *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes.* Nec vermes duntaxat ex corrupto corpore humano enaſci, ſed & alia viſu fœda & horrenda animalia, deprehenſum frequenter eſt. Author ſermonum ad fratres in Eremo ſerm. 48. ad hoc prouocabat ferocientes præ bono habitu & elegantia corporis pleroſque mortalium. [Euntes (inquit) vos, ô iuuenes & potentes, ad ſepulchra patrum veſtrorum, conſiderate, quid fuerunt, & quid ſunt. Monumenta eorum aperiamus, & videamus quis Dominus, quis ſeruus, quis pulcher, quis turpis, quis rectus, quis curuus inter eos fuerit. Aperiamus oculos mentis & corporis, & noſtram grandem miſeriam frequenter non pigeat conſiderare. Intremus ſepulchra, & quid inueniemus diſcamus. Quid Fratres inuenimus, vel quæ? Nam ſi reſpexerimus, inuenimus mortuorum capita, renes & ventrem. Verum & indubuanter verum: mihi experto credite, quòd in capitibus inuenietis bufones ſaltantes, generatos ex cerebro. In renibus ſerpentes generatos, in lumbis ambulantes. In ventre vermes ſcaturientes generatos ex viſceribus. Ecce quid ſumus, & quid iam erimus, ecce in quod reſoluimur.] Subiicit ibidem inferiùs, de Cæſaris cadauere, nonnulla, quorum penes eum ſit fides, non enim ſunt ſatis veriſimilia. [Ductus ſum (inquit) cum cæteris ad videndum cadauer Cæſaris in ſepulchro, & vidi quod omninò eſſet liuido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem eius diruptum, & vermium per illum cateruas tranſeuntes proſpexi. Duo quoque bufones famelici in foueis oculorum paſcebantur, crines eius non adhærebant capiti, dentes eius apparebant labiis conſumptis, & reuelatum erat narium fundamentum.] In hac narratione Pſeudo-Auguſtini, aliqua ſunt expenſione digna & alibi quoque notata. V. G. Bufones duo famelici quos in oculis Cæſaris ſtabulantes abs ſe viſos ait; argumentum ſolatij ſuppeditabant cruciatio, cuius ea vox eſt in Epitaphus collectis à Franciſco Vueſtio.

> *Furca mihi tumulus. Quid tum? Tegit omnia cælum.*
> *Defectos terrâ, nox tenebroſa tegit.*
> *Arrodunt vermes; complet caua lumina buffo.*
> *Fœda fames colubri, putria membra vorat.*
> *Immingunt tumulóque canes, & ſecta reuellunt,*
> *Oſſa cadaueribus mox onerandâ nouis.*
> *Vexat humum veſpillo, lapis ſuper vrget & ipſo*
> *Pondere, depoſitos Tartara ad ima premit.*
> *At mihi ſublimi cruce pendulo ad ardua cæli*
> *Culmina, liberior proximiórque via eſt.*
> *Non canis aut ſerpens, non eſt mea viſcera vermis,*
> *Quin magis aliſibus dapſilis eſca legor.*

Quod ait de ſerpente & colubro, poteſt accipi de ſerpente ex hominis corpore, enato, vt Pſeudo-Auguſtinus quoque referebat, & his verbis prodit Naſo.

> *Mutari credunt humanas angue medullas.*

Et Plinius lib. 10. cap. 66. natur. hiſtor. [Anguem ex medulla ſpinæ hominis gigni, accepimus à multis. Pleraque enim, occulta &

cœca

creca origine proueniunt ; etiam in quadrupedum genere. Addenſant in hanc rem exempla. Recentiores, & nominatim Ioachimus Camerarius in hiſtoric.meditat. lib. 1. cap. 81. referens iuuenem nobilem, forma præſtanti, obſtinatè renuiſſe penicillo pictoris exprimi, conteſtatum recluſo poſt aliquot à ſepultura ſua dies ſepulchro, circum cadauer viſendos ſerpentes ; & ita reipſa eſſe comprobatum. Nam aperto haud ita multo poſt tumulationem ſepulchro, diaphragma & ſpina dorſi, ſerpentibus ſepta apparuerunt. Ælianus quidem lib. 1. cap. 51. ait id nonniſi improbis & flagitioſæ vitæ hominibus accidere. Sed alius fuit ſenſus Alexandrinorum, apud quos Plutarchus in Cleomene refert, cum ſuſpenſo iuſſu Regis Ægypti, cadauere Cleomenis, ſerpens eius caput circumplexus eſſet, creditum paſſim eſſe, Cleomenem eſſe ſemideum : tametſi periti quidam, rem poſſe naturaliter accidere demonſtrabant ; ita vt ſicut ex aſino putrefacto ſcarabæi, ex equo mortuo veſpæ, ex boue apes enaſcuntur ; ita ex hominis cadauere exiſtant angues. Eis aſtipulari videtur Siracides cap. 10. verbis illis : *Cum morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.*

6. Non eſt quod iſta enaſci in humanis cadaueribus incredibile videatur, cum in corporibus viuentibus præ corruptorum humorum vbertate & qualitate, talia interdum enaſcantur ; vt Dracunculi de quibus Thomas à Vega in lib. 6. de locis affectis, & varij antiqui quos adducit Ioannes Tardinus de pilis c. 14. qui ex Plinio lib. 7. cap. 51. & Apuleio 2. florid. addit, Pherecydem Syrum maxima ſerpentum multitudine ex eius corpore foras erumpente, letho datum : quod quamuis Mercurialis 5. var. cap. 6. de Phthiriaſi accipiat, tamen de ſerpentibus accipiendum videtur ; cum Plinius lib. 2. cap. 33. recenſuerit defunctos Phthiriaſi, quibus Pherecidem non annumerat. Enati ergo ſunt in viuo adhuc Pherycede ſerpentes, ſicut in Pannonia anno 1540. conſtat natas paſſim in humanis corporibus viperas & lacertas, quæ miſerabiliter excruciatos mortales enecabant, vt ſcripſit Hercules Saxonia cap. 1. de Plica. Id quod teſtatur etiam Geſnerus in Opere de quadrupedibus ouiparis, referens tria circiter hominum millia ſic periiſſe. Nominatimque ait, quibuſdam humi ad ſolem iacentibus, ſerpentes & lacertos aliquatenus per os emerſiſſe, ſed mox iterum in ventrem ſe abdidiſſe. Nobili item puellæ diris cruciatibus demortuæ, cum venter inciderentur, duos ſerpentes prodiiſſe. Affinia ſunt quæ de animalculis catellos referentibus in humano corpore procreatis, recitat Sennertus lib. 5. p. 3. ſ. 2. c. 4. Item quod mulierem vermem in vnum ſpithamæ longitudine excreuiſſe, author eſt Schenchius lib. 3. obſer. addens de Virgine nobili quæ vermes multos cimicum magnitudine eiecit, ſicut & Dureus ſimile millepedi animalculum, & Carolus Manſfeldius aliud ſimile picæ, emiſſa teſtantur. Fuiſſe qui funderet ſcorpionem viuum, ſcribit ex Schenchij obſeruationibus Ioannes Ionſtonus Claſſe 6. Thaumatographicæ cap. 3. articul. 4. Immanem buffonem in ſtomacho viui cuiuſdã Monachi diù nidulatum, poſt mortem denique miſeri hominis, ſupra modum ſemper dum viuus ſuperfuit famelici, deprehenſum ; certis Authoribus habeo compertum. Nec vlium fuit iudicium ſubingreſſi deforis in viſcera buffonis ; quale fuit in eo iuuene è Borealibus Angliæ finibus, de quo Gyraldus Cambrenſis in Hiberniæ Typographia. Per os quippè dormientis, ac gutture apertum, viſcera ſubiens coluber, horrendo cruciatu diu excruciatus miſerum ; donec Hibernici ſoli fauore, perceptiſque, regionis illius cibariis, & aquis hauſtis, ſerpens interitus illatus eſt, eóque per inferiora emiſſo ; redditur iuueni ſanctitas optata, & ad multas Sanctorum memorias fruſtra quæſita in Anglia. Gyraldus qui tunc viuebat, ait, ſtatim ab expergefactione iuuenis illius à ſomno, cruciatus ex ſerpentis per os patens admiſſi laceratione, prodidiſſe ingreſſum ſerpentis, qui intra viſcera nonniſi poſt notabile tempus potuiſſet efformari ; ſicut factum eſt in Monacho quem referebam.

Si igitur in viuentibus enaſci poſſunt angues atque ſerpentes ; & quod nonnulli teſtantur, ex capillis mulieribus fimo obrutis exiſtant ſerpentes, magnum erit ſi innaſcantur cadaueri ? Horrendus tamen ſerpens qui cadauer adulteræ depaſtus legitur, ſiue ad pabuli nidorem illectus, ſiue Deo iuſtè vlciſcente ſpurcitia turpæ illius, ea enatus ; (quod ſignificat Fortunatus ſub finem Actorum S. Marcelli Pariſienſis 1. Nouembris ;) non è corpore illo natus eſt, ſed aliunde adrepſit ad talem eſcam.

7. Sic igitur mortuus homo in vermes tranſit atque ſerpentes, valétque de eo quod ſigillatim de fornicatione dicitur Eccleſ. 19. *Putredo & vermes hæreditabunt illum.* Et vniuerſaliùs cap. 10. *Cum morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Nunc dicit hominem fieri hæreditatem vermium ; nunc ipſum hominem fieri hæredem eorum. Sed ſenſus eſt idem. Nimirum mens eius eſt, aſſerere, Id quod homo poſt ſe relinquit, eſſe vermes ac ſerpentes ; & ipſos eſſe qui ei ſuccedunt, ac ſubſtantiam ab eo relictam depaſcuntur. Per vermes autem, denique in putredinem & terram ſuam reſoluitur.

Sic mandatur executioni diuina ſententia, in hominem mox à peccatu lata, quam ſanè intereſt, noſtris ſemper auribus inſonare. Nec eſt veriſimile, priſcos Chriſtianos præter cætera hoc ſpectaſſe, cum abiecto communi Romanorum & Græcorum vſu, cremandi cadauer (ſin minùs ſemper, at plerumque, vt diſputat Kirchmannus lib. 1. de funeribus lib. 1. Rom. cap. 1. & 2. id quod ad alias quoque nationes extendit Henricus Spondanus lib. 1. de ſacris cœmeteriis, parte 1. cap. 4. num. 4.) delegerunt tumulationem & infoſſionem in terram ; quaſi hæc corporum reſolutio, meliùs reſponderet edicto Dei, quo pronunciatum eſt omnes homines ad terram eſſe reuerſuros. Cyrus referente Xenophonte, filiis præcepit moriens, ne corpus ſuum exanimi, auro vel argento, aliáve prorſus re, quàm terra conderent, quæ pulchra omnia, bona omnia & gignit, & nutrit. Ego verò (inquit) & aliàs me *humanum* præſtiti, & nunc iucundè mihi videor eius rei particeps fieri quæ benefica eſt in homines. Plinius libro 2. capite 65. hoc nominatim ex capite delatum terræ obſeruat nomen maternæ venerationis, [quod nos

naſcentes excipit, natos alit, ſemélque editos, ſuſtinet ſemper, nouiſſimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater, operiens, nullo magis Sacramento quàm quo nos ſacros facit.] Alludit ad veterem legem, *vbi corpus demortui hominis condas, locus ſacer eſto.* Mortuos & terra conditos Plutarchus *Sacros* appellat. Vſum hunc terræ mandandi cadauera non ſemper ſeruauere Romani; Veſtales tantùm quæ deliquerant, infodiebant viuas, vt ſignificaretur, eſſe indignas emori in igne, ſterili atque adeò puro & caſto elemento, iuxta Philippum Abbatem lib. de conci. c. 90. Et quod Plinius lib. 7. cap. 54. vetere apud eos inſtituto, ait, corpora omnium terræ condita, meritò reiicitur à Margio lib. 3. miſcellan. c. 10. poſt Paulum Manutium l. de leg. Rom. & refelli videtur ex combuſto Numæ cadauere, vt Plutarchus in vita Numæ notauit. Sed & Ouidius Remi funus deſcribens, ait,

Vltima plorato ſubdita flamma rogo eſt.

Quid quod ipſe Plinius lib. 14. cap. 12. aſpergi vino rogum, à Numa vetitum tradit? Erat igitur tunc rogi funebris vſus. Sed quidquid ſit de antiquo vſu, tamen poſtea nihil Romanis frequentius, vt Plinius ſupra fatetur, & Tacitus 16. annal.

At Chriſtiani, à violenta illa corporum deſtructione abhorruerunt. Hoc Cæcilius apud Minucium, refert ad ſpem reſurrectionis. [Anceps (inquit) malum, & gemina dementia; cælo & aſtris quæ ſic relinquimus vt inuenimus, interitum denunciare: ſibi mortuis extinctis, qui ſicut naſcimur & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas, quaſi non omne corpus etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſoluatur: nec intereſt vtrum feræ diripiant, an maria conſumant, an humus contegat, an flamma ſubducat; cum cadaueribus omnis ſepultura (ſi ſentiunt) pœna ſit; ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate, medicina.] Verberabat aërem qui Chriſtianos inde inſectabatur. Non enim ignium ſepulturas auerſabantur, quaſi difficilior eſſet futura reſurrectio poſt cadauer combuſtum, quàm poſt reſolutum ſponte naturæ: quæ fuerat Democriti imaginatio apud Plinium lib. 7. cap. 55. ſed corporibus ſuorum parcentes, lentam illam ac ferè naturalem corruptionem præeligebant; cum ob alia quæ in hanc rem addenſat Henricus Spondanus lib. 1. de ſacris cœmet. parte 1. cap. 4. num. 5. & 6. tum quia ea violentæ reſolutionis corporum remotio, ad reuerentiam ex Auguſtino 1. Ciuit. cap. 13. corporibus ſanctis debitam aptior erat, tum quia luculentiùs ingeritur mortalibus, diuinum decretum de reuerſione hominis in terram ſuam, cum cadauer permittitur naturali corruptioni, & terræ infoditur in terram regreſſurum.

Etiam magnis qui ſunt in terra, communis ſors reuertendi in terram ſuam.

8. HÆc eſt communis ſors quorumcunque hominum quantumvis ſibi in vita aliquid eſſe videantur, ac vel ſi Magni in terra, & Principes, vel Imperatores audiant. Simon Magus exiſtimabat ſe aliquid eſſe, vt dicitur Actor. 8. & inflatus animo, vocabat ſe *ſtantem*, id eſt, incorruptibilem & nunquam de eo vegeto ſtatu quo potiebatur dimouendum, vt refertur 2. Recog. ſed turpiter alliſus & attritus, in puluerem ſuum regreſſus eſt. Iuſtinianus Imperator, à ſuo Treboniano rapaciſſimo & Ethniciſſimo homine dementatus, ad cæteras profanitates & ſacrorum conculcationes (in hoc Æthiope non rectè à Ferd. Corduba cap. 14. didaſc. dealbatas) colophonem addidit; cum poſt Chriſti in mortali vita corporeas paſſiones ad corruptionem ex ſe diſpoſituras, ablegatas; & Aphtartodocitarum dogma adamatum quoad Chriſtum, eò quoad ſeipſum deuenit, vt exiſtimaret ſe citra corruptionem omnem, & in ſenſu Simonis Magi *ſtantem*, cælo eſſe inferendum, vt Suidas in Treboniano teſtatur, & ex Heſychio Mileſio confirmat Baronius anno 519. *ſub finem.* Euentus omnino contrarium docuit, & Iuſtinianum, vel eius palponem Trebonianum, dementiæ reuicit. Pro conſtantiidem habuerunt Græci Imperatores, qui in primo imperij aditu, cineres ſibi offerri in vaſculo, vt reſolutionis ſuæ in cineres meminiſſent, induxerant in vſum, vt infrà referam, num. 12. Quemadmodùm morbum citò euerſurum ægrotum Medicus illicò ſatagit profligare, ita Principem malum Deus quàm primum ſuccidit, tanquam morbum corporis politici eique demortuo populatores vermes inſiſtunt. Comparatio eſt Siracidæ c. 10. Eccleſiaſtici, his verbis expreſſa. *Breuem languorem præcidet Medicus, ſic & Rex: hodie eſt, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias & vermes.* Exclamat ad hæc verba Sariſberienſis lib. 5. polycr. cap. 7. [Numquid quæſo, pauperes opprimuntur iniuriis, attenuantur exactionibus, rapinis, mulctis litibus ſpoliantur, iubentur in ſe concurrere populi, & orbem concutere, vt potentibus iſti ſuccedant hæredes? Iſti namque ſuccedunt omnibus iure ſuo, nec deſideratur ſolemnitas teſtamenti. Ab inteſtato emergunt omnia. Velis nolis, hos habebis hæredes.]

Itaque vniuerſaliter, & Regum ac Principum corporibus non excluſis, Gregorius Nyſſenus Orat. de S. Theodoro, corpora Sanctorum quæ incorruptibilitatem animæ non læſerunt, & immaculata animæ inſtrumenta fuerunt, abeunte anima ſummo in honore apud fideles haberi docet, diuinis operibus ac ſignis veneranda: cæterorum verò hominum mortua corpora, non item. [Nam cæteræ quidem reliquiæ, etiam abominabiles pleriſque ſunt, ac nemo lubenter ſepulchrum aperit: aut ſi ex inopinato apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum quæ inibi iacent, faciem operiens, iniucunditate repletus, & humanæ naturæ conditioni grauiter ingemiſcens, prætercurrit.] Nihil hîc per auxeſim dictum, ac ne magnorum quidem qui ſunt in terra, corporibus ſecluſis. Quod vt quotidiana exempla taceam, prodidit inſigniter Iſabella Imperatrix, Caroli V. Vxor, cuius dictæ corpus paucis à morte diebus, omnibus licet vnguentis conditum, adeò immutatum eſt, vt Franciſco Borgiæ pompæ funebris curatori,

ad

ad illidendos ſeculo calces incentiuum potens fuerit, conceptus è conſpectu cadaueris non ita pridem adeò teterris horror, vt in Borgiæ rebus geſtis ſcribit Petrus Ribadeneyra.

9. Exemplum Henrici primi Anglorum Regis, quod exhibuit Ioannes Monachus Maioris Monaſterij lib. 1. hiſtor. Gaufredi Ducis Normanniæ, non eſt minùs luculentum. Et quia idem Ioannes, eo exemplo propoſito, inſigniter in hanc rem philoſophatur, placet ipſa eius verba appendere. [Rex Henricus (inquit) prima die Decembris obierat, cuius corpus Rothomagum allatum eſt, & ibi viſcera eius, & cerebrum, & oculi conſepulta ſunt. Reliquum autem corpus, cultellis circumquaque diſſecatum, & multo ſale aſperſum, coriis taurinis reconditum eſt, cauſa fœtoris euitandi, qui multus & infinitus, iam circumſtantes inficiebat. Vnde & ipſe qui magno pretio conductos, ſecuri caput exciderat, vt fœtidiſſimum cerebrum extraheret; quamuis linteaminibus caput ſuum obuoluiſſet, mortuus tamen ea cauſa, pretio malè gauiſus eſt. Hic eſt vltimus ex multis quem Rex Henricus occidit. Multos enim occiderat viuus; hunc vltimum occidit mortuus. Inde ſiquidem corpus Regium domi ſuæ deportauerunt, vbi diu in Eccleſia in qua Pater eius ſepultus fuerat, quamuis multo ſale repletum eſſet & multis coriis reconditum, tamen continuè ex corpore niger humor & horribilis, coria pertranſiens decurrebat, & vaſis ſub feretro ſuſceptus, à miniſtris horrore faſtiſcentibus abiiciebatur. Vide igitur quicunque legis, quomodò Regis potentiſſimi corpus, cuius ceruix diademate, auro, argento, & gemmis electiſſimis quaſi Dei ſplendore vernauerat, cuius vtraque manus ſceptris prætradiauerat, cuius reliqua ſuperficies auro argentóque textili tota rutilauerat, cuius os tam delicioſiſſimis & exquiſitis cibis paſci ſolebat, cui omnes aſſurgere, omnes expaueſcere, omnes gaudere, omnes admirari ſolebant; Vide inquam quo corpus illius deuenerit, quàm horribiliter delituerit, quàm miſerabiliter abiectum fuerit. Vide tecum euentum, ex quo ſemper pendet iudicium; & diſce contemnere, quicquid ſic exterminatur, quicquid ſic annihilatur.]

Quare rectè omnino ac ſapienter ſtatuebat Deiloquus Iob. cap. 21. *Nunquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudicat? Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix.* (Nam re vera moritur robuſtus & ſanus, ſed anterius totius vitæ robur, & continuata ad extremam vſque ægritudinem ſanitas, eo loquendi modo inſinuatur.) Moritur ergo quiſpiam excelſorum terræ. *Viſcera eius plena ſunt adipe & medullis oſſa illius irrigantur. Alius verò moritur in amaritudine animæ abſque vllis opibus. Et tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.* En communis magnorum & puſillorum ſeculi ſors: abeunte anima ſimul Rex & agaſo dormiunt in puluere, ambo reuertuntur in terram ſuam, vtrumque vermes operiunt. Flacci vox eſt lib. 4. Ode 7.

Quo pius Æneas? Quo Tullus diues & Ancus?
Puluis & vmbra ſumus.

Heu ſortem humanam! [Quid homo eſt quilibet homo, cum ſit homo?] vt rectè ingemuit D. Auguſtinus 4. conf. cap. 1.

Cur tam vniuerſaliter decreta hominis corruptio, ſancti Chryſoſtomi diſputatio.

10. AN rectè hanc ob cauſam gemimus, quod corpora noſtra ſint ſoluenda & reuerſura in terram ſuam? Propoſita hac interrogatione S. Chryſoſtomus homil. 35. in Matth. reſpondet. [Ego verò ideò gaudendum nobis magis cenſeo, quoniam corruptione corporis mors ipſa corrumpitur, mortalitas deſtruitur, non ſubſtantia corporis. Nam vt quando æs funditur vt inde ſtatua conficiatur, nullam æris perditionem tunc eſſe dicimus, cum ad meliorem vſum traducatur: ſimiliter de corpore quoque tuo futurum eſt. Nullis ergo lachrymis, nullo mœrore, quoniam moriturus es, te lacera. Tunc enim flendum eſſet, quando in huiuſcemodi conditione ac pœna, perpetuò corpus tuum permanſurum ſcires.]

Necdum exhauſtam cenſuit S. Doctor difficultatem, nec plenè quæſito propoſito ſatisfactum. Itaque inſiſtit propoſito argumento: Iuuat potiò eius aſſectari veſtigia: quia diſputatio eius etiamſi paulo prolixior, tamen grauibus rationibus hoc negotium eximiè illuſtrantibus redundat, & præ amœnitate faſtidium prolixitatis abſtergit. Ait itaque. [Sed melius eſſet, (inquies) ſi nulla putredine corpora tabeſcerent, ſi integritatem ſuam ſemper conſeruarent. Ego verò non video, quàm hoc aut defunctis aut viuis vtilitatem afferre poſſit. Quouſque hæc fœtida corpora diligetis? Quouſque terræ affixam mentem habebitis? Quouſque huius vmbræ ardenti amore laborabitis? Non enim intelligo, quid emolumenti ſi corpora integra permanerent, conſequeremur: Imo verò è contra, magna pernicies nos inde inuaderet. Nam ſi corpora nullo fœtore inquinata conſeruarentur, primùm perniciuſiſſimum ſuperbiæ malum magis vigeret. Nam ſi etiam cum putredine tabeſcant, cum vermibus poſt mortem ſcaturiant, multi tamen Deorum honoribus coli voluerunt, quàm plures huiuſmodi homines futuros credis, niſi fœdiſſimo corporis fœtore ab hac inſania deterrerentur? Deinde non facilè aliqui ſibi perſuaderent, terrena eſſe corpora noſtra. Nam ſi cum in terram modò reſoluuntur, nonnulli tamen an terrena ſint, ambigunt; quid non ſuſpicarentur, niſi hoc ita fieret? Tertium; magis ab omnibus corpora diligerentur, & carnales magis, rudioréſque multis hominum efficerentur. Nam ſi aliqui, etiam fœtentibus ſepulchris, ſtulto ſuorum amore coniunguntur, quid facerent ſi corpus integrum detinere poſſent? Quartum, non valdè homines futuræ vitæ ſtatum deſiderarent? Quintum, qui perpetuum fore mundum opinantur, quaſi certior conſeruatione corporis eſſet ſua opinio, eſſe conditorem mundi aliquem pernegarent. Sextum quanta ſit virtus animæ non facilè cognoſceretur, nec quantum ipſi corpori afferat cum ei coniuncta eſt. Septimum, multi amore ſuorum, cœtibus

hominum ſpretis, continuè vt ſuos viderent, ſepulchra mortuorum habitare non erubeſcerent. Etenim chariſſimorum effigies plerique depingentes, quoniam defluens corpus ſecum detinere non poſſunt, tabulis affixi vitam peragunt: quid non auderent excogitare, ſyncerum ac integrum corpus ſuſpicientes? Facile mihi videtur, ad condenda corporibus templa multos conſpiraturos fuiſſe, & cultu dæmonum nouos qui talibus rebus dediti ſunt, efficere vt mortui ſui quaſi viui loquerentur; quando etiam nunc, hi quos *Necromantas* Græcè appellamus, multa huiuſcemodi ſolent excogitare. Quanta verò Idololatriæ cultus ſæuitia fureret, quis ignorat, cum in puluerem ac cinerem corporibus redactis, nonnulli contendere audeant Idololatriæ cultum reſtituere? Ne igitur omnia hæc mala, cæteráque huiuſcemodi locum habeant, ac vt diſcamus non eſſe mentem in terrenis rebus retinendam, noſtra ante oculos noſtros corpora omnem fœtorem exhalantia tabeſcunt. Sic qui nimium corporis formam admiratur muliebri ardore perflagrans, ſi ratione, deformitatem noſtri corporis intelligere nollet, ipſis oculis cernere poſſet: cum multæ pares atque æquales eius quam ardet, ditiores etiam plerumque ac delicatiores, morte præuentæ, poſt vnum vel alterum diem, fœtide ſanie fluentes, vermium materia factæ ſunt. Qua ex re percipere debes, quali forme occupatus es & quæ te peruertit cupiditas. Quod ſi corruptionem corpora omnem effugerent, vnde id aliquis rectè perdiſceret? Nonne quemadmodùm ad ſepulchra dæmones concurrere videntur, ſic morbo cupidinis, laborantes, ſepulchris continuè affixi, dæmonum ſuas animas efficerent habitacula, atque hoc ſæuiſſimo inſaniæ furore animam emitterent? Nunc verò ad hæc omnia, id etiam animum cupientis conſolatur, quoniam cum nullibi veram deſideratæ rei imaginem videre licet, in obliuionem facilè labitur. Ego verò arbitror, ne ſepulchra quidem futura fuiſſe, ſi corpora illæſa remanerent: Vrbes quippè non ſtatuis, ſed mortuorum corporibus plenas videres, cum ſinguli ſuos apud ſe retinerent; qua ex re, magna quædam & deteſtanda fieret confuſio. Pauciſſimi, animæ curam haberent: complures nihil de animi immortalitate audire paterentur. Multa prætereo fœdiora, quæ ſilentio tranſeunda iudico. Ea ergo de cauſa confeſtim tabeſcunt corpora, vt tu pulchritudinem animi nudam perſpicere queas.]

Non puto eſſe quemquam adeò ſaxeum, vt eum rationes à D.Chryſoſtomo propoſitæ, pro congruenti ac neceſſaria corporum in terram ſuam reuerſione, non emolliant. Nunc fructus aliqui in iiſdem rationibus perſtricti, regustandi ſunt: & vt melius percipiantur, ſtilo paulò pleniore perfundendi. Intereſt enim permagni has veritates penitiſſimè perſuadere è quibus ritè perſpectis, vitæ noſtræ compoſitio pendet.

Humilitatis materia, reuerſio neceſſaria hominis in terram.
ſuam.

11. IVre ergo cuiuis noſtrum, ex perſpecta, mox ſecutura corporis in terram diſſolutione, inclamandum illud; *Quid ſuperbis terra & cinis?* Diuinè in hanc rem Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ Tractat. de humilit. cap.4. [Quo (inquit) fine clauditur hominis caro, inſinuant ipſa ſepulchra oſſibus plena, fœtoribus intolerabilia, vermibus referta: Nam poſt hominem vermis de ea generatur; poſt vermem fœtor & horror exhalat. Sicque in non hominem, vertitur omnis homo. Igitur ô ſæculi amatores, ô carnis concupiſcentiarum fautores, cùm fæx, cùm limus, cùm res viliſſima ſimus, vnde ſuperbimus? Quare corporis noſtri miſeriam non conſideramus? O mira fatuitas! ô ſtupenda cæcitas! ô dedignanda vanitas cordis noſtri! cuius ceruicoſus motus, omninò domare non poteſt humilitatis tanta memoria, quin adhuc ſuperbiat puluis & cinis!] Mens piiſſimi huius ſcriptoris eſt, docere, ſi hominem ſatis ad humilitatem non erudit prima formatio ex terra, debere ſaltem id præſtare reuerſionem in eandem terram, tam multiplici ex anterioribus hominibus experimento deprehenſam. Prima quidem illa productio, & veluti figulatio noſtra è terra, ſufficiens eſſe poterat, ad nos omnis Chriſtiani officij commonendos; quod planè inſigniter proſequitur Gregor. Nyſſenus orat.2. de hom. procreat. Quia tamen ea noſtri, è terra formatio non eſt niſi mediata, nec eam ipſimet ſumus conſpicati, prouidit Deus, vt ad omnem modeſtiam componeremur per regreſſum in terram quotidie in aliis conſpicuum.

S. Chryſoſtomus ſerm. de fide & lege naturæ, multam humilitatis materiam hinc eruit, expendens illud Eccleſ.10. quod allegat tanquam Eſaiæ, *quid ſuperbit terra & cinis!* [Formatus (eſt inquit) Adam pauper de terra. Puluere, enim accepto, Deus eum formauit; ſed neſciuit Adam quomodò formatus eſt, vt dixi olim non enim oportebat, eum teſtem adeſſe eorum quæ fiebant, vt ne contra Deum extolleretur, & ignoraret eum qui ſe creauerat, & reprobaret ſuum conditorem.] Locus quem allegat, habetur in homilia de formatione Adæ, vbi quomodò conſultum ſit humilitati, ſemouendo animam à conſpectu formationis hominis, nec eam condendo niſi poſt effictam luteam maſſam in externum hominem, rationem reddit, *ne gloriari poſſet, quaſi Dei ad fabricandum opus illud, adiutrix.* Pergit priore loco Chryſoſtomus, & cœptum ſermonem de argumento humilitatis ex reſolutione in terram petendo, ſic proſequitur. [Deus creauit hominem de puluere, ſed neſciebat homo quomodò eſſet factus; & propterea ignorabat ſuam vilitatem. Deus enim (vt dicebam dudum) animam voluit eſſe priorem, vt ne videret formationem. Veruntamen quoniam omnino neſciuit ex qua humilitate ſubſtiterit, & quod eum opifex de terra finxerit, conuertit eum in terram à qua ſumptus eſt, vt iterum de ſua infirmitate

infirmitate edoctus, agnoſcat & primæuam beneficentiam, & futuram inuidiam. Quia enim quando formatus eſt, neſcitur quod de terra factus eſſet; (attende diligenter, ne te fiat latens ſenſus:) quia Adam dum formaretur, ignorabat quod de puluere ſurgeret, quando in reſurrectione ſurget, ſciet quod exuat puluerem & excitetur. Nam etſi mortuus ſemetipſum non videat, videt tamen eum qui ante ſe eſt. Videmus nos mortuos & in puluerem reſolutos, & per quæ videmus, docemur. Non vidiſti ſæpè audaces viros & ſuperbos, quomodò ſæpè conſternati & humiliati ſunt in mortibus? Nunciatur mors, & toto corde tremiſcunt, mentéque eorum nihil eſt abiectius. Ita ſanè & circa ſepulchra philoſophamur; Videntes oſſa nuda, & humanam naturam corroſam & diſſolutam, cogitamus ſtatim & inter nos diſputamus, dicentes, Ecce quid tandem ex nobis fit, & quò ambimus, *&c.* Apud ſepulchra, ita vnuſquiſque proximo loquitur, ô miſeram, ô miſeram noſtram vitam. Quid tandem ex nobis fit? *&c.* Ea propter Deus vbique ſepulchra fieri voluit, vt illis noſtræ ipſorum infirmitatis memores fieremus. Ideò omnis ciuitas, omne caſtellum, ante ingreſſum ſepulchra habet, vt contendens intrare in ciuitatem, quæ imperat, & floret diuitiis, & potentatu, aliiſque dignitatibus, priuſquàm videt quod ſecum concipit, videat primùm quod fit. Ante portas ſunt ſepulchra, ante agros ſunt ſepulchra. Vbique ante oculos eſt noſtræ humilitatis ſchola, & docemur in quid deſinamus tandem, & videmus quales futura ſint phantaſmata.]

Quod hîc attingit S. Chryſoſtomus de ſepulchris ante vrbium portas iam olim viguiſſe, conſtat ex Varrone lib. 5. de ling. lat. aſſerente, ſepulchra diſponi ſolita ſecundùm vias publicas, vt prætereuntes haberent *monumenta*; (ſic enim vocant quæ Græci μνημεῖα, aut *memorias*: vt D. quoque Auguſtinus notauit, ab admonendo de morte cuiuis inſtante, ſicut illic ſitus occupauit, & mortuorum excitanda memoria, dicis teſtatus lib. de cura pro mort. cap. 4. Longũ ſyllabum ſepulchrorum in viis publicis ſtructorum, confecit Kirchmannus lib. 1. de funer. Rom. cap. 22. Ne igitur cuiquam excideret recordatio ortus ſui è terra; & quod denique regreſſurus eſſet in terram, ſepulchra propter vias publicas, & in vrbium aditu eſſe collocata, ſapienter admonuit S. Chryſoſtomus.

Hoc Imperatorem ſuum monebant Græci, cum inaugurabatur, verid ex ea celſitate tumorem, niſi terræ noſtræ & cinerũ in quos reſoluimur ingeſta recordatione veluti freno comprimeretur. [Apud Græcos (ait Petrus Damiani Opuſc. 24. cap. 5.) hæc teneri conſuetudo perhibetur, vt cùm Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ ſimul ac ſceptri gloriâ decoratus cùm denique procerum vallatus obſequiis, cùm excipitur modulantibus pſallentium choris, quidam ſibi præſto fit obuius, qui videlicet vnâ manu vaſculum plenum mortuorum oſſibus, ac pulueribus offerat, in aliâ verò ſtupam lini ſubtiliter pexam, ac pilis penſilibus molliter demolitam; cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi flammâ ſubitò vorante, conſumitur: Vt in altero debeat conſiderare quod eſt, in altero valeat videre quod habet. In cineribus ſiquidem, ſe cinerem recognoſcit, in ſtupâ iam colligit in die iudicij quàm ſubitò mundus ardebit; quatenus dum ſe, ſimul ac ſua tam vana tam flocci pendenda conſiderat, de imperialis culminis aſcenſo faſtigio nullatenus inſoleſcat; & dum poſſeſſor atque poſſeſſio ſubjacere communi omnium caſui non ambigitur, tam quaſi de ſingulari dignitatis apice, qui ad ſumma prouectus eſt, non inflatur.]

Etiam homini, anima pro ſale.

12. Iuuat nonnullas alias, quas ſtatus hic corporum ad abſceſſum animæ ingerit, cogitationes non omittere. Et imprimis hinc habetur, non tanquam ſingulare, pronunciari par fuiſſe de ſuibus, quod anima ſit eis pro ſale. Ita de ſuibus Varro lib. 2. de re ruſtica cap. 4. Tullius lib. 5. de fin. Plinius lib. 8. cap. 51. & ex Cleanthe Clemens Alexandr. 7. ſtrom. At quomodò hoc ſingulare in ſue, cum homini quoque, anima ſit pro ſale arcens putredinem, adeò vt eum primùm anima excedit, pax ſit naribus optanda, vel ſecedendum à cadauere in terram ſuam mox abituro? Egregiè hoc conſiderauit S. Bernardus ſerm. 6. de aduentu, alloquens corpus, apud quod anima hoſpitatur. [Ac ne fortè (inquit) deſpicias, aut parui pendas hoſpitem tuum, pro eo quod peregrinus tibi videtur & aduena: diligenter attende, quid huſpitis huius tibi præſentia largiatur. Ipſa enim eſt, qui tribuit oculis viſum; auditum auribus præſtat; ipſe eſt qui linguæ vocem, palato guſtum, motum membris omnibus ſubminiſtrat. Si quid vitæ, ſi quid ſenſus, ſi quid in te decoris eſt, huius hoſpitis beneficium recognoſce. Denique diſceſſus eius probat, quid præſentia conferebat. Protinus enim anima diſcedente, lingua ſilebit; oculi nihil videbunt; obſurdeſcent aures; corpus omne rigebit; facies expalleſcet. In breui quoque, totum cadauer, putidum ſimul & putridum fiet, & decor omnis in ſaniem conuertetur.] Quàm malè tamen corpus, tot & tanta quæ ab anima accipit, bona compenſet, fusè proſequitur in Proſopopæia animæ ad corpus, Gregorius Palamas.

Quàm improuida, carnis in terram reuerſuræ, cura in deſideriis.

13. CONſiderandum præterea ex dictis, quàm ſtultum delirent qui carnis curam faciunt in deſideriis. [Age frater (inquit Petrus Damian. Opuſc. 42. cap. 6.) quid eſt caro iſta, quam videlicet tam diligenti cura veſtibus contegis, & tanquam regiam ſobolem molliter nutris. Nonne maſſa putredinis? Nonne vermis, puluis, ac cinis? Nec iſte qui nũc eſt, à ſapiente viro attenditur: ſed potiùs dignum eſt, vt ſanies, virus, fœtor, & obſcœnæ corruptionis illuuies, quæ poſtmodùm futura eſt, perpendatur. Quas ergo gratias tibi referent vermes, qui voraturi ſunt carnes, quas molliter, ac ſuauiter enutriſti?]

Egregiè quoque idem Auctor Opuſc. 50. c. 10. informans Blancam ex Comitiſſa ſanctimonialem. [Perpende, quia caro quæ nunc accuratis dapibus enutritur, paulò poſt vermibus ſcaturire compellitur: ipſáque tunc fit eſca rodentium, quæ nunc delectabiliter ſaginatur

ginatur iucunditate ciborum ; hæc tantò grauiorem exhalat putrefacta fœtorem, quantò ſuauiorem ſibi procurauit educata mollitiem. Ecce dum iſta conſcribimus, Sophia nobis ad memoriam reddit, duorum ſcilicet Marchionum, Vgutionis ſoror, Raynerij filia ; quæ ante hoc ferè ſexennium, dum ſana adhuc eſſet, & incolumis Abbatem Monaſterij Sancti Chriſtophori martyris, vt ſibi ſepulturam conſtrueret, petiit : illóque renitente, eámque delirare perhibente, difficiliùs impetrauit. Factúmque intra monachorum clauſtra ſepulchrum, mox vt ingreſſa conſpexit, neſcio quo iudicio, in ægritudinem corruit : ac paulò poſt abortiuit & obiit. Cuius profectò tumulus cum eſſet gypſeus, artificioſiſque cæmentariorum ſtudiis vndique communitus, tantam fœtoris illuuiem per continui circiter anni circulum exhalauit, vt tolerari vix poſſet, nec Fratres quieſcere in tota illius clauſtri medietate permitteret. Et cum multa circunquaque ſepulchra ſubſiderent, eadémque minora ſatis impendia percepiſſent ; nullum præter hoc ſolum, moleſtias naribus ingerebat : vt luce clarius innoteſceret, quoniam humana caro, quanto teneriùs, ac molliùs educatur, tanto deteriùs, in putredinem, ac nauſeam vertitur. Enim verò, Fratres, cum me, cur id fieret, inquiſiſſent ; quod videbatur, expoſui. Hoc inquam, vt opinor ad ſalutem veſtram diuinitùs agitur, vt in illo vno corpore quod tam pulchrum, venuſtúmque vidiſtis, quid etiam de cæteris mulieribus in tentatione luxuriæ ſentiri debeat, liquidò colligatis ; quoniam caro illa & tunc putredo veraciter erat, cum ad ſe ſpectandam lubricos intuentium oculos prouocabat. Quid enim tunc fuerit, nunc euidenter oſtendit. Et quælibet hominis caro, quæ nunc virere conſpicitur, nequaquam de ſe poſt obitum putredinem generat: ſed quæ ſemper fuerat, tunc ſe tantummodo putredinem manifeſtè declarat.]

Sanctus Baſilius in Pſalm. 29. tractans illud Dauidis, *quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem ?* has ait eſſe voces Pſaltis veluti corrigentis priorem ſuam petitionem pro bonis corporis. [Cur (inquit) clamaui, & quæ te Dominum, ac Deum meum rogaui ? Quid mihi opus, inquit, carnis oblectatione, aut ſanguinis multitudine, quum ſim eas amiſſurus in communi corporum reſolutione ? Sed potiùs meum corpus caſtigo & in ſeruitutem redigo : ne fortè ex valetudine nimis proſperà, & ſanguinis copioſi feruore, occaſio peccati mihi corpulentia exiſtat. Ne igitur tuæ carni obſequare indulgentiùs, aut colas eam geniali balneo, ſomno, plumis, ac mollibus cubilibus ; ſemper hoc verbum, quaſi elogium quoddam repetens ; *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem ?* Quid quæſo tantoperè adornas, fouéſque, quod paulò poſt eſt interiturum ? Quid teipſum ſaginas, & carnibus grauas ? An ignoras, quanto pingiùs tuum tibi corpus, tanto grauiorem animæ tuæ carcerem conſtituis ?]

Inſania depereuntium carnem alienam, in puluerem fætidum mox ſoluendum.

14. NEc minùs delirant, qui carnem alienam mox corrumpendam, & in puluerem fœtidum & malè olidos cineres ſoluendam, depereunt, parati Deo ac æternæ beatitati valedicere, dummodò ad monumentum illa portantur. Exhibent Patres ſæpè hanc carnis mortuæ & putrefactæ ſpeciem fœdam, vt malè ſanos amatores infrænent. Sanctus Chryſoſtomus infatuato ab Hermione ſua Theodoro, Chryſoſtomus Parænesi priore, proponit quo tandem deſitura ſit omnis perperam adamata pulchritudo. Nempe quo tot anteriores ſpecioſiſſimæ & cultiſſimæ abierunt, in puluerem nimirum ac cineres. Idem ſerm. 3. de prophet. obſcurit. egregiè his verbis id tradit. [Cum formoſam mulierem videris, cui micantes oculi ſunt & hilares, cui nitentes genæ, cuius in vultu eximia quædam appareat pulchritudo, quæ mentem tuam inflammet, & libidinem augeat ; cogita terram illud eſſe quod miraris, cinerem eſſe quod te accendit ; & inſanire anima deſinet. Detege cutem vultus eius, tum ipſam omnem pulchritudinis vilitatem videbis. Ne in ſuperficie conſiſtas, ſed interiùs cogitatione progredere ; nec aliud quidquam præter oſſa, neruos, ac venas reperies. Annon ſufficiunt iſta ? Cogita mihi mutatam illam, ſeneſcentem, ægrotam, ſubſidentes oculos, excauatas genas, totum illum florem defluentem ; Cogita quid admireris, & tui iudicij te pudebit. Lutum miraris & cinerem ; puluis te incendit & fauilla.] Hæc totidem propè verbis, legere licet apud S. Ephrem tractat. de abſtinendo ab omni pernicioſa conſuetudine.

Addo alium eiuſdem Sancti Ephremi locum ex oratione in eos qui obdormierunt, vbi ſic inducit loquentes eos qui iacebant in ſepulchris. [Nos qui ex humanis exceſſimus illi ſumus quorum cuiuſque anima in locis ſibi congruentibus verſatur, vt quæque eſt commerita : hic autem qui veſtros ante oculos in ſepulchro cernitur puluis, iſte quem conſpicitis cinis, hic fœtor, iſta putrefacta oſſa, immundi hi vermes, corpora illorum ſunt adoleſcentulorum & puellarum quorum amore ac deſiderio flagrabatis olim. Hic cinis, illa eſt caro quam complectebamini, & quam inſatiabiliter oſculari ſolebatis. Hæc putredo illa eſt facies, quam dies noctéſque inexplebili voluptate deoſculabamini. Hæc tabes & fluxio immunda, illa eſt caro inter cuius complexus ſæpè peccabatis. Ideò videte ac planè credite, qui adhuc carne in vita vana verſamini ; certóque ſcitote quod dum in lecto inter complexus veſtrarum coniugum puellarúmque iacetis, vos cinerem lutúmque tunc complecti. Scitote inquam, dum cuncta earum membra circumplectimini, vos tunc fœtorem & putredinem amplecti. Diſcite quando earum amore ac deſiderio adeò flagratis, vos tunc vermes & cinerem, tetrúmque odorem concupiſcere. Nolite ſeduci, ô iuuenes & iuuenculæ inſipientes. Nolite decipi in vana iuuen-

tatis

turis veſtræ pulchritudine ? Nam nos & qui veſtros ante oculos putridi iacemus mortui, in vita olim ſicut vos apparuimus, & accuratè ornati odoramentiſque inuncti fuimus; deſiderauimus & oblectamentum cœpimus, atque in bonis dies noſtros duximus; & ecce, vt videtis, in cœnum ac cinerem, & puluerem; fœtoremque grauem, vniuerſa illa iam reciderunt. Quocirca deinceps, ne vos ipſos fallatis, ſed à nobis qui vos præceſſimus & in ſepulchro nunc ſumus, edocti reſipiſcite.]

Sancti Ephremi encomiaſtes ac laudum præco Gregorius Niſſenus, flagrantiorem mariti ſtolidi in coniugem ſpecioſam affectum, obiecta eiuſdem in puluerem redactæ, teſtinguí ac deferueſcere, his verbis docet libro de ſancta Virginitate, capite tertio. [Sponſus honeſtam faciem & amabilem cum cernit, continuò eum metus inuadit ne à ſe diſiungatur. Cum ſuauiſſimam vocem auribus percipiet, ei in mentem ſtatim veniet, à ſe nunquam ampliùs auditum iri. Formoſo & liberali aſpectu cum delectatus eſt, tum luctus expectationem horret ac denique quæ adoleſcentes in pretio & honore habent, quæve inſani expetunt, ſi ea intuebitur. Verbi cauſa, oculum palpebrarum venuſtate inſignem; ſuperciliorum decore circumfuſum, genas forma & lepore eleganti affluentes, labrum naturali rubore ſuffuſum, comam auro intextam capitis verticem variis coloribus gemmiſque refulgentem, & omnem illum denique venuſtatis ſplendorem qui ad tempus manet, cum omnino, vel ſi paululum rationis in eo ſit illud ſimul mente intuetur, omnem illam venuſtatem aliquando prorſus interituram eſſe, ad oſſa perdiformia, turpia, ac fœda redactam, amiſſa priſtina ſpecie, nullum autem veſtigium, nullum monumentum, nullas huius floris reliquias afferentem: ſi igitur hæc cæteràque huiuſmodi, ſecum quis animo reputarit, num iucundè viuet? Num in iis quæ ipſe bona poſſidet, fiduciam ſpémque ponet, quaſi illa perpetuò maneant? Non ex his exploratum habet, ſe veluti inſomniorum fallacia incertum fore, nihil in iis quæ ad hanc vitam pertinent ſe fidei habiturum, cum in eas res quæ videntur eſſe, tanquam in alienas incumbat?]

15. In eandem ſententiam diſſerit optimè Sanctus Gregorius 16. Moral. cap. vltimo in ſecunda expoſitione illorum verborum *Dulcedo, illius vermis.* [Poteſt (inquit) apertiùs *vermis* nomine, caro deſignari, vnde & ſuperiùs dicitur; *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Luxurioſi igitur cuiuſlibet atque carnis voluptatibus dediti, quanta ſit cæcitas demonſtratur, cùm dicitur, *Dulcedo illius vermis.* Quid námque caro, niſi putredo ac vermis eſt? Et quiſquis carnalibus deſideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? Quæ enim ſit carnis ſubſtantia, teſtantur ſepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti ſui; tangere carnem ſcaturientem vermibus poteſt? Caro itaque cùm concupiſcitur, penſetur quis ſit examinis, & intelligitur quid amatur. Nihil quippè ſic ad domandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnuſquiſque hoc quod viuum diligit, quale ſit mortuum penſet. Conſideratâ etenim corruptione carnali, citiùs cognoſcitur, quid cùm illicitè caro concupiſcitur, tabes deſideratur. Benè ergo de luxurioſi mente dicitur; *Dulcedo illius vermis:* quia is qui in deſiderio carnalis corruptionis æſtuat, ad fœtorem putredinis anhelat.]

Laudat hunc Gregorij locum Guil. Pariſ lib. de tentat. & reſiſtentiis cap. 4. quem iuuat adſcribere, quia egregiè in hanc rem diſputat. [Quartum remedium quod docet Gregorius in Moralibus; ſcilicet vt conſideretur caro quæ viua concupiſcitur, qualis erit mortua; & laudat efficaciam remedij iſtius mirabiliter ibi. Hoc remedio vſus fuit quidam iuuenis in partibus Burgundiæ, temporibus noſtris, Accepit enim caluariam, ideſt caput cuiuſdam ſpecioſæ mulieris defunctæ, poſtquàm putrefacta fuerat, & caput illud carnibus omnino nudatum; illúdque deferebat ſecum, vt quoteſcunque arriperet eum carnis tentatio, intueretur illud, & propter hoc deſpiceret pulchritudinem viuæ carnis. quàm citò per mortem & putrefactionem ſciebat ad illam deformitatem horrificam deuenturam. Hæc autem ſæpè faciens, tantæ efficaciæ remedium in huiuſmodi capite inuenit, quod in eo, per illud, victus eſt penitus ardor carnis.]

Simile commodum expertum ſe profitetur ex ſimili obiecto, Abbas Elias apud Moſchum in Prato cap. 19. Nam cum præmiſiſſet, quo ratione mulier, facta ei fuiſſet in decipulam, ſubdit. [Vrente me grauiter æſtu libidinis, repentè factus in extaſi, vidi apertam terram & me hiatu terræ abſorptum. Aſpicióque; illic cadauera putrida, iacentia & reſoluta, & incredibili fœtore plena, quemdámque reuerendi habitus virum ea mihi demonſtrantem, ac dicentem; Ecce iſtud mulieris eſt, iſtud viri, iſtud pueri, fruere iam vt vis, & quantumlibet, concupiſcentiâ tua. Huius tamen voluptatis gratia, vide quot labores amittere vos iuſſi. Vide propter quod peccatum vos ipſos priuare vultis regno cœlorum. Væh humanæ miſeriæ. Propter vnius horæ voluptatem, tanti laboris mercede fruſtramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reuerſus ſum in locum meum.] De quodam præterea amico ſuo, ſimilem fructum ex demortuorum corporum obiectu captanti ſic ſcribit Petrus Damiani Opuſcul. 49. cap. 3. [Noui fratrem in Chriſto qui diſtrictam hanc mentis ſuæ regulam iugi ac peruigili ſeruat intuitu, vt quotieſcunque libidinis ſuggeſtio ſurrepit, mox cogitationi ſuæ velut expeditus ad proficiſcendum dicat; Eamus ad circam inquit. Illicò omnia Cœmeteria ac ſepulturas imaginando perluſtrans, putreſcentium viros, ſaniémque cadauerum, ſcatentes quoque vermes, & fœtentium iis carnium, curioſo rimatur intuitu: cúmque conſiderat, quia olim carnes illæ in ſua viriditate florentes his ſubiacere moleſtiis; corpus etiam ſuum paulò poſt futurum eſſe non ambigit, quod illas eſſe iam cernit. Compendium dat luxuriæ qui præbet oculum corruptelæ, nec eſt libidini diuerſorium in quo verſatur mente ſepulchrum.]

Non eſt reticendum fœminæ ex obiectu de

quo agimus ad ſanam mentem reuocatæ illuſtre exemplum. Margareta à loco fœlicis obitus & diuturnæ commorationis dicta à *Cortona*, viro nobili diu adhæſerat ad turpem vſum. Is aliquando domo egreſſus, letho datus eſt interceptus ab inimico. Domo egrediens, catellam adduxerat comitem, quæ triſti ſpectaculo interfuerat, vt cadauer ſtruice lignorum operiri videbat. Domum reueniens poſt aliquot dies catella, prehenſam veſtibus Margaretam, pertrahere extra domum nitebatur; nec deſiit veſtium admorſione fatigare, donec ſecuta catellam Margareta, ad illam lignorum ſtruicem deuênit. Subſiſtente catella, & lignis applicita, quibus poterat modis innuente vt ligna remouerentur, & quod iis opertum fuerat, appareret; Mulier aliquot ligna remouit, & herum confoſſum ibi iacere deprehendit, admodùm horrenda ſpecie, & à vermibus ſemeſum, tetrum fœtorem ac graueolentiam inhalantem. Fructus ſpectaculi triſtiſſimi fuit, Margaretæ ex eo momento reuerſio ad cor, quam vitæ inter Sancti Franciſci Tertiarias ſanctiſſimè exactæ feliciſſima clauſula excepit, anno 1297. atteſtante Deo ſanctitati eius, inſignibus miraculis, & corporis ad hanc diem integritate, vt ſcribit Bzouius anno 1297. num. 18. & Vadingbus anno 1277. quo contigit eius conuerſio, à numero 13. & anno 1297. quo è vita exceſſit. à num. 22.

Reuerſio hominis in terram ſuam, fructus peccati.

16. AD extremum attẽdendo ſtatum corporum noſtrorum vita ſũctorum & quomodò abeant in terram ſuam, agnoſcendum eſt quid culpa in nobis fecerit. Conſtat enim quod homo, tametſi ex principiis phyſicis & naturæ ſuæ conditione, mortalis erat priuſquàm peccaret, tamen re ipſa non fuiſſet moriturus ſi in veritate ſtetiſſet, quia gratia Dei obſtitiſſet ne ne guſtaret mortem, quomodocumque id præſtitiſſet gratia, de quo agendum, tractando Iuſtitiam Originalem, & latè Suares de opere ſex dierum lib. 3. cap. 14. & 15. ac Molina diſp. 28. Coſmop.

Per primùm ergo hominem, peccatum introiuit in mundum & per peccatum mors, ac cum morte corruptio & putrefactio. S. Bernardus ſer. de exemplis obedientiæ in feſto S. Martini, præfatus adigi ſe ad publicè loquendum, ſic ſubdit in hanc rem. [Sed vnde loquemur? Qui de terra eſt, de terra loquitur, ait vox illa clamantis. De terra ergo loquamur, quia de terrâ ſubſiſtimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filij hominum; vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, reuertentes in eam vnde ſumus aſſumpti. Hic nobis anguſtus introitus, mora breuis, ſola mors certa. Cogitatus totus Adam iudicium portare quod meruit. Dilatatus eſt vehementer, multiplicatus eſt, & repleuit terram. Attamen velit, nolit, quantumcumque recalcitret, vniuerſus adhuc fert ſententiam, quam excepit. *Terra*, inquit, *es, & in terram ibis*. Grauis equidem ſententia, ſed non ſine grandi miſericodiæ temperamento. Dura admodùm, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena. Siquidem non minùs iuſtè peccanti diceretur, *Terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis*; Iuſtus foret etiam tunc, iuſtus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus planè qui daretur, ſed ego non idoneus, qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilo minùs verè dicerem; ſi tamen dicere poſſem; *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. At non infernus confitebitur tibi.] Amplificat iſta admodùm piè. Tum addit [Quid cauſaris homo, quid ſententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus è terra, vt ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit. Sed audite (inquies) velim, quia ſpiritus es, & ad ſpiritum ibis. Siquidem etiam ſpiritus ſum, quod ad animam pertinet, nec potionem hanc mei, dubitauerim potiorem. Audiui ſanè ab Apoſtolo, quia *Dominus ſpiritus eſt*: & ab ipſo Domino, quia *ſpiritus eſt Deus*. Nec modo ſpiritus, ſed *ſpirituum pater*. Vt quid ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte? Spirituum pater non recipit cum ex parte ſim ſpiritus? Scio, ſciò agi hoc non tam ſubſtantia ipſa, quàm culpa. Sicut enim peccatores ſpiritus inter cœlum & terram, ventorum hoc medium tenent, vnde & *poteſtates huius aeris* nominantur: ſic peccata noſtra inter nos & Deum ſeparant, inter creatorem patrémque ſpirituum, & ſpiritualem vtique creaturam. Traxit animam corpus in regionem ſuam, & ecce præualens opprimit peregrinam. Factum eſt nempe talentum plumbi; non aliunde tamen, niſi quia ſedet iniquitas ſuper illud. Corpus enim aggrauat animam, ſed vtique quod corrumpitur: corrumpitur autem, imò etiam (Apoſtolo teſte) mortuum eſt, propter peccatum. Itaque licet quodammodò cœlum ſit homo, cœleſtibus ſine dubio ſpiritibus ſimilis, ſubſtantia ſimul & forma; ſubſtantia quidem, quoniam ſpiritualis, forma verò quia rationalis eſt: minimè tamen leuare eum duo iſta ſufficiunt, vt mereatur audire, quia cœlum es, & in cœlum ibis.] Bellè huc quadrat diſputatio quæ habetur apud Sanctum Epiphanium hæret. 64. numero decimo octauo de ſtudio opificum omnium, vt opera manuum ſuarum ſint quantum fieri poteſt, perpetua: vt propterea Phidias ſtatuæ Iouis à ſe ex ebore formatæ, oleum ad pedes affundi iuſſerit, quò immortalem illam quantum poſſet, efficeret. Idem ergo noſtris corporibus optabat Deus. Sed peccatum, quæ Deus perfecerat, deſtruxit, & corruptionem immiſit.

CAPVT II.

Eſſe tamen aliqua mortua hominum corpora, quæ corruptionem non videant, monſtratur exemplis.

1. QVod hactenus de mortuo hominis corpore reuerſuro in terram ſuam conſtitutum

tum eſt, valet ſecundùm communem legem, vt plurimùm, ac ferè ſemper impletam. Interdum tamen quædam cadauera præter communem morem humanorum corporum, perſtare incorrupta agendo de corruptione omnimoda, nec reſolui in terram, debet eſſe extra dubium; quicquid in contrarium ſtatuat Henricus de Haſſia in Geneſim, cui adhæſit Sibyllanus in ſpeculo peregr. qq. dec. 3. cap. 8. part. 4. Volunt enim corpora quibuſcunque demum ex cauſis præſeruata à corruptione, tamen ante diem iudicij abitura eſſe in terram, ſuam, vt ſalua ſit diuina ſententia in Adamum vibrata.

Non pugnat cum Dei lege, quòd aliqui mortui non reuertantur in terram ſuam.

AT non idcircò conuellitur, diuinum decretum de homine in puluerem reuerſuro, & abituro in terram de qua ſumptus eſt in primo homine, ſi aliqua corpora nunquam cinereſcant. Satis enim eſt, illud decretum impleri ſecundùm communem legem, iuxta ordinarium curſum naturæ; niſi vel adiuncta naturalia, vel ars, aut priuilegium diuinum in raris aliquibus euentibus, aliud ferant. Sanè decretum de morte corporis per omnes planè homines ſubeunda, videtur fuiſſe prorſus vniuerſale, iuxta illud Hebr. 9. *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Quæ cauſa fuit cur Gregorius Nyſſenus ſerm. 4. in Eccleſ. dixerit, Exodum ſequi Geneſim; quia omnis qui per generationem ingreditur in hanc vitam, exit inde per mortem. Diuus item Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. cap. 11. ex eo quod verbum *morior*, iuxta Grammaticas regulas ſit indeclinabile, colligit inſinuatum ipſa voce fuiſſe, mortem deuitari ab homine non poſſe. Et tamen de ſententia multorum Doctorum, aliqui homines qui inſtant iudicio ſupererunt, transferentur in alteram vitam abſque morte corporea. Quam ſententiam non ſordere errore, ac ne temerariam quidem eſſe pronunciant Baſilius Legion. quæſt. 10. ſcholaſt. cap. 2. Sixtus Senenſ. l. 5. biblioth. annot. 365. Suares tom. 2. 3. part. diſt. 50. ſect. 2. A Coſta lib. 4. de temp. nouiſſ. cap. 20. Affine exemplum eſt, quod ſcriptura ſcatet locutionibus vniuerſalibus, quibus aſſeritur hominem concipi cum labe parentali, & venire in hanc lucem cum peccato, ac iuſtos quoque ſæpiùs in die peccare. Et tamen ſalua locutionum illarum vniuerſalitate, cui ſufficit quod ferè ſemper ita accidat; Beata Virgo concepta eſt abſque originali macula; & aliqui ſancti feruntur ſanctificati, in vtero antequàm ex eo funderentur, quod de S. Ioanne Baptiſta eſt indubitatum. Et Beata Virgo nunquam peccauit venialiter; quod ſpecialiſſimum priuilegium Baptiſtæ quoque obtigiſſe, cenſuerunt aliqui & probabile fatetur Suares tom. 2. 3. part. diſt. 24. ſect. 4. idem placitum cenſuris ſubducēs lib. 9. de grat. cap. 8. num. 31. Sicut ergo decreta vniuerſalia generalibus Scripturæ locutionibus expreſſa, quoad incurſum peccati originalis, & natiuitatem ex vtero cum macula peccati, & frequentem prolapſionem in venialia patiuntur limitationes aliquas; & vt veræ ſint propoſitiones de eis exaratæ in Scripturis, cenſetur ſufficere, quod citra priuilegium extraordinarium res ita habeat; ita dicendum eſt de generali decreto reſolutionis corporum humanorum in terram ſuam; ita vt eo non obſtante, aliqua corpora poſſint non reſolui, & perfectè putreſcere. Imo decretum illud de reuerſione hominis in terram, aliud reuera non ferre, quàm ſtatutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori, de grauiſſimorum Patrum ſententia ſtatuit Suares tom. 2. 3. parte diſtinct. 50. ſect. 6. etiamſi Soto in 4. diſtinct. 43. quæſt. 2. artic. 3. ait, indecens eſſe negare omnia corpora eſſe reipſa ſoluenda in puluerem. Cuius indecentiæ, nullam idoneam cauſam proferre potuit Soto. Sed eſto, ita ferret generale decretum, fuiſſa tamen infrequentia in contrarium exempla, legem illam vniuerſalem non excindentia, diffiteri non licet.

Sed priuſquàm in ſingulari aliquid in hanc rem proferam, generatim moneo, me vix adduci, vt inter exempla quibus illuſtranda eſt reſolutio data; referam quod apud Sedan. lib. de Natiuit. infantium, his verbis legitur. [Tres dies & tres noctes ſunt, in quibus ſi vir natus fuerit, corpus eius ſine dubio integrum manat vſque in diem iudicij; hoc eſt in ſexto Calendas Februarij & tertio Calendas, & Idus Februarij. Et ſui myſterium, mirabile eſt valde.] Hos aiebam ægrè adduci me, vt referrem. Eſt enim prorſus fabuloſum, nec vel experimento, vel ratione ſtabilitur. Indignè verò fecit, quiſquis libellum adeò inſulſum; Bedæ ſcriptori grauiſſimo inſcripſit, nec tantum ex eo capite explodendus eſt nugo, qui talia chartis illinit, ſed etiam ex eo quod continenter ſubiicit, eum qui naſcitur in Dominica, ſiue diu ſiue noctu, magnum ac ſplendidum fore: & eum quo naſcitur feria ſecunda, fortem fore: Qui feria tertia naſcitur, fore auarum, & ferro moriturum; qui feria quarta, futurum regni tractatorem, qui feria quinta affabilem & honorificum; qui feria ſexta rimalem & multùm luxurioſum; qui denique Sabbatho naſcitur, tardè fore vtilem. Hæc ſunt abſurdè commenta, & prorſus explodenda; æquè ac illud quod præmittebatur de Incorruptione cadaueris vſque ad generalem anaſtaſim, ſi natiuitas aliquo ex tribus diebus annotatis obtigerit. Itaque ſolidiora adducamus, in duas ſeries digeſta, nempe & quæ ad anteriora tempora ſpectant, & quæ ad Chriſtiana.

Incorruptorum cadauerum exempla apud Ethnicos.

2. PErantiquum exemplum ſuppeditat Simplicius 4. Phyſ. ad tom. 97. vbi Ariſtoteles meminit eorum qui dormiebant in Sardo apud Heroas. Qui eſſent hi Heroës in Sardo, (quod minùs feliciter aſſecutus eſt D. Thomas ibi lect. 16.) rectè expoſuit ibid. Simplicius, monſtrans fuiſſe nouem filios Herculis, quos ex Theſtiæ Theſpienſis filiabus ſuſceperat; quorum corpora in inſula Sardinia per longiſſimum tempus remanſerunt integra & abſque vlla putredine, ita vt dormire viderentur.

Ex Ariſtarcho aliud exemplum recitat Pauſa-

nias lib. 1. Eliacorum, ſiue lib. 5. quod iuuat adſcribere. [Iam verò (inquit Pauſanias) quod Ariſtarchus rerum Olympicarum Author locuples memoriæ prodidit, id nequaquam prætermiſerim. Sua igitur ille ætate, cum Elæi Iunonis ſacra tecta, quod vitium templi lacunar feciſſet, locaſſent; inter tabulatum quod ad ſpeciem expolitum eſt, & ſcandulare tectum; cadauer cum graui armatura ſaucij hominis repertum memorat. Hunc ego virum exiſtimo pugna intra Altim contra Lacedæmonios commiſſa, cum ſe propugnatores in templa Deûm recepiſſent, & inde de ſuperiore loco hoſtem repellerent, vulneribus confectum, iam moribundum illuc perrepaſſe: cadauer eius tandiu integrum permanſiſſe, quod neque per æſtatem vaporum, neque per hyemem in illis latebris abditum, frigoris noxam contrahere potuerit. Addit Ariſtarchus, elatum extra Altim, & cum iiſdem armis humatum fuiſſe.]

Non eſt ab vno aut altero, ſed ab omnino multis proditum, Henrico III. imperante ſub Chriſti annum 1055. haud procul Roma, repertum eſſe in veteri monumento, corpus Pallantis filij Euandri à Turno interfecti, mole Gigantea, & proceritate mœnium Romanorum altitudinem ſuperante. Habat in pectoris medio, vulnus in orbem pedes quatuor ac ſemis pateſcens. Ipſum corpus penitùs integrum, perinde ac ſi ea ipſa die occubuiſſet. Ex Martino Polono, Nauclero, Krantzio, Schedelio, Genebrardo, Landino, S. Antonino, ſcribit iſta Thomas Maluenda lib. 7. de Antichriſto, cap. 19.

Cum exercitus triginta millium bellatorum in Amidæ obſidione, profligatus eſſet ſub ſignis deſertoris Iuliani, cadem [paulò poſt, (ait Ammianus lib. 19.) per diſcernem Tribunum, & Notarium numerata ſunt hac diſcretione faciliùs, quod noſtrorum cadauera mox cæſorum fatiſcunt, & defluunt; adeò vt mortui poſt quatriduum agnoſcantur. Interfectorum verò Perſarum, inareſcunt in modum ſtipitum corpora, vt nec liquentibus membris, nec ſanie perfuſa madeſcant.] Simile diſcrimen notauit Syneſius l. de Caluitio inter Ægyptiorum ac Perſarum, ſiue Medorum caluarias.

Refertur paſſim in hoc exemplorum ordine, Tulliola Ciceronis filia. Eius enim fuiſſe cadauer, Romæ poſt annos mille quingentos, repertum in via Appia Sixto IV. Pontifice, coniectura ducitur ex regione paterni conditorij. Ludouicus Cælius lib. 3. lect. antiq. cap. 24. hoc corpus repertum eſſe illæſum refert; (vt ait,) viſebantur in eo capilli, auteu implicititi reticulo. Sed cur hoc exemplum in hanc rem minùs commodet, diſcendum eſt ex Sueſſano qui 4. Meteor. c. vltimo ait, cum hoc corpus repertum eſſet, ad contactum in cineres abiiſſe. Itaque non præſtabat incorruptum niſi ſpecie externa; reipſa verò computruerat per euaporationem humidi interni addit Sueſſanus. [Sueſſæ etiam obſeruauimus de quodam viro mortuo per multos annos quorum non erat memoria, & in ſepulchro ſeruato: illius enim figura, ferè nulla ex parte mutata erat: verùm cum tactus fuit, mox in cinerem verſus eſt.] Apud Boccacium 4. Geneal. Deor. c. 68. lego in antro Siciliæ propè Drepanum, ætatè ſua inuentum eſſe enormis magnitudinis cadauer humanum, in ſede repoſitum, ſiniſtra manu nixum prægrandi baculo. Ad primùm autem cõtactum abiiſſe in cinerem vniuerſa, præter tres dentes magnitudinis prorſus monſtroſæ; qui adhuc ſolidi ſunt reperti: & filo ferreo aptè ligati, ſuſpenſi ſunt in Eccleſia Drepanitana B. Virginis Annunciatæ, ad perpetuum inuenti Gigantis monumentum. Non latuit Ariſtotelem hæc in ſpeciem tantùm, non etiam reipſa interueniens corporum incorruptio. Nam ad calcem libri quarti Meteororum diſertè agnoſcit, in iis quæ plurimam deperditionem ſubierunt, ſolam figuram eſſe reliquam: [Vt inueteratorum mortuorum corpora, quæ ſubitò cinis fiunt in ſepulchris, & fructus ſolùm figura; ſecundùm ſenſum autem, non videntur inueterati valdè.

Albertus ad eum librum Tract. 4. cap. 7. quod Ariſtoteles ait de cadaueribus inueteratis quæ ſubitò in cinerem ſoluuntur, accipit de cadaueribus illis cum contrectantur. Quod autem addit Ariſtoteles *& fructus*, refert Albertus ad aliud exemplum doctrinæ ibi à Philoſopho traditæ; hoc eſt ad fructus arborum, qui quando primùm amittunt vigorem, externa ſpecie videntur iidem qui priùs: breui tamen ſi contingantur, cineraſcunt: vel ſi aperiantur, deprehenduntur abiiſſe in puluerem, vt de ſpecioſiſſimis externo obiectu pomis Pentapolitanæ regionis, notatum eſt à Tertulliano c. 4. Apolog. Nec plura de priore ſerie cadauerum incorruptorum.

Incorruptorum inter Chriſtianos cadauerum exempla nonnulla.

3. POſteriorum, id eſt, Chriſtianorum temporum exemplis abundamus. Eiuſmodi fuit corpus puellæ apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Confeſſor. cap. 35. quem ſuis verbis referentem rei geſtæ ſeriem iuuat audire, cum deſcribit vrbis Aruernæ nunc Claromontij baſilicas. [In baſilica S. Venerandi, quæ Sancti Illidij eſt proxima, tranſuoluta cellula à parte occidentis fuit, in qua multa ex marmore Pario ſepulchra ſculpta ſunt, in quibus nonnulli virorum ſanctorum ac mulierum religioſarum quieſcunt; vnde non ambigitur eos eſſe Chriſtianos quia ipſæ hiſtoriæ ſepulchrorum, de virtutibus Domini, & Apoſtolorum eius expoſitæ ſunt. Eo quoque tempore quo Georgius Valauorum ciuis, Aruernæ vrbis comitatu potiebatur, pars tranſuolutionis illius quæ per longinquæ incuriæ negligentiæ pluuiis erat infuſa, ſuper vnum eorundem ſarcophagorum ruit; opertoriúmque eius, impulſum, in fruſta comminuit: in quo apparuit puella iacens ita membris omnibus ſolida, quaſi nuper ab hoc ſæculo fuiſſet adſumpta. Nam facies manúſque eius, cùm reliquis artubus integræ erant, cum ingenti cæſariei longitudine: Sed credo eam aromatibus fuiſſe conditam: veſtimentum autem quod artus tegebat exanimes, aquarum vi erat illæſum, nol'áque putredine reſolutum, aut nigredine quacumque fuſcatum. Quid plura? Ita apparebat integra, vt dormiens potiùs quàm mortua putaretur. Autumabant autem quidem

noſtrorum,

noſtrorum, ob candorem veſtimenti holoſerici, in albis eam tranſijſſe. Aiebant etiam annulos murænulaſque aureas, circa eam repertas, & clam, ne Epiſcopus ſentiret, ablatas. Nulla tamen ætas temporis noſtri, cuius meriti, generiſque, aut nominis fuerit, aut opinione, aut lectione cognouit. Dùm autem hoc corpuſculum per anni vnius ſpatium detectum iaceret, nec eſſet, qui reſpectu humanitatis, huic adhiberet ſepulchri tegumen, contigit vt vxor antedicti Comitis, poſt viri obitum, grauiter ægrotaret, ac diuturna valetudine obtenta, oculorum lumine mulctaretur. Quæ laſata à febre, vocat Medicos, diuerſa adhibet ſtudia, largitur & præmia. Sed nullis potuit modis ab eiſdem elicere medelam, donec eam tandem aliquando pietas Domini commota reſpiceret. Apparuit enim ei perſona quædam per viſum nocturna, dicens: Si vis viſioni priſtinæ reſtaurari, perge quantocitiùs, & require lapidem mundum; ac ſarcophagum puellæ quieſcentis quod in baſilica Sancti venerandi detectum habetur citiùs tege: mox detectis viſibus oculorum tuorum, clarè cuncta perſpicies. Quo facto, vt vas illud clauſit opertori, protinùs apertis oculis lumen recepit ex integro: vnde non ambigitur, eſſe eam nobilis meriti, quæ talia præſtare potuit ægrotanti.]

Non mirum perſonam per viſum apparentem popoſciſſe operiri corpus fœmineum quod patebat, cum etiam Hugo Marchio Tuſciæ, defunctus, decentem corporis ſui in ſepulchro locati ſitum popoſcerit per viſum, apud Petrum Damiani opuſc. 57. parte 2. cap. 5. Geraldus verò Comes Aureliacenſis cuius res præclarè geſtas S. Odo deſcripſit, iam mortuus, honeſtatis rationem habuit, cum nudato ad ablutionem eius cadauere, habens vtramque manum pectori applicitam, extendit brachium dextrum ad aperienda genitalia. Quod cum primò factum caſu putaretur, denuóque brachium à cadaueris curatoribus ad pectus eſſet admotum; ſecundò, ac mox etiam tertiò, brachium defunctus ad operiendas naturales partes extendit, hæſitque brachium immotum eo quo contectæ fuere partes prædictæ. Ita refert S. Odo l. 2. de eius vita num. 50. Et ſimile eſt quod legitur in actis S. Philippi Nerij, de ſacro eius cadauere cum ablueretur.

Porrò, tametſi in præſentis parum refert, quod prædicta S. Gregorij illatio ſit valida, quia tantùm adduximus eam narrationem, vt liqueret, quædam corpora perſtare incorrupta, quacumque denique vi id fiat (de quo poſtea quærendum erit;) tamen vt hoc obiter dicam, conſecutio illa qua S. Gregorius narrationem ſuam clauſit, non videtur omnino firma. Quodcumque enim fuiſſet meritum animæ quæ corpus illud inhabitarat, ac vel ſi fuiſſet corpus Ethnicæ puellæ, tamen actus humanitatis ac honeſtatis exhibitus nudo corpori puellæ, potuit eam curationem emereri apud Deum. Turpe enim eſt ac inhumanum, corpus puellæ etiamſi mortuum, nudum conſpicere, vt propterea mulierum merſarum corpora, quod ſcribit Plinius lib. 7. cap. 17. prona fluitent, ſupina virorum; quaſi pudori defunctarum parcente natura. In compenſationem ergo illius actus & humani & honeſti, potuiſſet rependi ea ſanatio, quamuis fuiſſent damnatæ exuuiæ.

4. Toloſæ in cœnobio Fratrum Minorum, crypta eſt in qua condita corpora non putreſcunt, ſed cum contingit conditorium illud a corporibus abundare, educuntur non exiguo tempore poſt tumulationem, & in apertum proferuntur, ſtatuenda ante aliquam templi ſuperioris columnam, vbi viſuntur ab omnibus, auctiora capillis: quod mirum videri non debet, cum pilos in mortuis creſcere, res ſit teſtatiſſima. [Huius incrementi (inquit Synesius in Caluitij encomio) ab Ægyptiis Sacerdotibus in omnes fama percrebruit, & ad cuiem raſos aliquis cum obiiſſet, ſequente anno, prolixa coma, barbáque inuentus eſt.] Agnoſcit id quoque Ariſtoteles 3. hiſtor. cap. 11. & lib. 1. de gener. anim. cap. 4. aliàs 6. malè refragante Alexandr. 1. problem. q. 155. & Mercuriale lib. 1. de morbis cutaneis c. 5. qui negantes pilos augeri in mortuis, aiunt tantùm emacerata & ſubſidente carne pilos latentes detegi, quod Tertullianus lib. de anima cap. 51. admiſſo comæ vero incremento in mortuis, tradit de incremento vnguium in iiſdem, quos neruis reſolutione porrectis, productiores videri ſit, & quotidie deficiente carne, videri expelli. Hoc ipſum igitur dicunt Alexander & Mercurialis de capillis. Hoc tamen non cohæret cum tanto incremento quantum Synesius retulit. Eſtque aliud illuſtre exemplum apud Paræum lib. 28. *in fine*, & apud Delrium 2. Mag. q. 25. Sed de his alibi.

Aquis Sextiis in S. Bartholomæi panthenone, intra odæum, viſitur corpus incorruptum, quod cuius ſit incompertum eſt Plebeculæ, quæ Caroli Magni corpus eſſe aliquando exiſtimat, at nullo fundamento in eam exiſtimationem eſt adducta, cum conſtet Carolum quieſcere Aquiſgrani, vbi cœlitum honoribus decoratur. Videſis Molanum ad Vſuardum 28. Ianuar. Immò certum eſt corpus hoc eſſe Caroli II. Siciliæ Regis, Monaſterij illius *Bethlehem* vocati, quondam fundatoris. Viſuntur eiuſdem liliata ibidem, textili opere, calceamenta, pes alter contractior, vnde illi *Carolo claudo* nomen; Denique, vt ferunt, manus dextera intactior, à tabe qua ex Franciæ Domûs Priuilegio, ſolitus erat ſtrumoſos contactu ſanare, quod ſolis Regibus Franciæ, conceſſum eſt; viderint Monlales an aliis, ex Regia familia Principibus communicatum.

5. Cardanus lib. 8. de variet. cap. 40 cum attigiſſet quod de Perſarum corporibus abſque tabe in lignorum ſpeciem dureſcentibus præmiſimus, addit [Quod ego in cadauere parentis, cum lapis poſt viginti annos inſcripto Epitaphio reponeretur, animaduerti. Solùm enim labiorum caro, & naſi ſummitas, & oculi abſumpti erant.] An quod Sanctorellus in poſtpraxi Medica c. 42. quoad aliqua corpora annotauit, ne hæ quidem partes corruptæ erant, ſed contractæ tantùm? Hoc in naſo veriſimillimè dicitur. Extrema enim pars narium, hæret cartilagini, non oſſi. Cartilago autem exſiccata, facilè contrahitur, vnáque caro & cutis innixæ cartilagini: atque ita videtur defeciſſe pars extrema naſi, cum non defecerit vel abſumpta fuerit, ſed tantùm ſit contracta. Quo pacto philoſophatur idem Author de extremo naſo in corpore S. Helenæ Venetiis, & in corpore B.

Iacobi de Marchia, Neapoli: in quibus corporibus cætera incorruptis, ſolus extremus naſus videtur abſumptus. Et fortaſſis idem circa naſum extremum aliáſque partes propoſitas in corpore Faccij Cardani, patris Hieronymi, cætera incorrupto, contigerit, iuxta ea quæ de Patre ſuo ſcribit Cardanus. Alia tamen ex cauſa id contigiſſe in Cardani patris corpore vt incorruptum perſtaret, quàm contigerit in prædictis ſanctis corporibus, nullus dubitat; cum ipſemet Hieronymus alibi, patrem ſuum iniuecundè exhibeat vt Magum, qui dæmonibus familiariter vteretur, vt in illo ipſo opere de variet. lib. 16.c. 93. ſemel & iterum. Sed nos nunc cauſas incorruptionis corporum, non moramur; in ſolam incorruptelam, vndecunque proficiſcatur, intenti.

6. Exemplum quod hoc ipſo anno 1642 Carpentoracti eſt deprehenſum, iuuat attexere. Ac vt narratio nulla ex parte nutet, adſcribam quid ea de re datis tunc ad me litteris ſcripſerit præcellens Carpentoractenſis Chirurgus, qui ad corporis recognitionem adhibitus eſt D. Horatius Rollerius. [Has (inquit) ad te mittendas cenſui, ex quibus cognoſcas, Eminentiſſ. D. Cardinalem Bichium, omnia ſacræ ædis S. Suffreni pauimenta concamerari iuſſiſſe, quo ſepulturis locus ſit aptior, & inter euacuandum humum, occurriſſe cadauer integrum, quinque in terram pedes defoſſum, ligneo feretro ſudarióque planè vitiatis quin oſſa nuda & arida ad vnius ſaltem cubiti altitudinem iniecta, ſuadent & pridem humatum fuiſſe cadauer, & eſſe aliquid quod inſolitam arguat ſanctitatem. Huic inſpiciendo cadaueri, D. Albertus Medicus, & ego, præfecti ſuimus. Vidimus aptè commiſſa inter ſe membra, carne ſua & cute, arida tamen & ſubfuſca, bellè veſtita. Sua tamen ineſt vberibus mollitudo, collo lenitas, nec non coxendicibus & poſticæ pedis dextri parti planè integræ; & poſt ſcapulas inſueta cadaueri teneritas. Clunes & tergum, carie leuiter vitiata ſunt. Tibiarum & brachiorum oſſa, ſua ſunt carne, ſpoliata. Capilli capitis, cuti tenaciter adhærent, aures ſunt integræ, lingua tantiſper arida, laryngis cartilago ſana & vegeta; Carne & cute nudata eſt facies, vt quæ dum vi exhumatum eſt corpus, per imprudentiam conciſa eſt. Humor quidam ineſt oculorum orbibus, cuius ergo vulnerariam bolidem in capus immiſi, quam humore glutinoſo obſcuróque madidam eduxi. Piloſa erant genitalia. Stupæ quibus vulua obducta erat, etiamnum patent integræ. Dextram mammam aperui, digitóque in vulnus immiſſo carnem glanduloſam, candidam, humidam probaui planè incorruptam, nec terrum odorem exhalantem. Denique ſi cautè corpus fuiſſet exhumatum, tam integrum viſum fuiſſet, quàm cum humatum eſt, licet nullo modo conditum aromatis. Quod in cauſa fuit, cur retulerimus hîc ineſſe aliquid quod naturæ vires plurimùm excedat. Quod verò aiunt, interdictionis fulmine mactati, corpus nunquam corrumpi, iſtud verò fortè fore huiuſmodi, occaſionem præbuit rogandi te, quid ſuper ea re ſentias; quò (ſi tibi ita viſum erit) D. Cardinali illud ſignificem. Maxima populi pars, de ea optimè ſentit. Imò quum ex mulierculis quæ tunc in templo laborabant, forte vna ex genitalibus pilos auulſiſſet, tamdiu inſaniit, donec iubente Confeſſario pilos reſtituens, ſtatim mentis ſanitati reſtituta eſt.] Non plura de hoc negotio in Epiſtola D. Rollerij, data menſe Iunio anno 1642.

Affine, imò geminum exemplum fœminei cadaueris incorrupti, inter multa cadauera corrupta quibus cingebatur deprehenſi refertur in Hiſtoriæ Societ. Ie ſv parte 5. num. 202. Nam cum paſcuatenſis (inquit Author) Collegij ædes laxantur, dum iaciendis nouæ fabricæ fundamentis humus effoditur, repertum eſt muliebre corpus planè integrum & incorruptum, inter aliorum plurium circumquaque corruptorum oſſa; vt terræ qualitati cadaueris illa conſeruatio tribui non poſſet. Reſponderunt ſeniores fando ſibi auditum fuiſſe olim in eo loco Cœnobium Sanctimonialium in quibus vna fuerit inſignis virgo religionis, cuius iſtud eſſe ipſum dudum mortuæ cadaueri non abhorrere videatur à veriſimili.

7. Nihil eſt neceſſe plura incorruptorum corporum exempla conquirere, cum hæc pauca quæ retulimus, abundè eſſe videantur ad id quod aſſeruimus confirmandum. Et multo plura adducemus poſtea, tractantes ſigillatim cauſas huiuſce incorruptionis corporum, qui eſt cardo huius negotij. Inde enim de quorumuis corporum incorruptione quoties occurrunt, ſtatuere perſpicuè licebit. Prius verò generatim agendum eſt: de iiſdem cauſis; quæ conſideratio, quia pendet ex notitia corruptionis naturalis, ſiue putrefactionis, eiuſque cauſarum, inde eſt auſpicandum.

CAPVT III.

Proluditur veſtigationi cauſarum incorruptionis corporum, diſcuſſione naturæ & cauſam corruptionis naturalis, ſimpliciter ac ſecundùm quid dictæ, ſiue perfectæ ac imperfectæ putrefactionis.

1. Corruptio naturalis corporum, ea præſertim dicitur, quæ eſt oppoſita generationi vt mixtio eſt: atque adeò quæ eſt diſſolutio mixti in elementa. Græci διαφθορὰν vocant, eíque opponunt φθορὰν, vt author eſt S. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 28. vbi negans Chriſtum fuiſſe obnoxium perfectæ corruptioni, quam Deus ſanctum ſuum videre non dedit, hoc eſt non ſuſtinuit; admittit tamen Chriſtum ſubiacuiſſe corruptioni imperfectæ, hoc eſt variis alterationibus corruptiuis, ipsique etiam morti, ſed circa diſſolutionem corporis in elementa, quæ eſſet perfecta eius corruptio. Nomine enim perfectæ corruptionis naturalis, non inſignitur quæcumque corporis tranſmutatio, etiam ſubſtantialis, qualem ſubdit corpus ſi voreror, vel ſi in ſartagine frigatur, vt circa Chriſtianorum corpora, eſſe, factum à Samaritanis tempore Iuſtiniani, produnt Acta S. Sabæ. Vocatur ergo corruptio naturalis perfecta, ea deſtructio

ſtructio quæ abſque ſenſibili violentia, atque adeò leniè peragitur, deſinitque in corporis incinerationem ac reductionem in elementa è quibus primùm coaluit. Quæ verò corruptio corporis ad illam perfectam ac plenam corruptionem diſponit, dicitur naturalis corruptio imperfecta, quæ eſt alterius veluti anteambulo. Hoc corruptionis perfectæ rudimentum, obiter attingemus in fine. Nunc de plena corruptione naturali, quæ putrefactio dicitur eſt agendum, ſcrutando cauſas eius, formalem, ſubiectiuam & effectiuam.

Putrefactionis ſimpliciter dictæ formalis cauſa optimè ab Ariſtotele aſſignata; nequicquam reclamantibus paucis Medicis.

2. NAturam & cauſas putrefactionis, ſeuè (vt omnia) Ariſtoteles 4. Meteor. cap. 1. veſtigauit. Non me latet, eum ab aſperis admodùm Cenſoribus, hac in parte ſeuerè fuiſſe notatum, vt obſeruarunt Vicomercatus ad caput illud 1. partic. 6. ac Buccaferreus 4. Meteor. lect. 14. qui dixit: *Hanc bene dictam putredinis definitionem ab Ariſtotele aſſignatam, perturbare omnes Medicos.* Inſulsè verò præter cæteros Cardanus lib. 6. de variet. cap. 56. ait, Philoſophum, præter vanas & nihil veri continentes diſputationes, nihil plus de putredine dixiſſe, quàm quæ norunt ruſtici omnes. Alij alia non multò ſapientiùs de Ariſtotelis circa putrefactionem doctrina effutiuerunt, præſertim Argenterius lib. 3. artis Medicæ cap. 38. quem Iulius Ceſar Claudinus reſponſione 5. Medicinali, magnæ idcircò immodeſtiæ arguit. Sed ad Medicorum, malè Ariſtoteli hac in parte obſtrepentium, os obſtruendum, vel illud vnum poteſt ſufficere, quod Galenus Medicorum quoddam veluti numen lib. 1. & 11. Methodi medendi, & ſæpè alibi, Ariſtotelis doctrinam de putrefactione planè expreſſit, & ſuam fecit, id quod diligenter monſtrat Thomas Eraſtus in diſputatione de putredine ac 3. & 47. theſi de ea, & Ariſtoteli hac in parte ſubſcribens Zacutus lib. 4. de Medicorum Principum hiſtoria, q. 10.

Ariſtoteles igitur c. illo 1. putrefactionis formalem cauſam, ſiue quidditatem & definitionem proponens, ait: putrefactionem eſſe *corruptionem proprij & naturalis caloris in vnoquoque humido, à calore ambientis.* Quæ definitio non videtur quadrare. quorſum enim dicitur, putrefactionem eſſe corruptionem caloris, cum dicendum fuiſſet eſſe corruptionem ſubſtantiæ mixti? Reſpondet Zabarella lib. 1. de gener. & inter. mixti c. 1. Ariſtotelem ſua definitione, voluiſſe complecti, & putrefactionem plenam quæ eſt interitus ſubſtantiæ, & putrefactionem ſecundùm quid, ſiue alterationem caloris natiui. Hoc tamen non ſatisfacit, quia Ariſtoteles (vt ex variis eius locis monſtrat Eraſtus diſp. de putredine pag. 28. Et notauit etiam Iachæus in Phyſicis Inſtitut. c. 16. & 17.) putrefactionem à ſe definitam, opponit generationi mixti, quod in alterationem non cadit.

3. Germana itaque difficultatis expeditio eſt, quod Ariſtoteles confecerit definitionem cauſalem, qua continetur putrefactionis cauſa. Hæc autem alia non eſt, quàm corruptio caloris. Id voum voluiſſe Ariſtotelem, inde licet deprehendere, quod paulò ante quàm putrefactionem definiret; dixit, idcirco quæ putreſcunt, humeſcere primùm, deinde ad extremum ſiccari; quia quæ putreſcunt, coaluerunt ex ſicco & humido, quando humidum terminauit ſiccum, operantibus qualitatibus actiuis. E contrario autem, corruptio accidit, cum ſiccum quod terminatur, humido terminanti dominatur, propter continens; nempe calidum. Senſus eſt, quem latè proſequitur Archangelus Mercenarius diſp de putredine, cap. 7. & 12. tunc fieri mixti corruptionem generationi eius oppoſitam, & in elementa è quibus mixtum coaluerat, illud reſoluentem, cum ſiccum excedit humidum, quia ab inuicem ſejunguntur, euaporante humido propter calorem vtriuſque continentium Calor enim à frigore temperatus, nectit ac commiſcet ſiccum & humidum; quæ eſt cauſa cur calor vocetur *continens*.

His præmiſſis, Ariſtoteles ſubiungit definitionem propoſitam: quam proinde liquet eſſe cauſalem; & perinde fuiſſe dicere, putrefactionem eſſe corruptionem caloris, ac ſi dictum fuiſſet, putrefactionem formaliter quidem eſſe diuulſionem humidi à ſicco; illius verò diuulſionis cauſam, eſſe euaporationem caloris, implantati humido tanquam ſubiecto. Ex effluxu igitur natiui caloris, vnáque humidi à ſicco diuulſi, exiſtit putrefactio. Quanquam quandiu putrefactio non pertingit ad incinerationem, ſed aliquid ex putrefactione generatur, nihil eſt neceſſe omnem rei putreſcentis calorem profligari, vt rectè notauit Mercurialis lib. 5. de morbis curan. cap. 7. allegato & expenſo Philoſopho qui lib. 3. de gener. anim. cap. 11. ait nihil gigni putreſcens, ſed concoctum; putridum verò, excrementum eſſe rei concoctæ. Itaque quoties ex re putrefacta aliquid gignitur, adeſt calor aliquis adminiſter concoctionis naturalis: ac proinde non euanuit vniuerſus per illam non vltimatam putrefactionem. Si tamen putrefactio pertingat ad incinerationem, tunc vniuerſus calor rei putrefactæ euaneſcit. Non plura de formali cauſa ſiue de quidditate putrefactionis, in qua fuſiores ſunt alij, vt Duncanus Liddelius lib. 2. de febribus cap. 1. Marthias Flaccius in diſputationibus Medicophyſicis diſp. 2. Petrus Æneas Caprillius lib. 5. de febr. putrid. in med Fridericus Schroterus tract. de putredine.

Subiectionis eiuſdem putrefactionis, quoduis humidum.

4. EIuſdem ſubiectiuam cauſam, aſſignat Philoſophus, vnumquodque humidum; viique natiuum & internum, contra Zabarellam, qui humidum quoque aduentitium aſſerit eſſe putrefactionis ſubiectum, iuxta Ariſtotelem: eo nixus argumento, quod ligna facilliùs putreſcant, ſi extrinſecùs humefiant. Nimirum quia humidum illud extrinſecum, ſuppeditat veluti vehiculum calori euaporanti: ex quo fit,

vt

vt calor qui nec ſolus effluere poterat, nec cum humido natiuo penè conſerto, (atque adeò ægrè educibili,) poterat niſi difficilè euolare, fiat facilè educibilis affuſo humido copioſo aduenticio; ſicque mixtum citiùs faciliùſque putreſcat. Nihilominus de mente Philoſophi, hac in parte, ambigere non licet. Diſertè enim ait, tunc rem putreſcere, cum humidum quod eſt ſecundùm naturam, euaporat vnà cum calore. Spectando autem rem ipſam, non rectè Zabarella tribuit humido affuſo, quod fiat vehiculum caloris interni ad euaporandum. Id enim intelligi non poteſt, niſi calor internus migret ab humido naturali cui inerat, ad humidum aduentitium recens affuſum. At ea migratio accidentis è ſubiecto in ſubiectum, eſt naturaliter impoſſibilis. Si igitur affuſa aqua, lignum quod alioqui propè æternaret, citò putreſcit, ratio petenda eſt, ex intenſione humiditatis natiuæ, per humiditatem extrinſecùs affuſam, vnde conſequitur facilior humidi natiui à ſicco diſſociabilitas; atque adeò minùs operoſa putredo. Quare & iuxta Philoſophum, & ſecundùm rei veritatem, ſubiectum putrefactionis, non eſt niſi humidum natiuum.

5. Hinc concluditur, ea ſola & omnia corpora poſſe putreſcere, in quibus eſt aliquid humidi, ſeparabile à ſicco per euaporationem calidi, vtraque continentis atque nectentis. Vnde dubitari non poteſt, quin mixta omnia poſſint putreſcere, ne metallis quidem exceptis, contra Vicomercatum 4. Meteor. cap. 1. & Zacutum l. 4. de Medico. princip. hiſtor. q. 10. ad 5. An non enim aurum quoque & argentum æruginant, teſte Iacobo Epiſtolæ ſuæ cap. 5. At ærugo eſt aliqua putredo. Rectè igitur Magnus Albertus 4. Meteor. tract. 1. c. 6. ad 1. dub. & Pomponatius 4. Meteor. dub 17. agnoſcunt, & aurum & argentum, & metallica ac foſſilia quæcunque, tandem aliquando putreſcere, tametſi moroſè ac lentè. Tarditatem enim putrefactionis, conciliat partim occluſio pororum per quos humido effluendum eſſet, partim efficax & tenax ſicci humidique mixtura, ob quam quæuis oleoſa pinguia ægrè putreſcunt, vt dicitur lib. de breuit. vitæ c. 5. Sicut ob contrariam cauſam, quæcunque abundãt pinguedine non oleoſa, citiùs ſeneſcunt & putreſcunt, ex 2. de Part. c. 5. Rectè eam pinguium quoad hoc diuerſitatem, expoſuit Mercurialis 6. var. c. 16. Quod de imputribili carne pauonis dicitur à S. Auguſtino 21. Ciuit. c. 4. de difficili corruptione accipiendum eſt, abſolutè tamen quod poſſit putreſcere, negari non debet, ſicut poteſt digeri, & mutari in ſubſtantiam aliti. Et eodem modo accipio, quod ligna Setbim è quibus arca conſtabat, dicuntur fuiſſe imputribilia, id eſt, tardiſſimè putribilia.

6 An elementa æquè ac mixta putreſcere poſſint, iuxta Ariſtotelem, videtur ambigi poſſe ſi ignem excipias. Nam hic, cum omni proſſus humiditate deſtruatur, nec poſſit à calore ambientis ſuperari, (vt notatur ſect. 15. probl. q. 20) non poteſt putreſcere. Et marcedo quam ſubit deficiente pabulo, tametſi eſt ignis extinctio, aliquatenus proportionalis putrefactioni mixti, tamen non eſt verè putrefactio, vt notarunt Conimbr. ad calcem quarti de Cœlo probl. 1. de igne. Alia elementa, quod aliquid humidi admiſtum habeant cuius abiunctionem à ſicco ſubire poſſint, admittit Ariſtoteles dici poſſe putreſcere: agitque diſertè de elementis, non autem de mixtis in quibus aliquod elementum prædominetur, contra diſtortam Philoſophi interpretationem aſſignatam à Simonij impugnatore Scheggio, & primùm à Zabarella 1. de qualit. element. cap. 6. ſed eam poſteà iure retractauit l. 1. de gener. mixti cap. 4. agnoſcens, verè de mente Ariſtotelis, aërem, aquam, & terram aliquatenus putreſcere. Id quod de aëre, & aqua, tradunt Medici apud Auicennam l. 4. Fen. 1. tract 4. cap. 1. peſtem inde enaſcentem agnoſcentes. At quomodò putreſcere poſſunt aër & aqua ſine ſicco innato, & terra ſine natiuo humido? Agnoſcendum eſt cum Sanctarello in poſtpraxi Medica c. 37. §. *de ſubiecto putredinis*, hæc elementa nonniſi aliquatenus poſſe putreſcere, ratione admiſtionum extrinſecarum quæ illis in hoc ſtatu ſunt conſentaneæ. Sic aër, vt rectè diſſerit Mercur. l. de peſte, c. 7. pro ſtatu qui in hac rerum diſpoſitione cõſentaneus illi eſt ad bonum noſtrum, multis exhalationibus terrenis permiſcetur, quibus per calorem ab humido aëri natiuo ſeiunctis, exiſtit aliqualis putrefactio, & aëris de ſtatu nobis congruente deiectio. Similiter aqua eo imperfecto modo putreſcere dicitur, cum calidum abiens educit ex ea tenuiores quaſque particulas, relictis craſſioribus cum multa exhalationum permiſtione. Terra denique putreſcere vtcumque dicitur, cum humidum affuſum, & qualecunque calidum quibus ſcatet in hoc ſtatu, cum ſubtilioribus terræ partibus, educuntur vi calidi ambientis. Sic igitur vtcunque valeat, quod de trium elementorum putredine, traditum eſt ab Ariſtotele.

Calidum ambiens, cauſa putrefactionis effectiua.

7. EFfectiua denique putrefactionis cauſa, eſt calidum ambiens, de Ariſtotelis ſententia. Impugnat eam Cardanus l. 6. de variet. c. 26. quia ſic putrefactio non haberet locum in iis quæ congelaſcunt, & in iis quæ collocantur in aqua ſupra teporem calida. Quid quod ipſe Ariſtoteles, agnoſcit frigus poſſe putrefacere? quomodò igitur putrefactionem tribuit ſoli calori ambienti? Sed facilè eſt Ariſtotelem ab hac impugnatione tutari. Nam quæ gelaſcunt, ægrè putreſcunt, quia deeſt calor euocans humidum illis internum, cuius item eductio eſt difficilis. Ob quam etiam cauſam, quæ intra aquam merguntur, ſeriùs putreſcunt, tametſi tandem extracto humore natiuo inferatur putredo. An frigus poſſit putrefacere (de quo Cardanus poſtremo loco) latè varſant Magnus Albertus 4. Meteor. tract. 1. c. 8. Pomponatius ibidẽ dub. 21. Mercenar. diſp. de putredine cap. 9. Argenterius Ariſtoteli hîc de more obſtrepens, l. 3. art. Med. & qui in hac re anceps hæret Thomas à Vega Comment. in c. 3. libri primi de differ. febr. Statuendum verò eſt, per ſe ac directè, ſolum calorem putrefacere. Vtcumque tamen putrefactio tribuitur frigori, quia per euaporationem humidi calidi; abſcedit calor, & ſuccedit frigus. Itaque frigus nõ eſt cauſa putredinis, ſed affectio

inimica,

inimica, conſequens euaporationem caloris interni: quod vnum voluit Ariſtoteles, cum viſus eſt adſcribere frigori putredinem. Directè autem, & vt veræ cauſæ per ſe, adſcripſit putrefactionem calido ambienti; quatenus educit humidum internum, illudque à ſicco inſito diuellit, intendendo calidum natiuum humido interno implantatum. Hæc affundi aliquid lucis depoſcunt.

8. Ac primùm quod res ambiens ſit locus, locati autem conſeruatio ſtatuatur loci proprietas; non obeſt quominus dicamus, calidum ambiens putrefacere. Nam conſeruatio locati, eſt proprietas ſolius loci naturalis, ſeclusis extrinſecis incommodantibus, & locatum de ſtatu connaturali exturbantibus. Sunt qui calidum ambiens putrefactionis cauſatiuum, reſtringunt ad calorem aëris aut aquæ. Nam ignis ambiens non putrefacit, ſed comburit, inferendo promptam & violentam totius humidi abſumptionem, longè diſcrepantem, à putrefactione quæ præ combuſtione dicitur corruptio naturalis, vt latè exponunt Valeſius 4. Meteor. c. 5. Pōponatius 4. Meteor. dub. 1 . Thomas Eraſtus diſp. de putred. pag. 21. Mercenarius diſp. de putred. c. 6. Iulius Cæſar Claudinus reſponſ. 1. Medicinali. Magnus Albertus 4. Meteor. tract. 1. c. 6. & Buccafferreus ibidem lib. 5. *ad tertiam dubitationem principalem*, parum ſibi cohærens lect. 14. Secluſo igitur igne à quo ambiente res non putreſcit, ſed comburitur; fuerunt qui cum Archangelo Mercenario diſp. de putredine c. 8. ad aërem & aquam ambientem reſtringerent cauſationem putrefactionis. Aliis enim concalefactis, & corpus cui admouentur calefacientibus, infertur putredo; etiam iis quæ aduerſùs tabem ſunt armata atque munita. Notauit enim Paræus lib. 28. *ſub finem*, intra quinque ſexve dies, Regum ac Magnatum corpora etiam exquiſitè medicata, graui putore putredinem ſubingredientem ſignante, afficere accedentes: cum alias ob cauſas, tum nominatim eo quod ingens ſæuum vis aërem corporibus adiacentem exquiſitè calefaciens, obices putredinis perrumpat. Quamuis autem ab huiuſmodi ambientibus inferri poſſit putrefactio, tamen vapores quoque, aut excrementitiæ fuligines, in mixto abditæ & tranſpiratione prohibitæ, poſſunt putrefacere, vt rectè Pomponatius 4 Meteor. dub. 18. Buccafferreus ibi lect. 14. Timō q. 1. *ad 1. principale*, Euſtachius Nudius l. 3. de febribus c. 15. Săctorellus in poſtpraxi Medica c. 37. patétque in nucibus, & caſtaneis, ex quibus plerunque putreſcit nucleus, incolumi externo cortice qui ob duritiem minùs patet actiuitati caloris hoſtilis. Apud Medicos quoque, putredinum noſtratium bona pars, in eas cauſas refertur. Omne igitur calidum ambiens quod humidum internum depaſci queat, poterit putrefactionem inducere; vt rectè ſtatuunt Vicomercatus 4. Meteor. c. 5. partic. 7. & Cæſalpinus l. 2. qq. Medic. q. 1. & Eraſtus diſp. de putredine à pag. 61. & theſi 23. de putredine.

9. Poterit autem calidum ambiens depaſci humidum internum, & putrefacere, ſi calore ſuo poſſit intendere calorem corporis cui admouetur, quia putrefactio non fit per caloris imminutionem, ſed per intenſionem, quam euaporatio humidi, & calidi interni diſſipatio conſequitur. Vnde videmus, putreſcentia feruere ac fermentari, ob adauctum calorem: & eam eſſe ſemper cauſam fœtoris contendit Zacutus lib. 1. de Medicor. princip. hiſtoria q. 13. Fimus item addenſatus, citius putreſcit, vt notat Author libri de natura pueri apud Hippocratem num. 26. quia per fimi addenſationem calor intus includitur, & euadit intenſior, ob illam halituum calidorum interclusionem. Denique fimus ex palea procreatus, eſt calidior palea: & ſanies eſt calidior ſanguine, ſicque de cæteris putreſcentibus. Nec obſtat, quod fructus omnes putreſcendo aceſcant, quod item lacti & vino putreſcentibus accidit. At acetum eſt frigidum præ vino. Non igitur quod putreſcit, auctius calet. Hoc inquam non obſtat. Nam tametſi verum eſt, iſta poſt conſummatam corruptionem euadere frigidiora, tamen eum corrupta eſt corruptio, ſuſcepere incrementum caloris; & inde ortum eſt vt corrumperentur atque putreſcerent. Itaque putrefactio quamuis propriè non ſit cauſa caloris, (contra quàm cum varit Zacutus lib. 4 de Medicor princip. hiſtor. q. 52. dub. 56.) tamen fit per intenſionem caloris interni, humido implantati. Nam aucto calore, exiſtit rarefactio, quam conſequitur euaporatio humidi, vnáque caloris humido inſidentis; atque adeò abiunctio humidi, & ſicci compingentium mixtum, in qua abiunctione conſiſtit putrefactio.

10. Eſt porrò lis de nomine, quæ inter Durandum & Capreolum agitatur; an cauſa putrefactionis in miſto homogeneo debeat dici intrinſeca, (quod aſſerit Capreolus in 2. d. 30. q. 1. *ad argumenta Durandi contra primam*, inde argumentans, quod calor immediatè rarefaciens inexiſtat miſto;) an verò debeat dici extrinſeca, attento principio vltimo, vt contendit ibi Durandus q. 3. à num. 6. qui certè commodiùs loquitur, & congruentiùs Philoſopho tribuenti putrefactionem calori ambientis, qui vtique externus eſt; quamuis verum ſit, depaſtionem humidi per putrefactionem & euaporationem eius, effectiuè cauſari immediatè per calorem deforis immiſſum, & in miſto receptum. Vnde ſi mixtum homogeneum liberaretur ab extrinſecis contrariis, ad augendum internum eius calorem idoneis, nunquam putreſceret, vt benè docent Buccafferreus ad librum de breuit. vitæ lect. 3. Zabarella lib. 3. de gener. mixti cap. 5. ad 3. Fonſeca 7. Metaph. cap. 16. q. 2. ſ. 4. ad 3. nec non Pomponatius 4. Meteor. dub. 17. qui Auerroi contrarium affirmanti, mentitionem impingit.

Corollaria de faciliore aut difficiliore quorundam humidorum. putrefactione.

11. HInc intelligitur, cur temporibus ac locis calidioribus, res citiùs faciliúſque putreſcant, vt experientia teſtatum facit, docétque Ariſtoteles ſ. 2. probl. q. 33. & 4. Meteor. cap. 1. Nimirum vigente frigore, maior eſt mixti obſtructio, & ineptitudo ad excipiendam calidi extrinſeci impreſſionem; minor item eſt calidi extrinſeci potentia. Vnde Albertus 4.

Meteor. tract. 1. cap. 9. eruit, eſt in Alpibus niue perpetua rigentibus, cadauera ad annos plurimos incorrupta perſeuerent, quanquam tandem putreſcunt. Videſis Bellonium in opere de funere medicato. Aliquando tamen frigus nimium, incorruptioni cadauerum obſtat. Nimirū ſi (quod interdum contigit,) tanta ſit frigoris externi acrimonia, vt extincto prorſus calido, & humido tranſmutato lapideſcant, vt accidit in euentu quem ſic deſcribit Theophraſtus in admir. audit. c. 50. [Ad Lydiæ metalla apud Pergamum exiſtentis, quæ antea Crœſus confecerat, bello quodam exorto, opifices confugiſſe ferunt, qui obſtructo illius loci oſtio, ſuffocati ſunt, poſteáque longo temporis interuallo metallis adapertis, vaſa quibus pro manus abluendi opportunitate vtebantur, in lapides conuerſa, inuenta fuiſſe; ac quouis liquore (ceu amphoræ) repleta fuiſſent, pari modo ipſum in lapidem conuerſum fuiſſe, nec non ſimili ratione oſſa hominum in lapides conuerſa, vulgò proditur.] Frigoris ſtringentis acrimonia, eum effectum præſtitit; accedente conuenienti ad lapideſcendum aptatione materiæ, qualem variæ aquæ demiſſis in eas corporibus conferunt, vt fusè alibi eſt diſputatum. Nunc hæreo in arcta partium ſtructura per vehemens frigus collata, obſtante putredini, & per inhibitionem euaporationis ſubſtantiæ internæ, & per repulſionem impreſſionis à calido ambiente faciendæ.

12. Ob eandem cauſam, res in ſeipſis frigidiſſimæ ægrè putreſcunt. Nam & poros habent eximiè occluſos, & validiùs reſiſtunt calido externo. Nec ſecus accidit rebus calidiſſimis, quarum calor intendi nequit à calore ambientis. Similiter, quod multum eſt, quia meliùs reſiſtit extrinſecæ impreſſioni, ægriùs putreſcit, vt dicitur lib. 5. de gener. anim. cap. 4. Quod tamen Vicomercatus lib. 4. Meteor. cap. 1. rectè arctat ad illud *multum* quod per modum vnius ſe habeat abſque plurima aëris admiſtione. Ob contrariam enim cauſam, aceruus tritici quò cumulatior & auctior eſt, citiùs putreſcit, vt benè conſiderauit D. Thomas 4. Meteor. lect. 1. & Timon ibidem q. 1. *in fine*. Aër denique, loco aperto & edito, quia magis commouetur, & minùs præſtolatur impreſſionem ambientis, minus eſt obnoxius aliquali illi putredini quam in aëre admiſimus. Vnde ſenectus in locis editis & apertis ſeriùs obrepit, vt notatur ſect. 14. probl. q. 7. Ariſtoteles 4. Meteor. t. 11. agnoſcit motum localem corporis, (qui in loco ſublimi, à perflante vento faciliùs oboritur) inhibere corruptionem. [Quod mouetur (inquit) & fluit, minùs putreſcit, quàm quod non mouetur. Debilior enim fit motus qui ab ea quæ in aëre, caliditate, quàm qui in re præexiſtit. Quare nihil facit permutari.] Hinc fit vt Septentrionalis maris accolæ, referente Olao l. 4. c. 2. cum in maris refluxu aquæ receſſerunt, fugientes vna cum mari piſces, capiant; eóſque acceptos vento magis quàm Sole deſiccent, quia Sol ibi ob poli viciniam & elongationem ab ecliptica, modicam habet vim calefaciendi & exſiccandi. Itaque quod deeſt calori à lumine ſolari, ſupplet motus & agitatio per ventum. Sicut videmus ſtagnantes & immotas aquas, faciliùs computreſcere, quàm viuas & aſſiduè mobiles. Motum ergo iuuare ad inhibendam putredinem, tutum eſto. Quanquam quæ in motu ita ſe habent, vt ſemper æque pateant actiuitati ambientis, citiùs putreſcunt ſi moueantur; præſertim cum ſucculſio illa foras propellit plurimum halitum calidum vnà cum humido ſubtiliora, vt contingit iis quæ continentur in vtre ſemipleno, & moto; quod notatur ſect. 25. probl. q. 1. Si verò aër ſit quietiſſimus, nulla fiet corruptio, vt tradit Ouaglia de montibus R. Chile, in quibus corpora æthereis ſubtilitate ſuffocata, poſt annos plures eodem in ſtatu reperiuntur, ac ſi modò expirauiſſent.

Putrefactio ſecundùm quid, via ad ſimpliciter dictam.

13. AD plenam & ſimpliciter dictam putrefactionem, (de cuius progreſſu & cauſis hactenus eſt diſputatum, manuducit illa ſemiplena & imperfecta corruptio naturalis, quæ eſt via ad plenam putrefactionem & incinerationem. In cadaueribus porrò humanis, pro quibus hîc maximè ſatagimus, huiuſmodi putrefactio imperfecta tunc locum habet, cum notabiliter eſt immutata diſpoſitio, aut ſuberant quando anima exceſſit è corpore, ſaluáque erat conformatio humana. Nam quamuis anima non priùs corpus deſerit, quàm temperies homini connaturalis peſſundetur; ita vt hoſpitium corporis fiat ineptum ad vltra retinendam animam; tamen in temperamento ſub quo anima non poteſt ampliùs conſiſtere in corpore, eſt latitudo. Et intra eam latitudinem, diſpoſitio quæ eſt vicinior & affinior illi ſtatui temperamenti ſub quo anima exceſſit, vtcunque conſeruat eandem externam corporis ſpeciem: quæ nondum notabiliter immutata, eáque immutatione per fœtorem aut inſignem informitatem non prodita, cadauer nondum dicitur putreſcere. Notabilis verò alteratio cadaueris, & ſubſtantialis immutatio multùm recedens à temperie & ſpecie cadaueris ſtatim ab exceſſu animæ, ipſa eſt quam vocaui putrefactionem imperfectam, éſtque veluti præparatoria putrefactio, & præludium proximum ad plenam putrefactionem ac incinerationem, per reſolutionem cadaueris quatenus mixti, in elementa ex quibus coaluit. Hanc putrefactionem, in mixtis, poſſumus vocare *putrefactionem ſecundùm partem*, iuxta Zabarellam l. 2. de gener. mixti à c. 11. præſertim c. 14. & 16. ac Scheggium in Simonij confutatione, ac libro de vi & efficacia caloris c. 4. & 5. & Thomam Eraſtum bona parte diſputationis de putredine. Ariſtoteles tamen, quicquid hi Authores dicant, putrefactionem *ſecundùm partem*, adſcripſit ſolis elementis imparis; quatenus (dempto igne) poſſunt vtcunque putreſcere, per abiunctionem ſicci & humidi, quæ in hoc ſtatu admiſta habent. Ita obſeruauit D. Thomas 4. Meteor. cap. 1. & Niphus ibidem. Nihil tamen vetat, alterationem illam notabilem mixtorum perfectorum, quæ proluditur ad plenam putredinem, vocare putrefactionem ſecundùm partem, extendendo modum loquendi Ariſtotelis.

Putrefactio cadaueri humano ante incinerationem tributa, imperfecta.

15. IMò vſus receptus loquendi fert, vt quæ ita ſe habent, dicantur putrefacta; abſque expreſſione imperfectionis, & non plenitudinis, quæ in ea corruptione ad incinerationem nondum prouecta, locum habet. V.G. vt cadauer aliquod dicamus putrefactum abſque addito verbis expreſſo, non ſolemus expectare donec planè in cineres abierit, ſed longè anteriùs denominatus illud putrefactum, cum incinerationem haud ita procul abeſſe, inſinuatum fuerit, per fœtorem ex notabiliter immutata temperie ſub qua anima abſceſſerat. Tunc enim quamuis ſiccum adhuc humido inhæret, & poſt copioſum effluxum, necdum tamen ſit planè abſumptum; tamen magna ex parte eſt iam disiunctum à ſicco, & cadauer propè exſiccationem plenam eſt, nec admodùm diſtat ab incineratione; ac proinde abſque alio addito verbis expreſſo, dicitur putrefactum, quamuis locutione ad omnem rigorem exacta, ſubintelligendum ſit, putrefactionem plenam inſtare tantùm, necdum aduenisse.

16. Quin etiam interdum ob huiuſmodi cauſam, dicimus corpora adhuc viuentia eſſe putrefacta, cum longa tabe exaruerunt; ita vt terreum quippiam inhalent, aut cum tanta in illis facta eſt humorum corruptorum aeſtuatio, vt ebulliant ex eis vermes, & ferri nequeant præ putore. Talem putrefactionem ſubiiſſe diuinitus ante mortem leguntur, Antiochus & Herodes, item Iuliani Patruus, de quo in hunc modum Chryſoſtomus orat. de S. Babyla Martyre. [Patruus cum licentioſiùs inſaniam ſuam contra nos prodidiſſet, auſus impuris manibus ſacra vaſa contingere, hoc etiam ſcelere non contentus, ſed contumelia vlteriùs progreſſus (vaſis enim iis inuerſis, & ſuper pauimentum collocatis, atque extenſis, ita ſuper ea conſedit;) è veſtigio, illegitimæ huiuſce ſeſſionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta, vermiculos generarunt: ita vt morbum diuinitus illatum conſtaret; ad quem curandum, Medici aues pingues, eáſque peregrinas, interficiebant, quibus ad putrefacta membra admotis, vermiculos euocabant. Illi verò loco cum non mouerentur, mordicùs putridis partibus inhærebant, atque illum ita demum multis diebus abſumptum perdiderunt.] Partem duntaxat calamitatum infelicis viri, retulit ibi D. Chryſoſtomus; cætera dabunt Theodoretus l.3. hiſtor. c.12. & Sozom. l.5. cap.8.

17. De quadam item Venetorum Duciſſa, audi Petrum Damiani Opuſc. 50. cap. 11. [Dux Venetiarum, Conſtantinopolitanæ vrbis ciuem habebat vxorem; quæ nimirum tam tenerè, tam delicatè viuebat, & non modò ſuperſtitioſa, ſed artificioſa, (vt ita loquar) ſeſe iucunditate mulcebat, vt etiam communibus ſe aquis dedignaretur abluere; ſed eius ſerui, rorem cœli ſatagebant vndecunque colligere, ex quo ſibi laborioſum ſatis balneum procurarent. Cibos quoque ſuos manibus non tangebat, ſed ab Eunuchis eius alimenta quæque, minutiùs concidebantur in fruſta; quæ mox illa quibuſdam fuſcinicolis aureis, atque bidentibus ori ſuo liguriens adhibebat. Eius porrò cubiculum, tot thymiamatum, aromatúmque generibus redolebat, vt & nobis narrare tantum dedecus fœteat, & auditor fortè non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum huius fœminæ fuerit exoſa ſuperbia, manifeſta docuit vlciſcendo cenſura. Vibrato quippè ſuper eam diuini mucrone iudicij, corpus eius omne computruit, ita vt membra corporis vndique cuncta marceſcerent, totúmque cubiculum intolerabili prorſus fœtore complerent: nec quiſpiam tantam perferre narium iniuriam potuit, non Coſmeta, non ſeruulus, vix vna duntaxat ancilla, non ſine ſpeciei redolentis auxilio, in eius obſequij ſedulitate permanſit. Eadem tamen raptim abſcedebat. Diutiùs igitur hoc languore decocta, & miſerabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus, diem clauſit extremum. Quid ergo ſit caro, doceat ipſa caro, quodque perhibet mortua, teſtetur & viua.] En viuum cadauer & ante mortem putrefactum; qualia rurſus nonnulla alia proferam cap. 8. *in fine*.

18. Ergo corpora ſic affecta, quamuis nondum abſceſſerit anima, denominantur putrefacta. Similitérque Medici, febres putridas, & humores putridos, in viuis corporibus agnoſcunt; quantò magis fas erit, putrefactum dicere corpus mortuum, notabiliter immutatum à ſtatu quem habebat in egreſſu animæ, etiamſi nondum cineteſcat? Eſt tamen (vt dixi,) hæc putrefactio nonniſi ſecundùm quid & imperfecta. Putrefactio autem plena, & ad rigorem ſimpliciter dicta, conſiſtit in abiunctione humidi interni à ſicco, ob euaporationem caloris ſiccum & humidum continentis atque nectentis; vnde non aduenit cadaueri, niſi cum cineteſcit, & in elementa è quibus coaluerat, reſoluitur.

CAPVT IV.

Cauſæ incorruptionis corporum, ex natura & cauſis corruptionis naturalis repetitæ, ac vniuerſim digeſta.

1. NOn erit operoſum, eruere ex dictis, quæ poſſint eſſe principia incorruptionis corporum, ſiue omnimodæ, ſiue ad longum tempus prorogatæ. Omnia enim quæ prohibebunt effluxum humidi natiui, & euaporationem calidi naturalis humido natiuo implantati, arcebunt corruptionem; & eo ipſo conciliabunt incorruptionem. Nam contrariorum contrariæ ſunt cauſæ, vt habet effatum philoſophicum. Quod ſi abiunctio ſicci & humidi natiui planè prohibeatur, & cadauer perſtet quale erat illicò poſt animæ abſceſſum, incorruptio erit perfecta. Sin autem ex parte duntaxat prohibeatur, ita vt humidum effluat quidem, parcè tamen & immutatio temperamenti ac ſpeciei externæ quæ cernebatur in corpore mox ab animæ ſeparatione, ſit admodum exigua, nec niſi ex parte aliqua; tunc incorruptio erit ſecundùm quid, & tantùm ex parte. Vt ergo ſtatuamus quæ cauſæ poſſint humanis cadaueribus incorruptionem conciliare,

attendendum eſt, quæ cauſę ſatis habere virium poſſint, ad ſocietatem ſicci & humidi natiui tenaciter conſeruandam, ita vt vel nullo modo, vel ægrè abrumpi queat.

2. Eas cauſas omnes, digerere bipartitò poſſumus. Vel enim natura id præſtat, vel ars. Naturam dico, cauſam omnem à qua corruptio prouenit citra artem. Eiuſmodi eſt peculiare corporis temperamentum, à tabe & putrefactione abhorrens, puta exſuccum, nec ſine ſalis mixtura. Item natiua & artis expers efficacitas ſoli in quo corpus conditum fuerit. Conſtat enim plerumque, ſolum conducere plurimum ad indemnitatem corporum & immunitatem à tabe. Sicut videmus carnes è macello allatas diuturniùs ſeruari certis in locis, quam in aliis in quibus citiùs fœtent, & ad tabem ac putredinem vergunt. Hæc igitur & ſi quæ ſunt alia incorruptionem corporibus conciliantia citra artificioſam machinationem, nomine *naturæ* comprehenſa hoc loco volo. Artem verò ſecernere oportet triplicem, nimirum humanam, Angelicam, atque Diuinam. Angelicam, communem ſtatuo & bonis & malis Angelis, ſiue impiis dæmonibus: quia ſuppono non agi niſi de ea incorruptione, quam Angelus, vi ſuæ induſtriæ & ingenij, ac natiuæ facultatis præſtare poteſt; quæ omnia perſtitere imminuta in dæmonibus, excisa licet vniuerſa ſupellectile ſupernaturalium donorum, interuentu peccati.

3. Percurramus nunc ſigillatim, ac illuſtremus ſingula membra propoſita; omnes inquam modus quibus per varias illas cauſas poteſt incorruptio conciliari corporibus, vt iactis hiſce reſolutionis ſeminibus, liceat concludere ecquam in cauſam referenda ſit incorruptio cadaueris, de qua continget moueri dubitationem; ac nominatim eius quæ huic diſquiſitioni dedit occaſione.

CAPVT V.

De incorruptione cadauerum, ſponte naturæ, & citra artem.

1. QVædam humana corpora vi tantùm naturali, & ſemota quacumque arte durare poſſe incorrupta, Ethnici quoque agnouerunt. Tertullianus enim lib. de anima c. 51. allegat Platonem in Politia, referentem cuiuſdam in ſepulti cadauer, longo tempore ſine vlla tabe ſeruatum, nullo adhibito artificiali præſidio. Cenſet Pamelius Tertullianum allegare exemplum Eris Ægyptij genere Pamphilij, qui aliquando in bello occiſus, (vt narrat Plato lib. 10. de Repub.) decima poſt die, cum commilitonum corpora iam putrefacta tollerentur, integer corpore ſublatus eſt; duodecima verò die ab obitu, poſtquàm domum relatus eſt, iam in pyra locatus reuixit. Alia exempla incorruptorum corporum ab Ethnicis notata recitauimus cap. 2.

* * *

Friuola cauſa incorruptionis naturalis corporum ex Platone.

NOn poteſt tamen approbari ratio perſeuerantis illius integritatis corporum quam Plato adhibuit; id referens ad animæ indiuiduitatem, vt Tertullianus ſuprà loquitur; hoc eſt perſiſtentiam in corpore defuncti. Animam enim in demortui corpore permanere, ridiculum eſt. Nam ſi anima perſtaret in corpore abſque vnione, nihilo plus conferret ad arcendam tabem, quàm ſi non permaneret intra corpus: quia anima ſi deſit vnio, non viuificat, nec aliquid conferre corpori poteſt præter motum localem, qui nihil refert ad præſens negotium. Si autem anima perſtaret in corpore cum vnione ad illud, fatendum eſſet, corpus non eſſe mortuum, contra ſuppoſitionem in qua verſamur. Meritò igitur Tertullianus exploſit perſeuerantiam Platonicam animæ in corpore, ex corporum incorruptela illatam: cui etiam ſuffragatum Democritum refert, ex capillorum & vnguium incremento in mortuis.

2. Et æquè poterant adiungere argumenta, quibus poſtea aliqui perſeuerantiam aliquarum animæ facultatum in cadauere, aſtruere ſunt conati: puta eiectionem excrementorum ex quibuſdam cadaueribus poſt abſceſſum animæ, ſanguinationem cadaueris, ad hoſtis qui cædem patrauit, aduentum. Vigent etiam analogiam ignis, cuius calor eſt connaturalis proprietas; & tamen extincto igne, reſiduus eſt calor aliquis ad moram nonnullam. Sic ſtabilire nituntur eam perſeuerantiam facultatum quarundam animæ in cadauere, Ioannes Grammaticus in procem. ad 1. de anima, Plotinus l. 1. de dubiis animæ c. 29. & Mercurialis tract. de macul. peſtil. Verùm ea omnia argumenta eſſe planè friuola, nec plus probare aliquarum facultatum animæ permanſionem in corpore, quàm ipſiuſmet animæ permanſio in cadauere probetur per incorruptionem cadaueris, pono vt certum ex alibi diſputatis, tum quoad eiectionem excrementorum è cadaueribus, tum quoad eorum ſanguinationem ad occurſum homicidæ. Videndus etiam qui eos effectus ad alias cauſas latè reuocat Sanctorellus in poſtpraxi Medica cap. 20. & 21. Sunt igitur quærendæ aliæ cauſæ, illius naturalis & inartificioſæ incorruptelæ cadauerum.

Verarum cauſarum inartificioſæ cadauerum incorruptionis, ſeries duæ: Prior internarum.

3. EAs Tertullianus c. illo 51. optimè attigit his verbis. [Porrò & aëris qualitas, corpori illi potuit tutela fuiſſe. Quid ſi aridior aër, & ſolum ſalſum? Quid ſi & ipſius corporis ſubſtantia exſuccior? Quid ſi & genus mortis, ante iam corruptrices materias erogarat?] Duplicis (vt vides) generis cauſas aſſignat huius inartificialis corporum incorruptelæ; quaſdam nimirum internas, vt peculiarem corporis conſtitutionem: quaſdam externas, vt aërem, ac ſolum.

arcendæ

arcendæ corruptioni accommodatum præ ariditate. Vtrumque caput attigit Ammianus libro 19. vbi Perſarum cadauera incorrupta perſtare tradit, ob victus parcitatem quæ exſucca facit corpora, & exuſtas Sole terras, atque adeò etiam ſitem, vnde ariditas, à tabe aliena. Sed dicamus de vtroque capite nonnulla diſtinctiùs.

Corporis ſubſtantia & compactio poteſt valdè promouere hoc negotium. Sunt enim quidam ſalſo humore ſcatentes, quod prodit perpetua eorum ſiticuloſitas & ariditas. Horum corpora ad tempus longiſſimum perſtare incorrupta, eſt minùs mirum. Aliorum humor tenaciùs illigatur ſicco, ex peculiari temperie & ſymmetria qualitatum. Veriſimile eſt, hanc eſſe cauſam cur caro pauonis non putreſcat. Audi S. Auguſtinum 21. Ciuit. cap.4. [Quis niſi Deus creator omnium, dedit carni pauonis mortui, ne putreſceret? Quod cum auditum incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem, nobis cocta apponeretur hæc auis. De cuius pectore pulpatum, quantum viſum eſt, decerptum ſeruare iuſſimus. Quod poſt dierum tantum ſpatium, quanto alia caro quæcunque cocta putreſceret, prolatum atque oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum. Itémque repoſitũ poſt dies amplius quàm triginta, idem quod erat inuentum eſt. Idémque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ ſiccioris, & contractioris fuit.] Corpus ergo hominis tali aliqua temperie affectum, poterit citra omnem artem diù perſtare incorruptum.

4. Si quod de Pyrrhi Regis pollice dextri pedis, proditur, veritate niteretur, huc referendum videretur. Scribit ergo Plinius lib.7. cap.2. Pyrrhi pollicem dextri pedis, perhibitiſſe incorruptum; quin etiam rogo illatum, non potuiſſe in pyra cum reliquo corpore abſumi. Sed addit, quod ſuſpicionem Magiæ haud immeritò moueat, digitum illum ſplene laborantibus præſentiſſimo fuiſſe remedio, ſi Pyrrhus ſuperſtes eo digito aliquem contigiſſet. At quid digito pedis dextri, cum lienoſorum curatione, potiùs quàm aliis eiuſdem ſaltem pedis digitis, non habentibus diuerſam temperiem, ſi affectus fuiſſet purè naturalis? vel quomodò digitus ille per ignem omnia domantem comburi & cinereſcere non potuit? Aliò enim referri poteſt, quod eorum qui morbo cardiaco aut veneno occubuerint, corda cremari nequeant, vt ſcribit idem Plinius lib.11. cap.37. notans, Piſonem inſimulatum à Vitellio dati Veneni Germanico Cæſari, quod eius cor cremari non potuiſſet; contrà autem Piſonem, genere morbi defenſum eſſe. Poteſt inquam hæc cordis in homine ſic morboſo aut venenato immunitas ab igne, referri ad qualitates à tali morbo aut veneno cordi impreſſas, quibus ignis actiuitas repellatur, ſicut ab amiantho textili repellitur. Cor enim cum ſit arx vitæ, & peculiaris ſtructuræ ac temperiei à reliquo corpore, poteſt faciliùs peculiariter imbui, & accipere vnde obſiſtat ignibus, quamuis corpus reliquum eam indemnitatis prærogatiuam non aſſequatur. Et ita accidere etiam potuit, in corde illius Theologi quod ignis violentiam tempſiſſe, ſcribit Pitatus Decade 1. Hiſtoriocopol.cap.7. *in fine*. Gladiatorem vocare debuit. Ipſe enim eſt Zuinglius, vt videre eſt apud Thuanum lib.2. hiſtor. ſui temporis. In Ioanna Darcia cuius exuſtæ cor non arſit vt canit Valerianus, ſuſpicio veneni dati, poterat videri iuſtior. Niſi ſi fabulis hæc omnia annumerare placeat cum Sanctorello cap.41. poſtpraxeos. Ambigit ſanè de omnium huiuſmodi narrationum veritate Mercurialis lib.5. variar. cap.6. quia cum cor iuxta Philoſophum ac Medicos, nullum magnum affectum ſuſtineat, nec poſſit niſi ob ingentem aliquam affectionem reddi incombuſtile, nutare videtur quicquid de corde aliquorum incombuſtibili eſt proditum. Nec veriſimile eſt, venena quæ tam varia ſunt, & tã multipliciter necem inferunt, communem habere facultatem repellendi vim ignis à corde.

Vt-vt ſit, ſi ſupponeremus quod de incorrupto Pyrrhi pollice iactatum eſt, veritatem continere, & abeſſe Magiam; ea incorruptio referenda eſſet ad peculiarem illius digiti temperiem & compactionem; ob quas, & in igne durauerit, & extra ignes non computruerit, veluti ludente circa eum pollicem natura; conceſſa vni illi digito peculiari temperie ac compactione ad arcendam putredinem accommodata, raro exemplo & inter ſingularia iure referendo.

Series altera, continens cauſas eiuſdem incorruptionis extrinſecas.

5. AD alteram ſeriem, cauſarum incorruptionis corporum quas Tertullianus attigit, pertinet imprimis quod notauit Sanctorellus in poſtpraxi Medica cap.27. nimirum expedire condere cadauera in templis frigidioribus, aut ſitis in loco edito ac ſublimi. Templa quidem vbicunque ſint conſtituta, non parum commodant arcendæ à corporibus putredini, quia & frigida vt plurimùm ſunt, & ampla ac lata, nec ab hominibus noctu frequentantur & magna diei parte ſunt vacua, nec ab igne accenſo calent, vt domus priuatæ. Si tamen ſint ædificata in loco ſublimi, vel admodùm frigido, opportuniora erunt ad conciliandam corporibus inibi ſepultis incorruptelam. Profert citatus Autor in hanc rem, exemplum templi B. Mariæ montis Virginis, in quo tumulata corpora ad multa ſecula perſtant incorrupta ob cauſam prædictam. Adde quod vt habet Paulus Iouius in Commentario de legat. Moſcouit. ad Clementem VII. in Moſcouia ferunt iuuencarum media hyeme cæſarum carnes, per bimeſtre non putreſcere ob cœli frigiditatem.

6. Iuuat item maximè ad huiuſmodi effectum, ſoli qualitas: ſi nimirum ſit valdè aridum, & ſale natiuo aliiſve exſiccantibus reſperſum. Confirmant quod dico, quæ his verbis tradit Gyraldus Cambrenſis deſcribens Hyberniæ mirabilia lib.4.cap.6. [Eſt inſula quædam in Occidentali Conactiæ ſolo poſita, cui nomen *Aren*, à S. Brendano (vt aiunt) conſecrata. In hac, hominum corpora, nec humantur, nec putreſcunt; ſed ſub dio poſita & expoſita, permanent incorrupta. Hîc homines, auos, atauos, & tritauos, longámque ſtirpis

ſuæ retrò ſeriem, mirando conſpiciunt & cognoſcunt.] Oritur id ex ſoli, præ tale inſperio, putredinem inhibentis qualitate. Illuſtrant præterea hoc inſignirei quæ habet Georgius Vernerus lib. de admirandis Hungariæ aquis. Teſtatur enim in Hungaria & Tranſyluania quæ abundant ſalinis natiuis, vnde ſal non ſecus ac lapides è latomia cæditur, vbi maximè ſolidus eſt ſal, inuenta plerumque eſſe varia inſtrumenta ad humanos vſus facta, inter ſalem ex humore aut ſucco ſalſo aggeſtum, incorrupta. Et alicubi gallinam incorruptam incubantem ouis incorruptis, eſſe inuentam. Plerunque item magnam carbonum vim erui cum ſale. Et quidem cum carbones exciduntur, eſſe duriſſimos; ſimul atque verò ex eo ſaliro ſolo exempti, & ſubdium prolati fuerint, putreſcere. Quod in Deſienſi fodina, qua nulla eſt in Dacia altior, paucis ante annis quàm ea ſcriberet, contigiſſe ait, in robore quod trabi ſimile de medio ſale exciſum eſt, tanta duritie vt ægrè ferro adacto & impacto cederet. Sed idem extra fodinam extractum, ſic computruit intra quatriduum, vt primis digitis conteri & conſcerpi poſſet. Vnde ea materia in fodinam illam deueniſſet, nunc non quæro; parum ſollicitus, an verè vulgus (quod vt idem Autor refert tradítque etiam S. Euſtathius comment. in Hexaëm. *pag.*49. agens de piſcibus in ſummo Libani vertice tunc repertis;) ad tempora Noëtici diluuij interceptionem huiuſmodi materiam in locis illis pertinere arbitretur. Id quod de trabe, dum altiſſimus puteus effoderetur, inuenta in villa Antonia ad Camberium Allobrogum, iactare aliquos memini. Et iactatum eſt, non à peritioribus, ſed ferè à rudioribus, & ſine dubio parum aptè; cum durare tot iam ſeculis materiam cæteroqui fragilem, non ſit veriſimile longéque probabilius Alexander Taſſonus 4. variar. cap. 24. ex materiæ aptæ ad inanime conchilium efformandum concurſu, enatam huiuſmodi conchiliorum teſtam philoſophatur, poſt Ariſtotelem 5. hiſtor. anim. cap. 5. Sed hoc (vt dixi) in præſentia non moror. Tantum ergo nunc conſidero, vim ſoli illius ad inhibendam putredinem à gallina, ouis, inſtrumentis, robore, ac carbonibus prædictis. Nec eſt ſanè, cur id incredibile, vel adeò mirum videatur. Sicut enim ſunt aliquæ terræ illicò abſumentes cadauera, vt referunt aliqui quos adduco in tractatione de Iuda cap. 12. num. 21. ita poſſunt eſſe quædam terræ, corpora aſſeruantes quàm diutiſſimè ob contrariam diſpoſitionem, vt benè notat Magnus Albertus 4. Meteor. tractat. 1. cap. 10.

7. Imo Sanctorellus in poſtpraxi Medica cap. 41. *in fine*, exiſtimat, omnem terram, ſi corpus ei altè infodiatur, poſſe corpus à corruptione præſeruare, ſupra ſalem & omnia aromata. Eſt enim frigida & ſicca; & altè excauata, vacat externis permutationibus, & impreſſionibus quæ eſt conſtitutio per opportuna ad optimè conſeruanda cadauera. Verùm intermiſtio aquarum, obſtabit ne vſpiam terra occurrat adeò pura, qualem hic Autor ſibi fingit. Quod enim in Scalis à viſibili creatura ad Deum Gradu 5. latè proſequor aqua occultè intermiſta terræ, eſt ei veluti glutinum, vt Philo in Coſmop. loquitur: qui id etiam pro miraculo habet libro de Plantat. Noë *fere initio*; alioqui enim terra abiret in puluerem. Et accedunt irrigui elices quibus omnem terram differtam eſſe, ac ſubterfoſſam cuniculis quaquauerſum ad aquas è mari proliciendas, admonuit S. Baſilius homil. 4. hexaëm. Itaque terra quæ ſit tantùm frigida & ſicca, & idcirco conſeruationi corporum commodet, fruſtra quæritur, quantumuis altè excauetur.

8. Non ſoli tantùm aut cœli frigus, corpori in eo iacenti vſui eſſe ad conciliandam incorruptionem, ſed etiam frigus cadaueri conciliatum à potu frigidiſſimo hauſto ante mortem, valdè ad eum effectum conferre, confirmari videtur exemplo cadaueris Alexandri Magni, quod diù hæſit incorruptum, non alia ex cauſa (iuxta Cardanum in opere de ſubtilitate,) quàm quia Alexander frigidiſſimo Stygiæ aquæ humore, eſt letho datus. At ea aqua adeò friget, vt ſolis mulorum & aſinorum vngulis excipi poſſit. Vaſtat enim ac exedit omnia alia receptacula. Scribunt hanc cauſam mortis Alexandri, nonnulli veterum, vt Vitruuius lib. 8. Tertullianus lib. de anima cap. 50. vbi latè Pamelius. Et oportuit ſanè potenti aliquo amuleto inhiberi putredinem à corpore Alexandri, mortui in regione æſtuoſiſſima, & media æſtate, vt apud Plutarchum in Alexandro, & Curtium in deſcriptione mortis Alexandri, legere licet. Huiuſmodi ergo amuletum, cenſet Cardanus, fuiſſe aquam illam exquiſitiſſimè frigidam. Ridet de more Cardanum ea in parte Scaliger exercit. 141. numer. 2. Sed argumento prorſus futili. Ait enim, cum putrefactio iuxta Ariſtotelem, ſequatur ex profligatione caloris natiui, hic autem veneni ingeſtione extinguatur, non potuit aqua venenata (cuiuſmodi erat aqua illa Stygia) cadauer Alexandri putrefactione prohibere, ſed potiùs debuiſſet putredinem eius promouere. Sugillat hanc Scaligeri ratiocinationem Alexander Taſſonus lib. 9. variar. q. 5. Nec ſanè eſt ſolida; quandoquidem putrefactio non eſt quæuis profligatio interni caloris, ſed quæ fit ab ambiente calido, educente humidum cui calor inſidet. Itaque ſi Alexander ex potu frigidiſſimæ aquæ interiit, potuit eius cadauer præ tanta frigefactione reddi ægriùs corruptibile. Adducit idem autor in eam rem exemplum recitatum à Pompilio Placentino lib. 5. rerum naturalium ac mirabilium, de muliere Veneta; cui ex pomi venenati comeſtione, intra proximam noctem mors obtigit, & venter lapiduit; ita vt nullo ingenio flecti, nullo adacto gladio incidi quoquo modo potuerit. Si potuit ſuccus pomi venenati, ſaxeum efficere ventrem, quidni aqua Stygia obſtare potuerit putredini cadaueris, per ipſam ad aliquod ſaltem tempus durari?

Cur corpora fulmine icta, incorrupta.

9. HIs extrinſecis naturalibus cauſis incorruptionis cadauerum, adiungendum eſt fulmen; nam cunctis penè notum eſſe corpora fulmine icta non ſentire putredinem, ſcribit Plutarchus 4. ſympoſ. quæſt. 2. vtique ob ſummam ſiccitatem, quam ſic contacta corpora contrahunt.

contrahunt. Seneca lib. 2. natur. qq. cap. 31. non admittit hoc eſſe vniuerſaliter verum. Ait enim. [Malorum ſerpentium, & aliorum animalium quibus mortifera vis ineſt, cum fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur. Vnde inquit ſcis? In venenatis corporibus, vermis non naſcitur. Fulmine icta, intra paucos dies verminant.] Hoc non ſatis aſſequor quomodò affirmetur. Nam etiamſi fateremur, fulmine abſumptum eſſe vniuerſum venenum quod animali virulento priùs inerat; tamen attactus ipſe fulminis, nouam virulentiam infert, quæ æquè obſtare deberet verminationi cadaueris contracti. Vt enim ſcribit idem Seneca eodem lib. 2. cap. 51. reddens rationem, cur vinum fulmine gelatum cum ad priorem habitum redit, potum, aut exanimet aut dementes faciat; [Ineſt fulminis vis peſtifera. Ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo humore quem coëgit gelauitque, veriſimile eſt.] Similiter ergo corpus fulmine contactum, combibit inde virus aliquod, æquè arciturum vermes. Quare Matthiolus ſub finem præfationis ad Dioſcoridem, vniuersè affirmat, corpora mortua fulmine percuſſa nunquam putreſcere, idcóque ait meritò reprehenſioni patuiſſe Euripidem, qui dixerat, Phaëtontis, cum ictus de cœlo ruiſſet, corpus computruiſſe in Italia. Leguntur etiam undecim meſſores in Lemno inſula, cum cibum ſub quercu ſumentes tacti de cœlo eſſent, eodem ſitu hæſiſſe iam exanimes, quo fuerant viuentes. Quo exemplo hanc incorruptionem corporum fulguritorum, ob ſuctum totius humidi ſine quo non contingit corruptio, aſtruis Alexander Taſſonus lib. 4. variar. quæſt. 11. Quod autem S. Bernardus in vita S. Malachiæ, de duce rebellium in S. Malachiam, ait. [Qui princeps extiterat tanti mali, fulmine percuſſus interiit, cum tribus aliis; & fuêre conſortes mortis qui fuerant participes ſceleris; quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora, ſemiuſta & putrida, hærentia ramis arborum, vbi quemque ſpiritus eleuans, alliſiſſet.] Hoc inquam de fulguritorum corporibus putridis, ſi deſuit miraculum, accipi debet de putredine impropria & inſigni talium cadauerum horrore.

10. Fortaſſis autem ob hanc corporum de cœlo tactorum incorruptelam, Ethnici ea habebant vt ſacra; ita vt aruſpices ſi membra diſiecta eſſent, veluti reliquias ea colligerent, & ibidem infoderent, locum ſapientes ceſpite. Quod docent illa Plinij lib. 2. cap. 54. [Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt; condi terra religio tradidit.] In Numæ legibus illa erat. [Si hominem fulminibus occiſit, ne ſupra genua ſollito.] Nolebat enim fulguritum ex eo loco in quo tactus fuerat, efferri, ſed ibidem tanquam in loco ſacro ſepeliri, vt Artemidorus diſertè notauit loco mox adducendo. Locum ſic religioni addictum & deinceps ſacrum futurum, calcari nefas fuiſſe, tradit Cornutus ad citandum mox Perſij locum. Et illum mouere, grande nefas erat, vt inſinuat Flaccus in extrema Arte Poëtica, cum ait,

Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental,
Mouerit inceſtus.

Nimirum locus condito fulgurito conſecratus, exinde ſacer & inacceſſus erat; & quia bidente hoſtia, id eſt bima, & binos dentes annorum indices habente, ibi litabant, *bidental* dicebatur iuxta illud Perſij ſatyr. 2. *Triſte iaces lucus, euitandúmque bidental*. Et illud Sidonij carm. 9.

Nec quæ fulmine Thuſcus expiato,
Septum numina quæris ad bidental.

Sauaro ibi, multa in eam rem habet, nec non Lipſius ad cap. 7. libri primi Senecæ de Clementia & Iacobus Nicolaus III Miſcell. cap. 20. Ex quibus reuincitur lapſus Pauli Diaconi, qui *bidental* locum eſſe cenſuit bis de cœlo tactum. Vt præterea ex his dictis eſt perſpicuum, lapſus item eſt Turnebus 16. aduerſ. cap. 18. qui cenſuit fulguritos omnes, dimiſſos inſepultos. Videndus Kirchmannus lib. 1. de funeribus Rom. c. 3. Omnis ergo fulguritus magna in veneratione erat; ob corporis (vt videtur) conciliatam à vi fulguris exſiccante incorruptelam; tantaque erat veneratio, vt dicat Artemidorus l. 2. cap. 8. [Nemo fulguritus infamis eſt. Itaque vt Deus colitur.] Optimum, (ſi rectè cundiatur,) ad mores monitum, de his quos Deus in miſericordia de cœlo tetigerit, inde corpore futuris incorruptis, & anima inſigniter beandis. Quanquam ob aliam cauſam, nempe ob incorruptibilitatem ab igne, Tertullianus cap. 48. Apolog. fulguritum, damnari ad æternos ignes imaginem ſtatuit, quia ſaluus eſt vt nullo iam igni decineteſcat.

CAPVT VI.

De incorruptione cadauerum humanæ artis interuentu.

1. HVmanum artificium, incorruptionem corporibus plerunque conciliat, admotione cauſarum naturalium idonearum; quæ vel externum calidum putredinis effectiuum remoueant, vel humidum ſuperfluum ablegent; ſicque humidum natiuum tenaciùs ſicco interno illigent; ita vt ſepoſita humiditate ſuperflua malè per calorem terminabili, ſola ſuperſit humiditas natiua ritè digeſta, cum ſicco calidè permiſta, atque adeò ægrè educibilis vi caloris ambientis, vnde putrefactionis inhibitio. Eſt enim apud Arabes veluti effatum, humiditatem eſſe *matrem* putredinis, calorem verò *genitorem*; quia calor agendo in humidum, infert putredinem.

Per hæc putredinis amuleta, cadauer veluti viuum perennat. Hac ex cauſa inter bona eius qui cum malè vixiſſet, tamen etiam poſt mortem in honore erat, dicitur de eo Iobi 21. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit*. Magnificentiam exequiarum, ſonat *ducendi* verbum; quod ibi Hebraïcè eſt *tabal*, & delationem cum pompa & apparatu ſignificat. *Vigilia* verò *in congerie mortuorum*, referenda eſt ad perſeuerantiam & perſiſtentiam cadaueris, quaſi in ſpeciem viuentis, ob adhibita corruptionis amuleta, vt optimè ibi attigit Pineda. Cum enim aliorum ſimul tumulatorum corpora, defectu conditturæ, in puluerem abeant, nec remaneant in cadauere perſeuerante, effigiem viuentis & quaſi vigilantis, tametſi deeſt vera vita & vera vigilia; improbi tamen cadauer, quia diuitiis abundauit, non ſecus ac vigilans perſeuerat, ob adhibitam conditurarum

inhibitionem

inhibitiuam putredinis. Et ideò qui charos habuere defunctos cum viuerét, pignus hoc amoris, illis libenter impendere ſunt ſoliti; non Ethnici modò, ſed etiam Chriſtiani: quibus per vitæ tempus vnguenta non adhibentibus, exprobrabant Ethnici apud Minutium in Octauio & apud Tertullianum in Apologetico, capite 42. quòd reſeruarent vnguenta funeribus. Agnoſcitque Tertullianus, pluris & cariùs Sabæos ſuas merces ſepeliendis Chriſtianis profligare, quàm Diis ſuffumigandis; quia ſcilicet vt lib. de reſurr. carnis loquitur, medicata condimentis & vberibus & pretioſis, ſepulturæ ſequeſtrabantur corpora; id quod ad ſolatium ſepulturæ feciſſe Chriſtianos; ait, ſcribens contra idololatriam, ideſt ad leniendum hoc amoris erga defunctum teſtimonio, mœrorem ex eius tranſitu. Exempla Sanctorum ſic curatorum, multa collegit Gretſerus lib. 1. de funere Chriſtiano cap. 3.

Nec S. Ephrem in ſuo teſtamento abſolutè improbat condimenta iſta cadauerum; ſed ſe ea curatione indignum præ humilitate conteſtatur, præoptátque condiri & ſuffiri piis ſuffragiis. Non puto autem reprehendere voluiſſe condituram adhibito ſacro chriſmate, qualem adhibuiſſe pro Sacerdotibus Græcos poſteriores, habetur ex Balſamone eam improbante in reſponſione ad quæſita Marci Alexandrini, vt habetur Tomo 1. Iuris Græco-Romani lib. 5. ſed vt dixi non puto S. Ephrem voluiſſe reprehendere huiuſmodi abuſionem; quia non eſt veriſimile, eam iam tempore S. Ephremi inualuiſſe.

Alij quamcunque cadauerum condituram improbare viſi accipiendi ſunt de iuſto anxiore cura & impenſa in hanc rem collata, quò duntaxat modo reprehendi cenſeo hoc erga defunctos officium à nupero Poëta, & non ineleganti carmine ad Iulium Orſtenam 3. Balde libro 2. Lyric. Oda 47.

Refert ſcilicet Orſtena
Quò manes pretio ſub tumulos eant.
Defoſſi: quibus oblinas
Succis, & religes funera linteis
Non ſenſura Canopici
Hæredis vacuam laude ſuperbiam.
Clementes tenebras petit
Mors contenta loco quolibet. Angulus
Iam regale palatium eſt.
Qua natura parit, functa recolligit
Communi gremio, neque
Diſtinguit cineres terra nouiſſimos.
Trunco ſex ſpatium pedum, &
Cippus cum modico ceſpite ſit ſatis.
Luxum cætera barbarum
Spirant, & nimia fracta ferocia
Indignantia ferreis
Fatorum tabulis, quid magis aſpidas
Et longam cupidi famem
Inuitet colubri, quam capulo tenus
Vncta & lota cadauera?
Coſtúmque, & caſiã, & malobathrũ Syrus
Membris imbibat omnibus
Pollinctúmque ſuper funebris India
Plenis ſumptibus ardeat;
Si non & pretio fama fragret ſuo,
Fruſtra ſpargis amaracum,
Fœtebit ſub humo tetriùs inſulis
Eieſtationibus Oſtrea, &
Neptuni vomitum putris ab æquore.
Naſum cinnama non mouent,
In Sulla cineres ſacta, nec efferunt
Crudeles animas rogo.
Pauper Fabricius quem populi fauor
Alto pectore condidit
Et Brutus Deciis additus, & Cato,
Gypſatúſque Britannicus.
Haud nardum redolent: Thuricremis tamen
Praſtant mille Neronibus.
Virtus eſt feretri nobile balſamum.

Hæc nonniſi ſumptus nimios in conditurum cadaueris factos feriunt. Nec item vacaret iuſta reprehenſione conditura, ſi ea impenſa fieret incongruè, attento ſtatu & ignobilitate defuncti. Abſolutè verò & ſimpliciter, ea cadauerum curatio, vacat labe, etiam inter Chriſtianos.

Inhibitiua putredinis naturalia, admouenda per artem.

2. SVpposita ergo honeſtate, condiendi corpora adhibitis actiuis naturalibus, videndum obiter ſequitur, quæ ſint ea corruptionis cadauerum veluti amuleta; quod his paucis magna ex parte complexus eſt Magnus Albertus lib. 4. Meteor. tract. 1. cap. 10. [Intelligendum eſt, quod ſunt plurima impedientia putrefactionem, ſicut balſamus, myrrha, & aloë, & ſal, & ipſe ſol exſiccans. Sed omnia hæc impediunt eam, per humidi vehementem exſiccationem. Propter caliditatem quaſi vicinam quam habent, iſta humidum ſuperfluum extrahunt. Et quia multum exſiccant, ideò contrahunt ſiccum ne continuans humidum, locum inueniat exeundi. Et ideò paſſa alterationes fortes ab iis quæ dicta ſunt, valdè inueniuntur arida & dura ac contracta, & in ſuperficie rugoſa. Et ideò inſeparabile quaſi efficitur ab eis humidum continuans. Et hæc eſt cauſa, quare etiam corpora mortua conſeruantur quando ſunt infuſa talibus, vel quando iacent in terra talem virtutem exſiccatiuam habente. Vnde etiam corpora macilenta, meliùs à talibus conſeruantur, quàm multùm carnoſa.] Non intendo, in has incorruptionis naturales cauſas inquirere diligenter, quod à præſenti inſtituto alienum foret, & rerum potiùs naturalium Tractatoribus ac Medicis congruit, quos inter Petrus Bellonus toto lib. 3. de funere Medicato in hanc curam incubuit, ac lib. 2. obſeru. cap. 47. Et idem præſtitit Paulus Zacchia lib. 4. qq. Medicolegalium tit. 1. quæſt. 10. & Kirchmannus lib. 1. de funer. Rom. cap. 8. Facere tamen non poſſum, quin obiter vtcunque attingam, hæc corruptionis arcendæ remedia, & qui ea admouerint cadaueribus. Eſt enim id planè neceſſarium, ad diiudicationem dubitationis quam hîc excutimus; nempe qualiſnam ſit alicuius cadaueris incorruptio. Inter eas igitur naturales cauſas, quæ vel ſolitariæ, vel permiſtæ, arcent putredinem, numerantur; Sal, nitrum, cedria, aſphaltum, myrrha, cera, ac mel, & alia proximè ex Alberto tacta; & nominatim Sol exſiccans, ac vt alij addunt calx & æs atque acetum. Attingamus obiter ſingulas illas cauſas.

Sal.

3. SAl, vel vt Ennius ac in Eunucho Terentius, neutro genere efferunt, *ſale*, cum ad victus vtilitatem laudatur, quod integro libro abs ſe viſo, encomium eius ſapientem ſcribis Plato in Conuiuio, tum meritò primum locum occupat, in claſſe amuletorum iſtorum. Apud Herodotum Ægyptiacos mores deſcribentem, cum de conditura corporum apud eam gentem receptiſſima agit, occurrit frequentiſſimè verbum ταριχεύειν, quod primus omnium & frequentius à populo vſurpatus corporum condiendorum modus, ſale ſolo conſtaret. Vnde ταριχεύειν, id eſt *ſalire* pro eo quod eſt *condire*, ad inhibendam putredinem; & corpora τεταριχευμένα, id eſt *ſalita*, vt obſeruauit Mercurialis libro tertio variar. capite ſecundo. Et ſanè ſalis vis exſiccatiua, atque adeò inhibitiua putredinis, neminem latet. Bernardus Gomeſius numero nono *in fine*, referendus, Aponenſis ad ſectionem 21. problemat. 5. & Ambroſius Paræus libro vigeſimo octauo, ſalem ad hunc vſum valdè commendant. Sanctorellus verò in poſt-praxi Medica capite quadrageſimo primo ſalem omnibus aromatibus hac in parte anteponit; eo quod aromata quamuis exſiccent, tamen calefactione; at ſal exſiccat citra calefactionem. Inde tantus olim Salitorum, (ſic dicti Libitinarij ac Pollinctores, & ad apparanda & medicanda funera vſus. Nec mirum; nam ſi carnes piſcium adeò humectæ, & caro ſuilla ad putredinem aptiſſima, tamen infuſo ſale ſeruatur incorrupta, quidni etiam humana cadauera? Sanè Plinius libro 31. capite nono, ſalis naturam per ſe igneam deſcribit, & tamen ignibus inimicam, corpora verò aſtringentem, ſiccantem, alligantem, ſicque præſeruantem ea à putredine, *vt durent* (inquit) *ita per ſecula*. Exemplum cadaueris ſale infuſo conſeruati, ſubminiſtrat Sanctus Hieronymus in vita Beati Pauli primi Eremitæ, Cum enim deſcripſiſſet Hippocentaurum viſum à Beato Antonio, hominem equo mixtum, ſubdit. [Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum moueat, ſub Rege Conſtantino, vniuerſo mundo teſte defenditur. Nam Alexandriam iſtiuſmodi homo viuus perductus, magnum populo ſpectaculum præbuit; & poſtea cadauer eius, ne calore æſtatis diſſiparetur; ſale infuſo Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum eſt.] Addo ego quoque, vt ea Diui Hieronymi narratio minùs mirere, item alium Hippocentaurum viuum captum, & à Præfecto Ægypti poſt mortem ſalitum Romámque miſſum, vt deſcribit accuratè Phlegon lib. Mirabil. capite 34. addens cap. 35. alios inſuper tales Romæ haberi. Salita martyrum capita à Monachis circumlata, in Ædeſio narrat Eunapius. Sancti Guiberti Gorziæ defuncti ſacrum corpus, cum referendum eſſet Gemmelacum, ne æſtiuo calore ſolueretur, eductis & ibi ſepultis interaneis, ſale conſperſum eſt atque ſiccatum, vt ſcribit Sigebertus in Sancti viri Actis c. 6. Veterem ſententiam, quod piſcatorum corpora, præ ſale marino in quo aſſiduè voluuntur, ſint cornea, legeſis apud Ludouicum Cælium l. 6. lectio. antiq. c. 1.

4. Ex hoc vſu ſalis, ad arcendum putorem & inhibendam corruptionem, factum exiſtimo, vt Eccleſia iam olim inter Baptiſmi ceremonias vſurparit ſalis prægustationem, ex quo aliquis inter Catechumenos allegebatur. Non nego apud S. Iſidorum lib. 2. de offic. diu. cap. 20 nec non apud Theodulfum Aurelianenſem, libro de ordin. Baptiſmi c. 5. & apud alios pleroſque, hunc ritum referri ad ſignificationem ſapientiæ, cuius ſal eſt ſymbolum. Sed hoc eodem reuoluitur, vt diſertè traditur à Rabano lib. 1. de Inſtit. Cler. cap. 27. Ait enim. [Dicuntur ſuper eum orationes vt fiat Catechumenus: Tunc datur ei ſal benedictum in os; vt per ſal typicum, ſapientiæ ſale conditus, fœtore careat iniquitatis; & nec à vermibus peccatorum vltra putreſcat, ſed magis illæſus ſeruetur ad maiorem gratiam percipiendam.] Hoc ſenſu, in Actis Sancti Caij Papæ, cum agitur de Claudio facto Catechumeno, dicitur *& dedit ei Medicinam*. Quod inferiùs repetitur cum illo addito, *dedit ei Medicinam ſapientia*, hoc eſt ſalem; cui nomen, *Medicina* tribuitur, quia præſeruat à corruptione, & vermes arcet. Eandémque ob cauſam Sanctus Macarius homil. 24. Spiritum ſanctum ait eſſe ſalem noſtrum. Et pleniùs ac elegantiùs homil. 1. Apoſtolos ait dictos eſſe *ſalem terra*, quia immittendo Spiritum ſanctum quem vocat *cæleſte ſal ſpiritum*, condiebant mortales ac reddebant incorruptos, & à fœtore ac vermibus liberos, ſicut carnes per infuſum ſalem à vermibus & putredine, atque adeò etiam à putore & grauéolentia liberantur. Origenes homil. 27. in Num. eandem ob cauſam tentationes cum ſale componit. Hoc ſpectaſſe Eccleſiam immiſſionis ſalis in os Catechumenorum, exiſtimo veriſimillimum. Censétque Gomeſius libro 5. de ſale num. 18. hanc fuiſſe cauſam, cur Burgundiones Sequani, dicantur *ſaliti*, eo quod Aquilonarium omnium primi, infantes ſuos, mox baptizandos, à Parochis luſtrali hoc ſale ſaliri curarent. Deriſionem verò huius denominationis in Scomma in Sequanos iactatum, ob ſalinas quibus abundant, ſuppeditatam ab homine Sequano, non ſtabilit Gomeſius, nec verò potuit ſtabilire.

5. Non dubito, quin eodem quoque referendum ſit, quod de *pacto ſalis* habet ſcriptura Numer. 18. & 2. Paral. 13. Hoc quid ſit, Caietanus eo cap. 18. profitetur ſe ignorare. Lyranus verò ibidem, pactũ ſalis docet eſſe pactum æternum: quam denominationem inde petitam putat, quod Leuit. 2. perpetua lege ſancitum eſt, vt in omni oblatione & ſacrificio, ſal adhiberetur. Per analogiam ergo ad legem illam inuiolabilem ſempérque duraturam putat Lyranus, pacta illis aliis locis quæ ſignaui commemorata, puta pactum de primitiis Aaroni ceſſuris, & de firmitate regni Dauidis, vocari pacta ſalis. Sed hac ratione, fas fuiſſet ab omnibus diuinis præceptis perpetuò duraturis, petere denominationem perpetuitatis quorumuis pactorum. V. G. quia mandatum eſt lege perpetua, vt in Chriſtiani regeneratione adhibeatur aqua, pactum æternum & ſemper duraturum, poſſet appellari *pactum aqua*. Et ita de ſimilibus, antiqui Teſtamenti præceptis diuinis haudquaquam caducis, pro tempore quo lex vetus duratura erat.

Quare germana ratio illius denominationis, petenda eſt ex ſalis facultate ad inhibendam putredinem. Quia enim ſal corporibus quibus adhibetur, conciliat incorruptionem, propterea pactum nunquam corrumpendum, ſed perſtiturum ſemper inuiolatum, dictum eſt pactum ſalis, iuxta ſententiam Procopij à libri 1. Reg. cap. 18. Valeſij cap. 6. Hierophyſ. Lælij Biſciolæ tom. 2. ſubſec. lib. 15. cap. 8. Peretij in cap. 19. Geneſ. num. 25. Gaſparis Sancij in cap. 43. Ezech. num. 65. Manuëlis Sà, Ioannis Mariana 2. Paral. 13. Cornelij in cap. 18, Numer. verſ. 19. & in cap. 2. Leuit. verſ. 13. vbi addit eodem pertinere quod olim ad ſignificandam amicitiæ firmitatem, ante omnia apponebantur in menſa ſalinum, cuius diuerſio vbi profuſio, ominoſa habebatur, tanquam amicitiæ reſciſſionem portendens: cum è contrario vini meri effuſio fauſta cenſeretur, vt notauit etiam Pierius lib. 31. Hierogl. cum agit de ſymbolo firmitatis amicitiæ. Nec pauca in eandem ſententiam Bernardinus Gomeſius lib. 5. de ſale à num. 11.

6. Nec aliter philoſophatus eſt Philo libro de victimis, de ſale menſæ ſuperpoſito, cum thure & panibus. Rurſúſque libro de victimas offerentibus, idem ſtatuit de præcepto omnem victimam ſale ſaliendi. [Quo præcepto (inquit) ſignificatur, vt antea dixi, æterna durabilitas. Sal enim conſeruator eſt corporum, ſecundo poſt animam ordine. Nam ſicut anima, cauſa eſt incorruptionis corporum, ſic ſal quam diutiſſimè tuetur ea, redditque quodammodò immortalia. Ideò Scriptura vocat hic thyſiaſterium eximio nomine ἀπὸ τοῦ διατηρεῖν τὰς θυσίας: id eſt à conſeruandis victimis.] Non me latet, quàm hic campus latè pateat, & quàm variæ eius diuini præcepti prodantur cauſæ à D. D. cum expendunt illud Leuit. 2. *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui, ſacrificio tuo. In omni oblatione tua, offeres ſal.* Et alij quidem exiſtimant, iuſſum illud myſticè innuere virtutem pœnitentiæ & mortificationis, coërcentem corpus ne per molles & fluentes voluptates ſoluatur, & abeat in ſaniem atque putorem. Hoc ipſum enim præſtat ſal carnibus. Alij ſignificatam putant neceſſitatem prudentiæ, cuius ſal eſt ſymbolum. Sed germaniſſima illius præcepti ratio eſt, quam ex Philone protulimus, & maximè quadrat præſenti inſtituto.

7. Eſt qui eodem referat ſtatuam ſalis in quam conuerſa dicitur vxor Lothi. Geneſ. 19. & Sapient. 10. vbi vocatur incredulæ animæ memoria ſtans columna ſalis. Eſt ergo qui neget vxorem Loth in ſtatuam è vulgari ſale concreuiſſe; ſed dictam eſſe ait ſtatuam ſalis, quod futura eſſet perennis ſtatus. Ita Bodinus libro quinto, de Republic. cap. vltimo, & libro ſecundo dæmonom. capite ſecundo. Et conſonat Vatabli verſio, quæ habet, *Verſa eſt in ſtatuam perpetuam.* Quanquam cortex vocis planè ferat, verſam eſſe in ſtatuam è ſale de quo non videtur ambigendum cum ita ferat vnanimis Patrum & Interpretum conſenſus. Nazianz. orat. 3. vocat ſalis columnam, traducentem conuerſionem ad vitium, déque ea velut triumphum agentem. Vbi alias quamuis multos ſenſus myſticos profert, & ſalis, & duritiei lapideæ in quam concreuit, veruntamen ſalem agnoſcit. Idem Nazianz. orat. 15. vocat ſalis columnam verè immortalem, animæ relabentis accuſationem. Explicatiſſimè Cyprianus carm. de Sodoma agens de vxore Lothi.

> *In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum.*
> *Ipſáque imago ſibi formam ſine corpore ſeruans;*
> *Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,*
> *Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.*

Illud tamen quod ſubnectit, viderit vnde habuerit. Ego non id præſto quamuis S. Irænæus lib. 4. contra hær. cap. 51. communem hunc rumorem retulerit.

> *Quinetiam ſi quis mutilauerit aduena formam,*
> *Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.*
> *Dicitur & viuens alio iam corpore ſexus,*
> *Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.*

Hoc verò non eſſet ſtatuam eiuſdem formæ externæ perſtare, ſed animatam ac vita perfecta viuentem, durare contra ſuppoſitionem. Itaque ad populum phaleras. Quod tamen ait, ex ſeſe vulnera complere conſonat narrationi Benjamini Tudelenſis in ſuo Itinerario, qui conſpectam ſibi ſtatuam hanc verè ſalis confirmat, quę licet ab ouibus lambendo minuatur, ſemper tamen increſcat ad molē priſtinam. Vnde alterum quoque argumentum pro veritate ſalariæ huius ſtatuæ duci poteſt; nempe ex teſtium oculatorum relatione, qualis ante Benjaminum, Ioſephus lib. 1. antiq. cap. 19. & poſt Benjaminum Bartholomæus Salignacus qui in ſuæ peregrinationis hiſtoria, vidiſſe ſe hanc ſalariam vxoris Lothi ſtatuam ſub annum 1525. aſſeuerat. Burchardus de ſua ætate idem teſtatur, nec non de ſua Adricomius. Itaque vndecumque quæritur nouitas Bodini circa ſalariam ſtatuam vxoris Loth, quam de ſtatu perenni vult accipi, negans vero ſale conſtitiſſe, contra Patrum Doctrinam, & idoneorū teſtium αὐτοψίαν. Theologi item & Doctores omnes poſteriores, veram ſalis ſtatuam non metaphoricam agnoſcunt, quoties in hanc narrationem incidunt. Videſis Interpretes Geneſ. 19. aut Sapient. 10. ad illa verba: *Incredibilis animæ memoria ſtans, figmentum ſalis.* Aut ad illud, *memoria vxoris Loth.* Lucæ 17. Inſuperque vide ſi placet, Leonardum Vairum lib. 2. de faſcino cap. 12. & Laurentium Ananiam lib. 4. de natur. dæmon. cap. 4. & Binsfeldium de confeſſ. malef. concluſ. 3. *pag.* 208. Annuunt Rabbini, ſed aſſuto de more augmento. Refert enim Lyranus, iuxta eos, vxorem Loth verſam eſſe in ſtatuam ſalis; quia veſpere ante cladem, ſalem marito negauerat, ad condiendos cibos quos Angelis apparabat; malè animata in peregrinos pro more ciuium ſuorum. Nugæ, nugæ. Neque enim ipſa, ciuis propriè erat Sodomorum; & ſalis negatio merum eſt ſomnium Rabbinorum. Peccatum ergo eius fuit, quod dubitans fruſtráne

ex vrbe eſſet digreſſa, tametſi iubente Angelo, reſpexit retrò; quod erat fidem derogare potentiæ Dei. Accedebat inobedientia. Vetitum enim erat Lotho, & in eius perſona toti familiæ, ne reſpicerent retrò inter recedendum. Vxor itaque Loth quæ non paruit, & de oraculo dubitauit, verſa eſt in ſalis ſtatuam, vt nos condiret, Vt D. Auguſtinus philoſophatur in Pſal. 75. Proſper. part. 1. de prædict. cap. 16. ac Rupertus libro 6. in Geneſ. cap. 12.

Addit Bodinus capite illo 2. ſalis perennitatem putredinis neſciam, in cauſa eſſe cur Diabolus tantoperè à ſale abhorreat, vt conſtare volunt eo quod in conuiuiis quæ Strigibus & maleficis apparat, nunquam apponi ſalinum, ac ne fictitium quidem, vt variis exemplis declarat Nicolaus Remigius lib. 1. dæmonol cap. 16. Et vulgatiſſimum eſt exemplum quo aliquando in conuiuio eorum pariter potantium, ruſticus Sabinus eo fortè deuectus ſalem diu fruſtra expetiit, tandémque eo aduecto, omnes illicò imaginariæ epulæ cum cœtu vniuerſo euanuerunt, vt ſcribit Paulus Grillandus quæſt. 7. de ſortilegiis num. 26. Erit cui videatur cauſam odij quod dæmon ſalem auerſatur, ducendam eſſe ex eo quod Deus olim in omnibus ſacrificiis adhiberi ſalem præciperet Leuit. 2. & in ſacra menſa ſalem aſſeruari ſtatueret. Vnde hauſtum videtur illud Platonis, Deum ſalem diligere. In noua lege videmus ſalem adhiberi ad Baptiſmum, & in aquæ conſecratione. E contrario ergo Satan, à ſuis impuriſſimis Orgiis remoueri ſalem voluit, vt contrariam diuinæ, rationem agendi teneret. Ita Remigius cap. illo 16. qui addit, iuſtitiam vt Deo acceptiſſimam, ita dæmonibus (Orpheo quoque atteſtante in hymnis,) eſſe maximè inuiſam. Nihil autem eſt quod homines magis iuſtitiæ admoneat, quam ſal, autore apud Laërtium in Commentariis Pythagoricis Alexandro, quia ſal ſeruat & tuetur quicquid occupat; éſtque è re puriſſima, aqua videlicet marina. Vnde tanta apud veteres ſalini religio: & menſarum, ſalis appoſitione conſecratio, vt eſt apud Arnobium. Hæc ratio odij quo Satan auerſatur ſalem, reuoluitur reuera in priorem. Nam ea tuitio omnium quibus ſal affunditur, aliud non eſt quàm præſeruatio à putredine, ob quam præſeruationem ſal eſt ſymbolum immortalitatis, & incorruptionis proximæ Deo.

9. Sed quid ſymbola, vel locutiones quibus ſalis facultas ad auertendam putredinem inſinuatur, fruſtra conſectamur, cum & in cadaueribus (vt dictum eſt) & in aliis pleriſque, ea vis luculenter prodatur? Scribit ſanè Georgius Verhetus libro de admirandis Hungariæ aquis in ſalis fodinis vbi ſal maximè ſolidus eſt, inueniri varia inſtrumenta ad humanos vſus fabricata citra corruptionem ibi aſſeruata quàm longiſſimè, vt capite quinto, numero ſexto, ex eo referre memini. Quem item adduxi, referentem in Tranſyluania in ſimilibus fodinis repertam eſſe gallinam cum ouis queis incubabat, exanimem quidem, ſed incorruptam. Videſis alia ex eo in eandem ſententiam prolata dicto capite. Addo aliud præterea exemplū ex aliis ſalis fodinis. Anno 1573. ad oppidum Hallem (ſupra Salisburgum) in fodinis ſalis intra montis viſcera 6300. pedes, ex ſolido ſalinario lapide, exciſum virum planè integrum, barba, ſuperciliis, crinibus, vnguibus ac veſtibus quoque inconſumptis, ſtaturæ nouem Spithamarum, narrat hiſtoria Epiſcoporum Salisburgenſium. Cum cogitarent de eo Salisburgum deferendo, paucis hebdomadibus elapſis libero cœlo expoſitus, cœpit putreſcere ſale liqueſcente. Oppreſſum fuiſſe inter fodiendum, ſenſus communis tulit. De ſalis ergo efficacitate ad inhibendam putredinem dubitare non licèt; eámque egregiè confirmat Galenus libro vndecimo de ſimplicium facultat. ac Bernardinus Gomeſius qui ſalem omnibus aduersùs cadauerum putredinem conditoris longè anteponit libro primo de ſale à num. 31.

10. Ipſe Deus à mundi initio, perſpicuè nos docuit; quale aduersùs putredinem amuletum ſit in ſale. Mare ſiquidem, tam vaſtam aquarum congeriem, & latentia in mari animalia puſilla cum magnis, ne putreſcerent, partim multiplici motu conciliato effecit, partim & maximè, affuſo ſale. Nam quamuis aqua marina non ſit ſuapte natura ſalſa, vt perperam viſum eſt Ruperto lib. 2. de Trinitat. & oper. eius cap. 14. & 29. & nonnullis intrinſecam quandam proprietatem in aqua marina communiſcentibus, qua ſpecie differat ab aquis dulcibus, vt refert Scaliger Exercit. 51. tamen Deus (vt præmittebam) ad inhibendam eius putredinem, cui meritò timendum erat, immiſit mari plurimas exhalationes crudas & minimè concoctas, quarum proprium eſt ſalſedinem impertiri iis quibus communicantur. Experimur enim in noſtris corporibus, quod maximè crudum eſt & non concoctum, & quiduis à calore paſſum eduſtúmque, minimè tamen ab eius efficientia perdomitum planéque ſuperatum, ſalſedinem impertire iis quibus admiſcetur; indéque oriri ſalſedinem vrinæ & ſudoris, aduertit Ariſtoteles 1. Meteor. cap. 3. Eodem igitur modo, admiſſæ ſunt mari exhalationes incoctæ, non ex pluuiis eas admiſtas habentibus delapſæ, vt Ariſtoteles ſupra cenſuit; (ſic enim, & fluuij & lacus omnes, ſalſi eſſent) ſed diuina vi in mundi primordio, ad maris & piſcium putredinem inhibendam commixtæ, vt rectè ſtatuunt Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autol. Delrio & Cornelius in cap. 1. Geneſ. ad verſ. 9. Leſſius libro de prouidentia, num. 48 Molina diſtinct. 11. Coſmop. male repugnante Maiore in 2. diſtinct. 15. quæſt. 24. concluſ. 2. & ridiculè argumentante, ex eo quod Deus ab initio non fecerit mulam, ſed contentus fuerit eius cauſam procreare. Similiter enim infert, non feciſſe mare ſalſum, ſed fuiſſe contentum procreatione cauſarum à quibus poſſet ſalſum effici. At cauſas illas, præter eam quàm ipſi protulimus, nemo aſſignarit. Qua de re alibi plenè diſcuſſa, non eſt hîc diſſerendi locus. Præterquam quod etiam ſi daremus, mare non initio ad arcendam putredinem, ſed ſenſim duntaxat fuiſſe ſalſefactum, perinde nobis eſſet ad rem præſentem, in qua ſolliciti duntaxat ſumus, monſtrare humanum artificium ſalituræ corporum ne putreſcant, eſſe æmulum diuinæ artis, qua prouidit mari & contentis in eo piſcibus, ſuum ſalem, ne putreſcerent. Vnde ſi aquæ maris percolentur,

& exhalationes igneæ admiſtæ educantur, vna aliqua ex viis quas ſuppeditat Baptiſta à Porta l. 20. Magiæ Natur. c. 1. ac nominatim admota ſpongia ad aquam marinam lebeti ſucceñſo immiſſam, vt obſeruat S. Auguſtinus lib. imperfecto de Geneſi ad liter. c. 14. ac Vicomercatus ad 2. Meteor. c. 3. vel admoto lapide poroſo in formam ſpongiæ altera parte cauo; quales inueniri refert Hector Boëthius in Scotiæ deſcript. *fol.* 10. ſimiles illis pumicibus Tarraconenſibus qui aquam turbidam, ſecretis admixtis exhalationibus terreis, illicò emittunt puram & nitentem: Si inquam aquæ maris ad hunc modum percolentur, dulces fiunt, & breui putreſcunt, euidenti argumento quod abſceſſus ſalis ex admiſta vi magna halituum terreorum aduſtorum, putredinem inuexerit. Quæ cauſa inhibendæ putredinis, non deeſt aquis in fundo maris. Quamuis enim minùs ſalſæ ſint, quia ignea vis exhalationum illas potiùs effert, nec ſinit tanta copia ſubſidere, vnde ibi aquæ dulces videntur præ aquis marinis ſuperioribus (quod tamen volunt Scalig exerc. 51. Rondel. lib. 1. de piſc. cap. 13. & S. Thomas in 2. d. 14. q. vnica art. 5. ad 3.) ſunt tamen reuera ſalſæ.

Nitrum & Aphronitrum.

21. NItrum prodeſſe iis quæ inueterari volunt, aſſerit Plinius lib. 31. cap. 10. Et in eum finem, Perſas ſolitos ſuſpendere mortuos, & nitro condire, ac tum demum faſciis inuoluere, ſcribit Sextus Empyricus in Pyrrhon. hypotypoſ. cap. 24. Monſtrat verò ibidem Plinius, nitrum non eſſe foſſile quippiam, ſed aquam imbris fontiſve, in nitrum verti, poſtquàm euaneſcentibus conuallibus ſiccitate, condenſata à ſolo fuerit, & arefacta. Eius pars leuior nitro inſidens, & roribus effloreſcens Latinè *ſpuma nitri*, Græcè *Aphronitrum* appellatur, iuxta illud Poëtæ in Apophoretis.

> *Ruſticus es, neſcis quod Græco nomine dicar:*
> *Spuma vocor Nitri, dicor & Aphronitrum.*

Cadunt iſta in nitrum natiuum præter quod, eſt nitrum factitium, quod Arabes *Boracem* appellant, Græci *Chryſocollam*. Vſus tamen præſertim fuit nitri natiui, ad aſſeruãda cadauera apud Orientales iam olim, ob nitri vim deſiccantem, & aſtringentem inſigniter, quæ cauſa eſt, cur etiam in pretio fuerit ad vſum detergendi ac defricandi, & abluendi ſordes, iuxta illud Ierem. 2. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es.* Inde matronæ vt faciem exquiſitè mundarent, adhibebant nitrum, (quod facere Chriſtianam Virginem, vetabat S. Athanaſius lib. de virgine:) & apud Pollucem lib. 7. c. 22. in mundo muliebri recenſebatur nitrum quod inde denominatum *matronale*, vt eſt apud Nicolaum Myrepſum, & Trallianum, ac Marcellum Empyricum, quos adducit Delrio Adagio 819. Hæc vis detergendi ac defricandi nexa eſt cum vi inhibendi putredinem, nitro aſſignata.

Irrepſit apud Pierium Valerianum l. 5. cũ de canis hyerogliphico, mendum haud dubiè typographicum; quo apud eum, loco *nitri* ad inhibendam putredinem adhibiti, mentio eſt *vitri*: cuius vſum fuiſſe ait, apud Ægyptios ad aſſeruanda diu corpora. Fateor quidem, vitrum quod ſit poris deſtitutum, & exitum humidi interni prohibere poſſe, & obſtruere aditum operationi extrinſeci ambientis corrumpentis. Quo ſpectare poteſt, quod Benjaminus Tudelenſis in Itinerario *pag. mihi* 80. narrat de vrbe Chuzeſthan, olim Elam, inter fluente Tigri fluuio bipartita, in qua alternis annis transferri quondam ſolebat in alteram vrbis partem cippus Danielis vt eam bearet partem cui obtingebat illius poſſeſſio. Sed tantam mutationis frequentiam pertæſus Rex Perſarum, iuſſit, ſpatio inter vtramque vrbis partem diligenter dimenſo, corpus Danielis magnæ arcæ vitreæ incluſum, in medio illo loco, è trabe maxima æneis catenis ſuſpenſum haberi. Poteſt itaque ſine dubio, vitrum quod obſtructione ſua difflationem ſpirituum tenuiſſimorum in aqua vitæ & pleriſque chymicis ſuccis abditorum inhibet, & aëris externi impreſſiones retundit, aliquid conferre ad corporis putredinem remorandam. Vſos tamen ad hunc effectum veteres nitro, non vitro, eſt extra dubium: vitro hermeticè clauſo incluſæ carnes nunquam putreſcunt.

Cedria.

22. CEdria pix eſt, quam dat Cedrus magna, Plinio lib. 24. c. 5. dicta *cedrelate*. De vi Cedriæ vel Cedrij ad curanda funera, audi Plinium l. 16. c. 11. [Pix liquida in Europa è tæda coquitur, naualibus muniendis, multóſque ad alios vſus. Lignum eius concilum, furnis, vndique igni extra circundato feruet: primus ſudor, aquæ modo fluit canali, hoc in Syria *cedrium* vocatur, cui tanta vis eſt, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſeruentur. Sequens liquor, craſſior iam, picem fundit.] Idem capite illo 5. libri 24. [Cedrus magna quam *Cedrelatem* vocant, dat picem quæ *Cedria* vocatur, *&c.* Defuncta corpora, incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit; mira differentia; cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit] Hanc ob cauſam, iuxta Dioſcoridem cap. 89. à quibuſdam dicta eſt *νεκρῶν ζωὴ*. Depaſcitur enim humiditates corporum, vt Galenus lib. 7. de facult. medicam. annotauit, poſt Theophraſtum libro 5. hiſtoriæ plantarum, cap. 28. ſicque arcet putredinem. At ob eandem vim inſigniter arefacientem & calefacientem, exitio eſt viuentium corporibus. vt Ægineta lib. 7. animaduertit. Pleniſſimè de Cedria Petrus Bellonius lib. de arboribus Coniferis præſertim à pag. 13. & lib. 3. de funere Medicato cap. 1. & optimè ac diligenter Author Generalis Hiſtoriæ Plantarum Rouillio inſcriptæ & Guilandinus Tract. de papyro, membro 24.

23. Nec corpora duntaxat, ſed etiam alia quibus adhibetur, cedrino ſucco peruncta reddi incorrupta, Vitruuius docet lib. 2. de archit. cap. 9. annuitque Martianus lib. 2. Nimirum adhibebatur ſuccus cedrinus, ad conciliandam chartæ incorruptionem ac perennitatem: Quò ſpectat illud Sympronıani ad S. Pacianum, vt iſte refert epiſt. 2. [Literas tuas, viuaci cedro perlinam, propter carioſos hoſtes Muſarum.] Muſarum hoſtes, exponente continenter Paciano,

no, accepit Symphonianus, pro tineis chartas perſequentibus, niſi cedrinus ſuccus prohiberet, auertens tineas. Eodem ſimiliter refertur illud libri de ſe apud Naſonem 3. Triſt. Eleg. 1. *Quod neque ſum cedro flauus.* Rurſúſque. *Nec titulus minio nec cedro charta notatur.* item illud Perſij Satyr. 1. *Et cedro digna locutus.* Eſt & illud Flacci in Arte Poëtica.

Animos ærugo & cura peculi
Cum ſemel imbuerit, ſperemus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo.

14. Vbi Acron & Porphyrius, ſubmotionem tinearum inde fieri animaduertunt, notáque eundem locum exponens Ioannes Baptiſta Pignea, cedrum ibi adhiberi à Poëta adlinendum; id eſt ſuccum cedrinum; cupreſſum verò ad ſeruandum contegenda vtraque tabella cupreſſo. Numa vt ex Plinio lib. 13. c. 13. *initio* colligitur, & habetur etiã ex Liuio l. 40. Plutarcho in Numa, Lactantio 1. Inſtit. c. 22. Auguſtino 7. Ciuit. c. 34. & aliis, libros quos vna ſecum defodi iuſſit, vt diu perſtarent illæſi, cedri ſucco obduci voluit, & cedrinis candelis, ex eadem ſcilicet materia confectis, tegi, vt eo duplici monimento, arceretur quàm diutiſſimè putredine; interiùs quidem per ſuccum illitum; exteriùs verò per tegmen candelarum. In quam rem plurihus ac peremdite Guilládinus Tract. de papyro. Membro 24. Veteres item, ſimulachra Deorum ex cedro factitaſſe; quod æternitas ſit materiæ cedrinæ, Plinius auihor eſt l. 13. c. 9. Templorum item contignationes eam ob cauſam, è cedro curatæ. Quod autem cedri materia naturæ ſuæ ſponte humorem emittat, vt fermè cæteræ quibus eſt humor oleoſus; inde Cœlius Calcagninus Opuſculo de *citrio cedro*, *& citro*, colligit, nihil mirum videri oportere, ſi quando Deorum ſtatuæ ex cedrina materia compingi ſolitæ dicantur ſudaſſe; idque prodigij loco fruſtra habitum.

15. Eam ipſam ob cauſam æternitatis materiæ cedrinæ, qua dixi motos Ethnicos ad Deorum ſtatuas è cedro efformandas, idem à poſteris circa auorum effigies ſeruatum, docent illa Maronis lib. 7.

Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum,
Antiqua ex cedro.

Vbi Seruius, & diſtinctiùs Donatus, lignum & ſuccum cedrinum, conciliare incorruptionem tradunt; & idcirco adhibita ad vſum Imaginum. Rectè verò obſeruauit Pancirolus lib. de veteribus deperditis, cap. *de characteribus literarum*, cedrum de qua hactenus, non eſſe intelligendam citrum è qua mala citria naſcuntur,) tametſi ea quoque arbor Italico vernaculo idiomate nunc *cedrus* appelletur,) *Sed cedri* nomine apud antiquos quos adduximus, ſignificari cedrum ſimpliciter dictam quæ in Libano copioſa & eximia progignitur: conſentitque cum Authore Generalis Hiſtoriæ plantarum, poſt longam ea de re diſputationem. Biſciola t. 1. ſubſec. lib. 20. cap. 13.

Aſphaltum & Piſſaſphaltum.

16. ASphaltum, bitumẽ eſt, quod pro Mumia ab aliquibus vſurpari Author eſt Braſſauolus in Exam. terrar. Vulgò Aſphaltum cum Piſſaſphalto confundunt, errore non leui. Nam Aſphaltum pretioſum, ex Diodoro agente de Iudæa, ſupernatat mari mortuo, & inde colligitur nigrore teterrimo, digitis facilè comminutum, facilè item flagrans & grauis odoris. Lucidiſſimè de eo Libauius p. 3. ſingularium lib. 7. per nouem prima capita. At Piſſaſphaltum (ſic dictum, non quod ex pice ac bitumine conſtet, ſed quod vtrumque oleat, vt contra Plinium diſputat Seuerinus Gœbelius lib. 2. de ſuccino;) effoditur velut carbo terrenus: vel impetu fluminis captum ac deuolutum æſtu, in littus exponitur, vt dixit Dioſcorides cap. 84. de Ceraunijs montibus prouolui docens. Aliqui vocant picem ſiccam. Longè ergo à Piſſaſphalto differt Aſphaltum. Quanquam affinitas vtrique eſt natalium, meliore tantùm ſiccatione adhibita, quod ex Medici Galli Epiſtola in hunc ferè modum deſcribit Conradus Geſnerus, Corollario de bitumine, ſubiexto tractationi Seuerini Gœbelij de Bitumine, agens de fonticulo Gergoniæ, nunc Claromontis apud Aruernos. Ibi in extrema pratorum ora collis eſt lapidoſus & aridus, cuius ſolum nigricat. Ex eius collis radica fons proſilit, aqua non ſupra tres digitos extante. Eodem ergo vnde fons ſcaturit, bitumen fluit, principio adipis aut olei modo innatans aquæ, quod tunc vera Naphtha ſiue petroleum cenſetur. Poſt aliquod tempus, ſpiſſatur inſtar glutinis, tantámque contrahit tenacitatem, vt adhæreſcentia quæquè ægrè auellantur. Equi illac æſtate tranſeuntes, cum ſolo ea materia perfuſo colluctantes, ægrè extricantur. Et tunc verum bitumen & Aſphaltum exiſtit. Idem vlteriore temporis progreſſu, ſole reſiccatum & aquis verberatum, ſic coit, vt pix videatur; & tũc eſt verum Piſſaſphaltum, quod vt pix obdureſcit, & abundat circa fonticuli margines. Si multo maior intercedat mora, & Piſſaſphaltum in terræ viſceribus magis reſiccetur & obdureſcat, exiſtit Gagates. Itaque Naphtha primùm in Aſphaltum tum in Piſſaſphaltum, deníque in Gagatem conuertitur. Ac proinde eſt affinitas Aſphalto & Piſſaſphalto, vt nominis, ita & natalium: tametſi differt verè Piſſaſphaltum ab Aſphalto. Huius bituminis grumis cum aqua fuſis à fluuio Is, haud procul Babylone, Semiramis tanquam cœmento vſa eſt, cõſolens perennitati murorum queis cingebat Babylonem. Prudenè. Nam ad Gergouiam, iuxta fontem è quo Aſphaltus prodit, ſacellum vetus eo veluti cœmento compactum monſtratur, aduerſùs omnes cœli & malleorum iniurias validiſſimum. Eodémque modo Saxones aduerſùs aëris iniurias, poſtes ligneos perungunt Aſphalto. Ferrea item & ærea opificia, ne ferrugine ac ærugine vitientur, eodem præſidio firmantur. Olim ſtatuis illinebatur, ne carie aut tabe tentarentur. Pecoribus & iumentis illitum, arcet ſcabiem. Vt minùs mirum ſit, cadauerum quoque putredinem, adhibito aſphalto præcaueris Tricas & lites Recentiorum circa Piſſaſphaltum refert & excutit latè Andr. Libauius ſingular. p. 3. l. 7. à c. 11.

Ex his liquet, non dixiſſe incredibilia qui aſſeruerunt bitumen commodare ad incorruptionem conciliandam, tametſi Leo Allatius in animaduerſionibus aduerſus librum de Antiq. Ethruſcis à num.83. latiſſimè nititur in contrarium, eo in primis argumento quod repoſitum in cella bitumen æquè ac pia & ſimilia circumadſtantem terram vndique attrahant, eámque ſi modica fuerit imbuient in ſeſe: at ſi multa aggeretur vi ſua ſpolientur & degenerent in terram, & quam diutiùs facultatem pura ſeruarint, mixta ſenſim deperdant, adeò vt vix quod fuerint agnoſcantur. Conſtat ſanè bitumen ſi extra natalem locum educatur, veluti mortuum, euigeſcere, & aliis rebus admiſtum languorem ac lentorem contrahere, & ſenſim in aliam formam migrare. Firmitatem verò murorum Babylonicorum quam vulgus bitumini tribuit, in lateritiam materiam cenſet referendam Author prædictus cum Plinio l. 35. c. 14. & l. 7. c. 56 ac Vitruuio l. 2. c. 8. firmitatem & perennitatem materiæ lateritiæ celebrantibus: idem ſtatuit de turre Sennaar quam ſtructã adhibito bitumine pro cœmento habet vulgatus Gen. 11. & ex oculatis teſtibus confirmat Theodoretus q. 59. in Geneſ. confutans eos qui bitumen interſtratum lateribus in turri Sennaar, dixerant eſſe calcem viuam, quæ fuit Oleaſtri opinatio poſt Diodorum Tarſenſem. At bitumen arcæ de quo Geneſ. 6. idem Allatius ibid. num. 87. & in Notis ad Euſtathij Antiocheni Hexaëmeron pag. 2.0 incorruptum perſtitiſſe cẽſet non vi ſua ac innata facultate, ſed miraculo, vt mortales monimentum perenne haberent diuinæ in noxios iuſtitiæ atque miſericordiæ.

Hæc diſputatio quicquid ſit, an valeat in materia ad quam eſt adhibita, vniuersè loquendo eſt plane inanis, cum conſtet Aſphaltum eſſe genus bituminis, & tamen vel ipſo Allatio aſſentiente num. 84. Aſphaltum conciliandæ incorruptioni ſit opportunum. Quod verò duratio tanta murorum Babyloniorum ex ſolis lateribus prouenerit, gratis dictum eſt, cum & materia lateritia & bitumen interſtratum potuerit ad eam durationem conferre, vt agnoſcunt Herodotus lib. 1. Iuſtinus l. 1. Curtius l. 5. Tzetzes Chiliade 9. hiſtor. 275. & paſſim alij. Idem dico de turri Sennaar cuius ad lateres vinciendos bitumen poſt annos vltra bis mille iam durarat cum ſcriberet Theodoretus, qui auditos ſibi ait qui bitumen coctilibus lateribus ſubſtratum attrectaſſent ac conſpexiſſent. Longiſſimam denique bituminis arcæ Noëticæ durationem à Ioſepho l. 1. antiq. c. 4. & Euſebio l. 9. de præpar. & in Chronico ex Abydeno & Alexandro Polyhiſtore memoratam, referre ad miraculum videtur voluntarium. Itaque non videtur ambigendum, quin bitumen, & nominatim quod Aſphaltum dicitur durandis & ad tempora omnino longa à carie arcendis cadaueribus poſſit conducere quod Author cum quo agimus num. 83. ex αὐτοψίᾳ confirmat, mox infirmaturus, ſed (vt monſtraui,) parum ſolidè.

***

Myrrha & Balſamum natiuum atque ſuffectum.

16. MYrrha ſuccus eſt, arbuſculæ cognomine, vel ſponte exillans, (vnde exiſtit ſtacte, in Scripturis dicitur aliquando *myrrha electa* aut *myrrha prima*, vt latiſſimè ea ponit Fortunatus Scachus myrothecio 2. c. 8.) vel factitia & artificio expreſſa. De myrrha natiua ſiue parte ſtillante Myrrhæ arboris Indicæ, Adonem procreantis fabulam, ſic exponit Fulgentius Mythologus l. 3. c. de myrrha. Myrrha arbor Indica, dum grandioris fuerit roboris, Solis ardoribus crepans, rhagades efficit, per quas ſuccum deſudat, quod Myrrha dicitur, & redolentibus lachrymoſa guttulis, fletus ſuaues ſciſſuris hiantibus iaculatur, vnde Adonem genuiſſe ferunt: Adon Græcè ſuauitas dicitur. Et quia hæc ſpecies odore ſuauis eſt, Adonem dicitur genuiſſe.] Addit de admodùm feruida vi huius pigmenti, ex Petronio Satirio Comœdiarum ſcriptore, vinum myrrhinum ad incendendam libidinem adhibitum notantibus. Qua ipſa ex cauſa ad corporum conditurum & auertendam putredinem eſt accommodata. Et ſanè iam olim myrrha vt conſtat ex Ioan. 19. in curandis defunctorum corporibus, vſui fuit apud Hebræos; nec pauci Patres, myſticè myrrham Chriſto infanti à Magis oblatam, referunt ad inſinuationem ſepulturæ Chriſti. Sic Prudentius Hymno de Epiphania, myrrheum puluerem, Chriſti ſepulchrum prædocuiſſe tradit. Annuúntque Nazianz. orat. 38. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 2. Theophylactus in c. 2. Matth. Philo Carpathius ad illud Cantic. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit*, aliíque paſſim. Ex eo verò quod circa Chriſtum vſurpatum eſt, inualuit vſus inter Chriſtianos, condiendi cadauera, myrrha adhibita, iuxta illud Prudentij Hymno de defunctis.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea, mos eſt:
Aſperſáque myrrha Sabæa,
Corpus medicamine ſeruat.

17. Quanquam Ethnicos quoque, myrrham ad conditurum corporum adhibuiſſe Martialis docet, memorans redolentem funera myrrham. Hodiéque myrrheus puluis in nobilium corporibus condiendis adhibetur. Sed ſicut vinum myrrhinum ex Æliano lib. 12. variæ hiſtor. dicitur quod eſt vnguento commiſtum: ita myrrheus puluis, eſt puluis factitius ex multiplici mixtura, quem aliqui *balſamum* nominant, pro more Seplaſiariorum, vocibus magnificis exprimendi, quæ viliora haberentur, ſi nudè ſub propriis vocibus ea biberentur. Paracelſus tamen nomine *balſami* præſeruantis, ſalem intelligit, qualem in nobis ipſis agnoſcit, vt etiamnum viuentes, præſeruemur à putredine; quod pluribus excutit Thomas Eraſtu, lib. de auro potabili *pag.* 28.

18. Non nego balſamo natiuo efficacitatem ad effectum de quo agimus. Pro recepta namque catachreſi, *balſamum*, dico, quod *opobalſamum* dicere oportuerat; cum *balſamum* iuxta Seruium, propriè ſit ipſa arbor; (*xylobalſamum* paſſim dicta apud Bellonium l. 2. obſeru. c. 39.) *opobalſamum*

opobalſamum verò, lectus ex ea arbore ſuccus. Sed vſus rigorem illum molliuit, & *balſami* vox de ſucco ipſo loquendo, vſurpatur: iuxta illud Claudiani in Palladij Epithalamiu.

Gemmatis alij per totum balſama tectum
Effudere cadis duro quæ ſaucius vngue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Durum vnguem dicit, ferreum, quo incidebatur arbor, vt ſuccus manaret: etiam Plinius, Solinus, aliíque emori protinus arborem ſi ferro contingatur, prodiderunt: & ferro iuxta adpoſito, metu antequàm contingatur exhorreſcere, ſcribit Tacitus, Annali 21. Itaque lapideis oſſeiſve cultellis, aut lapidis fragmine vel teſta, aperiendem arborem monuerunt. Qua de re alibi diligentiùs, tractandu ſuccos plantarum, & Chifflectius l. 5. dædalmatum c. 17. Natiuum itaque balſamum, ſiue opobalſamum, ex prædicta arbore lectum, eſſe opportunum ad inhibendam putredinem, ſi cadaueri illinatur, non dubito. Idque fert inſcriptio Hiſpanica vetus, his concepta verbis. *Mater ad luctum & gemitum relicta, cum lachrymis & opobalſamo vdum, hoc in ſepulchro condidit.* Vtique filij cadauer inunxerat mater opobalſamo, vt diuturniùs præſtaret. Ex conditionibus enim & qualitatibus balſamo propriis, de quibus fusè Ruellius lib. 1. de natur. ſtirp. cap. 35. Nicolaus Guibertus Opuſculo de balſamo. Matthiol. ad 1. Dioſc. cap. 18. & alij, manifeſtè habetur, opportuniſſimum eſſe opobalſamum ad conciliandam cadaueribus incorruptionem Et diſertè Guibertus Opuſc. citato cap. vltimo, condiri olim natino balſamo ſolita Regum corpora docet. Itaque fruſtra ſudat nuperus Author cap. 39. ad quæſita ſecundò per Epiſtolam in quem his primùm editis incidi, fruſta inquam laborat, vt probet balſamum natiuum nunquam fuiſſe adhibitum condiendis defunctorum cadaueribus, tametſi fatetur, fore ad ea conſeruanda opportuniſſimum. Ego verò tametſi facilè dem, perrarum fuiſſe natiui balſami vſum ad hunc effectum, ob eius penuriam & immenſum pretium; tamen quin aliquando ſit ad hoc à Regibus & copioſis adbibitum, diffiteri non puto oportere, præſertim cum præter exempla tacta, Aponenſis ſect. 21. problem. 5. teſtari videatur, balſamum æquè ac myrram, & aloën, ad hunc vſum adhiberi ſolitum, vtique ab iis qui ſumptibus pares eſſe poſſent.

19. Qui deſtituebantur natino balſamo, quod habebatur pretioſiſſimum ob raritatem, adhibebant ſuccum aliquem aut liquorem affinem, V. G. ſpicam nardi; vnguen inquam è radice, nardi ſpicam referens, quod erat admodùm pretioſum, vt habetur ex Plinio ac Dioſcoride, quos profert in eam rem Marianus Victorius, altero ad Hieronymum indice V. *Nardus.* Hoc enim vnguen adhiberi defunctis ſolitum velut in ſupplementum natiui Balſami, intelligitur ex illis Chriſti verbis de Magdalena à qua delibutus fuerat affuſo eo vnguine. *Præuenit vngere corpus meum in ſepulturam.* Et *Mittens vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Ioannes paulò aliter quoad extimum verborum corticem, ſed reipſa eadem ſententia, *In diem ſepulturæ meæ ſeruauit illud.* Hæc enim Chriſti verba, apertè ferunt huiuſmodi affuſionem vnguinis nardini, fieri ſolitam cadaueribus defunctorum cum natiuum balſamum deerat, vt paſſim deerat in magna copia & ad vngendum corpus integrum accommodata.

20. Vnguen porrò illud nardinum, tunc habebatur pretioſius, cum ex ea quam dixi radice, ſpicæ ſimili, conficiebatur. Proptereàque Marcus illud dixit *ſpicatum.* Alij Euangeliſtæ vocant *piſticum* πιστικὴν ἀντὶ τ̃ πιστῆς, hoc eſt non ſolidum, ſed potabile & fluidum. Naſo, *liquidam* vocauit eo verſu.

Nec coma vos fallat, liquida nitidiſſima nardo.

Niſi per metatheſim πιστικῆς pro σπικατῆς, vel σπικατῆς, vt idem ſit *piſtici* quod *ſpicati*: quod placet Corderio in Catena ad cap. 19. Lucæ & præiuerat Fräciſcus Lucas Notatione 465. in Biblia. Quamuis enim vnguentum nardinum, & ex foliis & ex ſpica nardi conficiebatur, tamen quod ex ſpica erat, ob vberiorem medullam atque ſubſtantiam, pretioſius habebatur: eóque vſa eſt Magdalena, præueniens vngere corpus Chriſti in ſepulturam: id eſt Chriſto ſuperſtiti exhibens officium quod exhibebatur defunctorum corporibus, vt eorum incorruptelæ proſpiceretur, adhibito alio viliore cum balſamum natiuum deerat, vt reuera paſſim deerat, extra Regum funera Et propterea vnguen huiuſcemodi rectè vocatur balſamum ſuffectum.

Aloë.

21. DIſertè S. Ioannes cap. 19. aloën, myrrhæ (de qua proximè) ſubnectit in curatione cadauerum, dicens Nicodemum ad curandum Chriſti demortui corpus, nullis parcentem expenſis, tuliſſe mixturam myrrhæ & aloës, quaſi libras centum. Similitérque Cant. 4. nectuntur myrrha & aloë, cum vniuerſis primis vnguentis; vbi retinenda eſt vulgatæ editionis lectio quæ *aloën* habet, dimiſſa aliquorum minùs ſolida coniectura, qui aloëm à vulgato Interprete dictam putant, fragrantem ſpeciem, quam Hebræus contextus vocat *ahaloth*, nomine ad *aloën* accedente. Sed vnde habent hi coniectores, vocem illam Hebræam, aliod quippiam ſignificare quàm aloën ab Interprete vulgato ſubiectam notioni illius Hebræi nominis?

Aloë igitur (præſertim aliis fragrantibus ſpeciebus admiſta, vt factum eſt à Nicodemo,) poteſt ad corporum conſeruationem conducere. Et idcirco Nicodemus citam Chriſti reſurrectionem non præſentiens, vberi aloë Chriſti corpus obliuit, ne putreſceret, vt S. Chryſoſtomus notauit homil. 84. in Ioann. Inſuper tanquam rem aromaticam, vnà cum aliis eiuſdem efficaciæ rebus, olim veteres Chriſtiani, aloën offerebant ad Sanctorum tumulos, vt apertè docent illa S. Gregorij lib. 7. indict. 2. Epiſt. 35. [Aloën, thymiama, ſtyracem, & balſamum, ſanctorum Martyrum corporibus offerenda, latore præſentium deferente, tranſmiſimus.] In veteri (vt vocant) lectionario, quod ante annos nongentos exaratum, aſſeruari in Bibliotheca Vaticana, ſcribit Franciſcus Maria Turrigius lib. de ſacris B. Petri trophæis c. 3. cum deſcribitur B. Petri ſepultura, leguntur hæc verba. [Marcellus

(nomen

(nomen eſt Presbyteri, de quo in Actis Petri per Linum) non expectata alienius ſententia, propriis manibus depoſuit corpus eius, (Petri) & lauit de vino optimo. Myrrha etiam, & Maſtice, & Aloë, & Stacte, & folio cum aromatibus eum ex omni parte iniuit. Melle quoque optimo repleuit ſarcophagum, atque ita corpus eius in ſarcophago conditum collocauit.] Aponenſis ad ſect. 21. probl. 5. aloën numerat inter ea quæ putredinem inhibent, ideirco quod [quantum ex corporibus euaporat intus, tantum reſoluit extra.] Senſus eſt aloën ſua ſiccitate conſumere humidum internum ſuperfluum, paratum ebullire ac putreſcere vi calidi ambientis. Aloëm amariſſimam, vſui de quo agimus ac ſimilibus. de quibus Plinius l. 27. c. 7. inſeruientem, ab aloë odorata ſecernit Pineda l. 5. de Salom. c. 41. §. 9. num. 3. quod alibi eſt diiudicandum.

Cera.

22. CEra conditi ſolitos defunctos à Perſis, & eo munimento cadauera aduerſus putredinem firmari, compertum eſt ex Tullio 1. Tuſcul. ac ex Herodoto lib. 1. idem Scythis tribuere lib. 4. Eâque ex cauſa, Cornelius Nepos, (ſiue Æmilius Probus,) teſtatur, Ageſilaï corpus cera circumlitum eſſe ab amicis deficiente melle, vt corpus Spartam referri poſſet incorruptum, cum Ageſilaus Cyrenas inter & Ægyptum, ex morbo exceſſiſſet. Linteo cerato in finem inuolutum S. Anſberti corpus ſcribit Angradus, Et Hiltegart Comitiſſa, corpus S. Vdalrici, cameſali cerato ſupra alias veſtes circundato, muniri curauit. Crediderim de huiuſmodi conditura per ceram, accipiendum eſſe quod eſt quod Fabium l. 6. cap. 2. de forma quæ in Epilogo ad miſericordiam commouendam ſæpiùs proferebatur. [Et prolata nouiſſimè deformitate ipſa, (nam ceris cadauer attulerant infuſum) præteritam quoque orationis gratiam perdidit.] Siue legas cum Turnebo 29. aduerſ. cap. 13 *ceris cadauer infuſum*, ſiue cum aliis, *cera cadaueri infuſa* perinde eſt. Sed quod Turnebus ibidem Fabium exponit de ſenis imagine expreſſa ceris, (pro antiquo vſu pictorum ceras multicolores tabulis inurendi, iuxta illud Naſonis 3. Faſtor. *Tabuláſque coloribus vriſ*,) minùs arridet. Sic enim non fuiſſet allatum cadauer quod diſertè affirmat Fabius, ſed imago expreſſa à pictore. Itaque nihil obeſt, quominus cortici verborum inſiſtentes, cadauer cera infuſum, intelligamus cadauer cera infuſa corruptione prohibitum, qualia ab aliis interuentu ceræ ſeruata diximus. Nam cera calore ſuo fouet internum miſti calorem; itémque viſciditate ſua atque craſſitie, obſtruit vias quibus partes miſti calidæ & humidæ euaporare poſſint. Eadémque opera, arcet calidum ambiens, vim ſuam per poros miſti inſinuaturum ſi hoc munimentum deeſſet. De vi medica ceræ ad tabem à corporibus arcendam, videndus Aldrouandus. agens de apibus, ad quarum opificium ſpectat cera.

Mel.

23. MEl cadauera putredine prohibet. Teſtatur Plinius lib. 21. cap. 24. Claudij principatu, viſum abs ſe Theſſalicum Hippocentaurum, allatum ex Ægypto ad Imperatorem in melle, vt conſeruaretur. Similiter hominem marinum (ſcribit Alexander Neapol. lib. 3. genial. cap. 8.) ſuo tempore ex vltima Mauritania allatum in melle, vultu & corpore prorſus humano, abſoluta ſimilitudine pube tenus, poſtremis verò deſinentibus; mellis beneficio, diu ſeruatum à putredine immunem. Cleomenes Lacon, referente Æliano l. 12. var. hiſtor. cum Archonidi iureiurando confirmaſſet, ſi rerum potiretur, ſe omnia cum eius capite tractaturum, aſſecutus intentum, archonidem obtruncauit, cuius caput, vaſi pleno melle ne putreſceret, impoſuit; & quoties aliquid agendum eſſet, caput deflectebat in vrnam, conſilium ſe cum Archonidis capite ſumere comminiſcens. Seruauit igitur incorruptum miſeri ſocij caput in melle. Et ſanè Columella l. 12. cadauer melle delibutum, teſtatur integrum ſeruari ad annos multos. Eâque ex cauſa, Græcos ſepelire in melle ſolitos, ſcribit Xenophon lib. 5. rerum Græcanic. Præceptum id fuiſſe à Democrito, tradit Varro in Sicomachia. [Heraclides Ponticus (inquit Varro) plus ſapit, qui præcepit vt comburerent, quàm Democritus, qui vt in melle ſeruarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſemus.] Volebat Democritus, ſic melle condiri corpora, vt perſtarent incorrupta, eſſéntque aptiora in quæ denuò anima per reſurrectionem migraret, vt Plinius notauit lib. 7. cap. 55. Eandem cadaueris melle adhibito condituram, videtur ſpectaſſe Lucretius in 3. cum ſic cecinit.

Aut in melle ſitum ſuffocari, atque rigore
Frigore, cum in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi.

24. Alexandrum ad ſepulturam datum, melle conditum, habet Statius, ſicque eius corpus vult perſtitiſſe illæſum. Ait enim 3. Sylu.

Duc & ad Æmathios manes, vbi belliger vrbis
Conditor, Hyblæo perfuſus nectare durat.

Teſte Euſtathio in Commentariis ad Dionyſium de ſitu orbis diu poſt tumulationem, repoſitum eſt in arca vitrea Alexandri cadauer per Ptolomæum, qui *Cocles* eſt cognominatus. Et in ea arca Auguſtum inſpexiſſe integrum Alexandri corpus & attrectaſſe, ita vt naſi quoque particulam fregerit, ſcribit Dio Caſſius lib. 51. & narrans adeuntem ad hanc inſpectionem Auguſtum. Lucanus lib. 10. notans fortunam manibus ſepulti peperciſſe; nempe quia eius cadauer vi mellis quo oblitum eſt, durauit incorruptum. Fuiſſe tamen, qui eius incorruptionem retulerint ad aquæ Stygiæ potum, ſupra retuli cap. 5. potuit vtraque cauſa diuerſis temporibus admota, ad id conferre, ſi verè prior illa (de qua planè non liquet) eſt admota. Deſcribens item Iuſtini Imperatoris funus Corippus; mel

curando

curando cadaueri adhibitum meminit, ſed admiſtum aliis odoratis. Sic enim canit.

Thura Sabaea cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum alia ſpecies vnguentáque mira teruntur
Tempus in aeternum, ſacrum ſeruantia corpus.

Ageſipolim Spartiatem è Macedonia redeuntem, ad Cylinthum oppidum morbo oppreſſum, in melle Spartam relatum eſſe, ſcribit Xenophon l.5.de geſtis Græc. Herodotus lib.4. eum in melle ſepeliendi morem tribuit Scythis. De vi mellis ad hunc effectum, videndus Aldrouandus ſuprà, ac Ludouicus Cœlius lib.28. Lectionum antiquar. cap.27. & Mercurial. l.2. var. cap.24. Verum eſt quod notauit Scaliger exerc.179. melle multa vitiari, ob plurimam eius humiditatem, nec imbecillem: vnde fit, vt fructus plerique à melle corrumpantur. Tamen cum res quæ melle perfunditur, eſt parcè humida, mel rem ſeruat incorruptam ad non breuem moram, vt idem Scaliger fatetur.

Et ea ex cauſa, viuentibus quoque, mel prorogat vitam, vt diſſerit Lycus apud Athenæum lib.1.c.3. & eruditè Petrus Victorius l.19. var. lect. c.1. Et confirmatur à Bernardino Gomeſio lib.5. de ſale, numer.8. exemplo incolarum Corſicæ Inſulæ, qui ex aſſiduo mellis quo abundant vſu, diuturnioris ſunt vitæ. Addit & alios qui longam ſenectam tolerarunt, mulſi tantùm intinctu. Quam in rem Galenus l.5. de valetud. tuenda c.4. adducit exemplum Telephi Grammatici, ea arte ad centum vitæ annos progreſſi. Sed maximè in eam rem celebre eſt Pollionis Romuli exemplum, quem centenario maiorem, roganti Auguſto quomodo ad eam pertigiſſet ætatem robuſtus ac vegetus, reſpondiſſe ferunt; ſe id boni adeptum, vtendo, intus mulſo, foris oleo. *Mulſum* vocabat, vinum mellis admiſtione temperatum, quod aliter dicitur *vinum conditum*, vt eſt apud Cælium Aurelian. l.5. Chron.c.1. Et quia ea temperatione ſimul vini auſteritas & crudiras leuabatur, ſimul ſuauitas palato grata augebatur; Plinius lib.22. cap.24. de Varronis ſententia dixit, regiam potionem eſſe mulſum, vnde morbum arquatum, appellari regium morbum, quod mulſo curetur. Quanquam non fuit ea potio, Regum peculiaris & propria, cum de homine priuato ſcribat Flaccus 2. ſerm.4.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno,

Et Maro 4. Georgic. indiſcriminatim monebat,

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura ſaporem.

Hoc igitur eſt quod mulſum dicebant, ſi Plinio & paſſim aliis credimus: quanquam Vlpianus tit. de oleo, tritico & vino legato, mulſum ab Oenomelite, perſpicuè ſecernit, & illud nomine vini venire, non illud confirmat.

* * *

Theoph. Rayn. Philologica.

Sol exſiccans.

25. NVmerabant quoque inter naturalia inhibitiua putredinis, ſol exſiccans, in quam rem latè diſſerit Macrobius lib.7. Saturn. cap.16. occaſione propoſitæ ab Euangelo dubitationis, vnde factum eſſet, vt è pluribus apris de Tiburtino agro exhibitis, aliqui computruiſſent, non item alij. [Quia enim diutulè continuata venatio fuerat, perlati ſunt alij interdiu, noctu alij. Quos perduxit dies, integra carnis incolumitate durarunt: qui vero per noctem lunari plenitudine lucente portati ſunt, putruerunt. Quæſitum igitur eſt, cur noxam quam pecudibus occiſis Solis radij non dederunt, Lunare lumen effecerit.] Hanc dubitationem Diſarius Medicus quem Macrobius ibi philoſophantem inducit, diſſoluit in hunc modum, appoſitè ad intelligendum quo pacto Sol exſiccans, inhibeat putredinem. [Nullius rei fit aliquando putredo, niſi calor humórque conuenerint. Pecudum autem putredo, nihil aliud eſt, niſi cum defluxio quædam latens, ſoliditatem carnis in humorem reſoluit. Calor autem ſi temperatus ſit & modicus, nutrit humores: ſi nimius, exſiccat, & habitudinem carnis extenuat. Ergo de corporibus enectis, Sol, vi maioris caloris, haurit humorem: Lunare lumen, in quo eſt non manifeſtus calor, ſed occultus tepor, magis diffundit humecta. Et inde prouenit iniecto tepore, & aucto humore, putredo.] Hæc fuit Diſarij de inhibita per ſolare lumen putredine, ratiocinatio.

26. Expilauit Macrobius Plutarchum 3. Sympoſ. q.10. apud quem Moſchion Medicus latè in eandem ſententiam diſputans, vterque in contrarium Plutarcho, argumenta profert quæ Macrobius adſcribit Euſtathio, contendenti non ſummiſſiorem Lunæ calorem humores diffundentem putrefacere, ſed peculiarem caloris Lunaris proprietatem. Sol enim cum minùs feruet, puta hyeme, non putrefacit carnes, quod facit æſtate, cum acrior & fortior eſt eius calor. Itaque quod Lunare lumen putrefaciat carnes quas ſolare fouet & ſeruat integras, non ad caloris Lunaris tenuitatem referendum eſſe pronunciat, ſed ad illius caloris vim humefacientem, quæ corpori cui infunditur, putrefactionem conciliet. Eam vim Lunæ corpulentam & malefacientem, multis experimentis confirmat Plutarchus, à Macrobiano Euſtathio expreſſus. Nam ſi quis diu, ſub Luna ſomno ſe dederit, ægrè excitatur, & proximus fit inſano, pondere preſſus humoris qui in omne eius corpus diffuſus atque diſperſus eſt, proprietate Lunari, quæ vt corpus infudat, omnes eius aperit & laxat meatus; quod experiuntur puerperæ, quibus Lucina, hoc eſt Luna, diſtendens meatus, accelerando partui ſalutaris, inuocabatur apud Ethnicos. [Sed & ligna, quæ vel Luna iam plena, vel adhuc creſcente deiecta ſunt, inepta ſunt fabricis, quaſi emollita per humoris cōceptionem. Et agricolis curæ eſt, frumenta de agris nonniſi Luna deficiente colligere, vt ſicca permaneant. Contra, quæ humecta deſiderantur, Luna

creſcente conficiuntur. Tunc & arbores aptiùs ſeruntur, maximè cum illa eſt ſuper terram; quia ad incrementa ſtirpium, neceſſarium eſt humoris alimentum. Aër ipſe proprietatem Lunaris humoris, & paritur, & prodit. Nam cum Luna plena eſt, vel cum naſcitur, (& tunc enim à parte qua ſurſum ſuſpicit, plena eſt;) aër aut in pluuiam ſoluitur, aut ſi ſudus ſit, multum de ſe roris emittit. Vnde Alcman Lyricus, dixit rorem Aëris & Lunæ filium. Ita vndique verum probatur, ad humectandas diſſoluendáſque carnes, ineſſe Lunari lumini proprietatem, quam magis vſus quàm ratio deprehendit. Vſu enim deprehendimus, certò ita eſſe; circa cauſam fluctuamus.] Hæc eſt Euſtathij apud Macrobium expreſſa ex Plutarcho diſputatio, aduersùs adſcriptam tenuiori Lunæ calori putrefactionem: quæ ſi à calore illo quia remiſſiore prodiret, non conſequeretur feruorem caloris æſtiui.

27. In hac Plutarchi & Euſtathij diſputatione, improbandum eſt, quod calori Lunari peculiaris efficacia ad humefaciendum & putrefaciendum adſcribitur; ſi intelligatur de vi ſpecifica caloris, non autem de vi aliqua concomitante vim calefactiuam Lunarem. Id enim non poſſe tribui luci Lunari; & Solari negari, inde euincitur; quod omnia Lumina ſunt eiuſdem ſpeciei; vt rectè ſtatuunt Conimbr. 2. Cœli cap. 7. quæſt. 5. artic. 1. allegato D. Thoma, in 4. d. 44. q. 2. artic. 4. prolatis autem pro contraria ſententia, Alberto, Ægidio, Richardo, & Argentinate, quibus adde Toletum 2. Animæ q. 18. ad 7. Verùm ſpecificam vnitatem omnium luminum, ſuadet eorum mutua intenſio. Si igitur lumen Solis & Lunæ lumen ſunt eiuſdem ſpeciei, falsò vnius proprietas peculiaris eſſe dicitur, carnes putrefacere, non autem alterius. Non eſt tamen improbabile, dari in Luna vim peculiarem humefaciendi atque adeò putrefaciendi quæ exeratur concomitanter cum vi eius profuſiua lucis tenuis atque dilutæ. Idque ſignificat Galenus lib. 3. de diebus decretoriis, & ſubſcribunt Conimbr. in cap. illud 7. q. 5. ad 5.

Quod tamen attinet ad præſens inſtitutum, facile eſt ſiſtendo in calore, intelligere cur Luna putrefaciat, Sol autem exſiccans, numeretur inter amuleta putredinis. Quia enim iuxta ſuperiùs diſputata, putrefactio cauſatur per diſiunctionem humidi & ſicci compingentium mixtum, idcirco ſi calor ſit tenuis, ita vt mouere humorem poſſit, & aptare ad diſſoluendum nexum humidi cum ſicco, promouet putredinem, ſiue ſit à luce Lunari ſiue à Solari. Idémque ſequitur ſi calor à luce prodiens, ſit adeò vehemens, & extrahat totum humidum & à ſicco diuellat; vt facit calor à luce Solis æſtiua exiſtens. Quare quod calor exſiccans, numeratus eſt inter amuleta putredinis, non eſt accipiendum de calore quomodocunque exſiccante: ſed de eo qui ita diſpellat humorem vinculationi humidi interni cum ſicco obſtiturum; vt tamen non peruadat ad illius humidi interni ac ſicci cum eo colligati diſſociationem. Ad hanc incorruptionis cauſam referendum eſt, quod Corſicæ populi ſiccatos præ torrida æſtate piſces, diu ſeruant incorruptos; & quod itidem populi Septentrionales piſces ad fumum diu ſiccatos ac ſemitoſtos, conſeruant ad tempus diuturnum.

Calx.

28. EX hiſtoria S. Afræ martyris, habetur à S. Embricone Auguſtano Epiſcopo, corpus huius Sanctæ viua calce obductum, eſſe repertum. Ex quo exemplo, vſum fuiſſe calcis in curandis cadaueribus, eruit Marcus Velſerus in Notis ad eam hiſtoriam. Corpus S. Thomæ Meliapore, eodem modo repertum eſſe, ſcribit Maffæus lib. 8. Nec dubium quin calx quæ ex vi exſiccante, conferre poſſit ad inhibendam putredinem, æquè ac gypſum de quo Herodotus lib. 3. nec non ſal, & alia impeditiua effluxus, humiditatis natiuæ. Tantùm occurrit difficultas, ex eo quod pro miraculo habitum ſit, corpus S. Afræ ſic obductum calce, ſeruatum eſſe integrum & incorruptum. Idémque habet hiſtoria S. Franciſci Xauerij apud Turſelinum lib 3. cap. 20. qua proditur, ſummam fuiſſe admirationem omnium, quod Sancti viri corpus, per menſes ſexdecim viuæ calci infoſſum, deprehenſum eſſet incorruptum. Nec minor fuit admiratio, cùm SS. Clemens Ancyranus. & Aganthangelus iuſſu Domitij apud Amiſſenſes Vicarij, viuæ calci infoſſi, inde exempti ſunt incolumes. At ſi calx incorruptionem confert, vel ad eam commodat, excludi videtur miraculum ab ea corporis intra calcem indemnitate. Nec pro ea allegari poteſt, factum Neronis, qui Dione referente, Britannicum fratrem veneno abs ſe ſublatum, gypſo qui ad calcem accedit, ſublini curauit. Hoc nego poſſe allegari. Nerò quippè gypſo fratrem Britannicum liniens, vt Dio & Zonaras produnt, (contra quàm Latini Hiſtorici;) non ſpectauit eius incorruptionem, ſed quæſiuit ſcelus patricidij in eum admiſſi occulere; quamuis pluuia repentè coorta, gypſum detergens, liuorem ex veneno propinato contuendum ſubiecit; vnáque ſcelus manifeſtauit, cuius obductio gypſi appoſitione capiabatur.

29. Nihilominus interueniſſe miraculum in ea cadaueris calce illiti integritate, tametſi calx ad conſeruationem cadaueris opportuna eſſe poteſt, ſtatuo extra dubium. Ita enim tulit ſenſus præſtantiorum Medicorum, qui adhibiti ſunt ad recognoſcendum S. Xauerij corpus, & pronunciandum cuiuſmodi eſſet eius integritas. Vnanimiter autem profeſſi ſunt, rem eſſe miraculi pleniſſimam; quod item de S. Afra ab omnibus eſt exiſtimatum. Poteſt autem adhiberi diſtinctio, quæ rem componat. Nam calx, cum ſit præcalida & validè exſiccans, poteſt adhiberi cum fructu ad conſeruationem cadaueris: ſed ita vt illud reddat prorſus exſuccum & aridum, ac velut verem in pruina. Corpora autem Sanctorum prædictorum, poſtquàm infoſſa calci tamdiu fuerant, reperta ſunt ſucci plena & humida, (ita vt ex ſciſſa B. Xauerij carne, ſanguis recens ac viuidus profluxerit;) quod non poterat abſque ingenti miraculo contingere in corporibus viuæ calci ad longùm tempus infoſſis. Sic autem conſtituta hac calcis in cadauera efficacitate, ſuppetit vnde cumuletur elogium quod viuæ calci pangit

Caſſiodorus

Caſſiodorus lib. 7. var. formula 17. quæ eſt de propoſito calcis. Inſigniter item de calce Baptiſta Laurus in Titanopæia, ſiue Carmine de Calce.

Æs.

30. ÆS iure recenſetur inter cauſas naturales quibus artificioſè admotis inhibetur putredo. In quam rem Philippus Camerarius Operis ſubſec. cap. 14. refert quod de imaguncolis æreis intra cadauera repoſitis apud Ægyptios ex fide clariſſimi Veneti retulit, nóſque infra illuſtrabimus, agentes de corporum per Ægyptios curatione. Eodem Euangelus apud Macrobium lib. 7. Saturn. cap. 16. refert, cum ex aprorum cadaueribus deprehenſum eſſet, ea quæ noctu ad lumen Lunare exportata fuerant computruiſſe, proſpexiſſe qui deferebant noctu, ne deinceps computreſcerent, infixo cuicunque parti corporis acuto æneo: ſic enim apros carne integra pertuliſſe. Eundem eſſe vſum venatorum omnium, quoties prædam ablegare procul volunt, teſtatur Satyrus apud Plutarchum lib. 3. ſympoſ. quæſt. 10. quem Macrobius loco annotato expilauit, niſi quod Plutarchus non omnino id affirmat; ſed ſi verum ſit quod prolatum de ea claui ærei infixione fuerat ad inhibendam putredinem, rationem efficacitatis ad eum effectum veſtigat. Reddo eius ſententiam verbis Macrobij in calce capitis illius 16. [Eſt in ære vis acrior, quam Medici ſtipticam vocant. Vnde ſquammas eius adiiciunt remediis quæ contra perniciem putredinis adnoſcuntur. Deinde qui in metallo æris morantur, ſemper oculorum ſanitate pollent, & quibus ante palpebræ nudatæ fuerant, illic conueſtiuntur. Aura enim quæ ex ære procedit, in oculos incidens, haurit & exſiccat quod malè influxit. Vnde & Homerus modò εὐήνορα modò νώροπα χαλκὸν, has cauſas ſecutus, appellat. Ariſtoteles verò author eſt, vulnera quæ ex æreo mucrone fiunt, minùs eſſe noxia quàm quæ ex ferreo; faciliúſque curari; quia ineſt, (inquit,) æris vis quædam remedialis & ſiccifica, quam demittit in vulnere. Pari ergo ratione in infixum corpori pecudis, Lunari repugnat humori:] atque adeò putrefactionem, ſicci & humidi abiunctionem, per affluxum humidi extrinſeci conſecuturæ.

31. Mirum porrò videri poteſt, tantam eſſe cultri ænei haud ita magni efficacitatem, vt apro (magnæ vtique molis beſtiæ) infixus, putredinem ab eo arcere poſſit, non modò quoad partem transfixam, quod minùs haberet admirationis, ſed etiam quoad totum aprum. Vt proinde neceſſe ſit, diffuſionem alicuius qualitatis ab ære vni parti infixo exiſtere, quæ tenaci adhæſioni humidi & ſicci interni deſeruiat, eáque ratione excludat putrefactionem. Hoc tamen non videtur ad tempus adeò diuturnum fieri, vt Plutarchus etiam ad monuit quæſtione illa 10.

Suſpicio inceſſerat, inhibitionem hanc putredinis per clauum infixum, affinem eſſe inhibitioni luis graſſantis, fixo clauo per Dictatorem, vt apud Liuium lib. 7. nec ſemel alibi habetur: cui infixioni claui, ex pacto tacito, luis ceſſatio comitabatur. Sed cum naturalis cauſæ occurrat, non videtur inſiſtendum ſuſpicioni de opera Dæmonis in ea putredinis excluſione per infixum carni æneum clauum.

Acetum, Vini ſpiritus.

32. ACeto imbiberi putredinem anguillarum Cyprиarum præpinguium, & pullorum, ſiue gallinaceorum, ſiue columbinorum teneriorum, compertum eſt experimento. Ratio autem cur acetum illitum putredinem amoueat, ducenda eſt ex doctrina Galeni qui 4. ſimplic. cap. 12. docet ineſſe aceto vim calefactiuam; eóque viuidiorem, quo acetum eſt annoſius, vt idem habet 11. ſimpl. Ineſt nimirum aceto, ignea quædam vis acris & vehemens, ratione cuius cenſetur prodeſſe ventriculo, ex lib. 3. de alim. facult. cap. 21. cum tamen conſtet, frigida omnia ſtomacho aduerſari. Ob eam igitur igneam vim, acetum fouet internum miſti calorem & ad declinandam putredinem egregiè iuuat, accedente præſertim vi aſtringente qua pollet: è qua habet, vt effluuium humidi interni prohibeat. De Mulſo ſeu vino melle condito dictum eſt ſuperiùs; ſed ope vini ſale permiſti, audio cùm iterum hæc typis excuduntur nobilem quendam Batauum *Ludouicum de Bils*, artem adinueniſſe Reipublicæ literariæ, ac theatro Anatomico vtiliſſimam, qua ſpondet ſe ita corpora conditurum, vt ſæculo toto non inconſumpta modò perdurent, ſed ita digito artifici, lenta ac tractabilis, vt ſanguis & humores, quos incorruptos in venis arteriiſque ſe conſeruaturum pollicetur, vltrò citróque per venularum vaſorúmque tenuiſſimorum oſcula meare poſſint, ac nullo negotio propelli, & anaſtomoſes omnes, motuſque ſanguinis magno ſpectantium fructu oculis vſurpari poſſint. Non tantum præclaro hoc ſuo inuento in aquis ſingulis quadriennijs renouanda maiora ac ſolidiora Animalium corpora à putredine innoxia ſeruare poteſt, ſed Embryones & Abortiuos fœtus incorruptè fluitantes oſtentat in ſuo muſæo Anatomico. Verum quoniam ad euulgandum Arcanum illum corpora condiendi modum, plura librarum Flandricarum millia ſibi depoſcit, ſufficit hoc loco monuiſſe rerum iſtarum curioſos, controuerſiam non leuem inter Belgij Batauiæq; medicos hodie feruere, an aliquid præſtiturus ſit dignũ *tanto promiſſor hiatu*. Conſtat nihilominus vultum ac ſtatum in Cadaueribus quæ exhibet manere immutatum: recenter mortuos diceres, & medicinam cui innitant confici ex *ſpiritu vini* & ſalis certa doſi ſibi inunctis & indiſſolubiliter conſociatis. Quin etiam exſiccanit hominis cutem, & ad humanam de integro figuram ita feliciter redegit, vt capitis, barbæ oculorúmque ne pilus quidem deſideretur.

* * *

Qui & quatenus, adhibitis naturalibus putredinis amuletis, hactenus tactis, incorruptioni cadauerum artificiosè consulerint; ac primùm Ægyptij.

33. HActenus recenſitæ ſunt cauſæ naturales, quarum artificioſa admotione, incorruptioni cadauerum proſpici, vſus priſcorum tulit. Nunc eorundem medicamentorum in eum finem admouendorum ſtudia variis locis varia, ſunt attingenda. Et quia maximè celebrantur hæc in parte Ægyptij, ab eis auſpicabimur. Scribit itaque Herodotus in Euterpe, certos homines apud Ægyptios fuiſſe, quibus condiendorum corporum cura incumbebat: & ad eos deferri ſolita cadauera; virorum quidem illicò à morte, mulierum autem, præſertim illuſtrium aut formoſularum, quatriduo circiter ab obitu, ne exanima corpus pateret efferi intemperantiæ Curatorum, vt aliquando contigiſſe refert. De Periandro id habet Laërtius. De Dimœta Parthenius in Eroticis cap. 31. Et vtinam inter Ethnicos tantùm, hia contigiſſet. Annis certè ſuperioribus, (horreſco referens,) in vrbe nobiliſſima Galliarum, cum peſtis atrociſſima ſæuiret, inuentus eſt, qui libidinem in cadauere mulieris ex peſte defunctæ, exſaturauit. Id quod item feciſſe in cadauere Virginis ex peſte defunctæ, Veſpillonem Vratiſlauienſem, ſcribit Andreas Libauius tract. de Cruentatione cadaueris, Theſi 145. De Sigiſmondo Malateſta cadaueri fœmineo turpiter miſto, idem habet Pontan. l. de imman. cap. 1. In Actis S. Simeonis Stylitæ cap. 20. mulcta diuina in huiuſmodi ſpurcitiam annotatur. Apage rabiem omni ex parte pluſquàm ferinam; de cuius pœna nunquam ſcelus æquatura, Iulius Clarus §. *fornicatio*, num. 28. Paulus Fuſcus ſingulari 15. *litera Q.* Nicol. Boerius deciſ. 316. à num. 20. Lælius de Zecchis de priuileg. Eccleſ. in 135. n. 38.

34. Addit Herodotus, pro ratione pretij ex pacto annumerandi, cadauerum medicationem fuiſſe triplicem; pretioſiſſimam ſcilicet, mediocrem, atque viliſſimam, quas deſcribit in hunc modum. [Quia relinquuntur in ædibus, (poſt digreſſum ſcilicet cognatorum qui cadauer condiendum aduexerant,) hoc in modum diligentiſſimè condiunt corpus: ante omnia incurno ferro cerebrum per nares educunt, vt quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa illa conſcindunt, atque illac omnem aluum protrahunt: quam vbi repurgarunt, ac vino palmeo aluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt: tum aluum complentes contuſa myrrha pura, & caſſia, & aliis (excepto thure) odoribus, item conſuunt. Vbi hæc fecère, ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies, nam diutiùs ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus, cadauer vbi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris inuoluunt, gummi illinentes; quo Ægyptij glutinis loco plerunque vtuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſúmque ita reponunt. Eos autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita apparant. Clyſterem vnguine quod è cedro gignitur, complent: deinde ex hoc aluum mortui, ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, infarciunt: & tot quot dixi diebus ſale condiunt; quorum dierum vltimo, cedrinum vnguem quod priùs ingeſſerant, ex aluo egerunt: quod tantam habet vim, vt vnà ſecum aluum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuíque tantùm cutis & oſſa relinquuntur. Vbi iſta fecêre, & ex quo ſic tradidere mortuum, nihil ampliùs negotij ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt, quâ adornantur eorum mortui, qui tenuioris ſunt fortunæ: ablutionibus ventrem abſtergunt, areſaciúntque ſale per ſeptuaginta dies, deinde tradunt reportandum.]

35. Nonnulla addit hunc ipſum Ægyptiorum vſum deſcribens Diodorus l. 2. Bibl. cap. 5. quæ iuuat non præterire. [Sepulchrorum, (id eſt rationum condiendi corpora) tres habentur ſpecies, ſumptuoſa mediocris, humilis. In prima, argenti talentû exponunt, in ſecunda minas viginti, in vltima parum quid ſumptus erogant. Qui funera mortuorum curant, eo exercitio à maioribus tradito, funeris impenſam domeſticis deſcriptam ferunt, ſcrutantes quanti velint celebrari funus. Conuentione facta, corpus eis traditur, vt iuxta impenſam curetur funus. Primus *Grammaticus*, (ita enim appellatur) poſito humi corpore, circa ilia deſcribit, quantum à ſiniſtra parte incidatur. Deinde qui dicitur *ſciſſor*, habens lapidem Æthiopicum, quantum lex finit, latus aperit: ſubitóque curſu perſequentibus qui adſtant, lapidéſque eum execratione in eum iacientibus, fugit. Exiſtimant enim odium inhærere, quicunque amici corpus vulnere illato violant. Curatores verò corporis, (hos *ſalitores* appellant,) honore digni, exiſtimationéque habentur. Viuuntur enim Sacerdotibus, templáque pariter ingrediuntur. His ponè cadauer adſtantibus, vnus ſciſſuram per corporis interiora præter renes & cor ducit, quæ ſingula alter vino Phœniceo, ex rebus odoriferis lauat, deinde corpus totum, primùm ex cedro cum aliis precioſis vnguentis vngunt dies ampliùs triginta. Myrra deinceps ac cinnamomo, cæteríſque rebus liniunt, quæ non ſolùm id ſeruare diutinè, ſed odoriferum reddere queant. Curatum cadauer, cognatis tradunt defuncti, ita ſingulis eius partibus, etiam ſuperciliorum, palpebrarúmque pilis integrè ſeruatis, vt omnis corporis ſpecies dormientis more integra perduret. Plures Ægyptij, progenitorum corporibus domi magno ſumptu conditis, reſpicientes ſuorum imagines, viuentium magnitudine & habitu à longa progenie ductas, tanquam viuentiû aſpectu, animo oblectantur.]

Omiſere & Diodorus & Herodotus, quod à Plutarcho in conuiuio 7. ſapientum in perſona Solonis notatum eſt; nimirum ſolitos Ægyptios diſſecto ventre mortuum Soli oſtendere, & exempta inteſtina in profluentem abiicere, concluſa in arculam, tum reliquum corpus vt iam purum curare. Præibat abiectionem inteſtinorum conteſtatio, quod ob ea omne malum manaſſet, quod homo in vita admiſiſſet, vt eſt apud Porphyrium l. 4. de abſtin.

36. Hæc

36. Hæc igitur fuit Ægyptiis ratio, condiendi corpus emortuum, quod Soli dio expoſitum, ac ſale conſperſum, aut nitro perfuſum, pérque dies non paucos cedria recentive aſphalto perunctum, tum aromatibus & vnguentis illitum, myrrháque & cinnamomo conſperſum, ſindone denique incerata contectum, cognatis qui ad condiendum attulerant, reddebatur. Non me latet, eos præter iam recenſita, ingeſſiſſe quandoque alia nonnulla cadaueribus. Nam benedictus Badiolus Aueniouenſis, teſtatus eſt, cum Alexandriæ ageret, deprehenſa abs ſe in vacuitate thoracis ac ventris corporum pridem conditorum, numiſmata, vaſa, idola, libros, nec rarò arma, aut alia viuentibus adamata, infarta eorum ventribus hodiéque reperiuntur. Rondeletius ſuperiore ſeculo ſcribit, in cadauere Maſſiliam aduecto ex Ægypto, viginti folia papyri anti quæ, thoraci inſerta, fuiſſe reperta, quorum partem inter ſua cimelia abs ſe aſſeruatam teſtatur. Verùm hæc, aliò quàm ad inhibendam cadaueris putredinem pertinebant. Nimirum idola idcirco inferebantur, vt eſſent argumentum, numinis cui quis in vita addictus fuiſſet. Et idcircò in cordis regione, huiuſmodi imagunculæ reponebantur. quod perpetuum fuiſſe, ſcribit Ludouicus Guionus lib. t. variar. lect. cap. 5. prolatis multis nuperis experimentis, imaginum, crocodili, ibidis, felis, bufonis, ſerpentis, ſimij, vt plurimum ex argilla durata, aliquando è metallo, quæ è cadaueribus conditis in quibus regionem cordis occupabant, exemptæ fuerant. Idem confirmat Henricus Caſtella Ordinis Minorum, referens ex pleriſque cadaueribus duratis, quæ Alexandriæ anno 1601. diſſecari vidiſſet, exempta ſe coram, huiuſmodi idola. Et atteſtatur Ludouicus à Paradiſo Vitriacenſis, Chirurgus, aliquando in Ægypto peregrinatus: & Andreas Theuetus, qui inter ſua cimelia, huiuſmodi idolum, Infantuli ſpecie aſſeruabat, quod cum in Ægypto degeret, è cadauere diſſecto extractum erat. Hæc igitur, immiſſi cadaueribus idoli cauſa fuit. Cætera quæ illata dixi, non niſi ad inferciendam cadaueris vacuitatem, prohibendúmque ne inane concideret, ingerebantur corporibus. Ad vſum autem condiendi & conſeruandi cadauer, præter ea quæ extrinſecùs adhibita diximus, ingerebatur tantùm maſſa medica, tabis & putredinis inhibitiua; ſicque curatum corpus intus & foris à ſalitoribus ſiue pollinctoribus, reddebatur cognatis; à quibus plerumque erecta apud firmiorem parietem arca corporis, domi aſſeruabitur, iuxta illud Silij lib. 13.

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat vmbram.

Fortè legendum *ſucco odorato*, conſentaneè ad illud Corippi deſcribentis funus Iuſtiniani libro 3.

Et odoro balſama ſucco.
Tempus in æternum, ſacrum ſeruantia corpus.

Quamquam poteſt etiam ſaxum odoratum, non abſurdè dici de aromatibus corpori illitis, quæ breui lapideſcunt, iuxta illud Orientij,

Non modò quæ tumulis benè condita ſaxa reſeruant,
Aut Arabum ſolidans puluis odórque tenet.

37. Oppigneraſſe interdum Ægyptios ſic aſſeruata corpora, & impium planè omníque dignum opprobrio habitum, qui cadauer ſic oppigneratum redimere neglexiſſet, Diodorus teſtatur. Et fortaſſis ex eo vſu ſeculis poſterioribus apud Ægyptios retento, Saladinus Ægypto dominans, cum S. Ludouicum Francorum Regem haberet captiuum, accepto in pignus luti, corpore Dominico Chriſtianis perueuerando, annuit vt Rex liber abiret, recuperaturus ſacrum corpus pignori relictum, cum litrum conditum annumeraſſet; quod S. Rex cum fide præſtitit. Quanquam enim diuinum Chriſti corpus in Euchariſtia, eſt viuum, non examine cadauer, nec corporis humani externam formam præferrt Tamen perſuaderi potuit Saladino, eadem, imo longè maiori veneratione, aſſeruatum apud Regem ac Chriſtianos eſſe corpus quod dicerent eſſe Chriſti in cœlus prægreſſi, quàm ſeruarentur ab Ægyptiis condita maiorum corpora. Coniecturam tamen duntaxat propono, nihil definio.

38. Cæterum quos omnia ſupradicta curaſſe dixi *ſalitores*, poſt Diodorum libro 2. cap. 5. illi ipſi ſunt, quos Scriptura vocat *Medicos*, Geneſ. 50. Agens enim de conditura corporis Iacobi defuncti, ait, *Præcepit Ioſeph ſeruis ſuis Medicis, vt aromatibus condirent patrem; quibus iuſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies; Iſte quippè mos erat cadauerum conditorum.* Medici hîc, non ſunt intelligendi, qui curandis morbis nauant operam; ſed qui curabant & condiebant defunctorum cadauera. Pollinctores dictos notat Placiades exponens voces antiquas; allegato Plauto in Menæchmis, & Apuleio in Hermagora. Plauti locus ſic habet. [Vt Pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.] Amplius verò ſic loquitur. [Pollincto eius funere, domuitionem paramus.] Addit Fulgentius Placiades ibidem. [Pollinctores dicti ſunt quaſi pollutorum unctores; id eſt, cadauerum curatores.] Idem habet Nonius Marcellus. Quos prædicti vocarunt Medicos aut Pollinctores. S. Auguſtinus lib. locutionum de Geneſi vocat *ſepultores*. Hoc quid ſonet, ita aperit S. Auguſtinus. [Quod ſcriptum eſt, *dixit Ioſeph ſeruis ſuis ſepultoribus, vt ſepelirent patrem eius*, non inuenit lingua Latina quemadmodùm appellaret *Entaphiaſtas*. Non enim ipſi ſepeliunt, id eſt terræ mandant corpora mortuorum, quod non eſt Græcè ἐνταφιάζειν, ſed θάπτειν. Illi ergo Entaphiaſtæ, id agunt quod exhibetur corporibus humanis, vel condiendo, ſiccando, vel inuoluendo, & alligando; in quo opere maximè Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit, *ſepelierunt, curauere* intelligere debemus: & quod dicit, *quadraginta dies ſepulturæ*, ipſius *curationis* accipiendi ſunt.] Apud Herodotum, dies curationis cadaueris, dicuntur fuiſſe ſeptuaginta. Sed Scriptura cui ſtandum eſt, ſolos quadraginta commemorat. Vel ergo in variis Ægypti locis, varius fuit vſus; vel Herodotus vt ſæpè aliàs, fabulatus eſt circa numerum dierum Ægyptiacæ condituræ. Et potuit etiam citra eius ſtandem, error in numerum irrepere. Poſt

ſic curata per quadragenam corpora, huiuſmodi curatores vel ſepultores, tradebant ea efferenda & tumulanda Veſpillonibus. Quo nomine aliquando veniunt cadauerum nudatores, vt ex Antidamo Heracleopolite refert Fulgentius, elucidans voces antiquas. Et in hoc ſenſu Rex Perſarum, refertur crucibus affixiſſe pluſquam trecentos cadauerum Veſpillones, id eſt ſpoliatores ac nudatores; quod quantum ſcelus ſit, liquet ex S.Helij Lugdunenſis Epiſcopi hiſtoria, & ex Iſidoro Peluſiota, lib.2. Epiſtol. 146. ac ex Ioanne Moſcho in prato ſpirituali lib.78. Nunc autem Veſpillonum nomine, intelligimus baiulatores ac tumulatores cadauerum poſt adhibitam curationem, cuius præcipua cura fuit Ægyptiis.

39. Morem hunc inuexiſſe Ægyptiis eluuionem Nili, à qua timerent ſuorum corporibus, vel per quam prohiberentur bona anni parte ſepulchris quemquam inferre, tradit Neſterus Abbas collat. 15. cap. 3. Vanitati autem & nimio erga ſuos affectui, rem adſcribere videtur S. Antonius, vt ſcribit in eius vita S. Athanaſius cap. 57. quem non piget adſcribere. Retulerat S. Athanaſius B. Antonium noluiſſe hærere apud ſuos, præſcium inſtantis mortis, in qua verebatur ſeruaturos erga ſe præſumptam Ægypti conſuetudinem. Tum ſubdit. [Mos etenim Ægyptiis eſt, nobilium, & præcipuè beatorum martyrum corpora, linteamine quidem obuoluere, & ſtudium funeri ſolitum non negare: terra verò non abſcondere, ſed ſuper lectulos domi poſita reſeruare. Hunc honorem quieſcentibus reddi, inueteratæ conſuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius ſæpè, & Epiſcopos deprecatus eſt, vt populos Eccleſiaſticâ conteſtatione corrigerent, & laïcos viros ac mulieres rigidiùs ipſe conuênit, dicens, nec licitum hoc eſſe, nec Deo placitum: quippè cum Patriarcharum & Prophetarum ſepulchra, quæ ad nos vſque perdurant, hæc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in ſepulchro poſitum lapide vſque ad reſurrectionis diem tertium, clauſum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamſi ſancta eſſent corpora, coarguebat, dicens; Quid maius aut ſanctius corpore poteſt eſſe Dominico, quod iuxta conſuetudinem gentium cæterarum, humo conditum eſſe ſcimus? Hæc iuſta perſuaſio, multorum inſitum euellit errorem, & repoſitis in terrâ cadaueribus, Domino gratias pro bono magiſterio retulerunt.]

40. Hæc non pugnaſſe contra aſſeruationem reliquiarum Sanctorum, monſtrat S. Damaſcenus orat. 1. de imag. Ait enim, S. Athanaſium (ei quippè rem tribuit tanquam ſcriptori, quæ autorem habuit S. Antonium;) vt inſaniæ Ægyptiorum circa cadauera mederetur, (nam etiam menſis, mortuos conuiuas compotatores adhibebant, vt refert Lucianus Dialog. de luctu & ad crocodilos, feles, canes, mures, araneos, & accipitres mortuos ſimiliter aſſeruandos progreſſa erat dementia teſte Herodoto:) nullis corpus aſſeruari voluiſſe, ſuúmque nominatim, quod ei præ humilitate non erat tanti. Abolita autem praua conſuetudine aſſeruandi omnia corpora, non tuliſſet grauatè S. Antonius, id honoris deferri exuuiis Sanctorum. Videſis pleniùs iſta exequentem Gretſerum lib. 1. de fun. Chriſt. cap. 7. & Baronium ad annum 358. Neque tamen S. Antonius, vtcunque erga aliquos aſſecutus ſit intentum, profligauit reuera inolitum Ægyptiorum morem, aſſeruandi quæcunque corpora, etiamſi non ſanctorum. Nam multo poſt, S. Auguſtinus ſerm. 120. de diuerſ. cap. 12. ſic ſcribit de ſui temporis Ægyptiis. [Diligenter curant cadauera mortuorum. Morem enim habent, ſiccare corpora, & quaſi ænea reddere. *Gabbaras* ea vocant.]

Ex Ægyptiacis cadauerum conditiuris, Mumia.

41. HAnc reuera eſſe quam vulgo vocât Mumiam Ægyptiorum, contendit obſtinatè Bellonius lib. de Medicato funere, cuius ſententia præſertim ſtabilitur infirmatione aliorum de Mumia placitorum. Fuerunt enim qui dicerent, in arenoſo quodam mari, quod non ſecus emoueatur ventis ac ſi ex aqua conſtaret, corpora vi procellarum opprimi, & aliquandiu ſic condi; noua autem exoriente procella retegi. & ſole conſici, hácque Mumiam eſſe, quod nonnullis Geographicis tabulis illitum legitur.

Sed eſt commentum planè inane, à nonnullis quæſtuariis cadauerum propolis excogitatum, vt monet Cardanus lib. 18. de ſubtil. *pag. mihi* 530. cui Nicolaus Chriſtophorus Radziuilius teſtis oculatus aſtipulatur, deſcribens ſuam Hieroſolymitanam peregrinationem. Nec poteſt ei fabulæ conciliari autoritas, ex deſcripta per Herodotum oppreſſione exercitus Cambyſis in arenis quibus vehementi Auſtro ſublatis, obrutus eſt; eo propè modo, quo in Alpium & niuoſiſſimorum montium tráſitu, ſubita niuium decuſſione, miſerè intercipi & obrui viatores contingit. Similémque Pſyllorum ab arenis oppreſſionem, refert Mela, deſcribens Carthaginenſium & Cyreneorum fines, in quibus immodicus Auſter arenas quaſi maria agens, haud aliter ſæuit, quàm fluctibus æquor. Eſto enim demus, aliqua corpora, his (vt volunt) arenarum fluctibus in Ægypto opprimi. At vnde ſic obrutis corporibus vis medica, quam in Mumia tantoperè celebrant, vt de grauiſſimorum Medicorũ ſententia Rex Franciſcus I. eam ſemper & vbiuis circumferret? Neque duntaxat à Præfectis penus eius, cum rhabarbaro in pyxide deferebatur, vt Bellonius notauit lib. 2. obſeru. c. 47. Sed ipſemet quoque Rex, Mumiam geſtare ſolitus erat: Dioſcorides quoque libro 1. cap. 83. Galenus libro ſeptimo, de medicament. facult. & Paulus Ægineta libro ſeptimo, (quamuis Arabicum *Mumiæ* nomen reticeant) agentes de corporibus aſſeruatis, magnas eorum virtutes agnoſcunt: quæ non eſt vnde aduenerint corporibus arenariæ infoſſis, tantùm quia ibi infoſſa fuerant. Alibi enim plerunque reperta ſunt corpora, retectis arenis, albiſſima & mundiſſima, exeſis planè carnibus. Eſtque id frequentiſſimum in eo tractu qui Nilum inter ac mare Erythræum funditur, & camelorum totiùs propè Ægypti eſt conditorium. Et tamen nulla talis efficacitas Medica in corporibus illis agnoſcitur, qualem celebrant in Mumia. Igitur origo pharmaci illius quod *Mumia*

mia dicitur, alia eſſe debet, quàm quæ petebatur ex infoſſione inter arenas, & tectione per ventos.

42. Matthiolus lib. 1. in Dioſcor. cap. 83. contendit Mumiam vulgarem idem eſſe quod Piſſaſphaltum: cui videtur aſtipulari Serapion cap. *de Mumia*. Et ita eum intelligit Scaliger exerc. 104. num. 9. tametſi aliter Serapionem accepit Agricola lib. 4. de foſſil. *pag. mihi* 553. & Philander ad librum 8 Vitruuij cap. 5. annuens tamen, vt Mumia ſit Piſſaſphaltum. Id quod latè etiam tradit Libauius parte 3. ſingul. lib. 7. cap. 18. Nihilominus longè diuerſa videtur Piſſaſphalti & Mumiæ ratio. Nam Piſſaſphaltum eſt quid expers mixturæ, & à natura progenitum, non factitium: contra quàm accidit in vera Mumia.

43. Mihi maximè probatur doctrina Scaligeri, & Lodouici Guioni lib. 1. var. lect. cap. 5. diſtinguentium duplicem Mumiam Vnam quæ eſt Mumia ſepulchrorum, apud Ægyptios, Syros, & Arabes; conſtátque ex myrrha & aloë, ac corporum iis conditorum materia. Hanc Mumiam, vix ad nos tranſmitti, obſeruant iidem Autores, eo quod è nobilium cadaueribus exiſtat, nec habeatur abſque periculo capitis effoſſoris, ſi deprehendatur. Alteram Mumiam quæ ad nos paſſim defertur, cenſet Scaliger condimentum eſſe plebeiorum corporum ex Aſphalto: cui ſatis veriſimile eſt. (vt Bellunus contendit,) particulas quoque corporis medicati, multis aromaticis mixturis farti, & earum qualitatibus perfuſi, à quæſtuoſis huiuſmodi mercium negotiatoribus admiſceri. Inde Mumiæ hodiernæ iuſta depreciatio, vt videre eſt apud Renodæum lib. 3. de materia Medica c. 2. nec non apud Lodouicum Guionum loco allegato, qui vſum primum Mumiæ ad medendum, refert ad malignum quendam Iudæum, cui nomen *Elmagar* qui ſub annum Christi milleſimum centeſimum de Arabum Medicorum ſententia, Christianis & Saracenis per id tempus de Paleſtinæ poſſeſſione certantibus, huiuſmodi pharmacum admonuit; cuius deinceps exemplum, Medici, ad frigidos affectus & contuſiones curandas ſunt imitati, exiguo (vt idem Guionus contendit) operæpretio, vel etiam non abſque damno, ob corporis mero Aſphalto conditi, quandoque ſcabioſi, aut leproſi, vel lue Indica, affinibúſque ſordibus contacti, impuritatem, veneuando quàm curando aptiorem. Satis de arte & ſtudio Ægyptiorum circa cadauerum incorruptelam. De circumgeſtatis verò ab iiſdem ſuper menſam cadaueribus, dictum lib 6. de virtutib. num. 87. & à Lælio Biſciola tom. 2. ſubſec. libro 6. cap. 8. à num. 12.

Qui condita cadauera apud Iudæos, Perſas, Ponticos, Æthiopes, Romanos vt incorrupta durarent.

44. IVdæi, vt cadauera charorum ſeruarent integra & incorrupta, condiebant illa per multos dies, more (vt Tacitus annal. 11. teſtatur) ab Ægyptiis quibus cum diu hæſerant, in vſum ſuum deriuato. Sic Iacob Geneſ. 50. paternum corpus à Medicis condiri iuſſit, & durauit conditura dies 40. Quanquam Ægyptios, Diodorus lib. 1. cap. 1. per dies triginta, Herodotus lib. 2. per dies 70. continuaſſe conditur am eiuſdem corporis prodiderunt. Quod Strabo lib. 16. Aſphalto adhibito condita à Iudæis corpora ſcribit, poteſt admitti quoad corpora tenuiorem. Nam morem Iudæorum fuiſſe, vt adhiberentur vnguina pretioſiora myrrhæ & aloës, docemur ex Euangelio narrante Chriſti ſepulturam per pios pollinctores Nicodemum & Ioſephum; qui tamen quod honoris tantùm gratia Sanctum Domini inungerent; (ſicut mos antiquus in Eccleſia fert, honoris tantùm & decentiæ gratia non præſeruationis abluere cadauera, vt docet Onuphr. lib de ſepel. ritu:) non cogitarunt de Sacro Chriſti corpore exenterando; Id enim nulla ratione poſſe affirmari, rectè ſtatuit Suares tom. 2. 3. part. diſtinct. 41. ſect. 2. & Gretſerus lib. 1. de Cruce, cap. 7. *in fine*. Nec malè inde colligi videtur, morem Iudæorum quoad maiorem partem, non tuliſſe aliam vnctionem corporum ſepeliendorum, quàm quæ conuiuiis adhibebatur, hoc eſt externam, vt Martialis Fabullum ſubſannans ſcitè dixit. Et ita ex eo quod dictum ſit Chriſtum inunctum *ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*, cum tamen Chriſtus non ſit exenteratus, Iudæos corpora non exenteraſſe, colligit Daniël Malonius ad cap. 1. Palæoti de ſacra ſindone, num. 14. & Henricus Spondanus lib. 1. de ſacris Cœmeteriis, parte 2. cap. 1. num. 6. qui id extendit ad Romanos & Græcos, argumento ducto, ex eo quod aliqui curati & elati, reuixiſſe legantur, vt eſt apud Plinium lib. 7. c. 52. Plutarchum libro de ſera Num. vind. Celſum lib. 2. cap. 6. & Apuleium 4. Florid. nimirum diſcuſſo, (quacunque demum ex cauſa) humore halitum obſtruente, vnde mors inducta videbatur; pérque eius humoris diſcuſſionem, viſi reuixiſſe, qui ad ſe reueniebant: quod facere nequiuiſſent, ſi curatio cadaueris exiſtimati, fuiſſet per ſectionem ac exenterationem. Argumentari item licet ex illo Ennij verſu peruulgato,

Torquati corpus, bona fœmina lauit, & vnxit.

En vnctionem & lotionem memorat, non inciſionem, vel exenterationem. Martialis item Fabullum ſubſannans, ſolius vnctionis mortuorum meminit, cum ait lib. 3. epigr. 13.

Qui non cœnat, & vngitur, Fabulla,
Is verè mihi mortuus videtur.

Sed & Horatius Oda 17. Epod. de Hectoris cadauere, ab Achille per Priamum exorato agens.

Vnxere matres Ilia, additum feris,
Alitibus atque canibus homicidã Hectorem.

Non igitur ſiue Romani, ſiue Græci, incidebant & exenterebant cadauera, ſed abluebant, & extrinſecùs vngebant.

45. Perſas, Ponticos, & Æthiopes, flagraſſe ſtudio ſuorum corpora aſſeruandi, proditum eſt; ſed non omnes iiſdem adhibitis mediis. Nam Perſæ quidem cera oblinebant corpora, vt Tullius 1. Tuſcul. & Strabo lib. 16. retulerunt. Idem de Gethis ſiue Scythis tradit Herodotus in Melpomene. At Ponticos plus artis adhibuiſſe, & autores incidendi ac vacuandi corpora

ad

ad incorruptelam conciliandam fuiſſe, docent illa Silij lib. 13.

Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro,
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in æuum.

Ora ſynecdochicè dixit pro hominibus. Æthiopes proditum eſt, cadauer ritè areſactũ gypſo inducere, & picturâ exornare ad demortui effigiem; tum cippum ei ex vitro circundare, vt in medio cadauer interluceat. Cippus per annum domi aſſeruatur, non abſque oblatione primitiarum omnium & multiplicũ hoſtiarum. Exacto denique anno, ſepelitur circa vrbem cadauer. Ita quidem referunt aliqui. At Strabo varias condiendi & ſepeliendi corpora rationes recenſens, abſolutè ait, & abſque limitatione, ad annuum tempus cadauera apud Æthiopes poſt curationem vitro circundari ſolita, & domi aſſeruari. Ex eo porrò cadaueris intra vitrum concluſione, vides non poſſe cenſeri inverisimile, (hac quidem ex parte,) quod narrat in ſuo Itinerario Benjaminus Tudelenſis: nimirum Regem Perſarum mandaſſe, vt corpus Daniëlis arcæ vitreæ impoſitum, in vrbe Chuzſethan ex trabe maxima æreis catenis penderet, vetita deinceps eius aſportatione, nunc in vnam, nunc in alteram vrbis partem, poſt exactum in vtrauis annum: ſicut anteriùs, ex antiquo vſu, fiebat in ea vrbe.

46. Romanis ac Græcis de aſſeruandis incorruptis ſuorum corporibus minor ſollicitudo fuit, quandoquidem magnam partem cremabant corpora, vt fusè perſequuntur qui res funebres ſunt proſecuti, nominatim Guichardus & Kirchmannus. Interdum tamen ſeruata apud eos quoque eſſe aliqua corpora, argumento eſt, quod Plinius lib. 7. cap. 16. memorat de proceriſſimis cadaueribus, quibus ironicè *Puſioni* & *Secundillæ* datum nomen. Præmiſeràtque de cadauere Gabatæ, nouem pedum & vnciarum totidem, Romam aduecto, & aſſeruato, Claudio imperante. Penultimo ſeculo, Romæ in via Appia, cadauer quod ad annos ſupra mille trecentos incorruptum iacuerat, amotis ex quo refoſſum eſt, vnguinibus, triduo poſt computruit teſte Ludouico Cœlio libro 3. cap. 24.

Studia Chriſtianorum circa incorruptionem cadauerum.

47. CHriſtianis denique magnatibus, cum hominem exuerunt, exhiberi officium condiendi cadaueris, vt perſtet diu incorruptum, ex antiquo vſu docet Baronius ad Romanum Martyrologium 4. Auguſti *litera K.* adducto Tertulliano in Apologetico, Prudentio hymno de exequiis defunctorum, Nyſſeno orat. de magno Meletio, & Nazianzeno epiſtola 18. quæ eſt ad Sophron. Id verò præſtari, moris recepti eſt, non abſque exenteratione, vt melius condiri & curari queant. Vbi aliqui trepidant timore vbi non eſt timor, propter Extrauagantem *deteſtandæ*, de ſepultura, qua percelluntur excommunicatione exenterantes, fruſtatim incidentes, elixantes, carnes ab oſſibus diuellentes, in cadaueribus procul tranſportandis, vt facilior ſit euectio; niſi id fiat in terris infidelium, vt oſſa ad terras fidelium exportentur. Dico, hîc trepidari ſine cauſa. Nec enim ea cenſura afficit illos qui talia præſtant, alia mente quàm transferendi in ſepulturam remotam, vt notat Syluester V. *Excommunicatio* 7. numer. 79. ſubſcribitque Caietanus V. *Excommunicatio* capite 70. qui deſertè notat, nobilium & Principum corpora poſſe exenterari abſque metu cenſuræ; quia ſic tractantur vt conſeruentur incorrupta, non autem vt transportentur. Addit denique Toletus libro primo, de inſtitutione Sacerdotum capite trigeſimo ſexto, non vnam aut alteram actionum propoſitarum circa cadauera percelli excommunicatione, ſed tantùm ſi omnes ſimul eliciantur; ita vt cadauer exenteretur, & carnes fruſtatim ſecentur, ac elixentur, & præſtentur cætera omnia quæ ad inhumanam & barbaram corporum carnificinam in ea Extrauaganti damnatam pertinent. Qui modus curandi corpora nunc exoleuit, próque eo vſurpatur alius minùs horrificus, tametſi neque ipſe prorſus vacuus lanienæ, vt videre eſt apud Paræum lib. 28. extremo.

48. Modum condiendi in Germania & Italia receptiſſimum, deſcribit Raynerus Solenander ſectione quinta Conſiliorum Medicinalium, conſilio 14. Eſt autem eiuſmodi, vt ad excarnificationem acerbo martyrio parem ſufficere poſſe videatur. Nam inciſo ventre, primùm in longum, tum in latum, atque adeò decuſſatim, exprimuntur inteſtina exempta, itémque ſtomachus, renes, hepar, & lien. Deinde exciſo pectore exprimuntur membra ſpiritualia, nempe cor, pulmo, œſophagus, ad epiglotidem vſque. Poſtea corpus aqua frigida elutum, ſpongiis abſterſum; aceto primùm acerrimo, moxque diligentiſſimè aqua vitæ perfunditur. Sic perfuſum & ſicca ſpongia abſterſum, puluere aromatico inſpergitur, non ſecus ac ſuilla, caro ſale infricatur. Tum faldellæ ex ſtupa, aut coto aqua vitæ perſperſo, & mano expreſſæ, admouentur vndecunque cadaueri puluere ſimul inſperſo, hiſque cauitate pectoris & ventris infarta conſumitur cutis. Poſtremò omnium, cadauer linteo incerato etiamnum calente obuoluitur, ac pice nauali illinitur. Eodem modo conditur caput. Terebrato enim cranio & exempto cerebro, caput aqua primùm frigida, tum aceto acerrimo, ac tertiò aqua vitæ perfunditur, adhibito puluere aromatico, & faldellis ex ſtupa aut coto. Sic curatum cadauer, decennio integro incorruptum perſtat. Erit verò diuturnior conſeruatio, ſi omnes corporis totius muſculi in longum inciſi, & modo antedicto eluti, puluere aromatico conſpergantur poſt accuratam capitis vacuationem, & cerebri exemptionem.

49. Imò quod fidem propè ſuperaret, niſi locupletiſſimis teſtimoniis firmaretur à Georgio Fabro, apud Guilielmum Fabricium Hildanum, Centur. 5. obſeruat. Chirurgic. *in quarta*, cerebrum hominis ante annos quinquaginta ſepulti, refoſſo fortè corpore, intra cranium eſt repertum, planè crudum, incorruptum, & tabis expers. Quod viribus Balſamicis tribuendum inſinuat Faber. Hîc tamen

Auenione

Auenione eiuſque vnguinis medicati balſamíve admotione, eadem cerebri poſt multos annos perſeuerantia, notata eſt in domo emerſarum è meretricio. Cum enim cætera capite ibi ſepulta, planè exaruiſſent, vnius tamen cerebrum intra cranium deprehenſum eſt multos poſt annos à ſepultura, perſtare molle & humens, & tabis expers, etiam poſtquàm aëri patenti eſt expoſitum. Et ita confirmant teſtes idonei, quos inter meritò nominandus eſt, qui in eius domus cura, Deo ſtrenuam conſtantémque operam à primis initiis nauauit Dominus Paulus de Ioannis vir (quod Sanctus Hieronymus de Exoperantio Epiſtol. 35. dixit) exercens ſub paludamento opera Prophetarum, reportaturus haud dubiè Vitalis illius à Sancto Ioanne Eleemoſinario collaudati præmia, cuius ſtudia æmulatur. Sed hæc cerebri incorrupti perſeuerantia, de qua agebam, adeò eſt præter communem morem, vt fidem via reperiret, niſi palpabile experimentum adigeret: videtúrque omnino, in hoc poſtremo exemplo, referenda ad vim diuinam, æquè ac in hoc alio exemplo, Patris Ioannis Carrera complutenſis, qui anno 1557. abiit è vita caput anno 1570 refoſſum eſt, vrgente Maria Mendozia Collegij Complutenſis fundatrice. Exemptum è fiſſo cerenio cerebrum, tanto poſt, hoc eſt totis tredecim annis, inuentum eſt planè integrum & ſanum, cum reliquum corpus abiiſſet in cineres. Franciſcus Valleſius, Medicus ea tempeſtate celeberrimus, & ſcriptis Phyſicis Medicíſque clariſſimus, cum coram omnia perſpexiſſet accuratè, negauit rem tantam potuiſſe abſque miraculo perfici. Hos ergo extraordinarios euentus, miſſos faciamus. Cum verò captatur artificiosè incorruptela cadaueris eximitur exquiſitè cerebrum, & adhibetur multiplex illa conciſio quam retuli.

50. Alebam hoc quoddam cadaueris martyrium videri poſſe. Nec dubium, quin ſi cadauer eſſet ſenſus capax, prælecturum eſſet reſolutionem in elementa præ qualicunque perſeuerantia externe, cum tanta deformatione ſupra Deiphobi cuiuſuis conciſionem.

Nec plura de incorruptela corporum per humana ſtudia, & artem variis temporibus ac locis variam, quæ plerunque fallax & vana eſt, vt monſtrant Regum exquiſitè curatorum Manſolæa, è quibus plerunque immanis putor afflatur. Sed & Lutheri cadauer, etiam priuſquàm ſepulchro inferretur, fœtorem emiſiſſe qui ferri non poterat: tametſi diligenter vnguinibus delibutum & ſtanneo loculo incluſum efferretur, idque frigidiſſimo cœlo, & anni quoque tempeſtate perfrigida, Boſius notauit libro 15. de ſignis, capite octauo. Addúntque probati Hiſtorici, cum cadauer Regio propè apparatu, Iſlebio vbi Lutherus 18. Februarij anni 1546. fatis conceſſerat, efferretur Vvitembergam, & in ipſo ciuitatis editu in magnificentiorem currum ad id compoſitum, collocari decretum fuiſſet, abiecto eo conſilio ob intolerabilem fœtorem ex eo profuſum, in eodem curru eſſe relictum, nec loco motum. Fallaciſſima ergo fuerat cadaueris Lutheri conditura.

Theoph. Rayn. Philologica,

51. Eiuſdem fallaciæ inſimulat Daniel Malonius ad cap. 16. Palæoti de Sacra Sindone numero decimo conditoram Gigantæi cadaueris Feltri ad fines Germaniæ & Italiæ refoſſi. Quamuis enim multo perfuſum ſale ne putreſceret, tamen alia tranſmutatione priorem corporis humani demortui ſpeciem æquè vaſtante lapiduit. Sed in hoc exemplo, ambigi poteſt an ſal affuſum cadaueri fuiſſet; veriſimiliúſque eſt vi aquarum lapidificarum, quales multæ variis locis cernuntur, corpus illud lapiduiſſe.

CAPVT VII.

De Dæmoniaca incorruptione cadauerum, ſimilitudinaria, & vera.

1. DVplicem diſtinguo incorruptionem cadaueribus à dæmone conciliabilem, quia non quoties corpus aliquod curante Dæmone videtur incorruptum, eſt reuera tale, ſed plerunque non niſi in ſpeciem & apparenter eſt incorruptum. Aliàs autem eſt reuera incorruptum. Vtrumque membrum eſt breuiter illuſtrandum.

Dæmoniaca cadauerum incorruptio, quandoque apparens tantùm.

ATtingendo autem primo loco, apparentem tantùm incorruptionem à dæmone cauſatam, duobus modis huiuſmodi ſimilitudinaria incorruptio poteſt accidere. Prius eſt, cum corpus quod obuerſatur quaſi incorruptum, non eſt humanum: ſed vel belluinum, vel alterius materiæ, per ſenſuum deluſionem objectæ, tanquam eſſet corpus humanum. Vt contigit ſpurco illi, quem Guilielmus Pariſienſis in Opere de vniuerſo 2. 2. cap. 4. teſtatur, faſcinante Satana; cum ſpecioſiſſima (vt putabat, muliere, volutatum eſſe in cœno altiſſimo, arbitrantem ſe in molli lecto delicias ſuas carpere. Simile quid Tribuno Lugdunenſi ante annos non ita multos contigiſſe, refertur in Collectaneis Tragicarum Hiſtoriarum parte 1. numero primo. Vnde eam narrationem hauſit, & diffusè ac pereleganter expreſſit Georgius Stengelius libro primo, contra Iacobum Rebingum cap. 12. Verùm hic modus ſimilitudinariæ incorruptionis, cum non contigat in vero cadauere humano, dimittendus eſt hoc loco.

2. Altero modo, ſimilitudinaria tantùm & apparens eſt incorruptio in cadaueribus, cum Dæmon illa exhibet ſpecie corporis viui, quamuis reuera careant vita, imo putreant ac fœteant. Id enim poſſe à Dæmone ſenſibus mortalium illudente præſtari, certum eſt, & rectè aſſeritur ab Anaſtaſio quæſtione 23. in Scriptur. & à Delrio variis exemplis illuſtratur, lib. 2.

Mag.quæſt. 19. ſect. 2. & à Loyerio lib. 3. de ſpectris à c.10.nec non à Coyſſarpo de Magia, cap.7. Simonem Magum ope Satanæ tale quid aliquando edidiſſe, tradit Andreas Cæſarienſ. ſerm. 13. in Apocal. Luculentum eſt exemplum quod narrat Phlegon lib. de mirab. cap. 1. de Machate, quem Philenium amaſia vitæ iam expers, reuiſit ad amoris vſum, non ſemel, ſed ſæpiùs, corpore vt videbatur integro ac florenti, cum tamen eſſet cadauer putridum, vt deprehenſum denique eſt, cum volgata reuenientis amaſiæ fama, Damoſtratus pater, & Charito mater, in amplexus filiæ, (vt putabant,) rediuiuæ, in via ad Machatem interceptæ, ruiſſent. Tunc enim parentum curioſitatem auerſata, momento concidit mortua, & cadauer quale re vera erat, apparuit; hoc eſt ſemeſum à vermibus ac fœtentiſſimum, ex exhorreſcentibus omnibus, ipſóque inprimis Machate, qui ludibriū ſuū non ferens Biothanatus factus eſt.

3. Exemplum cadaueris amaſiæ Caroli Magni, recitat Quercetanus in Diætet. Polyhiſtor. ſect. 1. cap. 5. dicens fœminam fuiſſe Carolo Magno amatiſſimam, (hoc enim ſolo minor fuit Carolus, vt aliæ hiſtoriæ produnt) cuius tanto affecto duceretur, vt cadauer vita functæ è cubiculo ſuo amoueri non pateretur. Iámque fœtor putentiſſimi corporis, aulicos omnes & domeſticum miniſterium repellebat, Carolo tamen non ſecus atque ad ſuaueolentiſſimam violæ Cypriæ, aut roſarum centenariarum de Midæ roſeto, ad cadaueris iugem in cubiculo præſentiam affecto Suſpicio ſubiit domeſticos, interuenire in ea cadaueris conſeruatione, & Caroli faſcinatione, dæmonis operam. Itaque ſcrutantes attentè & rimantes omnia, immiſſum ori cadaueris annulum reperiunt. Decetes renouatum Ethnicum morem, trientem pro naulo ad cymbam Charontis, immittendi ori cadauerum. Ablatus eſt annulus, & ſtatim Carolus ſoluto veneficio, (nam illigatus ei annulo dæmoniaca opera) fœtore cadaueris deprehenſo, iuſſit illud aſportari. Hæc Autor ille, de dæmoniaca in ſpeciem conſeruatione cadaueris amaſiæ Caroli, quæ apud quos antiquos autores bonæ notæ leguntur, doleo à Quercetano non annotatum. Narrat quidem id diffusè Petrarcha libro Epiſtolar. Familiarium in 3. ſed tanquam fabulam, quàm etiam cumulat narratione affectus à Lupa in Colonienſem Antiſtitem tranſlati, ex quo is annulo incantato potitus eſt: rursúſque tranſlati in aquas illius loci in quo tunc fortè erat Carolus, ex quo Antiſtes Colonienſis annulū illum Magicū proiecit in aquas. Quæ cauſa Carolo hærendi Aquiſgrani, & eam vrbem extollēdi.

4. Fabulæ re vera & nugæ, quibus ablegatis, exemplum Cantoris quod recitat Cæſarius lib. 12. cap. 4. ex Gerardo Bonnenſi Scholaſtico, videtur adſcripto dignum. [Clericus quidam tam egregiam & tam dulcem vocem habebat, vt audire illam, deliciæ reputarentur. Die quadam Religioſus vir quidam ſuperueniens, & citharæ illius dulcedinem aure percipiens, ait; Vox iſta hominis non eſt, ſed Diaboli. Cunctis verò admirantibus Dæmonem adiurauit; & exiuit, cadauere mox corruente ac fœtente; & intellexerunt omnes, idem corpus à dæmone diu fuiſſe ludificatum.] Simile exemplum recenſetat cap. 5. de quodam Principe Germaniæ, cuius corpus per annum integrum à morte, Diabolus aſſiſtens mouerat, & tanquam incorruptum, imo viuum ac ſanum exhibuerat. Alia talia ex Peucero, Sabino, & aliis recitat Godelmannus lib. 1. de Magia, cap. 4.

5. Recentioris memoriæ, ſed omnino inſigne eſt, quod anno 1581. Dalhemij apud Lotharingos accidit, & carmine pereleganti deſcriptum eſt à Nicolao Remigio libro ſecundo, dæmonolat. periocha 1. vnde adſcribo laciniam.

Erigit, ſuque pedes jo exemplo dat puers è fert.
Deinde gradum, & nota compellat voca parentes,
Solùm ab ea varius, quem ſe monſtrauerat olim,
Quod turpi contracta cutis macie efferat ora,
Quódque recedentes oculos ſtupor occupat atar.
Hac igitur ſpetie deſertos hoſpita ſenſus,
Vita animat rurſum, ſuetáſque redintegrat auras.
(Viribus vt quondam intercepta aſt luce potitus;)
Sed non mens eadem ſedet, & non, qui ante fauebat,
Spiritus officio vitam molitur eodem:
Verùm agitat pigram vita ſub imagine molem
Organicus Dæmon, moréſque imitatur agendo,
Spirans quos olim præ ſa natura ferebat:
Tandem, quo ſa ſa in ſua terga reuoluerat annus
Momento, & ſolidum curſu compleuerat orbem,
Daſerta vacuas ſedes ſtatiuna relinquens,
Sulphureo nidore fugam, ſtrepitúque fragoſa
Prodidit, atque elidas pulſans erupit in auras:
Tum ruit auerſum geminata voce cadauer.
Conſequitur putris, tantáque grauedine fœtar:
Qualis inoffenſa ſenſu, hunc oblimet inertem,
Quantumuis ſtupor, & latè vim excludat adoram,
Non queat humanis admitti naribus: Ergo
Raptatur tectis impacto mordicus vnco,
Atque inhonoratis pura ſub ceſpite terra
Conditur exequiis; ipſam ſe burranta parente
Naturam probro hoc qui ſic pudefecerat amens.

Putor ergo grauiſſimus, ſtropham præcedentem detexit, & idem quoad ſimilia, corporum dæmoniaca arte incorruptorum figmenta, eſt ſtatuendum. Nimirum quod quamuis dæmon fortaſſis inhibuerit, ne ea corpora tantoperè corrumperentur, quantum vi naturæ

naturæ per tempus illud corrupta fuiſſent; tamen magna ex parte ſubjacuerint putredini. Eſto acente per ludibria Dæmone terram ſpeciem & grauem odorem auertente, latuerit aliquandiu putrefactio.

Vera aliquando cadaueribus incorruptio à Dæmone.

6. HÆc quamuis ita ſe habeant, tamen poſſe reipſa dæmonem (niſi vi ſuperiore impediatur,) conſeruare cadauer aliquod incorruptum, dubitari non poteſt. Neque enim minor, imo longè maior eſt eius potentia ad extrahendas per motum localem à cadauere cauſſis putredinis, & admouenda per applicationem localem actiua idonea, quàm hominis artificialem incorruptionem conciliantis cadaueribus, vt ſupra eſt diſputatum; nimirum illigando tenaciùs humidum natiuum cum ſicco, & remouendo vel infringendo calidum ambiens. Sic philoſophandum videtur, de quibuſdam cadaueribus impiorum, quæ incorrupta perſtare dicuntur, in pœnam. Hanc enim non videtur Deus per ſeipſum infligere, nec per Angelos bonos, ſed per Dæmones tanquam diuinæ Iuſtitiæ executores atque carnifices; ſic enim eos vocat Petrus Chryſologus ſerm. 17. & Origenes lib. 8. contra Celſum, agens de præfecturis quas Celſus tribuebat Dæmonibus, & in calce libro ſeptimo, necnon Syneſius & Baſilius, ac Auguſtinus adducti in opere de terminalibus vitæ & mortis humanæ puncto ſexto, numero ſecundo. Eodémque ſenſu Sanctus Hieronymus in cap. 2. Ioël, dæmones vocauit Dei *quæſtionarios* atque *tortores*. Ab his igitur, cadauera impiorum in peccatis ſuis mortuorum, ſi quando diuino iudicio citra humanam artem perſeuerant incorrupta, accipiunt eam incorruptionem: quæ certè non tranſcendit vires Angelicas, dummodò Dæmon actiua idonea quæ probè habet perſpecta, admoueat paſſiuo diſpoſito.

Ad hoc genus incorruptionis cadauerum Franciſcus Richardus libro de ſacra expeditione ad Inſulam S. Irenes cap. 15. refert quod hodierni Græci vocant βρουκόλακας. Huiuſmodi enim defunctorum cadauera, perſtant ſuccida & integra: Dæmon autem ea agitat, & per ea infeſtat ſuperſtites, nunc cædendo, nunc excitando terriculamenta; & ingenti pauore complendo omnes, donec Dæmon aſſiſtens abſcedat, & corpus tabeſcat & ſuccum atque viuidum colorem deponat ceſſéntque tumultus. Quod contingere ferunt ſi cor eximatur à cadauere, eóque in fruſta ſecto, corpus vniuerſum cremetur.

Num cadauera in excommunicatione obeuntium, incorrupta, & an à Dæmone.

7 DE cadaueribus eorum qui in excómunicatione deceſſerint, perſuaſio eſt multorum, quod incorrupta perſtent, ſuffragantibus haud ignobilibus autoribus exempla in eam rem proferentibus. Sic Goteſcalcus Hoen Ordinis Sancti Auguſtini ſerm. 62. partis hyem. *litera C* rem ſua ætate geſtam (florebat anno 1490.) prodit his verbis. [Vidi ego, tempore quo eram ſtudens in conuentu Senarum in Italia, corpus cuiuſdam mulieris effoſſum, quod iacuerat annis ſeptuaginta in terra, & adhuc integrum in membris omnibus & capillis erat, quod fuit erectum ad murum, ad quod videndum confluebat tota ciuitas. In media verò nocte, Sacriſta voluit intrare Eccleſiam, & accendere lampadem pro matutino cantando. Eo egrediente, illud corpus ſequebatur eum, clamando quia in excommunicatione fuiſſet ſepulta, & idcirco reſolui non poſſet. Vade ergo ad legatum Papæ, vt mihi beneficium abſolutionis impendat; tunc reſoluar. Quo facto, mox eſt abſoluta, & corpore aſperſo aqua benedicta, protinus fuit id reſolutum in cineres.] Non diſſimiliter Krantzius libro tertio metropol. cap. 42. & 48 ſcribit, Sueuonem Regem Daniæ, à Libentio Hamburgenſi ob tyrannidem diris deuotum, poſt 70. annos in ſepulchro repertum eſſe integrum; diris deinque ſolutum, confeſtim in cineres abiiſſe. Similiter Matthæus Paris in vita Henrici tertij Regis Anglorum, ſcribit cadauer cuiuſdam Guilielmi, bonorum ſacrorum ſacrilegi vſurpatoris, & idcirco excommunicatione percuſſi, & in ea defuncti longo poſt tempore extumulatum, repertum eſſe planè integrum, ſed tumens ac liuens, & deforme horrendum in modum.

Græci id habuere perſuaſiſſimum, vt videre eſt Cruſij Turco-Græcia lib. 1. vnde rem fusè deſcripſi part. 1. de monitor. cap. 11. num. 16. nunc addo ea libro ſecundo eiuſdem operis, alia exempla duo: nimirum Arſenij excommunicatione defuncti, cuius corpus poſt mortem refoſſum, inuentum eſt integrum, ſed nigrum & ad tympani modum turgidum, omnibus ad eius conſpectum horrore & terrore correptis. Item Ioannicij Pſeudopatriarchæ, qui initio Patriarchatus Ieremiæ refoſſus, deprehenſus eſt incorruptus, ſed ſpecie deformiſſima & horrendiſſima. Ibidem libro 4. refertur Epiſtola Metrophanis Conſtantinopolitani, ſtringentis anathema in Cretenſes, verbis quæ planè ferunt, perſuaſum Græcis fuiſſe, corpora mortuorum in excommunicatione, non putreſcere. Sic ergo ſcribebat Metrophanes. [Scriptu hoc ſententiam ſuam S. Spiritus ſuggeſtu declarat, &c. illos tales eiici de Eccleſia Dei omnipotentis, & execratos eſſe, veniæque expertes, nec poſt mortem corpora ipſorum in terram reſolui.] Annuæ noſtrorum literæ anni 1618. Miſſionis Conſtantinopolitanæ res deſcribendo, idem produnt de exturbatoribus Neophiti Patriarchæ, ab eo excommunicatis. Rem tot ſuffragiis conſignatam, cur Petrus Leloyer libro 4. de ſpectr. cap. 13. Græcanicis fabulamentis annumerare videatur, non ſatis aſſequor.

8. Non ſolet de cadaueribus aliorum, (mala licet morte miſerabilium) notari ſimilis effectus diuinæ Iuſtitiæ; vt ſcilicet eorum corpora poſt malam mortem perſtent incorrupta. Tantum ſuccurrit animo, quod Romani apud Vocontios, ante non adeò multos annos vulgatum eſt; cadauer refoſſum eſſe planè integrum, & omnibus lineamentis illæſis; colore duntaxat

mutato, & cute ſiccata, quod fuiſſe ferebatur hominis execratione alterutrius parentum, ob inobedientiam, & malè compoſitos mores percuſſi. Ita retulit oculatus teſtis dotes eximias peritiæ atque prudentiæ, (Sidoniano verbo dicam,) faſtigiatiſſimæ probitatis arce tranſcendens, D. GASPAR DE MANTY, qui affuiſſe præterea inſolito illi ſpectaculo nonnullos è Senatu Gratianopolitano confirmat, vt retuli in Prato ſpirituali numero 93. Neminem quidem latere puto, quàm atrox ſit liberorum in parentes irreuerentium culpa; & quàm graues Deus de ea pœnas, iam ex hac vita ſumat; præſertim ſi procacia liberorum execrationem parentum extorſerit, vt Sanctus Auguſtinus inſigni exemplo confirmat lib. 22. Ciuitat. cap. 8. Quod tamen vltra huius vitæ metas in corporibus liberorum rebellium, parentalis exacerbationis vel execrationis quaſi vibices, ad eum modum perſtarent, non memini hactenus animaduerſum, apud nuſtrates. Poſt hæc tamen pridem vulgata, incidi in librum Franciſci Richardi de ſacra expeditione ad Inſulam Sanctæ Irenes, vbi cap. 15. *in fine* ex vetuſto Codice Eccleſiæ S. Sophiæ Theſſalonicenſis, refertur, defunctum qui perculſus fuerit paterna maledictione, aut aliquod à parentibus præmortuis demandatum exequi neglexerit, ſola antica cadaueris parte illæſum fore poſt mortem.

9. Porrò ex dictis, de incorruptis cadaueribus, defunctorum in excommunicatione, non eſt obſcurum quomodò hæc incorruptio non ſit fauor, ſed pœna talium defunctorum; quos ſupponimus exceſſiſſe cum peccato mortali, quamuis vinculum excommunicationis poſſit in mortuis abſque lethali peccato ſuperſtes eſſe, æquè ac in viuentibus. Sed non eſt veriſimile, corpora defunctorum abſque mortali peccato, tametſi vinculo excommunicationis non exſolutorum, multari ad eum modum. Defunctorum igitur in mortali culpa & excommunicatione, pœna eſt, quod eorum corpora non corrumpantur: quia vt præmiſſum eſt, huiuſmodi corpora ſunt tumida, liuentia, nigra, & ſupra communem modum deformia. Quin etiam vel ſola perſeuerantia in ſtatu extraordinario corporibus defunctorum, in quo monſtrari poſſint, & dicier *hic eſt*, haberet rationem pœnæ. Sicut pœna fuit vxoris Loth, quod corpus eius in ſalis ſtatuam effigie viuenti quàm ſimillima, conuerſum maneret, ita vt poſteritas eam ſtatuam conſpicando, dicere poſſet; en mulierem quæ contra diuinum iuſſum reſpiciens retrò, verſa eſt in huiuſmodi formam. Sicut enim qui aliquid probroſum admiſerunt, ſuffunduntur pudore ad aliorum conſciorum conſpectum; & vultum, cum poſſunt, operiunt, confuſionem declinantes qua facies eorum opprimitur cum incurrunt in alienos oculos; ita defunctis (ſiquidem ad eos ſenſus noſtrarum ſermonum pertingunt,) graue ac durum videri poteſt, notari tamdiu probri alicuius; & in planè eadem externa forma, tametſi inanima, excipere opprobria & improperia in faciem quodammodò coniecta à refricantibus antiquas maculas. Sanè ea perſeuerantia vxoris Loth in ſtatuam ſalis, (quam vt ſupra cap. 6. num. 7. memorabam, ſuo tempore adhuc duraſſe, nec pluuiis nec ventis imminutam, ſcribit Tertullianus carm. de Sodoma, & alij ibidem annotati, non potuit aliter rationem pœnæ habere, quàm quia vxor Loth, in ſtatua ad eius æternam formam planè effigiata, non ſubducitur confuſioni, qua perfunderetur, ſi ſentiret & viueret, cum à prætereuntibus refricatur memoria culpæ ob quam ad eum modum eſt mulctata.

10. Quod toto corpore excommunicatorum dictum eſt, æquè dici debet de partibus quibuſdam noxiis, quæ in defunctis quandoque notatæ ſunt non putruiſſe. Sic digiti periurorum, feruntur non putreſcere reliquo corpore putrefacto, vt abs ſe viſum propè Vvitembergam, ſcribit Chriſtophorus Viſcher concione 5. in 2. præceptum Catechiſmi. De Manu pueri perditi, idem habet Michaël Baptiſta libro mirab. med. part. 1. fol. 30. addens de nefaria manu nobilis Bohemici Staniſlaï à Schiniam, quæ non eſt corrupta. Idem videri produnt Erfordiæ in monte Sancti Petri, vbi manus filiæ qua matrem percuſſerat, manſit libera à putredine. Scribit item in ſuo Catechiſmo Henricus Roth. fol. 107. perditi filij manum quam matrẽ Ingolſtadij malè affecerat, non eſſe putrefactam; imo ab eo iam ſepulto protenſam eſſe extra tumulum, vt quia impunita per matris mollitudinem fuerat, puniretur poſt mortem. Sic enim Theologi à Magiſtratu interrogati eam protenſionem manus extra ſepulchrum, ſunt interpretati. Iuſſáque eſt mater, filij præmortui manum, virgis atrociter cædere: quo facto, manus retracta eſt in ſepulchrum.

CAPVT VIII.

De diuinitus cauſata incorruptione cadauerum in Sanctis vindicatis.

1. HÆc eſt incorruptio Sanctorum corporum; quam tametſi Deus per Sanctos Angelos, vt paſſim cætera, exequi poteſt, tamen eam Deo vt cauſæ adſcribo, tum quia Angeli boni eam incorruptionem conciliantes, operantur tanquam inſtrumenta beneuolæ Dei voluntatis, & ex iuſſione ac approbatione diuina: tum quia ipſa Dei manus, neceſſariò in conciliatione huius incorruptionis interuenit, ſi fiat abſque applicatione actiuorum idoneorum, ſine qua Angeli nihil niſi motum localem in corporibus præſtare poſſunt.

Statuendum verò eſt, vt omnino verum huiuſmodi incorruptionem cadauerum Sanctorum, non vacare Dei beneficio, quicquid in in contrarium ſcripſerit, homo plerumque præceps Fráciſcus Georgius tom. 6. problem. n. 157. vbi non ſapientum, ſed vulgi ſolius iudicio, ait, incorruptionem inter priuilegia corporum numerari. In quam rem allegat, corpus Sancti Ioannis Baptiſtæ (quem maximè decuiſſet incorruptio ſi eſſet priuilegium,) fuiſſe combuſtum? & Sanctorum Apoſtolorum Petri &

Pauli

Pauli corpora, proſsus carne nudata, abs ſe viſa, teſtatur. Additque, cadauera quouſque carneo ſacco humeſcunt, immunda eſſe, eiſque aſſiſtere ſpiritus immundos, ac proinde non eſſe priuilegium quod corpora ſeruentur integra. Sic quidem Franciſcus Georgius, ſed abſurdè. Nam tanquam genus quoddam immortalitatis ſemper eſt habitum, quod cadauera ſubducta maledicto, in puluerem non eant; & ſingulare Dei munus agnoſcitur, quod ſancta corpora non videant corruptionem. Eáque dimidij hominis in ſtatu priore preſeuerantia, non poteſt non eſſe cuique chara & accepta, pro eo amore quo ſeipſum quiſque proſequitur: cui amori velificantes poſteri, ſuorum corpora condire, & aliquatenus perennia reddere, iam olim in vſu habuerunt, non plebej modò, ſed etiam ſapientes, vt Ioſeph fecit circa corpus Patris, & Nicodemus (quantum in ipſo fuit,) circa corpus Chriſti. Itaque cum citra artem, Deus hoc alicui cadaueri concedit, eſt priuilegium, etiam iudicio ſapientum; quo ſi Deus non vult exornare omnium Sanctorum corpora, Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciens. Quod verò cadaueribus incorruptis, etiamſi ſuccidis, inſit immunditia, & aſſiſtant Dæmones, fabuloſum eſt & explodendum.

Aliqua Sanctorum & piorum corpora, diuinitùs incorrupta, nequiquam obſtrepentibus Sectariis.

2. PLeraque ergo Sanctorum corpora, Deo illa proſpiciente non vidiſſe corruptionem, & in hoc conformia facta eſſe Sancto. Chriſti corpori in triduo mortis, teſtatiſſimum eſt. Nec ea de re dubitare licet, ſiue ſpectemus Dei potentiam, ſiue voluntatem. Non potuiſſe quidem Deum Sanctos ſuos ſic honorare, quis adeò cæcus ſit, vt diffiteatur? Arca Noëtica, poſt aliquot annorum millenaria, perſtabat tempore Theodoreti; vt ipſe ſcribit Orat. 8. de prouid, Statua vxoris Loth, vt proximè ex Tertulliano aliiſque audiuimus, durauit per multa ſæcula, tametſi eſſet ex materia liquabili & fluxa, & aëris ac cœlis iniuriis omnibus pateret: & magnum erit Deo, arcas ſanctarum animarum & corpora queis illa inſederunt, ſeruare abſque tabe & corruptione? Alias dotes corporum Sanctorum iam rediuiuorum & glorioſorum contulit, quandoque Deus exuuiis Sanctorum hîc ſuperſtitibus, vt Thomas Boſius fusè proſequitur lib. 15. de ſignis, cap. 7. Nam & mobilia nullo conſpicuo externo motore, ſunt viſa interdum Sanctorum corpora, & ignibus non ceſſerunt, cum malignè in eos eſſent iniecta, & inſigni luce ſplenduerunt. Illuſtrat hæc omnia multis probatis hiſtoriis idem Boſius. Non erit ergo operoſum Deo, donare ſancta corpora, prærogatiua incorruptionis & exemptionis à tabe. In quam rem Beda cap. 42. in actis S. Cuthberti Lindisfarnenſis Epiſcopi exprimens verſu pium ſenſum Eadberti Epiſcopi ad corpus Sancti Cuthberti poſt annos vndecim ab obitu, integrum & tabis expers deprehenſum, ſic canit:

Nec tibi difficile, omnipotens mandare ſub vrna,
Ne depaſta vorat funera labes edax.
Qui triduo ſeruas toti ſub viſcere vatem
Lucis iter pandens, mortis ab ore tuo
Qui ignibus in mediis inſontia membra tueris,
Ne Hebræum lædat Chaldea flamma decus,
Deus quater renouas per frigora plebis amictum.
Qua Pharium fugiens litua ſernas humum.
Qua rediuiua leuem formas in membra fauillam,
Cum tremit Angelicis mundus ab axe tubis.

Quid verò mirum; admiſiſſe Catholicos, poſſe Deum corpora ſanctorum ſuorum, ſeruare illæſa, & corruptionis expertia, cum eam prærogatiuam poſſe à Deo tribui, Ethnici quoque agnouerint? Nam referente Arnobio lib. 5. Atyn concedente Ioue accepiſſe dixerunt, ne corpus eius putreſceret, ac vt creſcerent eius comæ ſemper.

3. Quod ſi Deus præſtare id poteſt Sanctorum corporibus, cur præſtare voluiſſe negemus, quando ſenſus ipſi conſtanter id exhibent, nec quoad vnum duntaxat, fortè laſcioſum, fortè oſcitanter & perfunctoriè contuentem, ſed quoad omnes? conformantur hac ratione Sanctorum corpora, ſancto Dei, id eſt corpori Chriſti quod non vidit corruptionem. Et cum fuerint in vita templa Dei, ac vt loquitur Tiofridus l. 1. Epitaph. Sanctorum, cap. 4. *Æternæ ſapientiæ Archiſteria*, id eſt palatia in quibus Rex Regum, τὴν ἀρχὴν, principatum inquam ſuum ac imperium oſtentat; carnem fragilem aduerſùs omnes Satanæ impetus muniens, & à myſtica corruptione immunem præſtans, iure donantur incorruptione, tanquam indice eius incorruptionis quam in vita mortali diuino munere obtinuerunt. Et quamuis id non omnibus ſanctorum corporibus, etiam quæ per vitæ tempus incorrupta myſticè fuerunt, concedatur; nominatímque S. Pauli corpus, in puluerem ſolutum agnoſcat S. Chryſoſtomus hom. 32. in Epiſtol. ad Rom. Tamé ſufficit monſtrandæ diuinæ beneficentiæ & congruo omnium talium corporum ſtatui, forma paucorum, in quibus elucet quid trahant corpora mortalium ex Adamo, quid ex Chriſto. Nam (vt ſuprà inſigniter diſſerit Tiofridus,) ex Adamo corpora noſtra trahunt vt reuertantur in terram ſuam: Ex Chriſto autem, trahunt incorruptionem. Eam idem Author, in pleriſque corporibus Sanctorum quæ non perſtitere prorſus integra, participatam ſaltem, demonſtrat per conceſſam diuinitus exquiſitam fragrantiam, tantopere à corporis humani anima ſpoliati conditione alienam, vt fœteant ſuper omnia olida; & licet ceratia brandeis inuoluantur, licet ferinis tergoribus inſuantur, tamen intolerabiliter puteant. Cum è contrario, pleriſque Sanctorum exuuiis conceſſum ſit, vt gratiſſimo odore perfundant aſtantes: in quam rem idem Author eo loco cap. 5. 6. & 7. præclarè diſſerit. Et verum eſt, ea prærogatiua gaudere pleraque Sanctorum corpora; cuius exempla paſſim occurrunt in Actis Sanctorum. & ſignantur etiam non pauca à Thoma Boſio lib. 15. de ſig. cap. 8. Eſt iterum verum; eam prærogatiuam eſſe ſtillicidium aliquod incorruptionis, & ſuppeditare argumentum ad agnoſcendam myſticam incorruptionem quam in vita obtinuerunt. Sed nos hoc loco pleniorem Sanctorum cadauerum incorruptionem habemus propoſitam, & à Deo

per Chriſti merita conceſſam; vt eſſent ſpecimina beneficentiæ Dei in corpora Sanctorum, & conformationis eorum cum Chriſti corpore prorſus incorrupto; cuiuſmodi ſpecimina extare omnino multa contendimus; ſuffragante tam multiplici experimento, vt non ſit locus tergiuerſationi.

Poſſumus argumentum addere ex aliis quibuſdam quæ Deus incorrupta eſſe interdum voluit ob aliquem nexum cum Sanctis, aut ob relationem ad aliquod Chriſtianum myſterium, tametſi ſint inanimata, nec ſint partes totius quod Spiritus ſanctus inhabitauerit, vt ſunt corpora Sanctorum. Omittamus varias Sanctorum exuuias, Dei beneficio perennantes abſque corruptione. Quid aqua tenuius & plus patens corruptioni? Et tamen aquam benedictam, ſiue ad vſum Baptiſmatis, ſiue ad quotidianum pietatis adminiculum, abſque vitio perſeueraſſe ad longum tempus, eſt extra dubium. De aqua Iordanis, ex quo Chriſtus in eo flumine eſt baptizatus teſtatur in ſuo Odœporico Chriſtophorus Radziuilius, quod ſubiicio. [Aquam valdè turbidam Iordanis habet, ſed ſalubrem, quæ in vaſe aſſeruata nunquam corrumpitur; prout in ea quam attuli mecum, indubitanter ſum expertus.] Gretſerus l. 3. commentar. in Codinū ad c. 3. § 5. id refert ad Chriſti attactum in ſuo Baptiſmo. An hoc ferebat formula benedictionis aquæ apud Græcos exhibita in Menæis 6. Ianuar. & in Enchologio? [Da huic aquæ benedictionem Iordanis, incorruptionis fontem.] Habemus de aquarum perſeuerantia locupletius teſtimonium. [In hac ſolemnitate (aiebat S. Chryſoſtomus homil. de Baptiſmo Chriſti,) ſub mediam noctem, omnes, cum aquam acceperint, domum latices referunt ac recondunt; & per integrum annum conſeruant, vtpotè quod hodierna die ſanctificatæ ſunt aquæ; fitque miraculum euidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; ſed integro anno, atque adeò biennio, & triennio ſæpè, quæ hodie ſunt hauſta, incorrupta & recens permanet, ac poſt tantum temporis, cum iis quæ nuper fuerint è fontibus ductæ, certat.] Exempla duo in hanc rem perilluſtria notauit Gretſerus l. 1. de benedict. c. 19. Primum baptiſterij templi S. Leonardi, Veſtfaliæ, in quo aqua poſt annos vigintinouem, tam pura & limpida eſt deprehenſa, quàm ſi nunc primùm fuiſſet immiſſa. Alterum Parthenonis Rigenſis in Liuonia, in quo Anna Netken poſt regionis defectionem ad Lutheriim, conſtantiſſima Catholica, aquam benedictam per annos quadraginta, mundam & nitētem aſſeruauit genus omne ægritudinem ab aſperſis poſtſve ea aqua depellens, ac energumenos quoque tetro inquilino liberans. Appatet hoc genus miraculi fuiſſe olim inter Græcos ordinarium & quotidianum, cum Græci (vt refert Manuel Caleca l. 4. contra Græcos,) inde Latinis calumniam ſtruerent, quod ſancta eorum aqua non perſtaret incorrupta, ſicut perſtabat apud ipſos Græcos. Retundit eam calumniam Caleca, dicens, experimento patere contrarium inter Latinos, ita vt aqua benedicta apud Latinos, etiam vltra annum perſeueraret incorrupta, imo limpidior ſemper ac purior. Ac etiam in vino benedicto idem obſeruatum teſtatur. Similia habet Franciſcus Richardus l. de ſacra expeditione ad inſulam S. Irenea c. 33. agens contra hodiernos Græcos quos vix aliud magis firmat in errore, & ritnum Latinorum odio quàm falsò obſeruata aquæ Græcanico ritu abſque ſale benedictæ incorruptio, cum è contrario aquam ritu Latino initiatam, ſaltem poſt dies triginta putreſcere ac verminare, (& quidem vermibus magnitudiné pollicis æquantibus) impudoratè effutiant. Quod ab eodem Authore accuratè confutatum, nihil attinet ſollicitiùs conterere: eſt enim ab obſtinatione vaſorū.

De pane, per S. Bernardum benedicto ad longum tempus incorrupto ſic legitur l. 4. vitæ eiuſdem Sancti c. item 4. [Ipſam quoque ſubſtantiam panis ab omni corruptionis iniuria, eadem benedictio vindicabat; adeò vt plures viderimus qui per ſeptennium & vltra, eoſdem ſeruauerant panes, nec colore nec ſapore mutato. Ante hos paucos dies Venerabiles Abbates Gerardus & Henricus de Sueciæ partibus venientes, dum ſuper his conferremus, teſtati ſunt nobis, panem ante vndecim annos, eius benedictione ſignatū, manere apud ſe adhuc penitus incorruptū Nec diſſimilem apud aliquos noſtrum vſque hodie nouimus, & apud alios multos credimus eſſe repoſitum.] Subiicitur ibidem narratio de Eſkillo Danorum Archiepiſcopo qui adito D. Bernardo cui erat addictiſſimus in reditu panem à S. Bernardo benedictum ad curationes aſportaturus; curauit eum antequàm benediceretur, ſecundo coqui, vt cirea buccelatum aut nauticum panē ad diuturnam conſeruationem, ex vſu eſt facere. Sed renuit eam cautelam S. Bernardus. Itaque pane communi benedicto, negauit timendam corruptionem, quod & factū eſt pane per multos poſtea annos prorſus illæſo, imminutæ tn Epiſcopi fidei defectum conteſtante, vt ipſe Eſkillus affirmabat. Si igitur aquam, & panem, ac vinum, rem inanimam & diuinæ gratiæ internæque ſanctitatis ne in comparte quidem ſua ac toto quod compingant capacem, Deus incorruptione donatam voluit, vt externæ eius ſanctificationi & luſtrationi atteſtaretur, mirabimur corpora Sanctorum, digna Dei habitacula & conſtituentia totum intrinſecè ſanctum ac diuinitatis particeps, ſimili munere à Deo honeſtari?

4. Itaque peponis cui fuiſſe neceſſe eſt Vuitacbero Sectario de Notis Eccleſiæ differenti, nec non Litho Miſeno quem Gretſerus triplici Apologia contudit, cum auſi ſunt fabulis annumerare, quæcunque de incorruptis Sanctorum corporibus, prodita ſunt in Sanctorum Hiſtoriis. Sed res eſt adeò teſtata, vt non niſi inſaniſſimè & effrontiſſimè negari poſſit. Signemus illuſtriora quædam exempla, cum antiqua, tum nupera; vt hoſtes Eccleſiæ quæcunque non norunt blaſphemantes, ingeſtis (vt ita dicam) Solis radiis, cæcitatis quâ laborant, euincamus, & ſanctis corporibus ſtet ſuum decus. Multa huiuſmodi congeſſit Boſius lib. 15. de ſignis, cap. 7. nec pauca etiam Ioan. Baptiſta Signius, Tract. de reliquiis, cap. 6. & Heribertus Roſuedius, in Onomaſtico ad Vitas Patrum V. *Sanctorum corpora incorrupta.* Refert etiam in hanc rem, Gretſerus lib. 1. de funere Chriſtiano, c. 4. Kornmannum ſyntagmate de miraculis mortuorum, p. 3. Sed eū videre nō licuit, niſi poſt hoc opus primò editum.

editum. Dimiſſa autem exemplorum talium multitudine, paucis illuſtrioribus contenti erimus.

Selecta ad id exempla Sanctorum vendicatorum.

5. CORpus S. Zachariæ Prophetæ, Imperante Theodoſio iuniore, annis poſt Chriſtum quadringentis, integrum eſt inuentum, cum anno mundi ter milleſimo quingenteſimo 58. occubuiſſe, atque adeò per annos mille centum ac 68. incorruptum permanſiſſet. Notauit eius inuentionem Sozomenus libro nono, capite decimo ſeptimo totius ſuæ hiſtoriæ vltimo.

Sancti Barnabæ Apoſtoli corpus, poſt annos ab obitu circiter quingentos, imperante Zenone, inuentum eſt planè incorruptum. Author, Alexander Monachus in S. Barnabæ laudatione; qui notat, Anthemium Salaminæ Cypri Epiſcopum, cùm à Petro Fullone qui Antiochenam ſedem inuaſerat, penè opprimeretur, non alio argumento retinuiſſe libertatem ac exemptionem in Antiochenæ ſedis iuriſdictione, quàm allegato Sancti Barnabæ apud ſuos Apoſtolatu, cuius etiam corpus integrum tanto poſt ſedes illa retineret.

Varia corpora Sanctorum Innocentium ſub Herode paſſorum, abs ſe viſa incorrupta, ſcribit Cantipratanus libro ſecundo Apum cap. 53. num. 2.

6. Corpora Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij qui cæſi fuerant anno Chriſti 169. reperta ſunt à Sancto Ambroſio anno 387. reperta verò ſunt integra cum plurimo ſanguine, vt teſtatur ipſe Sanctus Ambroſius Epiſtol. 85. quæ eſt ad Marcellinam ſororem de inuentione horum Sanctorum: quam item celebrat ſermone 91. quod eſt de eodem argomento. Sed & Sanctus Auguſtinus qui per tempus illud Mediolani aderat, attingens eandem inuentionem libro nono Confeſſ. capite ſeptimo, hæc præter cætera habet. [Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Geruaſij & Protaſij, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras.] Eo *incorrupta*, & quidem per annos ducentos, qui effluxerunt à Sanctorum illorum cæde pro Chriſto, ad tempus vſque quo à B. Ambroſio reperta ſunt eorum corpora.

Inuenta ſunt ab eodem Sancto Ambroſio Sanctorum Nazarij ac Celſi ſacra corpora: quorum ille Beatorum Geruaſij ac Protaſij commilito fuerat. Rem geſtam deſcribens Paulinus in Ambroſio, ſic habet de Sancto Nazario. [Sancti Nazarij martyris corpus, quod erat in horto poſitum extra ciuitatem, leuatum, ad Baſilicam Apoſtolorum quæ eſt via Romana, tranſtulit. Vidimus enim in ſepulchro quo iacebat corpus Martyris (qui quando ſit paſſus, vſque in hodiernum diem ſcire non poſſumus) ſanguinem Martyris ita recentem, quaſi eadem die fuiſſet effuſus. Caput etiam ita integrum atque incorruptum, cum capillis capitis atque barba, vt nobis videretur, eodem tempore quo leuabatur, lotum atque compoſitum in ſepulchro. Et quid mirum, quandoquidem Dominus hoc in Euangelio ante promiſit, quod capillus de capite eorum, non peribit? Etiam odore tanto repleti ſumus, vt omnium aromatum vinceret ſuauitatem.] Mirum eſt, latuiſſe Paulinum, hos Sanctos Neroniana falce eſſe ſucciſos. Sed de hoc aliàs. Nunc ſatis eſt notare ſanguinis & capitis incorruptelam. An etiam reliqui corporis? quandoquidem addit Paulinus, leuatum fuiſſe à Sancto Ambroſio corpus S. Nazarij, & in lectica compoſitum, quod totius corporis integritatem & incorruptionem inſinuare videtur.

7. Sancta Sabina Matrona Laudenſis, quæ corpora Sanctorum Naboris ac Felicis ſub Maximiano cæſorum, aſportata Mediolanum, ibi religioſiſſimo affectu cõdidit in Philippi Polyandrio, ad quod ieiuniis & orationibus aſſiduè vacans, ſanctiſſimè obijt ſub annum Chriſti 311. in eodem loco ſepulta eſt. Poſt multa ſæcula id eſt anno 1571. Pontificiæ ſanctimoniæ idea Sãctus Carolus Borromæus, marmoreum mauſeolum quo Sanctæ Sabinæ corpus conditum fuiſſe fama erat, reſerari iuſſit, ipſo poſt repetitas de ſancti illius Antiſtitis more preces, præſente & opus vrgente. Nec ſine magna & conſolatione & admiratione, ſacrum cadauer reperit prorſus incolume, ac gratiſſimum ac fragrantiſſimum afflans odorem, ipſo crepidarum ſubere, & lineis laneiſque opertimentis omnibus, planè ſanis, nulláque exeſis vetuſtate. Aſpectus faciei, non mulieris demortuæ, ſed dormientis videbatur. Commota eſt ad huiuſmodi ſpectaculum vniuerſa Ciuitas Mediolanenſis. Sanctus Carolus, è ſacro corpore dentem ſibi exemit, quem argenteæ thecæ incluſum, de collo, dum vixit, pendentem circumtulit. Diuæ autem corpus, quale repererat, denuò incluſum ſarcophago marmoreo, vectibus ferreis ne furto pateret ritè communito, quotannis religioſiſſimè frequentauit, vt ſcribunt Carolus à Baſilica Petri lib. 3. vitæ Sancti Caroli, cap. 6. & Gaſpar Triſſinus in Sanctæ Sabinæ Actis.

8. Sanctus Hieronymus, in calce vitæ Sancti Hilarionis, ſic ſcribit de beatiſſimi illius viri ſacris exuuiis. Heſychius [poſt decem ferè menſes, corpus eius (*Hilarionis*) furatus eſt, quod Maiumam deferens, totis Monachorum & oppidorum turbis proſequentibus, in antiquo Monaſterio condidit. Illæſa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore quaſi adhuc viueret integro, tantiſque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur.]

9. Sancti Simeonis Stylitæ ſenioris ſacrum corpus, Antiochiæ magna veneratione aſſeruatum, ſic deſcribit tanto poſt Nicephorus libro decimo quarto, capite quinquageſimo primo. [De hoc mirandum quiddam, qui id viderunt, memorant. Nam capitis eius & barbæ capillos non excidiſſe, neque tempore longiſſimo intercidiſſe ainor: qui vi temporis ſuperata, formam adhuc viri ſancti veluti viuentis & inter homines verſantis conſeruarint. Integra etiam eius dicta eſt fuiſſe cutis omnis, atque in fronte præcipuè, labore & tempore multo rugoſior atque durior facta. Oris item dentes, illis exceptis, quos fidelium manus, propter egregium

in

in eum amorem abſtulere. Quæ ſanè omnia ſtaturam eius & habitum, qualis & quantus Dei homo Simeon fuerit, declarant.

10. Sanctus Antonomus ſub Diocletiano, inſignis in Oriente, ex Italo Epiſcopo Martyr, corpore incorruptus poſt mortem perſtitit. Audi de eo Metaphraſtem 12. Septembris *in calce Actorum eius.* [Ego autem videns athletam, etiam poſt mortem, vincentem naturam, exurgo ad Deum glorificandum. Iniiciens enim aliquando oculos in ſepulchrum Martyris, aſpexi ſacras eius reliquias, quæ inuictæ manſerant à mortis viribus. Quæ enim vniuerſam animalis compoſitionem ſe trium dierum ſpatio gloriatur diſſoluturam, iam ducentis annis non valuit præclari illius viri vel pilum corrumpere. Sed & coma capitis eſt denſa & illæſa, formæ character conſiſtit integer, pelle firma & intenſa, ne amiſſis quidem pilis labri ſuperioris. Eſt autem ei orbis quoque apertus oculorum; per quos intuenti mihi videbatur, quod legem tantùm mortis ipſe reueritus, ſilentium ſimularet. Stat autem vniuerſa quoque figura eius corporis, ſuam conſeruans compagem; & nec eius capitis raptum eſt aliquid, nec reliquorum corporis partium facta eſt vlla à ſe inuicem diſiunctio. Sic enim munificus Dominus ſcit viciſſim glorificare eos qui ſuis membris voluerunt eum glorificare.]

11. Sancti Ioannis Chryſoſtomi ſacrum corpus, quod in exilio ſine apparatu conditum fuerat; cum poſt annos quinque ſupra triginta, literis ſupplicibus Theodoſij iunioris tanquam ad viuentem datis, eſſet relatum Conſtantinopolim, atque à Proclo eſſet in ſede ſua collocatum, viſum eſt labia mouere, auditáque eſt ea ſalutato, *Pax vobis.* Erat itaque incorruptum & integrum. Legeſis Nicephorum libro decimo quarto, capite quadrageſimo tertio; & Coſmam Veſtiarium ea oratione de Sancti Chryſoſtomi tranſlatione quam memorat Baronius anno Chriſti 438. Nec video cur Gotfridus Tilmannus in Notatione ſubtexta vitæ Sancti Chryſoſtomi per Georgium Alexandrinum, hanc narrationem apud vnum Nicephorum extare dicens, vocet in ſuſpicionem figmenti. Non ita Baronius loco allegato.

Sancti Gereonis corpus, poſt annos octingentos, integrum & incorruptum eſt repertum anno 1122. vt ſcribit qui ſe affuiſſe teſtatur Rodulphus Abbas Sancti Trudonis. Fuit autem S. Gereon ſub Maximiano Martyr, ſicut & S. Mauricius anno Chriſti 297.

12. Corpora duo Sanctorum Anachoretarum, integra prorsúſque incorrupta reperta, vnum poſt annos ſeptem, alterum poſt annos quindecim. V. apud Moſchum c. 87. & 89. Limonarij.

Sancti Ioannis Eleemoſinarij corpus omnino incorruptum, ab Imperatore Turcarum ad Matthiam Hungariæ Regem tanto poſt tempore tranſmiſſum eſt, vt ſcribunt qui res Matthiæ ſunt proſecuti.

Sanctus Gregorius libro tertio dialog. capite decimo tertio, ſic ſcribit de Herculano Epiſcopo Peruſino, iuſſu Totilæ Gothi, capite plexo. [Cum itum eſſet ad ſepulchrum, effoſſa terrâ inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpotè iam die 40. tabe corruptum & vermibus plenum; corpus verò Epiſcopi, ac ſi die eodem eſſet ſepultum. Et quod eſt adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput eius vnitum fuerat corpori, ac ſi nequaquam fuiſſet abſciſſum, ſic videlicet vt nulla veſtigia ſectionis apparerent. Cúmque hoc & in terga verterent exquirentes ſi quod ſignum vel de alia monſtrari inciſione potuiſſet, ita ſanum atque intemeratum omne corpus inuentum eſt, ac ſi nulla hoc inciſio ferri tetigiſſet.]

Sanctæ Radegũdis Francorum Reginæ loculus, poſt annos octingentos ac duodeuiginti & menſes nouem & dies tredecim, à tumulato intra illud ſacro corpore reſeratus eſt, & corpus repertum eſt mirè fragrans ac planè incorruptum. Et cum Ioannes Dux Biturigum Princeps Regij ſanguinis annulos duos digitis inſertos prehendere tentaſſet, Regalem facilè abſtulit; Monaſticum, quo Moniales veluti ſponſas Chriſti ex vſu erat inſigniri, renitente Sancta Regina auferre nequiuit. An verò ex hac cadaueris incorruptione rectè intulerit Ioſephus de Monteil l. 1. de vita Sanctæ Radegundis cap. 7. eam in coniugio cum Clotario perſeueraſſe Virginem, tametſi cum nupta fuit ætate floſcentem, nec à viro ſecubantem, alterius eſt conſiderationis, & ex dicendis cap. 10. patebit quid ſentiendum videatur.

13. Agens de Sancto Cuberto, Beda lib. 4. hiſtor. Anglo. cap. 30. [Volens (inquit, latius demonſtrare diuina diſpenſatio, quanta in gloria vir Domini Cuthbertus poſt mortẽ viueret, cuius ante mortem vita ſublimis crebris etiam miraculorum patebat indiciis, tranſactis ſepulturæ eius annis vndecim, immiſit in animo Fratrum, vt tollerent oſſa illius. Qui more mortuorum conſumpto iam & in puluerem redacto corpore, reliqua ſicca inuenienda putabant, atque in nouo recondita loculo, in eodem quidem loco, ſed ſupra pauimentum dignæ venerationis gratia locarent. Quod dùm ſibi placuiſſe, Eadberto antiſtiti ſuo referrent, annuit conſilio eorum, iuſsítque, vt die depoſitionis eius, hoc meminiſſent. Fecerunt autem ita: & aperientes ſepulchrum, inuenerunt corpus totum quaſi adhuc viueret; integrum, & flexibilibus artuum compagibus multo dormienti quàm mortuo ſimilius. Sed & veſtimenta omnia quibus indutum erat, non ſolùm intemerata, verùm etiam priſca nouitate & claritudine miranda apparebant.] Et perſtitiſſe ſua ætate, (id eſt inclinato iam ſuperiori ſæculo) corpus S. Cuthberti quale Beda retulit, teſtatur Alanus Copus

14. Edelburgæ ſacræ Virginis, corpus incorruptum memorat idem Beda libro tert. hiſtor. capite octauo. Sed illuſtre eſt quod habet libro quarto, capite decimo nono de Edildrida ſanctiſſima Virgine, etiam poſt coniugium cum Egfrido Anglorum Rege. [Cum corpus (inquit) ſacræ Virginis ac ſponſæ Chriſti, aperto ſepulchro eſſet prolatum in lucem, ita incorruptum inuentum eſt, ac ſi eodem die fuiſſet defuncta, ſiue humo condita, ſicut & præfatus Antiſtes Vvilfridus, & multi alij, qui nouere, teſtantur. Sed certiori notitiâ Medicus Cinfridus, qui & morienti illi & eleuatæ de

tumulo

tumulo aſſuit, referre erat ſolitus, quòd illa infirmata habuerat tumorem maximum ſub axilla & iuſſerunt me (inquit) incidere tumorem illum, vt efflueret noxius humor, qui inerat. Quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto leuiùs habere; ita vt multi putarent quod ſanari poſſet à languore. Tertia autem die prioribus aggrauata doloribus, & rapta confeſtim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua ſalute ac vita mutauit. Cúmque poſt tam multos annos eleuanda eſſent oſſa de ſepulchro, & extenſa deſuper papilione omnis congregatio, hinc fratrum, inde ſororum, pſallens circumſtaret, ipſa autem Abbatiſſa intus cum paucis oſſa eleuatura, & delatura intraſſet, repentè audiuimus Abbatiſſam intus clara voce proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multò poſt clamauerunt me intrò, reſerato oſtio papilionis, vndique eleuatum de tumulo & poſitum in lectulo corpus ſacræ Deo Virginis quaſi dormientis ſimile. Sed & diſcooperto vultus indumento, monſtrauerunt mihi etiam vulnus inciſuræ quod feceram, curatum, ita vt mirum in modum pro aperto & hiante vulnere cum quo ſepulta erat, tenuiſſima tunc cicatricis veſtigia apparerent. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, vt ipſo die viderentur caſtis eius membris eſſe circumdata.]

15. In eadem Anglia [anno triceſimo ſexto poſt Sancti Eduardi obitum, cum corpus eius de terra eleuaretur, integrum incorruptum, & flexibile, cum veſtibus recentibus repertum eſt.] Verba ſunt Aëlredi in Actis Sancti Regis 5. Ianuarij. Idem pleniùs & minutiùs deſcribitur in deſcriptione Canoniſmi Sancti Eduardi per Alexandrum tertium.

Pleraque corpora Sanctorum in Anglia fuiſſe incorrupta, ſcribit Vincentius Bellouac. libro vigeſimo quinto ſpeculi hiſtor. capite quinquageſimo primo, agens in primis de corpore Sancti Edgari Glaſconiæ Regis quem Adelhardus Abbas longo poſt tempore incorruptum inuenit: & cum loculus eidem excipiendo paratus, iuſto anguſtior repertus eſſet, Abbas ferro adhibito auſus eſt partem corporis truncare, vnde mox copioſus ſanguis manauit, & diuina vltio Abbatem illicò apprehendit. Subdit verò Vincentius. [Nuſquam gentium (vt opinor) reperies tot Sanctorum poſt mortem illibata corpora vt in Anglia; quæ futuræ incorruptionis ſpeciem prætendunt. Quod ideò diuinitus factum exiſtimo, vt natio penè extra orbem poſita, in ſpem reſurrectionis animetur, ex conſideratione tot corporum quæ incorruptibilia perdurant. Hæc autem ſunt Sancta Etheldreda & Vihurga Virgines; Rex Eadmundus, Archiepiſcopus Elphegus, Cuthbertus antiquus pater, omnes inuiolatis cute & carne, flexibilibus articulis, vitali quodam tepore ſpeciem dormientium meditantes.] Hæc ibi Vincentius.

16. Corpus Sancti Othmari qui per calumniam in carcerem compactus, & ibi ex fame mortuus fuerat, decem annis poſt mortem aperto ſepulchro inuentum eſt planè integrum, niſi quod extrema pars vnius pedis, colore tantiſper mutata & tabida videbatur. Obſeruauit hoc Vualfridus Strabo, vitæ author cap. 7.

Deſcribens primam Sancti Remigij tranſlationem Hincmarus, ſic ſcribit. [Sumptæ ſunt reliquiæ à corpore illius; de capillis videlicet eius & caſula ac tunica ipſius; & inuolutum eſt corpus illius integrum, ſed exſiccatum, de brandeo rubeo.] Et in deſcriptione tranſlationis ſecundæ, factæ anno octingenteſimo quinquageſimo ſecundo, [Corpus Sanctiſſimum, ſicut & in anteriori tranſlatione, ab Epiſcopis Rhemorum diœceſeos, integrum inuentum eſt, & brandeo rubeo inuolutum.] Multis ergo poſt annis, integrum repertum eſt corpus Sancti Remigij. Nam obierat anno quingenteſimo quadrageſimo quinto, iuxta Sigebertum in Chronico: vel etiam anteriùs vt ex Actis Synodi Aruernenſis eruit Baronius anno quingenteſimo quadrageſimo primo. Et tamen poſt tot ſæcula, corpus ſacrum, repertum eſt integrum. Hæc pridem edita cum legiſſet V. Cl. Petrus Payen, in Arauſicano Senatu ſupremo Conſiliarius, ſignificauit per literas, idoneis ſe teſtibus compeeriſſe, nuperrimè Sancti Remigij loculo reſerato, corpus eius adeò integrum incorruptúmque repertum eſſe, ac in iis per tot ſæcula præuiis ſacri corporis retectionibus quas memoraui.

17. De Sancti Ferreoli Martyris corpore per Sanctum Mamertum reperto, ſic habet Gregorius Turonenſis lib. de mirac. S. Iuliani, cap. 2. [Inuenit in tertio ſepulchro virum iacentem illæſo corpore, integro veſtimento, qui deciſo capite, caput amplexus aliud, brachio detinebat. Erat enim ac ſi nuper ſepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decuſſione turpatus, neque vlla putredine reſolutus: ſed ita integer & illæſus, vt putares eum adhuc ſopore corporeo detineri. Tunc Antiſtes gaudio magno repletus, ait: Hoc eſſe cadauer Ferreoli, hoc eſſe caput Iuliani Martyris, dubium non habetur.]

Sanctus Theodolphus, quem Molanus Viſuardi Martyrologio inſeruit 1. Maij, annis ſexcentis ab obitu, inuentus eſt corpore planè incorruptus, vt ſcribit qui aderat Thomas Cantipratanus cap. 43. numer. 2. libri ſecundi Apum.

S. Vandregeſilus, annis quadraginta ab obitu, planè incorruptus, veſtibus etiam illæſis; repertus eſt à Baino Epiſcopo Teroanenſi anno 729.

18. De S. Huberto, vltimo Tungrenſi, primo Leodienſi Epiſcopo, ſic ſcribit Ionas Epiſcopus in Sancti viri Actis. [Sacerdotes & populi introſpicientes, glorioſum eius corpus, nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione atque putredine repererunt: & pro tabo atque putredine, quæ mos eſt mortalium corpora defuncta contrahere,

aromatum more, illud ſenſerunt odorifico odore feruere. Caput autem illius, oculis perluſtrantes, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile eſt) ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis: coronam verò capillorum, alienam prorſus ab omni læſione, cæſariémque auctam, & prolixitate & pulchritudine. Neque enim candore ſenili albebat, ſed colore & viſione ſui, iuuenis caput repromittebat: ita vt quanquam reſurrectionis redintegratione veraciſſimè à Saluatore dictum, & fideliter à fidelibus conſtet ſuſceptum, *capillus de capite veſtro non peribit*, tamen & in hoc tempore, in huius Sancti Viri corpore viderent impletum. Quod videntes omnes, vnde conuenerant, gaudio inæſtimabili, corde concepto, etiam vocibus conclamabant, ô mundi fabricæ, inæſtimabilis conditor! ô fili Dei, generis humani in initio mundi ſocia Patris virtute factor, eiuſdémque in fine redemptor, quis ſenſus tuæ poterit inueſtigator eſſe potentiæ, atque enarrator miſericordiæ, qui in tuis ſeruientibus, tanta dignatis virtutum miracula oſtendere?] Hæc anno poſt Sancti viri obitum decimo ſexto geſta, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio perſtitiſſe vſque ad annum 1515. affirmat Leo 10. diplomate quod eo anno emiſit Nonis Septembris. Videſis Molanum in Natalibus SS. Belgij 3. Nouemb. ac Ioan. Roberti q. 7 Hubertina.

19. De Lothario Elnonenſis Cœnobij, æditio, quale inuenerit corpus Sancti Amandi, anno centeſimo ac quinquageſimo poſt tumulationem, ſic exponit Philippus, Abbas bonæ ſpei, ſerm. de eleuatione corporis Sancti Amandi, capite quarto. {Interea omni dubietate ſubmota, idem archicuſtos, ad tumulum iam in ſuperficie pauimenti poſitum, humiliter acceſſit: atque operculo lapidis quo tegebatur, remoto, diligentiùs introſpexit. Et ecce obtulit ſe obtutibus illius vir cano capite reuerendus, abſtinentiæ ac ieiuniorum marcore, quibus comitibus vixerat, pallidus; ſanctitate morum, meritorúmque præcipuus; incorruptione quoque membrorum ſuauiter fragrantium quaſi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus: hoc ſolo quod in ſepulcbro erat dormienti ſimillimus, veſtimentis Pontificalibus honeſta pulchritudine adornatus. Res raritate ſui valdè mirabilis, atque pro ſui magnitudine humano ſermone vix explicabilis. Qui enim putauerat ſe putrefactæ carnis, vti in mortuis fieri aſſolet, reliquias inuenturum; reperit vltra æſtimationem, inuiolati corporis memorabile prodigium. Quali hæc viſio digna miraculo, quámque immenſo ſtupori proxima fuerit, eloquentia humani ingenij effari nequit!] Meminit eiuſdem prodigij, his verbis Sigebertus in Chronico anno 812. {In Francia, apud Cœnobium Elnonenſe, Sanctus Amandus à Luthario eleuatur, à depoſitione eius anno circiter 152. cuius corpore adhuc integro inuento, cum eius capilli & vngues qui excreuiſſe videbantur, præſcinderentur, & de ore eius dentes adhibita forcipe extraherentur, ſanguis inde profluxit, qui ad memoriam poſterorum adhuc ſeruatur. De B. Humberto Confeſſore Hannonienſi, ita habent extrema eius Acta apud Haræum 6. Septembris. [Leuatum eſt de tumulo, Sancti Viri corpus illæſum & incorruptum monente Angelo, anno poſt mortem eius, centeſimo quinquageſimo tertio. Sed & linteamina quibus inuolutus fuerat, nihil in ſe corruptionis habebant. Similiter & herbæ quæ ſepulturæ eius die, appoſitæ fuerant.]

20. Sancti Albani Martyris corpus, à tempore martyrij mille iam annis decurſis anno milleſimo treceuteſimo vigeſimo ſeptimo, Coloniæ planè integrum eſt repertum, eximio panno quo ante annos trecentos inuolutum fuerat, reperto mundiſſimo & planè incorrupto, vt ſcribit Surius in appendice ad Acta Sancti Albani vigeſimo ſecundo Iunij.

Corporis Sancti Claudij poſt tot ſæcula integritas & incorruptio omnimoda, adeò nota eſt per omnes haſce prouincias, vt fruſtra ſit explicanda.

21. Sancti Francisci Aſſiſiatis ſacrum corpus, integrum diù poſt obitum fuiſſe deprehenſum, eſt extra dubium. {Inter noſtros (inquit Vvadinghus ad annum 1230. n. 4.) & præcipue in ſacra illa æde, perpetua traditio eſt, & communis conſenſus, cadauer erectum in pedes, integrum, illæſum, oculis apertis, vulneribus recentem manantibus ſanguinem, adhuc conſeruari. Ita vidit Nicolaus V. & qui cum eo erant, quorum vnus ſub mortem vbi adulari nec mentiri adeò facile licet, rem omnem narrauit. Ex Epiſtola Franciſci de Bancio, Ducis Andricoſiorum, referentis quæ Auſtergius Cardinalis, vnus ex Nicolai V. comitibus narrauerat, rem deſcribit Petrus Radulphus Epiſcopus Senogalienſis lib. 2. hiſtor. Seraph. Relig. Ex ea porrò narratione vides non abs re in ſepulchrali lemmate Sancti Franciſci (quod inferiùs idem Vvadinghus numero ſexto repræſentat) Sancti Franciſci corpus appellari *nec viuum, nec mortuum*: & ipſum cœlitem pronunciari ante obitum mortuum, poſt obitum viuum. Vtique externa ſpecie; cum ſuperſtes, præ tot ſiſſuris & inſigni mortificatione, mortuum referret.

Sancti Vbaldi Epiſcopi Eugubini, ante annos circiter quadringentos vita functi, ſacrum corpus viuidum immaculatúmque perſeuerat, perindéque verſatur attrectantium manibus, ac ſi vita ſupereſſet.

B. Alberti Magni cadauer, annis ducentis poſtquàm tumulo illatum fuerat, viſum abs ſe plane incorruptum, ſcribit Krantzius libro 8. metrop. capite 51. & addit Henricus Spondanus, deſcribens Alberti obitum, hodiéque perſtare incorruptum. Haud grauatè Albertum in hoc album retuli, quia & prima vindicatione Eccleſiaſtica honeſtatus eſt & plenus eius Canoniſmus eſt in procinctu.

22. Sanctæ

22. Sanctæ Catharinæ Bononienſis corpus, ab annis ferè trecentis incorruptum, videre memini Bononiæ, cuius hiſtoriæ veritatem omni certorum teſtimoniorum fide firmatam, publico dedit P. Iacobus Graſſetus, eſtque tenera plena miraculi incorruptio. Cum corpus illud ſacrum, adhuc polleat aliquanta mollitie ad tactum, & artuum, colli, brachiorum, manuum, digitorum, crurum, & quorumvis articulorum flexibilitate. Eámque flexibilitatem, cum aliquando viſum eſſet amittere & obrigniſſe, ita vt iacere, non ſedere (vti ſemper fecit,) velle deinceps videretur, interpoſito Abbatiſſæ iuſſu, quo ſacrum cadauer ſedere & flexile perſtare mandabatur; hæſit in priſtino habitu, molle ſenſibiliter in carneis partibus, & flexibile in iuncturis. Et tamen conſtat, corpus illud ſacrum nullo adhibito artificio, & ſecluſa quauis conditura ac partium facilè putreſcentium exemptione, fuiſſe ſepultum, ſtatim ab obitu: tametſi poſt plures dies erutum è tumulo eſt, excitante ad eruendum mira fragrantia è tumulo afflata. In cadauere frigido, conſeruatus eſt ad multos dies, ſanguis fluidus & rubeus, ac calens qui è naribus ſponte deſtuxit; ſicut ex vniuerſo corpore ſudor odoratus, copioſus: ita vt humores omnes & ichores extra venas & arterias abditi, erupiſſe è corpore videntur, ſolis in ſacro cadauere ſolidis partibus remanentibus. Non eſſe in hac tota narratione cauillo locum, neque incorruptionem huius ſacri corporis ad vllam vel artis vel naturæ negotiationem referri poſſe, fusè proſequitur, in quem hoc opere pridem vulgato incidi, Fortunius Licetus tom. 2. ad quæſita per Epiſtolas, toto capite trigeſimo nono.

23. Sanctæ Philomenæ apud Septembedanos, totóque Piceno celeberrimæ, integrum corpus, à multis omnino ſæculis, hodiéque cernitur. Narrationem dignam adſcriptu, exhibuit R.P. Ioannes Baptiſta Cancellotus, qui in cœlitum Septempedanorum exornationem contulit operam. Sic habet ea narratio. [Sanctæ Philomenæ Virginis Septempedanæ, meminit Martyrologium Romanum die quintâ Iulij; quâ die eius ſacrum corpus inuentum eſt in Ciuitate Sancti Seuerini Prouinciæ Marchiæ, anno Domini ſeſquimilleſimo vigeſimo ſexto. Acta, quibus ea commendari maximè apud poſteros potuiſſet, nuſquàm apparent; amiſſa, vt reor, ex iniuriis temporum, incurſionibus per Italiam barbarorum, excidióque Septempedæ, quæ patria tantæ Virginis fuit. Verùm Deus author ſanctitatis, Sanctorúmque cuſtos, mille & amplius annis ab eius obitu elapſis, corpus exhibuit incorruptum, indiciáque haud dubia prodidit vitæ ab ea caſtè, integréque traductæ. Inuentum eſt vnà cum corpore in exiguâ membranâ chirographum Sancti Seuerini Epiſcopi Septempedani, vnde eius nomen innotuit, & merita vitæ comperta ſunt; necnon patria, familia, ac tempus, quo vixit. Quippe in Actis eiuſdem Sancti Seuerini legimus, anno Domini quingenteſimo quadrageſimo tertio, imminentibus vniuerſæ Italiæ excidio Gothis, rerúmque ſacrarum diſperſioni potiſſimum inhiantibus, dictum Antiſtitem prouidentem animo, ſuæ futurum ciuitatis, paulò poſt à barbaris euertendæ, vt ſeruaret Sanctæ Philomenæ corpus, clam in Eccleſiam Sancti Laurentij transferendum curaſſe. Sacrum ergò pignus ille condi iuſſerat in arcâ populeâ, decenter veſtitum, & floribus herbiſque odoriferis nardo, ſaluia, & roſmarino ſeu libanotide, ad fragrantiam inſperſum. Fuit in hoc ſepulchro ad annum nongenteſimum octuageſimum tertium; cum poſt Sancti Benedicti Monachos, regentibus Eccleſiam Abbatiæ ſeu Commendæ nomine Cardinalibus, anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, vt dictum eſt, ſub arâ maximâ, in loco quem *confeſſionem* appellant, à cæmentario fabro terram ad fabricæ vſum effodiente, deprehenſa eſt arca populea, adeò recens atque integra, vt paulò ante cæſa, & conformata videretur: licet lignum ipſum naturâ ſuâ fragile, accedente præſertim loci humiditate, corruptioni præproperæ debitum eſſet. Aperto ſarcophago noua ſeſe oculis exhibuere prodigia; nam apparuit in eo virgineum cadauer, nulla læſum, aut violatum ex parte, ſuauiſſimo odore perfuſum, veſtibus omninò integris, florum, herbarúmque deſuper inſperſarum colore ſic virido, vt quiſque recentes crederet, nec multò ante collectas. Teſtes oculati fuere complures, inter quos Leonardus Franceus Patritius Septempedanus, hæc omnia poſteris ſcripta reliquit, miſſúſque tunc Romam nomine publico, tradidit exarata, & conteſtata fideliter Antonio Cardinali de Monte Epiſcopo Portuenſi, ad quem id temporis Sancti Laurentij Eccleſia pertinebat. Interim tres ipſos dies expoſitum populo ad oſcula confluenti ſanctum corpus: oſtendit quoque ſuſpenſam è collo, alligatámque tenuiſſimo filo membranam, in qua Seuerinus ipſe prouidus tanti theſauri conditor, ſuâ manu fidem pretioſi pignoris poſteritati fecerat in hæc verba: *Corpus Sanctæ Philomenæ Virginis, ex nobili proſapiâ Clauellorum, Septempedanæ, tempore Gothorum tranſlatum eſt in Eccleſia Sancti Laurentij poſt Altare maius; Seuerinus Epiſcopus manu propria ſcripſit.* Excepta cum plauſu ſcheda eſt, tanquam Epiſtola ſancti Paſtoris, poſt annorum ferè chiliadem in manus Eccleſiæ Septempedanæ, eius ſponſæ delata; ideóque in hunc vſque diem ibidem in Lipſanothecâ ſeruatur inter ſanctiora monumenta. Huius authoritas ſcripti declarantis nobilitatem Clauellorum; apud eos plurimum valuit, qui nobiliſſimas Italiæ familias recenſuere ſcribendo, & præcipuè apud Franciſcum Sanſoninum hoc vno argumento Clauellorum decora commendantem. Ipſum verò ſanctæ Virginis corpus ex Pontificio diplomate, ad publicum cultum honorificentiore

loco repoſitum, bis populo quotannis oſtenditur; viſitúrque eadem partium integritate præditum. Semel Feriâ ſecundâ poſt Paſcha Reſurrectionis, & iterum Dominicâ primâ menſis Iulij. Deo optimo maximo crebris miraculis declarante, Sanctæ Philomenæ merita, cius in cadauere incorrupto, tot ſuperſunt adhuc, argumenta ſanctitatis.] Hactenus narratio propoſita.

24. De Sancta Elizabetha Luſitaniæ Regina, Cardinalis Franciſcus Maria à Monte, in Relatione ſecreta, facta Pontifici, cum ad eius Canoniſmum progrediendum eſſet, narrabat; cum eius ſacrum corpus, Serentio vbi diem obierat, anno 1336. Conimbricam centum & viginti octo millibus paſſuum diſiunctam, eſſet perferendum, ea ipſius B. Reginæ teſtamentariis tabulis; veritos eſſe pleroſque, ne æſtiui calores, (erat enim Iulius menſis;) & loculi ſucculſio, ac populi comitantis & vndecunque aduentantis frequentia, cieret a corpore exportato fœtorem. Itaque authores erant, vt tumultuaria ſepultura conderetur Eboræ, quæ non procul aberat, vt poſtea caeſa oſſa abſque incommodo transferri poſſent Conimbricam. Sed renuit Alfonſus Rex, à ſuprema optimæ parentis voluntate recedere. Et Deus monſtrauit, corpora Sanctorum ſibi curæ eſſe. Nam toto ſeptiduo quo durauit corporis ſacri transuectio, pro fœtore qui timebatur à corpore, tam ſuaues circumfuſæ multitudini inſpirati ſunt odores, vt omnia aromatum genera, loculo concluſa viderentur. Auctúſque eſt ſtupor omnium, cum anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo patefacto B. Reginæ ſepulchro, corpus planè integrum eſt repertum, candido colore, rutilis capillis, naſo, auribus, oculis, minimè tabefactis, omnibus partibus ac membris incorruptis. Quin etiam veſtes circumiectæ, ac plura lintea ſacro corpori ſuperimpoſita, ſolida & vitij expertia ſunt deprehenſa: nemine ad rem adeò nouam, non demirante vim diuinam, & in ſuorum Sanctorum corpora à tabe liberanda, magnificentiam.

25. Sancti Franciſci Paulani ſacrum corpus, per annos ab obitu quinque ſupra quinquaginta, incorruptum perſeuerauit, & tabis expers, veſtibus item quibus obuolutum fuerat, planè illæſis; nec putens vllo modo, imo fragrantiam emittens ſuaueolentiſſimam: donec anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Caluiniani, Turonanſem vrbem, in qua Vir Sanctus quieſcebat, deprædati, martyrium quod ſuperſtiti defuerat, mortuo irrogarunt, ſacro corpore (præter pauca oſſa furtim rabiei eorum ſubducta,) flammis adiudicato, vnà cum corpore Sancti Martini eiuſdem vrbis Antiſtitis. Quos enim alterius in vita fidei profeſſores fuiſſe nouerant, effractis ac reuulſis omnibus naturæ iuribus, etiam vita functos, quaſi capitales hoſtes tractarunt.

Sanctus Franciſcus Xauerius, poſt multorum menſium permanſionem in calce viuus, integer corpore, planéque incorruptus apparuit. Hiſtoria eſt peruulgata ex libro 5. vitæ capite duodecimo & decimo tertio, & Alano Copo dialog. 3. capite vigeſimo nono. Quin etiam (quod multo vrgentius eſt) literæ Decretales Vrbani VIII. de Sancti Franciſci Xauerij Canoniſmo, idem accuratè produnt §. 4. Et totius vniuerſi vox publica atteſtatur, vt neſciam quid ſibi voluerit quidam Frater de Bona Cura in ſuo Odœporico indico libro ſecundo, capite decimo ſexto, numero item decimo ſexto, cum deſcribens vrbem Goam, obiter attingit rem tantam circa Beati Franciſci Xauerij corpus editam diuinitùs. Et ita attingit, vt videatur quidpiam artificij latentia inſinuare. Præſtitiſſet rem tantam prorſus præterire, quàm adeò ieiunè, ne dicam artificiosè ad extenuandum eam attingere, ſicut idem Author agens de Iaponia, cum ex alio quodam Ordine exiguum manipulum pro Fide in Iaponia cæſum celebraſſet, meſſem plenam Noſtrorum ibi omne carnificis ingenium in tormentis à quadraginta amplius annis expertorum ad integram centuriam pertingentem ſilentio inuoluit, libro quinto capite primo, numero decimo quinto & decimo ſexto. Reſipiunt iſta, neſcio quid illius artis qua ex operibus genuinis Sanctæ Parentis, viginti & vnum puncta à Nicolao Lancitio in Opella de gloria Sancti Ignatij annotata, quòd ad laudem Societatis IESV facerent, ſunt obliterata, ſubdolè dicam an malignè? Cœtus quidem Generalis, cum Romæ conluiſſet paucos ante annos factum deteſtatus, quippè Sanctæ Parenti iniurioſius quàm iis qui expuncti fuerant, iuſſit eam editionem operum truncatorum haberi in Ordine prohibitam; & conquiſitis ac collatis antiquis exemplaribus, omnia prout exarata primùm fuerant, diligenter reſtitui, non abſque multa ſacrilegi interpolatoris ſi deprehenderetur. An aliquid huius fermenti, in tot Martyribus ſilentio preſſis & integritate corporis S. Franciſci Xauerij ſubobſcurè propoſita deliteſcat, Deus cordium inſpector pandet in tempore.

Quod ibidem Vlyſſes iſte polytropos, obliquè ac non in ſibilo mordens, obiectat de Apoſtatæ in Iaponia caſu, non diffitemur ad nos pertinere: ſed qui caſum expreſſit, debuit anaſtaſim exprimere. Siquidem is ipſe qui paſſus humani quippiam in tormentis à fide defecerat, Chriſtophorus Pereira: idem ipſe reueniens ad cor, & ab ipſo caſu docens opes animúmque, glorioſè pro fide occubuit per tormenta immania, quæ exacerbatus eius reſipiſcentia Tyranni furor, irrogata ei voluit. Itaque non plus exprobrandus Societati fuit eius caſus anterior, quàm gratulandum de reſipiſcentia. Etiam Sanctæ Chriſta & Calliſta ceciderant, ſed eluerunt eam labem reuerſæ ad Chriſtum. Sanctos Caſtum & Æmilium, aliquando lapſos, poſtea glorioſè regreſſos & mortuos pro Chriſto, Sanctus Cyprianus libro de lapſis celebrat, Et Sanctus Auguſtinus peculiari de eis ſermone, eò illuſtriores Martyres ſtatuit, quod de Diabolo triumphante triumphaſſent. Taceo

Sanctum

Sanctum Iacobum interciſum & alios ſignatos in ipſa meta ſyllabi Sanctorum cumulus conditionis. Itaque ſtendi non fuit Apoſtatæ, prior Apoſtaſis, generoſo regreſſu & martyrio pro Chriſto, obliterate, nec fuit cur tacitis centuriis innoxiorum pro Chriſto mortuorum, hæc defectio vnius, & tam magnificè deterſa, Societati obiiceretur. Apparentius potuiſſet Vlyſſes iſte amicos ſuos ea ex cauſa mordere; quandoquidem ex eis vnus in eadem Iaponia in Carolum Spinolam ſuauè monentem recalcitrans, à fide defecit, ac Xacam & Amidam inuocans, reiectus in flammas è quibus ad Indices erepſerat, in Apoſtaſia mortuus eſt; quod luctus potiùs & commiſerationis, quàm ſugillationis ſacri cœtûs cui conſerebatur, argumentum ſuppeditare nemo non videt. Redeo in viam.

26. Poteram his incorruptis Sanctorum cadaueribus, adiungere exemplum Sanctorum ſeptem Dormientium, quorum corpora poſt aliquot ſæcula reperta ſunt integra. Sed conſultò ſepoſui horum Sanctorum corpora; quia conſtat fuiſſe qui crederent eos à dormitione ſomni, dictos eſſe *dormientes*; ſiue ea tam diuturni ſomni vſura, cauſam haberet naturalem, ſiue diuinam. Vtrumuis autem de eis dicatur, hinc erunt ſecludendi. Referuntur ſanè exempla quædam naturalia ſomni longiſſimi à Plinio, libro ſeptimo, capite quinquageſimo ſecundo. Maleficij item ſomnifici quo aliqui ad longiſſimum tempus ſunt ſopiti, profert exempla Delrio 3. Mag. parte prima, quæſt. 2. Quo referendus ſit ſomnus ſeptem illorum Dormientium quorum meminit Paulus Diaconus libro primo hiſtor. Longobard. capite ſecundo, & Gregorius Turonenſ. Epiſtola ad Sulpitium Bituricenſem, mitto quærere. Sed & Olaus libro primo hiſtor. Septentr. capite tertio, ſcribit de ſeptem Dormientibus in quodam antro, quos quiuis videt integros, Romano habitu. Si ergo ſomnus Sanctorum ſeptem Dormientium, quorum memoria habetur in Eccleſia celebris vigeſimo ſeptimo Iulij, fuiſſet verè ſomnus populariter dictus, non eſſent ſanè in hunc ſyllabum referendi, quia corpora eorum non fuiſſent exanima & cadauera. Et aliæ planè fuiſſe, ſenſere Metaphraſtes, & alij adducti à Baronio in Notis ad Rom. Martyrolog. vigeſimo ſeptimo Iulij, & idem ſenſit Delrio 2. Magic. q 21. Si tamen dormitio eorum, iuxta ſcripturæ phraſim, fuiſſet per exceſſum animæ à corpore, tunc vel corpora ad tempus vſque reſurrectionis ſub Theodoſio perſtitiſſent integra, vel poſt reſolutionem & corruptionem, ad vitam reuenientia, reſtituta fuiſſent in priorem formam priùs deſtructam. Si Sancti illi hoc poſteriore modo dormiiſſent, non pertinerent ad hunc ſyllabum. Priore autem modo ſomnum eorum accipiendo, huc pertinerent. In tanta incertitudine rerum ad hos Sanctos ſpectantium, & in tanta ambiguitate ſomni quem dormierunt, ſatius viſum eſt, eos huic incorruptorum diuinitùs corporum ſyllabo non inſerere; quanquam fuiſſe aliquando huiuſmodi ſeptem Sanctos dictos *dormientes* quomodocunque dormiuerint, nullo modo dubito.

CAPVT IX.

Exempla quædam incorruptionis, piè mortuis nondum vindicatis, conceſſæ.

1. SI velim diligentiam probare referendis ſigillatim exemplis corporum incorruptorum diuino munere, explendi eſſent Tomi complures. Itaque hîc finis eſto, quoad corpora exploratæ ſanctitatis, per vindicationem Eccleſiaſticam expreſſam aut tacitam, cultu digna. Non poſſum tamen facere, quin ſubtexam, quid Deus in corporibus quorundam piorum, de quibus Eccleſia nondum pronunciauit, operari ſit dignatus.

Iſdebaldus Abbas Dunenſis, anno 1067, viuere deſiit. Sed cum tranſactis ab eius tumulatione annis ſeptuaginta duobus, corpus eius in nouum Monaſterium transferendum eſſet, repertum eſt planè incorruptum, tametſi calce viua perfuſum fuerat, vt oſſa à carnibus celeriùs ſoluerentur, & putor abeſſet. E contrario autem, mira fragrantia à corpore educto inhalebatur, quæ iter vniuerſum qua tranſibant piæ exuuiæ, & domum in quam ſunt illatæ, per aliquod tempus compleuit, vt ſcribit Brando priſcus Hiſtoricus, & in ſuis Annalibus Adrianus But, ac ex vtroque, Chryſoſtomus Henriquez in Ciſtercienſi Menologio ad 9. Martij: vbi de Iſdebaldi ſanctimonia, & editis ſupra naturam operibus, meminit inſigni cum laude.

2. Philiberta Nemoroſij Duciſſa, Philippi Domini Breſciæ, ac denique Sabaudiæ Ducis filia, Ludouicæ Francorum Reginæ ſoror; à Claudia Matre, Iuliano Mediceo Leonis decimi Pontificis fratri nupta, agentibus Leone & Franciſco primo Gallorum Rege ſororis filio, ac Carolo fratre, Sabaudiæ Duce. Mortuo Romæ Iuliano, vidua ætate & opibus florens, quæ non niſi biennium in coniugio egerat, necquicquam à Lautrecio ea tempeſtate rebus bellicis clariſſimo & aliis potentiſſimis procis expetita ad ſecundas nuptias, remigrauit in Sabaudiam, cogitatura quæ Domini ſunt. Ibi erga egenos adeò munificam ſe præſtitit, vt vulgò *Mater pauperum*, audiret. Pingonius res Sabaudicas exponens, multis eam laudibus, meritiſſimo cumulat. Moriens condi voluit in ædicula, ſacri Sudarij quo Chriſtus obuolutus fuerat, tunc cuſtode. Inibi condita eſt anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto quo obiit. Cum autem anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono Februarij 14. laxandis odæi ſpatiis tumulus

è ſuo loco moueretur, loculus curioſitate effodientium eſt reſeratus, & ſynceri pedes capútque incorruptum apparuit. Rem (vt fit) variis ſermonibus, rumoribúſque iactatam, quibuſdam hærentibus, aliis nihil inſolitum eſſe vulgantibus, Triumuiri per Curiam Rationalium cuius id intererat, ad corporis recognitionem delecti, De la Roche Præſes, Ganteletus Conſiliarius, Gaud Regiæ Celſitudinis Aduocatus, adhibitis Medicis, ac Theologis; fide publica, incorruptioni corporis piæ illius Heroïnæ ſunt atteſtati. R. P. Ioannes Columbi Societatis noſtræ Theologus, cuius præcellenti ingenio & iudicio, opera iam edita atteſtantur; aderat, & omnia cominus contemplatus, ſic rem narrabat. [Die decimo octauo menſis Februarij anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, poſt horam quintam matutinam è ſepulchro loculus in mediam ædem delatus eſt, & coram nobiliſſima ciuium corona, rurſum apertus; corpori Philibertæ ſuperpoſita lens, totam capſam implebat. Non arida illa neque foliis crepitantibus ſtrepera, ſed humeſcenti propior: ſine inteſtinis venter vacabat inanis, pectus vacuum præcordiis plurima calx habebat. Thoracis oſſibus ſua adhærebat pellis, ſua brachiis & manibus, ſua reliquo corpori. Viſendum profectò maximè fuit, quod tota facies non exſucca pelle rigebat, ſed viuidæ ſimilis vegetæque, mollem ſe tangenti præbebat & facilem: quamobrem eò cogitatione ventum eſt, linteum capiti indutum cum ſepeliebatur, fuiſſe aut alienam pellem, ſeu balſamo capiendo ſeu continendæ calci quâ thorax confarcinatus turgebat; ab ea cauſa eſſe molliciem. Iuſſus ergo Chirurgus, forfice ſcidit labia, dentes aperuit, frontis os nudauit & naſi. Pellis erat natiua eaque craſſior, ſucco plena & hîc ſubalbida, hîc ſubrubens, hærebátque adeò oſſibus, neque manum facilè ſequebatur. Verticem porrò multi velabant capilli: ſed admirationem omnino mouit naſus, extrema quoque parte integer: dextera etiam ille ducebatur in omnem partem, digitóſque naribus patulis admittebat. Tibiis autem ac pedibus ſua pellis conſtabat, ſed candida, cùm ſubnigreſceret reliquo corpore: & manus ac tibias digitóſque & collum facilis flecti mouerique ac duci, vincula continebant; niſi quod ſiniſtrum brachium ſolutum erat in cubito. Denique linteum quo totum corpus velabatur, non integrum ad tibias & pedes, ſed maximam partem recentiſſimum & candore ſpectandum erat. Hæſimus omnes ad ſpectaculi nouitatem. Alij dixerunt alia; Ego tria ſuſpiciebam; pellem toto hærentem corpore, vultum tactui facilem, neque indigum ſucci; naſóque ſtantem ſincero ac naribus; oſſium vincula nuſquàm rigentia, ſed manibus, brachiis, pedibus, digitis, tibiis, collo, tractari apta ducique. Cætera ſeu balſami, ſeu medicati liquoris, nullum toto capite veſtigium, toris nullum, brachiis tibiiſve. Quid quod calce, ſi non reliqui corporis ac pectoris, todi caro, humor certè exſugui iam olim debuit.]

3. Ibidem Camberij, Allobrogum Sabaudianorum Metropoli, incorruptum iam à multis annis viſitur corpus Fratris Ioannis à Maurienna, Ordinis Patrum Cappucinorum, de quo R. P. Philibertus Chappuis Vilbonius, & diuinis inſignibus donis locuples, & multis inter ſuos muneribus clarus, hæc anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo Camberio ſcribebat. [R. P. Ioannes Maurianenſis in Seraphicæ Religionis noſtræ ſtadio tres & triginta annos exultauit vt gigas ad currendam virtutum viam, ſicque cucurrit, vt viuens gratiæ & perfectionis, & mortuus gloriæ & beatitudinis brauium apprehendiſſe credatur. Et quamuis in hoc viro Dei, vniuerſa virtutum ornamenta eluxerint; tres tamen ſequentes, incruentum ſcilicet mortificationis martyrium, virginalis caſtitas, cum Angelico orationis ſtudio, præ cæteris triumphare videbantur, eum inter Angelos, Martyrum, Virginumque aureolâ coronantes. Annon meritò martyrem dixeris, per complures annos ſolius panis & aquæ ieiunio carnem ſuam excarnificantem? Virginem eum dubitabis, qui pepigerat fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de muliere; mulierum aſpectum tanto ſtudio declinans, vt plures ex voce quàm ex vultu cognoſceret? Puritatem virginalem, ſex & ſexaginta annos integram illibatámque ſeruauit: quod Confeſſarius qui eius generalem confeſſionem ſub mortem excepit, iuramento firmauit. Angelum eum negabis, & quidem ex iis qui ſemper adſtant coram Deo, qui ſibi orationem adeò reddiderat amicam, vt ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans, quidquid erat in eo non ſolùm cordis & corporis, ſed etiam operis, totum orationi dedicaſſe videretur; Hinc maiorem noctis partem plerumque agebat inſomnem, tanto deuotionis exceſſu & ſupernarum illuſtrationum commiſſione, vt multoties ceu mulier illa Apocalypſis circumamicta Sole, totus luce circumfuſus viſus fuerit; noctem ſicut diem illuminans; Denique caput eius, quadriennio poſt obitum; Camberij in loco quotidianis aquis irriguo, quæ pro celebrantium miniſterio adhibitæ, ad latus ſiniſtrum ſacelli in eius tumulum defluebant, ſuper terram, nullum prauum odorem exhalans (prout prædixerat,) inuentum eſt vndequaque integrum. Et cùm vnus Religioſus pedis digitum inciſiſſet, carnem rubentem deprehendit. Nunc quoque corpus poſt octo & viginti annos permanet incorruptum, licet multiplici contrectatione, & habituum locorúmque mutatione, in quibuſdam partibus nonnihil læſum, quandam in ſe immortalitatis ſpeciem & futuræ reſurrectionis formam præferre videtur: luculentum præbens viuentis apud Deum animæ teſtimonium, quod nouis identidem gratiis, & per reliquiarum eius contactum conceſſis ſanitatum muneribus, penè quotidiè comprobatur.]

4. Henricum

4. Henricum Luſitaniæ Regem & Cardinalem, cum Almerini vita functus eſſet, & corpus eius in Bethleëmi templum, vbi Regum ſunt conditoria, eſſet ſolemni pompa transferendum; placuit ad expeditiorem tranſlationem, viuæ calci infodi; vt conſumpta carne, oſſium duntaxat aſportatio fieret. Annum ferè iam tertium, corpus Regis cum calce iacebat, tranſlationem operiens: cum aperta arca ad excutiendam calcem, inuentum eſt corpus planè integrum, nullâque labe corruptum, vt lego in annuis literis Prouinciæ Luſitaniæ anni 1582. *ipſo literarum anno*, vbi id adſcribitur optimi illius Regis illibatæ virginitati, cui is qui fuerat illi à ſacris confeſſionibus, atteſtabatur.

5. Auenione corpus Reuerendi Patris Cæſaris de Bus anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo vita functi, (viri virtutum omnium, & teſtatæ apud Deum & homines pietatis, fundatoris Congregationis Chriſtianæ Doctrinæ, omni ornamentorum Religioſorum genere florentiſſimæ;) perſeuerat integrum & incorruptum, cum tumulatum fuiſſet in loco aquoſo, in quo alia corpora exquiſitè computruerant. Ioannes Franciſcus Bordinus, Auenionenſis Archiepiſcopus, cum inquiri iuſſiſſet quo ſtatu eſſet corpus viri tot meritorum fama clari, qui adhibiti ad eam rem fuerant, ſic retulerunt. [Nos, quorum adſcripta ſunt nomina, Medici & Chirurgi Auenionenſes, ab Reuerendiſſimo Archiepiſcopo lecti, qui iurati referremus de habitu accuratè inſpecti, debitâque fide pertentati corporis Reuerendi Patris Cæſaris de Bus, Parentis & Generalis Præpoſiti Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Auenione primùm, in Beati Ioannis cognomento veteris templo inſtitutæ: Teſtamur, nos heſterna die, octauâ ſcilicet Idus Maias, anno milleſimo ſexcenteſimo octauo, quod ante diximus templum adiiſſe, & vnâ cum Archiepiſcopi Generali Vicario; Apoſtolico Protonotario, & Clariſſimo Iuris Doctore Ludouico Beau, ad depreſſum humi locum deſcendiſſe. Atque ibi aperto loculo, occurrit primò linteum, quo inuolutum erat corpus, colore nigrum, ita putridum, atque attritum, vt leuiſſimo quoque contactu abiret in lacinias; item vermiculis, ſeu tineis omnino conſtratum; præterquam tamen quâ vultum tegebat & pedes, quò ſcilicet nequibat pertingere tunica. Hoc itaque panno detracto, patuit corpus haud quaquam grauiter olens, indutum tunicâ eò vſque illæsâ firmâque, vt admoto cultro, ad lacerandam illam, opus fuerit. Ergo aduertimus ſua prorſus cute tectum cadauer, ſiccum, & eâdem, qua viuens, macie; contracta ſcilicet à febre, quam accenderat iecuris inflammatio, quæ menſes quindecim æſtu iactatum, hydropem demùm fecerat. Hinc ad partes ſingulas diligentiùs explorandas verſi, faciem vidimus ab natiuo colore haud plurimùm abhorrentem, integrâ cute, piliſque ita firmiter inhærentibus mento, vt à nobis non leuiter adnitentibus, haud quaquàm velli potuerit vel vnus. Brachia omnino nihil, vti aſſolet, rigida ſuſtulimus, manibus omnino integris atque flexibilibus. Pectus & venter, vix ab ſpirantibus colore aberant, vtrumque prorſus integrum atque omnis planè tabis expers. Mirum ſanè; ventre tanta aquarum & tabefactorum humorum, morbo, quem diximus, coactorum copia oppletum, non receſſiſſe modò, ſed ne leuiſſimam quidem tabum maculámve contraxiſſe. Coxæ ſuâ erant ſatis etiamnum inſtructæ carne, ita ſolidâ natiuáque, vt nullum putreſcentis corporis emineret indicium. In cruribus quoque pedibúſque, perſtabant adhuc omnia propemodùm integra; viſebatur enim tantummodò cutis tibiæ ſpinam obuoluentis (nimirum ob talis partis ingenitam ſiccitatem, rigeſcentis,) leuis admodùm, duorum quippe digitorum inſtar, ſciſſura; ex qua tamen nulla ſanies, nulla manabat odoris grauitas. Ex iis quæ cùm à nobis annotata ſunt, tum ab aliis viris piis in paucis, & maximè digni fide, facilis erat de internarum partium integritate coniectura. Omnis ſanè admirationis idonea res; corpus nimirum illud quod quandiu viguit animo, tam aduerſæ fuit obnoxium valetudini; tam longinqua continentíque febre torrefactum, ac totum propè illius ignibus abſumptum; intercute refertum aquâ, humidiſſimo demum conditum in ſepulchro, quod & hybernorum imbrium vi, hoc ipſo anno ex camera ſuperiore exundauerat; illibatum tamen perſtitiſſe, nec tantis integritatis hoſtibus ceſſiſſe. Atque hæc nos hac noſtra teſtificatione Chirographis noſtris rectè obſignatâ iurati teſtificamur. Auenione 7. Id. Maj. anno 1608. *Dion. Chreſtien Doctor & Profeſſor Medicus. Lupus Ribera Doctor Medicus. Emanuel Trichery Chirurgus.*]

De hoc homine Dei, & iis quæ demortuum eius corpus ſpectant, multa dici poſſent, niſi complures tanti Patris haud degeneres filij; Marcellus, Vetterius, Larmæus, alij; variis Commentariis, accuratè, piè, plenè illa prodidiſſent. Paulus V. Pontifex Maximus, eo diplomate quo Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ in Religioſum cœtum cooptauit, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, appellat Reuerendum Patrem Cæſarem de Bus, *virum pietatis eximiæ*, & conditum ab eo Doctrinæ Chriſtianæ tradendæ inſtitutum, valdè commendat, tanquam ſanctiſſimum, & Eccleſiæ fructuoſiſſimum. Itaque ex hoc fructu præter cæteros, cognoſci poteſt arbor.

6. Anno milleſimo ſexcenteſimo nono, mortuo Illephonſo de Mirda Societatis IESV, inſigni pietate viro; cadauer eius, tumulo conditum, & viua calce inſtratum eſt. Poſt ſexdecim menſes, cum aliò eſſet transferendum, repertum eſt planè illæſum, & à tabe prorſus immune. Alius eiuſdem Societatis Sacerdos, Placentiæ apud Caſtellanos, quinquennio ab obitu & tumulatione in terra humente, integer ac recens eſt deprehenſus, inflexis adhuc manibus,

bus, vt cum fuerat tumulo illatus. Deprehendendi cauſam præbuit Iuriſconſultus prædiues, qui moriens legatis aureorum triginta millibus, expetiit iuxta eum Patrem ſepeliri, quia eo ſuperſtite vſus fuerat Magiſtro ſpiritus, & conſcientiæ arbitro.

Reuerendus Pater Ioannes à Ieſu Maria Calaguritanus Ordinis Carmelitanorum excalceatorum aliquando Generalis, & primus Italicæ Congregationis ſatot, ipſis ſummis Pontificibus acceptiſſimus, adeò vt Paulus V. non dedignaretur ad eum viſendum pauperem cellam ſæpiuſculè ſubire; ſapientia fuit perinſigni quam in grauiſſimis negotiis & Ordinis totius rectione teſtatam fecit. Doctrinæ autem laude claruit, quod tres de eius ſcriptionibus Tomi in Belgio cuſi prodiderunt. Vir fuit (quod potiùs celebrandum eſt) ſanctimoniæ præcellentis, & orationis ſtudio ac corporis duræ tractationi addictiſſimus. Obiit in ſeceſſu Tuſculano cœnobij Sancti Sylueſtri anno 1615. ipſa die ſubeuntis cœlum Chriſti Domini. Eius corpus, hodiéque poſt tot annos, integrum planéque incorruptum viſitur; ipſéque nuper cum eò conceſſiſſem, vſurpaui oculis quod refero, & manibus attrectaui non abſque ſenſu ſingulari pietatis, ea tanto diuinæ gratiæ ac potentiæ ſpecimine: quod micat luculenter in vngue vnius pedis. Eum vnguem Nobilis Veliternus cum optimi Patris integrum corpus videre conceſſum eſſet, auulſit ſibi; & linteo inuolutum, domum aſportauit. At domi explicato linteo, abeſſe vnguem, mœſtus deprehendit. Regreſſus poſtea ad cœnobium Sancti Sylueſtri, quem vulſerat vnguem pedi denuò conſertum ſtupens vidit, conteſtatus, hoc verò eſſe, ex vngue leonem agnoſcere.

Antonius Maria Vbaldinus, Vrbinas Monteæ Comes, nondum duodeuicennis, obiit anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, cuius vitam & indolem in ea ætate cœlo maturam, Iacobus Bidermannus eleganti æquè ac pia ſcriptione exhibuit. Ab vltima confeſtim pueritia, inſignis ſanctimoniæ ſpecimina præclara præbuit, inſtructus cœlitùs magnis ad ſummam virtutem præſidiis; horrore præſertim illecebrarum peccati, dono lachrymarum, ſpiritu precum, ac ſancta in ſeipſum ſeueritate, propè dixi, ſæuitia; qua & tergum frequens verberibus concidere, & latera ferreo cinctu, impreſſiſque arctè muricibus vrgere aſſueuerat. Nec flagella tantùm è tortis nodoſiſque funibus texta adhibebat ad corporis ſubactionem, ſed ære ferróque rigentia, quibus vbertim ſanguinem ex innocenti corpore proliciebat. Et fuit, cum in Chriſti patientis memoriam, ducta cum piis ſocijs pompa flagellis in ſe omnes eſſent ſæuituri; Antonius, de ſenticeto ſertum ſibi quod capiti intexeret, inermibus carpens manibus, mox horrentem præacutis vepribus coronam nudo vertici imprimeret, ſpectaculo quod & conuenientibus horrori fuit, & admirationi. Hæc fecit, non veteranus quiſpiam in eremo, aut cœnobio miles; ſed tyro pietatis in ſeculo, conuictor ſeminarij Romani, quo à Patre literis imbuendus, exacta pueritia erat abductus. Vitæ innocentiam planè ſingularem, eximium erga diuina affectum, dexteritatem in prolectandis ad virtutem ſodalibus, & in quibuſuis negotiis prudentiam ſupra ætatem, alienum à gloria & rebus caducis animum, ad ſola cœleſtia ſuſpirantem, cum recogito, Beati Aloyſij Gonzagæ in quem Antonius vnicè afficiabatur, parallelon videar agnoſcere. Rarum pietatis inter tot lectiſſima germina exemplum, mors occupauit, ne faſcinatione nugacitatis bona obſcurante, deceptus; ab inita beatitatis ſemita auerteretur. In ſuprema vitæ ſcena, exoratam adhibitis incenſiſſimis precibus Societatem IESV, votis ſimplicibus annuente Generali Præpoſito piiſſimè nuncupatis iniuit; omnibus incedens lætitiis, cum ſe vti exoptauerat, in lecto iacentem, tunica Nouitiorum amictum ad horam, & Societatis corpori adſcriptum vidit: quo nomine morte paulò poſt inter ſanctos affectus placidiſſimè obita, in montem Quirinalem ad Nouitiorum ſedem, elatum corpus, & ſuccollantibus Nouitiis tumulatum octimeſtri ſpatio à ſepultura integrum & à contagio illibatum repertum eſt, cum fortè tumulus eſſet reſeratus.

7. Nuperrimè Veſuntione apud Sequanos, deprehenſa eſt integritas cadaueris, ante annos ſex ſupra ſeptuaginta, tumulo illati. Res eſt ſtuporis refertiſſima, quam exhibebo ex literis Reuerendi Patris Claudij Bouerij, qui illic Collegio noſtro Rector præeſt, & omnia cominùs perſpexit: Sic igitur ille literis datis vigeſimo Aprilis menſis anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto (quo hæc denuò cudenda recognoſcebamus,) de re quæ acciderat ineunte Martio. [Ioannes d'Achey ex illuſtriſſima inter Sequanos ſtirpe, Dolanæ vrbis Gubernator, & in Senatu Eques, Cardinalis Granuellani Antonij Perrenoti ſororius, Illuſtriſſimi hodierni Biſuntinenſis Archiepiſcopi auus, obiit ante annos ſex ſupra ſeptuaginta; conditúſque eſt in Eccleſia Carmelitarum Veſontionenſium, intra odæum, ad imum eius parietem. Cum ædis illius ſacræ pauimentum pleriſque locis protuberans, complanaretur, & reficeretur; ventum eſt ad lateritium parietem ſub pauimento latentem, quo operiebantur arcæ ligneæ: intra quas ſuperaggeſta copioſè calce viua, ſingula corpora nobilium defunctorum erant repoſita, interim dum extruendi operoſioris & magnificentioris tumuli opportunitas, (nunquam aut ſerò ventura per poſterorum ſocordiam & immemoriam,) expectatur. Aliis corporibus plenè conſumptis, ita vt ſola oſſa ſupereſſent, corpus ſolius Domini Ioannis d'Achey, quod & procerum & craſſum exquiſitè erat, repertum eſt planè integrum, tametſi calce ad menſuram pedis vnius ac dimidij opertum. Veſtes item, erant planè incorruptæ

ac

ac ſolidæ, & cum non leui niſu tentaſſem, particulam liuidi induſij, aut thoracis ex bombyce non raſo denſiore, auellere, mihique decerpere, operam luſi, nec licuit per induſij ac thoracis ſolidam tenacitatem quidquam abſtrahere. Corpus contactu pertentaui pleriſque locis. Caro vbi abundat magis, adhuc mollis & contactui cedens id quod nominatim deprehendi ſub pollice. Pellis quæ ventrem tegebat, admodùm depreſſa & arefacta apparuit: vnde ſuſpicio eſt iniecta, eductorum viſcerum, & corporis balſamo conditi. Sed Medicis atque Chirurgis compluribus id accuratè & diligenter ſeruans, nulla occurrerunt balſami veſtigia, nulla in ventre fiſſura. Quare vna omnes voce pronunciarunt, abfuiſſe prorſus condimenta, & balſami perfuſionem; nec inteſtina fuiſſe extracta, ſed intra corpus ſupereſſe. Manus decuſſatim pectori ſuperpoſitæ erant, ligneam (credo è pruno,) Chriſti ſuffixi imaginem tenentes. Et crux quidem, ad primum contactum, planè in puluerem eſt ſoluta. Chriſti autem ſuffixi effigies, non minùs hodiéque poſt tot annos nitet, quàm cum ex fabrili prodiit officina. Elegantis omnino eſt operis, & à D. Archiepiſcopo penes quem aſſeruatur, inſpicienda per otium, mihi eſt exhibita.] Hæc de eo nupero euentu, teſtis omni exceptione maior: quæ prioribus piorum exemplis annectere placuit; quia audio pietatem eximiam huius viri, fauente antiquæ famæ odoratiſſimæ auula, celebrari.

CAPVT X.

Ob quæ virtutum decora, incorruptio corpori, aut membro cuipiam, interdum conceſſa.

1. QVod Dei ſit conſilium, in quibuſdam Sanctorum corporibus præ aliis incorruptione donandis, tametſi noſtrum non eſt curioſè ſcrutari, tamen veriſimillimè ex adiunctis coniici videtur poſſe.

Eminet inter ea decora quibus diuinitus hæc incorruptio corporum defunctorum rependitur, moralis corporum dum viuerent incorruptio per caſtitatem. Qua in parte ſingulare eſt, quod B. Ludouico, (aut vt Coluenerius legendum contendit) Leudemito, Catalaunenſi Epiſcopo contigiſſe, narrat Cantipratanus libro ſecundo Apum, capite trigeſimo, numero trigeſimo tertio. Nimirum quod oculus quo Vir Sanctus, ſollicitantem ad turpitudinem Galliarum Reginam repulerat, etiam in ſicco eius cadauere, viuidus perſtitit, nec extingui potuit, idque quadringentis eóque amplius annis poſt tumulationem, deprehenſum eſſe, obſeruat Cantipratanus, ex fide Abbatis cuiuſdam. Addit verò. [Et meritò extrinſecùs caligare non debuit, qui venenum corruptionis, intrinſecè recipere non curauit: Concinniùs idem dixit Poëta nuperus Epigram. 96. libri tertij.

Regina licet imperante, non vult.
Non vult crimine ſe notare, non vult,
Sed perſtat Ludemius, & potentis
Spernit delicias, minâſque Lanæ.
Seu promittat opes; opes abeſſe,
Et Lydi iube: auri abire gazas,
Seu promittat honorem, abeſſe honorem,
Et quemuis iubet exulare faſtum.
Seu quicquid minitetur illa, quicquid
Proponat, iubeátque, poſtuletque,
Duro marmore durior, recuſat
Illi vendere corporis pudorem.
Hinc vermes oculus ſepultus omnes,
Annis arcuit ampliùs trecentis.
Hoc planè decet, hoc decebat vnum,
Vt corrumpere quem nequibat vllus,
Reginæ furor impotentis, illum,
Nec corrumpere vermibus liceret.

2. Virginem Mexicanam puritatis animi & corporis perſtudioſam, ideóque Deiparæ acceptiſſimam, anno poſtquàm tumulata erat, effoſſo ſarcophago integram repertam, floribus etiam ſerti quo redimita erat, in funere, non tabefactis ſed vernantibus atque vigentibus cum reliquorum ibidem corporum magna putrefactio cerneretur, habent annuæ literæ Collegij Tepozotlani apud Mexicanos anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi octaui.

Exemplum Sanctæ Elitrudis Reginæ Angliæ, eſt in hanc rem luculentum. Bis nupta, cum vtroque tamen coniuge, virgo permanſit; vt ſcribit Beda libro quarto hiſtor. capite decimo nono; poſt duodennium verò commorationis cum ſecundo coniuge Egrefrido, multis denique precibus exorauit ſeceſſionem in cœnobium Sanctæ Ebbæ, vbi moriens, corpore fuit incorrupto, quia per tempus vitæ incorrupta perſtiterat, vt Ado, & Romanæ tabulæ 23. Iunij, aliíque prodiderunt, ac illis verſibus Beda.

Sponſa dicata Deo, bis ſex regnauerat annos;
Inque Monaſterio eſt ſponſa dicata Deo.
Tota ſacrata polo, celſis vbi floruit actu,
Reddidit atque animam, tota ſacrata polo.
Virginis alma caro eſt tumulata bis octo Nouembris.
Nec putet in tumulo Virginis alma caro.

Similium exemplorum copia abundamus; ſed in re protrita, non eſt prodigenda opera.

3. Meritò autem incorruptioni corporis durante vita retentæ, reponitur poſt vitam incorruptio, vt rectè philoſophatus eſt Thomas

mas Cantipratanus lib. 2. Apum capite 53. numero 2. poſt deſcriptam incorruptionem corporis Sancti Theodulphi ante annos circiter ſexcentos vita functi. Is enim Sanctus, repudiatis terrenis nuptiis, vt vas ſuum Chriſto purum ac nitens ſeruaret, in auunculi Clodouei Regis Francorum qui ei Britanni Regis filiam deſponderat, iram incurrit; & idcirco Treuerim ſecedens, multis ſe aſperitatibus diuexans, ac præter cætera lecto ac ceruicali lapideo vtens, in arctiſſima ſpecu concluſus vitam exegit, & ibidem denique tumulatus eſt; ac reuulſo poſt multa ſæcula muro, integer & incorruptus corpore deprehenſus. [Credo autem (inquit Cantipratanus) ſaluo meliori iudicio, dignè quidem B. Theodulphum, pro ſigno incorruptæ Virginitatis in carne, incorruptionis gloriam etiam in corpore ſuſcepiſſe. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: *Incorruptio facit eſſe proximum Deo. Iuſtitia enim perpetua eſt & immortalis: Iniuſtitia autem mortis eſt acquiſitio.* Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, mirabilis & in maieſtate ſua, qui etiam puluerem noſtrum ita glorificat in præſenti, vt dignè in eo futuræ reſurrectionis gloriam pleno pectore & fiducia ſperare poſſimus.]

4. Non dubium quin eodem referenda videatur diuturna incorruptio corporis Sancti Thomæ Aquinatis deſcripta à Surio 7. Martij. Septimo enim circiter menſe ab obitu & tumulatione, integrum planè & miram inhalans fragrantiam eſt repertum, quamuis obeſitas corporis & locus ſepulturæ, magnam admodum proclinitatem ad putrefactionem conferret. Habitus item in quo tumulatus fuerat, à ſacro corpore incorruptionem hauſit. Septennio poſt, eadem corporis ſacri, (præterquàm in extremo dextræ manus pollice,) & habitus incorruptio eſt notata, cum cœleſti item fragrantia. Rurſúſque decimo quarto anno ab obitu Sancti Viri, idem eſt deprehenſum, dempta tantula extremi naſi imminutione, quæ verius fuit contractio, vt ſupra dictum eſt, capite ſecundo, numero quinto cum Sanctorello. Debebatur hoc incorruptelæ Sancti Viri.

5. Neque tamen negare velim, quin Deus aliis quoque ex cauſis, incorruptelam factis corporibus ſeruorum ſuorum rependat. Egregium eſt quod Gregorius Cæſarienſis in Cappadocia Presbyter, tradit de corporibus Patrum qui Nicæam ad primam generalem Synodum conuenerant, ob incorruptam fidem incorruptis. Ita enim habet in calce orationis de SS. illis Patribus. [Non ſecus ac limpidi fluminis riui ex vno Nicææ fonte diuiſi, ad ſuum quiſque gregem peruenerunt, fructum referentes beatæ peregrinationis, ſalutare mundi Symbolum. Et cum veneranda ſenectute, & in vitæ ex virtute profectu, ſuæ paroeciæ illuſtraſſent circulum, beatam ſortem ſunt conſecuti. Benignus autem, & clemens Deus, ſeruorúmque ſuorum amator beneficus, qui eos glorificat, qui ipſum glorificant, adm eorum animas dignas cenſuiſſet, vt fruerentur delicijs in cœlo repoſitis, non ſine munere, ac præmio dimiſit eorum caſtiſſima corpora, ſed miraculo, quod eſt præter opinionem, per hæc quoque ſuos honorauit miniſtros; communem enim mortem, tanquam naturalem eis ſomnum induxit. Vnde quæ hos patres ſuſcepere corpora; manſerunt in vniuſcuiuſque parœcijs minimè diſſoluta. Horum autem fortaſſè ſunt multi quoque alij teſtes, qui in locis viderunt id quod dicitur, & qui ſanctos ipſos, veluti quodam ſomno tenerentur, cùm aliquando eorum aperuerunt loculi, in eis ſunt complexi. Quinetiam ſumus quoque nos huius non falſi teſtes ſpectaculi. Angelis enim patris Leontij Cæſareënſium Eccleſiæ ſanctiſſimi præſulis, (cuius multi quidem, etiam antequàm veniret in Nicænam Synodum, emanarunt ſudores propter fidem; multi autem per ipſum martyres & victores athletæ proſtrauerunt aduerſarium, multique vſi eius vitæ doctrina, ciues euaſere cœleſtes: ex iis enim vnus quoque eſt Gregorius magnus inter victores athletas, qui inuenit reliquias ſanctorum Martyrum Ripſimes & Gaianæ, & impudicum Teridatem priùs quidem euertit, deinde autem ad fidem deduxit:) huius inquam, pretioſas reliquias complures nobiſcum vidêre, quæ neque pilos abiecerant, neque vngues amiſerant: erant autem plenæ omni vnguentorum fragrantia.]

6. Eodem haud iniuria referri poteſt, quod de Andrea Chio ſcriptum eſt à Georgio Trapezuntio in Narratione de eius martyrio quod accidit Conſtantinopoli 1545. Maij 29. Spectaculum fuit Deo & hominibus acceptiſſimum, præ conſtantia inuictiſſimi illius pugilis, quem denique nonimeſtri à tumulatione abs ſe aditum teſtatur Trapezuntius, ſic eius ſtatum deſcribens. [Vidi ipſum iacentem in ſepulchro nimiùm profundo, ſitu horrido: Ea tamen integritate membrorum omnium, & totius corporis colore, & dignitate formæ; tali vultus ſplendore & habitu, vt non animam expiraſſe, ſed dormire mihi ſub vmbra leniter videretur. Atqui iacebat loco ita humido, vt omnibus iam indumentis quibus erat inuolutum corpus, putrefactis, nudum totum conſpiceretur; præterquàm quod genitales partes fragmento lini obtegebantur. Exarſi cupiditate, deſcendendi, tangendi, oſculandi pedes, manus, faciem præcipuè Martyris. Nec tantum loci humiditas, deſcendendique difficultas, quantum verba Presbyteri cuſtodis, & ſpes id aliàs commodiùs faciendi detinuerunt.] Vides in hoc quoque, pretioſam in conſpectu Domini mortem Sanctorum pro ipſo obitam, nulla facta mentione virginitatis illibatæ, aut caſtimoniæ. Margareta Duciſſa Alenſonia, domo Lotharingica, mater plurium liberorum, viduata marito, concluſit ſe intra Cœnobium, vbi vixit plures annos ſanctiſſimè, ne minùs piè vitam concluſit. Eius corpus citra omnem medicationem, poſt integrum ſæculum apparuit incorruptum & mirè fragrans, ac ma-

nans

nans liquore odoratò ad quæuis morborum genera depellenda accommodato, vt pleriſque experimentis eſt deprehenſum. Hæc tamen incorruptio corporis vniuerſi in ſancta Vidua pluries matre, non potuit referri niſi ad integritatem & puritatem exquiſitam animæ. Quod æquè dicendum videtur, de corpore Sanctæ Radegundis Reginæ, vltra annos octingentos incorrupto; quamuis non perſtitiſſe in coniugio Virginem, fuerit hactenus receptiſſima perſuaſio.

Quod conſtitutum eſt de cauſis incorruptionis totalis corporum Sanctorum, non ſemper ſola corporis integritate comprehenſis, æquè ſtatuendum eſt, de multiplici incorruptione partiali Sanctorum corporum, vt videre eſt in ſubiectis exemplis. Sanctorum Trium Magorum Euangelicorum corpora, aſſeruantur Coloniæ Agrippinæ, quantumuis inter fabulas id recenſeat Beza in caput ſecundum Matthæi. Et exploſo quoque, ridiculo, & ad ſtuporem inſulſo commento, eius qui nuper typis vulgauit, ſomnium ſuum de tribus Magis longè aliis à communi ſenſu, nec adhuc demortuis, Enocho, Melchiſedeco, Elia: Ad Deum Fabullnum, tales nugæ. Mortui verè ſunt, tres veri Magi Euangelici, & eorum ſacra corpora, Coloniæ (vt præmiſi, aſſeruantur. Corporum illorum pars ſuperna, qua puſionem Deum, in vlnis ſuis, præbente Deipara exceperunt, ac ſuauiati ſunt, perſtat carne obducta, & capita capillis conueſtita carnem ſuam retinent, vt ſcribit Erhardus Vinhelm Cartuſianus, in Sacrario Colonienſi, agens de Eccleſia Cathedrali, *pag.*19. Adeóque Deo chara fuerunt ſacra illa corpora, vt referente Alberto Krantzio libro vndecimo, Saxon. capite vigeſimo quinto, *editionis plenioris*, cum anno 1438. decidens è templi fornice ſaxum prægrande, vi turbinis eo loco procelloſiſſimi excuſſum, perrupto duplici fornice, decidiſſet, ſuo illapſu contriturum cum conditorio ſacra corpora; præuertens illapſum vis diuina, auerterit conditorium, ſicque obtritione prohibuerit ſacras illas reliquias, ſupernè (vt dixi) incorruptas. Vbi non eſt habita ratio caſtimoniæ Magorum; (quis eam præſtet? ſed complexus Christi, per eam ſacrorum illorum corporum partem. Suppetunt exempla de aliis pleriſque incorruptionibus, alias ob cauſas, quàm ob caſtimoniam.

7. Eleemoſynam & largitatem, aſſiduam ac copioſam, in egenos Sancto Stephano Regi Hungariæ, verè ſancto, verè pauperum patri, præſtitiſſe, vt mortui dextera non corrumperetur, cenſuit Chartuleius in Sancti viri rebus geſtis, *in ipſo fine*. Nam cum deſcripſiſſet eam dexteræ ſolius incorruptionem, poſt annos quinque & quadraginta deprehenſam, ſubdit. [Sed quid ſibi vult, Fratres mei, quòd cæteris membris reſolutis, & carne in puluerem redacta; ſolam dexteram manum cum eius cute, oſſibus & neruis, Deus integram conſeruauit? Equidem ſic ſentio, diuini conſilij altitudinem id hac re demonſtrare voluiſſe, eleemoſynæ ſtudium omnes virtutum gradus tranſcendere. Quamobrem etiam in Euangelio Dominus ait, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: Itémque *Date & dabitur vobis*: & alio loco Scripturæ diuinæ; *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Meritò igitur ſancti Regis dextera, corruptionis manſit expers, quæ ſemper miſericordiæ floribus reuiuiſcens, ad alendos pauperes nunquam muneribus diſtribuendis vacua fuit. Námque piiſſimus Rex opem tulit calamitoſis & indigis, liberauit oppreſſos captiuitatis iugo, veſtes & hoſpitalitatis officia impendit peregrinis, viduarum & pupillorum miſeriam & inopiam, ſuam putauit, mandatum Saluatoris de lauandis aliorum pedibus, quotidiè impleuit, pauperum pedes abluens: eleemoſynas præſtitit non ex rapinis aut aliorum damnis, ſed è ſuis facultatibus; vt domos Dei locupletaret, ſibi ipſi interdixit habendi voluntatem. Denique omnibus pro dignitate prodeſſe cupiens, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit. Inde ergò profecta corporis & dextræ manus, admiranda & iucunda veneratio.]

8. De Sancto Oſuualdo Rege, in pauperes ac peregrinos profuſiſſimo, ſcribit Beda libro tertio, hiſtoriæ Eccleſiaſt. Anglorum cum in die Sancto Paſchæ cum Aidano Epiſcopo ad prandium ſedentem, accepiſſe ab Eleemoſynario, ingentem pauperum multitudinem proſtare in platea, opis & ſubſidij egentiſſimam. Illatus erat in Regis prandium diſcus argenteus ingens, regalibus refertus dapibus. Motus nuncio confluens pauperum Rex pius, ad eos deferri dapes ſibi apparatas præcepit, & diſcum in eorum viuum confringi atque diſtribui. Quo facto delectatus Aidanus Epiſcopus, dexteram Regis apprehendens; [Nunquam (inquit) inueteraſcat hæc manus.] Audiuit Deus Epiſcopi votum. Nam Rege poſtmodùm in acie cæſo, manus eius dextera à reliquo auulſa corpore, manſit incorrupta, & in vrbe Bebba loculo incluſa argenteo, in Diui Petri ſacra æde, munificentiæ in pauperes diuinitus honeſtatæ, perenne monimentum omnibus exhibet.

Sancti Nicolai Myrenſis dextera, cum dimidia propè parte brachij cui coniungitur, Arimini ſeruatur, furto à Barenſibus ſubducta, vt ſcribit Cæſar Clementinus rerum Ariminenſium parte prima, libro tertio ad annum Christi milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum. Etiamnum integra & carnoſa ac mollis perſtat ſancta illa dextera, cum adiuncta brachij parte. Huius poſt tot ſecula incorruptelæ cauſam, legi qui referret ad impactum validè Ario colaphum à Sancto Nicolao, in conſeſſu Patrum Nicænorum: ad quem aduocatus Arius, perfidiam ſuam apertè expoſuit. Cæteris autem Patribus continentibus aures ſuas, & ad tam diras blaſphemias horrore defixis, exiluiſſe ferunt è ſede ſua Sanctum Nicolaum,

& illiſa fortiter dextera coram omnibus, mulaſſe Arium. Ita ex variis autoribus tradit Antonius Beatillus in Sancti Nicolai Barenſis hiſtoria libro quarto, capite 13. Legi ergo qui corruptionem dexteræ & partis brachij quam retuli, referret ad generoſam hanc blaſphemi Arij multationem; longè abhorrens ab inconſiderata Gulielmi Pepini cenſura, qui hanc colaphizationem, niſi peculiari inſtinctu facta dicatur, damnauit peccati mortiferi. Nollim, actioni, tamen ſi (quicquid iſte obſtrepat) ſanctæ, & zelum flagrantem reſipienti; apud veteres tamen ſilentio preſſæ; (qui enim ſolus veterum adducitur Andreas Cretenſis oratione de Sancto Nicolao, alium ſenſum facile ſuſcipit,) adſcribere effectum incorruptionis certum & palpabilem, nuperrimo experimento comprobatum. Itaque potiùs tribuerim incorruptionem dexteræ Sancti Nicolai, quia manum ſuam aperuit inopi, & à larga & frequenti erogatione eleemoſynarum, ore omnium celebratur.

9. Æſtimet ac pronunciet re attentè penſata, pius lector, an ad beneficentiam in pauperes quæ fuit in ea præcellens, an ad aliam ex regiis virtutibus quæ in Sancta Hedwige Polona claruerunt, referendum ſit quod de incorruptione aliquarum eius partium habent eius Acta decimo quinto Octobris. Exceſſerat è vita ſanctiſſima mulier, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio. Tranſlatio facta eſt anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo [Oſſa Sacri corporis cùm eleuarentur, conſumptis carnibus & membrorum compage ſolutâ, tres digiti ſiniſtræ manus eius, inuenti ſunt prorſus integri & incorrupti, & iuxtà illos exigua imago beatiſſimæ matris Dei, quam illa viuens crebro apud ſe ferre ſolebat, & cum ea tumulata fuerat, quod moriens adeò eam digitis iſtis ſtrinxerat, vt commodè inde auelli non poſſet. Cerebrum quoque capitis eius, quod ferè viginti quinque annis humatum fuerat, inuentum eſt recentiſſimum, & diuinâ virtute mirabiliter conſeruatum.]

Beatæ Roſſellinæ Cartuſianæ è ſtirpe Illuſtriſſimorum Marchionum *des Ars*, oculi è ſuis ſocellis exempti, ac ſeparatim in pyxide aſſeruati, raro miraculo æquè viuidi perſtant, ac cum Virgo ſuperſtes erat. Hoc etiamſi fatear referri poſſe ad puriſſimam corporis & animæ in hac lectiſſima Virgine integritatem: videtur tamen ſpecialiter referendum, ad fixam ſemper ac irretortam eius in Deum intentionem.

10. Manus dextra Richardi Angli Ciſtercienſis qua in deſcribendis Codicibus nauiter magna cum charitate vſus fuerat, poſt annos viginti à morte, ſoluto reliquo corpore apparuit incorrupta, ex Cæſario lib. 14. cap. 47.

Digiti pleriſque leguntur fuiſſe incorrupti, varias ob cauſas. Digitus quo S. Ioannes Baptiſta Chriſtum agnum Dei indicauit, apud Maurianenſes aſſeruatur, à putredine prorſus liber. Non eſt omittendum quod de vno Sanctus Præcurſoris digito, déque dextera è qua abſciſſus eſt, narratur in Græcorum Menæis ſeptimo Septembris, & ſeptimo Ianuarij. Eam enim dexteram quam Deus homo ſuper caput ſuum extulit Sanctus Lucas Sebaſte aſportatam, Antiochenis commiſit. Populabatur autem eam oram draco teterrimus à deliris pro Deo habitus, & anniuerſario ſacro humanæ victimæ cultus. Cúmque ſors Chriſtiano obtigiſſet, filiam ſuam puberem, obiciendi Draconis faucibus, tentauit eam exitio eripere, ardenter experita & exorata ſanctæ dexteræ exoſculatione. Ac ne cultores aduerterent quod moliebatur, velut imprudens pecuniam in terram effudit; cui colligendæ cum cuſtodes inſtarent, ipſe dentibus pollicem ſacræ manus auulſit, & ſecum abſtulit. Cum autem intra paucos dies horrendi ſacrificij tempus appeteret & innumera multitudo confluxiſſet, dilectiſſimam filiam, mœſtus pater, ſed fiduciam habens in Sancti Præcurſoris pignore quo inſtructus erat, ad Draconis vſque præſentiam eſt comitatus. Et cum Draco immani rictu puellam glutiturus hiaret, ſacrum digitum pater in apertum guttur conjecit: quo ille bolo, confeſtim letho datus concidit, & lætus euentu pater filiam reducens viuam, factum ſtupendum ad Beati Ioannis Baptiſtæ gloriam euulgauit. Huic ſancto digito, ac etiam vniuerſæ manui dexteræ Beati Præcurſoris, munus incorruptionis reliquo corpori negatum, videtur à Deo indultum, quia ſuper Chriſti caput fuerat elata.

Sanctimonialis poſt obitum reuelauit cuidam manus ſuas computruiſſe, ſed pollicem quo ſignum crucis ſibi imprimere conſueuerat, corrumpi non poſſe. Ita habetur in tractatu qui inſcribitur Doctrina Sancti Bernardi, *pagina mihi* milleſima ſeptingenteſima quadrageſima nona.

S. Editha Edgari Regis filia templum Sancto Dionyſio erexit anno nongenteſimo quadrageſimo quarto, & per Sanctum Dunſtanum conſecrari curauit. Is cum obſeruaſſet, in ipſa templi Dedicatione, piam Virginem identidem pollice dextro ſignum Crucis in fronte efformare, conuerſus ad eam & apprehenſa illius dextera dixit, *Nunquam putreſcat hic digitus*. Tredecim annis à ſepultura commonuit ſuperſtitem Dunſtanum Sancta Virgo de ſui corporis eleuatione & faſſa in ætate puellari ſe leuicula quædam per oculos, manus, ac pedes deliquiſſe, addidit de dextro pollice. [Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi aſſiduè ſignum Crucis impreſſi, illæſum videbis, vt appareat clementia Domini in parte ſeruata, & paterna caſtigatio in parte abſumpta.]

Linguam Sancti Antonij Patauini, integram & incorruptam multis à Sancti Viri exceſſu annis, conſpicatum Sanctum Bonauenturam, multis eam lachrymis rigaſſe ferunt: cauſa incorruptelæ relata in ſancta miniſteria quibus lingua illa Deum exornarat, proximiſque commodarat.

Rurſus

Rurſus quoad linguæ incorruptionem, ſuppetit aliud exemplum. Ludouicus Medina è Societate IESV, magnæ virtutis Sacerdos, cum obiiſſet annoſus admodùm, & tumulus poſt annum à tumulatione duodecimum reſeratus eſſet, notatus eſt cætero capite, corporéque vniuerſo, in ditionem mortis planè sedacto, linguam retinere rubentem ac vegetam; perinde ac cum ſuperſtes inter mortales agebat. Attributa eſt ea linguæ prærogatiua, conſtanti veracitati hominis, quem in vita vniuerſa nunquam ſcienter mendacio ſe contaminaſſe, certa fama erat. Refert Sacchinus in Societatis hiſtoria, p. 2. l. 2. n. 160.

De Sancto Bonauentura, referre memini in Sanctorum Lugdunenſium Indiculo, annis centum ac ſexaginta poſtquàm conditum fuerat ſacrum corpus, cum transferendum aliò eſſet, repertum eſſe capite integro, planéque ea ſpecie qua humatum fuerat, ne capillis quidem exeſis. Hoc referri proportione poteſt ad ſummam Sancti viri ſapientiam, & præſertim in regendo religioſo cœtu prudentiam; quod ille & verbo & ſcriptis præſtitit ſanè eximiè, ita vt vix quicquam in eo genere vſpiam exter accuratius atque perfectius. Paulo aliter (ſi tamen aliter) in hæc verba de incorruptione capitis Sancti Bonauenturæ, lego apud Octauianum de Martinis, oratione ad Sixtum IV. [Stupendum ac memorabile, & certum teſtimonium ſanctitatis, eius eſt, quod dum illius venerabile corpus transferretur ad nouam Eccleſiam, ad titulum Sancti Franciſci Lugduni erectam, centeſimo & ſexageſimo ſui obitus anno, reliqua corporis parte alioquin exeſa atque corroſa, caput tamen ſolidum, capillamentum hærens, labia, dentes, & lingua, in nullo, à vitali ſtatu aut colore demutata ſint reperta. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os à putrefactione ſeruare, quod ad ſalutem fidelium, atque in diuinis laudibus ſemper fuerat operoſum.] Perennat hodiéque ſacri capitis integritas tanto poſt Sixtum IV.

11. Cor Sancti Auguſtini perſtare incorruptum, & cryſtallo incluſum quoties coram eo Sancta Trinitas nominaretur, aut ſolemne Triſagium *Sanctus Sanctus Sanctus* decantaretur, vel liber ipſius Sancti Auguſtini *de Trinitate* expanderetur, ſolitum quaſi vitaliter exultare, ſcribunt Iordanus de Saxonia ſermone quadrageſimo nono de Sanctis; Hieronymus Romanus 1. p. Chron. Auguſtinenſ. capite trigeſimo quinto Ludouicus ab Angelis libro ſexto de vita Sancti Auguſtini capite ſeptimo. Cornelius Lancilotus libro tertio de vita Sancti Auguſtini capite quadrageſimo tertio. Emanuel de la Cerda q. 4. poſitiua, qui fusè veſtigat cauſam illius motionis in corde Sancti Doctoris. Sed alia fruſtra quæritur, quàm ſupernaturalis; ſiue immediatè operans, quod Emanuel ibi arbitratur; ſiue potiùs ſit Angelus. Nam ſolemne eſt Deo, per Angelos obire huiuſmodi actiones, vt benè monuit vir malus, Apuleium dico l. de mundo, conferens Angelos in comparatione ad Deum, illis miniſtris Regum Perſarum, vi *Regis oculi, & aures*, dicebantur. Nos tamen nunc id non moramur. Vt neque quod ſcribit Hieronymus Romanus 1. p. Chronici Auguſtinenſ. capite trigeſimo quinto, quod homo hæreticus, ſi Eccleſiam in qua eſt Sancti Auguſtini cor, ingredi tentauerit; aut in veſtibulo cadat, aut intus occumbat; quam ferunt eſſe originem pingendi cor Sancti Auguſtini cryſtallo incluſum, iacentibus ac proſtratis hinc inde fidei hoſtibus. Incorruptionis cordis cui ſoli hîc inſiſtimus, cauſa moralis genuina, petenda videtur, ex eius incenſiſſima erga Deum charitate, commenſa luci qua eius intellectus colluſtrabatur. Quo item referendum eſt, quod de corde Sancti Bonauenturæ incorrupto, produnt Petrus Exquilinus in Appendice capite duodecimo, & & Hermanus Schedel in ſexta mundi ætate, ac Petrus Rodulphus, *fol. 94.* ſilentibus tamen aliis qui res Sancti Bonauenturæ ſunt proſecuti. Variorum corda incorrupta, certorum Chriſtianorum myſteriorum notis inſignita, recenſui in Notis ad Epiphanij Paulum 2. quæſtiuncula 15. Et ex adiunctis ibi recenſitis, facile erit de morali cauſa conceſſæ incorruptionis pronunciare.

12. Quàm bonus ergo Deus, rectis corde? Qui ſic corporibus nonniſi thecis animarum proſpicit, quid ipſis animabus corpore ſolutis rependit? Non ſic impij, non ſic. Impiorum enim atque carnalium corpora plerunque iam ex hac vita putreſcunt. Iudæ ſuperſtitis corpus, vermibus ſcatens & horribiliter fœtens, exhibet Oecumen. Idem de vidua quæ viuens mortua eſt, habet Sanctus Chryſoſtomus homilia decima tertia in primo ad Timotheum. Recole dicta capite tertio, de Antiocho & Herode, ac Iuliano deſertore, & Duciſſa quadam. Alexander vates, pede ad inguen vſque putrefacto, & vermibus ſcatens obiit, teſte Luciano in Pſeudomante. Appionem maledicentiſſimum Iudæorum hoſtem, putrefactis genitalibus obiiſſe, ſcribit Ioſephus lib. contra eum 2. Galerium Maximinianum, dum adhuc ſupereſſet, ebullientibus vndecunque vermibus immaniter ſorduiſſe, tradit Euſebius 8. hiſtor. capite vigeſimo octauo. Maximini adhuc viuentis linguam, vermibus vndecunque erumpentibus computruiſſe, Author eſt Nicephorus libro ſeptimo, capite vigeſimo. Neſtorij linguam, ante eius mortem à vermibus ſemeſam fuiſſe, & totum eius corpus dirè putrefactum, tradunt Euagrius, Theodorus Lector, atque Nicephorus, & ex eis Baronius anno quadringenteſimo trigeſimo ſexto. Hunnericus Vandalus, toto corpore ſcatens vermibus, conſumptus eſt teſte Victore libro tertio de perſec. Vandal. De impio quodam aulico Sancti Malachiæ obtrectatore, ſic habet Sanctus Bernardus. [Intumuit & computruit lingua maledica, vermibus ex ea ſcatentibus, & diffluentibus toto ore blaſphemo: quos per ſeptem fermè dies inceſſanter vomens tandem cum illis

miſeram expuit animam.] Ioſonem Caluinum computruiſſe ante obitum, & à vermibus conſumptum, inter execrationes & blaſphemias expiraſſet, teſtatur in eius vita Hieronymus Bolſecus. Non ita actum cum Sanctis, quorum corpora in pace ſepulta ſunt, ac etiam poſt mortem mouent venerationem, quia continent in cineribus ſuis ſemina æternitatis, vt Sanctus Ambroſius ſermone 93. ſcitè dixit, & optimè perpendit Gregorius Nyſſenus orat. de S. Theodoro, *initio*.

13. Neque tamen ſubit animum cogitatio, inficiandi quod ex Sanctorum actis exploratiſſimum; nimirum quod aliquando Sanctorum quoque corpora, iis dum hîc ſuperſtites ſunt, putrefactionis partialis incommodis ſint obnoxia, quibus affici impios diximus. Nam vt alios pleroſque prætercam, quem latet quod de Sancto Simeone Stylita ſcriptum eſt ab Antonio eius diſcipulo, & à Theodoreto in Religioſa hiſtoria? Homo ille quem Græci in ſacro Triodo iure dixere *cœlum in terra*, *lumine ſtructum*, & meritò Theodoretus *magnum orbis terrarum miraculum* appellat, ſpectaculum planè incredibile præbuit, ſi humanæ vires attendantur. Eius tamen viuentis corpus verminans, & præ putrefactione admodùm fœtens, ita vt ferri graueolentia non poſſet, deſcribit Antonius capite tertio, & 7. Actorum. Funem aſperrimum (Theodoretus capite vigeſimo ſexto [illegible], ex palmis contextum fuiſſe dixit:) nudo corpori à renibus ad collum vſque arctè aſtrinxit, qui carnes ſubiens, & ad oſſa vſque infixus, vixque vltra conſpicuus, fœdo vlcere, multáque ſanie & putore, Dei ſeruum infecit. Vnde expoſtulantes de eo apud Cœnobiarcham ſodales, aiebant præter cætera criminationis capita, [Fœtor grauiſſimus egreditur de corpore eius, ita vt nullus iuxta eum ſtare poſſit; & cum ambulat, vermes de corpore eius cadunt, lectúſque eius plenus eſt vermibus.] Móxque ibidem, comprobatam ab Abbate criminationis veritatem teſtatus Antonius, addit. [Cum multo labore & dolore, tulerunt de corpore eius funem de quo erat inuolutus, vna cum carne eius putrida.] Rurſus capite ſeptimo. [Diabolus in frigore appoſuit vulnus ſuper femur eius, & putrefactum eſt, ita vt multitudo vermium ſcateſcens de eo, deſcenderet de corpore eius, decurrebátque de pedibus eius in columnam, & de columna in terram.] Theodoretus loco annotato, ex Sancti Meletij Antiocheni teſtis oculati aſſertione refert, priuſquàm Simeon columnam ſubiret, cum catenam ferream tibiæ alligatam ſuppoſita ferro aluta haberet, & vrgente Sancto Meletio catena remoueretur, viginti maximos cimices ſub aluta cum diſſueretur eſſe deprehenſos, à quibus fœdum in modum excarnificaretur ac putrefieret. Affinia de fune arctè illigato, eúmque conſequente putredinis rudimento, legere eſt in Sancti Franciſci Xauerij vita libro primo, capite tertio. Et de vermibus ex corpore viuo piæ incluſæ *Bona* nomine, ſcaturientibus, exemplum luculentum recitat Theodoricus de Appoldia lib. 2. de vita S. Dominici cap. 14.

14. Hæc & alia corporibus Sanctorum ſuperſtitum aliquando obtigiſſe, probante Deo ſuorum patientiam, non inficior. Sed longè alia eſt, hac quoque in parte, ſors Sanctorum, quàm impiorum de quibus agebamus. Incredibili enim æquanimitate Sancti viri, hæc mortis præludia admittebant, non cum rabie, vt impij: ſciebant enim quanti pretij apud Deum eſſet ea tolerantia. Vnde Sanctus Simeon Stylites, vermes de ſuo corpore cadentes, colligi, & ad ſe ſuper columnam referri, & in vulnere reponi iubebat, vt ſcribit Antonius capite ſeptimo, qui addit, vnum ex illis vermibus qui ceciderant, collectum à Baſilico Saracenorum Rege qui ad columnam aduenerat, in eius manibus tranſiſſe in gemmam pretioſiſſimam. Id quod etiam habet Theodoricus, de verme ex vlcere piæ illius fœminæ nomine *Bona*, accepto à Sancto Dominico. Et quicquid ſit de hac vita, Sanctis poſt mortem, pro fœtore & putredine, corporum fragrantia & integritas rependitur, vt in Sancto Simeone apparuit: de cuius corpore, cum primùm abſceſſit anima, odor quaſi multorum aromatum afflabatur. Et quod addit Theodoretus, corpus mortuum [rectum ſtetit in loco certaminis, tanquam inuictus athleta, nulla parte membrorum, volens terram tangere. Sic Chriſti athletis, manet etiam poſt mortem, cum eis ſimul verſans victoria.] Fuiſſe longè poſt incorruptum, ſcribit qui vidit Euagrius libro primo, capite decimo quarto. Itaque ratum eſſe debet, quòd Deus ipſe per Malachiam cap. 3. conteſtatur: *Videbitis quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.*

15. Quæ de incorruptione totali aut partiali aliquorum membrorum, V. G. Ethnicorum iactata ſunt, aut cauſas habuerunt naturales quales circa incorruptum Pyrrhi pollicem diſcuſſimus ſupra capite quinto, aut conficta gratis fuerunt: vt non ſit opus inquirere cauſas, ob quas diuinitus indulta eis ſit incorruptio, ſaltem partialis. Mercurialis certè, incorruptionem illam pollicis Pyrrhi, habet valdè ſuſpectam libro quinto variar. capite ſexto. De Trajano Chriſtianorum hoſte & iuxta Dionem, infami pæderaſta, proditum eſt à Bernardino Corio Mediolanenſi hiſtorico, poſt 492. annos quàm conditus fuerat, repertum eſſe à cæmentariis in ſepulchro quodam, eius cranium & linguam incorruptam, qua ad D. Gregorium Magnum perlata, ingemuerit pro Trajano, & eius ab inferis liberationem exorsuerit. Figmentum adeò abſurdum, vt ne ipſe quidem Alfonſus Ciaconus, Trajani à Sancto Gregorio ex inferis liberati, plena tractatione aſſertor, potuerit ſuffragari; cum palam ſit, Trajani in Bithynia cremati cineres, intra auream phialam, ſupra ipſius Trajani columnam conditos eſſe: éamque columnam, cranij quoque & linguæ cineres continuiſſe; nec potuiſſe in ſepulchro à cæmentariis inueniri. Itaque ad

populum

populum phaleras. Neque enim verior eſt partialis Trajani incorruptio, quàm Trajani liberatio ab inferis, cui Æſopicarum fabularum congruentiſſimo auctario, pridem per tam multos exploſo, hîc extra locum refellendo, non inſiſto.

CAPVT XI.

Cuiuſmodi cenſenda ſit incorruptio quæ huic diſquiſitioni occaſionem præbuit, pronunciata diribitoria.

1. EX iactis hactenus ſeminibus colligendum eſt, quid ſtatuendum videatur de corpore nuper Carpentoracti refoſſo, cuius occaſione iſta diſcuſſimus; quod non erit operoſum, relecta narratione de eo ad nos tranſmiſſa, quam exhibuimus cap. 2. & regulatis cauſis omnibus incorruptionis corporum hactenus expenſis, eas ad rem præſentem comparando.

Primò igitur illius corporis incorruptionem non eſſe ex cauſis naturalibus citra artem perſpicuum videtur; quia neque peculiari corporis conditioni, neque efficaciæ ſoli conſertæ, poteſt aſſcribi. Corpus de quo agitur, ex ſe fuiſſe corruptibile, monſtrat lenicula dorſi læſio. Soli autem vim, non inhibuiſſe putredinem, monſtrant ſtruices oſſium ibidem aggeſtorum, & loculi ac ſudarij corruptio. Humor ſalſus ſi corpori inextitiſſet, aut è ſolo manaſſet; corpus exſuccum & corrugatum reddidiſſet, quale iſtud non fuit, cum eſt eductum è tenebris.

2. Secundò non fuiſſe hanc incorruptionem fœtum humanæ artis, teſtantur adhibiti ad corpus recognoſcendum periti Medici & Chirurgi. Et idem liquere poteſt, ex prorſus exulante quauis materia ad huiuſmodi artificium accommodata. Itémque ex eo quod aberat omnis inciſio ventris, ac capitis, & muſculorum, neceſſaria ad medicandum funus, vt dictum eſt cap. 5.

Tertiò defuiſſe Satanæ artificium, eſt pluſquàm veriſimile. Abſunt enim coniecturæ omnes; quæ maleficij ſuſpicionem vel infamiam, quantumuis tenuem, creare poſſint. Nec vlla occurrit vel minima occaſio ſuſpicandi imposturam ſenſibus hîc à Dæmone fallente factam, cum tam vniformis támque conſtans ſit omnium conuitus. Nec hîc accidiſſe aliquid à Dæmone, ſecundum conſuetudinem excommunicatorum, obſtat ſepultura in Eccleſia, quæ excommunicato non obtigiſſet. Obſtat defectus tumoris, ac liuoris, & fœditatum quæ corpus excommunicati defuncti dehoneſtant. Inſuper pœna irrogata temeritati illius quæ paucos ex eo cadauere pilos decerpſerat, vt capite ſecundo retuli, non ſapit ſtatum corporis excommunicati. Quanquam huic argumento non admodùm inſiſto, quia facile dici poſſet, punitam fuiſſe petulantiam, quod ex ea parte quam minimè vel contactam vel conſpectam oportuerat, aliquid carptum eſſet. Et dici etiam poſſet, obſtare voluiſſe Deum ne corpus forraſſis æternis ignibus deſtinatum vlla ex parte aſſeruaretur ad cultum religioſum. Quod aliquando cum contigiſſet, diſcuſſæ ſunt per miraculum, aut ſpecialem Dei prouidentiam tenebræ, vt conſtat ex hiſtoria Sancti Martini apud Seuerum capite octauo, & ex alterius latronis pro ſancto habiti narratione apud Neubrigenſem libro quinto, capite vigeſimo & vigeſimo primo, & ex cane mortuo qui Viennæ in ſacra lipſana irrepſerat, teſte Gerſone tractatu octauo ſuper *Magnificat*, partitione tertia eiuſdem tractatus, Operum tomo tertio. Similia congerit Hugo Menardus ad caput tertium concord. regul. Sancti Benedicti Anian. §. ſexto, quæ & alia, cum per errorem plebeculæ, religioſum cultum commaculatura eſſent, peculiari Dei prouidentia illico deprehenſa ſunt, & à ſynceritate cultus fidelium procul amandata; quod item dici poſſet hîc contigiſſe, caſtigata mulierculæ petulantia, ſi velut ſacrum pignus aſſeruare cogitabat quod decerpſerat.

3. Quartò ſitnè hæc incorruptio à Deo fauente, & munerante corpus de quo agitur, poteſt problema videri: cujus partem negantem, fulcit, quod cum tam multi accurriſſe dicantur ægri, nihil ſupra naturam in eis editum, notatum eſt: ſi vnum demas, qui orans ſub conditione meritorum huius mulieris, ſi ſancta apud Deum eſſet, auditus dicitur. Sed de hoc non planè conſtat. Non ſolet autem Deus ſua opera exprimere, abſque munimento ſignorum certorum conteſtantium ea eſſe à Deo. Corporis item deformatio, quamuis præter intentionem ab refoſſoribus illata videretur, fuiſſet à Deo impedienda, ſi ex ſpeciali prouidentia erga corpus animæ Deo acceptæ & ſanctæ aliquando coniunctum, feciſſet vt retegeretur.

Pro parte verò affirmante, facit defectus coniecturarum & indiciorum, quibus hæc incorruptio poſſit probabiliter in aliam quampiam cauſam referri. Et ita planè viſum eſt Medico & Chirurgo ad huius corporis recognitionem adhibitis. Mulcta quoque irrogata ei quæ improuidè corpus iſtud attrectauerat, tametſi non eſt planè certum argumentum, tamen haud improbabiliter huic parti aſtipulatur. Nec debemus erga ſæculum noſtrum adeò malè eſſe animati, vt putemus exaruiſſe circa illud, fluenta omnia extraordinariæ largitatis diuinæ etiam erga cadauera.

4. Mea ſententia fuit, corpus hoc eſſe ſeponendum, & in loculo ſeparatim condendum; ſed citra cultum omnem ac religioſam venerationem; expectando quod fortè Deus de eo ſtatuerit; & præſtolando num per aliqua opera ſupra naturam, ſit reſeraturus, quo loco ſit anima quæ illud aliquando inhabitauit. Et audio, iudicium noſtrum iis quorum in hac re ſunt partes præcipuæ nequaquam diſplacuiſſe.

DE

DE STIGMATISMO SACRO, ET PROFANO, DIVINO, HVMANO DÆMONIACO.

TRACTATIO R. P. THEOPHILI RAYNAVDI,
Societatis IESV *Theologi.*

PROLOQVIVM.

STIGMATIS nomen Græcum eſt, deſignans notam impreſſam, vel certè punctionem. Quod verò S. Eulogius, coronam Clericalem à Saracenis ſubſannatam deſcribens, in memoriali Sanctorum, vocauit eam coronam, *Stigma Ordinis ſacri*, non eſt exigendum ad rigorem genuinæ ac receptæ notionis huius vocabuli, quæ fere vt ſtigma nonniſi de nota impreſſa, vel de punctione dicatur. Nam ϛίζειν eſt *ſignare & notare*: ϛίγειν verò eſt *pungere*. Vnde *ſtigma* idem eſt quod *nota extrinſecùs impreſſa*, aut *punctus*. Multis hanc ſtigmatis notionem illuſtrat Claud. Dauſqueius l. 2. de ſanctitudine Pauli cap. 13. Vocem *ſtigmatis* in eo ſenſu, quamuis origine prima Græcanicam, vſurparunt item Latini, vt liquet ex Suëtonio in Caligula c. 27. vbi tradit trucem illam beſtiam, multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad varia horrenda ſupplicia ablegaſſe. Non diſſimiliter Seneca l. 4. de benef. c. 37. affirmat, Philippum Macedonem iuſſiſſe inſcribi militi, ſtigmata ingratitudinem teſtantia. Vſurpauit item in eodem ſenſu vocem *ſtigmatis* Fabius l. 7. cap. 4. & Scribonius Largus cap. 231 ac Arcad. & Honor. AA. l. 3. C. de Fabricenſ. Ipſi ſerui, à ſtigmate inuſto, dicti Tullio *ſtigmatiæ*. Itaque *ſtigmatis* nomen tanquam Latio donatum, vſurpabimus ad deſignandas notas viſibiles atque adeo corporeas, quod eſt huius Tractationis argumentum. Quod autem interdum probati autores *ſtigma* vſurpant pro ſugillatione, vt notat Britannicus ad X. Iuuenalis ſatyram, tranſlatitium eſt. Sic Tranquillus in Cæſare, *perpetuorum ſtigmatum* in eo ſenſu meminit, & Martialis l. 12. eodem ſenſu ait. *Frons hæc ſtigmate non meo notanda eſt.* Nos hic pro vera nota humano corpori extrinſecùs impreſſa, *ſtigma* vſurpamus.

Reſtringo tractationem, ad notas extrinſecus impreſſas humano corpori: quia non eſt hîc agendum de notis quæ imprimuntur brutis, vt tradit Feſtus V. *Signare*, & V. *Dignoro*. Ita enim notare bruta, vocabant *dignorare*, adhibito charactere; ſic quippe vocatum ferrum inurens, obſeruat Scaliger Coniectaneis in Varronem, poſt S. Iſidorum l. 20. Orig. cap. 16. qui ait characterem, eſſe ferrum caloratum (id eſt candens) quo notæ pecudibus inuruntur. De eo ferro eſt illud Næuij apud Priſcianum lib. 7.

Signare oportet frontem calida forcipe.

Anacreon item.

Et illud Calpurnij in Bucolicis, Ecloga 5.

Equi ſolent inuſtum.

Impreſſurus oui tua nomina.

Coxis habere ſignum.

Quod Oppianus l. 1. Cyneg. à *V.* 315. agens de pictis & floridis Oryngis, ſic expreſſit.

Duplicia Oryngum ſunt florida genera;
Alij namque collum, & pulchra crinibus lata terga,
Inſigniti ſunt longis confertim vittis.
Velut trigides veloces, pernicis Zephyri ſoboles;
Aſt alij rotundis in orbem variantur.
Notis denſis, ſimiliter pardis.
Quos etiamnum pullos tenellos pinxerunt ſolertes viri,
Candente ære longum pilum inurentes,
Sæpè verò alia homines ingenioſiſſima excogitarunt:
Vt videlicet pullum ſtigmatizent, etiam in aluo matris latentem.
Proh quantum ingenium! Quanta hominibus ineſt ſolertia?
Faciunt quomodocunque volunt: faciunt verſicolores equos.
Matris etiamnum lacteis comprehenſos lumbis.

Subijcit modũ quo id præſtabatur, ei affinẽ quem Iacob in variegandis ouibus adhibuiſſe legitur Gen. 30.

Hæc tamen pulli intra aluum maternam ſtigmatizatio, non eſt niſi imago (vt ſic dicam,) ſtigmatizationis ſolidæ & veræ introrsùm peruadentis, quæ admoto candente ferro peragitur; ſiue bubus, ſiue equis, ſiue aliis brutis, inuſta per ferrũ nota. Sic Sibæ gens Indorum, apud Arianum, bubus clauæ notam inurebant in Herculis honorem. Equis propè Phaſidem, Phaſianam notam inuſtam, ſcribit Suidas, addens de Siſypho quodam, ſingulas literas vngulis ſuorum animalium inſcribente. Athenæus l. 11. dipnoſoph. equis quibuſdam Σ aliis K inſcriptum fuiſſe prodit, adducto Ariſtophane in Nubibus: & priores σαμφόρας, poſteriores κοππατίας dictos confirmat; vt quidem ex Euſtathio & Heſychio, Theſauri Autor allegat: nequaquam aſſentiente Scaligero in digreſſione de literis Ionicis quam ſuis in Euſebium animaduerſionibus inſeruit; vbi monſtrat denominatos equos aliquos σαμφόρας vel σαζόρας, à nota illis inuſta ſignificante *nongenta*: alios κοππατίας, quibus erat inuſtum κόππα, non autem κάππα. Scholiaſtes verò antiquus Ariſtophanis in Nubibus; equos κοππατίας definit ἵπποις οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ K ςοιχεῖον. Sicut Καμφόρας τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ C. Alia in hanc rem addenſat Iacobus Nicolaus Loënſis l. 8. Miſcell. c 7.

Apud Apuleium lib. 2. Miſcell. hæc leguntur. [Necnon & equum illum quoque meũ reducentibus, quem diuerſum diſtractum, notæ dorſualis cognitione recuperauerunt.] Eſt qui cum Tirio l. 7. c. 20. eum Apuleij locum de ſtigmate accipiat. Sed videtur potiùs de nota quapiam naturali accipiendum, quales in brutis plerumque cernuntur. Refert ſanè Loënſis loco proximè adducto, equum apud Luſitanos editum, habentem in coxa innatas candido pili colore tres ſecurium formas, ita diſpoſitas vt referret inſignia domus Croïorum: proindéque idem equus à Rege Luſitaniæ dono miſſus Comiti Rhodienſi è Croïa apud Belgas familia, diu habitus eſt in magna admiratione, & mortui pellis, formas illas retinuit. Paucis item menſibus, priuſquàm Turcæ Melitam caſſo niſu impeterent; ingentis magnitudinis thynnum, ſcribit idem Autor, in mari mediterraneo captum, qui in ſuprema cute inſculptam à natura triremium claſſem habebat, tam viuidè, vt quædam formæ trans cutem ad carnem vſque penetrarent. De piſcibus quatuor capitis in Gallaciæ flumine Minio, notatis, Hebræis & Græcis literis, ærarum autem Latinis numeris, meminit Idacius in fine Chronici, cum de Pontificatu Simplicij. Naturales igitur brutorum notas non licet diffiteri; iiſque annu-

mero notam dorſualem equi de quo Apuleius: tametſi extra dubium eſt equos & alia pleraque bruta fuiſſe ſtigmatis plerumque per artem notata, iuxta præd.cta, & iuxta illud ex 1. Georg. *Aut pecori ſignum, aut numerum impreſſit acervis.* Has omnes ſtigmatizationes hîc dimiſſas volo, quia brutæ & pecuinæ ſunt, non humanæ, ſiue impreſſæ humanis corporibus.

Sed neque quæcunque notæ humanorum corporum ſunt huius loci. Non enim quæ non ſunt extrinſecùs impreſſæ, cuiuſmodi ſunt ſtigmata morboſa. Sic enim videntur nominari poſſe puncticulæ illæ in febre lenticulari quam Marcellus de Medic. cap. 19. & nuperrimè Schocchius l. 6. obſeruat. Medicinalium, ab huiuſmodi notis, vocat *febrem ſtigmaticam*, fuse eam deſcribens ex Fracaſtorio l. 2. de contag. cap. 6. & 7. lib. 3. cap. 6. & eodem referenda eſt, admirabilis ſanè notatio corporis fœminei quam nuper ex Domino Otrigne peteruditо Medico, accepi. Referebat ille ſuperiore anno 1643. primarij cuiuſdam ciuis Auenionenſis vxorem, annos natam circiter quinque ſupra triginta, quotannis ineunte æſtate, circa febrem ac furorem decurrare ſolitam; (eo videlicet melancholiæ genere correptam, quod à bile retorrida, aſſato vel incinerato ſanguine ex ſtit; ad ſolemnem anniuerſariam mentis exertationem, adiunxiſſe quod non leui admiratione, & maritum, & ipſum Medicum afficeret. Subitò namque toto corpore, ſed maxime in femorum parte interna, apparuere ſtigmata liuida, folij mentaſtri capacitatem æquantia, variis digeſta ordinibus, pariſque inter ſe proportione, ſpatio duorum circiter tranſuerſalium digitorum ſejuncta. Qui ordo eo videtur admirabilior, quod in nullis eruptionibus, & exanthematis ſponte naturæ factis, tale quid cernitur. Porrò & animi exertatio, & corporis veluti pictura & variegatio quam diximus, ſubſecuta mulieris grauiditate ceſſauit perſpicuo argumento quòd à frigidiore & acriore ſemine, agitatis craſſis humoribus, obnubilatio cœli microcoſmi, & ſpirituum an malium impuritas, eorūſque inquinatio eſſet exorta. Eam enim cauſam immutatæ corporis œconomiæ, & turbatæ mentis in aliquibus virginibus viro maturis, obſeruauit Hippocrates l. de Virgin. qui addit *ſi conceperint, ſanæ fiunt.* Idem Medicus anno 1644. puellam ſexennem afflictæ ſatis valetudinis, cui aliàs lien ac etiam abdomen vniuerſum fœdè intumuerat, abs ſe viſam refert, cute innumeris notata ſtigmatibus, quorum permulta lentem magnitudine excedebant, non pauca æquabant; innumera verò erant minora, inſigni in pleriſque colorum varietate. Nam quædam erant rubra, pleraque violacea liuida, aut nigra; omnia colore ſaturato valdè conſpicua. Niſi febris abfuiſſet, & omnium actionum integritas deprehenſa eſſet, potuiſſent videri maligna exanthemata. Sed fuiſſe potiùs ſuccos inutiles, malignitatis ac putredinis expertes, quibus ab vtilibus tunc ſegregatis, natura medicatrix optima, maſſam ſanguineam defœcaſſet, ſuaſit febris ac ſitis vacuitas, abſque decubitu & inappetentia. Nouis autem maculis pullulantibus & ſuccreſcentibus in dies, vbi primùm ſoluta eſt regia in altero lacerto vena, euanuerunt ſtigmata illa vniuerſa, & cutis planè nituit, quæ prius adeò maculoſa, totque notata veluti punctionibus viſa erat. Huiuſmodi ergo ſtigmata, cum extrinſecùs non imprimantur, ablegata volo ab hac diſputatione.

Idem ſtatuo de notis illis quas Suetonius in Auguſto cap. 80. *genitiuas* appellauit, & plerunque à fœtu è matris vtero exportantur. At agemus de eis inferiùs nonnulla ſect. 3. cap. 5. agentes de quorundam impoſtorum prætenſis notis genitiuis. Eas ergo notas fœtibus in vtero adnatas, qualeſcunque ſint, ac etiamſi emineant & extent in corpore, ablego ab hac diſputatione, quæ ſtigmatibus tantùm, atque adeò ſolis notis, vi extrinſecùs humano corpori inuſtis, addicitur. Nec placet quod Claud. Dauſquerius l. 2. de ſanctitud. Pauli cap. 14. has quoque fœtuum notas, *ſtigmatum* nomine donandas contendit. At vbi vis extrinſeca, & impreſſio per imperium facta, ad rationem ſtigmatis pertinens?

Itaque hæreamus in notis humano corpori impreſſis, quæ ſunt vera ſtigmata, inter quæ numero ſolas notas extrinſecùs cum aliqua vi & impetu inuſtas humano corpori, atque adeò corporeas. Neque enim aduocandæ huc ſunt notæ ſpirituales indelebiliter impreſſæ animabus in quorundam ſacramentorum ſusceptione, quas vulgo *Characteres* appellamus. Huiuſmodi quippe notæ, ſunt ſpirituales, ac ſi ita lubet, dici poſſunt ſtigmata inuiſibilia, diuinitùs impreſſa inuiſibili ſubiecto ſiue animæ, de quibus diſſeritur à Theologis in generali Tractatione de Sacramentis.

Eorum porrò corporeorum ac viſibilium ſtigmatum quæ hac tractatione ſuſcepimus exponenda, ingens omnino eſt varietas. Non incommodè tamen ad duo capita generatim reuocari omnia poterunt, nempe ad ſacra, & profana. Nomine *ſacrorum ſtigmatum*, intelligo, quæ vel ex parte cauſæ efficientis, etiam moralis, nec niſi per imperium operantis; vel ex parte cauſæ ſubiectiuæ ac recipientis, ſacra ſunt & digna honore ac veneratione. Poſſumus quoque hæc ſigna appellare *diuina*, non modò à præcipuo huius ſeriei membro, nempe Chriſti Domini ſtigmatibus; ſed etiam quia ſtigmata ſacra, vel ſunt diuina, ratione cauſæ efficientis, vel ratione Dei cum paſſo cooperantis. Quædam enim ex eis ſunt diuinitùs impreſſa, ſaltem per imperium, admouens ad eam impreſſionem miniſterium Angelicum. Alia autem, tametſi cauſam efficientem habent impiam, inuruntur tamen ſubiecto cum quo Deus patitur, vt fert Scripturarum & Patrum creberrimus loquendi modus, expenſus in Tractatione de Martyrio p. 2. cap. 3. num. 21. Sic Deus dicitur ingreſſus cum Ioſepho in foueam. Et Tertullianus l. ad Martyr. cap. 1. conteſtatur, quod niſi Spiritus ſanctus cum martyribus carcerem ſubiiſſet, nunquam Martyres carcerem ingreſſuri, vel in eo perſtituri fuiſſent. Ob hanc igitur cauſam, ſtigmata martyribus inuſta ab impiis, inter diuina referri poſſe pronuncio, quod in illorum inuſtione, Spiritus ſanctus Martyribus ſpeciali munimine ſuppeditato affuerit.

Iam verò ſtigmata profana, duplici principali membro continentur. Vnum eſt ſtigmatum purè humanorum, alterum dæmoniacorum. Voco ſtigmata purè humana, ad quæ Deus non interueniente ſpeciali concurſu, & per modum cauſæ ſupernaturalis: ſiue vt ab homine inurantur, ſiue vt excipiantur: ac ne Dei quidem mandantis & moraliter impellentis iuſſu, ſunt indita. Eiuſmodi ſunt ſtigmata, variarum gentium vſu, ad gradus, aut nationis diſcrimen vſurpata, cuiuſmodi fuere ſtigmata Thracum, & Britannorum, ac Indorum. Pertinent eodem ſtigmata ſeruilia, & variis criminoſis inuſta. Item quæ præ nimio luctu, vel ad fucum faciendum, plerumque ab impoſtoribus inuſta produntur. Necnon quæ ad cultum falſi numinis apud Ethnicos, aut ad ſuperſtitionis ſuæ exercitium per hæreticus inuſta olim conſtat: & quæ poſtremum Erebi excrementum, cui antonomaſticè *Antichriſto* nomen, eſt inuſturum, vt in Apocalypſi pronunciat B. Ioannes. Hoc primum membrum, ſubdiuidens ſtigma profanum, rectè ſtatuetur ſecundum in generali tripartita ſtigmatum diſtributione.

Alterum membrum ſubdiuidens ſtigma profanum, appellabam *dæmoniacum*, quia ab ipſo Dæmone inuritur Magis & Sagis, aliiſve perſonis, in quas diuino permiſſu ſinitur notam extrinſecam corpori imprimere. De quo ſtigmatum genere, anceps & magni vſus eſt diſputatio, tam quoad eorum exiſtentiam apud nonnullos obſcuram, quàm quoad omnes eorundem ſtigmatum cauſas. Ambiguum quippe eſt, an omnibus æquè ſatanæ mancipiis inurantur huiuſmodi notæ, & in qua corporis partes & an ab ipſomet dæmone tanquam ab immediata cauſa effectrice, an verò interuentu alicuius alterius cauſæ, imprimantur. Quæ item ſit huiuſmodi ſtigmatum formalis ratio, & quæ ad eam accidentia conſequantur, obſcurum eſt: nec leuiter de harum notarum ſtabilitate & abolitione certatur. Itaque copioſa difficultatum meſſis, non minore vſu quàm amœnitate, ex hoc campo colligenda oſtentatur.

Pro triplici igitur ſtigmatum ſerie, quarum vna, quæ diuina ſunt, binæ aliæ, profana tam humana quàm dæmoniaca complectentur, triplici ſectione eodem ordine collocanda, digeram vniuerſam de ſtigmatis tractationem; à qua non eſt quod extimeſcam cognomentum quod Nicanor Alexandrinus retulit à ſcriptione de ſtigmatis ſeu punctis. Audiuit enim *Stigmarius.* Mihi verò glorioſiſſimum fuerit eius decorum participem fieri, qui non erubeſcens Euangelium ſidenter pronunciauit; *Nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto.*

SECTIO I.

SECTIO I.
DIVINVS ET SACER STIGMATISMVS.

PERTINENT ad hunc locum iuxta proximè dicta, & ſtigmata, quæ ſub antiquo Teſtamento & ſub lege gratiæ inuſta ſunt, authore vel mandante Deo; ac quæ, in termino, ſeu in gloria locum ſint habitura, controuertitur. Tametſi autem ordinem dignitatis attendendo præmittenda eſſent ſtigmata Diuina noui Teſtamenti, & illa maximè quæ Chriſto Lapidi primario inſculpta ſunt, Deo celante ſculpturam eius: tamen præferendus videtur ordo temporis: quo ea primùm ſtigmata conſideremus, quæ veteri Teſtamento ſunt impreſſa; cum quæ in nouo, per tempus viæ ad patriam, inuri contigit. Claudet agmen conſideratio ſtigmatum ſactorum in cœlo, vbi eſt viæ terminus; cum vt intelligatur quomodò ibi ſe habeant ſtigmata tempore mortalis vitæ piis impreſſa, tum vt conſtet, aliquáne noua ſtigmata inurantur beatis, quod quædam Scripturæ videntur ſonare; vt cum electi per omnes tribus dicuntur *ſignati*, & habere *nomen filij, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.*

CAPVT I.

De Stigmatibus diuinitus impreſſis aut inflictis in antiquo Teſtamento; ac primùm de Caïni ſtigmate.

IMpreſſum eſſe à Deo ſtigma Caïno fratricidæ, habetur ex cap. 4. Geneſ. vbi Deus, nequam illum, cædem ab aliquo inferendam timentem, firmaſſe narratur. Additque Moyſes. *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum.* Quæ verba ſatis manifeſtè præferunt, Deum impoſuiſſe Caïno ſignum, quo omnes commouerentur abſtinentiæ à cæde Caïni.

Priuſquàm autem hunc eſſe ibi verum Moſis ſenſum ſtabiliam, ponendum eſt, genuinam & receptam in Eccleſia ſacri textus lectionem, eſſe quod dixi. Neque enim audiendus eſt Rupertus l. 4. in Geneſ. cap. 9. negat legendum, *poſuit Dominus Cain ſignum*, aut vt pleriq; veteres Codices habent; *poſuit Dominus in Cain ſignum*: quod ſonat impreſſionem ſigni in Caïno factam, ſed contendit legendum, *poſuit Dominus Caïn in ſignum* [Notandum (inquit,) quod dictum non ſit, *& poſuit Dominus ſignum in Caïn*, vt V. G. tremulo corpore viueret, vel cornu in fronte geſtaret, vel tale quid quod non ex authoritate Scripturæ, ſed ex Iudaïcis fabulis eſt: ſed *poſuit* (inquit,) *Cain in ſignum*: id eſt quaſi ſignum; videlicet, vt ſic non auderet aliquis pro vltione contingere illum; quomodo nemo debet amouere Regis vel Imperatoris ſignum.] Verùm hæc Ruperti interpretatio nullo modo eſt admittenda: euertit enim probatam in Eccleſia lectionem; in qua non habetur, *poſuit Deus Caïn in ſignum*: ſed *poſuit Cain ſignum*. Vel *poſuit in Caino ſignum*. Deinde Gloſſa Ruperti manifeſtè euertit ſenſum Moſis, qui ſignificare voluit quorſum Dominus hoc ſignum Caïno impreſſiſſet: nempe vt mortales, animaduerſo eo ſigno, & comperta per illud immunitate cædis diuinitus conceſſa Caïno, abſtinerent eius violatione. At iuxta Rupertum, ipſe Caïn poſitus erat in ſignum ne occideretur: quod excluſo ſtigmate, & reliquis notis externis quas Rupertus excludit, intelligi nequit quomodò per ipſummet Caïnum exprimi poſſet. Sicut neque apparet, qua ratione Rupertus ſubdat, parabolicum filium Thecuïtidis, quem fraternæ cædis reum Dauid contingi à quoque vetuit, poſitum eſſe à Dauide in ſignum: eo ipſo quod Dauid conteſtatus erat reum fore, quicunque illum malè habuiſſet. Id enim non erat reuera poni in ſignum, vt non interficeretur, qui fratrem interemiſſe ferebatur. Induxit fortè Rupertum in eam interpretationem, Philo in calce libri, *Quod deterius potiori inſidietur*, vbi talem aliquam textus ſacri interuerſionem adhibet. Sed meminiſſe oportuit Rupertum, Philonis iudicium circa literam ſacri contextus, ſæpè frigere, vt monuit D. Auguſtinus 12. contra Fauſt. cap. 39. Eſto de facundia & ſcriptionis concinnitate, vix vlli concedat Philo. Quare fateamur, rectè habere lectionem vulgatam; nec Dominum poſuiſſe Caïn in ſignum abſque vilius notæ externæ impreſſione; ſed verè poſuiſſe in Caïnum ſignum externum, exprimens omnibus voluntatem Dei ferre, ne Caïn interficeretur.

Sed quodnam fuerit ſignum illud externum, & an reuera ſtigma ſit cenſendum; variant ſententiæ. Permultis viſum eſt, Caïnum fuiſſe à Deo percuſſum tremore, & inſolito corporis motu;

idque eſſe ſignum à Deo poſitum in Caïno, ne occideretur. Ita Abulenſis, Delrio, Cornelius in c.4. Geneſ. ac Salianus & Torniellus anno mundi 130. Diſertè ita explicat hoc ſignum, Eucherius lib.1. in Geneſ. Videtur annuere Baſilius Seleuciæ Orat. 4. quæ eſt de Caïn & Abel. Ait enim, Deum in hæc verba affatum eſſe Caïnum. [Monita non cepiſti mea; ærumnis conſtrictus eſto, tuáque trepidatio poſteris vertatur in legem. Tremens obambula; animata lex videntibus occurrens, ſpirans columna, auertat à pari pœna: Lex inquam atramenti vice, trepidationis nota conſcripta; malum facere neſcium, intuentibus ſit hortamento; & perturbata natura, quietem ſuadeat.]

Hunc Caïni motum & agitationem, typű fuiſſe motus & agitationis omnium peccatorum, per Satanam tanquam in cribro agitatorum, affirmat S. Macarius hom. 5. cenſétq; eò alluſiſſe Chriſtum Lucæ 22. cum dixit Petro, *Satan expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum*, atque ita ex peccato Adami conſecutum eſſe cenſet, vt omnibus hominibus dictum ſit æquè ac Caïn, gementes ac trementes eritis, atque agitabimini in cribro terræ à Satana cribrante, & continuis tumultuoſis affectionű prauarum perturbationibus, hac illac vos permouente, ac circumagente, ſicut Caïnum animo agitauit, & permouit ad patrandum homicidium primum. Quo S. Macarius refert illud Ioan. 8. *homicida erat ab initio*, agitans videlicet Caïnum ad cædẽ fratris patrandam. Hæc tamen agitatio Caïni, anteceſſit poſitionem ſigni à Deo in illo, ſed quæ ſubſecuta eſt cædem, pro ſigno poſita in Cain videtur iuxta S. Macarium, cui anteriùs allegati doctores, ſunt ſuffragati: nec agitatio peccatorum qua ad peccandum emouentur, eſt tam propriè expreſſio mulctæ Caïno diuinitus irrogatæ, & tremoris ac vagationis quibus poſt culpam agitatus eſt, quàm pauor corripiens peccatores poſt admiſſum peccatum. Nunc ſumamus ex D. Macarij diſputatione quod facit ad hoc negotium, nempe ſignum à à Deo inditum Caïno, fuiſſe eius agitationem ac motum.

Veriſimilius tamen videtur, ſignum à Deo poſitum in Caïno, aliud fuiſſe à tremore, inſolitáque ſuccuſſione totius corporis. Manifeſtè id voluit Rupertus, qui eum Caïni tremorem Iudaïcis fabulis annumerauit. Ratio quoque nobis ſuffragatur. Neceſſe namque fuit, ſignum immunitatis à Deo impreſſum Caïno, eiuſmodi eſſe, vt non poſſet ex morbo naturaliter accidere: alioqui vnde veniſſet in mentem hominibus, percepto eo ſigno, cogitare interdictum Dei de Caïni occiſione? Atqui motus ille & tremor, poteſt ex morbo naturaliter prouenire, & ſemel loxatis & oblæſis neruis aliſque motui addictis inſtrumentis, poteſt per reliquam hominis vitam continuari. Non igitur videtur accommodatus, vt aſſumeretur à Deo in ſignum vetitæ interfectionis Caïni. Deinde tremor & motus corporis quo Caïnum correptum volunt, inuaſit illum ante poſitum à Deo ſignum, vt apertè habetur ex verſu 14. vbi Cain deſperans, & grauitatem ſui ſceleris vltra miſericordiam Dei extollens, ait ſe eijci à Deo; & fore perpetuò vagum & profugum. 70. verterunt *gementem & trementem*. Ex quo tantum abeſt, vt colligatur hunc tremorem fuiſſe ſignum immunitatis à Deo conceſſæ, vt potiùs colligatur, Caïnum incurriſſe hũc tremorem, metu cædis inferendæ à quocunque obuio. Quod manifeſtè tradit S. Hieronym. epiſt. 124. quæſt. 1. vbi prolatis illis Caïni verbis; *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcõdar, & ero gemens & tremens ſuper terram, & erit omnis qui inuenerit me, occidet me*, ſubdit hanc illorum verborum ecphraſim. [Eiicior à conſpectu tuo; & conſcientia ſceleris tremebundus, lucem ipſam ferre non ſuſtinens, abſcondar vt latitem; eritque, omnis qui inuenerit me, occidet me; dum ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatu, eum eſſe intelligit, qui mereatur interfici.] En tremor ille, iudice Hieronymo, potiùs accuſat quàm tegit Caïnum. Non igitur fuit ſignum immunitatis à Deo conceſſæ. Idem perſpicuè agnouit S. Chryſoſtomus hom. 15. in Geneſ. Ait enim Caïnum in tanta ſui corporis imbecillitate, tantóque tremore, veritum eſſe ne à quocunque occidere volente occideretur; Deum autem timori illi proſpicere volentem, impreſſiſſe Caïno ſignum. Quare ille ipſe tremor, non fuit huiuſmodi ſignum, quod Deus poſuit in Caïno; vt omnibus conſtaret placere ſibi Caïnum indemnem eſſe. Quid quod ambigi poteſt, vnde ea opinatio de tam inſolito Caïni tremore profluxerit? Nam voces Hebraïcæ quas 70. expreſſerunt per tremorem & concuſſionem corporis, potius ſonant fluctuationem, & vagationem, ac inſtabilitatem in homine incertæ ſedis, vt S. Hieronymus in Traditionibus ad cap. 4. Geneſ. animaduertit, & diligenter ibidem proſequitur Eugubinus. Eſtque veriſimilius, verba illa Dei ad Caïnum *vagus & profugus eris ſuper terram*, ſpectare omnino inſtabilitatem, & incertas Caïni reliquæ vitæ ſedes, non autem tremorem morboſum vehementiſſimum, qualem Græcus contextus Caïno tribuit: quandoquidem nequam ille, vt confeſtim in textu ſubditur, mox à poſito ſigno, dicitur liberos procreaſſe: quod à corpore adeò malè affecto, & tam violenter quaſſato, abhorreret. Dicitur etiam illico dediſſe operam ædificandæ ciuitati; quæ operoſa molitio, hominem benè valentem, & optimè corpore conſtitutum, ſupponit. Aliud igitur ſignum à Deo in Caïno poſitum quærendum eſt.

Fuerunt qui ſignum in Caïno poſitum, cornu in fronte Caïni enatum dicerent, vt ex Ruperto referebam. Anonymus in opere de vidua Sareptana lib. 3. tom. 6. cap. 2. hoc cornu Caïno innate ſtatuit vt in Rhinocerote. Hi cogitaſſe videntur illud Poëtæ, *cornu ferit ille, caueto*. Quaſi per eam notam ſignificare iridem voluiſſet Deus, recedendum eſſe à Caïno fratricida. Neque verò ridiculum aut incredibile videri debet, inditum eſſe Caïno diuinitus cornu in fronte; cum humanum artificium, eo quandoque pertigerit. Neque illud duntaxat ſpecto, quod his verbis prodidit D. Petrus Gaſſendus in Nicol. Pereſchij vita l. 5. *pag. mihi* 316. agens de implantatione germinante in ſterno Rochi Martini. [Attendens (Pereſchius,) Gallorum calcaria in criſtarum locum inſita ritè vegetari, & ſuccreſcere, nullus dubitauit quin hædorum cornua cornibus agnorum poſſent inſeri, & alia id genus ſimilia non ſine ſucceſſu tentari: quorum proinde mandauit curam viris quibuſdam induſtrijs.] Non hoc inquam ſpecto duntaxat, cum agnoſco humanum artificium pertingere poſſe ad cornuum inſertionem: quia in propoſito exemplo agnorum & hædorum, poſſet quis cauillari ita fieri, ob proportionalem vtriuſq; pecoris temperiẽ. Illud igitur potiùs ſpecto, quod in humano capite, tentatum deteſtabiliter eſt.

Scribit

Scribit enim Ioannes Benedictus Regius, Canonicus Vratiſlauienſis l. de diuinis & naturalibus viſionibus *ſub medium*; Stephanum Cenadienſem Epiſcopũ cum apud Turcas captiuus detineretur, fugam adornaſſe: retractum autem ex tertia fuga, addictum eſſe curandis pecoribus, ſciſſa ei cute proræ capitis, infixiſque in ea fiſſura hirci recens mactati cornibus, quæ adhibitis glutinoſis actiuis, concreuiſſe cum non modica cruciatione & infamia ſerui Dei, in multa patientia eam vexationem perpeſſi, idem Autor teſtatur. Fruſtra dubitaretur, an diuinum, vel etiam Angelicum artificium præſtare poſſit, quod potuit humanum maleficium:

Citra omnem quoque artem, idem præſtari poſſe, debet eſſe extra dubium; cum locupletes teſtes confirment, naturaliter, aut ex morbo, inditum eſſe humano fronti cornu. Viſam ſibi Monſpelij fœminam nobilem, cui in fronte erat cornu digiti longitudine, ſcribit Dalechampius ad l. 11. Plinij c. 37. Rusticum Cenomanum, cuius fronti cornu adnatum craſſiſſimum duos palmos longum, ad occiput incuruum, Lutetiæ anno 1600. abs ſe viſum refert Renodæus l. 3. de Mater. Medica cap. 21. addítque ex Philippo Ingraſſias, de alio homine cui erat in dorſo cornu prominulum, qualem item hominem abs ſe viſum, qui in Ligurum triremi diu fuerat, ſcribit Scaliger exercit. 196. num. 5. Viſum quoque abs ſe hominem cui erat in medio frontis, cornu ſimile arietino, retortum ad ſuturam coronalem ſuperne ad verticem, teſtatur Emmanuel Vrſticius, quem adducit Hildanus Centur. 2. obſeru. Chirurg. in 25. qui item Centuria 4. obſeru. 31. puellam cornutam, & Pauli Lentuli de ea Commentarium memorat. Ioannes Guy Monſpelienſis, lanæ carminator, cornu longitudine dimidij pedis, ſpiſſitudine pollicis, in fronte habuit. Baſis craſſior, oſſi penitus adhæreſcebat, inæqualis erat eius figura, deſinens in acumen implexum ac conuolutum, perinde ac cornu teneri veruecis, non vltra ſex menſes editi. Vigente ipſo cornigero, Bartholomæus Cabrolus, cornu admota ſerra reſecuit quã potuit demiſsè, & copioſo elicito cruore, demum conſecuta eſt ſanatio, vt ſcribit idem Cabrolus in Obſeruationibus Anatomicis, obſeru. 11. Alterius in fronte cornuti, meminit Zacutus Luſitanus l. 3. de praxi admir. obſeruat. 9. Apud Martinum Vratiſlauienſem l. de monſtris cap. 8. & 24. duo conſignantur exempla eorum quibus cornu erat adnatum. De Poppa Caluiniano cui inter duo ſupercilia non modicum cornu adnatum erat, teſtes habeo locupletes qui poſt Miniſtelli mortem, aſſeruatum à quodam Catholico cornu illud, viderunt & contrectarunt. Diceres hoc cornu ſupra naſum extans, referre breuius Rhinocerotis cornu, quod pro iracundiæ in ea beſtia flagrantiſſimæ indice, habent Phyſici. Erat enim nequam illud Caluini organum, efferatiſſimi in Catholicos animi, & iræ æſtuoſiſſimæ, ita vt Roſaria (ſic enim impiè nominabat,) è præciſis Sacerdotum Catholicorum auriculis confecta, penes ſe eſſe gloriaretur. Mulierem in monte Caluariæ enixam fœtum cornutum, indéque prænunciatum, fore ibi ſedem regiam, ſcribit Baſilius Seleuc. orat. 38.

Quod de Genucio Cippo iactatur, cum commiſſos interdiu boues altiùs animo agitaſſet, enata illi inter dormiendum è fronte cornua, intra vnicam noctem, permitto lectoris iudicio. Apertiùs præfert impoſturam ea narratio, prout refertur à Valerio Maximo, & ab Ouidio l. 15. metam. qui aiunt, M. Genucium Cippum prætorem paludatum, cum portam egrederetur, perſuaſum eſſe à præſtigiatore, enata ſibi eſſe ſubitò cornua, quibus regnum portenderetur; & idcirco ſedulò Cippum, fronde cornua illa velaſſe. Moyſi cornutam faciem huc non adduco. Legimus quidem Exod. 34. *ex conſortio ſermonis Domini faciẽ Moyſi fuiſſe cornutam*; vel vt Caietanus vertit, *cornificaſſe Moyſi cutem*. Ea tamen cornua, aliud non erant quàm radij & lux promicans è vultu Moyſi, *Gloriam vultus eius*, vocauit Apoſtolus 2 Cor. 3. Et idem clarè habent 70. Itaque ridiculè pictores & ſculptores, Moyſem fingunt vt verè cornutum.

Superiora exempla quæ & teſtium oculatorũm ſunt, & nobis propinquiora, ſufficienter euincunt, cornua & quidem propriè dicta, qualia grandioribus quibuſdam quadrupedibus viuiparis adnaſcuntur, poſſe aliquando per vitiationem temperiei, aut extraordinariam corporis conſtitutionem, etiam in aliis animalibus reperiri quaſi fortuitò, & præter communem regulam. Simile eſt quod ceruæ fœminæ accidit. Communiter enim caret cornibus, vt notum eſt, tradítque Plinius l. 11. cap. 3. poſt Ariſtotelem in Poëtica cap. 23. & lib. 1. de part. cap. 2. cum quibus Philoſophi certis locis, alia noſtra, id eſt ex ſpuriis operibus petita, contrarium ſcientia, fruſtra conciliare ſatagit Lælius Biſciota lib. 1. ſobſ. cap. 20. Et tamen repertam ſuo tempore fuiſſe in Gallia ceruam cornutam, ſcribit Scaliger l. 5. Poët. cap. 4. Inſolito item ſpectaculo haud ita pridem, captum eſſe cornutum leporem teſtatur Renodæus l. 3. de Mater. Medica. cap. 4. Cornu gallinæ enatum in crure narrat Auicenna lib. 9. de animalibus, & ex eo Pomponatius l. de Incarnat. cap. 3. *pag. mihi* 31. necnon Scaliger exercit. illa 99. num. 5. quod tamen eſt præter communem vſum. Igitur eodem modo, per extraordinariam materiæ in humano corpore diſpoſitionem, poteſt accidere, vt homo cornutus euadat, vi morboſæ cauſæ naturalis.

Hinc verò rectè colligi videtur, ſignum à Deo poſitum in Caïno vt non occideretur, non fuiſſe cornua. Signum quippe illud, (vt e re ea tremorem diſputabamus,) debuit eiuſmodi eſſe, vt non poſſet aduenire naturaliter, vi morbi, vel temperiei viciatæ, alioqui non fuiſſet accommodatum ad ingerendam hominibus notitiam impreſſionis factæ diuinitus, vt manifeſta fieret immunitas cædis à Deo conceſſa Caïno. Atqui cornua, (vt ex propoſitis exemplis euincitur) inſolito quidem & raro, ſed tamen non incredibili modo, poſſunt homini ex morbo contingere. Quare alio recurrendum eſt, vt legitimè & veriſimiliter exponatur, quod fuerit ſignum à Deo impreſſum Caïno. Nugas Rabbinicas de cane Caïnũ perpetuò aſſectante, vt eo viuo hominis gladio iuxta loquendi modum à Gregorio Nyſſeno adhibitum l. de hom. opific. cap. 7. tutus eſſet à quouis hoſtili incurſu, dimitto cupediarum illarum auidis. Tametſi non me latet, tigrides Bengalanas, quæ omnium ſunt ferociſſimæ, animalculum quoddam cui nomen *Peua*, adiunctum ſemper habere inſtar catelli, Eius verò latratu, admoneri homines ac beſtias, vt fugiant à tigridum rabie, prouidente Deo hanc monelam ad hominum & ferarum ſalutem. Id quod fortaſſis Rabbinos in propoſitam cogitationem pro Caïn deduxit, quam tamen non cenſeo accommodatam. Hæc enim tametſi eſſet tutela

non tamen eſſet ſignum, neque ſignum in Caïno poſitum; quod vtrumque aſſerit Scriptura, de indice voluntatis diuinæ, ne Caïn occideretur.

Mihi nihil occurrit, quo ſignum illud in Caïno poſitum valeat veriſimilius exponi; quàm ſi dicamus, fuiſſe ſtigma Caïno impreſſum in fronte, aut facie, vt in oculos omnium Caïno occurrentium incurreret; quod neque fortuito euentu, neque vi morbi, aut naturæ in corporibus noſtris ſæpè ludentis, poſſet accidere. Siue eius deputatio ad ſignificandum hominibus diuinum interdictum, eſſet per ſigna anteriùs addicta ad id in actu ſignato innuendum; puta per litteras, & ſcripturam id enunciantem: ſiue deputatio ſigni planè ſingularis ad id ſignificandum adhiberi, fieret ex ſpeciali Dei concurſu, ad tempus vitæ Caïni prorogando: qualem concurſum benè multi olim perpetuum fuiſſe voluerunt in Vrim & Thummin, reſpectu Sacerdotis, vt diuina reſponſa ex lapidum contuitu deprehenderet. Similiter enim potuit Deus, omnes inſolitum in Caïno ſtigma conſpicantes, edocere quid illud ſtigma ex diuino inſtituto enunciaret. Quod autem admiſi, potuiſſe de ſigni deputatione conſtare per Scripturam, qualis in S. Theophanis, & aliorum martyrum frontibus ſæpè exarata fertur; non conuellitur ex multorum opinione, quod literæ ſint poſt diluuium adinuentæ, vt referunt Lilius Gyraldus dialog. 1. de Poëtis & Crinitus lib. 17. de honeſta diſcipl. Vera enim ſententia, affirmat literas & ſcripturam, ipſiuſmet Adami diuinitùs edocti inuentum eſſe, vt ex benè multis tradit Hermannus Hugo l. de prima ſcrib. orig. cap. 3. Sanè quod Moſem literarum authorem ſtatuit Rupertus l. 3. de victor. verbi Dei cap. 4. & 22. Inde rectè refellit Philippus Abbas l. de ſilent. Clericor. cap 45. quod Enoch tanto anteriùs ſcripſerit, S. Iuda teſte in Canonica Epiſtola. Nihil igitur eſt, quod vetet affirmare, ſtigma Caïno impreſſum, innotuiſſe per aliquam ſcripturam, enunciantem diuinum decretum de non interficiendo Caïno: vel certè ipſummet ſtigma & ſignum in Caïno poſitum, aliud non fuiſſe, quàm ſcripturam aliquam in Caïni fronte aut facie diuinitus exaratam; iam tunc ab omnibus ex deputatione præuia intelligibilem, quæ ferret, vetare Deum ne quiſquam in Caïnum inſurgeret; ſed ab omnibus, eius violatione abſtineretur. Vt-vt ſit, ſtigma aliquod impreſſum à Deo eſſe Caïno, agnoſcunt Hebræi antiqui apud Genebrardum, & ſubſcribit Lyranus in cap. 4. Geneſ.

Sic ſtigmatizari decuit ad perpetuam infamiam, hominem impium, qui vt ait Proſper p. 1. Operis de promiſſ. cap. 6. [Effectus eſt contemptor diuini mandati, ſuperbiæ caput, auctor inuidiæ, princeps illatæ mortis, & primus in hominibus parricida.] Plenè eius ſcelera expendunt S. Ambroſius l. 1. de Caïn & Abel cap. 7. & 10. & lib. 2. eiuſdem operis à capite ſexto, Victor Carteunenſis l. de pœnitentia cap. 4. & 7. S. Cyrillus lib. 1. in Geneſ. & S. Chryſoſtomus deſcriptus à Niceta ad orat. 43. Nazianzeni, ac Cæſarius dialo. 4. qui ſeptem eius ſupplicia (ſi tamen ſeptem, de quo latè Hieronymus Epiſt. 125. q. 1.) ad ſeptem immanes eius noxas fecerunt. Et addendum eſt crimen hæreſeos, cuius Caïnum inſimulauit S. Iudas, dicens Hæreticos in via Caïn abiiſſe: quod Quiros ad eum Iudæ locum, fusè in hunc ſenſum proſequitur: & ſequi videtur ex iis quæ de vero Abelis martyrio diſputata ſunt in Opere de Martyrio per peſtem p. 2. c. 1. num. 17. Neque tamen infamiæ duntaxat diuturniori, truci huius beſtiæ ſeruitum eſt, per ſtigmatis, reum omnibus demonſtrantis, inuſtionem; ſed etiam ratio habita eſt eruditionis cæterorum deinceps peccatorum; vt ſcilicet agnoſcerent diuitias longanimitatis Dei, quæ ſuſtinet vaſa iræ in multa patientia; nec illico à ſcelere ea conterit & deſtruit, ſi fortè reſipiſcant, & miſerationi locum præbeant. Obſeruatio eſt S. Philaſtrij hæreſi 2. de Caïno. Notauit verò Iſidorus Peluſiota lib. 4. epiſt. 8. Cainum tametſi teterrimum peccatorem, minùs indignum ſe præbuiſſe hac diuina largitate & comperendinatione, quia faſſus eſt cædem quam patrarat. Ob contrariam autem cauſam, Lamech quia inficiatus eſt noxam qua ſe inquinarat, ſimili fructu diuinæ benignitatis, ſupplicium ad longa tempora differentis, caruit. Varij Patres prædelineatam in Caïno gentem Iudaïcam, Chriſti Abelis veri trucidatricem demonſtrantes, hanc quoque procraſtinationem mortis Caïni, & conceſſam ei immunitatem ſtigmate inuſto tanquam publica proclamatione teſtatam, accommodant Iudæis, aptantes illis locum ex Pſal. 58. quo Chriſtus poſtulat à Patre ne Iudæos occidat, ſed diſpergat atque deponat. Ita nominatim S. Auguſtinus concion. 1. in pſalmum illum 58. & S. Cyrillus l. 2. in Geneſ.

CAPVT II.

De ſtigmate Circumciſionis, olim diuinitùs indicto, Abrahæ poſteris.

HOc eſt aliud ſtigma, in veteri Teſtamento authore Deo impreſſum, vt habetur Geneſ. 17. vbi dicitur, hoc fuiſſe ſignum fœderis à Deo initi cum Abrahamo. Apoſtolus Rom. 4. penitiſſimè peruadens myſterium, dixit circumciſionem eſſe *ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ eſt in præputio.* Guilielmus Pariſ. l. de legibus c. 3. vocat *ſignaculum & ſtigma inſeparabile.* Item Claudius Marius Victor. l. 3. in Geneſim, agens de Abrahamo.

Se primùm, natûmque ſuum cunctóſque clientes,
Ac famulos omnes, quo iuſſum eſt ſtigmate, ſignat.

Eſt ergo circumciſio, ſtigma. Vt autem quæ ad hoc ſtigma pertinent perſpicua fiant, percurrendæ ſunt eius cauſæ omnes, formalis nimirum, ſubiectiua, effectiua, atque finalis.

Formalem antiquæ circumciſionis cauſam appello, eius veluti quidditatem & eſſentiam, quam Origenes in cap. 2. ad Rom. his verbis expreſſit. (Circumcidere, eſt ex genitali membro per quod ſucceſſio humani generis, & carnalis propago miniſtratur, amputare aliquam partem.) Hæc tamen circumciſionis definitio, minùs perfecta eſt, nec iſti negotio opportuna. Cadit enim in circumciſionem in fieri, ſiue in actionem qua efficitur ſtigma de quo agere intendimus: non autem in ipſum ſtigma, quod eſt circumciſio in facto eſſe. Deinde omittitur in ea definitione quod eſt præcipuum. Neque enim quæcumque, & quomodolibet facta membri genitalis deſectio, eſſet circumciſio indicta à Deo, Abrahæ: ſed vt ipſa vox *circumciſionis* apertè ſonat, exigebatur ad illius diuini mandati impletionem, vt præputij caro detruncaretur

in

in orbem ; ita vt non fuiſſet ſatis futurum decerpi aliquid carnis ex membro cuius circumciſio præſcribebatur, ſed neceſſaria eſſet abſciſſio carnis ex eo, in rotundam, vnde ſequeretur ſtigmatis circularis impreſſio. Dixi requiſitam fuiſſe abſciſſionem, quia quodcunque vulnus orbiculare non fuiſſet ſatis ad circuncisionem lege indictam; non enim ſuffeciſſent punctiones in orbem ; ſed neceſſaria erat detruncatio & abſciſſio alicuius partis ex eo membro decerptæ. Et hoc ſenſu accipienda eſt circumciſionis notio à S. Zenone aſſignata ſerm. de circumciſ. vbi ait, circumciſionem, (vtique, in facto eſſe, ſpectatam,) eſſe *cicatricem ferro circumlatam, in damnum rotundi vulneris* : Sufficiebat porrò carnem decerptam in orbem, eſſe permodicam ; quia per quamcunque orbicularem detruncationem membri prædicti, ſalua erat circumciſionis notio, & diuinum iuſſum mandabatur executioni. Ex quo S. Zeno eruit, quanta eſſet Iudæorum ſtoliditas, qui de tantulæ curis abſciſſione gloriabantur. Si enim ſola carnis abſciſſio ſpectaretur, longè glorioſiores potuiſſen videri Ethnici illi, qui in Deæ ſuæ honorem, vt S. Zeno ſubdit. [Non paruam enim eiuſdem membri, ſed ipſum membrum radicitùs abſciſſum, myſteriis turpioribus immolabant.] Agit de ſpurcis illis Gallis, qui ſe ad cultum Cybeles, magnæ Deorum parentis coitabant, vt videre eſt apud Arnobium, & alios annotarns tractando ſuperſtitioſum cultum numinis, & in opere de Eunuchiſm. cap. 5. §. 1.

Altera huius ſtigmatis interna cauſa, eſt ſubiectiua. Poſſumus autem duplex eius ſubiectum ſecernere ; nempe immediatum & proximum, ſiue ipſum membrum circumcidendum ; & remotum, ſiue perſonam totam cuius membrum circumcidebatur. Vtrumque ſubiectum, non exiguam diſquiſitionis ſegetem præbet, vnde ſeorſim eſt conſiderandum.

Pars circumcidenda erat genitale caput ; vt loquitur Rutilius lib. 2. Itiner. allatrans Iudæos ve gentem propudioſam, quæ meteret partem illam humani corporis. Nec Rutilius duntaxat, ſed Stoïci quoque, & eorum veſtigia relegentes quidam Hæretici, Teſtamento veteri infeſti, partis prædictæ truncationem improbarunt, non ſine irriſione Dei talia mandantis, & fœda obtrectatione exequentium, vt ait Origenes in cap. 2. ad Rom. hæc ſubiiciens præter cæters. [Stoïci aiunt, indicet aliquid myſticum circumciſio, & figuram teneat allegoriæ. Itàne oportuit, vt cum pœna & periculo paruulorum, cum cruciatibus teneræ & adhuc innocentis partus ; in facie ſignatum ſpecies, & legis ænigmata conderentur ? Sic non habebat Legiſlator, vbi formas myſticas poneret, niſi in decurtatione verecundorum locorum ? & Dei Omnipotentis lex, æternique Teſtamenti ſignaculum, non potuit niſi in obſcœnis membrorum partibus collocari ? Itàne bonus eſt Deus iſte, qui natum hominem, ſtatim in primis nouæ lucis auſpiciis, præceperit vulnerari ? Et ſicut vobis videtur, ipſe eſt & animæ creator, & corporis. Condat partem quam poſtmodùm, mandat abſcindi, vt per miſerorum ſupplicia, proprium emendet errorem ; aut quod neceſſariò & vtiliter fecit, non rectè mandat auferri. Tum præterea ſi cura eſt Deo plurimos ad cultum ſanæ religionis adduci, maximum ex circumciſione obſtaculum, naſcitur. Cum eo enim quod ſupplicium vnuſquiſque declinat ; tum etiam irriſionem turpitudinis refugit, vnde magis impedimentum hoc religionis, quàm inſigne, dicendum eſt. Hæc & multa, his ſimilia, vel Gentiles aduersùs Legiſlatorem, vel hæretici perſtrepunt.

Repellit has ſannas Origenes ; quoad Ethnicos quidem, argumento ad hominem, ex vſu plurimorum Gentilium vſurpantium circumciſionem. Quoad hæreticos autem Dei legis aduerſarios, allegat factum Chriſti, qui circumciſionem ſuſcepit. Et huiuſmodi inſigne, cum ad diſcretionem à cæteris gentibus, tum ad myſticos pleroſque ſenſus ingerendos vtile fuiſſe demonſtrat ; de imbecillitate ſingulorum incommodorum, ab aduerſariis propoſitorum ſigillatim diſſerens. Quæ nobis huic loco neceſſaria non videntur ; quia ſola Dei mandantis iuſſio, abundè purgat & honeſtat prætenſam omnem, oblocutorum iudicio, circumciſioni adhærentem obſcœnitatem.

Suppoſita porrò, (de qua ambigere non licet,) ſuſceptæ olim circumciſionis honeſtate, non inutiliter quæritur, cur Deus illud potiùs ſubiectum proximum, quàm aliud quidpiam circumcidendum delegerit. Cur enim non in naſo potiùs, vel in labro, aut auricula, vel oculo, indicta eſt circumciſio, vt ſemper pateret ? Inquirit in iſta Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 3 1. & reſpondet ; non potuiſſe in illis partibus imprimi ſtigma circumciſionis, abſque damnoſa macula faciem deturpante. Sed quid diceret de aurium foratione, quam mulierculæ citra deformationem induceunt per graciles aurium enses, calendaria expendentes, vt loquitur Tertullianus l. de hab. mulieb. cap. 9. Quid de ſtigmatizatione faciei, olim apud varias gentes vſurpata, (vt ſect. 1. referemus,) abſque deceſſione pulchritudinis ; imò vt putabant, cum eius acceſſione & incremento ? Aliud igitur fuit Dei conſilium, in delectu potiùs partis abditæ, quàm partis in omnium proſpectu poſitæ ; & in delectu potiùs illius membri, quàm cæterorum. Non inquam duntaxat conſultum voluit Deus indemnitati pulchritudinis humani corporis, iubens deſecari partem eius occultam ; ſed aliquid aliud ſpectauit, non indiligenter prætereundum, & à multis retrò ſapientibus ſtudioſè verſatum.

Omittenda tamen, aut deſpuenda cenſeo, friuola quædam, partim à Gulielmo Pariſienſi l. de legibus cap. 3. primo & ſecundo loco propoſita, partim in hanc rem à Iudæis, Iudaïcè, id eſt carnaliter admodùm & craſsè excogitata, referente Philone l. de Circumciſione : vbi repulſurus Ethnicos circumciſionem deridentes, refert inter permultas adhibendæ circumciſionis cauſas, quatuor eſſe à diuinis ſuis maioribus, placitorum Moſaïcorum accuratis ſcrutatoribus, propoſitas ; [Vnam, vt caueatur morbus curatu difficilis, quem vocant carbunculum ; opinor ideò ſic appellatum, quod vrat inflammatione, quæ præputiatis faciliùs innaſcitur. Alteram, vt totum corpus ſit purius, nec impediat officia ſacerdotalis ordinis : quamobrem etiam radunt corpora Ægyptij Sacrificuli, ne quid ſordium, vel ſub pilis, vel ſub præputiis hæreat, quod poſſit obeſſe puritati ſacris debitæ. Tertiam quòd cordis ſimilitudinem quandam habeat circumciſa hæc particula. Ambæ enim generationi ſeruiunt. Nam ab altera ſpiritus animales, ab altera geniture proficiſcuntur. Ideò priſci æquum cenſuerunt occultæ illi, potiorique, ceu fonti ſenſuum animi, adſimilari hanc viſibilem,

irruptionibus vehementibus erumpit,& blanditiis venena ſupponens,pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit aſſultibus. Ideóque pudibundus homo, nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occultat. His rediuiuis vulneribus ſemper hanc ſanie illitis neceſſaria eſt per omnem huius vitæ ſeptimanam iugis reſecatio putredinum,& continua circumciſio cicatricum:& in cæteris quidem, membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij retinent libertatem. Hic verò vbi Babylonis fornax exarſerit, & quaſi pice & naphtha conſperſi libidinum ebullierint appetitus; inflammata caro, libertatis priuatur honore, in tantùm vt rebellia membra, velit nolit in motus nefarios audacter exurgant.]

S. Ambroſius lib. 1. de Abrah. cap. 4. propugnans ritum circumciſionis, in eadem apertè eſt ſententia.

S. Hieronymus, non modò vſurpat plerunque rationem propoſitam, cur circumciſio indicta potiùs ſit in eo membro; ſed etiam tanti facit eam rationem,vt ei innixus, exiſtimet circumciſionem apud Apoſtolum 1. Cor. 7. ſumi pro virginitate, & circumciſum pro Virgine; ſicut præputiatum, pro coniugato. Fusè & accuratè hunc Apoſtoli ſenſum perſequitur D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. & in Apologia pro iiſdem libris,ac breuiter epiſtol. 12. quæ eſt ad Gaudentium de Pacatulæ educatione,vbi ſic habet. [Circumciſus quis, id eſt, Virgo *vocatus eſt*; *non adducat præputium*; hoc eſt, non quærat pelliceas tunicas nuptiarum, quibus Adam,eiectus de paradiſo virginitatis, indutus eſt. *In præputio quis vocatus eſt*, hoc eſt, habens vxorem, & matrimonij pelle circundatus: non quærat virginitatis & æternæ pudicitiæ nuditatem, quam ſemel habere deſinit; ſed vtatur vaſe ſuo in ſanctificatione,& pudicitia; bibátque de fontibus ſuis; & non quærat ciſternas luparum diſſipatas; quæ puriſſimas aquas pudicitiæ continere non poſſunt. Vnde & idem Paulus, in eodem capitulo, de virginitate, & nuptiis diſputans, *ſeruos carnis* vocat in matrimonio conſtitutos; *liberos* eos,qui abſque iugo nuptiarum, totâ Domino ſeruiunt libertate.] Manifeſtè igitur S. Hieronymus *circumciſionem* pro *cultu Virginitatis* accipit apud Apoſtolum. Ex quo licet, iuxta S. Hieronymum,detruncationem præputij factam in circumciſione, inſinuare neceſſariam refrænationem concupiſcentiæ,ibi præſertim æſtuantis.

S. Auguſtinus lib. 6. contra Fauſt. cap. 3. eandem rationem adhibet, propugnans honeſtatem circumciſionis. [Proinde (inquit,) ſi Manichæi reſurrectione Domini iuſtificarentur, cuius reſurrectionis dies,ex die quidem paſſionis tertius,poſt diem tamen Sabbathi, hoc eſt, poſt ſeptimum, octauus fuit: profectò ſpoliarentur carnali velamento mortalium deſideriorum: & cordis circumciſione gaudentes, non eam in carne adumbratam figuratámque deriderent tempore veteris Teſtamenti: quamuis iam tempore noui Teſtamenti, fieri obſeruaríque non cogerent. In quo enim membro congruentiùs expoliatio carnalis & mortalis concupiſcentiæ figuratur, quàm vnde carnalis & mortalis fœtus exoritur? Sed ſicut dicit Apoſtolus, *Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta ſunt eorum & mens & conſcientia.* Itaque iſti, qui nimis mundi ſibi videntur,quia illa membra tanquam immunda auerſantur, aut auerſari ſe fingunt, in eas infidelitatis & erroris immunditias inciderunt, vt cùm deteſtantur circumciſionem carnis, quam dicit Apoſtolus ſignaculum iuſtitiæ fidei; in ipſis tamen carnalibus membris, diuina Dei ſui membra credant colligata, & inquinata detineri]

S. Proſper ad eandem mentem 1. p. de promiſſ. cap. 14. ſic diſſerit. [Quæritur fortè,cur placuerit Deo circumcidi omne duntaxat maſculinum, eorum qui ſe ad obediendum Deo vouerant. Grandi autem & ſacramento res hæc acta eſt, quæ media & præterita tempora reſpiceret, ac futura. Nam primæ præuaricationis causâ, à parte corporis, ſerpentis veneno homo percuſſus, ardore libidinis æſtuans, puduit ex his quæ pudenda creata non erant: eáque parere verecundiæ ſtatuit, quæ fuerant inuerecundè nudata, idcircò creator & iudex Deus, in ea parte corporis ſignum circumciſionis indixit, temperans morbum malè conceptæ libidinis ex copula debitum, vt per continentiæ bonum atque integritatis decus,id repararet, quod fuerat vitiatum. Circumciſio quippe cordis, quæ in nouo fulget Teſtamento, in illo ſigno figurata eſt: quia ſunt ſpadones, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Dei; & filios Iſraël,incircumciſo corde Deus increpat & obiurgat.

Denique S. Bernardus ſerm. 2. de Circumciſ. *ſub initium.* [Non dubium ſanè, quin cætera quoque humani corporis membra, additamentum illud Leuiathan occuparet, venenum ſcilicet concupiſcentiæ, & immoderatæ atque inordinatæ illecebra voluptatis; vt generalis quædam abſciſſio omnibus neceſſaria videretur. Cæterum quia ſingulorum membrorum abſciſſionem, humanæ carnis fragilitas,& infantilis ætatis infirmitas nullatenus ſuſtineret, pro moderamine diſpoſitio ſuperna prouidit, vt in ea potiſſimùm parte concupiſcentia caſtigaretur, in qua vehementiùs eam ſæuire conſtabat,& violentiùs malignari. In omni ſiquidem contradicentium ſpiritui rebellione membrorum, ſolum illud vſque adeò contumax inuenitur, vt contra omnem voluntatis deliberationem, ad inhoneſtos & illicitos motus aſſurgat.]

Plus ſatis liquet, rationem primam ex Philone propoſitam cur circumciſio in eo membro indicta ſit,eſſe Patribus frequentiſſimam; quod monſtrandum prolatis nonnullis receperam. Addit Philo eiuſdem diuini inſtituti alteram cauſam, quæ eſt ſecundum valde neceſſarium de quo monendum lectorem præmiſerat. Sic igitur expedito primo, proponit ſecundum.[Alterum verò quo moneantur abiicere arrogantiam, grauem morbum animæ. Quidam enim veiut præclari fictores, iactant, ſe poſſe hominem animal pulcherrimum producere, & inflati hac ſuperbia gerunt ſe pro Diis, vero authore generationis diſſimulato, cùm tamen eum errorem, conſideratis aliis quibuſcum verſantur, potuerint corrigere. Multi enim ſunt inter eos viri ſteriles, & infœcundæ mulieres multæ, atque ita vtrique conſenuerunt in orbitate. Hæc igitur praua opinio excidenda eſt ex anima, ſicut & cætera, quæcunque pietati repugnant.] Hæc ratio de arrogantiæ amputatione inſinuata per circumciſionem præputij,vt bellè cadat in rem de qua agitur; ſpectanda eſt myſtica generatio per quorumvis bonorum operum veluti ſobolis ſpiritualis procreationem. In qua re, cum partes obeamus matrum,quæ aliunde tantum fœ-

cendantur; vt monſtrare memini in defenſione Valeriani cap. 5. num. 3. ex Richardo Victorino, atque Bernardo; præcluditur omnis gloriatio vana, cum ex Deo ſolo ſint bona omnia.

Aliter circumciſionem ad humilitatis doctrinam refert eruditus Hieronymus, Epiſtola de ratione verè Circumciſionis, quæ inſerta eſt Tom. 9. Ex eo enim quod hæc pars corporis debeat eſſe occulta, vt fert pudor naturalis, colligit author ille, circumciſionem quæ eſt ſignaculum iuſtitiæ, adhiberi illi parti, vt ſignificetur, iuſtitiam debere eſſe in abſcondito. [Hæc (inquit,) noſtra circumciſio non videtur, quia ſtultitiæ velamine, velut veſte tegitur mundi. Nec ſanè à nobis magnoperè deſiderandum eſt, vt contemplationi omnium, circumciſio apertè ſubiaceat; ne merces operis petitus eos ſit, quos volumus hanc videre, dicente Domino, *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*: ſed ita modeſtè, ita verecundè habenda eſt, & velanda, iuxta eam imaginem, quam abundantiori honore veſtimus, vt non videntes eam videant. Sed quærentes rimantéſque intus nos iuxta Apoſtolum; quos ſeductores putant, veraces eſſe fateantur, quod nihil habere credebant, omnia poſſidere cognoſcant: quos mori iudicabant, viuere in æternum teſtentur. Hæc eſt gloria circumciſionis occultæ: hæc partis verecundæ illis ad videndum, nobis in noſtro corpore non verendæ: hoc teſtimonium glorioſum cùm conuerſi amare cupiunt, quos odiſſe gaudebant. Vnde non in carne palam; ſed in occulto cordis Iudæi eſſe debemus, non littera, ſed ſpiritu. Nam littera oculis ſubiacet noſtris, ſpiritus nobis carnalem refugit aſpectum, vt laus iuxta Apoſtolū, ex Deo, non ex hominibus acquiratur: vt mereamur audire à Domino. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me*: iuxta illum qui quod pertinebat ad labia, magiſtrum bonum de bono quæſiturus appellat: cui vetus lex, ideſt, carnalis circumciſio, velut in ſuperficie poſita recitatur: quam ſe compleſſe teſtatus, vbi quod ad circumciſionem cordis pertinebat audiuit, *Vende omnia quæ habes; & ſequere me*, triſtis abſceſſit miſer prorſus: qui ſequi voluit quem bonum ignorare non potuit. Interiùs ergò illud eſt ſignaculum præſignatum, quod in inuiſibili mente noſtra, ab illo inuiſibili noſtro Deo videtur: vt non eum à quo innocetur audiret; ſed eum à quo crederetur, attenderet, *oculi enim Domini ſuper iuſtos*, ſi ad iuſtitiam corde credatur. Verum autem nos credere toto corde mentimur, ſi ab hominibus accipimus honorem. Accipimus enim ab hominibus honorem, ſi eleemoſynas noſtras, tuba populo prædicatura præcedat: quas nec per officium miniſtrandi dexteram cum ſiniſtra communicare conceſſum eſt. Accipimus ab hominibus honorem, ſi ieiunia noſtra & abſtinentiam ciborum, populi oculi fractior mentitæ infirmitatis commendet inceſſus: & fauorem vulgi, triſti vultu aduocatus pallor acquirat, ſi verò ad formam lætitiæ vultus erectus, lauacris etiam ſerenatur, ſi caput ad imaginem feſtiuitatis inungitur. Sed ſoli Deo ieiunia commendantes poſſumus dicere, *Voluntariè ſacrificamus tibi Domine*.]

Sunt inſuper apud Patres, aliæ quædam rationes diuini inſtituti in quo excutiendo verſamur quas tametſi interdum non prorſus alias à prædictis, iuuat non omittere. Zeno Veronenſis, ſerm. de circumciſione, refert indictionem reſectionis in ea corporis parte, ad remotionem omnium peccatorum deriuatorum ex corrupta origine ab Adamo. [Circumciſio iſta (inquit Zeno,) non tam ſalutem pollicetur; quàm locum, capútque criminis monſtrat. Adam etenim cum hoc membro illicitum pomum decerpit, ſic in genus humanum ius mortis induxit. Neceſſariò ergo, luxurioſo populo Deus hoc ſignum dedit; vt locum matricalis culpæ cùm denotat, etiam alia crimina fugienda cognoſcat.]

Eodem reuoluitur elegans S. Cyrilli cum Iuliano diſputatio lib. 10. *ſub finem*, vbi roganti quorſum circumciſio? Reſpondet. [Bona ſanè & vtilis, Amice, ſi typus eſſe credatur rei ſpiritualis. Abſurdarum enim concupiſcentiarum & voluptatum, quæ ſcilicet ſunt in humana mente, abiectionem ſignificat: quam per ſpiritum ſanctum in nobis omnibus Chriſtus operatur. Innumeræ enim voluptates quæ humanam mentem decipiunt, & partim quidem ferentes ad amorem carnis, partim autem ad vulgares & ſtultas delicias, ad abſurda lucra; ad pompas inutiles, & in ſumma, ad omnia prauarum rerum genera, quæ & ipſa diuina lex prohibuit; ab his omnibus ſancti Spiritus lis erat gratia mentem inhabitans, & omnem immunditiæ ſpeciem abradens; hæc eſt Deo gratiſſima circumciſio. Vnde Propheta Hieremias Iudæorum populis parùm ſcientibus quomodo legitima implenda eſſent, loquebatur, dicens: *Circumcidimini Deo, & circumcidite duritiam cordis veſtri viri Iuda, & qui inhabitatis Hieruſalem.* Igitur dubitauerit nullus, quod ſiquidem quis omnino à cordis affectionibus liber fuerit, talis rectè Deo potiùs, & non ſola carne circumciditur: quod facere nolentes Iſraëlitas, acriter redarguit vniuerſorum Deus, dicens: *Omnes gentes incircumciſa carne: & omnis domus Iſrael incircumciſa corde ſuo.* Dixit autem alicubi & per vocem Hieremiæ; *ad quem loquar, & teſtabor, & audiet? Ecce incircumciſa aures eorum, & audire non poterunt.* Inſuper & diuinus Stephanus, opprobrans illis crudelitatem & inobedientiam: *Incircumciſi*; (inquit,) *auribus veſtris, & cordibus.* Proinde Paulus in lege erudi us, optimè dixit: *circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei.*]

Apud eundem Cyrillum lib. 4. in Ioan. cap. 51. hæc habentur in eandem ſententiam. [Quoniam præparari, præmundarique omnes oportet, qui Deo coniungi ſtudent (*ſancti*, ait, *ſitis, quia ego ſanctus ſum*,) propterea purificationis ſignum, circumciſione carnis priſcis hominibus datum fuit. Quod quidem facilè intelligemus, ſi conditionem conſiderabimus noſtram. Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta ſolet illicere: quæ ante peccandi actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè hac via veniendum nobis eſſe quò gliſcimus. Quod verum Chriſti diſcipulus oſtendit dicens: *Nemo qui tentatur dicat à Deo ſe tentari. Neminem enim Deus tentat, ſed vnuſquiſq; à ſua cupiditate diſtractus atque ſeductus tentatur. Cupiditas deinde, poſtquàm conceperit parit peccatum: porrò conſummatio mortem generat.* Vides quomodò ex voluptatis ſemine delicta producuntur. Hac de cauſa iuſſit Deus illam corporis particulam, in qua, & per quam voluptatis fontes ſcaturiunt, ferro circundi. Vt hoc ænigmate

mate

ratè perdiſcamus, nullo nos pacto mundos vnquam futuros, niſi diuini verbi actum, in corde quaſi acutam ſpiritus bipennem retinentes, omnem turpem ex animo cupiditatem, eiiciamus: nec quæ voluptas expetit carnis, quamuis iucundiſſima videantur, ſed ſola quæ Deo placent faciamus.] Agit vniuersè S. Cyrillus, de quocunque prauo motu, ex corrupta origine.

Haud difficilè fuerit, huc transferre inſignem S. Athanaſij diſputationem in nuper edita Orat. de Sabatho. Eius hæc eſt oratio repræſentata Compendio in Catena Græca ad cap. 2. Lucæ. [Octauo die circumcidi lex iubebat, eráque præceptum hoc inuiolabile, ſignificans omnium poſt diem ſeptimum regenerationem. Nam circumciſio nihil niſi natiuitatis exuuias denotabat; eámque ob cauſam, circumciſionem eſſe datam arbitror. Ex quo enim audiuit Adam, *Terra es & in terram ibis*; mori eius ac corrumpi corpus cœpit. Exinde corporis quandam partem, & quidem eius procreatricem, mulctare iuſſi ſunt; prædocti totum eſſe exuendum, vt tanquam quod damnatum erat tradentes, ſaluari poſſent. Et quemadmodùm ſacrificia, futurorum erant vmbræ; ſic & partis circumciſio, totius erat adumbratio. Illud autem in Ieſu Naue, clarè ſcriptura demonſtrat. Nam Ieſu Naue populum ex edicto Dei in Galgalis circumcidenti, dixit Dominus *In hodierna die abſtuli opprobium Ægypti*. Si igitur circumciſio, Ægyptiacæ ſit ablatio generationis, vtique præputium, Ægyptiaci eſt character habitus, & ſignum illius generationis. Hoc abſtulit Deus, vt non ampliùs tanquam in Ægypto nati, ſed Terræ promiſſionis (in quam illos Dominus induxit,) filij haberentur. Hinc itaque fit clarum idcircò datam eſſe circumciſionem, vt ab Abrahamitis terrenæ generationis opprobrium auferretur, neque ampliùs obnoxij eſſemus iſti maledicto, *Terra es, & in terram ibis*. Ablatum enim eſt opprobrium delicti. Hoc autem tunc factum eſt, in figuram futuri per Chriſtum Baptiſmatis. Tunc enim tanquam in vmbra fiebat ex parte: nunc autem, vt ait Apoſtolus, totam terrenam exuimus generationem per lauacrum regenerati; ne ampliùs pro prioris conditione generationis moriamur, ſed per eam quâ corpus exuitur, circumciſionem (quæ Baptiſmatis lauacro conficitur,) viuamus. Quemadmodùm autem Dominus dixit Ioſue, *In hodierna die abſtuli opprobrium Ægypti à vobis*, potiori vtique ratione vnicuique baptizatorum dici poterit, in hac die abſtuli à te terrenæ generationis conuitium, ac mortalis opprobrium corruptionis. Nihil enim circumciſio denotat, præter generationis depoſitionem. Nam eum, qui, die ſexta mortuus eſt, exuimus, & in Dominicâ renouamur, quando antiquus ille exutus, regeneratus eſt per reſurrectionem. Hoc enim Paulus ait in illâ ad Coloſſenſes; *In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu factâ, in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circumciſione Chriſti,, conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis*. Nam circumciſio, earum quæ per Baptiſmum deponuntur exuuiarum, figura erat, atque ea fieri iuſſa eſt in membris iis quibus corpus generatur, vt circumciſi animaduerterent, eam vetuſtatis exuendæ ſignum eſſe. Abraham enim poſtquàm crediderat, recepit circumciſionem, in ſignum eius quæ per Baptiſmum conficitur regenerationis. Ideirco aduueniente ſignato, ceſſauit ſignum. Vetere enim toto homine exuto per Baptiſmum ſuperuacanea erat illa quæ per partem fiebat nota: & ſicut Dominica eſt initialis creaturæ, & ceſſare facit ſabathum; ſic eadem homine regenerato aboleuit circumciſionem. Vtrumque enim octauo perfectum eſt die, tam creaturæ inchoatio, quàm hominis regeneratio. Idcircò octaua dies ſoluit ſabathum, ſed non ſabathum octauam diem. In ſabatho ſiquidem homo circumciſus eſt, ſed non in ſabbatho operabatur circumciſio. Octaua enim dies cùm regenerationis daret initium, finem circumciſioni ac ceſſationem intulit.]

Breuiculum huius diſputationis S. Athanaſij confeciſſe videtur S. Chryſoſtomus initio homiliæ de occurſu Domini. Haud dubiè ex Sancto item Athanaſio profecit S. Amphilochius orat. de Circum. & D. Baſilio vbi poſt multa iis quæ ex S. Athanaſio adduxi planè gemina, addit. [Ac veluti pictor artis pingêdi probè gnarus, in ſeprius, vſitatis exarauit vmbram, ſic imaginis explicato decore, ad ipſam rectà principij exemplaris perfectionem, clariſſiméque diuiniſſiméque ſubuehit ac manuducit. Nam neque circumciſio in carne, ſolâ peccatorum depoſitionem adumbrat, & quæ in Chriſti baptiſmo eſt Circumciſionem, ſed & vniuerſi ſenſim ac velut in vmbris reſurrectionem ac immutationem, qua carnalis omnis hominum ſenſus circumciditur & amputatur, atque in vitam aliam transformatur. Erat carnalis circumciſio, velut obſcura quædam & vmbratilis eius præfictio. Idcirco etiam primò ſancita eſt fieri octaua die; Octauâ (vt opinor) octauum & futurum ſæculum ſubindicantes. Sanè igitur cum necdum rerum imago (vt dictum eſt) circumciſióque ſpiritualis haberet tempus, carnalis vtique circumciſio, neceſſaria viſa eſt. At ſpirituali per Chriſtum circumciſione manifeſtata, par fuit, vt carnalis omnium circumciſio per eum aboleretur, &c. Quoniam autem *circumciſio & lex* data erat, vt pædagogus iis qui moribus imperfecti ac paruuli erant, vſque ad tempus correctionis, quod perfectum eſt ſub eo elucente; debuit planè aboleri ac ſubtrahi quod imperſectum ac deterius eſt. Debuerunt oriente Sole, luna ac ſtellæ obſcurari & minui, veráque circumciſione & adoratione decocta, par fuit, vt obſcuræ veritatis ſpecies, figuræque clanculum cederent. Propterea igitur Deus Verbum, factus aute caro, octaua nunc die carne circumciſus eſt. vt debito literæ pro nobis defunctus, legem ſpiritus quæ manet in æternum induceret, melioríque quod deterius eſt, concelaret, & obtegeret.]

Subiicienda reſtat omnium optima ratio, (mea quidem ſententia,) cur pars maſculini corporis generationi dicata, fuerit à Deo delecta, vt ſtigmate circumciſionis notaretur. Attigit eam rationem, & cum aliis minùs idoneis nexuit Pelagius Rom. 2. ad illud, *ſi igitur præputium*. Egregiè autem expoſita eſt à Ruperto lib. 5. In Geneſ. cap. 31. verbis illis [ſignum fœderis ſecundùm Moyſen, & ſignaculum iuſtitiæ fidei, ſecundùm Apoſtolum circumciſionem eſſe, iam ſupra diximus; quod diffiteri, nec Iudæus, nec Hebionita poſſit Hæreticus. Conſtat verò, quod fœdus ipſum, fides quæ Abrahæ ad iuſtitiam reputata eſt, in promiſſione ſeminis exurit, in quo benedicentur omnes gentes. Hoc nempè eſt quod *credidit Abraham, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam* Quâ ergò in parte corporis, huiuſce fidei ſignaculum

magis congruè daretur, quàm in ea per quam ſemen ipſum materialiter traijcitur? Illic vtique congruentiùs ſignaculum poſuit ſponſor, & promiſſi ſui debitor Deus, vt & ipſe promiſſionis, & homo expectationis ſuæ, ſemper commoneretur. Debitorem namque ſe fortiter teneri voluit, qui promiſſi ſeminis ſignum, in ipſo ſeminis effoſſorio, credenti poſuit homini. Simúlque & illud ſciendum, qui ſicut Noë fidei ſuæ, rectè in nubibus, poſitum eſt ſignum, dicente Deo: Cum obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus & recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum, videlicet prædicenti Deo crediderat: quia diluuium aquarum de nubibus inundaturum erat. Sic rectè nihilominus Abrahæ quia crediderat dicenti Deo, quòd in ſemine eius benedicerentur omnes gentes; in loco ſeminis, id eſt, in genitali corporis parte ſignum eiuſdem fidei poſitum eſt.]

Ex hac doctrina, quæ videtur cauſam præcipuam continere, cur membrum genitale circuncidi iuſſum eſſet Hebræis maribus ad familiam Abrahæ pertinentibus, vnde Chriſtus fons iuſtitiæ erat naſciturus, rectè infert idem Rupertus [Quanti ſacrilegij ſit, poſt aduentum eiuſdem ſeminis, adhuc inijcere carni ſuæ ſignaculum eiuſdem circumciſionis. Nempe iuxta præſcriptam veritatem, circumciſionis ſusceptio expectandi ſeminis illius profeſſio eſt. Quiſquis circunciditur, ſemen quod Abrahæ promiſſum eſt, etſi non conſcientia, ſigno tamen illo, venturum, ſe expectare profitetur. At ille ſcilicet Chriſtus iam venit, iam natus eſt; iam illo dato in benedictionem cunctis gentibus, veritas Dei impleta eſt: Igitur quiſquis adhuc circunciditur, veniſſe negat eum, quem tali ſigno venturum, ſe ſpectare pronunciat, & perinde illum qui iam venit, vtique Chriſtum eſſe denegat. Rectè itaque, & veraciter Apoſtolus: *Si circuncidamini* (inquit) *Chriſtus vobis nihil proderit*.]

Agitat hanc quæſtionem, *nouam* vocans, quippe tunc motam Caietanus 3. p. q. 37. art. 1. & quamuis denique fatetur ſe in eius reſolutione libentiùs auditurum Apoſtolicæ ſedis ſententiam, quàm proferat ſuam, tamen negat circuncisionem, non ex animo ſeruandi legem Moyſi ſuſceptam, nunc eſſe illicitam, vel ab Eccleſia reprobatam: Poſſunt enim cogitari & occurrere fines honeſti ex quibus nunc quoque ſuſcipiatur circunciſio. Et dimiſſo fine ſanitatis comparandi ſi cui ea in parte laboranti, eſſet neceſſarium tale remedium, quod clarum eſt non fore illicitum; poteſt quis nunc circuncidi ad mortificationem carnis vt eo dolore ſe affligat, vt ait Petrus Lorca 2. 2. q. 6. diſp. 4. n. 10. & Medina 1. 2. quæſt. 103. art. 4. ad 5. Poteſt item circuncidi velle, vt Chriſto circunciſo aſſimiletur. Quo ex capite Caietanus dicto loco & eius perpetuus adorator Thomas Hurtado in reſolut. orthod. digreſſ. 6. intexta reſolutioni ſeptuageſimæ ſect. 18. pag. 472. excuſat Abaſſinos, qui ex antiquo apud ipſos more, circunciduntur, abſque animo ſeruandi præceptum Iudaicum circumciſionis. Contrarium rectè traditur à Valentia 2. 2. diſp. 7. quæſt. 7. punct. 7. & à Soto 2. de Iuſt. q. 5. art. 4. Salmerone in cap. 5. ad Galatas quæſt. 3. Ægidio Coninck diſput. 15. de actibus ſupernatur. num. 47. & 48. Suarez 9. de legibus c. 14. num. 9. Cardinali de Lugo diſp. 14. de fide ſect. 5. num. 145. & à pleriſque allegatis à Lorino in cap. 20. Deuter. ad verſ. 16. iuxta quos imitatio illa Chriſti circumciſi, imprudentia ſordet ac ſuperſtitione. Nam imprudenter quiſque, exprimendum è Chriſti factis imitatione ſuſciperet, ſiue quædam legalia, vt immolationem agni, præcisè intendendo imitari factum Chriſti, ſiue quædam pœnalia ve fabricationem peccatorum ſuper eius dorſum, aut congregationem flagellorum ſuper eum, vel ſpineæ coronæ geſtationem. Superſtitio verò cernetur in ea Chriſti imitatione qua circumciſio aſſumitur, præcisè vt eſt corporalis læſio Chriſti. Nulla quippè peculiaris honeſtas ibi cernitur, nec cedit reuera in Chriſti honorem, imò potiùs in Chriſti dedecus, quem vt Abrahamo promiſſum atque mittendum exhibet, cum tamen iam aduenerit iuxta optimam Ruperti loco allegato ratiocinationem, quam obſignabat eo Apoſtoli dicto, Chriſtum nihil profuturum, ſuſcipientibus circunciſionem.

Audiant Abaſſij, qui referente Godigno lib. 1. cap. 30. & Ioanne Boëtio de ade 3. lib. 4. cap. 2. etiam nunc circumciduntur, Chriſti (vt iactant,) imitatione. Sed eſt præpoſtera imitatio, & falſitate nunc laborans, ideóque reſpuenda. Alioqui cur æquè, Chriſti imitatione, non comedunt agnum Paſchalem? Cur alios pleroſque ritus Iudaicos à Chriſto vſurpatos, prætermittunt? Imitatio ſanè aliqua futuræ per Chriſtum redemptionis, erat antiqua circumciſio: nunc autem ea imitatio exoleuit. In quam rem optimè philoſophatur Origenes in cap. 2. ad Romanos *ſub finem*, alloquens in hunc modum Hæreticos, ſubſannantes indictam olim Patribus circumciſionem [Fatemur ſine dubio verum eſſe quod ſcriptum eſt in epiſtola Petri: *Quia redempti ſumus, non corruptibili pretio argenti & auri, ſed pretioſo ſanguine Vnigeniti*. Si ergo pretio empti ſumus, vt etiam Paulus aſtipulatur, ab aliquo ſine dubio empti ſumus, cuius eramus ſerui: qui & pretium popoſcit quod voluit, vt de poteſtate dimittat, quos tenebat. Tenebat autem nos Diabolus, cui diſtracti fueramus peccatis noſtris. Popoſcit ergò pretium noſtrum, ſanguinem Chriſti. Verùm donec Ieſu ſanguis daretur, qui iam pretioſus fuit, vt ſolus pro omnium redemptione ſufficeret; neceſſarium fuit eos qui inſtruebantur in lege, vnumquemque pro ſe, velut ad imitationem quandam futuræ redemptionis, ſanguinem ſuum dare: & propterea nos pro quibus completum eſt pretium ſanguinis Chriſti, non neceſſe habemus pro nobis ipſis, pretium,, id eſt, ſanguinem circumciſionis offerre.]

Sequitur agendum de perſona circumcidenda, quæ eſt ſubiectum remotum ac totale, ſtigmatis de quo diſputamus. Ex ipſis ergo verbis præcepti de circumciſione lati, conſtat omnes & ſolos mares qui de familia Abrahæ quomodocumque erant, aſtrictos fuiſſe lege excipiendæ circumciſionis. Perſpicuè enim Geneſ. 17. maſcolis omnibus ad familiam Abrahæ attinentibus, etiamſi de ſtirpe Abrahæ non eſſent, denunciatur mors, ſi circumciſione carerent. Reſtringitur præceptum ad mares. Vnde abſurdè Strabo l. 17. prodit, Arabas Hebræorum imitatione, fœminas quoque circumcidiſſe. Non enim Hebræorum imitatione, ſed ſuo errore, ita olim fecere Arabes; obſeruantque etiam Mahumetani, vt lego in Saracenicis c. 10. & ibidem ex Euthymio refertur *pag.* 59. & à Petro Bellonn quoad Perſas Mahumetanos firmatur 3. obſeruat. cap. 28. Aliud tamen videtur ſtatuendum de fœminis Mahumetanis ſimpliciter dictis,

dictis, hoc eſt cõſtitutis extra Perſicum imperium; quandoquidem Perſæ Mahumetani habent Turcas pro hæreticis, eo quod Turcicas mulieres non circumcidant, vt ſcribit Bellonius loco annotato. Qui item lib. 3. cap. 16. teſtatur, Mahumetam interdixiſſe fœminis ingreſſu templi, eo quod non ſint ingreſſuræ paradiſum, quia circumciſione carent, atque adeò neque templum, quod eſt paradiſi veluti atrium, ſubire debent iuxta Mahumetem. Perſæ tamen Mahumetani, Hymenis reciſione circumcidunt fœminas, vt præmiſi Eundem vſum apud Abaſſinos vigere, ſcribit Oſorius lib. 9. hiſtor. Emman. & confirmat Munſterus l. 6. Coſmogr. Ad Cophtos Æthiopum Regi parentes, id reſtringit Bellonius ſupra. Ait verò Munſterus Æthiopas allegare pro hoc ſuo vſu, librum Synodorum Apoſtolicarum. Non mirum eraſſam gentem induci in errorem, vel potiùs in errore foueri per falſos libros; cum Ioannes Pierius Valerianus lib. 6. hieroglif. perperam in hac re Straboni ſubſcribens, legem Iudæorum ferre dicat, vt fœminis quoque adhibeatur circumciſio, vel potiùs exciſio. At hoc in vera Hebræorum lege nuſquam comparet, ſed ex aliquo falſo libro deprompturn ab eo eſt, vel gratis confictum. Pluſcula de ea fœminarum exciſione, quibus referendis conſultò abſtineo, videre eſt apud Lælium Biſciolam t. 1. hor. ſubſc. lib. 5. cap. 14. & apud Antonium Vlmum in Opera de fine barbæ humanæ ſect. 3. cap. 4. à *pag. mihi* 127. Cur Ægyptij fœminarum circumciſionem ad quartum decimum ætatis earum annum differrent, tradit S. Ambroſius l. 1. de Abrah. cap. 1

Præterea circumciſionis præceptum, reſtingendum eſſe dicebam ad familiam Abrahæ, & omnes quomodolibet in ea recenſitos: quod addo propter vernaculos & emptitios, nec non alienigenas ad Abrahæ familiam pertinentes. Hi quippe omnes, vt rectè ſtatuit Origenes in cap. 2. ad Rom. & homil. 3. in Geneſ. lege circumciſionis tenebantur. Ex cap. 17. Geneſ. rectè id confirmat. Vaſquez 3. p. d. 15. c. 3. & 4. Cum autem filij Eſau & Iſmaëlitæ, eſſent de ſtirpe Abrahæ, non videtur dubitandum, quin eos quoque obſtringeret lex circumciſionis contra Cornelium Gen. 17. ad verſ. 10. affirmantem ſolam familiam Abrahæ è qua Chriſtus erat naſciturus; id eſt ſolam domum Iacob, fuiſſe legi circumciſionis obnoxiam. Iſmaëlem autem ac Eſau, eorúmque gentem vniuerſam, poſt ſeparationem à familia illa Abrahæ, vnde Chriſtus erat proditurus, fuiſſe à lege ſubeundæ circumciſionis immunes. Verùm vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Lex autem vniuersè ait, ſemen Abrahæ poſt ipſum in generationibus ſuis, obſtringendum eſſe lege circumciſionis. Perperam igitur legitur illius obligatio arctatur ad familiam Iacobi, ſed ad omnes planè Abrahæ poſteros eſt diffundenda. Et ita videtur agnoſcere Anaſtaſius Sinaïta quæſt. 28. in ſcript. Ait enim. [Quod ſi Iudæi ſibi placent, & gloriantur de circumciſione, diſcant quòd non ſolùm Abraham fuit circumciſus, ſed etiam Iſmaël ſerui ſeruus, vernæque dominati & ſerui empti, & Idumæi, & qui nati ſunt ex Cethura. Didicerunt, autem ab Iſmaëlitis & Ægyptiis, circuncidi. Non iuſtos ergò facit circumciſio. (Iſti enim omnes à ſcriptura accuſantur tanquam impij:) ſed fides & virtus quæ ornarunt & douarunt Abrahamum

Obligabat porrò ea lex omnes Abrahæ poſteros, ſtatim atque octiduum vixerant, niſi grauiſſima cauſa dilationem depoſceret. Ante octiduum autem nulla erat circumciſionis adhibendæ neceſſitas, etiamſi paruulus periclitaretur de vita. Subueniendum enim ei erat alio remedio quod circa fœminas vſurpabatur, & locum habuerat ante indictam circumciſionem. Fuſior in hac re eſt Suarez 3. p. t. 3. ad quæſt. 70. art. 3. Turcæ tamen Circumciſionem differunt ad pubertatem vſque, & ſaltem donec qui circumciditur, poſſit impietatem per ſeipſum profiteri, vt notat Bellonius l. 3. obſeru. c. 28.

Alij qui ex ſtirpe Abrahæ non erant, vel ad eius familiam nullo modo ſpectabant, non vrgebantur lege circumciſionis, vt latè proſequitur Abelardus ſerm. de Circumc. Dom. quamuis nonnulli, voluntaria religione; plerique autem ſuperſtitione & cæca imitatione Hebræorum, hoc ſtigmate notarentur; non modò Phœnices & Arabes ad quos extra Abrahæ familiam vſum circumcidendi arctat credi vis Cyprianus ſerm. de ratione Circumciſ. Sed etiam plerique alij, nominatímque Ægyptij, de quibus ita ſcribit Origenes in cap. 2. ad Rom. arguens Ethnicos Iudaicæ circumciſioni obſtrepentes. [Apud Ægyptios, qui in ſuperſtitionibus vetuſti & vetuſtiſſimi habentur, & eruditiſſimi; à quibus propè omnes reliqui, ritum ſacrorum & cæremoniarum mutuati ſunt; apud quos inquam, nullus aut Geometriæ ſtudebat aut Aſtronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur. Nullus certè Aſtrologiæ, & Geneſeos, qua nihil diuinius putant, ſecreta rimabatur, niſi circumciſione ſuſcepta. Sacerdos apud eos aruſpex, aut quorumlibet ſacrorum miniſter; vel vt illi appellant Propheta, omnis circumciſus eſt. Litteras quoque ſacerdotales veterum Ægyptiorum quas Hieroglyphicas appellant nemo diſcebat, niſi circumciſus. Omnes Hierophantes, omnes vates, omnis cœli (vt putant) infernique myſtes, & conſcius, apud eos eſſe non creditur, niſi fuerit circumciſus.]

Vides quid voluerit Philo l. de Circumciſ. *initio*, cum ait; [Ridetur maiorum noſtrorum circumciſio, quamuis in non mediocri honore habita, etiam apud gentes alias, præſertim Ægyptiacam, præcellentem hominum tam frequentia, quàm ſapientia.] Non enim apud Ægyptios, niſi circumciſus, admittebatur ad arcanam ſapientiam. Eaque ea cauſa, Pythagoram non religionis ſtudio, ſed ſciendi cupiditate, circunciſum eſſe cum Ægyptum adiiſſet. legere eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. Neque tamen audiendus eſt Valeſius qui cap. 18. de ſacra philoſ. reuocat in dubium, an Hebræi ab Ægyptiis circumciſionem acceperint; vel è contrario Ægyptij, hauſerint ab Hebræis circumciſionem. Id quod latè agitat Ghiſlerius in cap. 10. Ierem. ad verſum 26. Breuiùs Hugo Menardus ad Epiſtolam tributam S. Bernabæ *pag.* 150. iure concludentes, Ægyptios ab Hebræis ritum circumcidendi accepiſſe, non è contrario; tameſi ita aſſerunt Origenes lib. 5. contra Celſum & Diodorus lib. 1. biblioth. cap. 2. & l. 3. cap. ac Herodotus in Euter.

De aliis gentibus ſi ſpectarentur poſteriora: quibus Romano imperio ſubiecerunt, conſtat veritas eſſe circumciſionem vſurpare Nam Modeſtinus I. C. diſertè ait; [Circumcidere Iudæis filios

lios ſuos tantùm reſcripto Diui Pij permittitur; In non eiuſdem religionis, qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur] Vnde Samaritani, quia adorabant quod neſciebant, nec erant religione iuncti Iudæis, vetebantur circumcidere ſuos, & qui refragabantur, ſubiiciebantur ſupplicio. Diſertè id ferunt illa Origenis l.2. Contra Celſum. [Dicat aliquis; Etiam Samaritani ob religionem ſuam, perſecutionem ſubirent, Cui reſpondemus. Sicarij propter circumciſionem, tanquam mutilantes contra leges ac licentiam ſolis Iudæis conceſſam, pœna mortis afficiuntur.] Nimirum truculentum videbatur, teneram ætatem ſic mutilare, & mortis periculo obiicere. Vnde ipſis etiam Iudæis, interdictum aliquando voluerunt, circumciſione, vt ferunt illa Spartiani in Adriano. [Mouerunt ea tempeſtate & Iudæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia.] Pius tamen (vt ex Modeſtino audiſti) gentem patriorum inſtitutorum tenaciſſimam, pacandam cenſuit, permiſſa illis circumciſione, negata autem cæteris qui Iudaicæ religionis non eſſent. Priuſquam autem ius Romanum in exteris prouinciis vigeret, pleræque gentes alterius quàm Iudaici ritus, circumcidebantur. Itaque de variis nationibus circumciſionem quoque cæca imitatione vſurpantibus, ſic ſcribit Origenes in cap. 2. ad Rom. *ſub finem.* [Verum ſi replicetis hiſtorias veſtras, inuenietis non ſolùm Ægyptiorum ſacerdotes & Hirophantes, vſos eſſe circumciſione, ſed & Arabas & Æthiopes, & Phœnices, alióſque quorum ſtudia, gratia huiuſce ſuperſtitionis nobiliùs vigent.] Syros & Colchos eundem ritum adhibuiſſe, teſtatur Herodotus lib. 2. De Samaritanis vix neceſſe eſt monere, eùm eorum pleriquc eſſent ex Iacobo oriundi : quem etiam *patrem noſtrum* vocabat mulier Samaritana. Sed illud apud eos ſingulare erat, quod odio Religionis Iudaicæ, à quâ ipſi per Ieroboami politiciſmum ad vitulos deſciuerant; ſi quando aliquos ad ſuperſtitionem ſuam è Iudaiſmo aggregabant, denuò illos circumcidebant; id quod etiam Iudæi transfugientibus ad ſe Samaritis, præſtabant. Audi S. Ephiphanium, gente Iudæum, atque adeo huiuſmodi rituum optimè conſcium l. de ponder. & menſur. [Symmachus quidam Samarita, ex numero ſapientium apud ipſos, eùm non reperiſſet fidem apud propriam gentem, principatus ſtudio ægrotans, & contra propriam tribum indignatus, accedit ad Iudæos, ac fit proſelytus, & circumciditur ſecunda circumciſione. Et ne miteris de hoc, Optime Auditor, contingit enim hoc. Qui enim à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rurſus circumciduntur, ſimiliter & qui à Samaritis ad Iudæos transfugiunt.] Refragatur quidem S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. cap. 31. tamen S. Epiphanio gente Hebræo, & Samaritas vicinos ac notiores habenti, negari fides non poteſt.

Itaque inter Iudæos quoque, aliqui ſecunda circumciſione notabantur Nec defuerunt qui ita acciperent ſecundam circumciſionem, de qua Ioſue 5. vt ibi refert S. Auguſtinus quæſt. 6. & iure refellit ibidem Serarius quæſt. 1. Myſticè, eam ſecundam circumciſionem ſic interpretatur Origenes in cap. 2. ad Rom. *ſub finem* [IESVS filius Naue, ex præcepto Domini filios Iſraël ſecundò circuncidiſſe cultris ſaxeis memoratur. Quod vtique quantum ad literam ſpectat, impoſſibile factum videtur. Semel in carne præputij circumciſis, quid inuenire poſſit ſecunda circumciſio quod auferat? Ieſus verò noſter, qui verè poſt Moyſem, filios Iſraël in terram ſanctam fluentem lac & mel, terram repromiſſionis inducit, euidens eſt quomodò non ſemel, ſed ſecundo circuncidat credentium populum. Prima namque eſt eius circumciſio, qua ab eis vel idolorum cultum, vel commenta philoſophicæ perſuaſionis, excutit. Secundâ verò vtitur circumciſione, eùm ab eis veteris hominis conſuetudinem, & paſſiones, ac vitia carnis abſcidit; & tunc completur quod in Ieſu Naue ſcriptum eſt, *Hodie abſtuli à vobis opprobria Ægypti.* Opprobria namque Ægypti, ſecum circumfert, ſi quis in Eccleſia poſitus, & ſub Ieſu duce militans, Ægyptios mores, & motus animi barbaros ſeruet.]

Audiendus etiam Zeno Veron. ſerm. de Circumciſ. [IESVS Naue, Chriſti imaginem præferebat, qui verus omnium ſaluator eſſe cognoſcitur, & factis, & nomine : hic enim quia ipſe dictus eſt etiam *petra*, rectè cultellos petrinos fecit (vnde non ſine ratione & Simoni, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, Petrus nomen diſpoſuit;) id eſt, ſua doctrinâ formatos, & Spiritus ſancti limâ acuminatos conſtituit viros Apoſtolos, omnéſque diſcipulos : quorum ſalutaria monita canentibus linguis, quaſi quibuſdam ſpiritualibus cultris credentium populorum, ſecundùm Moyſis dictum, non in damnum hominis præputium carnis, ſed in augumentum hominis, præputium facinoroſi cordis incidit.

Mirum eſt, aliquos eam ſecundam circumciſionem, accepiſſe de regreſſu ad præputium. Fateor, Apoſtatas à Iudaiſmo, iterum adduxiſſe præputium. En quid in eam rem, loco proximè annotato, ſubdat S. Epiphanius. [At hoc adhuc grauius eſt, quod etiam à circumciſione præputiati fiunt, arte quâdam medicâ, per inſtrumentum attractorium, Spathiſterem apellatum, infernam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, ſuturámque admittentes, & glutinatoriis circundatis, præputium rurſus ſuperinducunt. Habes & teſtimonium apud ſanctum Apoſtolum, vbi hæc verba hoc modo dicit, *Circumciſus aliquis vocatus eſt? ne attrahatur ipſi præputium. In præputio aliquis eſt? Ne circumcidatur.* Hanc autem prædictionem diabolici inuenti, Eſau fratrem Iacob reperiſſe aiunt ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipſius. Quapropter aiunt Deum dixiſſe, *Odio habeo ipſum Eſau; Iacob verè dilexi.*] Eſt etiam in eam rem perſpicuus locus. I. Mach. 1. vbi de Iudæis apoſtatantibus dicitur. *Fecerant ſibi præputia, & receſſerunt à Teſtamento ſancto.* Nam quod S. Hieronymus in c. 52. Eſaiæ, de naſcentibus filiis Patrum infidelitate non circumciſis id accipit, ſuffragante Ruperto lib. 9. de victor. verbi Dei cap. 18. non placet; quia planus literæ ſenſus, cadit in patrum non in filiorum ex eis naſcentium præputia. Et quod Hippocrates ſect. 6. aphor. 19. negat præputium ſectum poſſe coaleſcere, audiendus non eſt; cum experientia ſit in contrarium, teſtè præter Epiphanium Ioſepho lib. 12. antiq. cap. 6. annuúmque ex Medicis Galenus lib. 14. Method. cap. 16. Cornelius Celſus lib. 7. cap. 25. Paulus Ægineta l. 6. cap. 55. ac Dioſcorides lib. 2. cap. 75. & lib. 4. cap. 151. locus Apoſtoli de adductione præputij per circumciſum, idem apertè fert; fruſtra eum ad alium ſenſum obtorquente Origene 4. Periar. cap. 4. nec

non

non Hieronymo, credito Anſelmo & Aliis. Et ab hoc ipſo vſu cutem reponendi, Iudæos dici recutitos, quaſi iterum cute tectos, cenſuit Baronius tom. 1. anno 57. quantum arbitror non ſatis aptè, cum apertè Perſius ſaty. 5. & Martialis l. 7. epigr. 29. *recutitos* dicat ipſoſmet Iudæos, non qui eorum ſacra abnegaſſent. Apoſtatas igitur Iudæorum circumciſionem obliteraſſe, artificioſa reuocatione præputij, haud renitens admitto. Sed eam obliterationem eſſe ſecundam circumciſionem, non agnoſco. Quod verò ea fuerit ſecunda circumciſio à Ioſue adhibita, cum tanti viri ſumma iniuria affirmari, ægrè fero. Verò autem quæ reſpectu talis ſingularis ſubiecti prima circumciſio erat, dicitur eo loco ſecunda; quia circumciſionis vſus praxim in deſerto intermiſſus, reſumptus, & ad praxim denuò reuocatus eſt, primo ingreſſu in terram promiſſionis qui ibi deſcribitur. Hunc literalem ſenſum alio myſtico cumulat S. Hieronymus in c. 2. ad Galatas *ſub finem*. De vtroque circumciſionis ſubiecto, plus ſatis.

Pergo ad externas huius ſtigmatis cauſas; quas inter, effectiua, vel eſt principalis, vel inſtrumentalis. De priore ſiue de Miniſtro, nihil ſtatutum inuenio. Et ex c. 4. Exodi conſtat, circumciſionem potuiſſe à fœmina conferri. Nec eſt inuериſimile quod affirmat Magalianus in c. 5. Ioſue verſu 8. annot. 7. cum is qui circumcidendus erat, poterat ſibi ipſi id præſtare, non eguiſſe extrinſeco miniſtro: qui tamen vt plurimùm interueniebat; non modò cum puer erat circumcidendus, qui impos erat id præſtare, ſed etiam cum circumcidebatur adultus. Horror enim ſic ſæuiendi in ſeipſum, ſuadet, partes id exequendi ſemper fuiſſe alteri demandatas, præterquam quod ſi ipſe homo id circa ſe tentaſſet, potuiſſet eſſe periculum reſultus à ſemiperfecto opere, ob acerrimum dolorem à triſtis miniſterij conſummatione retrahentem. Aliquando tamen idipſum quod aiebat Magalianus contigiſſe, & ipſummet Catechumenum (vt ſic dicam) ſibi fuiſſe initiatorem, per circumciſionis in ſeipſo effectionem, videtur inſinuari in eo æquè nitentis ac ſpurci Arbitri carmine.

Iudæus licet, & porcinum numen adoret,
Et cilli ſummas aduocet auriculas.
Ni tamen hic ferro ſucciderit inguinis oram,
Et niſi nudatum ſoluerit arte caput.
Exemptus populo graia migrabit ab vrbe,
Et non ieiunâ, ſabbatha lege premet.
Vna eſt nobilitas, argumentúmque coloris,
Ingenui; timidas non habuiſſe manus.

Nudatum caput partis qua vir erat Iudæus ille, ab ipſomet ſignificat, ſummas auriculas illius partis ad ſuccidendum aduocante indéque aggregante ſe nobili familiæ populi Dei (ſine qua aggregatione, Solymis, vrbe Hebræis gratiſſima, excluderetur,) quia timidas manus ad eam ſui exſectionem non habuerat: à ſeipſo factus *Appella*, quo nomine Flaccus l. 1. ſaty. 5. à pelle reſecta Iudæum nuncupat, vt Acron ibi interpretatur.

De cauſa inſtrumentali cuius interuento fiebat circumciſio, ſusè differunt Serarius in cap. 5. Ioſue q. 8. & 14. Pererius Geneſ. 17. diſp. 6. Magalianus in c. 5. Ioſue verſu 2. annot. 2. Vaſques 3. p. d. 165. c. 3. & Petrus Alloix in vita S. Iuſtini c. 21. Mihi veriſſimum videtur, abſolutè loquendo, nullum fuiſſe determinatum inſtrumentum perficiendi circumciſionem, ſed ſatis fuiſſe Deo, ſi hoc ſignaculum imprimeretur, quocunque tandem adhibito inſtrumento id fieret. Tantùm Ioſue 5. expreſsè mandatum eſt, vt circumciſio adhibitis cultris lapideis peragеretur: quod literæ extimo cortici inſiſtens, accipio de veris cultris lapideis, non autem de acie cultellorum, vt videtur velle Maldonatus in Opere de Sacram. diſp. de Circumc. Cur autem in ea circumciſione, mandatus nominatim ſit vſus cultri lapidei; ratio fuit, vt innueretur circumciſionem ſecundam, hoc eſt circumciſionem coſidium primæ carnali ſubiunctam, efficiendam eſſe per Petram Chriſtum, à Ioſue item præſignatum. Et ita Iuſtinus in dialog. cum Tryphone, Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 51. & Origenes in c. 2. ad Rom. *ſub finem*. Extra huiuſmodi ſpeciale mandatum, libera fuit cuiuſvis inſtrumenti quod ad manum eſſet, vſurpatio ad circumcidendum. Nam, Gen. 17. vbi ritus circumciſionis præſcribitur, nulla fit mentio certi inſtrumenti. Alicubi autem refertur adhibitus culter petrinus, vt Exodi 4. in circumciſione filij per Sephoram matrem: fortè quia deficiebat gladius, aliúdve opportunius inſtrumentum; & inſtabat periculum mortis mariti.

Ex quo exẽplo addoctus videtur S. Bernardus ſerm. 1. de Circumc. vt Chriſtum adhibito petrino gladio circumciſum affirmaret. Subſcribit Laur. Iuſtinian. ſerm. de Circumc. Dom. nec non Gulielmus Pariſ. l. de legibus c. 3. vniuerſaliter affirmans, quamuis ante Sephoram, (quæ fortaſſis præ ſola feſtinatione cultrum lapideum adhibuit,) libera eſſet cuiuſvis inſtrumenti vſurpatio ad circumcidendum; tamen deinceps ad ſua vſque tempora, ita eſſe obſeruatum. Et Deum ipſum Ioſue 5. firmaſſe ſua authoritate eum vſum. Cuius decreti diuini cauſam, reperit ex corruptela maleficorum ſe ferro incidentium, & maximè in ſacris Matris Deorum cui ferrum erat addictum apud Idololatras. Vt igitur Deus ritum illum hac ſaltem ex parte ſibi exoſum monſtraret, ferrum remouit à prima initiatione cuiuſvis Iſraëlitæ in Dei filium. Præterquàm quod culter petrinus, aptè refricabat memoriam aquæ de petra eductæ, & duritiei cordium non carneorum ſed lapideorum. Item Abrahæ, cum quo primùm eſt initum pactum. De eo enim Iſaiæ 20. dicitur, *attendite ad petram vnde exciſi eſtis*. Et verò Deo adhæſit firmiſſimè, ita vt eius conſtantia petram referret. Erátque etiam Abraham lapis angularis & fundamentarius, totius ſtructuræ quæ in eo vt in baſi diuinitus eſt coepta. Sic pro aſſerendo lapidei cultri vſu ad circumcidendum, Gulielmus. Sed perperam. Non enim apparet, vnde præceptum diuinum vſurpandi lapidem ad hunc finem ſtabiliatur, extra eam circumciſionem quæ à Ioſue eſt celebrata, & ob cauſam ſpecialem propoſitam, iuſſa eſt fieri adhibito gladio petrino.

Extra eũ euentum, neque Scriptura, neque Patrum traditio, docet ſeruatum eſſe quid vult Gulielmus. Imo, aliqui Patres disertè tradunt circumciſionem adhibito ferro eſſe peractam. Ita Zeno Veron ſerm. de Circumc. Iuſtinus in dialo. cum Tryphone. S. Auguſtinus tract. 30. in Ioan. & l. 2. de peccato orig. cap. 31. Theodoretus q. 3. in Ioſue & S. Cyrillus l. 4. in Ioan. cap. 51. qui id factum ait, quia ferrum eſt nota ſeueritatis & pœnæ legem veterem affectantis, non legem gratiæ. Hallucinatus ergo eſt Gulielmus Pariſienſis dicens cultrum lapideum Dei iuſſu eſſe adhibitum & Magiſter in 4. d. 1. cum dixit, cultrum petrinum neceſſarium ad circumciſionem fuiſſe, non modò

neceſſi

neceſſitate præcepti, ſed etiam medij, ita vt collata abſque eo inſtrumento, eſſet inutilis ad emundandos à peccato originis, infantes non priùs emundatos. Hoc gratis aſſertum, non gratis, ſed meritò reiicitur. Quod Turcæ forficula non cultro aut gladio circumciſionem peragant, vt ſcribit Petrus Bellonius lib. 3. obſeru. c. 18. ad rem præſentem non refert. Perinde enim eſt quo inſtrumento fiat circumciſio, dummodo pars deſignata detruncetur vt Buxtorfius quoque admonuit in Synagoga Iudaica cap. 2.

Illud non videtur omittendum quomodò Deus qui cultri ferrei attactu altare pollui dixit, à circumciſione cultrum ferreum non remouerit. Nodum hunc propoſuit & optimè diſſoluit S. Cyrillus l. contra Iudæ. ad q. tertiam. Ait enim cultri admotione haud dubiè non fuiſſe pollutum qui circumcidebatur, vt neque hoſtia quæ adacto cultri cadebat. Altare tamen è lapidibus cultro ſectis, mandante Deo habitum eſſe pollutum, ita vt in eo ſacrificari non poſſet. Periculum enim erat ne ſi quadraginta annis vagationis per ſolitudinem, habuiſſent altaria è lapidibus ſectia quæ ſtabiliora ſunt, & difficilius diſiciuntur, tranſgreſſis in terrã promiſſam Hebræis, ea altaria in vſum cederent ſacrificiorum Dæmoniacorum per accolas obeundorum. Ea fuit vnica cauſa cultri, à lapidibus altare fabricantibus ſemoti, quæ ad corpus circumcidendum vel victimam maculandam, nihil attinet.

Reſtat finalis cauſa imprimendi ſtigma circumciſionis. Nam quamuis tractatum iam ſupra eſt, quæ fuiſſet finalis cauſa imprimendi hoc ſtigma, tali potiùs membro quàm alteri, tamen docendũ generatim ſupereſt, ex quo fine voluerit Deus, hominem hâc notâ impreſsâ inſigniri, cuicunque tandem membro eſſet imprimenda. Vulgus exiſtimat, circumciſionem mundaſſe infantes à peccato originali. Id quod nonnulli, ac nominatim Feuardentius ad l. 4. Irenæi c. 30. num. 1. videntur ſibi colligere ex Patribus, affirmantibus idipſum fuiſſe Hebræis circumciſionem, quod nobis eſt Baptiſmus, emundans ab originali peccato. Ita S. Auguſtinus l. 2. contra literas Petiliani c. 72. & l. 6. contra Iulian. c. 3. Et ſanè malè actum fuiſſet cum infantibus Hebræorum, ſi circumciſio non exterſiſſet labem originalem. Saltem enim cum nullum remedium fuiſſet antea adhibitum, V. G. cum paruuli notæ fuiſſent expiati eo ſacramento quod infantibus applicabatur in lege naturæ, excidiſſent à ſalute, ſi antequàm poſſent ſe emundare per ſuos actus, exceſſiſſent è vita. Diuinæ ergo prouidentiæ fuit, ſtatuere vt circumciſio talibus infantibus prodeſſet ad ſanctitatem primam: & quidem independenter à fide & ſanctitate miniſtrorum, ac ipſius etiam ſynagogæ; alioqui vt ex proportione ad noſtra ſacramenta liquet, diuina prouidentia defeciſſet in neceſſariis; nec ſufficienter ſaluti paruulorum conſuluiſſet. Cui argumento ſuccubuere Salmeron in Prolegom. ad Paulum l. 1. part. 1. Henriquez l. 1. ſummæ cap. 5. num. 5. Carthagena diſp. 4. de ſacram. difficultate vnica c. 2. & alij quos hi proferunt. Conceſſerunt itaque, circumciſionem contuliſſe gratiam ſanctificantem ex opere operato; id eſt ex vi ipſius impreſſionis & applicationis paſſiuæ huius ſtigmatis; & conſequenter fateri debent, hunc eſſe finem, & quidem præcipuum, cui aſſequendo ſuſceptio circumciſionis eſt imperata.

Debet tamen ratum ac fixum eſſe, circumciſionem per ſe, & ex fine proprio, inſtitutam non fuiſſe vt gratiam ſanctificantem conferret paruulis, ex ſola ſua ſuſceptione, vt faciunt noſtra ſacramenta in ſubiecto diſpoſito: quamuis aliquando infantes qui ex opere operantis ſanctitatem comparare non poterant, acciperent ſanctitatem, & à peccato mundarentur in circumciſione; non per circumciſionem, ſed ex mera Dei liberalitate. Quod circumciſio non eſſet in eum finem inſtituta, vt gratiam ſanctificantem conferret, ex eo patet, quòd eſſe fertile gratiæ in ſubiecto capaci, proprium & peculiare eſt ſacramentorum nouæ legis, iuxta doctrinam Apoſtoli qui ſæpè docens noſtra ſacramenta iuſtificare, regenerare, mundare 1. Cor. 6. Epheſ. 5. ad Tit. 3. E contrario de antiquis ſacramentis, inter quæ eminet circumciſio, ait ea fuiſſe egena elementa, & nihil valuiſſe, nihilque fuiſſe: reprobari item ob infirmitatem & inutilitatem, non eſſe niſi iuſtitias carnis, ſanctificantes inquinatos, ſolùm ad carnis emundationem. Ita habet 1. Cor. 7. ad Galat. 5. Hebr. 7. 9. 10. Patrum in hanc rem loca, proſtant innumera apud Bellarminum lib. 2. de ſacram. in genere c. 15. Alanum l. de ſacram. in genere c. 29. 30. & 39. Coccium tomo 2. l. 5. art. 1. Expreſſiſſimè verò præter cæteros id tradit S. Auguſtinus in Pſal. 73. ſecernens antiqua ſacramenta à nouis; quod noſtra dent ſalutem, antiqua promiſerint Saluatorem. Idem epiſtola 19. diſertè affirmat vetera Sacramenta non contuliſſe gratiam, ſed tantùm fuiſſe vmbras, prænunciantes gratiam quâ ſanctificamur. Diſertè item q. 25. in Num. negat vetera Sacramenta potuiſſe mederi peccatis: quod eſt negare, ea potuiſſe ſanctificare ſecluſo actu dilectionis perfectæ concomitantis. Fusè & optimè idem tradit Iuſtinus in dialogo cum Tryphone, nec non Tertullianus l. contra Iudæ. c. 2. & 3. & Irenæus l. 4. c. 30. Ratio denique ſuffragatur. Nam lex antiqua, vmbram tantùm habuit futurorum bonorum; nec fuit niſi litera occidens, quia quatenus lex non ſubminiſtrabat gratiam per ſua Sacramenta: occidebat autem, exibens mandatum abſque ſuppeditatione virium ad exequendum. Per Moſem ergo, data eſt lex nuda & gratiæ vacua: nec feracior gratiæ ex ſe fuit lex naturæ, ſiue ſtatus lege ſcripta anterior; in quo nihil item erat præter vmbras & imagines admodùm rudes & imperfectas. Gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. & vis eam conferendi, ſolis Sacramentis à Chriſto inſtitutis conſerta.

Tantum expediẽdus ſupereſt nodus propoſitus ex neceſſitate iuſtificationis infantium per circumciſionem. Hoc ita extricabam, vt admitterem, circumciſionem in infante non præpurgato per remedium legis naturæ, habuiſſe adiunctam gratiæ collationem ex mera Dei liberalitate. Suppono enim infantes Hebræorum potuiſſe præpurgari, adhibito remedio legis naturæ, quo vtm erat circa fœminas infantes; & ante inſtitutam circumciſionem, ſemper in vſu fuerat quoad omnes infantes, vt iuſto Opuſculo exponit Hugo Victorinus. Scio Suarem lib. 9. de legibus c. 7. num. 5. exiſtimare, quoad familiam Abrahæ, remedium antea indeterminatum fuiſſe determinatum, & arctatum ad ſolam circumciſionem. Sed contrarium eſt aſſerendum, vt patet ex paruulorum iuſtificatione ante octiduum, ſi mors ingruiſſet; vel poſt octiduum, ſi non potuiſſet præſcripto tempore circumcidi, neque adhuc poſſet, & tamen mortis

diſcrimen immineret. Itaque infantes Hebræorum, etiam poſt inſtitutam circumſionem, potuiſſe ante admotam illis circumciſionem purgari, adhibito illis remedio legis naturæ, pono extra dubium.

Si igitur infans non fuiſſet eo remedio præpurgatus, admitto dandam illi fuiſſe gratiam ſanctificantem in circumciſione. Non dico infantes fuiſſe ſanctificatos per circumciſionem; vel circumciſionem contuliſſe illis gratiam ſanctificantem, quæ omnia ſonarent efficientiam gratiæ, ſaltem moralem, à circumciſione alienam. Tantùm igitur dico, in circumciſione ob ſummam infantis non præpurgati neceſſitatem, collatam eſſe gratiam ex mera Dei liberalitate. Quod eſt dicere, vi ipſius antiqui operis ſacramentalis operati, (vt loquuntur,) id eſt exerciti & in ſubiecto diſpoſito recepti, non fuiſſe collatam ſanctitatem. Sic enim circumciſio ſemper & vbiuis contuliſſet ſanctitatem: cum tamen in paruulis anteriore remedio purgatis, & in adultis ſibi per ſuos actus ſubuenire valentibus, circumciſio æquè ac alia antiqua Sacramenta, eſſet egenum elementum & gratiæ ſterile, iuxta Apoſtoli doctrinam. Admitto tamen, ſubiecto alioqui perituro ob impotentiam ſibi ſubueniendi, & omnis planè alterius remedij experti, collatam fuiſſe gratiam in vſurpatione circumciſionis, ex priuilegio diuino, non ipſi circumciſioni conceſſo, ſed paruulis non præpurgatis, qui ad illius conditionis poſitionem mundabantur ex mera Dei liberalitate. Vbi diligenter ſecernenda eſt cauſa gratiam ſanctificantem impertiens, à conditione quâ poſitâ conceditur gratia. Id enim habet rationem cauſæ reſpectu gratiæ: quo poſito vi eius confertur gratia. Id autem habet rationem conditionis, quo poſito confertur gratia, ſed vi alterius. Deus ergo cum noſtra Sacramenta ponuntur, gratiam confert per ea, & vi illorum vt cauſarum moralium; quia noſtra Sacramenta ſunt veluti fœta Chriſti meritis ob quæ gratia debetur, cum per Sacramenta applicantur & admonentur ſubiecto diſpoſito; ita vt ob ſolam applicationem Sacramenti, veluti grauidi meritis Chriſti, in paſſo accommodato debeatur ſanctitas. At circumciſio, non ſic. Sed tunc quoque cum neceſſitas ſumma prouocabat diuinam liberalitatem ad conferendam gratiam in eius ſuſceptione, cauſa mouens Deum ad gratiam impertiendam, atque adeò moralis cauſa gratiæ collatæ, non erat circumciſio, quæ Chriſti meritis intra eam concluſis non ditabatur, quandoquidem Chriſti merita nondum erant exhibita Deo, atque adeò in nullo quaſi vaſe concludi poterant: ſed Deus ad gratiam impertiendam, mouebatur tantùm obiectu meritorum Chriſti ſecundùm ſe præuiſorum, cùm nuda circumciſionis conditio à paruuli maioribus ex condicto adhibebatur, & paruulus non præpurgatus ſummâ neceſſitate laborabat ob periculum æternæ damnationis ſi inexpiatus excederet.

Quæ ergo vtilitas circumciſionis, vt Apoſtolus ipſe interrogat? Aut in quem finem per ſe ac directè referebatur circumciſio, ſi verum eſt, eam per ſe ac directè non fuiſſe inſtitutá ad gratiæ ſanctificantis collationem & emundationem à peccato? Reſpondet S. Irenæus l. 4. c. 30. circumciſionem non fuiſſe datam vt conſummatricem iuſtitiæ, ſed in ſigno, vt cognoſcibile perſeueraret genus Abrahæ. Quem Irenæi locum perſpicuè expreſſit Tertullianus l. contra Iudæos c. 3. affirmans ipſe quoque, circumciſionem non eſſe datam in ſalutis prærogatiuam, ſed in ſignum vnde dignoſci poſſet Iſrael, cum adueniret tempus quo demeritis ſuis in Ieruſalem admitti prohiberetur. S. Chryſoſtomus æquè confirmat circumciſionem nihil ad ſalutem animæ proficere potuiſſe; datam tamen fuiſſe Iudæis in ſignum, ne liceret eis commiſceri cum gentibus. Ita habet hom. 7. in Epiſtolam ad Rom. & homil. 27. & 39. & 40. in Geneſ. Aſtipulator Anaſtaſius q. 28. in Scriptur. qui adhibet confirmationem ex eo quod per annos 40. commorationis in deſerto, quia aberant gentes cum quibus Hebræi poſſent commiſceri, & hauriret impietatem, ſuperuacua viſa eſt circũciſio: quæ tunc tantùm reſumpta eſt & in vſum reuocata, cum populus ingreſſu primo in terram promiſſam, futurus erat propinquus alienigenis. Igitur circumciſio erat duntaxat veluti teſſera ad internoſcendos Hebræos. D. Hieronymus lib. 1. in Epiſtol. ad Galat. *ferè in fine*, planè ſubſcribit. Ait enim de Abrahamo iuſtificato in præputio. [Qui circumciſionem non ob meritum operum, ſed in ſignum fidei prioris accepit. Quia enim ex ſemine eius erat Chriſtus oriundus, (in quo vniuerſarum gentium fuerat benedictio repromiſſa, & ab Abraham vſque ad Chriſtum multa erant ſæcula tranſitura;) prouidens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahæ, cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Iſraëliticum quodam circumciſionis cauterio denotauit, vt viuentes inter Ægyptios, inter Aſſyrios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc ſignaculo diſtinguerentur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus eſt circumciſus; ſoli quippe ſine generis alterius admixtione viuebant: ſtatim vt Iordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, & in Paleſtinæ terram, Iudæum ſe examen infundit, circumciſio neceſſaria futuro ex commixtione gentium prouidit errori.]

Horum Patrum doctrina, de circumciſione inſtituta in ſignum, non impugnatur à S. Cyrillo l. 4. in Ioan. cap. 1. cum ait, circumciſionem non eſſe duntaxat inſtitutam in ſignum. Senſus enim D. Cyrilli eſt, circumciſionem non eſſe duntaxat inſtitutam, vt eſſet nota corporea grandibus myſticis ſenſibus vacua, quod Patres illi reuera non intenderunt, cum Apoſtolus diſertè conteſtetur Rom. 4. circumciſionem fuiſſe *ſignaculum iuſtitiæ fidei*. Hoc eſt, interprete ibidem Origene, fuiſſe ſigillum quo obſignabatur & concludebatur iuſtitia communicanda per fidem viuam Chriſti in carne venturi ex poſteris Abrahæ, hac corporea notâ conſignatis. Familia quippe Abrahæ, & per eam vniuerſitas mortalium, eo ſtigmate impreſſo tali familiæ è cuius vna propagine Chriſtus gratiæ author deriuandus erat, certa fiebat de iuſtitia & fide per Chriſtum reuelanda, de fide in fidem. Quod aliter ab Apoſtolo dicitur Rom. 3. hanc fuiſſe circumciſionis vtilitatem, quod ea ſuſcepta ab Hebræis, credita ſunt eis eloquia Dei. Apoſtolus hoc ſignaculum Græcè dixit [illegible]: quæ vox ſignificat ſigillum impreſſum occultaudę ad tempus alicui rei, ſuo tempore manifeſtandæ. Circumciſio ergo erat ſigillum occultans ad tempus eam iuſtitiam veris Abrahæ filiis per Chriſtum obuenturam, quæ adumbratur in circumciſione vt typo & imagine circumciſionis internæ, in Chriſti baptiſmo & eius fide conferendæ. In quam rem diuinè diſſerit S. Amphilochius Orat.

in circumciſionem, dicens Chriſtum aboleuiſſe ſuſcepta in ſeipſo circumciſione, antiquam illam & inutilem, vt virtutem nouæ ac ſalubris circumciſionis reuelaret. Fuit item circumciſio, ſignaculum ſiue ſigillum iuſtitiæ fidei reſpectu Abrahami, qui primus ſuſcepit circumciſionem. Nam iuſtitia fidei ab eo antetius comparata cum credidit Deo promittenti ſemen benedictum è corpore emortuo, certa fiebat & veluti legitima declarabatur, ac communiebatur, talis ſigilli appoſitione. Quod autem in Abrahamo, per fidem Chriſti venturi iuſtitiam adepto valuit; æquè in omnibus eodem modo iuſtificatis, per fidẽ Chriſti venturi, locum habuit: cum recipientes hoc ſtigma, fiebant peculiaris Dei populus, & quaſi oues paſcuæ eius, quod ſonat vox *ſynagoga* è pecuinis capitibus adunatæ, vt ſæpè expendit D. Auguſtinus. At pecudes cauterio iuſſu ſignari, ex vſo fuit. iuxta illud 3. Georg.

Continuóque notas, & nomina gentis inurunt.

Pecuina ergo & bruta Iudæorum capita, quæ baculo & ioinis agenda erant, vrgendáque ad officium, congruè hoc ſtigmate myſteria propoſita obſignante, ex diuino inſtituto ſunt notata.

Suſpicienda in hac meta eſt. Dei in nos benignitas, quæ tantò miriorem nobis prouidit circumciſionem, quantò fructuoſiorem. Iure Zeno Veronenſis ſerm. de Circumciſ. hanc Dei in nos bonitatem demiratur, expendens hanc ſecundam circumciſionem [quæ non die, non nocte, non horâ, non ſexu, non ætate, non conditione, non loco, non genere ad tribuendam homini ſalutem depellitur; ſed glorioſa ſemper in omnibus inuenitur. Denique prior circumciſio deſecat carnem; ſecunda animi deſecat vitia. Illa ferro, hæc ſpiritus, illa portionem, hæc hominem totum: illa maſculum ſolum, hæc vtrumque ſexum: illa præputium paruæ cutis, hæc præputium totius concupiſcentiæ ſecularis. Illa octauo adſeruit diei, huic deſeruiunt tempora, dies, horæ, vniuerſáque momenta. Illa ante octauum, vel poſt octauum diem, nec ipſi morienti puero ſubuenit; hæc à cunis ipſis infantiæ, vſque ad ſupremos exitus cuiuſuis ætatis, vtrique generi ſalutare munus impertit. Illa ſanguine gaudet, hæc gratiâ; illa imagine, hæc veritate: illa damno, hæc lucro; illa agit captiua ſub lege, hæc omnibus præſtat in Chriſto bonæ fidei libertatem.] Chryſoſtomus item homil 40. in Geneſ. propoſitâ duritie circumciſionis antiquæ, ſubdit. [Verùm conſidera Dei miſericordiam, & ineffabilem eius erga nos beneficentiam. Illa enim circumciſio, dolorem habet & laborem, & nulla alia ex circumciſione fuit vtilitas, quàm hæc ſola, quòd ex hoc ſigno eſſent cognoſcibiles & ab aliis gentibus ſequeſtrarentur. Noſtra autem circumciſio, vel baptiſmatis inquam, gratia, medicinam habet citra dolorem, & innumera bona nobis affert, & Spiritus ſancti gratiâ nos implet, & nullum definitum habet tempus, ſicut illic: ſed licet & in primâ, & in mediâ, & in vltimâ ætate, hanc non manufactam circumciſionem recipere; in quâ non ſuſtinetur labor, ſed peccatorum deponuntur onera, & remiſſio inuenitur omnium peccatorum quæ per totam vitam geſta ſunt.]

Hæc eſt illa toties Apoſtolo laudata cordis circumciſio, non literâ, ſed ſpiritu, quâ conſtituitur qui in abſcondito Iudæus eſt. Cordis autem circumciſione, membrorum omnium veluti appendicum circumciſionem inſinuari, pulchrè proſequitur qui eam membrorum omnium circumciſionem ſigillatim illuſtrat Origenes homil. 3. in Geneſ. Eóque etiam referri poteſt, longa & egregia diſputatio crediti Hieronymi, Epiſtola de ratione circumciſionis, (habetur Tom. 9.) Eius Epiſtolæ ſecunda parte, accuratè docetur, circumciſionem veram contineri reciſione à ſæculo, & omnibus rebus mundanis; imprimiſque cura carnis in deſideriis. Sic ſtigma hoc corporeum tranſit ad animam, à cuius affectibus amputantur ſuperflua quæque. Cæteroqui circumciſio, non erat niſi ſtigma carnis, quali pecudes quoque notari moris eſt, vt pulchrè dixit S. Chryſoſtomus hom. 2. in Epiſtolam ad Epheſ. Repudiandus verò eſt Scotus in 4. d. 6. q. 9. ad 1. quatenus cenſuit, circumciſionem impreſſiſſe characterem in anima: quod eſſe proprium Sacramentis nouæ legis, dixit S. Thomas 3. p. q. 63. art. 1.

Ex antedictis facile erit diiudicare nonnulla de circũciſione à Rabbinis tradita quæ collegit Paulus Fagius ex Hebræo Sectarius in c. 10. Deuterõ. quorum etiam aliqua leguntur apud Galatinum lib. 11. de arcan. cap. 7. Aiunt itaque. 1. Rabbini, circumciſionem fuiſſe à Deo inſtitutam ad debilitandum membrum generationis, & retundendum ac hebetandum vim ſerpentis, hominem ad impura quæque impellentis. Nã ſicut halitu venenato infecit Euam matrem noſtram, ita eius ſobolem, perpetuò nititur affuſo virulento afflatu corrumpere; qui eius niſus, debilitatâ ſede concupiſcentiæ, infringitur. Itaque cum peragitur circumciſio, aſtat qui vaſculum puluere refertum teneat, in quod præputium reſectum conijcitur, veluti in cibũ ſerpentis, cui dictũ eſt Gen. 3. *terrã comedes*. Hoc Rabbinorũ ſomnium non eſt admittendum. Neque enim circumciſio, corporis debilitationem ſpectabat, ſed meram paruuli aggregationem ad populum Dei: alioqui oportuiſſet iam grandes natu, cum concupiſcentiæ feruor in eo membro prodi incipit, circumcidere deſectione notabili, quæ eam debilitationem poſſet inferre. Aiunt 2. Rabbini circumciſionem octiduo poſt Natiuitatem pueri indictam eſſe, vt robur puerò accederet à ſabatho, in quo, vel poſt quod, intra octiduum illud recurrente, circumciſio peragebatur. Sabathum enim cenſent conferre robur rebus omnibus quæ in mundo ſint. Hoc eſt fabulamentum Iudaïcum, cum nulla talis vis roborandi ſabatho inſit, ſiue à Deo collata, (vbi enim) ſiue ex natura rei conueniens, potiùs quàm alteri hebdomadæ diei. Aiunt poſtremo Hebræi circumciſionem corporeã defituram tempore Meſſiæ. Hoc ab eis verè dicitur; ſed ſucceſſit circumciſio ſpiritualis & Myſtica, qualem ipſi quoque agnoſcunt quadruplicem, pro quadruplici præputio, quod Rabbi Akiba apud Galatinum ſuprà, ex Scripturis eruit; Eſt enim præputium aurium, labiorum ſiue oris, cordis, & totius corporis. Totidem ergo circumciſiones ponũt Rabbini, quarum tres priores, ſpirituales ſunt, vt proinde mirari non poſſint, ſi dicamus ſolam nunc ſpiritualem circumciſionem Deo placere: nam & Meſſiam veniſſe exploratum nobis eſt, quo tempore, (vt præmiſi) ſolam internam & ſpiritualem circumciſionem locum habituram profitentur. De ea ſpirituali circumciſione Deo accepta, Chriſtianis vſurpanda, Amphilochius & Athanaſius orationibus de Circumciſione egregiè diſſerunt. An circumciſio oblitteretur in Iudæo cũ fit Chriſtianus, vt agitatum in vtram-

que

que partem eſſe Erphordiæ, in quæſtione quodlibetica ſcribit Lupoldus Fedesfuſius ad Ortuinum Gratium, inter Epiſtolas obſcurorum virorum pag. 101. ſtulta quæſtio eſt, quã præſtat præterire.

CAPVT III.

De indicta à Deo, auris ſeruilis ſtigmatizatione per ſubulam.

IVſſum diuinum Exodi 21. & Deuteron. 15. ferebat, vt Hebræus aut Hebræa, ab eiuſdem gentis homine coempti, vbi per ſex annos ſeruiſſent, anno ſeptimo liberi dimitterentur, nec abſque viatico. Quod ſi exacto eo ſeruitutis tempore, capti amore heri, nollent abire; mandabat lex, vt herus huiuſcemodi ſeruum aut ſeruam, Diis offerret, & ad oſtium ac poſtes applicaret, aſſumptáque ſubula, perforaret aurem eorum; deinceps autem eſſent ſerui in ſæcula, id eſt ad annum vſque quinquageſimum, qui erat Iubilæus, & ex lege lata Leuit. 25. regreſſum ad ſuos diſiecto ſeruitutis iugo inferebat. Hæc erat ſtigmatizatio auris diuinitùs indicta, & proinde hic attingenda, primùm ad literam, deinde in ſenſu myſtico atque morali.

Indicitur ergo imprimis auris, & ſerui & ancillæ, foratio poſt ſeptennium ſeruitutis. Fuerunt qui autem ancillæ pertundendam fuiſſe negarent, ſi apud herum manere deligeret. Ita Abulenſis in cap. 15. Deuteron. allegans quoſdam Rabbinos. Idem tradit ad illud caput Lorinus verſu 17. *in fine*. Sed quantum video, verba Moſis contrarium ferunt. Nam capite illo 15. Deuter. poſtquàm præceptum fuit, ſeruum hærere volentem, offerendum eſſe diis, & aſſumpta ſubula pertundendas eſſe aures eius, additur; *ancilla quoque ſimiliter facies*. Quid clarius? Itaque & ſeruus Hebræus, & ancilla ex eadem gente, volens poſt ſeruitutis ſexennium hærere voluntariè apud Dominum, forari ſubulâ aurem, addicebantur ſeruituti vſque in ſæculum. Binas aures foratas eſſe Scriptura non tradit, ſed aurem tantùm. Pſalmo quidem 39. Christus alludens ad hunc ritum Iudaïcum, ait, foratas ſiue foſſas fuiſſe ſibi aures, numero multitudinis. Vbi enim Vulgata Hebr. 10. habet, *corpus aptaſti mihi*, eadem vulgata pſalmo illo 39. habet *aures perfeciſti mihi*. Quod alij expreſſerunt per hæc verba, *aures perforaſti, fodiſti, inciſiſti mihi*. Aures inquam, numero multitudinis. Sed ſi eam allusionem ad hunc erga ſeruos ritu, in eo loco Pſaltis velimus agnoſcere, reſragante Pineda in cap. 11. Iobi ad verſu 13. non erit operoſum dicere, numerum multitudinis vſurpari plerunque in Scriptura, cum agitur de re ſingulari. Vt quando latrones dicuntur blaſphemaſſe, cum vnus duntaxat blaſphemauerit malus latro, iuxta multorum ſententiam. Similiter ergo, quamuis vnica auris, ſubulæ infixione perfoderetur, dici tamen poteſt, perfoſſas eſſe aures Chriſto aſſumenti formam ſerui. Vtra porrò auris pertundenda eſſet, non liquet ſilente Scriptura; & gratis aliqui dextram determinant. Pradus in cap. 16. Ezech. auri perfoſſæ inſertum circulum tradit. Sed hoc de ſuo addit. Nam ſcriptura ſilet de ea iuxure.

Hæc auris perfoſſio, facienda erat aduocato Iudice, & ad portam domus herilis per ipſum herum. Adhibebatur Iudex tanquam perſona publica, ne ſeruus à Domino opprimeretur per potentiam aut dolum malum: néve poſtea, reſciſſam velle poſſet profeſſionem ſuam, cuius veritas per Iudicis præſentiam comprobaretur. Accipio de Iudice, quod in vulgata habetur de ſeruo Diis ſiſtendo. Eſt enim in Scriptura frequens, vt Iudices dicantur *Dij*, ob participationem diuinæ poteſtatis Iudiciariæ, vt Theodoretus philoſophatur q. 51. in Exod. Manifeſtus in eam rem locus, habetur pſalm. 81. vbi Deus dicitur, ſtetiſſe in Synagoga & cœtu Deorum, id eſt Iudicum, ac de eorum iudiciis ferre ſententiam. Additúrque, peruerſos Iudices qui perſonas acceperint, vel in cauſæ diſcuſſione volentes cæcutiuerint, tractandos eſſe à Deo aſperrimè: ita vt cum eſſent euecti ad munus diuinum, & illius muneris participatione Dij audirent, tamen ob corruptelam iudiciorum morituri eſſent ſicut homines, & caſuri ſicut vnus de Principibus; hoc eſt ſicut Angeli qui non ſeruauerunt ſuum principatum; & caſu exitióque æterno ſunt inuoluti. En quoties eo Pſalmo, Iudices appellentur *Dij*. Eadémque phraſi Exodi 22. vetantur Hebræi, Diis, hoc eſt Iudicibus detrahere. Igitur eodem ſenſu, ſeruus offerendus erat Diis, id eſt publico Iudici, veritatem rei comprobaturo. Magiſter tamen Hiſtoriæ Scholaſticæ ſuo c. 42. Exodi, & ibidem c. 2. Lippomanus, ac Rupertus lib. 5. in Exod. c. 35. affirmant, hos Deos quibus ſeruus & ancilla ſiſtendi erant, fuiſſe ſacerdotes: ad quod Rupertus adducit illud, dictum Moyſi à Deo, *conſtitui te Deum Pharaonis*. Sed quid hoc ad Sacerdotium? Non enim Moyſes fuit Pharaonis Sacerdos, ſed potiùs Iudex; vt rectè ea verba interpretatus eſt S. Auguſtinus q. 86. in Exodum.

Addebam, herum ipſum perfoſſionem auris ſeruilis exequi debuiſſe, ad limen domus ſuæ. Scriptura enim ipſimet hero id munus demandat; dicens, *aſſumes ſubulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ*. Et quanquam quæ per amicum facimus, per nos ipſos feciſſe cenſemur; tamen propriè quod hero committitur, ſi nihil vrgeat, non eſt quod per ſibi ſuffectum peragere potuiſſe exiſtimetur. Illud *domus tuæ*, vnde inferri videtur forationem faciendam eſſe ad limen domus herilis, non habetur in contextu Originali qui nunc extat. Vnde aliqui *ianuam* accipiunt de porta ciuitatis: alij de oſtio tabernaculi, vt S. Gregorius hom. 3. in Ezech. Ego non dubito quin retinenda ſit lectio vulgatæ editionis, neglectâ lacunâ quæ in codices Hebraïcos alibi non ſemel vitiatos, potuit irrepere. Ad ianuam ergo domus herilis, loco patente & publico, ne teſtes deſiderarentur, perfodiebatur auris, ſerui vel ancillæ. Aio *ad ianuam*, vel *in ianua*. Non ita tamen vt auris transfoſſio, ad poſtis vſque transfixionem producenda eſſet, vt aliqui gratis ſunt commenti. Quid ſi enim oſtium fuiſſet lapideum, vel æreum? Non igitur iubebatur herus, transfoſſione ab aure ſerui inceptâ, ſubulam in poſtem quoque oſtij adigere: ſed tantùm iubebatur, aurem ſeruilem ante domus ſuæ oſtium pertundere; vt res fieret in propatulo, nec locus poſtea daretur reſultui aut calumniæ.

Sic foratus in aure, ſeruituti addicebatur in ſæculum. Græcè apud 70. eſt εἰς τὸν αἰῶνα, quod aliis pleriſque locis variè exponitur, vt fusè proſequitur Ribera in cap. 5. Michææ à num. 30. In hac re, iuxta S. Hieronymum in cap. 1. ad Galat. ſæculum

accipitur de anno quinquageſimo qui erat Iubilæus,& inferebat cuiuſvis duræ conditionis exſolutionem. Et hæc expoſitio, vt communior, ita veriſimilior videtur. Non deſunt tamen, qui ſeruum libertatis ſuæ poſt ſexennium ſeruitutis negligentem, mulctatum ſtatuant perpetua ſeruitute,ad finem vſque vitæ protoganda Sicut enim Apoſtolus dixit, ſe cum fratris offenſione non manducaturum carnes in æternum, ſenſus eſt, nunquam reliquâ vitâ aſſumpturum carnes in cibum Qui ſenſus modi loquendi de quo agimus, non caret probabilitate in re præſenti.

Nunc conſiderandum eſt, quò iuxta Patres referenda ſit foratio & ſtigmatizatio auris. à Deo præſcripta. Ad Patres quippe in hoc puncto eſſe recurrendum, admonet Rupertus lib. 5. in Exod. cap. 35. mutus ipſe in hac parte, præter morem. S. Hieronymus lib. 2. in Iouinian. obiter attingens hunc Iudaïcum ritum, ſic habet. [Porrò quod omnis Hebræus, æqualiter facit Paſcha, & ſeptimo anno liber efficitur; & in Iobelæo, id eſt quinquageſimo, vniuerſa poſſeſſio redit ad dominos; hoc non de præſenti dicitur, ſed de futuro: quia in ſex diebus huius ſæculi ſeruientes, in ſeptimo die, vero & æterno Sabbatho, liberi erimus; ſi tamen voluerimus eſſe liberi, dum adhuc ſeruimus in ſæculo; ſi autem noluerimus, perforabitur nobis auricula in teſtimonium inobedientiæ; & cum vxore, & liberis noſtris, quos prætulimus libertati, id eſt cum carne, & operibus peccati iugiter ſeruiemus.] Eadem ferè habet Beda Exodi 21. in primâ expoſitione. Hebræum enim quem interpretatur *tranſitorem*, tum demum in ſeptimo anno, ideſt in æterno Sabbatho liberum fore pronunciat, ſi voluerit in hâc vitâ liber eſſe, nec ignauè delegerit manere apud impotentem herum Diabolum,ei adhærens cum vxore & liberis: cum carne inquam, & operibus peccati. Talem enim æternâ ſeruitute mulctandum ſtatuit,& forandam ei auriculam in pœnam inobedientiæ, quâ Deum ad libertatem vocantem audire noluerit.

Præiuerat Origenes, qui ſtatim ſeruilem à quo liberari exacto ſexennio licebat, accipiens de ſtatu peccati & ſubiectionis ad legem carnis, addit; tum qui cum turpem illam ſubiectionem poſſet excutere per aſſertoris ſui gratiam, noluit tamen libertate oblata potiri,dignum eſſe qui ſeruitutem perpetuam experiatur, totâ vitâ gemens ſub lege peccati & mortis, notatus infamiâ, & ſtigmate ſeruili omnium ignominioſiſſimo. Iuuat locum ipſum Origenis adſcribere ex homil. 10. in Ioſue, *ſub finem*. [Deprecamur (inquit) vos fratres, verbi Dei legatione fungentes, vt dum poteſtatem adhuc habemus emendandi, demus operam, & feſtinemus abiicientes antiquas ſordes, & pannos veteres vitiorum, coniungi ac ſociari Iſraëliticæ libertati. Vis autem videre, Iſraëlitarum quanta libertas ſit? In lege præcipitur, ne liceat Hebræum puerum, ſi fortè in ſeruitutem deuenerit, ampliùs quàm ſex annis ſeruire; ſeptimo verò anno dimitti eum lex liberum iubet. Tanta apud eos libertatis eſt cura. Quæ vtique ſi ad ſpiritalem intelligentiam reuocemus, etiamſi Hebræus, puer es tu,qui in ſeruitium decidiſti. Puer enim eſt, qui facilitate animi in ſeruitium decidit. Quale ſeruitium? Scriptura dicit, *Qui autem peccat, ſeruus eſt peccati*. In hoc ſeruitium,non virilis & perfectus animus decidit, ſed puerilis & facilis. Igitur etiamſi Hebræus puer es, id eſt, fidelis, etiam & baptiſma in Eccleſia conſecutus, & poſt hoc, in peccati ſeruitium decidiſti; ſufficiat tibi ſexennis ſeruitus; in ſeptimo anno obſerua, ne ſeruias, ſed feſtina ad libertatem tuam. Septenarius numerus legem ſignificat mandatorum. Senarius verò numerus, mundi huius tenet figuram. Donec ergò quæ huius mundi ſunt, ſapis, etiam iis exerceri ſecũdùm carnem cogitas, neceſſe eſt te ſeruire peccato. Cùm verò ad ſeptenarium numerum, id eſt ad legis ſcientiam, veneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam; ne ſi permanſeris in malis tuis, & perſeueraueris in peccatis, defixa in aure nota, velut, qui eum monẽtis te Dei, & ad libertatem priſtinam reuocantis verba non audias, eris peccati ſeruus in æternum. Tum deinde require abs te, ſi libeat te velis ex patrefamilias & nobili viro in hoc mundo ſeruus effici. Abnuis ſine dubio, quippe cùm etiam ex conditione ſeruili videamus quamplurimos ad libertatem feſtinare; & in quantum poſſunt, cupere etiam diuites fieri, & honoribus vndecunque quæſitis vilitatem genuinæ ignobilitatis obtegere. Si ergò in hâc vitâ nemo eſſe vult ſeruus, ſed quantum fieri poteſt. & liber eſſe, & diues, & nobilis cupit, vt non ſolùm ſibi ſufficiat, ſed & aliis largiatur, in illis æternis rebus, ac nullo fine mutandis, indifferenter tolerabimus ſeruitutem; & parum nobis videtur, ſi in ligni cæſoribus & aquæ geſtatoribus deputemur? Propterea ergò dum dies eſt, operemur quod bonum eſt, & emendationi noſtræ operam demus; vt ex actibus & conuerſatione noſtrâ, ac moribus, nobilitari mereamur, & digni efficiamur ſpiritum accipere adoptionis, vt inter Dei potiùs filios habeamur.]

Ad Iudæorum duritiam, & obturatus diuinis ſermonibus ſenſus, perfoſſionem hanc auris refert S. Ambroſius ſerm. 13. in Pſal. 118. ad verſum 2. Præfatus enim hanc auris forationem per ſubulam, ſignum eſſe non veritatem, & tranſcendendam eſſe hanc ſubulam & aurem, vigore mentis, ſubiungit. [Iudæo iſta dicta ſunt, & Chriſtianos audiuit: quia dum aurem ſuam illa ſubula pertundit, audire non potuit, vulneratam aurem gerens, non legis, ſed ſtultitiæ ſuæ ſubula cruentauit aurem ſuã, illa audiendo quæ ſpiritaliter reuelantur. Perforauit autem ſuam ferro. Maluit enim in ferrum, quàm in verbum credere. Ideò ſeruit, ideò liber eſſe non meruit; ideò nec completi temporis ei gratia ſuffragatur, quia plenitudinem temporis non recepit, quo filius Dei miſſus eſt ad ſalutem, & venit ad redemptionem factus ſub lege, natus ex virgine, victor mortis, largitor reſurrectionis. Manet ergò vulnus, illi cui Chriſtus non reſurrexit. O vulnus quod ſtrchi non poſſit, niſi fortè relinquat ſubulam, & ſumat ſibi gladium quo Chriſti nomen non refutet; vel quo corporalia à ſpiritualibus, vmbram à veritate, diſtinguat: ſumat Dei verbum, gladium bis acutum, & ex illo diuino ore, doceatur mandatum Domini, præſcriptum legis agnoſcere, quod non temporalis habeat obſeruantiam celebritatis, ſed ſalutaria & ſempiterna remedia ſucco gratiæ ſpiritualis infundat.]

Ex iis qui in bonum ſenſum auriculæ forationem per ſubulam accipiunt, S. Gregorius hom. 3. in Ezech. Hebræi ſerui conditionem duplicem, in lege propoſita inſinuatam, ad ſeruorum Dei duplicem vitam accommodat, actiuam ſcilicet & contemplatiuam. [Hebræus enim *tranſiens* interpretatur.

pretatur. Et ſeruus Hebræus emitur, quãdo vnuſquiſque qui iam ab hoc ſæculo mente tranſit, ſeruitio omnipotentis domini ſubditur: Ille etenim verè Deo ſeruire appetit, qui ab hoc ſæculo, mente tranſire didicerit. Sic Moyſes tranſiuit, vt videret viſum. Sic Dauid cùm videret impium exaltatum & eleuatum ſuper cedros Libani, tranſiuit, & ecce non erat. Quia iniquorum potentias, eſſe magnum aliquid fortaſsè credimus, niſi ad permanens ſæculum mente tranſeamus. Seruus verò Hebræus emptus, ſex annis ſeruire præcipitur; ita vt in ſeptimo, liber exeat gratis. Quid enim per ſenarium numerum, niſi actiuæ vitæ perfectio deſignatur? Quid per ſeptenarium, niſi contemplatiua exprimitur? Sex ergò annis ſeruit, & ſeptimo egreditur liber, qui per actiuam vitam quam perfectè exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem tranſit. Et notandum, quòd gratis liber egreditur; quia hi poſtquàm omnia fecerint, dicunt ſe inutiles ſeruos, &c. *Quod ſi dixerit ſeruus, diligo Dominum meum & vxorem ac liberos, non egrediar liber.* Seruus dominum ſuum diligit, quando prædicatoris verbâ ſollicitâ mente cuſtodit. Vxorem quoque amans & liberos, liber egredi recuſat, quando actiuam vitam, eiúſque fructus diligens, tranſire ad contemplatiuam non vult, quia bona ſe opera habere in miniſterij ſui ſeruitute conſiderans, ad libertatis quietem recuſat ſecedere. Sed offerat eum dominus Diis, & applicetur ad oſtium, & poſtes, & perforet aurem eius ſubula, vt ſit ei ſeruus in ſæculum. Is enim qui in actiuâ diſpoſuit vitâ perdurare, à domino Diis offertur, quãdo à prædicatore ſuo, antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via, omnipotentis Domini ſacerdotes fuerunt. Atque ad oſtium & poſtes tabernaculi ducitur, vt de ingreſſu cœleſtis habitaculi, altiùs aliquid audiat, & tremendi iudicij diem ſubtiliter agnoſcat, ne per bona opera quæ facis, placere hominibus appetat. Sicque auris eius ſubula perforatur, dum mens illius, timoris Dei ſubtilitate percutitur; vt verbi acumine transfixa, per omne quod agit, nouerit ingreſſum regni ſemper attendere, & quaſi ab oſtio & poſte tabernaculi perforatam aurem portare, qui erit ſeruus in ſæculo, vt eſſe poſt ſæculũ liber poſſit. In ſæculo etenim ſeruus eſt, qui per actiuam vitam hominibus ſeruire diſpoſuit; vt poſt præſens ſæculum, ad libertatem veram valeat peruenire. De qua per Paulum dicitur; *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei.* Tunc etenim in nobis vera libertas erit, cùm ad gloriam filiorum Dei, adoptio noſtra peruenerit.] Excripſit S. Gregorium gloſſa interlinearis ad cap. illud 21. Exodi, & compendio eadem habet Giſelbertus in Altercat. Synagog. & Eccleſ. c. 9. Negligenda eſt Barditas Celſi Epicurei apud Origenem ad calcem libri ſexti, garrientis circa forationem auria, inter Chriſtianos. Nam non intelligens quod Apoſtolus dixerat, aliquos cauteriatam habere conſcientiam, dixit; apud Chriſtianos, quoſdam vocari *aurium cauteria.* Hoc tam verum erat, quàm quod idem Celſus ibidem addebat, aliquos inter Chriſtianos eſſe, dictos *ænigmata.* De aurium perfoſſione prout teſſera nobilitatis, dicendum infra ſect. 2. cap. 1.

CAPVT. IV.

De ſacris noui Teſtamenti ſtigmatibus, ac primùm de impreſſis Chriſto IESV *Domino noſtro.*

MVlta omnino conſiderari in Chriſto poſſunt ſtigmata, præter morale illud ac myſticum, quo iuxta pleroſque dictus eſt pſalm. 39. habuiſſe aures foſſas atque pertuſas, ad ſignificandam perpetuã Chriſti erga Deum ſeruitutem, ſub imagine antiquæ perfoſſionis auris ſeruilis. In eam quidem Pſaltis interpretationem, ſeuerè agit Bellarminus ibi verſu 10. habetur tamen in verſione S. Hieronymi: nec abhorret à vi vocis Hebraïcæ, vt ibidem aduerterunt Eugubinus ac Lorinus.

Sed dimiſſo eo myſtico ſtigmate, pleraque ſunt realia & phyſica ſtigmata, pro nobis à Chriſto ſuſcepta, quorum conſideratio non poteſt non eſſe ſuauiſſima & fructuoſiſſima. Eiuſmodi præſertim ſunt ſeptem; vt verum comprobetur, quod de ſculptura lapidis ab ipſo Deo cælati, dictum eſt Zachar. 3. *ſuper lapidem vnum, ſeptem oculi ſunt*: quod ibi D. Hieronymus, de Chriſti Domini ſtigmatibus interpretatur. E ſeptem autem illis Chriſti ſtigmatibus, duo ante crucem impreſſa ſunt, quinque autem in Cruce. Priora duo ſunt, circumciſio & flagellatio atrox, quam ipſemet Chriſtus per Dauidem pſalmo 128. confert arationi; dicens iuxta verſionem S. Hieronymi, *ſupra dorſum meum arauerunt aratores, prolongauerunt ſulcum ſuum.* At corporis aratio, & ſulci in eo impreſſio, non poteſt eſſe abſque ſtigmatis illatione. Denique Chriſtus ſuſcepit quinarium vulgatorum ſtigmatum; nempe viuens quidem ſtigmata manuum ac pedum; mortuus autem, ſtigma pectoris per lanceæ adactionem transfixi. Attingamus breuiter omnia hæc ſtigmata, præſertim poſtrema quæ fideliũ pietas, tanto ſuo bono habet pro nido & aſylo, vt poſtea dicemus cum S. Bernardo ſerm 61. in Cant.

De ſtigmate circumciſionis, quod Chriſtus octiduanus ſuſcepit, vix aliquid ſingulare habemus præter finẽ ex quo circumciſionem admiſit. Nam quod aliqui vt ſingulare proponunt circa cauſam efficiẽtem, quod Chriſtus à matre ſit circumciſus, vel incertũ eſt, vel ſaltem minimè ſingulare. Deiparam quidem Filio id officij præſtitiſſe, cenſet Magalianus in cap. 5. Ioſue verſu 8. annot. 7. Sed vnde id confirmet, non habet. Et quamuis vltrò daremus, Deiparam aſperum hoc miniſteriũ erga filium exercuiſſe, tamen non eſſet cur id ſingulare cenſeretur; cum fas eſſet matribus filios circumcidere, vt patet ex facto Sephoræ, quæ vt periculum à marito auerteret, filium ipſamet circumcidit, arrepta petra acuta, vt habetur Exodi 4. Quare dimiſsâ cauſâ effectrice, ſingulare quippiam circa Chriſtum, conſideratione dignum occurrit, in cauſâ finali ſubeundæ circumciſionis.

Eam vulgo, cenſent fuiſſe ſuſceptionem ſimilitudinis carnis peccati, per inuſtionem cauterij peccati, vt loquitur S. Bernardus ſerm. 3. de Circumciſ. vbi componens Chriſtum pro nobis natum, cum eodem pro nobis circumciſo; ait multo magis depreſſum eſſe Chriſtum in Circumciſione. [Ipſa die, (inquit de die Natiuitatis vel Incarnationis,) minoratus eſt ab Angelis, & habitu inuentus vt homo: hodie verò mirabilius aliquid audio. Iam minoratus eſt multò minùs Angelis, qui non ſolùm formam hominis, ſed formã habet peccatoris, & inſigitur velut quodam cauterio la-

tronis. Quid enim circumciſio, niſi ſuperfluitatis & peccati indicium? In te Domine Ieſu, quid eſt ſuperfluum quod circumcidatur? Nónne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus ſine omni peccato de Virgine Matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia ſuper eum poſſit cadere illa ſententia; *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, peribit anima ipſius de populo ſuo?* Poteſt obliuiſci pater filij veteri ſui? Aut non cognoſcet eum, niſi ſignum circumciſionis habuerit? Imò verò ſi quo modo poſſet non agnoſcere filium in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè ſignu poterat ignorare eum, inuentâ in eo circumciſione, quam peccatoribus ipſe prouiderat, ob purgationem vtique delictorũ. Sed quid mirum, ſi caput pro membris accepit curationem, quam tamen in ſeipſo non habuit neceſſariam? Nónne & in mébris noſtris, ſæpè pro vnius infirmitate, alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit cocturà: dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine, cauterium quoddam infixum eſt in capite.] In iidem ſerm. 1. de eodem feſto, *initio*, egregiè infert idem S. Bernardus, inſignem nos inter ac Chriſtum diſparitatem. Nam Chriſtus [ne veſtigium quidem vllum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non ſic impij, non ſic, non ſic agit peruerſitas elationis humanæ. Erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quẽ nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium, & verecundum pariter & auſterum, ſine vlla neceſſitate ſuſcepit; nec repulit cultrum lapideum, in quo ſolo vetus illa, quæ raderetur rubigo non fuit. Nos è contra, inuerecundi ad obſcœnitatem culpæ, erubeſcimus agere pœnitentiam: quod extremæ dementiæ eſt, malè proni in vulnera, peiùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari: Nos & eſſe volumus, & nolumus æſtimari. Itáne ſano opus eſt medicina, & non potiùs malè habentibus? Imò verò itáne eget medicamine, non æger ſed medicus? Quis hominum tantæ ſibi non dicam gloriæ, ſed vel innocentiæ conſcius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Chriſtus verò patienter, quæ non rapuit exoluit, qui venerat purgationem facere, (non ſuſcipere,) delictorum.]

Pia & fructuoſa admodùm conſideratio, quæ tamen iuxta ſuperiùs diſputata cap. 2. fundamento infirmo nititur. Neque enim verum eſt, circumciſionem eſſe inſtitutam ad extertionem originalis peccati, vt ea conſideratio ſupponit, ſed inſtituta eſt, ad conſignationem familiæ Abrahami, in peculiarem Dei populum, ac in teſſeram ſordium primæ generationis, nouâ per Chriſtum in carne venturum generatione, extergendarum. Ea tamen exterſio, non fiebat per circumciſionem: non modò in adultis de quibus id pono extra dubium, ſed ne in infantibus quidem; quia circumciſio, (ne in his quidem,) eluebat noxam originalem, ex ſe & vi ſuæ inſtitutionis, ſed quia ſubiectum non ſupponebatur præpurgatum aliquâ fidei profeſſione factâ à maioribus circa paruulum. Poſito autem quod ea profeſſio tunc primùm fieret per circumciſionem, quæ certè inter Hebræos aliquam fidei profeſſionem continebat, mundabantur paruuli applicatione circumciſionis, non per ſe, & prout determinate erat circumciſio; ſed generatim quatenus erat quædam fidei profeſſio, cui tanquam meræ conditioni abſque eius cauſalitate morali, adiungebatur infantis mundatio, ex prouidentiſſimâ Dei liberalitate, conſulente infanti extremè indigenti, & fortaſſis alioqui perituro. Itaque quod aliqui fortè aſtantes cum Chriſtus circumcidebatur, putarent Chriſtum ſuſceptione circumciſionis mundari ab originali labe, & inuti cauterio peccati, geminâ hallucinatione ſordebat. Nam neque Chriſtus, quippe innocentiſſimus, erat capax peccati quod poſſet circumciſione emundari; neque circumciſio reuera præferebat neceſſariò talem emundationem; quia quamuis Chriſtus fuiſſet peccato obnoxius, potuiſſet præpurgatus fuiſſe applicatione alterius alicuius modi, conſertam æquè habentis profeſſionem fidei, in beneficium pueri.

Neque tamen idcirco negamus Chriſto, exercitium eximiæ omnino humilitatis, in ſuſceptione circumciſionis, quod attigit S. Bernardus ſerm. 3. de Circumciſ. cum dixit. [Ante paucos dies, celebrauimus aduentum eius in carcerem huius mundi; ideſt, diem natalis: hodie verò celebramus, quòd catenas & vincula noſtra ſuſcepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, vt reos abſolueret, innoxias manus eorum catenis inſeruit: hodie ſub lege factus eſt, qui legem dedit.] Nimirum quiſquis in Abrahæ familia circumciſionem poſt Moſem ſuſcipiebat, eo ipſo fiebat obnoxius obſeruationi totius legis, vt Apoſtolus Galatas conteſtabatur. Eratque lex ei pædagogus, ne aberraret, ac in exitium rueret. Itaque ſuſceptio circumciſionis, continebat profeſſionem ignorantiæ, & labilitatis in culpam, quibus laboraret qui circumcidebatur: alioqui quorſum legi ſe ſubiiceret, tanquam pædagogo & correctori? Hæc autem eſt ſumma protſus depreſſio, & humiliatio longè maior quàm vlla alia per totam Chriſti vitam admiſſa. Nam Chriſtum id recipere, quod recipiens, profiteretur ſe & ignorantem & peccati capacem; multo plus eſt deiici, quàm crucem ſubire. Hæc quippe non fuit vera labes ſubeuntis crucem, ſed eorum qui innoxio crucem intulerunt. At profiteri ſe obnoxium ignorantiæ & peccato, eſt facere ſua, quæ verè ſunt teterrima dedecora, ſecundùm prudentem æſtimationem.

Pergo ad Chriſti ſtigmata flagellis impreſſa. Quis enim dubitare poſſit, notas flagellorum hæſiſſe in Chriſti corpore, quandoquidem Pſaltes ex Chriſti perſona teſtatur, dorſum ſuum & corpus ſanctiſſimum, fuiſſe exaratum, & ſulcis prolongatis diffiſſum? Confirmatur ex genere flagellorum quo Agnus innocentiſſimus conciſus eſt. Tradunt enim fuiſſe flagella taxillata: quibus ferreæ aciculæ compungentes & ſtigmatizantes adiungebantur. Et addenda eſt atrocitas flagellationis, à lictoribus valentiſſimis, odio Iudæorum inflammatis, impactæ. Non nemo, addit repetitam flagellorum admotionem; cenſendo, Chriſtum bis fuiſſe flagellatum; ſemel ad placandos Iudæos, ne Chriſtum ad mortem poſcere obfirmarentur: iterum autem, cum Chriſtus adiud datus eſt immanitati eorum. Quæ eſt quorundam Recentiorum ſententia, inde colligentium, quanta fuerit huius flagellationis & ſtigmatizationis immanitas. Verùm ea ſententia de binâ Chriſti flagellatione, iure à Ribera exploditur in cap. 19. Ioannis *ſub initium*, quia neque in Patribus, neque in Scriptura, vllum extat geminæ illius flagellationis fundamentum. Ne-

que

que item pro acerbitatem flagellationis Chriſti, ex tanto ictuum numero, quantum nonnulli ex muliebribus quibuſdam reuelationibus appenderunt; aſſerentes fuiſſe Chriſto inflicta ictuum millia quinque,& trecenta ſeptuaginta: quæ quis dubitaret, ſtigma duraturum teneræ carni Chriſti impreſſiſſe, ſi aſſertio illius numeri, veritate niteretur? Meritò tamen Ribera refragatur loco allegato; quia tanta numeroſitas ictuum, abſque idoneo fundamento affirmatur, & Chriſto haud dubiè mortem intuliſſet, contra mentem Pilati & miniſtrorum, imò & Iudæorum, à quibus volunt lictores ad eam ictuum multiplicationem fuiſſe ſubornatos. Probroſæ enim ſimul ac crudeli morti, Chriſtum reſeruatum volebant.

Quamuis autem flagellatio Chriſti, & vnica fuerit, & citra mortem ſteterit: tamen admodùm dura & ſæua fuit: vnde ſine dubio, in ea teneriſſimum Chriſti corpus, veluti ſulcis exaratum eſt, ac ſtigmatis impreſſum. Quis ad hæc ſit moroſus, ſi audierit, in columna porphyretica ad quam Chriſtus flagellationem ſubiit, cerni hodiéque ſigna verberum ad modum vibicum in carne viua. Ita narrant oculati teſtes fide digni F. Antonius Medina l. de Terra ſancta, ſtatione 10. F. Antonius Araneus in Terræ ſanctæ deſcriptione Tract. 1. c. 17. qui profitetur id ſibi durum creditu aliquando viſum, & idcirco aliquoties inſpexiſſe omnia diligenter, & ita inueniſſe ac vidiſſe, ſicut audiuerat. Voluit nimirum Deus, miraculo cerni in marmore, quod in Chriſti carne, violentiſſima flagellorum per lictores impactione, fuit exaratum, cum Pilatus apprehendit Chriſtum & flagellauit. Fuiſſe ſanè impactionē ſtigmati imprimendo idoneā, per ſe liquet ex eius flagellationis truculentia. Videſis in hanc rem Toletū in c. 18. Ioan. annot. 23. Suarem t. 2. 3. p. d. 35. ſect. 2. Greſerū l. 1. de Cruce c. 19 Malonium ad c. 5. Palæoti de ſacra ſindone.

His ſtigmatibus per flagella Chriſto inuſtis, ſucceſſere ſtigmata manibus ac pedibus, Chriſto etiamnum viuenti impreſſa, per clauifixionem. De hac enim nemo dubitauit, præter vnum quendam; haud dubiè cum ea effutiret, hilariorem, è Lutheri caula, Ioannem Vveſtphalum, vt ex eo refert Prateolus *eo Verbo*, artic. damnato 17. At quis ignorat, Euangeliſtam diſertè ac conceptis verbis, memorare fixuram clauorum in manibus Chriſti? Et perinde erit, ſi legas *figuram*, vt fert Græcus Codex, ſuffraganeibus Latinis quibuſdam exemplaribus, teſte Eraſmo Ioannis 20. Nam figura clauorum, aliud reuera non eſt, quàm fixura. Quamuis autem Euangeliſta, meminerit ſolius fixuræ clauorum in manibus Chriſti: tamen certa & conſtans traditio, idem habet de transfixione pedum, vt videre eſt in Patribus, paſſionem Chriſti deſcribentibus, vel locum pſalmi 21. de Chriſto clauis confixo exponentibus, *foderunt manus meas & pedes meos*. Antiquiſſimæ item Chriſti de cruce pendentis imagines, ſiue pictæ, ſiue extantes idem confirmant. Chriſtus ipſe Lucæ 24. poſt reſurrectionem ad comprobandam veritatem ſui à morte regreſſus, oſtendit diſcipulis manus & pedes terebratos; vrgens vt viſis & attrectatis manibus ac pedibus perfoſſis, certi fierent illud ipſum corpus quod crucifixum fuerat, reſurrexiſſe. Non ſanè oſtendiſſet pedes æquè ac manus, niſi quia tam his, quàm illis confixis, teſtabant ſtigmata per clauos impreſſa, quorum interuentu agnoſci poſſet identitas corporis rediuiui.

Indubitatum ergo eſſe debet, hæc quatuor ſtigmata fuiſſe Chriſto impreſſa in crucifixione. Quia verò in rebus adeò ſacris, nihil debet minutum aut negligendum videri, aduerto ſtigma impreſſum pedi ſiniſtro, multò patentius grandiúſque conſpici in ſacra ſindone Taurinenſi, vt videre eſt apud Palæotum cap. 19. de ea. Ex quo idem Author, coniectat ambos pedes vnico clauo fuiſſe confixos. Nam vt clauus vnus vtrumque pedem terebraret, neceſſe fuit, pedem ſiniſtrum qui dextro pedi impoſitus eſt, perfodi multò patentiùs ob maiorem claui craſſitiem in ſuperiore ſui parte. Fauent quoad vnicum pro figendis ambobus pedibus clauum Apollinaris in Tragœdia de Chriſto patiente, vocans crucem, *lignum triclauium*, & Nonnus Ioan. 19. Alij tamen, qui Chriſtum quatuor clauis confixum volunt, vt Toletus in c. 19. Ioan. ad illud, *fecerunt quatuor partes* Medina 3. p. q. 46. art. 11. Ribera in cap. 19. Ioan. *pag. mihi* 468. Bellarminus in præfatione ad opus de ſeptem verbis Chriſti, Abrahamus ad Nonnum in Ioan. *pag. mihi* 76. & alij quos magno numero colligit ac ſequitur F. Angelus Rocca tractat. de cruce ſacrarij Apoſtolici, toto c. 4. Cornelius Curtius l. de clauis Dominicis c. 3. 4. & 5. ac Collius l. 3. de ſang Chriſti diſp. 13. cap. 1. & Iacobus Boſius in Opere de Cruce triumphante, facilè dicent fiſſuram pedis ſiniſtri idcirco cerni grandiorem, quia clauus eius, ab immaniore quopiam & truculentiore crucifixore, adactus cum maiore violentia, latiorem plagam intulit. Erant enim quatuor qui Chriſto figendo nauarunt operam, vnde quadripartita veſtimentorū diuiſio in vtilitatē crucifigentium, vt Toletus loco allegato ratiocinatur.

Aduertere præterea iuuat, iuxta Malonium ad c. 16. Palæoti, quoad manus, & ad cap. 19. quoad pedes, figuram ſtigmatis manibus ac pedibus impreſſi, eſſe circularem: vt proinde neceſſarium fuerit, clauos Chriſto impactos, non fuiſſe quadratè pyramidatos, ſed rotundè. Obſtare tamen videtur, quod Romæ, clauus vnus quo Chriſtus confixus eſt τετράπλευρος conſpicitur. Non igitur imprimere potuit ſtigma rotundum: niſi dicamus, clauum validis ictibus adactum eſſe vſque ad capitellum cauum, quod in eodem Romano clauo cernitur, éſtque rotundum, nec potuit aliam ſectis artubus imprimere figuram, quàm circularem in ſindone repræſentatam, vt Curtius l. de Clauis Dominicis c. 10. diſſerit. Qui aliam præterea addit eiuſdem circularis figuræ ſtigmatum in ſindone expreſſorum cauſam, quamuis clauus eſſet quadratè pyramidalis: nempe quia notæ vulnerum in ſindone per ſanguinem ſunt conſignatæ. At ſanguis guttatim fluens aut ſtillans, nonniſi rotundas maculas reliquit. Hæc tamen ratio non videtur idonea. Sindon namque ſacro Chriſti corpori applicata eſt, cum ſitum habenti, in quo ſanguis non deflueret guttatim, ſtillarétve, quod non niſi de ſanguine supernè in ſubiectum linteum demiſſo valeret. Præterquam quod experimento eſt compertiſſimum, ſanguine in linteum guttatim deciduo, linteum non tingi rotunda macula, cum ſanguis à vi bibula lintei exſugatur, diffundatúrque vltra ambitum rotunditatis quam gutta decidens impreſſerat. Itaque prior ratio eſt commodior. Ex hoc ipſo tamen diſcurſu, contra ſecundam rationem nunc adductam, erui videtur, argumentum latepatentiæ ſtigmatum, quod Mallonius petit ex notis ſacræ ſindonis, quæ grandem in ſacris

Chriſti

Chriſti artubus foueam exhibent, infimum eſſe. Neque enim neceſſe eſt admittere, granditatem ſtigmatis Chriſto impreſſi, exquiſitè reſpondere maculæ in ſindone notatæ, cum diffuſio ſanguinis in linteo, ob ſuctum ac bibulam vim lintei, ampliorem exhibere potuerit formam ſtigmatis, quàm reipſa eſſet in Chriſti corpore. Sed argumentum idoneum ad eam ſtigmatum artubus Chriſti impreſſorum granditatem colligendam, ſuppeditat clauorum ſpiſſitudo. Ei quippè reipſa, commenſa fuit ſtigmatis magnitudo.

Ratio tamen ſupra adducta circa pedem ſiniſtrum, euincit ob maiorem claui craſſitiem in ſuperiore ſui parte, ſtigma in ſuperiore manuum ac pedum parte ſemper fuiſſe latius atque patentius, quàm introrsùm, ſiue in infima parte artuum illorum ſacrorum: & quo penitiùs ſtigma imprimebatur, clauo vlteriùs penetrante, ſemper ſtigma impreſſum fuiſſe anguſtius. Non plura in præſentia, de quaternario ſacrorum ſtigmatum impreſſorum Chriſto ſuperſtiti.

Tantùm quod hæc quatuor ſtigmata fuerint per clauifixionem impreſſa, cogitandum venit iiſdem quia ſola intrinſecè & formaliter meritoria nobis & conciliatiua gratiæ fuerunt; (nam vulnus laterale quia poſt mortem illatum eſt, non niſi obiectiuè & per anticipatam acceptationem nobis profuit;) optimè quadrare, quod fabuloſè ac ſuperſtitioſè (ſaltem ex parte,) de clauifixione per Dictatorem aut Prætorem, iactabant apud Romanos. Ritus eſt de quo iſta Liuius lib. 7. cum ſuperfuſum Tiberim, & graſſantem pertinaciter peſtilentiam retuliſſet. [Cn. Genutio, L. Æmilio Mamerco ſecundùm Coſſ. cum piaculorum magis conquiſitio animos, quàm corpora morbi afficerent, repetitum ea ſeniorum memoriâ dicitur, peſtilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo, ſedatam. Eâ religione adductus Senatus, Dictatorem claui figendi cauſa dici iuſſit, &c. Lex vetuſta eſt, priſcis literis verbiſque ſcripta, vt qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembris clauum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis Optimi maximi, cà ex parte quà Mineruæ templum eſt. Eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt; eóque in Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus ſit. Volſiniis quoque clauos indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ Hetruſcæ Deæ comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius Conſul ex lege templum Iouis optimi Maximi dedicauit, anno poſt Reges exactos. A Conſulibus poſtea ad Dictatores, quia maius imperium erat, ſolemne claui figendi tranſlatum eſt. Intermiſſo deinde more digna etiam per ſe viſa eſt res, propter quam Dictator crearetur.] Ibidem lib 8. [Memoria ex annalibus repetita, id ſeceſſionibus quondam plebis, clauum ab Dictatore fixum, alienatáſque diſcordiâ mentes hominum, eo piaculo compotes ſui feciſſe, Dictatorem claui figendi cauſâ, creari placuerit.] Liquet, clauifixionem in æde ſacrâ, auertendæ peſtilentiæ & pacis numinis aduocandæ, necnon conciliandæ diſſidentium gratiæ, ac etiam (quantum ea narrata templi per Horatium dedicatione inſinuatur, eaptimirúrque in lapide de ea dedicatione Romæ nuper inuento apud Iacobum Durantium l. 1. var. cap. 5.) conſecrando cuipiam loco, & denique numerandis annis vſui fuiſſe; de quo poſtremo vſu teſtis eſt Feſtus V. *Clauus annalis.* Et eundem vſum Petronius in Satyrico expreſſit cum deſcribens priſcam ſimplicitatem, dixit.

At paries circa, palea ſatiatus inani
Fortuitóque luto, clauos numerabat agreſtes.

Quam ſibi loci Petroniani lectionem expilatam quæritur Douza in Præcidan. c. 16. Vel vt Durantius loco allegato mauult legere; cauſatus tranſmigrationem finalium vocum vtriuſque verſus.

Et paries circa palea ſatiatus agreſti
Fortuitóque luto. Clauus numerabat & annos.

Quo eodem modo eos verſus legit & emaculat in Symbolis, Georg. Erhardus. Aiebam, hæc omnia multò illuſtriùs in Clauifixionem Chriſti cadere, quàm infixionem claui per ſummum Magiſtratum. Nulla enim fuit vnquam tam dira iámque exitioſa peſtis, quàm ea cui hæc Chriſti clauifixione conſummante Redemptoris merita, occurſum eſt, vt demonſtrare memini tractans titulum Chriſti *Medici*. Nemo pacem numinis exorauit, ſicut iſte Sacerdos magnus, factus reconciliatio in tempore iracundiæ; factus pax noſtra, & omnia connectens cum Deo; hominéſque antea diſſociatiſſimos fœderaus, iuxta illud Nazianzeni orat. 42. [In ſalutis humanæ miraculo, exignæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præſtiterunt, in vnum nos coniungentes ac conſtringentes.] Conſecratio Eccleſiæ in Dei templum, ab hoc eodem Pontifice eſt peracta, & numeratio annorum ſacrorum coaleſcentium ex diebus virtutum quos deſcribit Origenes hom. 10. in Iudic. tota Chriſto innititur clauis de quibus agimus confixo. Recognoſcenda & piè æſtimanda ſunt talia tantáque bona à ſtigmatibus Chriſto viuenti per clauos impreſſis dimanantia, ne ingrati pereamus.

Eidem autem iam vita functo, impreſſum eſt vulnus lateris, vt diſertè habet Ioannes c. 19. cuius teſtimonio nixus Clemens V. cum Concilio Viennenſi, vt habetur Clementina vnica de ſumma Trinit. & fide Catholic. damnauit Petrum Ioannis, affirmantem, vulnus lateris fuiſſe illatum Chriſto viuenti, quod pleniùs refellunt Caſtro V. *Chriſtus*, hær. 10. & Suares t. 2. 3. p. d. 41. ſect. 1. Quanquam Petrum Ioannis nihil aſſeueraſſe, ſed deceptum corrupti Codicis Diui Chryſoſtomi lectione, cenſuiſſe, poſſe piè cogitari, Chriſti viuentem fuiſſe in pectore tranſfixum; monſtrat Vvadinghus ad annum 1297. num. 44. Eſt ergo hoc ſtigma impreſſum Chriſto, in termino: hoc eſt poſt obitam mortem corporis; tametſi quia Chriſtus nondum reſurrexerat, ſtatus ille ad viam aliquatenus, poſſit pertinere. Et quia poſt mortem planè ceſſat meritum, etiam quoad Chriſtum, iuxta illud *venit nox quando nemo poteſt operari*; idcirco receptio ſtigmatis lateralis per ſe ac in ſe ſumpti, non fuit Chriſto meritoria: vt rectè ſtatuit Cardin. Vigerius l. de inſtrumentis Dom. paſſio. c. 6. & 7. Tractatus quarti. In quo, receptio huius ſtigmatis differt à receptione anteriorum quatuor ſtigmatum Chriſto viuenti impreſſorum, quæ fuit receptio meritoria in ſe ac formaliter. Stigma tamen laterale poſt mortem impreſſum, potuit obiectiuè fundare meritum, formaliter inexiſtens illi actui quo Chriſtus ante mortem, præuiſa hâc lateris ſui perfoſſione, illam acceptauit, priuſquàm inferretur, & Deo in litri noſtri partem obtulit.

Certatur porrò ſententiarum varietate inter DD. vtri lateri impreſſum ſit huiuſmodi ſtigma.

Nam

Nam quod ab Amœno (imo à Prudentio , quidquid ferat protrita inſcriptio Dittochæi ,) Chriſtus dicitur traiectus per vtrumque latus; vel mendum eſt , ita vt loco illorum verborum , *traiectus per vtrumque latus* , legendum ſit , *traiectus dextrúmque latus* : vel certè exponendum eſt de perfoſſione vnius lateris adeò profundâ, vt perfoſſio ad cor vſque , atque adeò etiam aliquatenus ad ſiniſtrum latus peruaſerit : quamuis extrinſecùs, nonniſi vnum latus fuerit perfoſſum ictu lanceæ. Hoc ergo vnum latus , quodnam fuerit , variant ſententiæ. Incertam rem eſſe pronunciat Gretſerus lib. 1. de Cruce c 34. & videtur annuere Suares t. 2.3. p.d.41. ſect. 1. inclinans tamen in ſententiam quæ latus ſiniſtrum foratum cenſet ; eo quod id ſit latus Adami , è quo Eua cenſetur formata. Frequenter autem Patres , affirmant eductionem Euæ de latere Adami , fuiſſe typum eductionis Eccleſiæ ex perfoſſo Chriſti latere , vt videre eſt apud S. Athanaſium ſerm. de paſſione Dom. S.Auguſtinum l. 2. de ſymbol. c.6. Rupertum lib. 2. de operibus Spiritus ſancti cap. 19. & alios multos quos Malonius loco proximè notando adducit *pag.*380. At alij, affirmant Chriſti pectus perfoſſum fuiſſe in dextro latere. Ita Palæotus ad cap. 20. libri de ſacrâ ſindone , & ibi Malonius , Torniellus anno Chriſti 34. Collius l.4. de ſang. Chriſti diſp. 6. cap. 2. ac etiam Gretſerus in Paralipomenis ad illum librum primum de Cruce c. 35. poſt Cabaſilam in Expoſitione Liturgiæ c.8.& Angelomum. 3.Reg.6. Et idem habet S.Brigitta l.7. reuel. cap.5. vbi Conſaluus Durantus , idem aſſerit. Eſtque pro hâc ſententiâ argumentum optimum , quod ducitur ex ſacrâ ſindone Taurinenſi , in quâ vulnus lateris cernitur in ſiniſtrâ parte ſindonis ; atque adeò oportuit , in obuerſo Chriſti corpore , vulnus lateris fuiſſe in dextrâ pectoris parte. Vnde D. Auguſtinus t 5. Ciuit. c. 26. Beda in Collectaneis & l. 2. allegoricæ expoſitionis in Eſdram cap.7. Rupertus ad l. 3. Regum c. 10. & alij , accipiunt de vulnere lateris Chriſti, quod habetur apud Ezechielem c. 47. de oſtio in latere dextro, vnde aquæ plurimæ redundarint. Eandem ſententiam de perfoſſo dextro Chriſti latere, certam habet Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes c. 11. & confirmat ex recentibus tunc S. Franciſci ſtigmatibus, ad imitationem ſtigmatum Chriſti impreſſis ; in quibus affirmat, quod pectori impreſſum eſt, cerni in dextro latere. Quid quod Iudæi Berytenſes , vt eſt apud Athanaſium iuniorem , Chriſti effigiem vulnerarunt in dextro latere ? Ibidem nimirum vulneratum audierant pectus Chriſti.

Hoc Chriſti ſtigma fuiſſe admodùm profundum & amplum , conſtat ex ſindone Taurinenſi. Item ex ferro Lanceæ quod Romæ monſtratur, obtuſum quidem, ſed tamen valdè latum, vt teſtatur Rutilius Benzonius diſp. 2. de fuga q. 3. inde colligens, rectè Chriſtum cum de vulneribus manuum ac pedum dixiſſet , *Infer digitum tuum huc*, ob vulneris partibus illis inflicti exiguitatem ; de pectore , cuius erat longè amplior fiſſura dixiſſe, *affer manus tuas, & mitte in latus meum*. Significans adeò amplam fuiſſe lateris pertuſionem , vt manum immiſſam poſſet capere. Obſeruauit idipſum Ioannes Lanſpergius homil. 44. de paſſion. Domin. & alij ad eum locum Ioannis 20. ſed & Theophanes Ceramæus hom. 35. ponderans allocutionem Chriſti ad Thomam , hortando vt digitum & manum inferret, ſic habet. [Ex his verbis , plagarum magnitudinem indicat. Manuum ſcilicet foramina , vſque adeò clauis dilatata fuerant , vt digitum intra ſe capere poſſent : lateris etiam hiatus , totam manum intromiſſam exciperet.] Magnus ergo fuit in redemptori Chriſti pecto e hiatus, à lancea infixa. Neque verò vrgendum in contrarium eſt , quod Apocal. 1. alludendo ad Chriſtum in latere vulneratum dicatur ; *Videbit eum omnis oculus , & qui eum pupugerunt*. Nam poteſt etiam eſſe punctio lata & ampla.

Immenſa ſunt, quæ in huius ſacro-ſancti ſtigmatis lateralis decus & gloriam proſtant apud Patres , è quibus pauca libare operæ pretiũ videtur. S. Ambroſius fragrantiſſimè in hanc rem diſſerit ſerm. 3. in pſal. 118. ad verſum 1. tractans illud , *Nardus Cypri, conſobrinus meus mihi, in vineis Engaddi.* [Si locum quærimus (inquit,) regionis cuiuſdam, quæ in Iudæa eſt, locus ſic dicitur in quo opobalſamum gignitur. Si interpretationem, *tentatio* Latinè ſignificatur. In illis ergo vineis, lignum eſt, quod ſi quis compungat, vnguentum emittit, hic fructus eſt ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet : cùm autem compunctum fuerit artificis manu , tunc lachrymam diſtillat : ſicut & Chriſtus in illo tentationis ligno crucifixus, illacbrymabat populum , vt peccata noſtra dilueret , & de viſceribus miſericordiæ ſuæ , fundebat vnguentum, dicens: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*. Tunc ergo in ligno compunctus eſt lanceâ, & exiuit de eo ſanguis & aqua, omni vnguento ſuauior , accepta Deo hoſtia , per totum mundum odorem ſanctificationis effundens : & quaſi balſamum ex arbore, ſic virtus exibat è corpore. Vnde ait ; *Sentio virtutem exiſſe de me*. Indè opobalſamum expreſſiùs dicitur , eò quòd compunctione ligni, balſamum per cauernam pũctionis erumpit. Compunctus igitur Ieſus , odorem remiſſionis peccatorum & redemptionis effudit. Nam & conſtrictus erat, Verbum cùm eſſet, homo factus : & pauper factus, cùm diues eſſet, vt nos illius inopiâ ditaremur. Potens erat, & deſpiciendum ſe præbuit , ita vt Herodes ſperneret eum, & illuderet ei. Terram mouebat, & hærebat in ligno : cœlum obducebat tenebris ; mundum crucifigebat, & crucifixus erat : inclinabat caput, & exibat verbum : exinanitus erat, & replebat omnia. Deſcendit Deus, aſcendit homo: Verbum caro factum eſt, vt caro ſibi Verbi ſolium in Dei dextera vindicaret. Vulnus inflictũ erat, & fluebat vnguentũ. Scarabæus audiebatur, & Deus agnoſcebatur.]

Et in pſalmum 37. exponens illud Dauidis ; *curuatus ſum vſque in finem*, præmiſsâ expoſitione de fine pœnitentiæ, aliam ſubdit de Chriſto, his verbis. [Vt ampliùs & myſticè intelligas , vſque ad Chriſtum, qui finis eſt legis, qui ſe paſſus eſt lapidari , paſſus eſt corpus ſuum mortuum vulnerari : Sed nullum fœtorem pœnitentiæ , ſed odorem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius, ſicut hominum cæterorum ; ſed fons vitæ ſcaturiuit æternæ , vt ſcriptura nos edocet, dicens ; *Et ſalies aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris*. Exiliuit ergò de vulnere aqua, vt nos biberemus ſalutem. bibent omnes peccatores terræ, vt peccata deponant.] Supponit his locis S. Ambroſius Chriſtum ſimilem eſſe arbori balſamum fundenti interueniente pũctione aut fiſſura. Quod S. Macarius homil. 17. *initio* inſinuat, agens de ligno vitæ, & plantâ cœ-

leſti, fundente oleum exultationis, quo inunguntur Chriſtiani, vt Reges euadant. Verum eſt, Chriſtum prout Verbum Dei, eſſe fragrantiam Patris, & odorem notitiæ eius, vt S. Cyrillus diſſerit l. ad Reginas ex 2. Cor. 2. & ad illud *ſicut odor agri pleni*. Tamen in ſuâ humanitate, fuit verum balſami lignum, effundens oleum regium quo omnes inungimur; eáque effuſio maximè facta eſt, interuentu fiſſuræ per vulnera & tranſfixionem, vt affirmabat S. Ambroſius.

Idem de ſacris vulneribus ac ſtigmatibus Chriſto inflictis agens, lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 5. [Flos Mariæ Chriſtus, qui bonum odorem fidei toto ſparſurus orbe, virginali ex vtero germinauit, ſicut ipſe dixit: *Ego flos campi & lilium conuallium*. Flos odorem ſuum inciſus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulſus amittit. Ita & Dominus Ieſus, in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulſus euanuit; ſed illa lanceæ punctione ſuccıſus, ſacro ſpecioſior fuſi coloris cruore vernauit; mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.]

S. Chryſoſtomus in pſalm. 14. *initio*, Dauidem inducit, ita affantem Deum. [Tabernaculum tuum regale in mundo, tanquam in agro, video Eccleſiam. Sed quoniam magno pretio acquiſiuiſti tabernaculum; (pretioſum enim tuum dediſti ſanguinem, & accepiſti tabernaculum) & aperto latere, quod eſt theca eius, quod eſt reconditorium marſupium diuinitatis, arca ſanctificationis, & lancea tanquam claue in arcem iniecta; (iniecta autem non vt qui te improbè gereres, ſed vt qui concederes ac permitteres;) dediſti pretium ex paterno theſauro.] Et homil. de Adæ animatione. [Dominus immiſit ſomnum in Adam, & tunc latus accepit. Ergò quoniam ex eo latere, tranſgreſſionis occaſio futura erat, & mulier ipſi Adam mortem innexit. Saluator noſter volens plagam mederi, lateri latus oppoſuit, & in cruce latus lanceæ obiicit, vt vnde manatur vulnus, inde ſalus oriretur. *Exiuit ſanguis, & aqua*; Intellige myſterium, honora diſpenſatorem, ſpecta miraculum. Nam quia illi Adam poſteaquàm ſopitus eſt, latus detractum fuit, (non enim à vigilante latus ademit;) Saluator item haud vigilanti, latus traiectum, ſed poſt ſomnũ corporis, latus militi dedit.[

Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 168. conſiderans Chriſtum dixiſſe ſe vitem, vt qui pectus humectantem ac voluptate afficientem prædicationem præbuerit; obſeruat, eam ob rem, in Scripturâ veram diuinæ cognitionis doctrinam, *vinum* appellari. [Hoc, in poculo quoque, Sapientia bibendum porrigit: per poculum nimirum, Domini latus intelligens, ex quo nobis vitæ iucunditas & oblectatio præfluxit.] Itaque ex latere Domini perfoſſo, ſapientiam, & lætitiam cordis haurimus, velut ex poculo, vinum lætificans cor. Hauſerunt ex hoc poculo, ad inebriationem vſque, Sancti Martyres. Hinc reditum ad cœlum prompſere. Nam quod Billius in D. Iſidoro vertit, *prædicationem pectus humectantem*, quia legiſſe in Græco videtur τὸ νῖτρον, vertendum potiùs fuerat, *reditum conciliantem*, nimirum in patriam è qua exulamus. Græcè enim puriores Codices habent τὸ νόςιμον κήρυγμα, quod propriè ſonat regreſſum, vt Conradus ad eam Iſidori Epiſtolam confirmat ex Homero.

Inſignis locus D. Auguſtini de hoc vulnere laterali, habetur l. de tempore Barbarico cap. 7. & 8. vbi hæc præter cætera. [Si Petrus, antequam Chriſtus pro omnibus crucifigeretur, regni cœlorum claues accepit: quà illuc introiuit latro, ille iam non reus, niſi per latus quod aperuit Iudæus? Et nunc veniant omnes quicunque amant paradiſum, locum quietis, locum ſecuritatis, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimeſcas Barbarum, in quo nullum patiaris aduerſarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes; eſt quà poſſitis intrare, patet latus. Oſtendit enim ille latro, quò debeant omnes intrare, neminem ſuo exemplo docuit deſperare. *Contendite*, ait Dominus, *intrare per anguſtam portam*. Quid anguſtius illo foramine, quod vnus è militibus percutiendo latus Crucifixi, aperuit? & tamen per has anguſtias, penè iam totus mundus intrauit. Venite & vos Iudæi, vocat vos quem crucifixiſtis, filius Dei: contendite intrare per anguſtam portam; per hanc enim introierunt patres veſtri. Illi qui vt crucifigeretur, clamauerunt; qui in ligno ſuſpenſum viderunt; qui irriſerunt, qui caput agitauerunt, per iſtas tamen anguſtias introierunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce; *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*. Per has ergò, (vt dixi,) anguſtias, per anguſtam portam lateris Chriſti, ingreſſus eſt latro mutatus, pœnitens Iudæus, conuerſus omnis Paganus, & ab eo exiit foras, malus hæreticus Arrianus.]

Idem S. Auguſtinus Tract. 120. in Ioan. tractans illud *vnus militum, lancea latus eius aperuit*. [Vigilanti verbo (inquit,) Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, *latus eius percuſſit*, aut *vulnerauit*, aut quid aliud, ſed *aperuit*: vt illic quodammodò vitæ oſtiũ panderetur, vnde Sacramẽta Eccleſiæ manauerunt; ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur. Ille ſanguis, in remiſſionem fuſus eſt peccatorum: aqua illa, ſalutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præſtat & potum. Hoc prænunciat, quòd Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, quà intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc, prima mulier facta eſt de latere viri dormientis, & appellata eſt vita matérque viuorum. Magnum quippe ſignificauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. Hîc ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiſcunt. Quid iſto ſanguine mundius? Quid vulnere iſto ſalubrius?]

Rata habet hæc omnia, ſæpè alibi idem D. Auguſtinus, & nominatim quoad oſtium arcæ vulneri lateris aptatum, perpulchrè diſſerit 15. Ciuit. c. 26. rurſúſque lib. 12. contra Fauſt. c. 39. vbi incurrens in eam arcæ Noëticæ ad Chriſtum accommodationem, refert Philonem Hebræorum diſertiſſimum, *& liberaliter erudıtiſſimum*, quem ait aliter voluiſſe interpretari arcam; nimirum de corpore humano: Et cætera quidem vtcunque accommodaſſe; [At vbi ventum eſt ad oſtium, quod in arcæ latere factum eſt, omnis humani ingenii coniectura defecit. Vt tamen aliquid diceret, inferiores corporis partes, per quas vrina & fimus egeruntur, illo oſtio ſignificari, auſus eſt credere, auſus & dicere, auſus & ſcribere. Non mirum, ſi oſtio non inuento, ſic errauit. Quòd ſi ad Chriſtum tranſiſſet, ablato velamine, Sacramenta Eccleſiæ manantia ex latere hominis illius inueniſſet. Nam quia prædictum eſt; *Erunt duo in carne vna*, propterea in arcâ, quædam ibi ad Chriſtum, quædam verò ad Eccleſiam referuntur, quod totum Chriſtus eſt.]

Mirum

Mirum ſic pronunciaſſe de propoſitâ Philonis interpretatione, S.Auguſtinum; cum à D.Ambroſio, cuius S.Auguſtinus & ſtudioſiſſimus & reuerentiſſimus fuit, expreſſa de more ſit ex Philone. Et iure ſanè ſugillatum eſſe à S.Auguſtino Philonem, non eo inficias. Tamen præ S.Ambroſij reuerentiâ, haud dubiè S.Auguſtinus Philonis lapſum diſſimulaſſet, ſi eius veſtigiis inſiſtentem S.Ambroſium meminiſſet legere.

Proſper p.2. de promiſſ. c.7. de eodem laterali ſtigmate per arcæ oſtium prædelineato, ſic ſcribit. [Sextâ feriâ ſuſpenſus in cruce, noſtrum omne pretium ex ſuo latere, tanquam per oſtium arcæ, pretioſum ſanguinem fudit. Ex quo columba Eccleſia, tanto ſanguine dotata proceſſit. Propter quod & coruus hæreticus exiens, humani cadaueris cupiditate naufragus, ad arcam Eccleſiam redire noluit. De quo intus poſita, munda animantia clamant; *Ex nobis exiit, ſed non erat ex nobis: nam ſi ex nobis eſſet, manſiſſet vtique nobiſcum.*]

S.Auitus Epiſtol.3. [Permanebat vt inflictum fuerat medicum vulnus, & hiulcum tranſpuncti lateris aditum, felici indicio vitalis plaga ſeruabat. Idem S. Auitus ſerm. de paſſ. Dom. prout refertur à Floro in Collectaneis Epiſtolæ ad Epheſios, agens de transfixo Chriſti latere, ſic habet. [Quod non fuit neceſſarium fieri pro exitio, pro Sacramento perfectum eſt. Vnus namque de militibus, arrepto miſſili (vt ſermonem ipſum ponam,) latus eius aperuit. Ergo non rupit, non transfodit, non iugulauit ad vltimum, ſed (inquit) *aperuit*; vt patentis plagæ portam vitalem, non tam veſtigium vulneris, quàm ſalutis eſſe intelligamus ingreſſum. Nam & arcam illam cuius clauſtro tutus Noë, tumentes ſæculi fluctus, mortémque bacchantem, impunè ſolus cunctis pereuntibus enatauit, oſtium quo vel ad ſalutem ingreſſus, vel egreſſus ad lucem eſt, in latere legimus habuiſſe. Agnoſco igitur & hodie in Domino, qui ſurgit per Crucem in requiem ſuam, ipſe & arca, id eſt caro ſanctificationis ſuæ; agnoſco inquam in latere arcæ iſtius, aditum noſtrum. Videamus primùm quid inde procedit; aduertamus poſtea, quomodò ibi Chriſtianus introiit. Patefacto ergo latere Domini, proceſſit vbertim manantibus riuis, aqua vel ſanguis. Quid admirabilius tali facto? Quid lucidius indicio? Quid myſterio plenius? Certum eſt quidem quod doluit Chriſtus, quod interiit certum, ſed ſeruat in eo dignitatem ſuam, etiam veritas mortis. Quæ conditio vnquam humani corporis, habuit aquæ vel ſanguinis fluxum? Eſto, quod tamen vix conſuetudinis ratione permittitur, vt continuerit cruorem ſuum caro defuncta, vbi latuit viuentis aquæ fonticulus, in corpore morientis? Vnde procedit duplex riuus arentem mundum fœcundaturus, purus laticis, pretioſus cruoris? Vnde ſancti fluminis vnda prorumpit, ſola reſtinguendis gehennæ ſatisfactura vaporibus? Ecce videris de latere Adam noſtri, coniugem ſuam ſtrui. Ecce ſponſam victuro, dum moritur, præparari: Ecce dormienti præripi, quod lætificet vigilaturum. Omnis autem Eccleſia, duo ſunt genera hominum. Vnum eſt quod fideli morte, aliud quod ſublimi paſſione ſaluatur. Vnum quod pro Chriſto occubuit, aliud quod Chriſto vixit. Nos ergo excipiamus aquam de latere Domini, Martyres ſanguinem. Illa pretioſa ſanguinis purpura veſtiat, nos niuea baptiſmatis vnda reſpergat. [Illud,

Theoph. Rayn. Philologica.

quod doluit certum; non eſt accipiendum de doloſe ex hâc lateris apertione, ſed de dolore ex cruciatibus anterioribus. Sicut etiam *fonticulus in corpore morientis*, non eſt intelligendus de eruptione aquæ ex Chriſto nondum mortuo, ſed tantùm moriente. Intelligendus ergo eſt de aqua morienti inexiſtente, etiamſi erumpente, tantùm cum apertum eſt latus poſt Chriſti mortem, iuxta definitionem Clementis V. in Concilio Viennenſi.

Petr. Dam. ſerm.2. de Exalt. S.Crucis, conferens latus Chriſti cum petra dante aquas, [Accedit (inquit,) virga ad ſilicem & haurienda populis aqua producitur. Adhibetur Crux Chriſto, & omnium corda credentium gratiâ ſancti Spiritus irrigantur. Hic eſt lapis, de quo per Zachariam dicitur; *Super lapidem* (inquit,) *vnum ſeptem oculi ſunt.* Quod videlicet Sacramentum, & ipſe Moyſes, per ſpiritum non ignoraſſe cognoſcitur, ſi eiuſdem ſubtiliter verba penſantur: *Aperi*, inquit, *Domine theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ; vt ſatiati, ceſſet murmuratio eorum.* Neque enim tam magnificis, atque diuinis verbis elementum deſcriberet ex cauernis videlicet terræ profluum, ac deinceps in ſucceſſiuum cuniculos egerendum. Nunquid enim dignum fuit, viles aquas, *Dei* appellare *theſauros*? Sed Dei theſaurum, illum procul dubio nominat, de quo Apoſtolus dicit; *Quia in pectore Ieſu, ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Fontem etiam aquæ viuæ illum perbibet, de quo dicitur; *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*] Obiter ſed pulchrè de hoc fonte vitæ proſciſſo, & inde manante pretio noſtræ redemptionis, Philippus Abbas in vita S Amandi cap.6.

Rupertus lib.3. in libros Regum cap.10. agens de oſtio templi quod erat in latere medio, ſic habet. [Quod eſt oſtium lateris medij, per quod introitur in tabulatum primum, vt aſcendatur in medium, & à medio in tertium? Oſtium lateris templi, vulnus eſt in latere lanceato Dominici corporis, præter quod non eſt aditus, non eſt oſtium, vel ianua quà intret quis, vt in quovis ordine coram Deo ſtare poſſit. Nam ex illo latere eùm lanceâ percuſſum eſſet, ſanguis & aqua profluxit; quo Sacramento deletum eſt peccatum mundi, in quo & baptizati ſumus dicente Apoſtolo, quia *quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Ergò vnum eſt oſtium, vnum baptiſma, per quod introitur in illud Dei templum; quò cùm admiſſus fueris, tunc demum aſcendere licet, vel à primo ad medium, vel à medio ad tertium, prout delectauerit quemcunque aſcenſus virtutum, vel celſitudo meritorum.] De hoc orbis baptiſmo, ex aquâ è latere Chriſti perfoſſo elicitâ, copiosè & egregiè idem Rupertus l.2. de operibus Spir. ſancti cap.13. & c.19. & lib.3.c.4. & 8. ac 11. & 12. Hócque eſſe testimonium quod tria perhibent in terra, ſpiritum ſcilicet à Chriſto emiſſum, & aquam, ac ſanguinem ex eius latere profuſa, inſigniter proſequitur, his poſtremis capitibus. Illo autem c.19. libri ſecundi, fuiſſe proportionem inter Euam ex Adami latere fabricatam & Eccleſiam ex Chriſti latere perfoſſo eductam, pulcherrimè docet. Denique ex hoc vulnere omnium mœrorum noſtrorum depulſio manare poteſt; vt illi contigit Nouitio Ciſtercienſi apud Cæſarium l.4. c.80. Hæc eſt feneſtra ad Orientem, per quam cineres ex holocauſto reſidui, egerebantur ex Moſis præſcri-

pro. Eam enim feneſtram adumbraſſe lateralem Chriſti plagam, notat Gloſſa Interlinearis in c. 27. Exod. id quod fusè illuſtrat Iacobus Pinto Tomo 3. de Chriſto Crucifixo lib. 1. tit. 6. loc. 3. num. 17. Addidi ipſe quoque nonnulla in Tractatione de ſacramentalibus, conſerta operi H. teroclitorum circa Sacramenta puncto 7. agendo de cineribus benedictis.

Communiter hoc laterale Chriſti ſtigma, cum aliis quæ manibus ac pedibus impreſſa præmiſimus, celebrant, immenſis præconiis Patres, & vt eò confugiamus hortari ſolent. Videtur enim Chriſtus, hæc foramina petræ vltrò admiſiſſe, vt haberent piæ animæ, aſylum in neceſſitatibus, ac perfugium in tribulatione. Optimè id tradit Guerricus ſerm. 4. in Ramis palmar. [Non ad ipſum tantùm, (inquit,) ſed in ipſum fuge, in foramina petræ ingredere, in foſsâ humo abſcondere, in ipſis manibus foratis, in foſſo latere te ipſum abſconde. Vulnus enim in latere Chriſti, quid niſi oſtium in latere arcæ, ſaluandis à facie diluuij? Illud tamen figura, iſtud autem veritas: vbi non modò ſeruatur vita mortalis, ſed recuperatur immortalis. Ideò quippe latus ſuum pios & miſericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet, calor corporis te refocillet; ſpiritus cordis, quaſi patenti & libero meatu aſpiret. Ibi tutò latebis donec tranſeat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eò quod in viſceribus Chriſti non frigeſcat charitas; ibi delicis afflues; ibi gaudiis ſupereffIues: vel tunc demùm cùm à vitâ capitis, tua, & omnium membrorum corporis eius, abſorpta fuerit mortalitas.]

Prætuerat, qui mellitiſſimè in hoc argumento verſatus aliquoties eſt S. Bernardus ſerm. 1. de Natiu. Dom. Fontes quinque Saluatoris è quibus hauriuntur aquæ in gaudio, accommodat his quinque Chriſti vulneribus, quorum fontium quatuor, reſpondere ait, quatuor vulneribus quæ Chriſtus ſuperſtes excepit ſacris artubus; quintum fontem qui eſt fons vitæ, reſpondere ait vulneri laterali quem Chriſtus iam mortuus ſuſtinuit. Nam etiam nos de fonte vitæ, non niſi poſt mortem potamur. Egregiè ſerm. 61. In Cant. vbi præmiſsâ expoſitione primâ, quam vocat ſuam literalem, adducit ſecundam cui inſiſtit, his verbis. [Alius hunc locum ità exoluit, foramina petræ vulnera Chriſti interpretans. Rectè omnino. Nam petra Chriſtus. Bona foramina, quæ fidem aſtruunt reſurrectionis, & Chriſti diuinitatis. *Dominus meus*, inquit, *& Deus meus*. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ? In his paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos. In his ſe columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideò ait: *Columba mea in foraminibus petræ*. Vox columbæ. *In petra exaltauit me*. Et item. *Statuit*, (inquit,) *ſupra petram pedes meos*. Vir ſapiens ædificat domum ſuam ſupra petram, quòd ibi nec ventorum formidet iniurias, nec inundationem. Quid non boni in petra? In petrâ exaltatus, in petrâ ſecurus, in petrâ firmiter ſto. Securus ab hoſte, fortis à caſu, & hoc quoniam exaltatus à terrâ. Anceps eſt enim & caducum, terrenum omne. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt, & nec cadere, nec deiici formidamus. In cœlis petra, in illâ firmitas atque ſecuritas eſt. Petra refugium herinaciis. Et reuera vbi tuta, firmáque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur, non cado: fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempè vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſoluetur? Si ergò in mentem venerit tam potens támque efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri. Et ideò liquet, erraſſe illum, qui ait; *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*. Niſi quòd non erat de membris Chriſti, nec pertinebat ad eum de Chriſti merito, vt ſuum præſumeret, ſuum diceret quod illius eſſet, tanquam reum capitis membrum. Ego verò fidenter quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus eius & pedes, latúſque lancea forauerunt: & per has rimas, licet mihi ſugere mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo; id eſt, guſtare & videre quoniam ſuauis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clauis reſerans, clauus penetrans, factus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, quod verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Ferrum pertranſiit animam eius, & appropinquauit cor illius; vt non iam non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clariùs, quam in vulneribus tuis eluxiſſet, quòd tu Domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proindè meritum, miſeratio Domini.

Ruſus ibidem inferiùs. [Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem Domine quid niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ, repoſitæ mihi. Qoàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis; opertæ quidem, ſed in his qui pereunt. Vt quid enim ſanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: etiam & apertis foraminibus introduxit in ſancta; quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectióque virtutum i Ibo mihi ad illa ſic referta cellaria, atque ad monitionem Prophetæ, relinquam ciuitates, & habitabo in petrâ, ero quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis, vt cum Moyſe poſitus in foramine petræ, tranſeunte Domino, merear ſaltem poſteriora eius proſpicere.]

Tandem ad calcē ſermonis, fortitudinem Martyrum ex hac inhabitatione intra petram fiſſam, manaſſe demōſtrat; poſteriora columbæ in pallore auri, exponens his verbis: [Ergo & poſteriora ipſios in pallore auri, quæ fuſcum non erubuit crucis, vſtionem paſſionis non horruit, liuorem vulnerum non refugit. Et iam complacet ſibi in illis, & optat nouiſſima ſua fore horum ſimilia, Ideircò denique audit; *Columba mea in foraminibus petra*, quòd in Chriſti vulneribus tota deuotione

verſetur,

verſetur, & iugi meditatione demoretur in illis. Inde Martyrij tolerantia; inde illi magna fiducia apud Deum altiſſimum. Non eſt quod vereatur Martyr exanguem liuidámque leuare ad eum faciem, cuius liuore ſanatus eſt, glorioſam repræſentare ſimilitudinem mortis eius, vtique in pallore auri. Quid vereatur, cui etiam à Domino dicitur; *Oſtende mihi faciem tuam?* Ad quid? Vt mihi videtur, ſe magis oſtendere vult. Ita eſt, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non eſt ei opus vt quis ſe oſtendat, à quo nihil non videtur, nec ſi ſe abſcondat. Vult ergò videri; vult benignius dux deuoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat & exemplo ſui, reddat ad tolerandum fortiorē. Enimverò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore: & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter, ſacrum è carne ſuâ circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempè in tuto, nempè in petrâ, nempè in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret. Nunc autem in petrâ habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit; Sed neque hoc mirum, ſi exul à corpore, dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur. Nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Ergo ex petrâ, Martyris fortitudo; inde planè potens ad bibendum calicem Domini.]

Non abſterreor tam multis iam in hanc ſententiam ex S. Bernardo recitatis, quominus ex ſerm. 62. continenter ſequenti, libem nonnulla. Ibi petram interpretatus arcana diuinæ voluntatis, quæ non omnium eſt rimari; cauernam verò maceriæ, exempla Sanctorum, addit. [Si cui ne hoc quidem poſſibile ſit, huic ſanè proponet Ieſum, & hunc crucifixum: vt & ipſe abſque ſuo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laborauit. Iudæi in his laborauerunt, & ipſe in labores infidelium introibit, vt ſit fidelis. Nec verendum quòd patiatur repulſam, qui & vocatur, vt intret. *Ingredere*, (inquit,) *in petram, abſcondere in foſſa humo, à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius.* Infimæ adhuc & inerti animæ, (quæ iuxta quod in Euangelio quidam de ſemetipſo conſitetur, fodere non valet, mendicare erubeſcit,) foſſa oſtenditur humus, vbi lateat donec conualeſcat & proficiat, vt poſſit & ipſa per ſe cauare ſibi foramina in petrâ, per quæ intret ad interiora verbi, animi vtique vigore & puritate. Et ſi intelleximus foſſam humum, illamque ait; *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de ſanitate in ea citiùs adipiſcenda animæ vulneratæ, quæ in eá demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Verùm donec purgata & ſanata perfectè fuerit, non video qualiter illi aptari poſſit quod dicitur, *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Quomodò denique faciem ſuā oſtendere audeat, vel leuare vocem ſuam, cui & latere indicitur? *Abſcondere*, inquit, *in foſsâ humo.* Quare? Quia non eſt pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quandiu non erit videre idonea. Cùm autem per inhabitationem foſſæ humi, in ſanando oculo interiori tantùm profecerit vt reuelata facie ſpeculari gloriam Dei & ipſa poſſit: tunc demum quæ videbit, fiducialiter iam loquetur, voce & facie placens.]

Berengoſius Abbas l. 1. de laude & Inuentione S. Crucis cap. 1. argumenta Deitatis Chriſti attingens. [Sed & hoc (inquit.) Diuinitati non minùs debet adſcribi, quod ipſa paſſionis ſuæ dies, ad horam videbatur obtenebrari, in quâ pro redimendâ generis humani ſubſtantiâ, paſſus eſt cruce, clauis, & lanceâ. Hæc quippè ſacroſancta ſalutis humanæ ſunt ſtigmata, quibus nobis vetus Iſaac, cœleſtis medicinæ oleum deferebat ac ſtigmata, quando ſicut aries inter vepres peccatorum, crucis cornibus hærens, ſanare dignatus eſt omne caput languidum, & omne cor mœrens. Hæc ſunt illa ſtigmata, quibus in ara crucis ſummus Sacerdos, genus humanum in vno homine voluit liberare per totum, quando ſacrificio ſingulari & gratiâ cōmuni in vno conſuluit omnibus, & in omnibus vni. Hæc etiam illa ſtigmata, quibus Dei filius inæſtimabile nobis paternæ dilectionis oſtendit ſignum, quando peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt antiquus hoſtis in ſeipſo eò acriùs atrocius inuidiæ tormentu cruciaretur, quòd eodem ligno, quo vicerat vinceretur.]

Petrus Damiani Opuſc. 30 c. 2. tractans illam Sponſi inuitationem, *columba mea in foraminibus petræ*, ſic habet præter cætera. [Si iuxta Apoſtolū; petra Chriſtus eſt, foramina petræ, vulnera ſunt Redemptoris, quæ profectò, non caſu quinque ſunt: lanceæ ſcilicet, & clauorum: ſed quia nos fueramus quinque ſenſuum vulneribus ſauciati, per has quinque plagas ſaluti ſumus perpetuæ reſtituti. Iſtæ ſiquidem portæ erant per quas die Sabbathi Propheta, ne inferrentur onera grauia, prohibebat. In his igitur foraminibus, Dei columba conſiſtit: quia ſancta quælibet anima; totam propriæ ſalutis ſpem, in ſui Redemptoris paſſionū conſtituit. Ibi velut ab accipitris incurſu defenditur: quia à cunctis malignorum ſpirituum inſidiis cuſtoditur. Ibi planè nidificat, quia illic fœtus bonorum operum coacervat. De hac petrâ per Pſalmiſtam dicitur: *Montes excelſi ceruis, petra refugium herinaciis.*

Videt lector in teſtimoniis proximè adductis, ſuſpicere non ſemel Patres, noſtram ſanitatem ex Chriſti vulneribus deriuatam. Deus enim in eo ſemper mirabilis, quod è malis eruit bona, & ex ſummis malis ſumma bona, (quod eſſe inſigne diuinæ prouidentiæ argumentum affirmat Clemens Alexandrinus l. 1. ſtrom. *pag. mihi* 359.) in eo admirabilior apparet, quod è malis ipſis eruit bona immediatè illis oppoſita: quod D. Auguſtinus egregiè expendit l. 1. de doctor. Chriſt. cap. 14. & ſerm. 19. de ſanctis ac tract. 27. in Ioan. *ad finem*, & ſerm. 110. de tempor. cap 5. Eā ergo pleniſſimâ ſapientiæ poteſtate, è quinque vulneribus ſuis per ſummam nequitiam inflictis, Chriſtus eruit noſtrā ſanitatem. Quod Petrus Valerianus l. 47. *ſub finem*, rectè retulit pentalpha Antiochi cognomento *Soteris*, qui cum aduersùs Galatas bello decertaturus eſſet, viſus ſibi eſt per quietem, videre Alexādrum, mandantem vt militibus teſſeram daret ὑγίεια: cuius dicti Hieroglyphicum antiquum, erat triangulus triplex alternatim iunctus, ex quinq; paribus lineis ſeſe inuicem in puncto contingentibus contextus. Eum Antiochus, & vexillis imponi, & omnibus

nibus militaribus indumentis aſſui mandauit, additis per angulorum interualla ſingulis literis vocis *ὑγίεια*, vt docent qui paſſim habentur nummi Antiochi; ſicque eximiam victoriam de Galatis eſt adeptus vt ſcribit Lucianus dialog. de prolapſione inter ſalutandum. Qui præmiſerat, inuentum; id fuiſſe Pythagoræorum, qui pentagrammo illo & quinque lineari figura, vti ſolebãt ad eiuſdem profeſſionis homines & *ſanitas* ab iiſdem appellabatur Antiochi haud dubiè imitatione. Dum ſtaret Imperium Conſtantinopolitanum, ordo qui ſub Magiſtro peditum merebatur titulo *propugnatorum*, cœruleam parmam præferebat, purpureo margine, viridi autem vmbilico intra huiuſmodi pentagrammum contento. Hoc igitur ſalutis & ſanitatis antiquum Hieroglyphicũ (cui nihil cõmune eſſe volo cum Pentagono Paraceiſi, ex ſcripto à Godelmanno l. 1. de Magia c. 8. num 51. Pierius nõ malè ad quinque Chriſti vulnera, ſanitatis noſtræ veram cauſam accommodat. Patefactis enim manibus quæ deorſum, à lateribus porriguntur, & modicè diuaricatis pedibus, quatuor exiſtent puncta æquidiſtantia, & quintum in ipſo pectore: à quibus pũctis ductæ lineæ quinque numero æquales omnes, quæ altera alterna punctis ſe cõtingãt, efficient pentagrammum. Duæ nimirum à pectore ad vtrumq; pedem occurrent lineæ; item aliæ duæ in modum ferè chiaſmi decuſſatæ à manu dextra pedem lænum, & à læua manu ad pedem dextrum; quinta ab alterutra manu ad alteram, vnde pentalpha quod quærebamus, vt in ſubiecta figura apud authorem prædictum cernere licet.

Hoc pentalpha præferentes, conteſtamor Chriſtum eſſe authorem ſalutis, & animarum noſtrarum ab innumeris ægritudinibus quibus premebantur, liberatorem. Viciſſimque Deum commonemus, deſponſæ nobis per Chriſtum ſalutis, quam negare non poſſit, priuato diplomate in Chriſti carne notis purpureis exarato, & quinque ſignaculis ſacrorum eius vulnerum obſignato. Quod ſi ſignaculum vnicum circumciſionis, in carne inquinata filiorum Abrahæ, valuit ad commonendum Deum fœderis ſui, ne redemptorem & Medicum animarum ex eo ſemine dare prætermitteret, vt ſe daturum receperat: quantò magis miſericordiæ memor erit, oſtentato chirographo ſuo, tot communito ſigillis? Elegans eſt Ruperti ratiocinatio lib. 12. de victor. verbi Dei cap. vltimo; quam haud fruſtra adſcribam. [Dicimus (inquit,) cum Apoſtolo, & dicentis Apoſtoli ſenſum intelligimus, quia pater Abraham accepit, & poſteris ſuis tradidit ſignum circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei. Crediderat enim, vt fidelis, Deo dicenti; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, cùm non haberet filium, iámque eſſet ſenex ipſe, & vxor eius annis & ſterilis. Magnæ rei teſtimonium, magnum illa circumciſio erat fidei ſignaculum, & magnæ iuſtitiæ palmam, ipſi & poſteris eius declarabat ante Deum, ſuæ promiſſionis commonefaciens eum, ne vnquam offenſus vndelibet, ſubterfugeret dare ſemen, in quo benedicerentur omnes gentes, dum ſignaculum illius promiſſi commonitorium videret, fidelémque ac veracem ipſum eſſe, diceret. Ecce autem plura hìc ſignacula, ſignacula iuſtitiæ ac fidei, ſcilicet plagæ quinque, quas pro conditione ſalutis humanæ iſte vir obediens ſuſcepit, vir iuſtus & fidelis. Pro conditione, inquam, ſalutis humanæ, quia profectò talem conditionem propoſitam ſibi, Propheta non neſciabat dicens. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Nónne igitur nobis poſteris eius, iure palmam iuſtificationis & ſalutis, ſiue ſaluationis iuſta diuinitas concedit, cùm videas non vnum carnis ſignaculum, aut ſignaculi iuſtitiæ vulnus, vt fuit vulnus circumciſionis, ſed quinque vulnera iuſti vapulantis, quicquid quinque ſenſibus ſuis noſtra caro deliquit. Nam ſignacula hæc iuſtitiæ, vel fidei, nos in baptiſmo ſuauiter ſuſcepimus, quæ ipſe pœnaliter ſuſcepit: & ſicut cùm vnius ſignaculi, ideſt, circumciſionis teſtimonio expectabatur ad redimendos homines venturus; ita nunc à nobis cum quinque plagarum, ideſt, crucis frontibus noſtris impreſſæ ſignaculo, expectatur, ad iudicandum viuos & mortuos rediturus.

Multò plura agnoſcit ſigilla Rupertus munientia bullam imputribilem liberationis noſtræ (vt loquar cum Arnoldo Tract. 1. de ſeptem verbis Dom.) quàm agnouerit creditus Cyprianus ſerm. de paſſion. Dom. qui plagam lateralem pro ſigillo firmante chartam indulgentiæ nobis conceſſæ proponit. Videtur tamen Ruperto accedere Gaufridus Vindocinenſis lib. 1. epiſtol. 7. admittens manus quoque Chriſti, atque adeò etiam pedes, chartam libertatis noſtræ & ſalutis obſignaſſe ſigillis. Quæ ſpectant ad hæc ſacra ſigilla prout ita rediuiuo Chriſti corpore ſeruata, excutientur infrà c. 16. cum ſermo erit de ſtigmatibus in patria.

His pridem conſcriptis atque recognitis incidi in Opus Bartholomæi Amici de ſacris Chriſti plagis, quo per tres libros piè & fructuosè de his ſacris ſtigmatibus meditandi viam aperit. Eum adeat, ſi cui ieiunior hac parte videatur iſta tractatio, de fructu ex nidulatione in his petræ foraminibus. Ego abeo, ſi Chriſtum his ſtigmatis notatum & quinis confixum plagis, fuiſſe reipſa dixerim, quod Auſonij Poëtæ ingenioſo commento *amor confixus & cruci conclauatus*. Reuera enim prodidit ſe Chriſtus in horum ſtigmatum ſubitione, Amorem noſtrum. Ex quo viciſſim Saluianus l. 4. de prouid. egregiè infert cuiuſmodi magnes amoris noſtri in his ſtigmatibus exhibeatur. Amor ſanè Chriſtum ſic confixit, & frigidiſſimus ſit qui ſic amantem redamare ſaltem nolit. Amor Chriſtum redegit in hunc ſtatum. Id quod ex Chriſti ipſius perſonâ non ineleganter expreſſit Marcus Antonius Natta.

Huc me felici deſcendere iuſſit Olympo
Huic me non vno vulnere fixit amor.
Fecit amor, caput vt ſpinarum ſcinderet orbis,
Pectus vt hauriret lancea, fecit amor.
Solus amor de me potuit perferre triumphum:
Ille pedes clauis fixit, & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige: Pro tantis ſat mihi ſolus amor.

Benè quod amorem de Deo triumphantem agnoſcit. An reſpexit ad illud à Lactantio recitatum de Ioue iuxta Ethnicos per amorem catenato & in triumphum abducto? Sed hoc illi fabuloſè. Nobis

bis verus Deus, ex amore intra Virginis vterum conceptus, inter homines pauperis ſpecie diuerſatus, in Cruce clauis confixus, & vt Diabolum carnemque, ac ſæculum triumpharet, triumphatus. O charitatem! ô amorem! ô gratiam! exclamat iure Bernardus. Hanc fideiuſſoris noſtri gratiam, ne vnquã obliuiſcamur, retinuit poſt reſurrectionem hæc ſtigmata in corpore ſuo Chriſtus Dominus, præter alias tres cauſas quas Theodulphus Aurelianenſis l. 6. can. 11. (quod eſt de hoc argumento,) propoſuit. Nihil ſanè ad oppignerandam gratitudinem & piam recordationem mortalium, occurrere poterat opportunius obiectu horum ſtigmatum, quæ S. Auguſtinus ſerm. 179. de temp. ſcitè vocauit *foraminum cruenta monilia*, de quibus plura in quem his pridem editis incidit Gulielmus Vvaël in Opere de Chriſti vulneribos.

CAPVT V.

De ſtigmatibus B. Pauli.

PRofeſſus Apoſtolus ad Galat. 6. nullam ſibi eſſe gloriandi, præterquàm in Chriſto materiam, ſubtexit; *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: Ego enim ſtigmata Domini I E S V, in corpore meo porto.* Quæ, & cuiuſmodi ſint hæc ſtigmata, conſiderandum eſt. Nimis enim generatim Iacobus Gretſerus l. 1. de cruce cap. 40. ait hæc ſtigmata aliud non fuiſſe, quàm notas & ſymbola Chriſti crucifixi, cuius ſeruus erat Apoſtolus. Proferamus ergo aliquid diſtinctius.

Fuerunt qui S. Paulo tribuerent ſtigmata Chriſti, qualia poſtea accepit S. Franciſcus, vt refert Molanus l. 3. de picturis c. 43. Sed hoc cum nullo idoneo fundamento dicitur, nec vt idem Author coniectat; aliâ fortaſſis de cauſâ excogitatum, quàm ne decus ſacrorum Chriſti ſtigmatum, eſſet B. Franciſco ſingulare. Sanè verba prolata ex c. 6. ad Galat. non cogunt ſtigmata de quibus agimus in S. Paulo agnoſcere, vt benè monuit S. Antoninus p. 3. hiſt. tit. 24. c. 1. §. 3. alioqui æquè dicendum eſſet, S. Paulum fuiſſe crucifixum, cum ipſe quoque ibidem, ſe crucifixum pronunciet. Aliud genus verorum ſtigmatum in Apoſtolo; conîicit Gaſpar Sancius in c. 44. Eſaiæ num. 14. & fauet Cornelius Ezech. 9. ad verſ. 4. nimirum quod in corpore inuritur impreſſo ferro, qualia erant ſtigmata militum, Imperatoris nomine nouatorum. Sic enim Apoſtolus, ferro inuſtum in corpore ſuo nomen IESV, præferre potuit. Fateor præferre potuiſſe, ſed quod reipſa prætulerit, vnde habetur? Alia ergo ſtigmatum Apoſtoli, exquiſitio quærenda eſt.

Excludenda autem in primis videtur illorum ſententia, qui ſtigmata Chriſti ab Apoſtolo in corpore ſuo portata, accipiunt de ſolis anguſtiis internis atque mœroribus, quos beata illius anima, immenſis molibus excepit: *portari* enim *in corpore*, innuit aliquid materiale, & extra animam. Ac ne ipſi quidem labores corpore excepti, ſed nullam relinquentes certam notam impreſſam, ſatis aptè exprimi poſſunt, nomine ſtigmatum ab Apoſtolo in corpore ſuo portatorum. Nam tametſi S. Paulus in tot itineribus quæ pedes confecerat, & in tam indefeſſo concionandi ac ſcribendi labore, corpus attriuerat; tamen nemo inde dixerit ſtigmata ab aliquo in corpore ſuo portari, quod talibus actionibus corpus attenuauerit. Eorum ſiquidem actionum vi, malè afficitur corpus vniuerſum indiſtinctè. At ſtigmata, certis tantùm partibus impreſſas notas ſonant, vt apertè fert propria notio vocabuli.

Itaque non video, vnde S. Auguſtinus in calce expoſitionis Epiſtolæ ad Galatas, hauſerit eam ſtigmatum notionem, quâ perpeſſio quælibet ob culpam irrogatam, vocatur *ſtigma*. Tractans enim locum propoſitum, *De cætero nemo mihi moleſtus ſit*; [Non vult (inquit,) per turbulentas contentiones tædium ſibi fieri, de re, quantùm ſatiarat, expoſitâ, & in epiſtolâ, quam ad Romanos ſcripſit, & hâc ipsâ. *Ego ſtigmata Domini Ieſu Chriſti in corpore meo porto:* ideſt, habeo alios conflictus & certamina cum carne meâ, quæ in perſecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur, notæ quædam pœnarum ſeruilium: vt ſi quis, verbi gratiâ, ſeruus in compedibus fuerit propter noxam; id eſt, propter culpam, vel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur: & ideò in iure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis. Nunc ergò Apoſtolus *ſtigmata* voluit appellare, quaſi notas pœnarum ex perſecutionibus, quas patiebatur. Propter culpam enim perſecutionis, quâ perſecutus erat Eccleſias Chriſti, hæc ſibi tribui cognouerat. Sicut ab ipſo Domino dictum eſt Ananiæ, cùm idem illum Ananias tanquam perſecutorem Chriſtianorum formidaret. *Ego illi oſtendam*, inquit, *quæ oporteat eum pati pro nomine meo.* Veruntamen propter remiſſionem peccatorum in quâ baptizatus erat, omnes illæ tribulationes non ei valebant ad perniciem, ſed ad coronam victoriæ proficiebant. Non video (vt dixi,) vnde hæc *ſtigmatum* notio ſit petita. Quis enim dixerit inuſta eſſe ſeruo ſtigmata, ſi tantùm ſit coniectus in carcerem? Præterquàm quod Apoſtolus loco allegato, nulla ſua peccata commemorat, quibus ſuas vexationes attribuat; quæ tamen eſt notio ſtigmatibus Apoſtoli ſubiecta à S. Auguſtino. Neque tamen diſſimulare velim, videri Nyſſenum eidem notioni ſuffragari hom. 12. in Cant. cum agens de Sponſæ plagis, ait; [Paulus ipſe huiuſmodi plagis notatos verbere, exultans ob hæc vulnera, inquit. *Stigmata Chriſti meo in corpore circumfero.* Quibus verbis indicare voluit imbecillitatem in omni malo ſuam, per quam Chriſtus vis in virtute perficitur.

Occurrit alia eorundem Pauli ſtigmatum expoſitio, quæ videtur crediti Anſelmi in cap. 6. ad Galat. ſatis genuina, necdum tamen explens animum. Poſſit igitur quis exiſtimare, Apoſtolum verbis propoſitis nihil aliud ſignificaſſe voluiſſe, quàm ſe profiteri ſeruum Chriſti. At ſeruorum proprium erat, notas aliquas inuſtas geſtare, vnde *inſcripti* & *literati* dicebantur. Eámque ob cauſam, qui ſe alterius ſeruum profiteri velit, non incommodè id præſtiterit, ſi ſe inſcriptum & ſtigmatibus eum præferentibus notatum dixerit, alluſione factâ ad vſum antiquum, tametſi iam abierit in deſuetudinem. Affine eſt quod notabam in Opere de Martyrio p. 3. cap. 6. num. 8. de nominibus quibuſdam in Scriptura vſurpatis; etiamſi procedente tempore, notio non quadret omnino vocis cui initio ſubiecta fuerat. Sic vox *Eunuchi*, quæ primò euiratis tantùm quadrabat, & idcirco ad deſignandos gynæceorum & regiam aularum excubitores vſurpabatur: poſtea extenſa eſt ad ſignificãdos quoſcunque eodem munere diſtentos, etiamſi

etiamſi viros, & coniugio illigatos vt videre eſt Geneſ. 39. Similiter quæ olim *excelſa* dicebantur, à ſitu in montibus, non deſierunt *excelſa* appellari à primo vſu, quamuis poſtea collocarentur in vallibus. Eodem loquendi modo S. Hieronymus in vita Hilarionis, ait tumulum S. Antonij fuiſſe occultatum, ne Pergamus ſublato Sancti corpore, Martyrium fabricaretur; vbi *Martyrium* dicitur, quoduis templum, ab vſu antiquo templa non niſi in honorem Martyrum conſtruendi. Bellè in hanc rem diſſerit S. Chryſoſtomus homiliâ 7. additiiâ in Geneſim tom. 2. Græcol. *pag. mihi* 922. Extra Scripturas & ſacra volumina, idem vſurpari videmus ab aulicis, vel aulæ mores redolentibus. Ad omnem enim occurſum eorum quos demereri volunt, profitentur ſe eorum mancipia, *ie ſuis voſtre eſclaue*, alludentes ad priſcum vſum ſeruitiorum: cum tamen certum ſit nihil magis ab eorum mẽte abhorrere, quàm verè ad conditionem mancipiorum deiici. Ex conſimili ergo locutionis formula, videri poſſet veriſimile, Apoſtolum vt ſe Chriſti ſeruum profiteretur, dixiſſe ſe ſtigmatis notatũ & inuſtum, alludendo ad antiquas notas ſeruorum, quamuis nullas tales in corpore ſuo notas geſtaret. Hæc ſtigmatum Apoſtoli interpretatio, poſſet videri ſatis genuina, niſi addidiſſet ſe Chriſti ſtigmata geſtare in corpore ſuo. Nam hic modus loquendi, plus denotat quàm verbalem profeſſionem ſeruitutis, & delationis obſequij; neutra enim reuera eſt, vel aptè dicitur geſtatio ſtigmatum in corpore profitentis vel deferentis.

Mihi itaque hærendum videtur in eâ expoſitione ſtigmatum Apoſtoli, quam plerique antiquorum aſſignauerunt, tametſi duntaxat vt inadæquatam, vt mox dicam. Exiſtimo ergo, Apoſtolum Iudæis ac Iudaizantibus illi paſſim obſtrepentibus, ac quærentibus, Moſiſne an Chriſti partiarius ac ſeruus eſſet, reponere; deinceps nemo tale quippiam à me exquirat. Plagæ enim quarum notæ corpori meo impreſſæ viſuntur, ſatis ſuperque teſtatum faciunt, cui adhæream; Chriſto nimirum, in cuius gratiã inuſtus ſum tot vibicibus, relictis ex trinâ virgarum perpeſſione, & quinquies repetitâ vndequadraginta plagarum impactione. Quis enim dubitet; vibices & cicatrices, corpori Apoſtoli ex tot & tam acerbis flagellationibus inhæſiſſe; Oſtentabat ergo Apoſtolus ſuas illas pro Chriſto notas, in ſignum addictæ Chriſto ſeruitutis; quia vt benè perpendit Caietanus ad Galat. 6. vibices benè reſpondent ſtigmatibus, in ſeruorum corpore ex ferro inuſto impreſſis: atque adeò benè exhibent profeſſam ſeruitutem: & qui tales notas pro Chriſto excepit, non minùs illis gloriari poteſt, quàm ſoleant probati milites gloriari apud Reges ſæculi, oſtentatis veſtigiis vulnerum in eorum gratiam exceptorum, etiamſi iam non hiantium & obductorum. Sic M. Manlius Capitolinus apud Liuium lib. 6. prodiit in forum, oſtentans vulnera in Reipublicæ gratiam excepta. Et vt profanis exemplis in re ſacra addenſandis abſtineam, S. Theodorus Studita, vt Michaël eiuſdem Studij Monachus in eius Actis prodidit, notas corporis ſui ab impiis Iconomachis irrogatas, oſtentabat in Domino, veluti triumphales coronas. Idem ergo de vibicibus relictis ex plagis toties exceptis, fecit Apoſtolus verbis allegatis. In quam interpretationem, dicebam conſentire pleroſque antiquorum, ſed ferè adiungendo vibicibus & cicatricibus reſiduis ex plagarum impactione, tribulationes & preſſuras omnis generis, quarum ipſe Apoſtolus 2. Cor. 11. catalogum texit, ea eloquentiæ maieſtate, vt S. Auguſtino admirationem mouerit l. 4. de doct. Chriſt. c. 7. Atque ita vibices & cicatrices plagarum pro Chriſto irrogatarum, non eſſent niſi adæquatè & ex parte ſtigmata, quæ Apoſtolus portari abs ſe in corpore ſuo profitebatur. Sed verius videtur, ea Pauli ſtigmata prædictis vibicibus & cicatricibus adæquatè contineri, vt ex antedictis conſtare poteſt.

Fauet Haymo c. 6. ad Galat. verbis illis. [B. Apoſtolus ſtigmata ſiue notas ferebat quæ pro Chriſto ſuſtinuerat, quia adhuc plagæ virgarum & lacerationum in corpore eius parebant, & quomodo catenis fuerat aſtrictus & per plateas tractus.] Nec videtur refragari Philo Carpathius ad illud Cant. 1. *murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, ipſe legit, *cum variis notis argenti*. Præfatus ergo, vt aurum probatur igne, ſic & Chriſtianorum vitam igne tormentorum & ærumnarum tolerantia probari, quandoquidem benefacere & mala pati, Chriſtianorum eſt. Hæc inquam præfatus Philo ſubdit *notas argenti ſiue puncta & ſtigmata*, eſſe appoſita poſt aurum, vt ſignificetur locum illum in Martyres cadere. [Quæ quidem ſtigmata ac notæ, flagella ac tormenta pro Chriſto IESV paſſorum, apertiſſimè declarant. Quod & Paulus confirmat, cum dicit; *Ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti, in corpore meo porto.*] Quod Paulus reſpexerit, ad liuorem & vibices corporis ſui per flagella vltro aſſumpta, nihil eſt quod ſuadeat; tametſi Paulum genus illud piæ in ſeipſum ſæuitiæ nauiter adhibuiſſe, conſtare videtur ex 1. Cor. 9. vbi ait, *Caſtigo corpus meum*. Verbum Græcum ὑπωπιάζω, propriè ſignificat *liuidum verberibus facio*, atque *contũdo*, vt benè contra Budæum in annot. ad Pand. l. Athletas ff. *de iis qui not. infam.* à Caluino quoque, ad eum Pauli locum, iure reprehenſum, affirmat Petrus Faber l. 3. Agoniſt. c. 13. & 14. qui tamen cum Caſſiano l. 1. de inſtit. c. 18. & aliis quibuſdam vt Iuſtiniano ad hunc locum Pauli, non nihil incommodè eam contuſionem & liuefactionem, diſtorquet ad macerationem per ieiunium; cum maximè genuina & per ſe fluens notio, ad verberationem ſpectare videatur. Nam ὑπωπιάζειν, propriè eſt *verberare*. Eſt enim verbum pugillaticium. At pugiles concertantes, non ſe macerant per ieiunium, ſed inuicem pugnis in os ductis & cæſtibus impactis. Et ita accipiendum eſſe locum Pauli, affirmantis ſe corpus ſuum caſtigare, rectè demonſtrat Gretſerus l. 1. de Diſcipl. c. 4. Commoniſſima quippe lectio in Græcis Codicibus, habet ὑπωπιάζω, quod (vt præmiſi) ſonat contuſionem per ictus impactos. Eſt enim quod iam monui, verbum pugillaticum. At pugilum vſus fert ſe contundere ictibus impactis faciei. Scio vetuſta quædam exemplaria Græca, legere ὑποπιάζω, quod ſignificat *deiectum ſeu ſubactum premo*. Quo recidit alia lectio apud Clementem l. Strom. 3. & Nazianzenum. orat. 1. & 16. in aliquibus codicibus. Habent enim ὑποπιέζω, id eſt *deiectum opprimo*, ſi tamen eſt lectio ſana. Nam Elias ad eam orationem 1. legit ὑπωπιάζω, & exponit de pugna aduersùs corpus ὑπώπια quippe dicuntur vulnera infra oculos inter pugnandum excepta ab aduerſario. Vt vt ſit, deiecti oppreſſio recidit in ſenſum quẽ facit vulgata vox, & æquè præfert corporis ſubactionem,

nem, ab Apoſtolo ſibi timente adhibitam, ſic ipſe teſtatur 1. Cor.9. Quamuis igitur Paulum corpus ſuum ictibus flagellorum fuiſſe luridum, (vt ſaciunt athletæ partes concertantium quæ ad oculos ſunt, notis inurendo per pugnos impactos,) ſit longè veriſimillimum; hæc tamen non ſunt ea ſtigmata quæ Paulus ſibi ab hoſtibus Chriſti Iudæis, propter Chriſti prædicationem inuſta, oſtentabat in ſignum quod Chriſto inhæreret. Huiuſmodi enim vltroneæ vexationes & contuſiones corporis, potiùs celantur alios, quàm oſtentententur.

CAPVT VI.

Stigmata SS. Martyrum, & priſcorum in causâ fidei Confeſſorum.

NEminem latet, quàm multis Sanctorum, pro Chriſti nomine impreſſa ſint ſtigmata, ſiue per atroces flagellationes, ſiue per corporis inſulcationem ab vngulis, ſimilibúſve inſtrumentis, aut per admotas illis ferreas ſubulas aut forcipes, vel exaratas candenti ferro facies, aliáſve partes ſeruili more notatas; ac denique per claufixionem in cruce quæ mors pleríſque olim ſeruis propria, multis SS. Martyribus eſt irrogata. Nam vt benè monuit Laurentius Pignorius l. de ſeruis *pag.* 115. omnia quæ priſci Chriſtiani dura & indigna patiebantur; à ſeruorum cruciatibus in illos trahebantur. At ſeruos ſtigmatis inuri ſolitos, indéque *ſtigmatias* dictos, variis item modis transfixos notius eſt quàm vt moneri oporteat.

Conſideranda ergo veniunt ſtigmata ſacris Chriſti Pugilibus impreſſa modis prædictis. De quibus hæc ſunt Sancti Ephrem verba orat. in omnes SS. Martyres. [Terga in lororum dederunt ſectiones, & in varias fibrarum atque medullarum conciſiones. Ideóque impij Tyrannorum miniſtri, quod ſanguinarij & parricidæ eſſent, arreptos ſanctos flagris diuellebant, vngulibus autem latera acriter dilacerabant, poſtea plumbatis dorſa ipſorum, atroci animo crudeliter contundebant: pectoris verò iuncturam acutis veruculis, infrementes atque rugientes, truculentarum ferarum inſtar, diffindebant, & eorum axillis globos ignitos admouentes, magna eos crudelitate adurebant. Crura ac femora cum neruis, enſibus præcidebant, venarum autem fiſtulas cultris diſcindebant, & membrum vel vnum ſine tormento atque ſupplicio non relinquebant.] Satin' ſtigmatum ex tam multiplici perfoſſione corporum ſanctorum? Sed dicamus nonnulla diſtinctiùs.

Ac primùm quod dixi de notis ex diritate flagellationum atrocium, gloſsâ non eget: præſertim ſi recolantur certa quædam flagella, quorum quotidianus erat vſus in Chriſtianorum cruciatibus. Diſſerit de huiuſmodi & aliis cruciatoriis inſtrumentis, Galonius iuſto opere, & variis occaſionibus Baronius in Notis ad Romanas Sanctorum Tabulas, in quibus ſæpè occurrit mentio ſcorpionum, & plumbatarum, aliarúmque virgarum quibus dirè flagellati erant Chriſti Pugiles. Et ſcorpiones quidem, cum de cruciatibus agitur, alij ſunt ab iis quorum mentio eſt circa agrorum terminos, iuxta illud Siculi Flacci de condit. agror. [Congeries lapidum pro terminis obſeruant, & *ſcorpiones* appellant.] Vtique quia prohibent vlteriore progreſſione. Quamuis autem plerique SS. Martyrum ſint lapidibus obruti, tamen alius fuit cruciatus eorum qui ſcorpionibus diuexati dicuntur. Audi de hoc cruciatu S. Iſidorum lib. 5. Origin. cap. 27. [Virga ſi eſt nodoſa vel aculeata, *ſcorpio* receutiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.] Quomodò *recentiſſimo nomine*, cum 3. Reg. 12. mentio ſit huiuſmodi flagellorum in illâ populi per ſtultum Regem allocutione, *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus?* Pradu Ezech. 2. in eundem ſenſum accipit illud. *Fili hominis, cum ſcorpionibus habitas.* Sed liquere puto, hunc locum, de ſcorpione animali, non de flagello eſſe intelligendum. Legendum ergo potiùs videtur apud Iſidorum, vt in quibuſdam Codicibus habetur, *rectiſſimo*, id eſt appoſitiſſimo nomine. Vt-vt verò ſit de *ſcorpionum* nomine, quoad rem ipſam virgæ quibus ſcorpionis nomen inditum eſt, multò ante S. Iſidorum adhibitæ ſunt ad cruciandum, éſtque genus flagelli quale S. Iſidorus deſcribebat, donatum *ſcorpionis* nomine, à figurâ quâ refert caudam ſcorpionis animalis, obliquo & inflexo ictu ferientem, vt ait Plinius lib. 11. cap. 27. Quod exprimens ex Plinio, vt alia pleraque, Tertullianus ferè initio ſcorpiaci. Vnus (inquit,) omnium violentiæ geſtus de caudâ nocere: quæ cauda erit quodcunque de poſtremo propagatur & verberat. Proinde ſcorpij ſeries illa nodorum, venenata intrinſecùs venula ſubtilis, arcuato impetu inſurgens, hamatile ſpiculum in ſummo tormenti ratione reſtringens. Vnde & belliceam machinam retractu tela vegetantem, de ſcorpio nominant. Id ſpiculum & fiſtula eſt, parula tenuitate in vulnus, & virus quâ figit, effundit.] Plinius lib. 7 cap. 56. teli miliaris meminit à Cretenſibus excogitati, quod *ſcorpionem* item dixerunt. Hinc flagelli de quo agimus, forma & vis ad ſtigmatis impreſſionem, perſpicua eſſe poteſt. Videſis inſuper Malonium ad cap. 18. Paleoti de ſacra ſindone num. 8. & Aldrouandum lib. 5. de inſectis cap 11.

Æquè infigebantur corpori, & ſtigma imprimebant virgæ palmeæ, quibus ſæuitum eſſe in Catholicos Alexandrinos, ſcribit S. Athanaſius in Apologiâ de fugâ ſuâ. Et videntur hæ ipſæ fuiſſe virgæ, quibus Vandalos graſſatos eſſe in Catholicos, ſcribit his verbis Victor Vticenſis lib. 1. de perſecut. Vandal. [Iubet (Gerſericus,) in modum ſerrarum fuſtes robuſtos veluti palmatos cum ſtirpibus fieri, qui quatientibus tergis, non ſolùm oſſa confringerent, ſed etiam terebrantes aculei intrinſecùs remanerent.] Caue his palmatis fuſtibus, correptos cenſeas, qui interdum palmatis cruciati referuntur. Eſt enim *palmata* aliud genus ſupplicij, quod Petrus Damiani Epiſtolâ ad Petrum Monachum, exponit de violentâ manus ad terram alliſione. Baronius autem anno 1055. accipit de ſubiectione manus ad impactam ferulam. Quæ duo ſupplicia, longè differunt à flagellatione per virgas palmeas. Et longè etiam ab eo ſupplicio differt, verberatio per impactionem palmarum in genas, quæ nullum, vel breuè diffluens ſtigma imprimit. Inde Bleſenſis ſerm. 3. & 18. *expalmatum*, & ſerm. 24. *palmatum* dixit, eum qui ſic verberatur. Non hîc eam duntaxat flagellationem è palmeis virgis attendimus, quibus cæſi corpus conſcindebatur, & ſtigma ſtabile imprimebatur. Conſciſſum dixi flagellatum aſperiùs, imi-

tatione Poëtæ, cuius illa ſunt Ode 4. Epodon.

Sectus flagellis hic triumviralibus,
Preconis ad faſtidium.

Agit de Mæna, ſeruilibus verberibus publicè affecto, præcone ſuper ipſam flagellationem, cauſam pœnæ iterante, vt fuſiùs proſequitur Petrus Faber lib. 2. ſemeſtr. cap. 6. Ea conſciſſio, ſtigma imprimebat minimè euanidum, niſi ſi interdum raro prodigio, vt eſt in Actis S. Eraſmi Epiſcopi & Martyris, euaneſcebant diuino miraculo omnia ſtigmata & notæ omnes atque vibices è quantâuis diritate flagellorum. Ex naturâ rei tamen, ex huiuſmodi carnificinâ & conſciſſione imprimebatur ſtigma.

Perſpicuum eſt, idem feciſſe arundines acutas vultui S. Matræ infixas, vt eſt apud Euſebium 6. hiſtor. c. 34. & apud Nicephorum lib. 5. cap. 30. Necnon arundines S. Beniamino Diacono per vngues manuum ac pedum infixas, & per membrum genitale, præter virgam robuſtam, craſſam, ſpinoſam, & denſos vndecunque ramorum vncos præferentem, per alui ſedem traiectam vt ſcribit Theodor lib. 5. hiſtor. c. 38. & Nicephorus lib. 14. cap. 20. Fruſtra monerem, ſtigma quoque, impreſſum fuiſſe per clauos ignitos, quibus transfixa martyribus tempora; vt factum eſt SS. Victorino & Tuſciano, de quibus Mombritius volum. 1. Necnon per cauterem, quem *ſtridulum* dixit Prudentius *in Romano*, conferens febrem æſtuoſam, cum ignibus qui admouebantur Martyribus. *Credas* (inquit) *cremari ſtridulis cauteribus.* Et erant profectò valdè ſtriduli; cum per ſe ex ignitione, tum ex adiunctâ ſalsâ aſpergine, vel aruinæ fuſæ ſuperjectione. Audi Prudentium in Vincentio.

Subter crepante aſpergine,
Scintillas excuſſus ſalis;
Punctiſque feruens ſtridulis,
Sparſim per artus figitur.
Aruina poſt hinc ignenm,
Impreſſa cauterem lauit:
Vis vnde roris fumidi
In membra ſenſim liquitur.

Imprimebat ergo ſtigma cauter impreſſus, cumulantibus dolorem feruentibus illis aſperginibus, exquiſitè cruciantibus. Sunt eiuſdem planè rationis laminæ igneæ, quas ſæpè admotas SS. Martyribus, ſuppetunt multa teſtimonia. Illudque imprimis apud Euſebium l. 5. hiſtoriæ c. 1. de Sancto Diacono cui [ad extremum laminas æneas feruentes & ignitas, tenerrimis membris affixas] prodit. Sanctus item Cyprianus l. de laude Martyrij. [Corpus (inquit) extremum candentes ſtridet ad laminas.] Præterea Prudentius hymno de S. Romano.

Nec multa laminis ardet cutis.

Et hymno de S. Vincentio.

Stridénſque flammis lamina.

Idem præſtabat vngula corpus ſulcans. Deſcribit hoc cruciantis inſtrumenti genus Maloniuſ ad c. 18. Palæoti de ſacrâ ſindone num. 8. exiſtimátque fuiſſe inſtrumentum tortorium è duobus ferreis vectibus compactum, qui interuentu ferrei claui mediante, conſtringi ac dilatari poterant, non ſecus ac forcipes. Carnifex ergo vtroque huiuſcemodi vngulæ manubrio prehenſo manibus, & dentatam partem apertam membris admouens ſtringebat, ſicque interceptam carnem dirè concerpebat. Videri poteſt fauere S. Ephrem in laudat. SS. Martyr. memorans ferratarum vngularum dentes. Verùm hæc deſcriptio cadit tenera in forcipes, quo nomine Baronius ad Rom. Martyrologium 26. Iunij, meritò donat inſtrumentum tortorium in Baſilicâ Vaticanâ aſſeruatum, cui Antonius Galonius l. de Cruciatibus Martyrum cap. 5. & Daniel Malonius nomen *Vngula* tribuunt, vterque ſecutus vulgi vſum, in eius nominis aptatione ad illud inſtrumentum. Sed habet hîc locum, quod in alio argumento fusè monſtrat Bellonus lib. 1. obſeru cap. 2. oſtendens quàm ſint fallaces vulgi nomenclationes. Perperam igitur inſtrumentum de quo agimus, vulgò *vngula* vocatur, cum non ſit vngulæ ſtringere & intercipere carnem ad modum forcipis, ſed ſulcare, aut radere, vel effodere. Quemadmodùm enim feræ quædam alites, quibus vngues ſunt adunci, bino vel terno ſulco exarant & effodiunt faciem, aliúdve membrum cui imprimunt vngues, ita fuſcinula biſulca & in ſummo innnca, ducta violenter per corpus exarabat illud ſulco duplici, & à ſimilitudine vnguis auium rapacium impacto vngue ſæuientium, *vngula* denominabatur, & effodere, eradere, ſulcare corpus, non ſtringere dicebatur. Appendo pauca teſtimonia. S. Cyprianus epiſtol. ad Donatum. [Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt: vngula effodiens latera & deradens.] Et l. de lapſis. [Sed cum duriſſimi Iudicis recrudeſcente ſæuitiâ, iam fatigatum, nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet.] Similiter Tertullianus cap. 12. & 30. Apolog. vngulis deradi ac fodi dixit latera Chriſtianorum. S. Hieronymus epiſtol. 49. [Cum liuidas carnes vngula cruenta pulſaret, & ſulcatis lateribus dolor quæreret veritatem.] Syneſius epiſtol. 44. [Spatalum illum minimè delicias agere oportebit: ſed & vincietur, & ſuſpendetur, & latera fodietur. Muifici enim ad conuincendam ſimulationem ſunt carnifices, & vngues quidam ab illis excogitati ſunt eâdem vi prædit, quâ ſcientiarum ratiocinationes ac ſyllogiſmi. Vnde quicquid præualentibus iis elicitum fuerit, idipſum certiſſima veritas eſt.] S. Auguſtinus epiſtol. 158. [Quando tantorum ſcelerum confeſſionem, non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis eruiſti.] Prudentius in hymno de S. Vincentio.

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus vngula,

Et hymno de S. Romano.

Amor corona penè præuenit trucem
Lictoris artem, ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis execandas vngulis.

Rurſus ibidem inferiùs.

Scindunt vtrumque milites teterrimi,
Mucrone bulco penſilis latus viri
Sulcant per artus longa tractim vulnera
Obliqua rectis, recta tranſuerſis ſecant.
Et iam retectis pectus albet oſſibus.

Et inferiùs.

Non vngularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulſat pleureſis.

Tandem in Hippolyto.

Vngula fixa cauis coſtarum cratibus, altos
Tundere receſſus & lacerare iecur.

Ex his ergo teſtimoniis ſatis liquere videtur, notionem quàm vngulis ſubiecimus, eſſe genuinam, & verè per eas fuiſſe impreſſum ſtigma.

Multa in eiuſdem notionis confirmationem adducunt

docent Gotofredus ad l. *ſi virgis*, C. de emendat. ſeruor. & Iacobus Doraotius lib. 1. variar. cap. 15. qui eodem referunt quod ibi Conſtantinus edicit, reum cenſendum homicidij herum, ſi dilaniauerit pœnis publicis ſerui corpus, ferarum vnguibus latera perſecando. Quod enim hic locus non pertineat ad eos qui damnabantur ad beſtias, inſinuatur ex laterum perſectione quæ vngularum ferrearum eſt propria. Paſſim enim latera diuexari vngulis dicebantur, & perſecari vel effodi, aut deradi, cum ij qui damnabantur ad beſtias, quâ impetus ferebat & truculentia ferarum, primùm impeterentur, tum vniuerſo corpore lacerarentur. Dicebantur autem vngulæ ferreæ, *vngues ferarum*, vel vt alibi legitur, *veſtigia ferarum*, quia *vngula* ferrum erat in ferarum veſtigiorum & vngues compactum, quo qui cruciabantur, mulctati vnguibus dicuntur ab Ammiano lib. 14. Ab hâc deraſione laterum vngulas dictas eſſe Prudentio raſiles ſcopolos, ait ſuprà Durantius, qui de iiſdem ſcopulis egiſſe cenſet Tertullianum l. de anima c. 33. vbi inter horrendorum criminum ſupplicia, numerat patibula, viuicomburia, culleos, vncos, ſcopulos. Ægrè tamen adducor vt credam, Tertullianum ſcopulos dixiſſe vngulas, cum poſſit facilè accipi de coniectione in marinos ſcopulos. De quibus etiam locutus videtur Prudentius, cùm in S. Eulaliæ hymno, inducit piam Virginem, increpantem Ethnicos, quod perderent præcipites animas, & malè prodiga corda ſui, ſternerent ſaxilibus ſcopulis, Omnipatrem negantes Deum. Si tamen adiuncta pacerentur, non incongruè qui vexabatur vngulis, diceretur vexatus *raſilibus ſcopulis*, quia vngulæ radebant & veluti ſcopebant corpus cruciatij: ita vt ſermo eſſet, non de ſcopulis genere maſculino, ſed fœminino. A ſcopis enim *ſcopulas* diminutiuam vocem ducere, nihil prohiberet. De vngulis, pro inſtituto, ſatis.

Idem porrò erant cum vngulis *fidiculæ*, aliquoties in Actis SS. Martyrum ac Martyrologiis memoratæ. Sic dictæ quaſi *fodicula* aut *findicula* quod vtrumque præſtant vngulæ. Quamuis enim aliter de fidiculis ſtatuant Turnebus lib 4. aduerſ. cap. 3. & Sigonius l. 3. de Iudic. c. 18. Lipſius ad Senecam l. 3. de ira cap. 3. ac Petrus Aſſoia ad vitam S. Irenæi c. 5. tamen aſſentior S Iſidoro, cuius illa ſunt l. 5. Orig. c. 27. [*Vngula* dictæ, quod effodiant. Hæ & *fidicula*, quia his rei in equuleo torquentur, vt fides inueniatur.] Ex hoc Iſidori loco, & ex veteri Gloſſario, firmat noſtram ſententiam Durantius lib. 1. variar. cap. 15. Prudentius apertè videtur aſtipulari, hymno de S. Romano, ſic inducens loquentem Aſclepiadem Iudicem.

> *Vertat iſtum carnifex*
> *In os loquentis, inquit maxillas manum,*
> *Sulcóſque acutas, & fidiculas transferat,*
> *Verboſitatis vt rumpatur locus.*

Nec ita multò pòſt, quas dixerat *fidiculas*, vocat *vngulas*. Ait enim de caraxatis, ſiue caraſſatis ſeu exaratis genis.

> *Implet iubentis dicta lictor improbus;*
> *Caraxat ambas vngulis ſcribentibus*
> *Genas:*

Fateor Suëtonium in Tiberio, aliter videri ſumpſiſſe *fidiculas*, necnon Valerium Maximum lib. 3. titulo de patientiâ cum de Theodoro. Sed quæ SS. Martyribus admotæ ſunt, non aliud fuere

quàm vngulæ. Et ita latè Galonius l. de Cruciatibus Martyr. cap. 3.

Ferreæ ſubulæ quarum poſteà memini, ſtigma quoque apertè infigebant. Eſt earum mentio in Actis S. Benigni Diuionenſium Apoſtoli 1. Nouemb. vbi aſſeritur Imperatorem iuſſiſſe pedes eius grandi ſaxo perforato immitti; adhibito ad confectionem plumbo liquefacto; digitis autem manuum eius, præcepiſſe infigi in longum calentes ſubulas acutiſſimas atque ita factum eſſe. Sed vix quicquã poteſt in hoc genere occurrere horribilius, quàm quod legitur in Actis SS. Clementis Ancyrani & Agathangeli c. 8. ſic enim ibi legitur de Agrippino, truculentiſſimo Præſide. [Iubet ſubulas valdè candentes, eis per medios vtriuſque manus digitos, ad ipſas vſque vlnas infigi. Atque illæ quidem, vt ille iuſſerat, athletis adactæ, theatro acerbum præbuere ſpectaculum; vt multi ne liberè quidem intueri poſſent, ſed propter triſtitiam eius quod cernebatur, humanis & clementibus confluerent oculis, effecere. Cum primùm enim ferrum carnes attigiſſet, illæ quidem veluti quendam primùm grauem ſibilum emiſere: Deinde purpurea quædam pinguedo, illinc deſcendens cum ſanguine, videbatur vim ignis extinguere, nidoréque & fumo implere aërem.] Exacerbato inde populo & ad eam feritatem horreſcente, [Agrippinus magis accenſus, & propter furorem impos mentis, iubet alias ſubulas, & ipſas quoque vehementer accenſas, ſub eorum axillis vſque ad humeros transfigi; quod quidem eis quoque magis auxit dolorem, & eis ſenſum longè immiſit acriorem.] Sed & Tarinchæ ſudes ferreæ erant; de quibus carni Martyrum infixis mentio eſt in Actis S. Quintini: Veru adacto transfixos aliquos meminit Sozom. lib. 5. cap. 8. Affine eſt & æquè ſtigma imprimit, ſupplicium graphij, cuius meminit Seneca lib. 1. de Clement. cap. 14. & Sueton. in Caio c. 28. Nam graphium, ſiue penoarius culter corpori infixus, manifeſtè imprimebat notam excarnificantem, vt S Caſſiano contigit à pueris quos erudierat; & Marco Arethuſio ab aliis pueris. Haud aliter Martyrea ſtigmatizabat terebratio, quam paſſa eſt S. Fauſta 12. Calend. Octobris. & idem inſinuatur in Actis SS. Virginum Fidei, Spei, & Charitatis. Poſſit huc quoque referri *ſtimuleum*, ſic dictum ſupplicium, quo fodicabantur Martyres non ſecus ac boues ab agricolis. Mentio eſt huiuſmodi cruciatus in Actis S. Ioſephi Martyris, vbi dicitur; perſecutores obeliſco longæ arundini alligato, Sanctum ſuppugiſſe. Prudentius quoque hymno de S. Hyppolito.

> *Iliáque infeſtis perfodiunt ſtimulis.*

Nec dubium quin aliquando impactio ſtimuli imprimeret ſtigma; nimirum cum erat eius penitior adactio vel repetitio frequentior, iuxta illud apud Comicum in Moſtellar. act. 1. ſce. 1. [O carnificium cribrum quod credo fore, ita te forabunt patibulatim per vias ſtimulis.] Et in Menech. act. 5. ſcena 5. continuatio ſtimuli fodientis, inuentatur per dies triginta. Quis neget, tam diuturna ſtimuli impactione impreſſum ſtigma?

Quæ apertiſſimè ſtigma imprimebat SS Martyribus, erat pœna *inſcriptionis* quâ egregios Chriſti ſeruos omnino multos, eſſe mulctatos extra dubiũ eſt. Erat enim criminoſis alicuius momenti

conſtituta, eſt pœna: Vnde cum Chriſtiani habe-rentur impij, mirum eſſe non poteſt, qui rei age-bantur Chriſtianitatis, ſic mulctatos eſſe. Inſinuaſſe id viſus eſt S. Cyprianus Epiſtol. 77. cum ſcribens ad SS. Confeſſores, ait. [Semitonſi capitis ca-pillus horreſcit. Sed cum ſit caput viri Chriſtus qualecunque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen, inſigne eſt.] Caput enim no-mine Domini inſigne, eſt frons initiali litera no-minis Chriſti inſignita. Quiſquis enim facinore aliquo ſe inquinarat, inurebatur fronti, notatus primo elemento vocabuli crimen eius præferen-tis, vt notauit Pancirolus l. 3. theſauri variæ. cap. 141. V.G. Kalumniatoris fronti inurebatur litera K initialis, in voce *Kalumnia*: Chriſtianis autem inurebatur litera X. nominis *Chriſti* prima, idque videri poteſt inſinuaſſe S. Cyprianus, affirmans quodcunque tandem ſit, quod in Confeſſoris Chriſtiani capite videtur, ac vel ſi taſura indecora ſeruilem & abiectum ſtatum denotans, perhono-rificam cenſeri debere, eo ipſo quòd eſt in capite prænotato Domini nomine ob inuſtionem. Com-minatus eſt eam faciei deformationem Ophioni & Gaudentio viris Clariſſimis, Theodoricus Rex Italiæ Arianus, vt eſt apud Boëtium de conſolat. proſa 4. Intulit verò reipſa hoc ſupplicium S. Fla-uiano Ex præfecto Iulianus Apoſtata, vt eſt in Tabulis Eccleſiaſticis Decemb. 22. Eadem pœna periluſtres in Oriente Chriſti Pugiles Theodo-rum ac Theophanem fratres, in odium Chriſti diuexauit Theophilus Iconomachus, renouans pœnam à Conſtantino Magno abolitam, eo re-ſcripto ad Eumelium quod legitur in Cod. Theodoſiano lib. 2. de pœnis. Ob eam namque aboliti iam ſupplicij renouationem, ea pœna in Actis prædictorum Sanctorum apud Metaphra-ſtem 26. Decemb. vocatur *nouum inuentum*. Re-feruntur ibi duodecim Iambi, in facie Sanctorum prædictorum impreſſo ferro candenti ſcripti, quo-rum Latinè hæc erat ſententia.

Cunctis ad vrbem eam audire volentibus,
Steterê vbi verbi Dei caſti pedes,
Terrarum orbis, vt per id queat conſiſtere,
Apparuerunt iſti honorando in loco,
Erroris impij mala vaſa & reproba.
Cùm multa feciſſent ibi perturpia,
Grauiáque, quòd deeſſet eis recta fides,
Illinc abacti ſunt ſicut Apoſtatæ:
Confugientes autem ad vrbem imperij
Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
Quare notati & inſcripti vt malefici,
Damnantur, exiguntúrque improbi iterum.

Sed quos impius ille ſic afflixit, ſimul & dehone-ſtauit, ſolatus æquè eſt ſic veneratus S. Methodius, è ſepulchro in quod incluſus erat viuus; tranſmiſ-ſis ad pios fratres per fidum internuncium his Iambis, quos refert Cedrenus in Theophilo.

Quorum libris ſcripta ſunt in cœleſtibus
Nomina, piaque frontes compuncta notis;
Hos qui ſepultus ante funus eſt ſuum
Vinctos ſalutat, & ipſe vinculis grauis.

Renouauit Satan hunc cruciatum in Chriſtianos Iapones anno 1614. crucem ferro candenti inu-rendo frontibus eorum, id quod pictæ imagines docent. Agendū rurſus de hoc ſtigmatiſmo ſect. 2.

Eò autem interdum prorupit ſæuitia, vt iam inſcripti, ſecundâ inſcriptione diuexarentur. Quo pertinet illud Pontij in actis S. Cypriani. [Quis tot Confeſſores, frontium notatarum ſecundâ inſcriptione ſignatos, & ad exemplum Martyrij ſuperſtites reſeruatos, incentiuo tubæ cœleſtis animaret?] Malè ibi Lippumanus, ad marginem adhibuit ſecundæ illius inſcriptionis expoſitio-nem, de impreſſione characteris per Confirmatio-nem ſupra eum characterem qui Baptiſmo impri-mitur. Malè quadrat Pontio hæc expoſitio; cum characteres Sacramentorum inſcribantur inuiſi-biliter: Pontius autem ageret de iteratâ inſcri-ptione corporeâ atque viſibili, qualem ſubiiſſe referuntur SS. proximè laudati Theodorus & Theophanes, quatriduo poſt primam inſcriptio-nem. Intentatâ enim nouam inſcriptionem in ipſiſmet oculis truculento Præfecto, niſi fidem Catholicam eiurarent, ventum eſt ad ſecundam vultus inſcriptionem, quæ ad noctem vſque eſt protogata. Digna verò eſt, quæ cultè inſculpatur in marmore, vel aureis literis exaretur in argento, egregia conteſtatio prædictorum ſanctorum, Præ-fectum & aſtantes ſic alloquentium, poſt hanc ſecundam inſcriptionem. [Sciatis, Cherubin quæ has viderunt litteras, eſſe ceſſura & flammeam rhomphæam, verſis tergis, conceſſuram nobis in-greſſum in paradiſum, vt quæ ſic reueritura no-ſtros vultus, pro communi Domino iam ignomi-nioſè inſculptos. Hoc enim à vobis ſolis factum eſt à ſæculo: & eſt hoc nouum inuentum, & red-didiſtis omnes benignos & clementes, qui aduer-sùs diuinum noſtrum dogma inſanierunt. In facie autem Chriſti, omninò agnoſcemini, & vobis ex-hibebuntur legendæ hæ literæ. Ipſe enim dixit; *Quæcunque feciſtis vni horum minimorum, mihi feciſtis.*] Nec id ſingulare fuit in hoc ſtigmatiſ-mo; nam alibi quoque ea iteratio ſupplicij ſti-gma inurentis, in vſu fuit. Sic Prudentius hymno de S. Caſſiano.

Pungere puncta libet, ſulciſque intexere ſulcos,
Flexus catenis impeditre virgulas.

Et hymno de S. Romano.

Illum recenſes per cicatricum vias,
Denuò exarabant, quáque acutum traxerant.
Paulo ante feruunt; mox recrudeſcentibus
Plagis, apertas perſequebantur notas.

Si cui lubeat, cicatricem ex truncato membro re-lictam ſtigma dicere, habebit in variis SS. Con-feſſorum Actis, illuſtria huiuſmodi ſtigmatum monimenta. Eunapius in Ædeſio de ſacris reli-quiis per Chriſtianos Monachos circulatis agens, ait eos quos vocamus Martyres, *cicatrices ſcelerum & nequitiæ veſtigia corporibus prætuliſſe*. S. Cypria-nus Epiſtol. 34. Celerini Confeſſoris decora de-ſcribens, lucere in eius corpore clara vulnerum ſigna dixit, & cuſtodiri glorioſam vulnerum eius, memoriâ cicatricum. Sed præſertim digniſſima memoratu eſt in eo genere, narratio quæ eſt apud Gregorium Presbyterum in Oratione de rebus Nicænæ Synodi, & in Menæis 23. Decemb. nec non apud Theodoretum l. 1. hiſtor. c. 11. [Erant quidem ex ipſis (ait ſupra Gregorius, deſcribens SS. Confeſſores ad Synodum euocatos,) qui gra-tiis ornati erant Apoſtolicis: alij autem Chriſti ſtigmata circumferentes, in ſuis corporibus. Ex quibus vt lectores habeant maiorem de Sanctis certitudinem & animæ vtilitatem, aliquot adii-ciam. Sanctus itaque Iacobus præſul Niſibeno-rum, multos quidem liberauit à morbis, & de eo etiam fertur teſtimonium, quòd ſuſcitarit mor-tuos. Et Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopus Sanctus Paulus, genitalia membra amiſit, Licinij

inſaniæ

inſaniæ effectus ludibrium. Et Paphnutius Ægyptius vir ſignifer, & plures alij ex ſanctis; Alij quidem orbati ſunt oculis; Aliis inciſi ſunt iuncturarum, crurum, & brachiorum nerui; Aliis verò mutilati ſunt pedes, & manus loreis vinculis.] Rurſus inferiùs poſt deſcriptam Conſtantini allocutionem ad Patres in calce Concilij, hæc ſubdit de eodem Conſtantino. [Cùm hæc dixiſſet, & quæ ſunt his ſimilia, & aliis quidem vidiſſet effoſſos eſſe oculos, aliis autem graui cruciatu obtorpuiſſe manus, alios verò eſſe incuruatos neruorum conuulſione, alios demùm exciſis ſibi genitalibus ſtrenuè decertaſſe: & cùm didiciſſet, quòd eùm in perſecutionibus pro Chriſto, in periculo confeſſionis ſe fortiter geſſiſſent, impoſitorum ſibi ſuppliciorum conſeruarent eas quæ videntur, reliquias, adorauit athletarum cicatrices, membrorum amplexus eſt torporem, affectis membris, quandóque membra ſui corporis, aliquando autem purpuram applicans Imperatoriam, eis ſe credens ſanctificari. Quin etiam effoſſis oculis, ſuorum oculorum admouebat pupillas, ſuſtinens, vt illinc illuminaretur eius mentis oculus.]

Nominatim verò de S. Confeſſore Paphnutio, cui Maximinus dextrum effoderat oculum, & ſiniſtræ manus neruos in cubito præciderat, refertur; Conſtantinum inſigni honore eum affeciſſe, nec vnquam potuiſſe ſatiari exoſculatione oculi effoſſi. Ita habetur in Oratione Hiſtorica de rebus Synodi Nicenæ quæ eſt apud Metaphraſtem 30. Iulij. De Paulo item Neocæſarienſi, multis pro Chriſti cauſâ notis inſigni; (gerebat enim virgarum labes, & manus ferro ambuſtas;) proditur, Conſtantinum Magnum viri illius ſanctiſſimi manus ſic violatas, manibus ſuis prehenſas, ſuis ipſum oculis, & cæteris corporis partibus religioſè impoſuiſſe, tanto ſenſu pietatis, quantum illæ eius voces ſunt teſtatæ. [Has manus propter Chriſtum emortuas & immotas, exoſculando nunquam ſatior.] Solemne id ſemper fuit Chriſtianis, figere oſcula cruciatis Sanctorum membris. Vnde illud Prudentij hymno de S. Vincentio.

Coire ex toto oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præſultum torum
Siccare cruda vulnera.
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat oſculo;
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Reſtat clauifixio, quam in crucifixione propriè dicta habere locum, S. Auguſtinus in pſalm. 68. acutè notauit. Iuxta quem vocis rigorem, quotquot Sancti leguntur crucifixi, ſtigmata huius loci propria, excepiſſe dicendi eſſent. V.G. Decem mille Martyres, quos Romanæ tabulæ 22. Iunij crucifixos produnt in monte Ararath. & S. Sixtus Papa teſte Prudentio, hymno de S. Laurentio, & plerique ſancti, impietatis ac rabie poſteriorum Iudæorum crucifixi in Chriſti ſimilitudinem, vt rabida pectora eo ſpectaculo exſatiarent. Syllabum Sanctorum Crucifixorum confecit Cornelius ad Galat. 5. verſu 19. Sed obſeruandi nominatim ſunt, qui capitibus deorſum verſis confixi crucibus leguntur; cuiuſmodi aliquos refert Euſebius lib. 8. hiſtor. cap. 8. & 24. Et priore loco diſertè meminit clauorum, quibus confixi crucibus fuerant, ne quis tricetur, & crucifixionem latè accipiat, pro actione in crucem abſque clauifixione, quâ ratione non eſſet locus ſtigmatibus. Sed (vt dixi,) diſertè Euſebius, in quibuſdam adhibitos clauos teſtatur: & de S. Andrea cruci ſuæ confixo idem habet S. Athanaſius Orat. de S. Andrea, affirmans, eum clauis ſuis atteſtatum eſſe clauis Chriſti; & morte in cruce mortem Chriſti prædicaſſe. Non refrico hîc controuerſiam alibi agitatam, cum in S. Latronis crucifixionem inquirerem c. 2. n. 8. & 9. an omnes cruciarij, quod aliqui ibi adducti affirmabant, clauis adhibitis figerentur in cruce; an nonnulli ſola ad Crucem alligatione, citra clauifixionem plecterentur. Veriſimile enim videtur, vtrumque modum agendi in Crucem, fuiſſe aliquando vſurpatum, ſeiunctim ab alio. Sicut etiam aliquando, vterque coniunctim adhibebatur. Ideſt aliqui ſolâ clauifixione abſque alligatione per funes, alij ſolâ per funes alligatione, vt hodie in Iaponia, accedente interdum ſtrangulatione cruciabantur, nullis clauis quibus cruci configerentur adhibitis. In quibuſdam, & alligatio ad crucem per funes, & clauifixio vſurpabatur. Cum ergo interueniebat clauifixio, imprimebantur ſacris Martyribus ſtigmata huius loci propria; & ſanctos illos Pugiles Chriſto in carne ſua ſimiliter confixo configurantia. Neque verò clauifixio tantùm adhibita eſt cum Martyres cruci configebantur, ſed etiam aliquando vſurpata eſt per ſe (vt ſic dicam) ideſt infixis intra corpus clauis abſque ligni vllius interuentu. Sic enim S. Fauſta de qua Romanæ tabulæ 12. Calend. Octob. cum Euilaſio Idolorum priùs Sacerdote, paſſa dicitur. [Capite terebrata, & clauis toto corpore confixa fuiſſe.] Baſiliſcum quoque Martyrem ſanctiſſimum, ſub Maximiano, ignitis clauis confixum, iuſſum eſſe impelli per viam ducentem ad Comanos habet Menologium 22. Iunij, quod etiam de S. Antimo habet Nicephorus lib. 7. cap. 6. Victorinus item ac Fuſcianus Martyres, transfixi ſunt tempora igneis clauis, vt eorum Acta à Mombritio t. 1. edita, referunt.

CAPVT VII.

Stigmata pia voluntaria.

QVæ hactenus adduximus ſtigmata, fuere inuoluntaria: id eſt, ab impiis extrinſecus per vim illata. Nunc addenda ſunt quædam vltronea ſtigmata, cùm in bello Eccleſiæ, tùm pacatis iſtis rebus ſuſcepta.

Ac primùm Procopius in cap. 44. Eſaiæ, ad illud, *iſte dicet, Domini ego ſum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic ſcribet manu ſua Domini*, ità ſcribit in rem præſentem. [Sæuiente perſecutionis tempore, multos, ſanctorum hominum appellationes ſibi arripere vidimus. Se enim Iacobū alius, alius item Iſraëlem, alij etiam Ieremiam, & Iſaiam, & Danielem nuncupabant: quibus aſſumptis appellationibus, alacri & forti animo ad Martyria accedebant. Quod autem *manu* dixit; ideo forſitan adiecit, quòd Chriſti nomen permulti, vel crucis ſignum, in palmis aut brachijs inuri ſibi curarent.] Nimirum ſicut olim profani milites ſignabantur in manu aut brachio, vt infrà ſect. 2. referemus: ita milites Chriſti meliori dicto Sacramento, ſimilibus notis Deo auctorari meritò gaudebant.

Ex hoc Chriſtianorum quorundam vſu in illis turbinibus ab Ethnicis animaduerſo, videtur manaſſe rumor inter Ethnicos ſparſus, quod Chriſtiani omnes, notam haberent impreſſam qua ſe inuicem agnoſcerent,& ab aliis diſcernerent. Audi cæcilium apud Minutium in Octauio, varias aduerſus nomen Chriſtianum querelas proponentem. [Vt fœcundiùs nequiora proueniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus, per vniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt. Eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio. Se notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò, penè antequàm nouerint.] Ac ne has occultas notas, quarum vſus erat in tantoperè ſoboleſcente multitudine internoſcendâ, interpretere teſſeras ſeu ſigna, quali à S. Cecilia accepto, Valerianus inuenit S. Vrbanum; addendum eſt quod habet Octauius, reſumens hoc argumentum de notis tantæ multitudini ad ſe internoſcendum viuatus. [Quod in dies (inquit,) noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. Nam in pulchro genere viuendi & perſtat & perſeuerat ſuus,& accreſcit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, (vt putatis) ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus.] En *notaculo corporis* diſcretos, vt Ethnici putabant, ab aliis Chriſtianos; quod haud dubiè ex aliquorum Chriſtianorum pio vſu, pro more, de omnibus Chriſtianis iactatum eſt. Quod autem huiuſmodi vſus non eſſet vniuerſalis Chriſtianorum, Octauius notas corporeas viſus eſt in Chriſtianis non admittere, & potiores virtutum notas, Chriſtianis ad ſe inuicem dignoſcendum adſcribere. Niſi ſi fortaſſis rumor ille de corporeis notaculis, iactatus eſt inter Gentiles, ex praua intellectione characteris, ſiue baptiſmalis, ſiue confirmatiui, quem proinde rumorum, ſimplici inficiatione diluere maluerit, quàm ſecretum illud euulgando proiicere margaritas ante porcos. Inaudiſſe porrò aliquid Ethnicos de Chriſtiano charactere Sacramentali, monſtrant illa Origenis de Celſo lib. 6. [Celſus ex diagrammate illo. (Ophianorum,) nonnulla ſibi exponit quæ nec audita cuiquam ſunt, & de eo præcipuè quod apud nos ſignaculum dicitur, aliena quædam producit, & mutuas voces imponit, perinde ac Pater qui ſignaculum ingerit vocitetur: qui verò hoc obſignatur, filius nuncupetur, & rogatus illud reſpondeat. Vnctus ſum vnctione candidâ ligni vitæ: quæ ſanè nec ab ipſis hæreticis dicta accepimus.] Vbi obſcurè & veluti per nebulam, mentio fit ſuſceptoris ac ſuſcepti de ſacro fonte, aut confirmatione; Necnon ſignaculi Confirmationis & baptiſmi. Quæ cum ſint ſignacula ſpiritualia, non ſunt admiſcenda cum notaculis corporeis, niſi ſi externa vnctio vocetur *inſcriptio*, aut *notaculum*, quod video feciſſe Prudentium, cum admonet Chriſtianum in hymno ante ſomnum, vt meminerit ſe Chriſmate innotatum. Et in Pſycomachiâ, in pugna luxuriæ & ſobrietatis, cum ſtomachatur quod Chriſtianus mollitiem ſecteur.

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentũ Regale datum eſt,& Chriſma perenne.

Sed nos talem inſcriptionem atque notaculum, ob defectum impreſſionis ſtigmatis, non moramur hoc loco.

In pace Chriſtianâ, paſſim Chriſtianus ſic ſe inuſſiſſe, impreſſo manibus Chriſti nomine, cenſet Sanctius in cap. 44. Iſaiæ num. 15. exiſtimans id voluiſſe Eſaiam, verbis illis: *hic ſcribet manu ſua Domino*, id quod etiam de mente Eſaiæ, tradit ibi Adamus conſentit quoque Auguſtinus Fiuizanus lib. 1. de prælatione Crucis ante Pontificem c. 5. An eodem ſpectare dixerimus, quod ait S. Chryſoſtomus in demonſtratione quod Chriſtus ſit Deus, celebrans Chriſtum ex Crucis ſplendore per orbem totum? [Omnes eâ ſe ſignant, inſcribendo in nobiliſſimum membrum noſtrum.] Vbi illud *omnes*, pro *benè multis*, ac pro generibus ſingulorum videri poſſit dictum; & *ſignatio* pro *inſcriptione*, quæ ſubnectitur. At quamuis ſignatio; & de tranſeunte Crucis formatione Chriſtiania vſitata dici poſſit, & de ſignatione per impreſſam crucem; certè inſcriptio, magis propriè dicitur de impreſſione, quàm de ductu manus in formam crucis, citra omnem notæ durat uræ exarationem. Et hanc videri poſſe Chryſoſtomi mentem, confirmari poteſt ex eo quod mox ibidem ſubdit; crucem ſicut in hominibus, ita in corporibus brutis malè affectis, eſſe conſpicuam. Atqui vſus antiquos Chriſtianorum ferebat, pecudes quoque notâ Crucis reipſa illis inuſta præmonitæ, aduerſus luem aliáve mala, vt habetur ex carmine Seueri Endelechi Chriſtiani Poëtæ S. Paulino laudati Epiſtol. 9. *in fine*, de quo etiam Baronius anno 376. Eo carmine quod *de mortibus boum* inſcribitur, mirante paſtore Ethnico, & ſodalem Chriſtianum interrogante vnde paſtis in omnes graſſata greges, Chriſtianorum caulæ pepercitiſſet, reſponſum tulit in hæc verba.

Hoc ſignum (crucis) *mediis frontibus additum,*
Cunctarum pecudum certa ſalus fuit.

Vnde argumentum petens alter paſtor, ad immunitatem à lue ſibiipſi exorandam, ita mox ibidem rogat.

Et me conſiliis iungite proſperis,
Nam cur ambigam, quin homini quoque,
Signum proſit idem, perpete ſæcula
Quo vis morbida vincitur?

Vides quàm non abs re, ex dicto S. Chryſoſtomi de inſcriptis & conſignatis cruce realiter impreſſâ pecudibus, de ſimili inſcriptione hominum accipi poſſe eius verba eodem loco, cenſuerim? Turcas ſanè à Chriſtianis edoctos, vt Paulus Diaconus lib. 17. prodidit, & ex eo Baronius anno 591. num. 1. Cruce fronti inuſtâ, immunitatem à peſte adeptos, compertum eſt. Verba Pauli aut Theophanis, de Barbaris militibus à Narſete Byzantium tranſmiſſis, hæc ſunt. [Quotquot Turci erant, ad Imperatorem Byzantium miſit. Sanè cùm Turci ſignum haberent in fronte ex cruce, interrogabantur ab Imperatore, quonam modo hoc ſignum in fronte portarent. At verò Turci, aſſerebant ante multos annos peſtilentiam factam in Turcia, & quoſdam Chriſtianorum hoc adinueniſſe, & hinc ſalutem in patria factam.] Conſignati haud dubiè ſimili modo fuerunt Chriſtiani illi, quorum exemplô Turci frontes ſuas Cruce inuſſerunt. Hodiéque in Africâ progenies illa veterum Chriſtianorum ſeparatim à Mauris degentium in montibus, quam Luſitani ad illas oras commeare ſoliti, vocant *Alarues*, id eſt *Afros genuinos*, crucem brachio impreſſam oſtentant pro teſſerâ Chriſtianiſmi, cuius cætera prorſus ſunt rudes. Argumento id eſſe poteſt, vnde Turcæ didicerint Crucem ſibi inurere.

Generis

Generis alterius luem per inuſta ſtigmata ab aliis deuitatem lego. Nam Abbatem Ammonium deſcribit Palladius cap. 12. Lauſ. cùm aliis pleriſque dotibus clarum, tam nominatim ſtudio caſtimoniæ: quod hoc, (vt vocat,) miraculo patefecit. [Nunquam turpia voluptatis caruncularæ ſuæ inſurrectio eius corpus inuaſit, ſed ferrum candens ſuis membris admouebat, adeò vt eſſet totus vlceroſus.] Hæc admotio ferri candentis ad carnis frænationem, monſtrat Ammonium quidem non caruiſſe titillationibus carnis, quicquid ſonentur in contrarium priora verba adducta: ita tamen eis obſtitiſſe impreſſione illa ſtigmatum in corpore ſuo, vt non ſuccumberet. Non me latet, hunc Ammonium de Origeniſmo notari Tomo 5. Annal. Eccleſ. fuiſſe tamen ſanctimoniæ fama, in vitâ & poſt mortem celeberrimum, liquet. S. Athanaſio fuiſſe coniunctiſſimum & cum eo Romam profectum, Socrates author eſt l. 4. c. 18. De eiuſdem neceſſitudine cum S. Chryſoſtomo, diſertè meminit Georgius Alexandrinus in vitâ S. Chryſoſtomi, vbi etiam de Ammonij dono prophetiæ, & miraculis poſt mortem. Ac proinde errores quorum inſimulatur, videntur, non fuiſſe formales hæreſes, ſed tantum materiales, quibus Sancti quoque interdum ſordent. Haud abs re igitur, ſtigmata Ammonij piorum ſtigmatibus accenſuimus.

Ex flagranti pœnitentiæ ſtudio S. Radegundis vt ſcribit in eius vita Fortunatus c. 24. & æra candentia impreſſit corpori, ita vt ſiſteret intima foſſa in parte cremata, (vt Fortunatus loquitur.) & ſignum Chriſti quod ex auricalco confici curarat, in cellula accenſum, *duobus corporis locis altiùs ſibi impreſſit, tota carne depicta.* Locus eſt ſancti horroris refertus, attenta perſonæ conditione.

Eſt qui in ſuo Triſagio Mariano l. 2. modo quadrageſimo dicat S. Radegundẽ ex Regina coniuge Clotarij piiſſimam Pictauis Monialem, nomen *Maria*, candente ferro carni ſuæ impreſſiſſe: quod æquè adhibita nouacula pectori impreſſum ait à Religioſiſſimo S. Franciſci Paulani alumno, Franciſco de Biuanæ: ſed quod author Triſagij de S. Radegunde refert, vnde hauſerit neſcit. Nam neque Fortunatus, neque Baudomina quę acta S. Reginæ à Fortunato conſcripta ſuppleuit, tale quid habent. Tantum ait Fortunatus S. Radegundem ſignum Chriſti ex auricalco candefactum forni ſuæ preſſiſſe.

Pium Religioſum memorat Petrus Damiani l. 6. Epiſt. 26. ſtudio caſtitatis flagrantem, eum alijs in eam rem patraſſe, tum quod verbis ipſius Petri ſubiicio. [O quoties ille frater candentem cultrum, & vocem, quaſi cauterium quoddam, genitalibus impreſſit; ita vt crepitante quodammodo perfrixæ carnis incendio, ad nares vſque, fumus, per enargiam exhalare videretur.]

Ad alterius modi ſtigmata ſibi imprimenda, pleriſque iniecta eſt voluntas, ſtudio flagrantiſſimo eiuſdem virtutis. Leguntur enim aliqui ſe truncaſſe aliquo membro in eum finem. Sic S. Eba & ſociæ, vt caſtitatem in tuto ponerent, ſe denaſarunt, & labro item ſuperiora ad dentes vſque priuauerunt, ne Danis Ethnicis Angliam ditè populantibus, ludibrio eſſet earum Deo addicta virginitas, vt ad annum 870. ſcribit Baronius. Nobilem item ſui temporis Virginem, naſum ſibi abſcidiſſe, nec nubere contra votum adigeretur, Galfridus apud Tilmanum author eſt in allegoria veteris Teſtam. ad c. 18. Eſaiæ. Odam Virginem ſanctiſſimam, ſcribit Abbas Bonæ ſpei, in eius Actis; *gladiali faciem ſuam ſignaſſe cauterio.* Cum enim à parte per vim coniugio eſſet illiganda; arrepto gladio, nares ſibi obliquo vulnere abſcidit. Quod Philippus Abbas confert cum facto S. Agnetis quæ de ſe dixit [Poſui ſignum in faciem meam, vt nullum præter Chriſtum, amatorem admittam.] Innuens, Sanctam quoque Agnetem, aliquo tali gladiali cauterio faciem ſuam ſignaſſe. De B. Lucia Virgine, Ord. Prædicatorum, ſcribunt Conradus Zittardus, Iacobus de Vitriaco, & ex eis Raderus p. 3. Vind. SS. c. 3. n. 9. cùm à procico quodam, pulchritudine oculorum eius capto, moleſtiam pateretur circa caſtitatem; expunxiſſe ſibi oculos, & in diſco ad procum tranſmiſiſſe. Quod non aduertentes pictores, nec aliam B. Luciam quàm Siculam, Syracuſis ſub Diocletiano paſſam habentes perſpectam, B. Luciæ Syracuſanæ, immensâ locorum ac temporis capedine ab hac Luciâ Dominicanâ diſiunctæ, adſcripſerunt quod reuera eſt Luciæ poſterioris. Et quanquam fuit quid dubitaret, an effoſſio oculorum huius Luciæ Monialis, myſticè tantùm accipienda ſit, vt videre eſt apud Bzouium ann. 1198. num. 16. tamen nihil eſſe in ea narratione quod incredibile videri meritò debeat, liquet ex geminâ iſti narratione quæ habetur apud Moſchum c. 96. Limonarij de Sanctimoniali quæ oculos ſimiliter ſibi exſculpſit, vt mater am impuri amoris ſubduceret adoleſcenti, quem eo facto adduxit vt in Monachum probatiſſimum euaderet. Id quod æquè Lucia Dominicana proco ſuo præſtitiſſe dicitur, ac Monialis Fontebraldenſis, Principi Anglo, eam ſacrilege deperenti, facto conſimili, bonam mentem iniecit. Et idem ſimiliter præſtitit minore ſuo incommodo, alia ſacra Virgo, quæ amaſium pulchritudine comæ eius captum, reuocauit ad bonam frugem, abraſâ prorſus, & ad eum tranſmiſſâ comâ, quæ tantos in eius pectore ignes ſuccendebat, vt ſcribit Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſtol. 53. Alia exempla deformati vultus, perfoſſione aut truncatione aliqua, ſtudio tuendæ caſtitatis, ſuppeditabit Spinellus Tract. de Virginibus num. 46.

Miramur verò Chriſtianas & Religioſas Virgines, cœleſti perfuſas lumine, ſtigmatis voluntariis faciem dehoneſtaſſe ſtudio caſtitatis, cùm idipſum inter Ethnicos fecerit Spurina? Ipſe enim eſt, vt ex Valerio conſtat lib. 4. tit. *de verecundia,* quem tacito nomine Mamertinus ſub initium panegyrici Iuliani, à ſauciato vultu, amore tuendæ pudicitiæ, celebrat. Celebrauit item Tullius. Imò S. Ambroſius ſub finem exhortationis ad Virgines, cum S.ta Soterę illum componit, & ſtigmata eius collaudat. Increpans enim pulchritudinis ſupra iuſtum ſtudioſas Virgines ſacras, addit, [At non Soteris, vt domeſticum piæ parentis profitemur exemplum. Habemus enim nos Sacerdotes, noſtram nobilitatem, præfecturis & conſulatibus preferendam. Habemus inquam, fidei dignitates, quæ perire non norunt. At non, vt dixi, Soteris vultûs ſui curam gerebat, quæ cum eſſet decora facie valdè, & nobilis virgo maiorum proſapia per conſulatus & Præfecturas parentum, ſacra poſthabuit fide: & immolare iuſſa, non acquieuit. Quam perſecutor immanis, palmis cædi præcipit, vt tenera virgo dolori cederet, aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli in-

uclata

velata atque intacta Martyrio: & volens iniuriæ occurrit, vultum offerens, vt ibi Martyrij fieret ſacrificium, vbi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Gaudebat enim, diſpendio pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi, potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare; faciem tamen virtutis eius, & gratiam decoris interni, nequaquam exarare potuerunt. Hetruſcum iuuenem veteres fabulæ ferunt, cùm propter admirandam oris proprij pulchritudinem, in amorem accenderet fœminas, ſtigmatibus inaraſſe vultum ſuum, ne qua eum adamare poſſet. Videro vtrum caſtus fuerit illius animus, affectus tamen non innocens, propter quem in ſe ipſe animaduerteret. Ille tamen ſola excepit vulnera, ne noceret: hæc triumphales retulit martyrij cicatrices, vt imaginem Dei quam acceperat, reſeruaret.]

Non improbat S. Ambroſius, ſtigmata quæ in S. Sotere & in Spurina laudauit, cum negat alibi, virtutis loco ponendum eſſe, culpam ferro compeſcere; id eſt admoto ferro tutelam pudicitiæ parare. Agit enim contra tertium genus hominum, vt Alexander Seuerus referente Lampridio nominabat; qui ſcilicet iuxta Herodotum in Vrania, cùm de Hermotimo, & iuxta Lactantium lib. 1. Inſtit. c. 21. atque Lucianum in Eunucho Dialogo, nec viri ſunt, nec fœminæ. Eunuchos dico, ſiue Semiramidis inuento, vt voluit Ammianus l. 14. ſiue Perſarum vt Claudianus l. 1. in Eutrop. memorat, virilitate deſectâ tutelam caſtimoniæ captantes; caſſo prorſus & abſurdo conſilio, vt monſtro l. de virtut. num. 130. Valeſij enim Hæretici latè à S. Epiphanio reiecti hæreſ. 88. (non obſcurè autem collaudati ab Origene lib. de ſingularit. Clericor. n. 107. & à Sexto Pythagoræo ſub nomine Sixti Papæ, venditato à Ruffino ſententia 265.) ſtudio tuendæ caſtitatis, viro ſe priuabant. Sicut Democritus referente Tertulliano cap. 46. Apolog. eadem ex cauſâ, ſe eluciſicauit, effodiens ſibi oculos. Hunc igitur duntaxat ferri vſum ad caſtitatis tuitionem, improbat S. Ambroſius eo alio loco quem indicabam, hoc eſt libro de Viduis *ſub finem*: minimè tamen improbans, impreſſa vel ferro ſtigmata in eum finem, cùm peculiaris cœleſtis afflatus eo impellit; vt ſanè impulit Chriſtianas illas Virgines, ſacro ſtigmatiſmo quem retuli dehoneſtatas.

Non eſt prætereundus in hoc ſyllabo inſignis ſeruus Dei Henricus Suſo. Eum aliquando cœleſti amore flagrantem, arrepto ferreo graphio pectus ſibi pertudiſſe, inſcripto in illud Sacroſancto IESV nomine, habent eius Acta. Nec ita multò pòſt, templum ingreſſus ad Chriſti crucifixi imaginem orans, popoſcit, vt quod ipſe ſibi in externo pectore efformauerat monumentum, penitiùs inſculpere in corde dignaretur. Pauci exacti erant dies, cum reſidens in cellâ, effulgere è pectore ſuo lucem vberrimam deprehendit; cauſámque ſcrutatus, auream crucem vnionibus pretioſiſſimis diſtinctam, Sanctiſſimo IESV nomine inſcriptam, pectori ſuo ineſſe reperit, & micabat ea crux ſplẽdidiùs ac fortiùs quo ſollicitiùs pius vir de eâ operiendâ ſatagebat. Imitatus Henricum eſt Simon Rodericus, inter decem primos Societatis Patres, vnus. De eo ſic ſcribit Sacchinus in Euerardo l. 7. num. 246. [Sub vitæ ſanctioris initia, vt ardori ſuo teneriùs vel ipſa duritate indulgeret, ſumma ſibi cute ſupra pectus ſignatè diſciſſa, notabilem dodrantali magnitudine ac latitudine digitali Crucem, acuto in vulnus ſtylo, deſcripſit extrinſecùs: viuax argumentum interioris eius quam telo præferuidæ charitatis inciderat è regione in medulla cordis. Huius porrò luculenti ſtigmatis cicatricem veluti memorialem nunquam deinde obductã deletámque, ad ſepulchrũ ſecum vnâ portauit.] Antonius Miſte Simonis moribundi valetudinarius, ex Simonis ore ſub mortem audiſſe ſe dixit, alios nouem primos ſocios, idem præſtitiſſe initio conuerſionis. Sed de Simone, Henricum Suſonem, hac in parte æmulato, in præſentia ſatis. An Simonem, an Henricum expreſſerit Thomas Saylſius, parum refert. Lego de eo, apud Philippum Alegambe in bibliotheca Societatis, hæc verba. [Multa ſe inedia macerabat, algore, humicubatione, dira flagellatione, hirto cilicio. Sed pium ſimul atque ingenioſum tormentum fuit, crux ſeſquipalmaria, tota ſuperficie præacutis munita ſtimulis, quinque cuſpidibus altiùs in Chriſti vulnerum reuerentiam extantibus, nudo pectori applicita, quã pugno impacto, cum deteſtatione ſuorum peccatorum, ſibi imprimebat identidem, magno cum dolore, nec ſine ſanguinis effuſione. Idem Alegambe eodem opere, V. *Alexander Vrſinus*, de eo Cardinali omnibus virtutum ornamentis micantiſſimo, ſic habet [Chriſti Domini paſſionem, teneriima ſemper veneratione recoluit. Æneam ipſius Cruci affixi effigiem, extantibus clauorum cuſpidibus aſperatam, ad nudum pectus geſtabat, quam manu ſæpiùs admota, non ſine vulnere & ſanguine apprimebat.] Redeo ad Henricum, cuius ardor in eo quod retuli facto non ſtetit, ſed aliquid ante Saylſium & Vrſinum Cardinalem molitus eſt, factis eorum propinquius. Idem enim crucem palmarem clauis triginta transfixam, nudis humeris diu noctuque per octennium appreſſit ingenti cum ſenſu doloris. Et vt Chriſti ſtigmatum pleniùs particeps fieret, anno poſtremo, ad triginta clauos, ſeptem acus adiecit; quarum in carnem nudam adactione excruciaretur, mirabili in ſeipſum ſæuiendi ingenio.

Affine aliquatenus eſt ſtigma voluntarium quod ab aliquo eiuſdem Ordinis alumno ex Nurimbergenſi cœnobio inuſtum ſibimetipſi, refert qui eum nouit Ioannes Nider l. 1. Formicarij cap. 10. Præter cætera namque religioſæ ſæuitiæ inſtrumenta quæ Nider recenſet, vſurpabat aſſiduè ex collo pendentem & nudæ carni applicatam [torquem ferream appenſis de eadem minerâ campanellarum nodis.] Hoc erat generosè ſibi imprimere pia ſtigmata; & vt obduci ac obliterari nequirent, accuratè prouidere. De Petro, Villarienſis cœnobij in Brabantia conuerſo, ſic lego in eiuſdem Cœnobij chronico. [Sciens ſecundùm Apoſtolum, quod qui ſunt Chriſti carnem ſuam cum vitiis crucifigunt; vt fructum pœnitentiæ apprehenderet, totis viribus ſtuduit corpus in ſeruitutem animæ redigere, carnem flagellis & diſciplinis exponere, inter vepres & vrticas membra domare, orationibus & fletibus inſiſtere & ſtrictioribus ieiuniis ſeipſum macerare, ita vt quandoque per totam Quadrageſimam, nonniſi panem & aquam guſtaret. His tamen non contentus, quotidie carnem ſuam acribus vulneribus forcipe lacerauit.] Addit Chryſoſtomus Henriques. [Miro feruore accenſus; ſibi manus & pedes clauis ferreis perforauit & calidum ferrum verſus cor immiſit, in quo vulnere ne clauderetur, chordam è pilis equinis contortam tranſmiſit.]

Mirandum

Mirandum magis auſam Virgunculam ſacram præ amore Sacrorum Chriſti ſtigmatum idem acntate. Florebat in Carthuſianarum Virginum Parthenona cui nomen *Permagine* ſub annum Chriſti 1305. piiſſima Virgo Beatrix; quæ ardentiſſimo amore in Chriſti Domini vulnera ferebatur. Itaque vt in ſe aliquatenus exprimeret, quod in Chriſto cruci confixo tam cupidè meditabatur, tám que aſſiduè reuoluebat, duos clauos ferreos furtim corripiens, vtramque manum adhibito malleo ampliſſima plaga tranfixit, celans ſub longioribus manicis abſconſa vulnera: quæ ne fortè obducerentur, ſingulis ſextis feriis renouabat, impactis denuò ac infixis clauis. Placuiſſe Deo candoram quo hæc alioqui labis non pura peragebantur, monſtrauit euentus. Immenſis enim ſuauitatibus diuinitùs perfuudebatur, & conſpicuo Chriſti obiectu frequenter donabatur: incertis verò & occultis ſapientiæ Dei ſibi manifeſtatis, admirationem ſui concitauit eximiam. Lege præterea apud Ioſephum Pamphili in Chronico Eremitarum Auguſtinenſium, Monialam eius inſtituti, Chriſtianam da Vicecomitibus, quæ Spoleti obiit miraculis clariſſima ſub annū 1465. ob memoriam Chriſti confixi, pedem clauo perforaſſe, & ſingulis ſextis feriis abſinthio cibatam, bibiſſe vinum cum fella mixtum, diuinis conſolationibus, & cœleſtibus largitatibus abundantem.

Iam ſupra attigi c. 5. tractans ſtigmata quæ S. Paulus in corpore ſuo abs ſe portata profitebatur, ſcribens ad Galatas, vibices flagellorum, poſſe ſtigmatum nomine venire, & ita aliquos ea B. Pauli ſtigmata interpretari. Et varò Sectarij, quibus ea vltronea flagellorum aſſumptio non placet, flagellationem voluntariam cómponunt cum ea corporis lancinatione, quam Baalis ſacrificuli vſurpabant, corpora ſibi cultris ac lanceolis incidentes, vnde haud dubiè exiſtebat ſtigma. Meminerunt eius per ſpurcos ſacrificulos inciſionis, Sen. in Oedipo, Propertius lib. 2. Plutarchus l. contra Colotem, & l. da ſuperſtitione, ac Lucianus l. de Syria Dea. In quam rem multa ſunt prulata in Opere de Eunuchiſmo cap. 5. §. 1. Et eundem ſa incidendi morem à Iudæis in luctu iam olim adhibitum, & ad ſua vſque tempora retantum taſtatur S. Hieronymus, in cap. 16. Ieram. Ethnicam ergo lacertorum per cultros & lancaolas inciſionem, manifeſtè inuſtiuam ſtigmatis, cum ſuiipſius flagellationa componunt, & idcirco improbant varij Sectarij, nominatim Chriſtianus Franco, Dialogo contra Ieſuitas, & Chriſtianus Simon Lithus in adulterina S. Ignatij vita lib. 1. c. 2. & 3. nec non Haſemnuelerus l. da ieiunio Ieſuitico cap. 4. Supponunt igitur, per flagella voluntariè vſurpata, inuri ſtigmata; & inda ducunt argumentum contra vſum piorum Catholicorum, ſæuiendi in ſaipſos per flagella, quod hæc conciſio, reſpondeat manifeſtè impiæ ſtigmatizationi miniſtrorum Cybeles, per lanceolas & cultros; quem etiam ritum vſurpaſſe Sacerdotes Baal legimus 3. Reg. 18. num. 28. & audio etiamnum Turcarum Poppas eodem ritu ſupplicare, cum quibus æquè poterant ſectarij, pios ſui ipſorum per flagella verberones componere: vt taceam flagellantes à Gerſone exagitatos tanquam hæreticos, nec non à Prateolo *litera F*, num. 8.

Quanti ſint hæc argumenta, contra pium vſum flagellorū vltrò admotorum, nihil attinet quærere hic extra locum: præſertim cum Gretſerus in Opere da Diſciplinis, diligenter ea contriuerit. Nunc ſatis aſt, ex prætenſa ſimilitudina flagellantium, cum ſacrificulis profanis ſeſe incidentibus, confirmare, vibices per flagellum piè admotū inuſtos, nomine *ſtigmatis* venire poſſe æquè ac vibices ax inciſiona per cultros aut lãceolas cum quibus componuntur. Præterita tamen volui hoc loco, huiuſmodi ſtigmata, quod non aſſectentur quamcunque piam flagellationem, ſed tantùm eam quæ durior eſt aut diuturnior; quæ fortitudo paucorum aſt.

CAPVT VIII.

Stigmata S. Hieronymi.

REi geſtæ hiſtoria deſcribenda primùm eſt ex ipſo S. Hieronymo; cum de ea pronunciabimus; quia non defuit qui obſtreperet.

Scribens igitur ad Euſtochium S. Hieronymus epiſtol. 22. dehortatur Sacram illam Virginem, à tunc vigenta abuſione, dandi operam profanæ literaturæ; ac ſtudiis politiorihus, præſertim iuſto flagrantiùs, incumbendi. Et vt efficacius euincat quod intendit, proponit, quàm malè ſibi iuniori ceſſiſſet æſtus ille erga ſtudia profana, & humaniores quas dicunt literas. [Nec tibi (inquit,) diſerta multùm velis videri, aut Lyrici feſtina carminis metro ludere. Non delumbem Matronatum ſalinam delicata ſecteris, quæ nunc ſtricta dentibus, nunc labiis diſſolutis, halbutientium linguam in dimidiata verba moderantur, ruſticum putantes omne quod naſcitur. Adeò illis adulterium, etiam linguæ placet. *Quæ enim communicatio luci ad tenebras? Qui conſenſus Chriſto cum Belial?* Quid facit cum Pſalterio, Horatius? cum Euangeliis, Maro? cum Apoſtolis, Cicero? Nónne ſcandalizatur fratar, ſi te viderit in idolio recumbentem? Et licet omnia munda mundis, & nihil raiuciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; tamen ſimul bibere non debemus calicem Chriſti, & calicem Dæmoniorum. Referam tibi meæ infelicitatis hiſtoriam. Cùm ante annos plurimos, domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius aſt, conſuetudine lautioris cibi, propter cœlorum me regna caſtraſſem; & Hieroſolymam militaturus pergerem; bibliothecâ, quam mihi Romæ ſummo ſtudio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miſer ergo, lecturus Tullium, ieiunabam. Poſt noctium crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quando in memetipſum reuerſus, Prophetas legera cœpiſſem; ſermo horrebat incultus: & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis. Dum ita me Antiquus Serpens illuderet, in media fermè quadrageſimâ, medullis infuſa febris, corpus inuaſit exhauſtum, & ſine vlla requia, quòd dictu quoque incredibile ſit, ſic infelicia membra depaſta eſt, vt oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ; & vitalis animæ calor, toto frigeſcente iam corpore, in ſolo tantùm tepente pectuſculo palpitabat: cùm ſubito raptus in ſpiritu ad tribunal Iudicis pertrahor: vbi tantum luminis, & tantum

erat ex circumſtantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille qui præſidebat; mentiris, ait; Ciceronianus es, non Chriſtianus. Vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter verbera (nam cædi me iuſſerat,) conſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans; *In inferno autem quis confitebitur tibi*? Clamare autem cœpi, & eiulans dicere; *Miſerere mei Domine, miſerere mei.* Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua prouoluti qui aſtabant, precabantur vt veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori, locum pœnitentiæ commodaret; exacturus deinde cruciatum, ſi Gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, & nomen eius obteſtans dicere; Domine ſi vnquam habuero codices ſæculares, ſi legero, te negaui. In hæc Sacramenti verba dimiſſus, reuertor ad ſuperos; & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lachrymarum imbre perfuſos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpè deludimur. Teſtis eſt tribunal illud ante quod iacui; teſtis iudicium triſte, quod timui. Ita mihi nunquam contingat, in talem incidere quæſtionem, liuentes fateor habuiſſe me ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum; & tanto dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legerem.]

En hîc notas corpori S. Hieronymi impreſſas, & durantes plagarum vibices, atque adeò ſtigmata: quæ quamuis impreſſa dormienti, ac per viſum increpitio, fuerunt tamen verè impreſſa, vt ſoluto ſopore fuit manifeſtum. Itaque non licet affirmare, rem hanc non eſſe verè geſtam, ſed fuiſſe merum imaginationis ludibrium per ſomnum, vt contendunt Theodorus Gaza apud Crinitum lib. 1. de honeſta diſciplin. cap. 10. & apud Bartholomæum Scalam relatum à Politiano lib. 5. epiſtol. 2. Itemque Eraſmus in eam Hieronymi Epiſtolam, Laurentius Valla lib. 4. Elegant. in præfatione & Petrus Moſellanus in ſcholiis ad Aphthonij progymnaſmata poſt c. 5. adducti: qui omnes hanc narrationem de flagris S. Hieronymi ob cauſam prædictam, exſibilant, & pro ſomnio habent; nec abſque apparente ipſius S. Hieronymi ſuffragio. Nam in 2. contra Ruffinum libro, cum vrgeretur ex hac narratione, vocat eam *ſomnium ac deliramentum*; negátque ſe fuiſſe periurum, tametſi promiſſo illi in ſomnis emiſſo, non ſtetiſſet. Quod ſecundùm, iterat in Apologia *poſt medium*.

Nihilominus ſenſus D. Hieronymi in citatâ epiſtolâ, expreſſior eſt, quàm vt liceat, ad ſomnia & dormientis deliramenta, rem hanc referre. Nec quod Ruffino inde ipſum vrgenti reſpondet, eleuat fidem narrationis. Senſus enim duntaxat eſt, mirari ſe quod Ruffinus adeò anxiè & exactè diſquireret in rem geſtam per ſomnum, & quæ velut ægri ſomnium & febrientis deliramentum haberi poſſit apud pleroſque, ita ſolitos pronunciare de quibuſvis geſtis per ſomnum: quamuis iſtud reuera & non merè imaginariè contigiſſet, vt verba Epiſtolæ adductæ perſpicuè ferunt, agnoſcuntque Ruffinus in Inuectiua, Rupertus lib. 12. in Matth. D. Bonauentura ſerm. 19. in Hexaëmeron, Lupus de Olmeto in Regulâ Monachorum à Martino V. approbatâ cap. de orat. & meditatione, ac Serarius in prolegomen. Biblicis cap. 28. quæſt. 8, ad 6. Neque verò nouum eſt, vt alicui per ſomnum, nonnulla interuentu Dei & Angelorum phyſicè accidant, quæ poſtea diſcuſſo ſomno, vera fuiſſe deprehenduntur. Cum ergo hîc habeamus teſtem omni exceptione maiorem, in Epiſtolâ quæ in dubium vocari non poteſt, referentem quæ ſuomet ipſe corpore excepit, quid tricabimur adhibere narranti fidem?

Non me latent poſticæ Eraſmi ſannæ. Is prolatâ hâc S. Hieronymi narratione, dixit S. Hieronymum immeritò vapulaſſe, idcirco quod *Ciceronianus* eſſet. Quaſi diceret, ſomnium à D. Hieronymo obtruſum eſſe, pro vera narratione: cum nullum fuerit iuſtum & idoneum fundamentum, ſtigmatizandi S. Hieronymum, ea ex causâ quod Ciceronianus eſſet; quandoquidem eius oratio præ Tulliana, eſt plena ſcabritei, abéſtque plurimum à nitore & cultu ſtyli *Ciceroniani*. Ita quidem Lucianus Atheus Batauus; ſic enim Lutherus Eraſmum nominabat referente Cochlæo in hiſtoria de Actis & ſcriptis Lutheri anno 1526. Sed impudenter omnino & prorſus indigne, Eraſmus in S. Hieronymum, iocos & contemptionem effundere eſt aggreſſus. Nam iuxta hanc ſannionem, vel Deus iniuſtè feciſſet plectendo innoxium; vel impingenda eſſet mentitio S. Hieronymo, narranti geſta circa ſe eſſe diuinitùs, quæ reuera contigiſſent nunquam. Vt verò miſſam faciam ſtyli Ciceroniani & Hieronymiani contentionem, haud grauatè concedo, ſcriptiones S. Hieronymi quas habemus à Tullianæ dictionis verè & floculentia abeſſe. Falſum tamen aſſumit Eraſmus, exiſtimans S. Hieronymum idcirco vapulaſſe, & excepiſſe ſtigmata, quod Tullianæ dictionis nitorem ac cultum exprimeret. Reuera enim vt optimè proſequitur Andreas Schottus lib 1. Tullianarum qq. c. 30. & Marianus Victorius ad Epiſtolam 133. S. Hieronymi num 4. idcirco flagellatus eſt ac ſtigmatizatus, quod Tullio & Plauto vltra conuenientem menſuram eſſet addictus. Idque eſt, quod per viſum audiuit, *Ciceronianus es*: non autem quod in ſuis ſcriptionibus, Tulliano cultu ac nitore niteret. Quidni enim poſſit quis vehementiùs affici, erga Tullij alteriúſve Scriptoris lectionem; tametſi de excolendo ſimiliter ſtylo, cogitationem non ſuſcipiat? Ea porrò nimia addictio Tullio & Plauto, aliiſque profanis ſcriptoribus euoluendis, vitioſa reuera erat, in homine qui iam à ſæculo ſeceſſerat, cuiuſmodi tunc erat S. Hieronymus. Sunt enim ſingulis inſtitutis & ætatibus, ſua ſtudia accommodata. Et quod in alio ratione ſtatus labe vacat, & arridet; in alio ratione oppoſiti vitæ generis, meritiſſimò ſordet ac diſplicet. Qua de re pleniùs in Opere de iuſta confixione librorum parte 1. Erotem. 11. Faceſſant ergo impiæ ſannæ Ludionis Batavi, aduersùs S. Hieronymum, eiúſque ſtigmata.

Affinem narrationem ſuppeditat Euſebius 5. hiſtor. c. vltimo, & Nicephorus lib. 4. cap. 21. de Natalio quondam Confeſſore; qui perſuaſus ab Artemonis ſectatoribus, vt inter eos Epiſcopum ageret, grandi quæſtu propoſito, cùm à Victore Romano Pontifice idcirco excommunicatus, non cederet veritati: & à Deo per viſum aliquoties admonitus, obdureſceret in ſuſcepta apud Eccleſiæ rebelles dignitate, ad extremum per noctem à ſanctis Angelis, flagris egregiè conciſus, manè oſten-

tatis

tatis Zephyrino Victoris, ſucceſſori, & vniuerſæ plebi Catholicæ, plagarum vibicibus, exorauit reſtitutionem in Eccleſiam. Et illa quoque narratio affinis eſt Hieronymianæ, quam Petrus Damiani retulit, ſcribens ad Nicolaum 2. lib. 1. epiſt. 9. agens de conuerſo ex Monaſterio S. Gregorij ad cliuum Scauri, qui apoſtatarat, & reuerſus ad cor, à SS. Andrea & Gregorio flagellatus eſt; ita *vt vibices ac ſtigmata in eius membris vndique* notarentur, cum nudata ſunt ad lauandum corpus demortuum.

CAPVT IX.

Stigmata S. Huberti.

NOn dicuntur hæc ſtigmata S. Huberti, quod ipſemet ea ſuo corpore exceperit, ſed quod inuocato S. Huberti nomine inferantur, ad conciliandum curationis beneficium quibuſdam corpore malè affectis, præſertim rabioſis aut infeſſis à Satana.

Inſtrumentum quo huiuſmodi ſtigma imprimitur, paſſim vocant *clauem S. Huberti*, non ine ducto ab impreſſione & quaſi obſignatione, quod erat olim alterum munus annuli ſignatorij cùm ad claudendum adhibebatur, vt eruditè moniſtrat Lipſius ad 2. Annal. Taciti, & Georgius Longus tractatione de annulis ſignatoriis cap. 11. nec non Aloyſius Nouarinus in Electis ſacris tit. de ſigillo ſpirituali. Quia ergo ſigilla olim, eo quod ad claudendum adhiberentur, donabantur non tarò nomine *clauis*, idcirco, id quoque inſtrumentum quod veluti ad obſignandum imprimitur parti læſæ, nomine *clauis* eſt inſignitum, vt philoſophatur Ioannes Roberti in Notationibus ad partem ſecundam Actorum S. Huberti c. 3. Quanquam commodiùs fortaſſis repereretur ea denominatio ex eo quod vt eiuſdem ſancti viri Acta habent parte 1. cap. 3. cùm is ad altare Principis Apoſtolorum inauguratus eſſet Epiſcopus à Sergio Papa. [Cum ibidem Miſſam celebraret, apparuit ei B. Petrus Apoſtolus tradens ei clauem quaſi auream in manu geſtandam, in poteſtatem ligandi ac ſoluendi, & lunaticis furioſiſque ſanitatem conferendi. Clauis autem ipſa, vſque hodie ſeruatur in Eccleſia B. Petri, Leodij.] Ex eo itaque quod poteſtas & gratia S. Huberto gratis data ad ſanationes, ſymbolo clauis expreſſa fuiſſet, opportunè inſtrumentum ad eiuſdem gratiæ expromptionem accommodatum, nomine *clauis* donatum videtur, tametſi nequaquã formam clauis præfert, ſed alicubi formam annuli aut crucis, alibi aliam.

Quæ Andaini, celeberrimo Arduennẽſis Syluæ cœnobio adhibetur, & à Ioanne Roberti q. 9 Hubertina *in fine*, ſubiectâ eius imagine eſt expreſſa, ferrum eſt teres atque rotundum, longè aliâ formâ quam clauis. Craſſities illi, qualis cycni calamo, longitudo ferè quadripalmaris. Ad vnum extremum, cornu venatorium eſt, duorum digitorum amplitudine, cum ſuis habenis, omnia e ferro. Alterum extremum exacutum, inſeritur manubrio ligneo, ad faciliorem innoxiamque tractationem. Quod dixi cornu, igni candefactum, religioſè inuocato B. Huberto, & eius poteſtate veluti interpellatâ, imprimitur vulneri hominis, alteriuſve animalis ab ab alio animali rabie percito ſauciati; ſi quidem vulnus pateat: ſi autem non pateat, fronti imprimitur. Dein fronti inciſæ, fruſtillum è ſacrâ ſtolâ B. Huberto à Deiparâ tranſmiſsâ decerptum immittitur, cute reiectâ adoperiendum, ibique perpetuò includendum. Et cùm tot & tanti à tanto tempore accurrant, & ſegmenta illius ſtolæ pro ſingulis carpantur; inconſumpta tamen ſemper ad hanc diem perſeuerat, miraculo ſanè inſigni, ſed non incredibili, vt poſtea monſtrabo. Meminerunt ſtolæ illius, Acta S. Huberti parte 1. cap. 3. & ex ſerico albo, atque auro contextam exhibent. Sic igitur multi Sacro hoc ſtigmate ſanantur, interpellato B. Huberto, & præſcriptis obſeruationibus non neglectis, qui à rabido animali virus hauſerunt, aut eam virulentiam primi conceperunt. Quanquam idem beneficium per anteoccupationem obtinẽt, quibus ſtigma inuritur, priuſquàm virus hauriant. Fiunt enim qui ſic notantur, innoxij etiamſi à rabidis animalibus mordeantur.

Traiecti, clauis S. Huberti, eſt alterius formæ. Eſt enim formata in crucis modum. Sic enim lego in Epiſtola Nicolai Ciüeſen Prioris Patrum S. Auguſtini in Traiectenſi cœnobio, ad Abbatem Andainenſem. [Sacra frequenter in honorem glorioſi S. Huberti peraguntur, & celebrantur. Poſtea ex infirmitatibus variis, maximè à febribus ardentibus liberantur. Nonnunquam animalia infirma, & à canibus læſa adducuntur; & claui S. Huberti in modum Crucis factâ, & panè benedicto in honorem glorioſi Sancti adhibito, iuxta fidelium deuotionem curantur.] En igitur S. Huberti clauem, ad modum Crucis.

Singularis eſt forma eius clauis S. Huberti, quam Nonuellerij adhiberi proditum eſt Clauis eſt ſtipite ferreo, ei ferè gemina quod ad ſtipitem attinet quam ſuperiùs, vſui Andaini eſſe præmiſimus Sed extrema iſtius, ſunt longè alia. Nam excluſo cornu quod in illa exhibuimus, hæc tribus ante extremum digitis, ſinuato in circulum ferro inſtruitur. Crux decuſſatim ex eodem ferro per medium circulum, diametro trium digitorum longum, producitur. Quatuor Crucis brachia, à centro obliquè, non ad cuſpidem aut capulum, ſed ad orbis ſinum diffunduntur. Supra orbem, ac crucem, in ipſo prorſus extremo, procurrit cuſpis duorum circiter hordei granorum magnitudine, quæ cuiuſnam ſit materiæ, quantumvis varij varia coniecerint nullus certò videtur aſſecutus. Ea cuſpis in ignem iniicitur; prorſúſque candefacta, vulneri animalis demorſi ac læſi admouetur, protinúſque virus, ſpumæ inſtar, cuſpidi candenti circumponitur, & cuſpide denuò in ignem coniecta abſumitur. Quod autem eſt obſeruatu digniſſimum, cùm cuſpidis illius exile corpuſculum, à pluribus iam ſæculis, prunis candentibus immittatur, nulla, præter ferri & chalybis ac huiuſmodi aliarum materiarum morem, detrimenta excipit; ſed aduersùs vehementiſſimum & edaciſſimum elementum, integra prorſus ac imminuta perdurat.

Hæc ſunt quæ dicuntur S. Huberti ſtigmata, quorum iure hoc loco, inter religioſa ſtigmata meminimus, quia ex munere diuinitùs conceſſo S. Antiſtiti Huberto inuruntur, eodem beato Antiſtite ritè inuocato; numine benignè ſuffragante, & acceptam ſibi eſſe ſancti ſui interpellationem, tam multis miraculis prodente. Quod enim ex præmiſſis liquet, varia horum ſtigmatum adiuncta, ſunt miraculi pleniſſima. Vt inconſumptio ſtolæ, cuius fragmenta (vt retuli,) iam à tot ſæculis ad vſum curationum frequentiſſimè decerpuntur, & tamen perſtat inconſumpta. Firmitas item cuſpidis ſupra memoratæ, aduersùs ignis vehemen-

tiam, non vacat miraculo. Nam quilibet chalybs, aut ferrum, etiamſi decuplo maius, vi ignis iampridem exeſum atque abſumptum eſſe, ſi res naturæ finibus concluderetur. Curationes denique morborum alioqui inſanabilium, nó poſſunt non tranſgredi naturæ fines; & ad aliam cauſam reuocari, quàm ad numinis beneficentiam, ſic ſe exerentem ſupra naturæ vires.

Et illa quidem anteriora miracula, ex quibus abundè horum ſtigmatum ſanctitas innoteſcit, facillimè defenduntur, & certa præſtantur. Nam ſtolæ inconſumptio, quantumvis ex ea ſubinde aliquid carpatur, multis aliis indubitatis exemplis firmari poteſt. Omitto indeficientem farinæ hydriam, & olei lecythum ex Eliæ denunciatione, de qua 3. Reg. 17. Geminúmque eſt olei ab Eliſæo multiplicati miraculum, nec non paucorum panum è quibus centum viri comederunt, nec eos tamen conſumpſerunt, vt 4. Reg. 4. proditum eſt. Nota eſt in ſacris Euangeliis panum per Chriſti manum benedictorum inconſumptio; quantumvis è quinque panibus, quinque millia hominum paſta & ſatiata eſſent, & è ſeptem panibus quatuor hominum millibus ſuperfuiſſet cibario, vt Matth. 16. memoratur. Crucis Chriſti lignum, narrante S. Paulino epiſtola 11. vim viuam tenens in materia inſenſata, cum innumeris penè quotidie hominum votis commodaretur, detrimenta non ſentiebat, imputribili virtute & indelibili ſoliditate. Apud eundem S. Paulinum epiſtol. illâ 11. & apud Sulpitium lib. 2. hiſtor. anno Chriſti 315. narratur de terrâ extremùm à Chriſto calcatâ: quæ cum iugiter à fidelibus ſublegeretur, eadem tamen, & perinde ac ſi contacta non fuiſſet, permanebat. Quod item apud Surium 17. Decemb. habet narratio de mannâ è S. Ioannis Euangeliſtæ ſepulchro nec non de cineribus Amſtelrodamenſibus, connexâ in igne diuinâ Euchariſtiâ contactis narratio apud Molanum in Natalibus SS. Belgij 16. Martij. Specus Melitenſis, à S. Paulo denominata, terræ albæ præſentiſſimi contra venena remedij copia redundat, & quamvis aſſiduè eruatur, nunquam tamen imminuta deprehenditur, vt notat Beſſonus 2. p. Syriæ ſanctæ c. 5. Quod item contingere terræ campi Damaſceni propè Hebronem ſcribit Quareſmius lib. 6. Terræ ſanctæ cap. 1. peregrinat. 8. Innumera alia exempla proſtant in Sanctorum Actis & Chriſtianâ hiſtoria, multarum rerum diuino munere inconſumptarum, quantumvis aliquid inde ad vſum fidelium ſubtraheretur. Quidni ergo idem in ſtolâ S. Huberti accidere potuerit, beati illius Antiſtitis meritis?

Multò frequentius eſt, vt perſtiterint in igne illæſa Sanctorum meritis varia corpora: atque adeò quod de cuſpide clauis S. Huberti intra ignes diutiſſimè intemerata referebam, manet à calumniâ immune. Apud Theodorum Lectorem l. 2. Collectan. & Nicephorum l. 15. cap. 23. nec non Cedrenum *in Anaſtaſio*, ſubortâ inter duos Epiſcopos quorum vnus Arianus Alter Catholicus erat, contentione; Orthodoxus pyram ingentem vehementiſſimè ſuccenſam ſubiit: & inde cum Ariano ſermonem de fide protrahens, hæſit illæſus ad longum tempus; intactis etiam veſtibus. Idem ex ſimili cauſâ cum Hæretico Seueriano certans Ephræmius Patriarcha Antiochenus, aggreſſus eſt exequi; tametſi ignem ſubire impeditus, duntaxat ſuam ſtolam in eum coniecit, quæ lignis planè conſumptis ſublata eſt prorſus integra, & nullo ignis indicio notata. Rem ſuperis acceptiſſimam deſcribit Moſchus c. 36. Limonarij. Annuli ex conlectu in ignem planè candentis, à Catholico prorſus illæſo collectio, & diutiſſima in manu aſſeruatio, deſcribitur à Gregorio Turonenſi l. de glor. Confeſſ. cap. 14. & affine eſt exemplum quod recitat l. de gloria Martyr. c. 18. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Amſtelredami ab ægro cum phlegmatibus eiectum, miſſúmque in ignem, anno 1345. ne candorem quidem exuuiarum panis amiſit, vt Molanus in Natal. SS. Belgij ſcriptis prodidit 16. Martij. De libello S. Dominici in ignibus prorſus inuiolato, videndus Theodoricus ab Apoldia in Sancti Viri Actis c. 6. Ludo operam, accumulans exempla in re protritâ. Si quem plurium huiuſmodi narrationum deſiderium tenet, Roſuedium adeat, qui omnino multas collegit l. de fide hæret. ſeru. cap. 12. Quibus perpenſis, non poterit mirum videri, quod de clauis Hubertinæ cuſpide toties in igne candefactâ, ſemper tamen illæsâ, referebam.

Quamuis autem duo illa quæ prius proponebam miracula, adiunctorum impreſſionis ſtigmatis S. Huberti, facile propugnentur ad modum prædictum: tamen curatio morborum conſequens ſtigmatis inuſtionem, videtur obnoxia calumniæ ſpectatis nonnullis quæ variis locis varia obſeruari iubentur ab eo qui S. Huberti meritis, poſt exceptum eius ſtigma, curationem expectat. V. G. Andaini iubetur ſacram Euchariſtiam nouem deinceps diebus accipere, interimque ſolus dormire; idque vel in linteis recens lotis, vel non depoſitis veſtibus. Vetatur item caput fontibus fluminiſve acclinare ad bibendum, & iubetur ſolus bibere, vel aquam puram vel vinum album, admiſtâ aquâ, aut beluolum quod paſſim *Claretum* appellant. Interdicitur ei eſu carnis ex animali infra anniculum, itémque eſu ouorum niſi ſint durata, & piſcium prætérquàm ſquamatorum, ac denique cuiuſvis edulij calentis, ſed frigidum eſſe oportet, quicquid aſſumit in cibum. Vetatur totos quadraginta dies à vulneris inflictione, caput pectere. Hæc Andaini ſeruari ferunt. Alibi alia præſcribuntur, non minùs obnoxia calumniæ. Nam Fliniis in Belgio, qui ad S. Huberti memoriam curandus eſt, accipit imprimis clauum nouum, qui S. Huberti reliquiarum contactu ſanctificationem hauſerit. Eo clauo nouem deinceps diebus, tantillum ſanguinis è vulnere morſu rabidi animalis illato, prolicitur: & poſt nonum diem, clauus eò abiicitur, vbi à nemine reperiri queat. Illis verò ſolemnibus nouem diebus, qui curandus eſt, vetatur induſium lodicéſve mutare, & pectinem vel ſpeculum adhibere, itemque porcinam carnem edere, & de cuiuſvis animalis capite deguſtare, vel panem niſi die vno antiquiorem, aut piſces non ſquamatos, porros, allia, cepas, & quicquid grauem creat anhelitum. Iubetur ſolus è ſuo ſibi vaſculo bibere, & ſolus cubitare. Nonvuellerij nouendiali illo curationis, præſcribitur ægro recitatio Orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ, ſed ita vt primo die nouies eam recitationem expleat, ſecundo octies, tertio ſepties, & ſic deinceps numero quot diebus minuto. Atrebij, qui curandus eſt, iubetur totos quadraginta dies, locum vbi ſunt capræ, defugere: & caprinâ carne, lacte, caſeo, ſtudioſè abſtinere. Hæc omnia nonnihil difficultatis ingerunt circa curationem interuentu ſtigmatum aut cæſuræ interpellato B. Huberto factam. Redolent enim ſuperſtitionem.

Probauit

Probaois diligentiam in his ab omni labe purgandis Ioannis Roberti q.9.Hubertinâ,eâque imprimis profers,quæ à Renato Benedicto altero de SS. volumine traduntur in vita S. Marculphi,cuius meritis Renatus curationem à ſcrophularum ægritudine tribuit, variis obſeruationibus præſcriptis, quæ in eas quas curatio per S Hubertum exorata depoſcit, ferè recurrunt. Nam ſcrophulis laborantes, nouem dies ad S. Marculphi corpus certo ritu exigere neceſſe eſt, nominatímque ſeruatâ à quibuſdam cibis abſtinentia, vt ab alliis, piſis, carne bubulâ,anguillâ;quorum etiam quædam,per totam deinceps vitam non ſunt attingenda. Sunt hæc (vt dixi,) iis quæ in curatione per S. Hubertum expetitâ præſcribunt, propè gemina. Nihilominus quia hoc eſt duntaxat clauum clauo trudere, & de ſimilibus obſeruationibus ad ſanitatem à S. Marculpho exorandam perſcriptis, poſſet eſſe par controuerſia, non videtur expleri Lectorum animus,& omnis ſcrupulus ſuperſtitioſæ notæ,iure his obſeruationibus vtrobique præſcriptis inflictæ,reuelli.

Itaque idem Author totâ q.9.citatâ.multus eſt in comprobando ſigillatim,nitore obſeruationum illarum omnium, earúmque elongatione à ſuperſtitione: præſtatque id non incommodè, circa obſeruationem nouenarij numeri; quem in tribus ſacris obeundis citra labem vſurpari, monſtrare memini in Heteroclitis ſpiritualibus lib. 1.ſect. 2.puncto 2. nu.16.Non incommodè quoque aſſumit, etiamſi curatio per S. Huberti ſtigma miraculo obtineatur, poſſe tamen voluntate Dei creaturam ſuam velut honeſtantis,adiungi ad miraculi cauſationem, admotiones rerum naturalium. Sic enim aquæ peſſimæ & ſteriles 4. Reg 2 ſanatæ ſunt,& fœcunditate donatæ, immiſſo ſale. Colocynthidea item, farinæ in ollam immiſſione, liberatæ ſunt natiuâ malignitate, ex 4.Reg.4.non quod defuerit miraculum, & effectus in farinæ vim natiuam ſit referendus omnino, quo pacto molliendus eſt Valleſius c.36. Hieroph. ſed quod placuerit Deo, vti naturæ miniſterio in iis quoque, quæ operatur ſupra naturam: & nominatim in curatione miraculosâ morborum; quod docet exemplum Tobiæ Senioris,cuius cœci oculi, felle piſcis liti, ſanantur miraculo: & exemplum Naamen leproſi septies in Iordane lauare iuſſi, ad exorandam miraculo curationem: nec non exemplû Regis Ezechiæ, poſitâ ſuper vlcus eius maſſâ ficorum ab Iſaia, perſanati. Poſuit ergo ſimiliter Deus, in curatione per S. Huberti merita ægris concedenda, ſimilem corporearum rerum adhibitionem admittere, etiamſi curatio ipſa miraculoſum quid eſſet, nec illarum rerum naturalium nudâ admotione præſtanda foret: imo via vlla merè naturalibus remediis ſperanda eſſet, vt experimenta faciunt teſtatiſſimum.

Valeant iſta, quoad magnam partem obſeruationum iis præſcriptarum, qui beneficio ſtigmatis S. Huberti plenam ſanitatem captant. Secluſo tamen omni præiudicio, fortaſſis nihil eſt quod adigat, ad omnes illas obſeruationes immunes à materialis ſuperſtitionis notâ præſtandas. Neque enim vbiuis ſunt ſtatæ aut eædem;ſed variis locis variæ; & potuis accidere, vt alicubi pari accuratione non exercerentur, & aliqua adhiberentur, quibus prætermiſſis, negotium potiùs, nec infructuoſiùs peragerentur. Neque ſi illis adhibitis, optatus effectus ſubiungitur, argumentum idoneum eſt, puritatis omnimodæ atque nitoris illimis, omnium obſeruationum adhibitarum: quia Deus in corda hominum intentus, pluſquàm in facta, potuit rependere optatum effectum, piæ ſimplicitati intermiſcentium aliquid reipſa ſuperſtitioſum, materialiter(vt ſic dicam,)non formaliter. Conſtat ſæpè orationes incongruentiſſimas, Deo piam ſimplicitatem remunerante & vocum corticem negligente,eſſe auditas, & optato effectu donatas. Idem ergo pro obſeruationibus aliquibus piis,ſi fortè à materialia ſuperſtitionis illuuie expurgari ſatis non poſſent, perfugium reliquum eſſet.Nihil tamen præiudico.

CAPVT X.

Stigmata S. Franciſci.

MInus ſollicitus ſum pro ea S. Franciſci ſtigmatizatione per crucem rubram in dextro humero, quæ facta in eo proditur priuſquàm baptizaretur; cum ab Angelo ſpecie peregrini aduentante exceptus ſinu,& amplexu eſt honeſtatus, vt ex multis Authoribus recitat Saluator Vitalis in Floreto Aluernino Lilio 5. ratione 4. *pag. mihi* 131. Tametſi enim non ſollicito fidem illius narrationis, quæ S. Bonauenturam præterit; habemus tamen in S. Franciſco, longè illuſtriora ſtigmata, in quæ paulò diligentiùs inquirendum ſequitur; duobus quæ apud aliquos malè feriatos nunc in controuerſiam vocantur, ritè diſcuſſis atque firmatis. Primum ſpectat exiſtentiam & veritatem ſtigmatum S. Franciſci. Alterum rationem & formam eorundem ſtigmatum.

Circa primum punctum, Theodorus Beza in cap. 6. ad Galat. tractans illud Apoſtoli, *Ego ſtigmata Domini I E S V, in corpore meo porto*,obiter infligit genuinum S. Franciſco,dicens. [Vocat igitur (Apoſtolus) ſtigmata,non horrendi illius ſtigmatici idoli, ſeu vera ſeu fictitia vulnera: (nihil enim intereſt, quanquam fictitia eſſe ſatis conſtet;) ſed ea quæ commemorat 2. Corinth. 11.) Hæc ſpurcus Beza omnibus tetris notis iuuſtus, cui S.Franciſcus eſt *idolum ſtigmaticum horrendum*; cius verò vulnera, *figmenta*, Si percontere Bezam, vnde habeat hæc eſſe fictitia vulnera, déque eorum figmento ſatis conſtare; nihil habebit quod alleget non authoritatem, non rationem, non indecentiam, multò minùs impoſſibilitatem. Itaque ſatis conſtat hæc eſſe fictitia vulnera,quia id ſibi fingit Beza: cuius impietatis ac petulantiæ in virum ſanctiſſimum, hæres ea eſſe euaſit Philippus Moinæus in tetro Opere quod inſcripſit *Myſterium iniquitatis* pag.345. Narrationem hãc de S. Franciſci ſtigmatibus *fabuloſum portentum* appellat Balæus Scriptorum omnium vt miſerrimus,ita & impudentiſſimus in Catalogo Scriptorum Angliæ in Appendice ad num.37. Centuriæ tertiæ.Petri Boquini Biturigis,hæc verba referuntur à Franciſco Torriano, in Apologetico pro nomine Societatis Ieſu. [Paulus Chriſtum crucifixum, & animo circumtulit, & voce expoſuit ac pinxit, & vita ſic expreſſit, vt eius etiam in ſua carne, circumferret ſtigmata, non picta aut ficta, vti Franciſcanum idolum,ſed in omnibus ſuis partibus impreſſa.] Blaſphemas haſce nugas, Turrianus, excutiens cap.13.Boquini contra Societatis IESV denominationem, ex eius libro retulit. Nam

ipſum quidem Boquini opus, mihi inuiſum fatebar, cum iſta primùm ſcriberem. Poſtea autem in illud malè ſani hominis opus incidi, Lugd. 1658. & verè allegaſſe Turrianum d. prebendi, in Boquini opere pagina 190. Extra apertè hæreticos ac impios, Pomponatius l. de Incant. cap. 6. *in propoſitione Octaui dubij*, hæret anceps, an S. Franciſcus ſacris hiſce ſtigmatibus ſit inſignitus. Nuperrimè quoque, fortia quædam ingenia ſub nomine Catholico occulentia indignam Eccleſiæ filijs capitoſitatem, ſacris B. Franciſci ſtigmatibus obſtrepuerunt, vt refero in Antemurali ad hiſtor. à S. Ioannis Bened. &c. Præiuerat his omnibus quidam F. Enechardus Ordin. Prædicatorum, quem Gregorius IX. in reſcripto dato anno 1237. teſtatur Opaniæ in Morauia pro concione dixiſſe, quæ de S. Franciſci ſtigmatibus iactabantur, commenta eſſe quæſtuariorum, cùm reuera nihil tale fuiſſet in S. Franciſci corpore.

Contrarium piis Catholicis eſt vſquequaque certum, ita vt ſine horrenda temeritate reuocari in dubium nequeat. Nam ita explicatiſſimè tradiderunt, & contradicentes multandos decreuerunt Gregorius IX. dicto reſcripto dato Viterbij anno 1237. affirmans veritatem ſacrorum S. Franciſci ſtigmatum, à ſe eſſe comprobatam, per teſtes omni exceptione maiores. In alio item diplomate ibidem Viterbio conſcripto 5. Calend. Aprilis Pontificatus ſui anno 11. præfatus merita S. Franciſci adeò fuiſſe perſpicua, vt neminem fidelium laterent, addit. [Veruntamen grande ac ſingulare miraculum quo ipſum Sanctorum ſplẽdor & gloria Dominus Ieſus Chriſtus mirabiliter decorauit, Vniuerſitati veſtræ tenore præſentium non indignè duximus exprimendum. Videlicet, quod idem Sanctus cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſummauit, manibus, latere, ac pedibus, ſpecie ſtigmatum diuinitùs extitit inſignitus: quo ad noſtram & Fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum cæteris eiuſdem miraculis per teſtes fide digniſſimos probato ſolemniter, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quòd Confeſſorem eũdem de dictorum Fratrum & omnium Prælatorum conſilio qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Igitur cùm id ab vniuerſis fidelibus & vobis præcipuè, credi firmiter cupiamus, deuotiones veſtras rogamus & hortamur in Domino IESV Chriſto, in remiſſionem veſtrorum peccatorum iniungendo, quatenus ab aſſertione contrarij, aures de cætero penitùs auertentes, Confeſſorem eundem apud Dominum, pia vobis reddatis veneratione propitium.] Sic ille ad vniuerſos Chriſti fideles per Teutoniam conſtitutos. Idem in alio diplomate cuius initium eſt *Seraphim volabant iuxta prophetam*, interminatur anathema oblocutoribus, hæc ſacra ſtigmata carpentibus.

Explicatiùs etiam, eiuſdem Gregorij tunc domeſticis obſequiis addictus, & ipſi S. Franciſco familiaritate coniunctus Alexander IV. conſtitutione edita anno 1255. cuius exordium eſt *Benigna operatio*, multa prælocutus de ſancti Franciſci virtutibus & prærogatiuis ac miraculis; per Gregorium IX. ſolemniſſimis inquiſitionibus, (ſic enim loquitur,) ritè debitèque comprobatis, ſubdit quæ interſis audire ad huius prodigij introſpectionem. [Signanter (inquit,) vobis antè oculos proponere volumus, recolenda frequentiùs, & vehementiùs admiranda illa ſatis iucunda dominicæ paſſionis inſignia, quæ in eiuſdem Sancti corpore, dum adhuc vitalis ſpiritu foueretur, manus cœleſtis operationis impreſſit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, & certiſſimi cõtrectantium digiti palpauerunt, quod in manibus eius & pedibus, expreſsâ vndique ſimilitudine clauorum de ſubiecto propriæ carnis excreuit, vel de materiâ nouæ creationis accreuit. Quæ equidem idem Sanctus, ſtudiosè ab oculis hominum quorum refugiebat gloriam, dum viueret, abſcondebat. Inuenta eſt patentiùs in ipſius defuncti corpore non inflicta humanitùs, nec facta plaga vulneris lateralis, quaſi aliquod inſtar lateris Saluatoris, quod redemptionis & regenerationis humanæ in Redemptore noſtro protulit Sacramentum. Quæ quidem plaga, ſicut quoſdam ex Fratribus ſibi familiariter adhærentibus latere non potuit, propter defluxum humoris, diu antea viguerat in viuente.] Ita Alexander Pontifex, ſibi comperta referens.

Sed & Lucas Tudenſis Epiſcopus, qui altero vel tertio à S. Franciſci obitu anno ſcribebat, l. 2. contra Albigenſes c. 11. S. Franciſco immenſum pangens præconium, eius ſtigmatibus egregiè atteſtatur; & ex eis nonnulla improbata placita de latere Chriſti vulnerato, & numero clauorum refellit. Inuerit eius plagulam attexere. [Illud (inquit,) Beatiſſimi Patris Franciſci, cuius humilitate & ſimplicitate ſanctiſſimâ, Deus noſtris temporibus mundi contriuit ſuperbiam, & ſcientiam reprobauit, qui ſtigmata Ieſu Chriſti in ſuo geſtauit corpore, ſpecialiùs ad fulciendum teſtimonium veritatis in medium proferamus, *&c.* Enimverò vt in eius ſacrâ reperitur legendâ, & multorum Religioſorum, Clericorum, Laïcorum, & Secularium qui manibus contrectare meruerunt, vel corporeis oculis ante quinquennium aſpexerunt, pium perhibet teſtimonium; in manibus & pedibus B. Franciſci, quatuor apparuerant ſigna clauorum; in Chriſti milite, demonſtrantia perfectam de luctamine mundi victoriam, & ſui Regis Ieſu Chriſti ſequelam.] Alia multa ibidem in hanc rem habet, ad formam potiùs ſtigmatum ſpectantia.

F. Elias qui S. Franciſco ſucceſſit, literis ad Miniſtrum Franciæ datis anno 1226. ſtatim à S. Frãciſci obitu ſic ſcribit. [Non diu ante mortem; Frater, & Pater noſter apparuit crucifixus, quinque plagas, quæ verè ſunt ſtigmata Chriſti, portans in corpore ſuo. Nam manus eius & pedes, quaſi puncturas clauorum habuerunt ex vtraque parte confixas, reſeruantes cicatrices, & clauorum nigredinem oſtendentes; latus verò eius lanceatum apparuit, & ſæpè ſanguinem euaporauit.]

S. Bonauentura, domeſticus quidem teſtis, tamẽ omni exceptione maior ea profert pro veritate ſtigmatum S. Franciſci, quibus ineluctabiliter firmentur. Ita enim habet cap. 13. vitæ [B. Franciſci ſtigmata, viderunt dum viueret Fratres plurimi, qui licet eſſent propter ſanctitatem præcipuã, viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubiũ amouendum, ſic eſſe, ac ſe vidiſſe tactis ſacroſanctis, iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate quam cũ viro ſancto habebant, aliqui Cardinales, laudes ſacrorum ſtigmatum proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorem, veraciter inſerentes; qui tam verbo quàm ſcripto, perhibuerunt teſtimonium veritati. Summus etiã Pontifex Dominus Alexander, cũ populo prædicaret, coram multis Fratribus & meipſo, affirmauit; ſe, dum ſanctus viueret, ſtigmata illa ſacra, ſuis oculis

oculis conſpexiſſe. Viderunt in morte pluſquàm quinquaginta fratres, virgóque Dei deuotiſſima Clara cum cæteris ſororibus ſuis, & ſeculares innumeri, ex quibus (quemadmodum ſuo loco dicetur,) quamplurimi & oſculati ſunt ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus ad teſtimonij firmitatem.]

Quid quod longè ante quàm S. Franciſcus ſacris ſtigmatibus inſigniretur, ac etiam priùs quàm ordinem Minorum conſtitueret; & vt aliqui volunt, antequàm hauſiſſet hunc aërem, ſacris ſtigmatibus impreſſis inſignitus, ac habitum Minorum indutus, Venetiis in æde S. Marci exhibitus eſt à pictore, dictu Ioachimi Abbatis, vt ſcribitur in Menologio Ciſtercienſi 30. Auguſti, vbi autor Ioachimum facit Ciſtercienſem, Curatij Abbatem, quamuis Trithemius faciat Benedictinum & Abbatem Florenſem, qualis etiam agnoſcitur ab Innocentio 3. cap. *damnamus* de ſumma Trinit. & fide Catholica. Et quamuis eo capite *damnamus*, ſaluo honore perſonæ, improbantur quæ Ioachimus ſcripſerat contra Petrum Lumbardum; tamen non videtur negandum, quin Ioachimus & vir admodùm pius, & ſpiritu prophetico donatus in pleriſque fuerit, vt agnoſcit Gulielmus Pariſ. l. de legibus c. 11. & Arnoldus Vuion in ligno vitæ lib. 5. cap. 86. ac Biuarius in Appendice ad Fl. Dextrum. Quod ergo Ioachimus, ſpiritu prophetico S. Franciſcum nondum tunc orbi agnitum, nec ſtigmatis notatum, pingi curauerit cum ſtigmatibus, argumentum eſt non leue, pro ſacrorum eius ſtigmatum veritate.

Refert quoque Bapriſta Mantuanus, in Apologia pro Carmelitanis, F. Angelum ſui Ordinis Martyrem ſpiritu prophetico illuſtrem, cùm Romæ incidiſſet in B. Franciſcum, à quo ad pedes accidente audiuit futurum ſuum Martyrium, viciſſim ei repoſuiſſe: *Beatus tu Franciſce, qui Chriſti ſtigmatibus es decorandus.* Affuiſſe huic colloquio B. Dominicum affirmat idem Mantuanus, addens non habere FF. Minores pro B. Franciſci ſtigmatibus, teſtimonium aliud magis idoneum. Mihi ſufficit dicere, eſſe teſtimonium apprimè idoneum & efficax.

His humanis teſtimoniis Turrianus dicto libro cõtra Boquinum, adiungit diuinum teſtimonium. Etenim cum boues & reliquum pecus in agro Reatino peſtis conſumeret, nec vllum remedium vſpiam appareret, admonitus eſt per ſomnum quidam amicus Dei vt adiret ad Monaſterium Fratrum Minorum, & aquam qua S. Franciſcus pedes & manus lauaſſet, armentis boüm & pecoribus inſpergeret. Cum ergo aquam occultè à ſociis tuliſſet; continuò quibus aſperſa fuit aquula, aut etiam guttula, penitus ſanauit. Idem in omni vulnere aut vlcere hominis efficiebat. Præterea ſolebat quotãnis, nubibus ex Aluernia mõte præcelſo coactis, magna vis tempeſtatis & grandinis, fruges fructúſque circum ea loca vaſtare. Poſtquam verò S. Franciſcus in eo monte quò ſe ad prolixiùs & quietiùs orandum receperat, diuinitus accepit, nunquam amplius cecidit illa ſolita grando, ſed cum omnium admiratione, deinceps, mira ini-bi fuit cœli ſerenitas & clementia. Cui hæc ſatis ſupérque ad horum ſtigmatum aſſertionem ſtabiliendam non fuerint, eàdem ceruicoſitate & duritiâ animi, plura repudiabit. Itaque abſtineo cumulatione plurium, quæ legere licet apud Leonardum Cocquæum in Antimornæo, in antidoto contra progreſſum quinquageſimum, ac etiam apud Vuadinghum t. 1. Annal. Minor. anno 1224. à numero 15. & apud Arturum à Monaſterio, in Martyrologio Franciſcanorum ad 17. Septemb. Quare haud abſre Leo X. in Bulla quæ dicitur *vnionis*, dixit S. Franciſcum eſſe alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. Et prænerat S. Bonauent. in prologo Legendæ Maioris, aliique longo agmine adducti in Floreto Aluernino Fratris Saluatoris Vitalis Hyacintho 4. Quod autem hunc ſenſum loci Apocalypſeos, Eymericus 2. p. Directot. quæſt. 11. damnare videtur hæreſeos, floccifaciendum eſt; cum ſaltem in ſenſu accommodatitio locus ille, poſt tot Doctores Catholicos, ipſúmque Pontificem, ad eum modum accipi poſſit.

Nunc forma ſacrorum B. Franciſci ſtigmatum, attingenda eſt, iis additis ad iam prolata ex Alexandro quarto, occultato teſte, quæ habet S. Bonauentura in vitâ S. Franciſci c. 13. Narratâ enim viſione Chriſti, ſpecie Seraphini B. Franciſco obiecti, ſubdit S. Bonauentura. [Diſparens igitur viſio, mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem; ſed & in carne non minùs mirabilem ſignorum impreſſit effigiem. Statim namque, in manibus eius & pedibus, apparere cœperunt ſigna clauorum; quemadmodùm paulò antè, in effigie illâ viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes in ipſo medio clauis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Erántque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra. Ipſa verò acumina, oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipsâ carne ſurgentia, carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quaſi lancea transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat, quod ſæpè ſanguinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat.] Affinia ante S. Bonauenturam ſcripſerat, eiuſdem cum S. Franciſco temporis Scriptor, Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes cap. 11. Rurſus verò idem S. Bonauentura ibidem cap. 15. [Cernebantur enim in membris illis felicibus, claui ex eius carne virtute diuinâ mirificè fabrefacti; ſicque carni eidem innati, quòd dum à parte qualibet premerentur, protinùs quaſi nerui continui & duri, ad partem appoſitam reſultabant. Inuenta quoque fuit patentiùs, in ipſius corpore non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Saluatoris, quod redemptionis & regenerationis humanæ in ipſo Redemptore noſtro protulit Sacramentum. Erat autem ſimilitudo clauorum, nigra quaſi ferrum; vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam, carnis conciſione reductum; roſa quædam pulcherrima videbatur.]

Neque illud circa formam ſtigmatum S. Franciſci prætereundum videtur, quod à S. Antonino ſcriptum memini 3. p. chron. tit. 24. c. 7. §. 9. inter carneos illos aut nerueos clauos & carnem, quotidie præterquàm ſextâ feriâ, appoſita fuiſſe linteola, ad ſiſtendum & combibendum manantem aſſiduè ſanguinem, ac leniendum viri Sancti cruciatum. Tradunt idipſum varij Scriptores Ordinis Minorum appenſi à Vuadingho anno 1224. num. 17. malè refragantibus Baltaxare Corderio in additamentis ad Catenam Græcorum Ioan. 20. & Vincentio Iuſtiniano Antiſtlo libello de Imag.

B. Catha

B. Catharinæ Senenſis §. 8. quorum ille exiſtimat S. Franciſci ſtigmata fuiſſe tantùm cicatrices obductas, non fiſſuras, quales in Chriſto confixo fuerunt. Hic verò pictorum licentiæ tribuit, quod exhibeant in S. Franciſco, quaſi excauata foramina. Et vterque labitur; cùm ea omnibus adductis conſtet, ſtigmata S. Franciſci, ſimilia fuiſſe ſtigmatibus Chriſti confixi; ita vt claui carnei aut nerui, intra cauitatem manuum ac pedum, ab illis clauis diſcontinuam, reperirentur. Tolerabilius eſt, quod idem Iuſtinianus tradit, ex manibus ex pedibus nunquam fluxiſſe ſanguinem. Hoc dico eſſe tolerabilius; quia quamuis graues plerique DD. memorati, contrarium affirmant; tamen Alexander 4. & F. Elias S. Franciſci ſucceſſor, ac S. Bonauentura, nunquam meminerunt ſanguinis aliunde in B. Franciſco ſtillantis, quàm è plagâ lateris. Nihil tamen muto, cùm hoc argumentum ſit tantùm ab authoritate negatiuâ paucorum.

Pergo ad cauſam efficientem ſtigmatum S. Franciſci, in qua variatum eſt ſententiis. Michaël Montanus l. 1. ſpeciminum c. 21. refert fuiſſe qui dicerent, S. Franciſci ſtigmata, obtigiſſe illi ex validâ imaginatione. Ex Epiſtola Pauli Areſij Dertonenſis Epiſcopi ad Fortunium Licetum, comperi, in eadem imaginatione de S. Franciſci ſtigmatibus per validam imaginationem impreſſis, fuiſſe Hieronymum Montuum Medicum Gallum, cuius Anaſceue morborum extat; ſed nihil in eo opere occurrit ad hanc rem faciens. Itaque oportet aliam aliquam eius ſcriptionem, hoc doctrinæ fermento ſorduiſſe. Idipſum Monſpelij non ita pridem docuit Medicus cæteroqui non imperitus rubricarum Galeni, ſed ex eo Medicorum genere, quibus ſi Deus eſt, decernitur colendus, ſin minùs, prætereundus. Sanè hic ipſe *Saporta* (id viro nomen,) non erubuit chartis illinere luculentam blaſphemiam, de Lazaro non defuncto, ſed tantùm lethargico; quod fuit mentitionem Chriſto ipſi impingere, qui Lazarum fuiſſe mortuum, eſt conteſtatus. Sed ſic habent ingenia Synagogæ libertinorum. Et iuſto Dei iudicio, haud ita multò poſt lethargo oppreſſus obiit, qui illuſtriſſimum Chriſti miraculum, lethargico ſymptomate quod Chriſtus diſcuſſerit, obſcuratum voluit, vt retuli in Prato ſpirit. §. 84. Meliore haud dubiè mente, idem de cauſâ ſtigmatum S. Franciſci, pronunciauit Franciſcus Petrarcha. Meliorem in iſto mentem agnoſco, quia l. 2. de vitâ ſolitar. c. 11. vocat ſtigmata S. Franciſci, *ſtupendum inſigne ſacrorum ſtigmatum.* ſcribit etiam Vuadinghus anno 1224. num. 50. penes ſe eſſe Manuſcriptum præconium metricum ſtigmatum S. Franciſci ab eodem Petrarcha exaratum. Hic tamen tantus laudum S. Franciſci & ſtigmatum eius buccinator, libro 8. Epiſtolarum ſenilium in tertiâ quæ eſt ad Thomam de Garbo Medicum Florentinum, agens de viribus imaginationis, aut (vt ipſe loquitur,) *opinionis*; [Profectò (inquit) Franciſci ſtigmata, hinc principium habuere, Chriſti mortem tam iugi & validâ meditatione complexi, vt cùm eam in ſe iamdudum animo tranſtuliſſet, & cruci affixus ipſe ſibi ſuo cum Domino videretur, tandem ab animo in corpus veram rei effigiem, pia transferret opinio.] Pompanatius item l. de Incantat. cap. 6. ad. 8. fatetur ſtigmata S. Franciſci, poſſe ad vim naturalem imaginationis reuocari, & ita eſſe affirmandum, niſi Eccleſia aliud ſtatuat.

Hæc tamen imaginatio, prorſus friuola eſt & exſibilanda. Nam quamvis verum eſt, imaginatione, nonnulla interdum per ſympathiam effici in nobis, quæ à temperie pendent; eáque etiam ex cauſa fœtus maternâ aluo concluſus, qui matri intimus eſt, & vnum quid cum eâ facit, variè plerunque afficiatur, & notis corporeis imaginante matre conſignetur: tamen fixo ſapientum omnium conſenſu, & manifeſtâ ratione, prohibemur cum quibuſdam erronibus adeò delirare, vt imaginationi adſcribamus effectus planè extraordinarios; cuiuſmodi ſunt tēpeſtates & pluuias profuſas ciere, faſcinare, ſanare, loco dimouere, & huiuſmodi alia præſtare, quæ per imaginationem effici, nonnulli malè feriati effutiuerunt, iure exploſi à Delrio l. 1. Magic. c. 3. q. 3. & à Condroncho l. 2. de morbis veneficis c. 1. Similia adducam contra blaterones illos, qui notas maleficorum Satanicas, ad imaginationem referunt, cum ſagarum patrono Vviero. Multò magis ergo prohibemur, ſtigmata S. Franciſci, opus adeò excelſum ac ſtupendum, in vires naturales imaginationis referre. Et multi ſanè, contentiſſimè & feruentiſſimè ſacra Chriſti vulnera ſunt meditati, quibus tamen ſtigmata qualia S. Franciſcus habuit, minimè obtigerunt. Quod ſi reuera S. Franciſcus, ſtigmata ab imaginatione validâ paſſionis Chriſti habuiſſet, certè Deiparam, & S. Ioannem, ac B. Magdalenam, quibus vulnera Chriſti è propinquo ſpectare, & validè imaginari datum eſt, inſigniri ſimilibus ſtigmatibus oportuiſſet. His pridem vulgatis incidi in opus Fortunij Liceti de quartò quæſitis per Epiſtolam cap. 29. quo falſitatem doctrinæ exagitatæ proſequitur,

Extra omne igitur dubium ſtatuamus, ſtigmata S. Franciſci fuiſſe opus Dei ſupra naturam. Quanquam controuerti poteſt, fuerintne hæc ſtigmata immediatum Dei opus, an verò iuſſu ac decreto Dei per Angelum quempiam ſint impreſſa, iuxta modum agendi diuinum, adhibendi Angelos tanquam adminiſtratores Spiritus, ad ea quæ per illos effici poſſunt; etiamſi plerunque, quia operantur in perſonâ Dei, aut Chriſti, dicatur Chriſtus aut Deus, talia operatus. Hanc autem ſacrorum ſtigmatum impreſſionem, in B. Franciſco factam, non excedere vim Angelicam, motu locali & actiuorum idoneorum applicatione ad paſſiua operantem, pono vt perſpicuum. Itaque Angelum Michaëlem S. Franciſco ſtigmata impreſſiſſe, affirmat Blaſius Viegas in cap. 12. Apocal. comment. 1. ſect. 18. num. 8. & Iacobus Hautinus Tract. de Angelo Cuſtode c. 2. §. 1. num. 3. Tunc enim cum S. Franciſcus ſtigmata excepit, fuerat cultui S. Michaëlis impensè addictus, eiúſque quadrageſimam piè obiuerat. Veriſimile ergo eſt, S. Michaëlem in perſona Crucifixi, & ipſius Chriſti nomine appamiſſe S. Franciſco, & illi impreſſiſſe ſacra ſtigmata. Idque intelligo, de S. Michaële Angelorum ſupremo ac Seraphim, non autem de inferiore aliquo eiuſdem denominationis iuxta nonam diſtinctionem, de qua legi poteſt Suares l. 6. de Angelis c. 10. à num. 24. Ei quippe Seraphino ſummo, & cœleſtis belli in rebellem Luciferum duci, tametſi non ex aſſiſtentibus, poteſt hoc miniſterium extra ordinem tribui, vt habet doctrina de omnibus beatis ſpiritibus ex quocunque ordine aliquando in miniſterium miſſis, latè confirmata à Pineda in cap. 33. Iobi ad verſ. 33. num. 8. & à Iuſtiniano, Hebr. 1. verſ. 14. à num. 8. nec non à Ribera ibidem. Sic igitur à S. Michaële

Seraphino,

Seraphino, factam impreſſionem ſtigmatum ſancti Franciſci, nec eſt opus ad ſublegatum ab hoc S. Michaële, Angelum recurrere, vt fecere aliqui apud Iacobum Hautinum l. de Angelo cuſtode c. 2. §. 1. num. 3. Non ſunt tamen pleríque Minorum, contenti opera S. Michaëlis Seraphini in hoc negotio, ſed eam immediatè ad Deum vt cauſam referunt. Ita latè Didacus à Cea lib. 1. theatri terræ ſanctæ cap. 7. §. 12. Et multa quoque ad id vrget Lucas Vvadinghus t. 1. annal. Minor. anno 1224. num. 16. & nominatim Officium Eccleſiaſticum de S. Franciſci ſtigmatibus, quo diſertè aſſeritur, Chriſtum ſtigmata impreſſiſſe S. Franciſco. Vrget item ipſiuſmet S. Franciſci reuelationem, quæ prodidit Chriſtum ſibi ſtigmata benedictis ſuis manibus impreſſiſſe, primùm manibus, tum pedibus, ac denique lateri. De eâ reuelatione latè Piſanus lib. 3. conformit. parte 2. fructu 3. & benè multi apud Saluatorem Vitalem in Floreto Aluernino roſa 33.

Cæterùm vltrò concedo, piè aſſeri Chriſtum ipſum immediatè ſuiſmet manibus, S. Franciſcum ſignis hiſce redemptionis noſtræ honeſtaſſe. Pro neutra tamen parte, ſtat liquida veritas. Nam Deus in Officio Eccleſiaſtico dicitur dediſſe legem Moyſi: & tamen Apoſtolus, docet legem *ordinatam*, ideſt *traditam* eſſe per Angelos. Et ſexcenta occurrunt alia, in quibus Angelus in perſonâ Dei pleraque obit, quæ Deo tribuuntur, quamuis immediatam cauſam phyſicam effectricem habeant Angelum. Potuit ergo in hoc item negotio, Angelus ſtigmata imprimere B. Franciſco: & tamen dici Chriſtum ea impreſſiſſe, quia Angelus nomine Chriſti & in eius perſonâ operabatur. Vtrùuis dixeris, nihil de ſacrorum huiuſmodi ſtigmatum venerabilitate, nihil de terreſtris huius Seraphini gloria decedit.

Finem impreſſorum S. Franciſco ſacrorum ſtigmatum, piæ commentationi fidelium à Deo permiſſum, aſſignare liceret multiplicem. Nimirum vt hoc eſſet pignus exquiſitæ ſimilitudinis, quam vit hic ſanctiſſimus cum Chriſto cruci confixo viuens habuit. Item vt hoc veluti ſigillo, obſignetur ad fidem omnibus faciendam, quàm magna ſint erga ſanctos ſuos opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Eccleſia in Oratione diei qua horum ſacrorum ſtigmatum impreſſionem recolit, eum aſſignat impreſſionis illius finem, vt frigeſcente mundo, corda mortalium diuini amoris igne inflammarentur. Quam cauſam pulchrè attigit in Stauroſticho Franciſcus Picus. Deſcribit enim Chriſtum & Satanam, contrariis ſtudiis circa genus humanum actos. Et illum quidem conantem cœleſtes ardores excitare; hunc verò de iiſdem reſtinguendis ſatagentem. Tum ſubdit.

——— ——— Placuit concire fideles,
Sæpiùs atque magis, quo frixit inertia mundi.
Propterea Aſſiſium nimio calefactus amore
Retulit effoſſis flammantia ſtigmata membris,
Franciſcus: pauper terris, ditiſſimus aula
Principis ætherij, perrarì ſignifer æqui.

Quàm porrò Chriſtus hâc benignitate ſanctum ſuum mirificauerit; quò inquam decora S. Franciſci per ſtigmatum Chriſti impreſſionem ſint prouecta, nemo ſatis explicet. Ego adſcribere trium recentiorum Poëtarum pium ſenſum contentus, cætera ſacris cogitationibus benè erga cœlitem Sanctiſſimum affectorum, permittam. Franciſcus Bencius Societatis IESV, patronum ſuum his vocibus metricè eſt affatus, vt eſt apud Boſium 15. de ſignis cap. 3.

Theoph. Rayn. Philologica.

Sancte Patrum, ſpirans Chriſti expirantis imago,
Tempore quam nullo deleat vlla dies.
Quas etenim fers ipſe manus, fers ipſe, pedéſque,
Has talit ille manus, hos tulit ille pedes.
Nec minùs & telo transfixum cuſpide pectus
Quale tibi patulo pectore vulnus hiat.
Cuncta eſtis ſimiles; Illum, qui fortè verentur
Referre te, ſimilem cur inuenitur habere.

Bernard. Babuſtus acutè (vt ſemper vbique) l. 3. Epigram.

Non nequam Franciſce, bonus, Dominóque fidelis
Seruus eras: Plagas cur rear eſſe tibi?
Dignáne feciſti plagis? digniſſima certè.
Plagis digna iſtis, nam tibi vita fuit.

Scitè quoque ac piè Horatius Turſellinus adductus ab Antonio Poſſeuino Tractat. de Poëſi c. 18.

Exue Franciſcum tunica, laceróque cucullo,
Qui Franciſcus erat, iam tibi Chriſtus erit.
Franciſci exuuias ſi quâ licet, indue Chriſtum;
Iam Franciſcus erit, qui modò Chriſtus erat.
Quid cæleſtis amor non audes? Pingis amantes
Arte nouâ, effigies vt ſit amantis, amans?

Hæc tamen non eò pertinent, vt cum aliquibus ineptiamus; aſſerentes B. Franciſcum receptis ſtigmatibus tam ſimilem Chriſto euaſiſſe, vt ſi vtrique Deiparæ occurriſſet, vix ac ne vix quidem primo aſpectu fuiſſet ab eâ internoſcendus. Ita ex vulgaribus quibuſdam (vt ait,) Poëtis, refert Vincentius Iuſtinianus Antiſtius in diſputatione pro Imaginibus B. Catharinæ Senenſis §. 10. Et addit aliam non minùs inſulſam hyperbolem, cuiuſdam alterius improuidi buccinatoris laudum S. Franciſci, quem aſſeruiſſe ait, tantam eſſe ſimilitudinem corporis Chriſti & corporis S. Franciſci ſtigmatibus inſigniti, vt niſi lumen gloriæ auertiſſet errorem, anima S. Franciſci cœlum ſubiens, inſinuatura ſe fuiſſet in Chriſti corpus, tanquam eſſe corpus ſuum, ob ſummam vtriuſque ſimilitudinem. Nugæ, nugæ, ne plus addam. Non fuit timendus error ille, in tantâ adhuc vtriuſque corporis diſſimilitudine, & quidem vnius viuentis ac dotibus gloriæ cumulati in cœlo; alterius (quod S. Franciſci animam non latebat,) expectantis in tumulo beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, qui ſuſcitabit mortua corpora noſtra. Itaque ſobriè ſapiendum eſt, & ita celebrandus omni elogio ſuperior S. Franciſcus, vt tamen meminerimus, honorem Sanctorum iudicium diligere.

CAPVT XI.

Stigmata B. Catharinæ Senenſis.

HOrum ſtigmatum aſſertio, nititur ſuffragatione Raymundi Capuani, viri ſanctitate & doctrinâ præſtantis, qui Diuæ Catharinæ, pro conſcientiæ arbitro, & in ſpirituali vitâ moderatore, diu fuit. Refert ergo Raymundus, B. Catharinam cum Piſis eſſet, & ante Chriſti de cruce pendentis imaginem precaretur, ſumptâ communione ab ipſo Raymundo, raptam in extaſim; vbi ad ſe reuerſa eſt, aduocato ad ſe eidem Raymundo, dixiſſe. [Noueris, quod eſto ſtigmata Domini mei IESV, in corpore meo porto.] Interroganti autem Raymundo, quomodò id factum eſſet, re-

ſpondit Virgo. [Dominum meum vidi Crucifixum, ſuper me magno lumine deſcendentem. Propter quod ex impetu mentis volentis ſuo Creatori occurrere, corpuſculum coactum eſt ſeſe erigere. Tunc ex cicatricibus ſacratiſſimorum ſuorum quinque vulnerum, vidi radios ſanguineos in me deſcendere; qui ad manus, pedes, ac latus, mei tendebant corpuſculi. Aduertens myſterium, continuò exclamaui. Ah Domine Deus meus, non appareant cicatrices in corpore meo exteriùs. Sufficit mihi eas interiùs habere. Adhuc me loquente, antequàm dicti radij ad me perueniſſent, colorem ſanguineum mutauerunt in ſplendidum; & in formâ puræ lucis ad quinque loca corporis mei, ſcilicet manus, pedes, & cor ad latus ſiniſtrum peruenerunt.] Interrogante rurſus Raymundo, & Virginem ſciſcitante, an aliquo dolore in locis illis cruciaretur; reſpondit poſt grande ſuſpirium pia Virgo. [Tantus eſt dolor quem in omnibus quinque locis, ac præſertim circa cor perpetior, vt niſi Deus nouum miraculum efficeret, iampridem è vitâ abiiſſem.] Itaque ſtigmata B. Catharinæ, aliorum obtutibus planè imperuia fuerunt, vt iuxta votum ſuum cruciatibus Chriſti participaret, abſque diſcrimine fumi vanitatis.

Quod autem non modicè firmat veritatem ſtigmatum huius Diuæ; Senenſes etiamnum, religiosè aſſeruant ſimulachrum illud Chriſti de cruce pendentis, ante quod B. Catharina precabatur, cum eſt inuſta ſtigmatibus: & vexillum eiuſdem imagine decorum cui ſacra ſtigmata ſunt appicta, in publicis ſupplicationibus circumferunt. Ibidem Senis in templo S. Dominici cui à *Campo regio* nomen, habetur imago B. Catharinæ ſtigmatibus inſignitæ, aſtante Pio II. Romano Pontifice Senis oriundo; qui Virginem digito monſtrans, his eam verſibus affatur.

Quem latet virtus facinúſque clarum,
Quo nequit dici ſanctius per orbem,
Vulnerum formam miſerata Chriſti
Exprimis ipſa.

Idem Pontifex, in alio huius ciuis ſuæ elogio metrico, ſic canit.

Pane refecta ſacro, cæleſti pane ſalutis
Illa Crucem memori portãs ſub pectore ſemper
Stigmata paſſa fuit, dictu mirabile, Chriſti.

Aſtipulantur iiſdem B. Catharinæ ſtigmatibus, Antonius à Pegux, Ioannes Micon, Vincentius Iuſtinianus Antiſtius, Gregorius Lombardellus, omnes Ordinis Prædicatorum, libris de hoc argumento conſcriptis; necnon Ambroſius Lancelotus Catharinus cognomento *Politus*, in notis ad opus Raymundi Capuani de vita B. Catharinæ. Suffragantur quoque Lucas Caſtellinus id appendice ad librum de exigentia miraculorum, pro SS. Martyrum Canonizatione, puncto 2. *fuſiſſimè*, Thomas Truxillo ſermon. de ea, Nicolaus Mancebius in vita eiuſdem, Ioannes Pinus in illuſtrium fœminarum Catalogo, Conſtantius Felix in Ephemeride hiſtorica, Robertus de Licio Ordin. Minor. Epiſcopus Aquinas ſerm. de hac S. Virgine (vtcunque alibi; ſibi contrarius, aliud ſtatuat:) Alphonſus Villegas parte 2. hiſtoriæ ſanctorum, Franciſquinus Vicecomes ſerm. in Paraſceue, Gulielmus Pepin Ebroicenſis Ordin. Prædicat. Oratione de B. Catharina, qui diuinum quoque ſuffragium pro hac veritate profert, ex infelici & repentino obitu variorum qui aduersùs hæc ſacra ſtigmata oblatrarant: quos inter vnum memorat, cùm ad declamitandum aduersùs hæc ſtigmata procederet, priuſquàm ſuggeſtum iniret, fulmine obtritum eſſe. Duos item iuuenes refert, Lutetiæ cùm imaginem B. Catharinæ in D. Euſtachij templo proſtantem, eraſis ſtigmatibus dehoneſtaſſent, ante quàm diei illi nox ſuccederet, in Sequana amne, diuino iudicio extinctos eſſe. Alios in eadem ſtigmata verbis petulantibus bacchatos, priuſquàm annus euolueretur, infeliciter è vita exceſſiſſe, confirmat idem Pepinus, ea quam retuli oratione, habita anno 1529. Ioannes item Micon laudato Opuſculo de imagine B. Catharinæ ad Sangeneſium Carthuſianum anno 1552. conſcripto, teſtatur, Lutetiæ anno 1514. Monachum quendam ſtigmatum B. Catharinæ allatratorem ac eraſorem, malè periiſſe, adeò manifeſta Dei vltione, vt continuò Regius Senatus ſeuerè interdicendum cenſuerit, quacunque ſacrorum illorum ſtigmatum violatione. Nuper denique in Breuiario Romano, cum Sacræ huius Virginis feſtiuus cultus ſub ritu Officij ſemiduplicis præſcriptus eſſet, in lectionibus ſecundi Nocturni, mentio eſt facta ſacrorum huiuſcemodi ſtigmatum.

Aduersùs adeò teſtatã ſtigmatum B. Catharinæ veritatem, inſurrexere nonnulli; vt Frater Samuël à Caſſinis, cuius Opuſculum hoc titulo prænotatum, refertur à Ioanne Neuizano lib. 1. Syluæ Nuptialis n. 166. [Quod non eſt poſſibile, aliquam mulierem, licet ſanctiſſimam, recipere ſtigmata, prout habuit S. Franciſcus.] Sed iſte profectò non ſapiebat. Quæ enim vel vmbra repugnantiæ adduci poteſt, quominùs idem cæleſtis fauor qui B. Franciſcum ſtigmatis Chriſti inſigniuit, piæ cuipiam fœminæ, Dei benignitate obtingat? Apud Deum, ex Apoſtolo ad Gal. 3. non eſt maſculus aut fœmina. Apage ergo ſtolidam excrationem, iura diuinæ beneficentiæ & potentiæ minuentem, dum extimeſcit ne violentur iura S. Franciſci: & quod in eo tanquam ſingulare prædicatur, commune cum aliis fiat. Neque tamen aſſertione ſtigmatum B. Catharinæ, decus quod revera fuit S. Franciſco ſingulare, cum ea communicatur. Nemo enim affirmat, B Catharinam fuiſſe inſignitam ſtigmatibus conſpicuis ſanguine manantibus, & clauos nerueos aut carneos, manibus ac pedibus immiſſos habuiſſe, quales in S. Franciſco ſupra deſcripſimus. Vnde S. Antonius 3. part. Chronic. tit. 24. c. 1. §. 3. hoc recenſet tanquam ſingulare S. Franciſci decus, nemini Sanctorum conceſſum; quamvis fateatur referri de quibuſdam deuotis perſonis, quod abſque corporali impreſſione vulnerum, magnum dolorem quaſi vulnerum, ſenſerint in manibus, & pedibus, ac latere, quòd an cum pleriſque narrationibus c. ſequenti referendis conſentiat, viderint alij. Nunc ſatis eſto, ſtigmata quibus Inſignitam B. Catharinam docent, qui pro eis ſobriè ſatagunt, longè alterius fuiſſe rationis, quàm ſtigmata impreſſa S. Franciſco, atque adeò vniuerſam Fratris illius Samuëlis aſſertionem contra B. Catharinæ ſtigmata, caſſam concidere.

Apparentiùs aliqui aduersùs ea, intentarunt decreta quorundam Pontificum, vt Sixti quarti, & Innocentij Octaui. Nam Sixtus anno 1475. in Bulla, cuius initium eſt, *licet dum militans*, ſub anathemate vetuit, vllius cœlitis imaginem præterquàm S. Franciſci, pingi appoſitis ſtigmatibus: & quotquot ad eam diem ſic depictæ eſſent,

intentato

inuentato ſimiliter anathemate, vt intra annum eraderentur, mandauit. Item multandos anathemate ſanxit, quotquot ſcriberent, aut pro concione affirmarent, decus illud ſacrorum ſtigmatum, alteri cuipiam Diuorum aut Diuarum cũ S. Franciſco fuiſſe commune. Poſtmodùm quidem idem Sixtus, in reſcripto ad Leonardum de Peruſio Generalem Prædicat. pœnas omnes priori diplomati adhibitas, irritas fecit anno 1478. decretum tamen ante latum, manſit incolume. Alio item decreto Innocentius VIII. anno 1490. dato ad Ioachimum Turrianum Generalem Prædicatorum, ſub anathemate vetuit, ne deinceps ſtigmata B. Catharinæ appingerentur. Quid quod Generale Capitulum Ordin. Prædicatorum Peruſiæ habitum, maturo & longo habito conſilio, (ſic enim Patres illi teſtantur,) ſub grauiſſimis cenſuris ac pœnis interdixit, *Ne de cætero S. Catharina cum ſtigmatibus depingatur; néve de eiſdem ſtigmatibus fiat verbum, aut ſermo, vel prædicatio, ad tollendam omnem ſcandali occaſionem.* Quam Patrum illorum obedientiam, valdè commendat Sixtus IV. ex cuius reſcripto allegato, prædictum Capituli Dominicanorum decretum deſcripſi. Videntur igitur conclamata B. Catharinæ ſacra ſtigmata; quandoquidem & iudicio Eccleſiæ proſcribuntur, & authoritate domeſticorum eiuſdem Diuæ, quorum maximè interfuit pro hac eius prærogatiuâ ſatagere.

Hunc nodum, quoad Pontificum dicta circa hoc negotium pugnantia, Melchior Canus lib. 5. de locis cap. 5. *pag. mihi* 310. ita expediuit, vt in aduerſarios, ac in ipſos etiam Pontifices difficultatem retorſerit. Dicit enim, ſtigmata B. Catharinæ quæ Sixtus IV. ex Ordine Minorum aſſumptus reiecit, ab alio Pontifice eſſe comprobata. Haud dubiè à Pio II. Senenſi, atque adeò ciue B. Catharinæ, vt ſuprà vidimus. Poſt Canum quoque, Clemens VIII. anno 1599. edito hac de re diplomate, Franciſcanos in B. Catharinæ ſtigmata malè animatos, repreſſiſſe narratur. Nam diploma eâ de re datum, in vulgaribus Bullarum Pontificiarum collectionibus non comparet. Videri igitur poſſunt, Pontifices in hac cauſâ colliſi: atque adeò etiamſi vnus aut alter Pontifex, ſtigmata B. Catharinæ abrogauerit, ſalua manent huius Diuæ iura, ob aſſertionem aliorum Pontificum, quos in re facti & ad fidem non pertinente, inuicem fuiſſe contrarios, nihil vetat.

Nihilominus hanc expeditionem nodi propoſiti, probare non poſſum; nec vt puto ſatis conſulitur cauſæ pro quâ inducitur ea Põtificum colliſio, ſic retorquendo argumentum: cùm omnium Catholicorum interſit, proſpicere Pontificum Eccleſiæ Rectorum honori, ac ne eorum alter in alterum incurrere videatur, anniti. Quâ ex cauſâ, (hoc eſt quia minus conſulit honori ſummorum Antiſtitum,) diſplicet quoque reſponſio Vincentij Iuſtiniani, ad decreta Sixti quarti & Innocentij octaui. Nam §. 5. 6. & 8. affirmat illa decreta euiguiſſe, & omnes antiquatæ alicuius legis cauſas, circa ea decreta locum habere. Nec aliter §. 8. ſtatuit de Patrum ſuorum ſtatuto Peruſino. Mihi quod ad Pontifices attinet, dicendum potiùs videtur, diſplicuiſſe tãtùm illis plenas ſcãdali concertationes: nec alia vetuiſſe appingi ſtigmata huic Diuæ, quàm quæ cũ veritate pugnarent; hoc eſt patentia & cruenta, qualia in S. Franciſco fuerunt, non in Sanctâ Catharinâ, vt præmiſimus.

Non videtur diſſimulanda alia obiectio, quæ aduerſus veritatem ſtigmatum Diuæ Catharinæ, pugnare videtur. Conſtat enim, hæc ſtigmata agnoſci ab omnibus tanquam expreſſam effigiem ſtigmatum Chriſti in artubus ac pectore. Atqui latus Chriſti lanceâ confixum, fuit latus dextrum vt ſupra c. 4. monſtratum eſt, & in eodem latere plagam quintam excepit S. Franciſcus, vt ſupra quoque eſt annotatum. Quomodò igitur ſtigma laterale Diuæ Catharinæ, in ſiniſtro latere fuiſſe dicitur, vt ſupra ex Raymundo Capuano adduxi? Non valet quidem hæc argumentatio contra ſacram ſindonem Taurinenſem, quam eſſe verè ſindonem Euangelicam, inficiari ſunt ſectarij, eo nixi fundamento, quod cùm Chriſtus lanceam in dextro latere exceperit, ſindon tamen quæ nunc aſſeruatur, exhibet perfoſſionem à lanceâ in ſiniſtro Chriſti latere. Refert hoc ſectariorum argumentum Malonius ad cap. 30. Palæoti de ſacrâ ſindone num. 2. & meritò explodit; quia ſacra ſindon corpori Chriſti ſuperpoſita, Chriſti effigiem excepit, ſitu obuerſo; ad inſtar ſpeculi ea exhibens à ſiniſtris, quæ in Chriſti corpore erant à dextris. At quoad ſtigma laterale B. Catharinæ, quia directè à Chriſto impreſſum eſt in ſimilitudinem & expreſſionem ſui vulneris lateralis, demptâ conſpicuitate externâ, argumentum vigere videtur; & probare, debuiſſe eam plagam imprimi dextro lateri, vt factum eſt in S. Franciſco. Sed quis legem Deo ponet, & modum definiet expromendi erga ſanctos ſuos fauorem ſuum? Si igitur ſtatuamus, placuiſſe Deo ſtigma laterale in B. Catharinâ ex parte ſiniſtrâ reperiri, vt antiſtropha lateri ſiniſtro viri, è quo plerique contendunt deceptam eſſe coſtam fabricatam à Deo in mulierem, quis dicet Deo, cur ita facis? Addi poteſt, vulnera ſeu ſtigmata in B. Catharinâ, non fuiſſe exteriùs conſpicua. Cruciatum autem ex ſtigmate eius laterali, idcirco perceptum potiùs fuiſſe verſus partem ſiniſtram; quia illi inſidet cor, ad quod vſque peruaſit vulnus lanceæ adactione Chriſto inflictum; vt affirmat cum pleriſque aliis Malonius ad c. 30. citatum. Itaque quamvis in Chriſto, & D. Franciſco, ſtigma laterale quia erat exteriùs conſpicuum, cerni debuit in latere dextro, quia inde infixa eſt Chriſto lancea: tamen in S. Catharinâ quæ externa ſtigmatis impreſſione caruit, ſtigma internum & cruciatus ei reſpondens, ibi locum habuit, vbi deſiit lanceæ in Chriſti corpus adactio; & vbi maximè viguiſſet dolor ſi Chriſtus fuiſſet ſuperſtes, hoc eſt in parte ſiniſtra circa cor, aut etiam in ipſo corde, de ſententia grauium doctorum.

De veritate itaque ſtigmatum S. Catharinæ, reciſa eſt ex antedictis dubitatio, eorúmque forma & numerus ſufficienter manet expoſitus. Quoad cauſam verò efficientem, debet eſſe extra dubium, aliam non fuiſſe quàm ſupernaturalem & eandem quæ S. Franciſco ſtigmata impreſſit. Parcat verò Deus Alphonſo Villegas, qui in huius ſanctæ rebus geſtis, tribuit impreſſionem ſtigmatum eius, validæ meditationi & profundæ commiſerationi de myſteriis Chriſti patientis. Quæ eſt imaginatio gemina eius quam ex quibuſdam retulimus capite præcedenti, quoad ſtigmata S. Franciſci, & ex ibi dictis debet euerſa cenſeri. Quàm multi verò profundiſſimè meditati ſunt patientis Chriſti myſteria, neque tamen diuinum hunc fauorem ſunt experti? eodem porrò, id eſt nullo planè iure, fingendum eſſet, eam Chriſti confixi

imaginem quæ in corde S. Claræ à Monte Falco, conſpicua fuit poſt eius obitum, vt ſcribit Ioſephus Pamphili in Chronico Eremit. S. Auguſtini *pag. mihi* 25. procreatam fuiſſe ex valida meditatione crucifixi; quod nemo non videt ridiculè eſſe cogitatum? Quod ſi per validam parentum imaginationem, fœtui cum ipſis coniunctiſſimo nota quæpiam imprimitur, vt quotidianis experimentis teſtatiſſimum eſt; non ſequitur, idem in corpore pridem formato ac durato, accidere poſſe. Eam verò notam non immediatè à parentum imaginatione fœtui imprimi, ſed per ſemen cum nota effingitur in fœtus conceptione; vel per humores ſympathia matris imaginantis commotos, ſi poſt conceptionem fœtûs adueniat, alio loco eſt demonſtratum, conlatis iudiciis Doctorum qui in eius nodi expeditionem incubuerunt; cuiuſmodi ſunt Valeſius cap. 1 1. ſacræ Philoſ. Fontanus ad Ariſtotelis Phyſiognomiam *circa finem textus primi*, Laurentius l. 8. Anatom. quæſt. 20. Conimbr. 1. de Gener. c. 4. quæſt. 30. Fortunius Licetus t. 4. de quæſitis per Epiſtolam c. 28. Vaïnus lib. 2. de Faſcinio cap. 7. & alij quos hi proferunt. Nunc ſufficit, quicquid ſit de vera cauſa impreſſionis notæ illius in fœtu tenero ac facilè impreſſili quã experientia negare non ſinit, & in quam imaginationis eſſe vim non modicam, diffiteri non licet, (quicquid Vaïnus ſupra contendat;) aliam longè eſſe rationem perſonæ grandioris, cuius non ea eſt mollitudo ac impreſſibilitas quæ teneri fœtûs; & quam poſſe ſibi quantumvis cogitatione conitatur, talem aliquam formam, ac veloti pictura appingere, omnia experimenta reclamant.

Ex ſtigmatibus quibus B. Catharinam inſignitam admiſimus, eximia eius decora & præcellentes apud Chriſtum prærogatiuæ, abundè patent, hiſque permotus nuperus Poëta, nomine ipſius Diuæ Chriſtum alloquens, dixit,

Parce hominũ ſuperúmq; Pater, ſibi turpia miles,
Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

Qui verſiculi quantumcunque Vincentius Iuſtinianus libello de imaginibus S. Catharinæ §. 10. reclamet, non modò impietate vacant, ſed etiam omni labe. Senſus enim eſt, vulnera ſeu ſtigmata B. Catharinæ, ab ipſo Chriſto beneuolentiſſimè impreſſa, non ſordere penes cauſam efficientem impiam, & penes motiuum inferendi, nempe violentum odium; penes quæ capita, ſordere & turpia eſſe videri poſſunt Chriſti ſtigmata, à trucibus Brutiis malignisſimè impreſſa: quamuis ex parte ſubiecti ſeu corporis Chriſti, eſſent vndecunque ſanctiſſima. itaque ſugillare ea carmina, & notare impietatis, quod fecit Iuſtinianus, eſt quærere nodum in ſcirpo. Neque verò nouum eſt vt quæ ad Chriſtum attinent, penes aliquam circonſtantiam, dicantur cedere ſimilibus purarum creaturarum decoribus. Sic Petrus Damiani ſermone de Aſſumpt. B. Virginis, ait eius, cœlos ſubeuntis triumphum, fuiſſe illuſtriorem triumpho Aſcendentis Chriſti; quia Chriſtus Virgini cœlos ineunti obuius eſt factus, quo occurſu non potuit illuſtrari Chriſti Aſcenſio. Petrus Bleſenſis ſerm. 9. præfert crucifixionem Monachi, crucifixioni Chriſti: & quod diuturnior ſit, & in pluribus coërceat Monachum, qui linguam quoque habet confixam, quod Chriſto non contigit. S. Auguſtinus ſerm. 55. de Verbis Apoſtoli cap. 10. reſurrectionem noſtram, antefert reſurrectioni Chriſti admirabilitate, quia caro noſtra priùs vidit corruptionem vt videas quantò ſure inimicus & vitor ſugillarit quod dixi in Opere de Martyrio, parte 4. cap. 4. num. 7. martyrium charitatis eſſe ſecundum quid præcellentius martyrio pro fide irrogato, quia irrogatur abſque vllius peccato, non item martyrium quod pro fide infertur, quam ſententiam inexpurgabiliter ſordere, admodùm ignorantes contendebat Cenſor meus; non minus inſulſus, quàm Iuſtinianus in cenſura, nuperi Poëtæ.

In calce huius capitis placet annotare, renouatum eſſe fauorem Sanctæ Catharinæ collatum, proximis annis in corpore Mariæ ab Incarnatione, Ordinis Thereſianarum conuerſæ, vt in eius rebus geſtis ſcribit locuples teſtis Andreas Duuallius cap. 7. ex relatione iurata P. Petri Cottoni, qui eidem Moniali fuerat à Confeſſionibus. Non erant ea ſtigmata conſpicua exteriùs; ſed interiùs tantùm inſerebant cruciatum, quantum ex perfoſſis reipſa artubus, & vulnerato latere, extare potuiſſet. Caput etiam, cruciatu vehementiſſimo veluti transfixum, laborabat. Neque hos dolores pia mulier vniformiter tolerauit quotidie, ſed Feria 6. & Sabbatho, & per totam quadrageſimam ſacram, diſcruciabatur ad modum prædictum; ita vt quamvis nihil eſſet oculis peruium in corpore ſic laborante, quod de ſtigmatum impreſſione fidem faceret; interiùs tamen ſæuiret dolor acutiſſimus. Qui eſt ille ipſe modus, quo B. Catharinæ impreſſa fuiſſe ſtigmata, proditum eſt. De ſorore Nympha Scholata, Ordinis S. Franciſci de Paula, quæ Panormi in Sicilia anno 1548. è vita migrauit, omnino ſimilia ſcribit Ludouicus Doni d'Attichi, Hiſtoriæ Ordinis Minimorũ l. 6. *pag. mihi* 69.

CAPVT XII.

SS. Dominici & Auguſtini ſtigmata.

PRæponendus fuiſſet alumnæ ſuæ B. Catharinæ, S. Dominicus, ſi quæ de eo ſacris Chriſti vulnerum ſtigmatibus inſignito, à nonnullis ſunt prodita, eiuſmodi eſſent, vt certitudine æquarent quæ adducta ſunt de ſtigmatibus B. Catharinæ. Sed quia non ſunt adeò exploratæ veritatis, nec niſi à perpaucis prodita, in hunc locum à me ſunt ſepoſita; ab iis quorum intereſt, illuſtranda pleniùs, fortáſſve confirmanda, ſi certa veritate niti comperierint.

Fertur igitur S. Dominicus, cum Segouiæ in ſpecu intra cœnobij limites hodiéque frequentatiſſima piorum peregrinationibus, excubaret; impreſſione ſtigmatum ſacratorum quinque Chriſti vulnerum, fuiſſe de cœlo honeſtatum, quod his verſibus in ipſa ſpecu abs ſe appoſitis, teſtatum voluit Alphonſus Venerus.

Præterea Domino pendenti in ſtipite viuo,
Compatiens, lachrymis pallida & ora rigans,
Hac ſub rupe, crucis totus liquefactus amore,
Stigmata per totam ſenſit acerba cutem.

Non per totam cutem, ſed in artubus & pectore, exemplo Chriſti, ſtigmata S. Dominico impreſſa fuiſſe, proditum eſt ab aliis: niſi quod vltra ſiſſuras clauorum & lanceæ punctionem, ſpineæ coronæ notas, capiti impreſſas fuiſſe, habet narratio piæ mulieris Benedictæ Florentinæ, è cuius ore F. Thomas à Templo, S. Dominici ſocius, id excepit, & in ſuum quoddam ſcriptum retulit. Ea quippè

quippè pia mulier anno 1224. cum Florentiæ eſſet S.Dominicus, & ſacris operaturus ad aram accederet, conſpicata eſt illum ſacris inſignitum ſtigmatibus, ſpineam coronam capite geſtantem. Idipſum Alanus à Rupe reuelatum ſibi à Deipara confirmat, interpoſito iureiurando lib.de roſario, exemplo 55. Nec omiſit rem tantam Flaminius, deſcribens Acta ſancti viri. Aſtipulatur Hyacinthus Coquerius libro quem inſcripſit, *Maria Deipara, in Ordinem Prædicatorum viſcera materna* cap.18. Sed hic ſcriptor tot fabulis & apertis commentis interſit hoc opus, vt detraxerit rebus probabilibus quas aliquãdo recitat, authoritatem, vt S. Hilarius de Tertulliano affirmabat. Quale enim & quàm propudioſum commentum eſt, quod capite 16. illudit de radiis in vultu Thomæ de Lemos promicantibus, cum de auxiliis coram Clemante VIII. & de grauiſſimis negotiis coram Vrbano VIII. ab eo acceſſitus diſſereret? Quale quod de manu ab eodem demortuo, è feretro, ad os Nicolai Ricardij cui *Monſtro* nomen, prodigiosè, imò portentosè ac monſtrosè porrecta? Hoc quod anno 1629. Iulio exeunte, publicè Romæ geſtum dicit, vniuerſa Roma fabuloſiſſimum eſſe teſtatur. Commentum verò faciei radiantis, Vrbanus ipſe Pontifex, quo ſuperſtite hæc typis mandauit Coquerius, impacta mentitione fabulatori, & libro proſcribi iuſſo, non abſque ſtupore de tam Impudorato auſu, exauthorauit. Sed hoc obiter, tantùm vt appareat, quàm malè conſarcinatam fabellam, hiſtoriæ de diſputationibus circa auxilia gratiæ inſeruerint, qui miraculis hiſce Thomæ de Lemos, adamantinis & ineluctabilibus prædeterminationibus captauere præſidium; inſupérque vt conſtet, parum in Coquerij fide eſſe momenti, ad ſtabilienda pro quibus eo c.18. ſatagit, S.Dominici ſtigmata.

Quod à S. Catharina Senenſi, & quibuſdam aliis, S. Dominicum in cœlo iiſdem ſtigmatibus præloſtrem, conſpectum ferunt, vacat ſolida aſſertione locupletis teſtis. Neque enim tale quid prodidit Raymundus Capuanus. Nec difficile fuerit quæ de huiuſmodi viſis narrantur, ad apparitiones reuocare, quibus Deus quandoque merita ſanctorum delinearit & configurationem cum Chriſto patiente, ingeſtam continentibus vulnerit, quamvis nullo reipſa impreſſo corporei ſtigmate. Firmiora itaque quærenda ſunt ſtigmatum S. Dominici præſidia; quàm quæ huiuſmodi viſis continentur, quorum facilis eſt ad alia obtorſio.

Prærogatiuam hanc S.Dominici, omnes præter vnam Benedictam Florentinam latuiſſe, (quod ſcripſit quiſpiam, nunniſi ea vice, à perſona mortali, conſpecta S. Dominici ſtigmata tradens;) falſitatis redarguit Alphonſus Venetus affirmans, annis quatuor priuſquam Florentiæ ab ea pia fœmina conſpicerentur, comperta fuiſſe in Hiſpania S.Dominici ſtigmata; ſed nullo teſte id confirmat. Præ profundiſſima verò S. Dominici humilitate, factum volunt, vt neque tunc extra Hiſpaniam, fama tanti priuilegij manarit ad multos, ſed vni ac ſoli Benedictæ innotuerit cœleſte munus, collatum viro ſancto; neque poſteritas tanti chariſmatis facta ſit conſcia. Non dubium, quin ſancti viri, huiuſmodi dona è quibus popularis fauor cum humilitatis periculo colligi ſolet, velint ſecretum ſuum ſibi eſſe; & in vulgus manare, cùm proximorum neceſſitas non adigit, ferant ægerrimè, vt obſeruatum eſt à S.Gregorio; qui teſtatur, popularorem prolicere, qui theſaurum publicè portat in via. Ex eo ergo ſanctorum ſpiritu, B.Dominicus, potuit celata adeò arctè copere, quæ clam diuinitus accepiſſe proditur ſtigmata.

Quanquam verò ambiguum non eſt, quin hæc omnia niti veritate potuerint; (quis enim cœleſtes fauores ad ſui iudicis trutinam velit expendere?) tamen donec liquidior lux affulgeat, inter incerta & occulta ſapientiæ Dei manifeſtanda cum ei viſum fuerit, ea haud inuitus retulatim.

Idem ſtatuo de S.Auguſtino, cui ſunt qui ſtigmatum Chriſti impreſſionem communicatam velint, non quidem in corpore, vt S. Franciſco contigit, ſed in corde. Ita Ioannes Gonzales de Critana, in Epitome hiſtorica vitæ S.Auguſtini cap.8.§.1. allegans S.Vincentium Ferrerium, & S.Bonauenturam, ac F.Ioannem ab Angelis, in triumphis amoris Dei, parte 1.cap.15. Idem habet Cornelius Lancilotus l.3. vitæ S Auguſtini c.43. Sed quamquam D. Auguſtinus in corde ſuo portauerit ſtigmata Domini, per affectum & incenſam erga Chriſti ſtigmata pietatem; tamen quod phyſicè notas illas habuerit cordi impreſſas, noua eſt, omnibus retrò antiquis incomperta. Nec eſt cor D. Auguſtino omnibus encomiis ſuperiori, adſcribantur. Cuiuſmodi etiam videbuntur (niſi firmius ſtabiliantur,) pleraque ab iiſdem authoribus recitata de eodem corde D. Auguſtini per S. Sigisbertum Lugduni Galliarum Epiſcopum, illato in Eccleſiam Lugdunenſem ſub annum 951. At Eccleſia Lugdunenſis, nec vllum S. Sigisbertum agnoſcit Epiſcopum; nec fuiſſe apud ſe aliquando cor S. Auguſtini recolit, vlliſve ſcriptis teſtatum habet. Ludouicus ab Angelis lib.6. vitæ S.Auguſtini cap.5. ex vetuſtis Codicibus Germaniæ, Sigisbertum illum, ait fuiſſe Lorudunenſem Epiſcopum. Vbi ſit *Lorudunum*, & quis fuerit S. Sigisbertus inibi Epiſcopus, me latet. Viderint qui de eo ſcribunt tam ſingularia.

CAPVT XIII.

Quibus aliis, ſtigmata Chriſti impreſſa diuinitùs produntur, per ſatyram.

PRæter SS.Franciſcum & Catharinam, de quibus proximè, varij eximio & plane ſingulari Dei fauore, produntur notati quinario ſtigmatum Chriſti Domini; quos hîc in vnum veluti faſcem congerere, operæ pretium videtur. Subnectemus verò eos, qui ex parte duntaxat potiti ſunt eo diuino fauore, puta in pedibus tantùm, aut duntaxat in latere.

Extraordinario prorſus prodigio, Chriſti ſtigmata in puerulo demonſtrata, refert his verbis Petrus Bizarus in Epitome mirabilium Europæ *pag.* 302. [Linzij, dum ibi à Carolo Auſtrio conuentus celebrabatur, cuidam ruſtico natus eſt infans, in quo nihil ſanè deſiderabatur. Vixit dies quatuordecim, & triduo ante obitum, ſudauit; atque ita ſudans extinctus eſt. In mortuo infante, ſtatim cœperunt apparere ſtigmata, in manibus, pedibus, & latere; ſicut Chriſti vulnera pinguntur. In capite etiam, ex ipſo cranio, nata eſt corona ſpinea. Cæſar cum hoc audiret, miſit quoſdam ex ſuis, qui hoc prodigium contemplati, cum da tota ſe

pleniùs edocent, téimque ita prorſus ſe habere intellexit.]

Anonymus Minorita, Nozerethi apud Sequanos quieſcens, ſtigmatibus Chriſti Domini inſignitus refertur in Martyrologio Franciſcano 12. Iulij. Author tamen illius Operis 17. Septemb. §.12. quaſi retexens quæ retulerat priore loco, negat quod de illo Minoritâ refertur, accipiendum eſſe de ſtigmatibus corporalibus & viſibilibus, ſed tantùm admittit, Fratrem illum dolorem aliquem in illis partibus interdum ſenſiſſe; & idcirco dictum eſſe habere ſtigmata. Sicut B. Catharina Senenſis (hoc enim exemplo vtitur,) dicta eſt inſignita ſtigmatibus, quia dolorem in illis partibus ſentiebat, citra vllam impreſſionem externi ſigni. Sed hoc reuera eſt euertere ſecundo loco, quod primùm de ſtigmatibus prædicti Minoritæ, dictum fuerat. Nam cùm eius res adeò obſcuræ ſint, vt ne nomen quidem ad poſteros ſit tranſmiſſum; quis ſcire potuit dolorem ab eo fuiſſe perceptum in talibus partibus, ſi nullum ſtigma poſt mortem deprehenſum eſt in eius corpore? Itaque ſimpliciter admitto, quod ſimpliciter ab hoc Authore dictum eſt priore loco. Neque idcirco (quod ipſe timuit,) deteritur decus S. Franciſci, etiamſi alius quiſpiam, cœleſti fauore ſtigmata diuinitus acceperit: præſertim quia nemo alius fortaſſis, ſtigmata ſanguine aſſiduè manantia vel ſaltem cum clauis carneis aut nerueis accepit, præter S. Franciſcum.

Eliſabetha de Spalbeck Monialis Ciſtercienſis, cuius eſt in Menologio Ciſtercienſi perhonorifica mentio 19. Octobris, excepit diuinitus ſacra ſtigmata: quod cùm fusè in eius vitâ à Philippo Claræ-Vallis conſcriptâ referatur, adducam pauca iſta duntaxat, ex Ludouico Bloſio in Monili ſpirituali cap. 2. [Sanctiſſima Virgo Elizabeth de Spalbeck, ingenti deuotione quotidie paſſionem Dominicam recolere conſueuerat. Vnde & Chriſtus, ſtigmata quinque vulnerum ſuorum, manibus ac pedibus & lateri eius, veriſſimè impreſſit: adeò vt ex ipſis, tanquam è recentibus plagis copioſus ſanguis pleromque efflueret præſertim ferijs ſextis. Quæ quidem Virgo puriſſima, ſepties quotidie ita rapiebatur in Deum, vt nullos ſenſus, nullos motus, nullos flatus, in ea appareret: totum enim corpuſculum illius, prorſus obrigeſcebat; nec vlla pars eiuſdem ſacri corporis tunc moueri poterat, quin totum corpus moueretur.] Hinc Bloſius, ad imitandam hanc Sanctam Virginem hortatur in recolendâ Chriſti paſſione, cuius aſſidua recogitatio tantos in eâ Virgine effectus operabatur. Notat verò Arnoldus de Raiſſe, in Auctario ad Molanum 19. Nouembris, piæ huius Virginis ſtigmata adeò fuiſſe ſimilia Chriſti ſtigmatibus, vt ſtigmata & fiſſuræ manuum ac pedum, rotunditatem clauorum quibus Chriſtus confixus eſt, vulnus verò laterale, oblongam lanceæ cuſpidem, exquiſitè repræſentarent.

De B. Lidunina, ita ſcribit Ioannes Brugmanus lib. 3. vitæ eius cap. 3. aliàs parte 2. c. 8. [Chriſtus in formâ ſpecioſiſſimi pueruli, & in lectulo illo ſe reponens, blandiſſimè Virginem aſpiciebat. Mox verò in perfectum mutatus virum, inſtar Crucifixi, totus rubicundus, & ſanguinolentus apparuit, coronatus ſpineâ coronâ, & colore affectus, quo ſolent mortui. In eum ergò intuens Virgo planè vigil, mirè obſtupuit, commixtimque & gaudio & mœrore affecta eſt. Cùm autem in lucem mens illius abſorpta eſſet, Chriſtus lumen & pariter & ardorem diffundens, in medio immenſi luminis, Virginis corpuſculo, quinque vulnerum ſuorum ſigna luculenter impreſſit, impreſſáque reliquit. Cernens autem Virgo, ea tam aperta vulnera homines latere non poſſe, timens concurſum & applauſum hominum, orauit Dominum, ita dicens. Maneat, obſecro Domine, hoc dignationis tuæ Sacramentum, inter me & te. Sufficit enim mihi gratia tua. Mira res. Confeſtim cutis texit vulnera illa, ſed dolor atque liuor, perperuò permanſit. His ita geſtis, vidit Beatiſſimam Virginem arma paſſionis Chriſti, quæ ferebant Angeli, reuerenter ex illorum manibus accipere; eique deoſculanda exhibere, ac deinde auferri ab oculis ſuis. Sentiens autem Lyduina ſe ſenſibiliter confixam, reſpexit ad pedes lectuli ſui, vidítque illic crucem ſtantem eâ magnitudine, quâ ſunt illæ, quæ ad mortuos deferuntur: ſimul etiam paruum vnam ab ea pendentem, & ex eius vulneribus profluentem ſanguinem. Eo ſpectaculo liquefactâ animâ eius, ait ad Dominum: Gratias tibi ago, Domine, qui me indignam ancillam tuam, ſic viſitare dignatus es.]

B. Ida de Louanio Ordinis Ciſtercienſis, cuius ab ipſa infantia vitam piiſſimam, varij ſcripſerunt, adnotati in Menologio Ciſtercienſi 13. Aprilis, præter cæteras cœleſtes prærogatiuas, ſacris Chriſti ſtigmatibus eſt inſignita, vt his verbis ſcribit Ioannes Gilemannus parte 2. Hagiologij SS. Brabantiæ cap 6. [Et quoniam, vt iam diximus, totam in memoria Dominicæ paſſionis, ſummam intentionis & conſiderationis ſuæ locauerat, ad quam tanquam ad præcipuum & ſingulare præſidium, in omni neceſſitatis articulo, meditationis & affectionis aciem dirigebat, volens pius miſericordiarum Dominus, electæ ſuæ viciſſitudine gratiſſimæ retributionis occurrere, ſuáque myſteria paſſionis, ad ſibi compatiendum nouo quodam & ſatis inuſitato rerum ordine viciniùs commendare, ſanctorum vulnerum ſuorum ſtigmata manibus, pedibus, necnon & lateri Sanctæ Virginis, bis diebus impreſſit; & quæ dudum in cruce pro totius mundi redemptione Saluator noſter Ieſus Chriſtus ex clauorum confixione ſuſtinuit, horum venerabili ſponſæ ſuæ, gratiſſima monumenta, non tam in memoriâ retinenda, quàm in ſuo corpore præferenda, iucundo ſatis & inſigni miraculo commendauit. Siquidem in locis manuum ac pedum, illis ſcilicet, vbi manus, pedéſve Dominici terebantur, quaſi circuli quidam diuerſi coloris, repræſentationes quædam ſtigmatum intrinſecùs ſimul & extrinſecùs exeruerunt; quæ patuorum inſtar vulnerum, illarum partium totam ſuperficiem occupantes, miraculoſum valdè de ſe, cunctis ad quorum peruenerunt notitiam & aſpectum, eo tempore ſpectaculum præbuerunt. Quid enim miraculoſius, aut quid iucundius excogitari, vel humanis valet aſpectibus præſentari, quàm hoc? Lateris etiam aperturam tam hiantem & patulam aliquo tempore, loco quo Chriſti latus transfoſſum extiterat, hæc Chriſti paſſionis æmulatrix & ſocia, perſenſiſſe dicitur, quòd in eodem ad inſtar oblongi vulneris, itinere patefacto ad hepar vſque progrediens halitus per ipſa corporis inteſtina laberetur. Quo nimirum loco, tam anxiam & acerbam doloris & paſſionis ſuſtinuit punctionem, vt ex propinquis quidam,

eius

eius dolori compatientes, indumenta quibus operiebatur, ad nudam vſque carnem extraherent, & ad eiuſdem leuationem doloris, ab omni veſtimentorum obſtaculo, non ſine pœnali tamen moleſtia, totam lateris ſuperficiem expedirent. Nullius enim rei materialis, attactum in eo loco, ſine graui læſione ſuſtinuit. Manus etiam & pedes in locis prædictis, tam vehementis læſionis anguſtia premebantur, vt vel leuiter his locis, aut digitum ſupponere, vel rem aliquam corporalem, abſque dolore grauiſſimo non valuiſſet aliquomodo contrectare. Capitis quoque circumferentiam ex omni parte tam vehemens læſio comprimebat; vt nihil minùs quam ſpineam coronam portare videretur, quæ ſanctiſſimæ paſſionis tempore, pungendo ſimul & cruentando, caput Dominicum ambiebat.]

B. Gertrudis Ooſtenſis, Delphis Batauorum, inter Beghinas inſigni ſanctitate claruit, & ab Authore Faſciculi temporum anno 1344. celebratur. De ea ſupplementum Surij 6. Ianuarij c. 6. ſic ſcribit. [Erat in Delphenſi Beghinagio etiam Lielta illa, cuius ſuprà meminimus, virgo Deo deuota. Ea plena Spiritu ſancto, prædixit Gertrudi, anno elapſo fore, vt vulnera Chriſti, eius manibus, pedibus, & lateri imprimerentur. Sed illa verè humilis, tantâ ſe gratiâ indignam cenſens, ſic reſpondit: Vnde hoc mihi, vt tanto Dei munere afficiar? Agnoſco me magnam peccatricem, & omni virtute vacuam. Itaque oro te, ſoror mea, nè eiuſmodi ſermonibus occupes os tuum, & aures meas. Sum iam tot affecta Dei beneficiis, vt ei nunquàm poſſim pro dignitate gratias agere. Attamen anno euoluto, nocte Paraſceues aduentante, cùm ſe Gertrudis in cubiculo ſuo coram Crucifixi imagine, corde attentiſſimo proſtrauiſſet, & prolixiùs orans, immenſam illam Chriſti charitatem cogitaret, quâ voluit propter nos crudeliſſimum teterrimúmque Crucis perferre ſupplicium: totiſque viribus eum laudaret, eique gratias ageret; mirificâ animi deuotione & pietate perfuſa, ſingulari eâque ſtupendâ gratiâ, in manibus, & pedibus, & latere, ſibi ſenſit vulnerum Chriſti notas ſiue ſtigmata impreſſa. A diuina igitur contemplatione ad ſe reuerſa, inclamauit voce magna Diuueram Beghinam. Veni, & vide, inquiens, quantam gratiam præſtitit Deus mihi indignæ; non meritis meis, ſed abundanti benignitate ſua. Aduolat Diuuera, videt & obſtupeſcit, Deum laudat, & prædicat. Neque ſolùm illa nocte, ſed etiam clara iam die, atque deinceps diebus non paucis, vt minimum vſque ad Aſcenſionem Domini, ex illis vulneribus profluxit ſanguis gratiſſimi coloris, idque quotidie ſepties ad ſingulas horas Canonicas. Eum verò ſanguinem, excepit Gertrudis linteolis, in eum vſum ab ipſa præparatis. Non potuit autem tam inſigne miraculum latere diu. Itaque non ſolùm Delphenſes, ſed & vicini circumquaque aduolarunt, rei viſendæ valdè cupidi. Verum id Gertrudi moleſtum fuit, quòd illi hominum concurſus, nimiùm impedirent eam à ſpiritualibus exercitiis & piis meditationibus, quibus rapiebatur in Deum, & mentis exceſſum patiebatur. Sciens igitur omni homini neceſſarium eſſe timorem Dei, & niſi contineat ſe quiſque in timore Dei, citò ſubuerſum iri domum illius, domum, (inquit,) conſcientiæ; idque vel à carne propria, vel à mundo, vel à Satana: ſimulque reformidans, ne fortè placeret ſibi, & hoc ipſo, Deo iam diſpliceret: necnon animaduertens turbas ipſam viſitantium, medium quoddam inter Deum & ipſam efficere, ſic Dominum deprecata eſt. Si placet tibi, bone Ieſu, oro vt hæc vulnerum ſtigmata aboleantur in corpore meo, nè fortè ſeparer à te, ſi incipiam inde placere mihi, aut aliis inimici inſidiis appetar. Exaudiuit verò eam Dominus, ita vt ſanguis quidem ex vulneribus non manaret, ſed tamen vulnerum notæ remanerent vſque ad ſupremum eius vitæ diem. At verò poſtea circa cor, ex omni parte magnos ſenſit dolores. Cogebatur enim iam carere ſuauitate illâ, quam ſenſerat cùm ſanguis ex eius vulneribus efflueret. Magno igitur cœpit ardere deſiderio, illa vulnera recuperandi; prorupitque in eiuſmodi voces: O ſi mihi dulciſſimus ſponſus meus Ieſus Chriſtus, velit reſtituere vulnera ſua! O ſi contingat mihi, cruenta eius vulnera viſibiliter ferre in corpore meo, non rogabo vt ea tollat à me. Mallem enim in ſublimi loco ab omnibus conſpicienda reponi, vt cuncti ea vulnera cernerent, & præpotentem Deum collaudarent. Acceperat autem hæc vulnera Gertrudis, anno milleſimo treceenteſimo quadrageſimo.

B. Chriſtiana, non illa cognomento mirabilis à Thoma Cantipratano celebrata, quæ viuebat anno 1224. ſed alia Dionyſij Carthuſiani æqualis, ab eodem Dionyſio Carthuſiano refertur inſignita ſacris Chriſti ſtigmatibus, vt videre apud eum eſt ſermone quodam de Euchar.

B. Helena Hungarica Ordinis Prædicatorum, S. Margaretæ, filiæ Regis Hungariæ Magiſtra, impreſſione Sacrorum Chriſti ſtigmatum eſt illuſtrata diuinitùs, teſte Leandro, ac Felice Caſtelfranco, ac poſt eos Bzouio ad annum 1270. qui de ea Beata, multa & mira recenſet.

B. Stephania Soncinas, Sacra Chriſti ſtigmata diuino munere in corpore ſuo portauit, vt ſcribit Seraphinus Canalli, Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, iuſto de eâ Opuſculo.

B. Oſanna Mantuana, anno 1476. Sacris Chriſti ſtigmatibus, inſupérque carneâ coronâ ſpineam Chriſti coronam referente, donata diuinitùs proditur à Franciſco de Syluestris Ferrarienſi Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali, interprete Summæ S. Thomæ contra Gentes, & à Hieronymo Montoliuetano, eiuſdem ætatis.

B. Lucia Narnienſis, quæ obiit anno 1546. & Ferrariæ elato ſacro eius corpore, in veneratione habetur, ſtigmata Chriſti accepit tempore Alexandri ſexti: quem in eam rem diligentiſſimè inquiri iuſſiſſe, ſéque acta tunc præſcripta Romæ vidiſſe, teſtatur Thomas Boſius l. 15. de ſignis, cap. 3. Eius in extaſim actæ ſtigmata, attentè contemplatos ferunt, Cardinalem Ferrarienſem, & Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem; ac profluentem è ſtigmatibus ſanguinem collegiſſe, eúmque abſque tabe eſſe aſſeruatum. Quod verò mirabile admodùm fuit, pia hæc Virgo, iuſto ſed arcano Dei conſilio, ſterit inglorià, deficientibus eam ſtigmatibus atque miraculis quibus ante abundarat: vt proinde tanquam amens aut falſaria, vel etiam venefica, ſermonibus omnium proſcinderetur: tamen ſex circiter ante obitum menſibus, reuixit in eâ donum miraculorum, & ſtigmata obſoleta reuenerunt; inque eo ſtatu obiit ſanctiſſimè. Meminit quoque huius ſtigmatiſmi longe ante obitum huius Virginis Trithemius in Chron. Spanhaimenſi ſub annum 1500.

B. Ioanna

B. Ioanna à Cruce, Tertij Ordinis S. Franciſci; vt ſcribit eius in hiſtoriâ Antonius Daca cap. 16. iam quadragenaria anno 1524. feriâ Sextâ in parasceue, orans protenſis brachiis, ſignata eſt redemptionis noſtræ ſignis: erántque ea ſtigmata rotunda, magnitudine nummi quem Hiſpani vocant *real*, roſeo colore, vnde odor ſuauiſſimus afflabatur. Dolorem inde percipiebat pia mulier omnino magnum; ita vt pedibus nequiret incedere, abſque ingenti cruciatu, ſed minimè continuo, vt neque ſtigmata perpetua erant. Sed cùm ab eâ die, ad diem vſque Aſcenſionis Domini perſtitiſſent ſtigmata, non fuere tamen conſpicua, nec dolorem inferebant, niſi diebus Veneris ac Sabbathi, ad matutinam vſque horam Dominicæ, quâ ceſſabat cruciatus, & ſtigmatum externa conſpicuitas euaneſcebat. Tandem verò longâ Christi fatigatione, exorauit B. Ioanna vt notæ illæ ſtigmatum, ne vanam gloriam alerent, protinus obliterarentur. Et ita factum eſt in die Aſcenſionis Dominicæ; ſtigmatum doloribus in alios acerbiores, nec vulgi fauoribus & humanis plauſibus obnoxios, commutatis.

Ioanna Rudrigues, ex coniugatâ primùm Tereſianis Virginibus adſcripta, tum Clariſſa, Chriſti ſacra ſtigmata excepiſſe nuper proditur, grauibus omnino teſtimoniis. Eſt penes me eius rei hiſtoria, deſcripta à R. P. Chryſoſtomo Gaufridi, Ordinis S. Franciſci de Obſeruantiâ Strictioris Inſtituti, quam in anguſtum huius ſyllabi cogere non placet, quod digna ſit quæ iuſto opere expanſa legatur, eius calamo exarata.

Plenam quinarij ſtigmatum Chriſti expreſſionem, per pauca de multis exempla, hactenus monſtrauimus. Qui omnino multa alia, & in virili, & in fœminco ſexu exempla volet, adeat Hyacinthum Coqoetium l. cui titulus, *Maria Deipara in Ordinem Prædicatorum materna viſcera* cap. 18. quo Ordinis ſui fratres & ſorores queis impreſſa ſunt ſacra Chriſti ſtigmata, diffusè enumerat. Ad diſcerniculum tamen probatæ famæ ac fucatis, cribrum adhibendum eſſe in hoc Authore, iam monui. F. Petrus de Alua in Opere cui titulus eſt, *Prodigiū naturæ portentū gratiæ*, ad triginta quinque præter S. Franciſcum enumerat, quibus ſtigmata fuere diuinitus impreſſa: Sic ibi tabula 22.

Nunc attingenda ſtrictim ſunt nonnulla exempla eorum, quibus diuinus ille fauor, non niſi ex parte obtigit. Sic enim Cantipratanus l. 1. Apum cap. 25. numero 7. de puellâ ſui temporis habet. [Nouiſſcecitiùs in Brabantiæ partibus, prærogatiuæ ſanctitatis puellam, de quâ per viridicos Fratres Ordinis Prædicatorum manifeſtè probatum eſt, quod per aſſiduam meditationem paſſionis & vulnerum Chriſti, in latere eius vulnus ingens per plures annos apparuerit: & de ipſo vulnere ſanguis ferè continuè in magnâ quantitate profluxerit. Cuius quoque ſanguinis particulam, ad euidentiam tanti miraculi, vidimus, diu in vitreo vaſe reſeruatam, nec coloris mutaſſe ſpeciem, nec odoris.] Quod ait hoc vulnus apparuiſſe per aſſiduam vulnerum Chriſti meditationem, non eſt accipiendum de exortu phyſico vulneris illius lateralis à meditatione vulnerum Chriſti, ſed de exortu meritorio. Digna quippe fuit ea Virgo, cui ob affectum erga Chriſti vulnera, hoc paſſionis Chriſti monimentum rependeretur diuinitùs. Thomas Bonchirus Ordinis Minorum, Anglus, ſcribit Ioanni Grayo Scoto, eiuſdem Ordinis alumno, qui pro fide Catholica cæſus obiit, ſacra ſtigmata in pedibus tantùm fuiſſe conceſſa. Mariam ab Aioſtin Toletanam, ſola plaga laterali in ſiniſtro latere fuiſſe inſignitam, author eſt Alphonſus Villegas Tomo 3. florilegij Sanctorum, & Gratianus à Berlanga, Reginæ Catholicæ Iſabellæ à Sacello. Euſtochium virgo, referente Alano Copo dialog. 3. cap. 29. ſub mammilla tantùm, fuit inſignita. In vicinia ante annos viginti, Paternia Cauarum oppido, Mattona S. Franciſci Tertiaria, Sanctorum operum & omnium virtutum fœmina, poſt mortem piiſſimè obitam, cùm ad ſepulturam à piis ſororibus ablueretur, deprehenſa eſt ſtigma habere in regione cordis: quod aduocati Medici ac Chirurgi, vires naturæ tranſcendere, pronunciauerunt. Apparebant in eo vno ſtigmate, quinque Chriſti vulnera, ita diſpoſita, vt medium occuparet quaſi roſa vernanti coloris purpuraſcentis; quatuor verò alia, ad medium cicatricum, in oblongo quadrangulo efformata, viſerentur. De captiuo ſui temporis, ſcribit Thomas Cantiprat. lib. 1. apum cap. 25. num. 8. cum ſemper gemebundus incederet à gentili hero interrogatum eſſe cauſam triſtitiæ. Cum reſponſum accepiſſet à captiuo, ſe continuè in corde ſuo portare paſſionis Chriſti ſtigmata, ideóque mœrere ac gemere: offenſus truculentus herus, ea periri (inquit) volo, num cor tuum ſtigma quod dixiſti præferat. Nec mora; iuſſit Tyrannus cor captiuo auelli, & per medium cultro ſecari, & comprobata eſt dicti veritas, expreſſa Crucifixi imagine intra cor deprehenſa. Quo viſo, (ait Cantipratanus) Tyrannus mox credidit, & cum omnibus ſuis ſacrum baptiſma ſuſcepit.] In corde B. Claræ à Monte Falco, poſt eius obitum, & Chriſti ſtigmata, & vniuerſum paſſionis Chriſti apparatum eſſe exhibitum, prodit Emmanuël à Cerda q. 8. poſitiua, qui de eo prodigio vberrimè diſſerit, componens illud cum altero, quo tres lapilli in eius felle reperti, æqui ponderabant vni; & vnus tribus, in diuiniſſimæ Triadis ſymbolum.

Quid vetat his ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portantibus, adiungere Britannicum Cardinalem, cui graſſante peſtilentia, S. Rochus picto in fronte ſigno crucis, Chriſti notas impreſſit? Ipſam dico, Crucem, quæ adeò altè infixa eſt, ac ſi cauterio fuiſſet inuſta. Et quanquam Cardinalis, vir cæteroqui pius, illud indemnitatis à peſte pignus, grato animo accepit, tamen dans aliquid multorum ſermonibus, inſtitit, vt S. Rochus crucem illam obliteraret, ne præ nouitate ſpectaculi, ludibrium ſannionibus malè ſanis deberet. Sed renuit vir ſanctus, ſacrum illud ſtigma remouere; ſicque fronti Cardinalis impreſſum manſit ad finem vſque vitæ. Vnum tamen eſt, quod me in hac narratione habet ſollicitum. Nam S. Rochus, dicitur ab eo Cardinali Britannico, deductus ad Pontificem Romæ tunc præſentem; qui tamen ſiue Ioannes 22. fuerit, ſub quo S. Rochus anno 1327. ceſſit è vita; ſiue Clemens V. qui Ioannem immediatè anteceſſit, Romæ adiri non potuerunt, cum in Galliis degerent. Vt autem tempore Bonifacij Octaui qui Clementi præiuit, S. Rochus Romam adierit, non cohæret cum eius ætate; Proditur enim S. Rochus, vitam auſpicatus anno 1295. & anno ætatis vigeſimo, peregrinationem in Italiam peſte afflictam ſuſcepiſſe; nec longæ moræ alibi conſumptis ſpatiis, Romam peruenisse. Quo tempore nullus erat Romæ Pontifex. Franciſcus

Diedo,

Diedo, vitæ S. Rochi ſcriptor, quàm aptè tempora S. Rochi digeſſerit, non ſatis capio.

CAPVT XIV.

Cautiones circa cæleſtes fauores proximè propoſitos.

QVia in medio laqueorum ambulamus, & iuxta parœmiam, S. Baſilio vſurpatam, virtutum fores, vitiorum adıtus ſunt continentes; vt nihil facilius ſit, dum virtutes putantur, vitia adiri iuuat hoc loco, geminam cautionem huic negotio neceſſariam adhibere, ad informationem duplicis generis perſonarum: nempe & earum quibus hi fauores obtingunt; & earum quæ talia aliis diuinitùs obtingere audiunt. Vtriſque enim, aliquid in hoc negotio eſt cauendum.

Et priores quidem, infixum maximè habeant neceſſe eſt, Apoſtoli monitum nunquam ſatis commendatum; Satanam transfigurare plerumque ſe in Angelum lucis. Quod oraculum, egregiè illuſtrat Nicolaus Remigius lib. 1. demonolatriæ toto cap. 9. quanquam vix neceſſaria eſt illuſtratio, in tam frequenti experimento illius veritatis, & ſuppoſitâ, quæ neminem latere poteſt, Diaboli calliditate atque potentiâ, veteratoriis artibus miſtâ, vt S. Fulgentius Epiſtolâ 3. Probam docet. Quia ergo cibus Satanæ electus eſt, idcirco perſonis ſpiritualibus quas diuini fauores cumulant, cauendum ſtudioſè eſt, ne circumueniantur à Satana; & iis vitæ ſpiritualis diſcriminibus ſubiaceant, quæ Caſſianus collat. 23. cap. 9. & S. Gregorius 1. Moral cap. 38. annotarunt: ac nominatim ne deludantur in re de quâ agimus, circa quam tam multis conſtat impoſitum. Dum enim ambulant in magnis & mirabilibus ſuper ſe, affectantes eminere, & captantes apud mortales fumum gloriæ oculos obcœcantem, iuſto Dei iudicio permittuntur hoſtili ludibrio: & qui putabant ſe Chriſti ſtigmatis honeſtatos, deprehenduntur veteratoris antiqui artificio implanati. Teſtes mulieres duæ Oliſſiponenſes, mutuum ſibi teſtimonium perhibentes, quas in hos Satanæ caſſes incidiſſe ſcribit Vincentius Iuſtinianus Opuſc. de imag. B. Catharinæ Senenſis cap. 9. Ea ea regione fœminam ſcribit Horoſco lib. 1. de falſa prophet. cap. 24. & Torreblanca lib. 1. Dæmonologiæ cap. 29. num. 7. miræ in ſpeciem ſanctimoniæ, ſub annum 1546. fictis miraculis ac reuelationibus implanatam, & ab ipſo quoque Præſule inter ſanctas annumeratam, cum adhuc ſuperſtes eſſet; quinarium plagarum Chriſti finxiſſe, & idcirco pro alterâ D. Catharinâ Senenſi habitam: donec tempus, cuius filia eſt veritas, ſtropham detexit.

Teſtis illa quoque, Bononienſis Monialis, cui quinarius ſtigmatum Chriſti artificio Satanæ obtigit ann. 1553. & caput ſanguine plerumque manans, ſpinis confixum apparuit, vt ſcribit qui aderat Petrus Ribadeneira lib. 2. de Tribulat. cap. 15. confirmans, breui deprehenſum eſſe Satanæ in vniuerſa hac mangoniâ, artificium Magdalenæ de la Cruz implanationem, non Corduba modò, vbi res contigit, ſed vniuerſus Chriſtianus orbis audiuit. Quanquam autem Caſſiodorus Remius Maioli Continuator, qui eam Tragœdiam fusè deſcripſit t. 2. colloq. 3. illuſionis circa ſtigmata non meminit; vt neque Simancas in Catholic. Inſtitut. titul. 21. num. 24. tamen eorum quoque meminit qui tunc viuebat Petrus Ribadeneira lib. 2. de tribul. cap. 15. & fusè Vvierus lib. 6. de præſtigiis c. item 6. De mulierculâ quæ Ludouico Granatenſi, viro per omnia ſummo, impoſuiſſe in hoc genere deprehenſa eſt, deluſa à Satana, anno 1586. res eſt vulgatior, quàm vt hîc refricanda ſit. Inſinuatur autem à Didaco in Vitâ Ludouici Granat. cap. 13. Similia multa addendat Petrus Salazar Ordin. Minorum in Chronico Prouinciæ Caſtellæ lib. 5. cap. 21.

Hæc igitur ludibria per Satanam infelicibus illudentem diuino permiſſu euenientia, ferè contingunt ob arrogantiam eorum quibus ſic illuditur. Nam ſi veræ & ſolidæ humilitatis ſaburra firmarentur, facilè poſſent illucente Deo omnes Satanæ fraudes retegere ac declinare. Sicut videmus varios ſanctos quibus Satan præſtigiis ſuis ac ſpectris inanibus imponere tentabat, euaſiſſe incolumes & indemnes, beneficio humilitatis, quâ extraordinariis fauoribus cœleſtibus indignos ſe prædicabant, priuſquàm de eorum origine liquidò conſtaret: vt habetur ex S. Bonauentura lib. de profectu religioſ. cap. 19. Tantùm abeſt, vt prærogatiuas illas cœleſtes, vel captarent, vel ad aucupandam vaporeàm hominum gloriam prædicarent. Eadem in hoc genere commendat Ioannes Nider l. 3. Formicarij cap. 11. recitans implanationem cuiuſdam incluſæ, quæ tempore Concilij Conſtantienſis, in Galliæ oppido Cellis, poſt multos (vt fama erat) raptus & omnino miras extaſes, certâ quâdam die quæ diſtinctè ſignabatur, quinque vulnerum Chriſti ſtigmata in manibus, pedibúſque, & latere, excepturа diuinitùs iactabatur. Sed Deus ſuperbiam confudit, & pro captatâ gloriâ contemptionem apud innumeros qui in eum finem conuenerant, miſeræ mulierculæ eiuſque fautoribus & patronis, refudit.

Qui ergo diuinum hoc munus adeptum ſe putat; ſi tutus eſſe vult, & Diaboli pedicas vbiuis tenſas declinare, muniat ſe humilitate, iuxta cœleſte oraculum B. Antonio datum, apud Dorotheum doctrin. 2. Non ambiat aut captet huiuſmodi gratiam gratis datam, quâ longe vtilius ſubiecto ſuo eſt, nulli prorſus obnoxia diſcrimini, quantulacumque ſanctificantis gratiæ portio. Ne confidat ſibi, nec ſuo iudicio innitatur, ſed maiorum ductui per humilem demiſſionem animi, ſe conformet: quam ſubiectionem, exoſam habet qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ; ideóque refugit amplectentes humilitatem. Id quod tanquam fundamentarium monitum ſtatuunt, qui diſputant de diſcretione ſpirituum.

Ad ipſum vero apicem exoſi Deo meteoriſmi, (ſic enim Chriſti verbum Lucæ 12. aduersùs ſe tollentes in ſublime, accipit Turianus ad cap. 94. Sancti Diadochi) ad ipſum inquam verticem fatuitatis, ſuperbiam ſemper comitantis iuxta doctrinam S. Chryſoſtomi homil. de ſuperbiâ & deſperatione, perrigiſſe dicendus eſſet, qui huiuſmodi cœleſte ſtigmatum Chriſti munus, artificiosè ementiretur. Quod tentauit impoſtor quidam, damnatus in Concilio Oxonienſi anno 1222. præſide Stephano de Longathona, ſiue de Langtono Archiepiſcopo Cantuarienſi, illo ipſo, cui ſectio Bibliorum in capita, qualia nunc habemus, accepta refertur. Nam olim Sacra Biblia capitu-

lis breuiſſimis ſecabantur, ita vt in ſolo D. Marci Euangelio 225. capitula numerarentur, vt prodit Marianus Victorinus in Indice Hieronymi V. *Capitulum.* Hic ergo Stephanus, impoſtorem in Concilio damnauit, de quo varij recenſent varia ſcelerum monſtra. Nam Ranulphus lib. 7. cap. 34. ait eum iactaſſe, ſe Chriſtum Regem eſſe. Vvalſinghamus in hypodigm. Neuſtr. ait fuiſſe Ruſticum, cui ſocius factus ſit Diaconus Apoſtata. At Matthæus Vveſtmonaſterienſis in Chronico, anno 1222. ſocium quidem Hermaphroditum eſſe ait, qui impoſtori de quo dicere cœperam, faueret; & errorem diſſeminandorum coadiutor exiſteret; impoſtorem autem teſtatur, latus ſibi pedéſque ac manus, foraſſe in ſpeciem quinque vulnerum primariorum Chriſti paſſi. Vtrumque ſceleris conuictum, & publicè noxam falſum, iudicio Eccleſiæ punitum eſſe. Punitionem ſtigmatici, Vvlſinghamus ait fuiſſe, vt perpetuò immuraretur, id eſt vt intra quatuor parietes concluſus, vitam exigeret vniuerſam: Diaconum verò (fortè ob apoſtaſiam & alia ſeriora,) gradu Eccleſiaſtico motum, & ſæculari poteſtati permiſſum, flammis vltricibus eſſe conſumptum. Ranulphus, ſtigmaticum cruci affixum tradit, & habuiſſe eiuſdem furfuris Mariam prodit. Hic exitus infelicis ſtigmatiæ, ſacra Chriſti ſtigmata ementiti. Idem tentaſſe Camerini in Piceno muliérculam oneratam peccatis; & dementatam à neſcio quo Bamballone, manus ſibi ac pedes foraſſe ad cœleſtis prærogatiuæ ſibi collatæ famam colligendam, ſcribit Petrus Ribadeneira lib. 2. tribulat. cap. 35. addens ſtropham denique fuiſſe detectam ſub annum 1553. & muliérculam quidem authoritate publica mulctatam eſſe; authorem verò impoſturæ, dum ad exprimendam veritatem in equuleò torqueretur, obiiſſe in tormentis. Nolim videri paucorum veſanum conſilium, totius Ordinis iniuriam & labem interpretari, ſi prudens preſſero quod habet Appendix ſupplemẽti Chronicorum Iacobi Bergomatis lib. 17. ad annum 1509. his verbis, [Bernæ Monachi quidam infeliciter comburuntur, quod ex quodã Fraterculo quem Nouitium vocant, Diuum quendam ſibi confinxiſſe viderentur, ad Franciſcanorum imitationem. Eum enim miſeris modis vulnerarunt, vt ſtigmatibus inſignitus appareret.] Surius in Commentarijs rerum in Orbe geſtarum ad annum 1509. hanc ſtropham recenſens, ſimplicem Fratrem laïcum ait fuiſſe, quo ad falſa miracula & commentitias viſiones cudendas, & alia religioſis indigna, contra nitorem Deiparæ diſſeminanda, abuſi erant quatuor illi, quos iudicium Lauſanenſis Antiſtitis vinicomburio addixit. Quid dicemus? Etiam in vinea (iuxta Nazianzeni parœmiam orat. 31. num. 16.) rubus naſcitur: nec plurimis omni ſanctitatis ac pietatis laude illuſtribus, fraudi eſſe poteſt noxa paucorum. De cautione priore ſatis.

Poſterior cautio eos ſpectat, qui cœleſtes hos fauores aliis collatos accipiunt. Hos imprimis eſſe adeò credulos oportet, vt illicò bibula aure excipiant omne quod iactatur in hoc genere, præſertim circa muliérculas, quæ impoſturæ, ob cordis inopiam, faciliùs parent. Eſt verò etiam hæc cautio, eidem ſexui mollium maximè neceſſaria; ob iudicij namque imbecillitatem, & cordis leuitatem, credendi facilitate laborant, & faciliùs etiam implanantur. Ipſe ſanè Spiritus Sanctus, citam credulitatem leuitati cordis adſcribit Prouerb. 19. Non eſt quidem adeò obdurandum pectus, vt nihil prorſus velit admittere narratum in hoc genere, etiam quod æuo noſtro accidiſſe feratur. Deus quippe, etiam nunc adeſt Eccleſiæ ſuæ, habétque in ea ſub modio variis locis perſonas nitentiſſimas, quibus eum pignora beneuolentiæ ſuæ, & ſanctimoniæ argumenta, cœleſtes boſcè fauores communicare haud indignè poteſt, ſi ita ferat eius beneplacitum. Itaque non eſt putandum, cœlum noſtrum vſquequaque æneum eſſe, nec poſſe in aliquas æui huius perſonas, depluere cœleſtia munera, qualia in anteriores ſanctos defluxere. Remouendum igitur eſt robur & æs triplex, quod nonnullorum pectoribus inſedit, ad reſpuenda omnia huiuſmodi chariſmata, tanquam ab his ſæculorum finibus aliena. Fortiùs etiam repellenda ſunt ea fortia ingenia, quibus fortitudo cenſetur, inficiari anteriores vllos Sanctos (ne Sancto quidem Franciſco dempto,) inſignitos eſſe ſacris ſtigmatibus. Proh brutam & bruciam fortitudinem, imo veriſſimam debilitatem ingenij, inficientis Solem ipſum de meridie lucere. Repello hanc nouitiam plurimorum ingeniorum de granditate, Seneciorum more, ſibi blandientium, in Antemurali ad hiſtoriam S. Ioannis Benedicti. Omnia igitur hæc extrema, ſtudiosè ſunt declinanda. Tamen alterum quoque extremum nimiæ in credendo facilitatis, cauendum eſt in hoc negotio; & quidem ſollicitiùs, cum ex hoc extremo, grande omnino immineat diſcrimen. Qui enim citò, & omnia quæ pia & ex Deo videntur, credere adducuntur; nec moroſè, nec attentè, ac cautè probant Spiritus ſi ex Deo ſunt, iuxta Apoſtoli monitum; facillimè impingunt, & hallucinationum alienarum participes fiunt, bibentes de calice erroris qui eſt calix Dæmoniorum; ac propinatâ alteri per Satanam falſitati, improuidè inebriantur.

Mediâ igitur viâ, itur tutiſſimè; ſi nimirum neque omnibus in hoc genere temerè in vulgus ſparſis, fides citò adhibeatur, neque ad omnia credenda quæ noſtrâ quoque ætate in hoc negotio vulgari contigerit, obdureſcamus; ſed tardè ac lentè habeatur fides talibus narrationibus; admittantur tamen, cùm ex regulis prudentiæ videbuntur non aſpernandæ.

CAPVT XV.

Stigmata piorum Moralia.

Egimus hactenus, de ſtigmatibus phyſicis ac realibus viatorum: & circa ſtigmata ementita quæ veris aduerſantur, cautiones congruas ſuggeſſimus. Nunc vt vndecunque plena ſit tractatio, de moralibus piorum ſtigmatibus, pauca ſunt ſubiicienda. Sicut enim impij apud Eucherium hom. 10. de Paſch. circumferunt peccatorum notas quibus moraliter inurantur, ita & pij moralibus notis per bonos actus impreſſis, coràm Deo & Angelis honeſtantur.

Agnouit hæc myſtica piorum ſtigmata S. Macarius hom. 12. agens de cauterio quo hîc ſignantur & inuruntur oues Chriſti. Agnouit quoque hæc ſtigmata, author Epiſtolæ ad Gerontij filias c. 9. Hieron. conſolans eas ob exhæredationem, eo

quòd

quod inuito Patre ſe dediſſent ſe virginitati. Has enim moleſtias idcirco exceptas, vocat hic Author, *fidei notas, ſtigmata Chriſtiana.* Denique agnouit item ea ſtigmata piorum, Petrus Bleſenſis ſerm. 36. *ſub finem.* Tractans enim inſcriptionem, quam Epiſcopus Eccleſiam conſecrans, iubetur facere, & præfatus eam inſcriptionem myſticè in cordis tabulis, & in pauimento templi animati, eſſe faciendam; ſubdit. [Hæc etiam inſcriptio, facta eſt in corporibus veſtris. Stigmata enim Domini Ieſu portatis in corpore veſtro. Characteris enim inſigne vobis impreſſum eſt, quo de facili, ordinis veſtri diſtinctio, etiam viſibus patet. Tonſura enim capitis, veſtium vilitas & munditiem, ciborum arida ſobrietas, metus, inceſſus, geſtus, & habitus compoſitus, & cætera in hunc modum, inſcriptiones ſunt vobis impreſſæ, & ſigna Dei veſtri; vt dicere poſſitis, *Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Hæc autem ſigna ſunt, ab angulo corporis in angulum, id eſt, à capite vſque ad pedes, vt nulla enormitas à planta pedis vſque ad verticem, in vobis habere locum videatur; vel ab initio profeſſionis veſtræ, vſque in finem vitæ: quis citra veritatem ſacrificij eſt; eandam hoſtiæ non offerre.[Idem ſer. 9. exercitium paupertatis Chriſto tota vita perpetuum, vocat *ſtigmata paupertatis,* quæ pij Religioſi de quibus ibi agit, ſibi volentes inurunt.

Benè iſta & commodè. Meliùs tamen & commodiùs philoſophari videbimur, ſi ſtatuamus, piam quamcunque; ſed maximè, religioſam perſonam referre Chriſtum crucifixum, iuxta doctrinam Abbatis Pinufij apud Caſſianum lib. 4. de inſtit. cap. 34. & 35. benè ex profeſſionis Monaſticæ ritibus illuſtratam à Ruperto lib. 1. in regulam S. Benedicti à c. 9. Egregiè item in eam rem Petrus Bleſenſis ſerm. 9. *ſub finem* vbi contemplatiuos, (ſic enim appellat Religioſos.) eſſe Chriſto, cruci confixo maximè affines, ita demonſtrat, declarans myſteria Cerei, manibus geſtati, in die Hypapantes. [Ponitur exemplum geſtantibus, maximè verò contemplatiuo. Proponitur exemplum patientiæ vſque ad mortem, mortem autem crucis. Non erat Ieſus miſſus niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël. Eleuatus ergò Ieſus in crucem, cùm coram ſtarent filij Iſraël, & dicerent, *Deſcendat nunc de cruce & credimus ei;* Audiens de facili ſe poſſe implere, ad quod venerat, quare non deſcendit; Quare Domine Ieſu per facilem deſcenſum de cruce, non intrauit plenitudo Iudæorum: vt ſine eorum cæcitate, plenitudo gentium intraret? Aliquid eſt, etſi nos lateat. Quare non audiſti eos? Aliquid eſt clauſum. Sed tu Domine aperi nobis, vt & vos ſimiliter faciatis. Vos, inquam, viri contemplationis, cruci affixi eſtis cum Domino quia vultis ire poſt eum. Tollitis crucem veſtram, ſupple, obedientiæ, & pœnitentiæ; vt dicat quiſque, en colligo duo ligna, ex quib' ſcilicet, compaginatur crux noſtra. Audeo ego, & dico. In diſtrictiori cruce pendet vis contemplatiuus, quàm Chriſtus: quia & diuturnior, & in pluribus coërcens eum. Conferamus crucem Chriſti, & crucem contemplatiui. liquidum fiet, quod dicimus. Chriſti membra ſic clauis confixa ſunt, vt officiis ſuis vti non valerent, lingua tamen libera à crucifixione loquebatur. Orauit enim ibidem pro crucifixoribus. In manibus Patris commendauit ſpiritum ſuum. Vir autem contemplatiuus, ſic omnia membra ſua clauis obedientiæ arctauit, vt nec etiam lingua loqui valeat. Sed etiam in neceſſariis, manus innuens, mutæ ſubuenit ſorori. Quid itaque in hac cruce nobis faciendum? Vtique quod Chriſtus fecit in ſua. Moriendum eſt in ea, quia Chriſtus mortuus eſt in ſua. Si perſtrepat mundus, ſi Dæmones, ſi caro propria, & dicat, Deſcende de cruce iuuenis es; circa ſenium aſcendere poteris. Dic ei: nihil certius morte, nihil incertius hora mortis. Vigilabo & ſtabo in cruce, donec inclinato capite tradam ſpiritum.]

Poteſt ergo Religioſus quiſque de ſe dicere cũ Apoſtolo, *Chriſto confixus ſum Cruci.* Hoc Cęſarius l. 8. exemplor. c. 19. ſic enucleat, cum in illud Apoſtoli incidiſſet, *qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt.* [Qui ſunt Chriſti? Qui cum Apoſtolo dicere poſſunt, Chriſto confixi ſumus Cruci, Carnem ſuam crucifixerunt, id eſt Cruci affixerunt, cum vitiis operum & concupiſcentiis deſideriorum pugnantes. Nec ponuntur illi duo genitiui plurales, (*operum, & deſideriorum,*) inſtrumentaliter, ſed paſſiuè: eo quod per virtutes, in carnis maceratione mortificentur. Tres claui quibus corpus Monachi, cruci debet eſſe affixum, tres ſunt virtutes, per quas teſte Hieronymo martyres efficiuntur, ſcilicet obedientia, patientia, humilitas. Manum Monachi dexteram, configat obedientia ſine murmuratione: ſiniſtram, patientia ſine ſimulatione. Clauum obedientiæ, impellat amor ſupernæ libertatis; clauum patientiæ, timor pœnæ gehennalis. Pedes illius, vera humilitas configat; vt non ſolùm Prælatis, ſed & fratribus, ſe propter Chriſtum ſubiiciat, vt dicere poſſit cum Pſalmiſta; *Humiliatus ſum vſquequaque Domini,* Et in alio loco. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Duo pedes, duplex eſt ſuperbia, mentis ſcilicet & corporis. Et licet ſuperbia caput ſit omnium vitiorum, non tamen incongruè per pedes qui infimæ ſunt partes corporis, quandoque deſignatur. Quod enim valdè odimus & deſpicimus, hoc pedibus conculcamus. Vnde Ioſue, filiis Iſraël aut colla Regum calcarent, præcepit.]

Ex hac doctrina perſpicuè ſequitur, Religioſum quemcunque, eſſe moraliter ſtigmatibus Chriſti Domini inſignitum. Nam ſi Chriſto confixus eſt Cruci, ſeu vt Græca diſtinctiùs ferunt, *concrucifixus*; iiſdem profectò clauis terebratur quibus Chriſtus, atque adeò eadem ſacra ſtigmata ſortitur, & eaſdem paſſionis Domini notas. Vnde meritò Aſceticæ vitæ Magiſtri, nihil ſtudioſiùs inſigunt Religioſis quibus ad omnem perfectionem ſtimulos admouent, quàm vt recogitent quibus ſe votorum quaſi clauis, cum Chriſto cruci ſuffixerint: atque adeò quæ ſacra ſtigmata præferre debeant, ſi id reuera ſint quod profitentur. Debent enim Chriſti clauos in corpus ſuum & animam adigere, nihil aſperum in Dei obſequio refugere, & Crucis ſtatum, atque adeò Crucifixi ſtigmata, vndecunque præferre. [Hæc ſtigmata (inquit Petrus Damiani ad nepotem ſuum l. 6. epiſt. 22.) corpus tuum vndique, ſicut Apoſtolus de ſe teſtatur, inurant. *Ego* inquit,) *ſtigmata IESV, in corpore meo porto.* Frange ieiuniis corpus, propriis voluntatibus abſtine, alienæ te iuſſionis imperio promptiſſima deuotione ſubſterne, procacis linguæ petulentias modeſta ſilentij cenſura cohibeat, jocoſi ſermonis lenocinia non erumpant; illicet carnalium paſſionum motus, diſtrictæ continentiæ rigor elidat; vt qui nunc

Chriſto ſponte commoreris, quanto grauior Crux eius in tua conuerſatione conſpicitur, tanto tibi plenior reſurrectionis eius gloria cumuletur.] Sunt igitur Religioſi cum Chriſto crucifixi, & eius ſtigmatibus notati, quod ad quàm magnum eorum decus pertineat, egregiè de more demonſtrat Hieronymus Platus l. 2. de bono ſtatus Relig. cap. 11.

Et quia multi ſunt in ſæculo veſte tenus Sæculares, reipſa autem Religioſi; ſicut è contrario multi ſunt veſte tenus Religioſi, qui reipſa verſantur in ſæculo: idcirco ſicut hoc decus ſtigmatum Chriſti moralium, nonnullis externa ſpecie Religioſis eſt abrogandum; ita non paucis habitu Sæcularibus, eſt concedendum. Nam Religioſum veſte tenus, non eſſe reuera Religioſum ac proinde eſſe huius ſtigmatiſmi expertem, pulchrè tradit Richardus Victorinus lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. & habetur etiam ex S. Bernardo homil. 3. ſuper miſſus eſt *ad finem*, ac ex Saluiano libro 4. ad Eccleſ. *ſub finem*. E contrario S. Martinus adhuc miles, iam erat vita Monachus, vt loquitur Sulpitius in eius vita, cap. 1. & Nebridius ſub habitu alterius, alteri militabat, ait Hieronymus ſcribens ad Saluinam; hoc eſt ſub habitu Sæculari, erat reipſa Religioſus. Quod aliter de Exuperantio dicit Epiſtol. 35. [Sub paludamento & habitu militari, agit opere Prophetarum; & exteriorem hominem aliud promittentem, vincit interiori homine qui formatus eſt ad imaginem Creatoris.] Hæc igitur cauſa eſt, cur dixerim, ſicut plerique veſte tenus Religioſi, carent his Chriſti ſtigmatibus moralibus, ita pleroſque veſte tenus ſæculares; præferre ſtigmata Chriſti myſtica, Chriſto confixos cruci. Tota ſanè vita Chriſtiani, eo digni nomine, & ad Euangelij normam opera ſua dirigentis, crux eſt, indice D. Auguſtino ſerm. 32. de Sanctis. In ea Cruce, timore Domini iuxta votum Dauidis Chriſtianus tanquam clauis configitur; & Chriſto per ſtigmata Sacra configuratur.

Reducitur ad ſtigmata clauifixione morali impreſſa; illud aliud ſtigma, quod Ezech. 9. ſuper piorum frontes notandum decernitur. Sic enim ibi loquitur Deus. *Signa Tau, ſuper frontes virorum gementium abominationes terræ.* Quod ſignum *Tau*, de cruce accipiunt varij Patres quos retuli in libello de hieroglyphicis S. Antonio appictis §. 25. & multos item in eam rem laudant Alcazar in cap. 7 Apocal. Notatione 3. & Pradus ad c. 9. Ezech. ac Hermannus Hugo de Script. cap. 22. Et quia Ioannes eo cap. 7. Apocalypſis, referens Angelum de ſignandis ſeruis Dei in frontibus admonentem, iure cenſetur ad eum locum Ezechielis alluſiſſe, rectè coniiciunt, ſignum quod ibi frontibus ſeruorum Dei imprimendum decernitur, fuiſſe ſignum T. ſiue Crucem. Quod enim nuperus Interpres ibi ſignum impreſſum frontibus, accipit de gratia qua Sancti ſignantur, vt dicitur 2. Cor. 1. & Epheſ. 1. & 4. nec reſpondet cum alluſione ad locum Ezechielis, quem ipſe fatetur ad ſignum quod diximus pertinere; nec quadrat loco Ioannis, in quo Angelus communi opera ſignandos abs ſe ac ſociis, ſeruos Dei, profitetur: cum tamen gratiam & gloriam det Dominus, non autem Angelus quantumvis ſublimis, ac eminens. Signantur ergo ſerui Dei, & apud Ezechielem, & apud Ioannem, ſigno crucis vt rectè Amphilochius in calce homiliæ de Hypapante, quod dicebam reduci ad ſtigmata clauifixionis; quia crux fronti impreſſa, aliud notare non poteſt, quam hominem ſic notatum, eſſe mundo Crucifixum; ac Chriſti crucifixi, non ſeruum modò, ſed & æmulum. Quod attigit Rupertus lib. 12. de victor. verbi Dei c. 29. vocans crucem frontibus noſtris impreſſam ſignaculum quinque Chriſti plagarum.

CAPVT XVI.

De ſtigmatibus in patria.

AD plenam & vndecunque abſolutam de ſacris ſtigmatibus tractationem, videndum reſtat, an huiuſmodi ſtigmata, locum ſint habitura in patria. Hactenus enim, de Sacris viatorum duntaxat ſtigmatibus eſt diſputatum. Duo ergo de ſtigmatibus, in corporibus beatorum quæri poſſe video. Primùm eſt, an ſtigmata hîc impreſſa, retineantur in rediuiuis corporibus beatorum; an verò cum reliquis infirmitatibus obliterentur. Alterum eſt, an quod ſonare videntur quædam Scripturæ, noua aliqua ſtigmata corporibus rediuiuis beatorum ſint imprimenda, quibus caruerint in via.

Ad priorem difficultatem, quæ eſt de ſtigmatibus Sacris per tempus viæ, impreſſis corporibus Beatorum; ſiue agatur de ſacris notis antiquis, vt circumciſione, ſiue de ſacris ſtigmatibus puriorum hominum nouæ legis, idem pronunciandum eſt quod de ſtigmatibus corporis Chriſti rediuiuis. Nam cum Chriſti corpus rediuiuum, ſit cauſa Idealis omnium corporum beatorum, vt ex multis Scripturis monſtrat Suares t. 2. 3. p. d. 50. ſect. 5. meritò (niſi ſicubi vigebit peculiaris aliqua ratio,) quod de ſtigmatibus corporis Chriſti rediuiui ſtatuemus, ad ſtigmata cæterorum corporum beatorum ſimiliter hîc affecta, erit extendendum. Agnouimus autem in Chriſto ſuperiùs varia ſtigmata, quæ excepit viator: nimirum ſtigma circumciſionis, flagellorum atrocium notas, & fixuras clauorum, ac lanceæ.

Quoad ſtigma circumciſionis, an fuerit in corpore Chriſti rediuiuo, controuerſia eſſe poteſt; inde decidenda, an Chriſtus in reſurrectione caruerit præputio. Si enim præputio instructus reſurrexit, abfuit ſtigma circumciſionis, vt notum eſt. An ergo Chriſtus cum præputio reſurrexerit, ambiguus eſt Origenes, quem adducit Euſebius in Apologia t. 9. Hieronymi *pag. mihi* 329. Sed Chriſtum reſurrexiſſe præputiatum, affirmat Titus Boſtrenus in cap. 2. Lucæ. Et idem habet ſatis communis ſententia apud Suarem t. 2. 3. p. d. 47. ſect. 1. à qua non receſſit Collius l. 5. de ſanguine Chriſti diſp. 1. cap. 5. ad 5. Exponit enim ſe diſp. 7. cap. 2. Et meritò. Nam debita integritas corporis Chriſti reſurgentis, poſtulauit vt præputio non careret: quod facilè fuit Deo præſtare, reſtituendo Chriſto eam partem corporis, vel certè ſupplendo illam de nouo.

Loquor ſub disiunctione, propter multas narrationes, de ſuperſtite nunc quoque, in terris Chriſti præputio: vt videre eſt apud Toletum Lucæ 2. annot. 31. & apud Odonem Giſſæum in hiſtoria Aniciensi lib. 1. cap. 17. vbi ſignantur varia loca eo theſauro gloriantia. Si ergo narratio-

nes

res illas de quibus Innocentius III. lib. 4. de myſteriis dubitat, admittamus: facile erit aſſerere, vel Chriſti præputium quod infanti abſciſſum eſt, reproductum vi diuina Chriſto eſſe redonatum, vel quod veriſimilius eſt, ex noua materia, aut ex aliquibus partibus è Chriſti corpore reſolutis, fuiſſe efformatum, & Chriſti corpori rediuiuo adiunctum nouum præputium. Neque enim cenſendum eſt, eam noui præputij coniectionem, pugnare cum identitate corporis; quæ moraliter ſalua manet, dummodò principales corporis partes ſint eædem, tantúmque fiat mutatio in vna aliqua exili particula, cuiuſmodi eſt præputium infantis. Quid quod præputium quod Chriſti infanti reſectum eſt, ineptum eſſet, vt aptaretur corpori Chriſti iuuenili; quale fuit cum reſurrexit? Ob augmentum enim factum in parte è qua deciſum eſt præputium, neceſſarium fuiſſet eam particulam cumulari acceſſu quantitatis, qui illi reliquo vitæ progreſſu per nutritionem aduenisſet: alioqui non potuiſſet coaptari membro iam grandiori, è quo deſecta fuerat cùm modicum eſſet. Igitur etiamſi illudmet præputium quod Circumciſione reciſum eſt, reſtitueretur Chriſto rediuiuo; admittendus tamen in eo eſſet acceſſus nouæ alicuius materiæ, qui æquè pugnaret cum identitate corporis reſurgentis ac appoſitio noui præputij.

Verius igitur videtur, non præputium quod hîc Chriſtus infans habuerat fuiſſe eidem rediuiuo reconcinnatum, poſito quod idem ſuperſit in terris: ſed nouum planè præputium fuiſſe Chriſto conſertum diuinitùs. Alia tamen eſt ratio cæterorum corporum beatorum, quibus hîc per circumciſionem reſectum fuerit præputium. His enim idem numero præputium, neceſſaria ad coaptationem quantitate cumulatum, reſtituendum fore, cenſendum eſt. De his quippè non eſt vlla ratio quærendi, an præputium illis ex alia materia concinnetur, ſicut fuit ratio dubitandi circa Chriſtum, ob narrationes de ſuperſtite pleriſque locis eius præputio. Reſumpto autem præputio, non eſt quod de ſtigmate, aut de cicatrice reſidua ex anteriore ſectione ſimus ſolliciti, ſed omnes huiuſmodi notæ, cenſendæ ſunt obliterari, nec perſeuerare in corporibus beatorum: cum aliquam potiùs deformationem, à corporis beati dignitate abhorrentem redoleant. Et idem dicendum eſt de ſtigmate auris ſubula foratæ, ſi quæ talia corpora reſurgant ad gloriam, & donentur in cœlo beatitate.

Fuere præterea in mortali Chriſti corpore, ac etiam in plurimorum ſanctorum corporibus, ſtigmata flagellorum atrocium, perſeuerantia in eis vſque ad mortem. Ineptè enim quoad Chriſtum, creditus Anſelmus l. de paſſione Domin. cap. 16. affirmauit, Chriſti corpus ante reſurrectionem, fuiſſe planè liberum hiſce ſtigmatibus ac cicatricibus. Vnde inducit Deiparam ſic loquentem. [Filius meus ad conſolationem meam & diſcipulorum, glorificatus fuit ibi coram nobis: ita quod nulla plaga aut liuor, in corpore ſuo apparuit, præter quinque vulnerum cicatrices, quas reſeruaturus eſt vſque ad diem iudicij, & adeò ſanus apparuit in corpore, ac ſi nunquam paſſus fuiſſet. De quo ego & diſcipuli immenſam conſolationem recipimus.]

Hoc Dionyſius Richelius Tract. de paſſione Domin. art. 14. in longa diſquiſitione ineptiarum libelli prædicti; nec apertè improbat, nec apertè admittit. Exploditur autem (quamuis iuſto mollius,) à Molano lib. 4. de imag. cap. 12. Suppoſito igitur quod liuores & cicatrices è flagellis, in demortuo Chriſti corpore hæſerint; addendum eſt, corpus Chriſti glorioſum ea ſtigmata præferre, abſque vlla indecentia, imo cum multa gloria & venuſtate.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi fuluo
Argentum Pariúſve lapis, circumdatur auro;

Res hæc perſpectior fiet, ex dicendis circa punctum ſequens. Hinc verò efficitur, ſimilia Sanctorum ſtigmata non obliterata ante mortem, comparitura in eorum corporibus rediuiuis, cum illo ſpeciali & eximio decore, qui merito Sanctorum reſpondeat.

Primaria Chriſti ſtigmata, ſunt quatuor illa per quæ veluti per tubos, pretium redemptionis noſtræ è manibus pedibúſque foratis profluxit, nec non quintum in latere perfoſſo poſt Chriſti obitum, vnde iuxta Patres manarunt Sacramenta, in ſenſu quem latè veſtigat Sayrus Tract. de Sacrament. in genere, & Molanus ad cap. 20. Palæoti de ſacra ſindone num. 9. Hæc ſtigmata fuiſſe in Chriſti corpore rediuiuo, negauit Caluinus, quem latè reiicit Feuardentius in Appendice ad Caſtrum V. *Chriſtus* hæreſi 12. Multa etiam ad eam vulnerum in Chriſto rediuiuo perſeuerantiam confirmandam, habent Suares t. 2. 3. p. diſp. 47. ſect. 1. & Molanus ad cap. 16. libri prædicti q. 1. & 2. Statuendum ergo eſt tanquam ex fide certum, ſtigmata quinque prædicta, hæſiſſe in glorioſo Chriſti corpore. Ita enim apertè habetur de manuum laterísque ſtigmatibus Ioan. 20. nec obſcurè idem inſinuatur Lucæ 24. de ſtigmatibus pedum. Traditio item Eccleſiaſtica perſpicuè ſuffragatur, ex qua paſſim videmus, Chriſti corpus iam glorioſum exhiberi cum eo plagarum quinario. Idem docent Patres; ſiue tractantes dicta Loca Euangeliorum, vt Chryſologus ſerm. 77. & 81. ſiue per alias occaſiones, ac nominatim agentes de aduentu Chriſti ad generale iudicium: in quo aiunt, meritè ſuffundendos Iudæos, aſpicientes in eum quem confixerunt, iuxta Zachariam cap. 12. Inſigniter id tradunt Hippolytus orat. de mundi conſummat. Chryſoſtomus hom. 77. in Matth. & homil. 1. de Cruce & latrone. Auguſtinus l. 2. de ſymbol. cap. 8. Creditus Cyprianus in calce Tractatus de Baptiſmo Chriſti. Cæſarius hom. 13. & Eucherius in calce homiliæ quartæ ad Monachos; quem hinc fructuoſiſſimè mores informantem, iuuat adducere. [Cogitemus (inquit) illius Iudicis inceſſanter aduentum, qui vtinam ſic nos paratos inueniat, quomodo nemo poteſt dubitare quòd veniat. Quod ſi requiras, quomodò veniat? illo vtique corpore, quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtris criminibus addictum, pro noſtra abſolutione damnatum, & pro noſtrorum vulnerum medicina, lanceâ, clauiſque confixum eſt. Prima enim erit in reos intoleranda ſententia, reuerendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi ſumus, quando contra illos, crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum noſtrorum, ac maculæ libidinum proferentur? Aut quo putas vultu reſpiciet redemptio noſtra perditionem noſtram? Tanto grauiora erunt humana delicta, quanto maiora ſe oſtenderunt diuina beneficia. Verendum eſt autem, ne illam vocem reſurrectionis, pretioſa Chriſti veſtigia proteſtantem, etiam iudicio ſuo ad vaſa iniquitatis

prolaturus, atque dicturus ſit; *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*; & agnoſce quæ pro te, & à te, impietas humana pertulerim. Illæ vtique clauorum ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia, quæ vſque ad diem iudicij non delentur, ſine dubio obijcienda ſeruantur: & quid poſt hæc ſequitur, niſi illud interpoſitum inter viuos ac mortuos expaneſcendum chaos, vaſtúmque diſcrimen, excluſæ à natura viuentium tenebræ exteriores, dura ſeparatio à dulci intuitu Sanctorum, & à ſocietate fidelium? & è contrario inter lachrymabiles gemitus, planctúſque lugentium, collegium triſte miſerorum & à beata patria æternum teterrimæ noctis exilium? Quàm lugubre erit homini, Deum videre & perdere, & ante pretij ſui perire conſpectum! Et ideò Chariſſimi, iſta dum tempus eſt cogitantes, ita indefeſſo ſtudio laboremus, vt quod nobis contulit iudicatus, integrum in nobis inueniat iudicaturus.]

Quare perſeuerantia ſacrorum quinque ſtigmatum in glorioſo Chriſti corpore, rata eſto, non modò quoad tempus quo Chriſtus poſt reſurrectionem hæſit in terris, vel tantùm quoad tempus decurrendum vſque ad finem mundi; ſed etiam per totam æternitatem. Ita enim diſertè tradunt S. Ambroſius lib. 10. in Lucam & S. Auguſtinus 22. Ciuit. cap. 19. & 20. & alij, qui agnoſcunt hæc vulnera eſſe monumenta æterna, & perpetua Chriſti de hoſtibus trophea. Bellè omnino Rupertus lib. 12. de victor. verbi Dei cap. 28. has eſſe æternas voces victoriarum Chriſti, his verbis docet. [Vir iſte, nunquid eſt ille de quo Sapientia dicit, *Vir obediens loquetur victorias?* Denique & ſi ſunt vel fuerunt viri multi, obedientiæ filij, iſte vnus vir, vnus & ſingularis, cui non fuit, nec eſt, nec erit alius ſimilis, aut obediens in re ſimili, vel pati: hic ſolus in eo vir obediens eſt, quòd nullum omnino habens peccatum, humiliauit ſeipſum per voluntatem Patris propter peccata aliorum, & vſque ad mortem ſe humiliauit, mortem autẽ crucis. Proinde decet eum iam obedientem virum, loqui victorias, & ecce loquitur eas in locutione inceſſabili, locutione ſempiterna. Cuiuſmodi eſt locutio illa? Profectò valdè clara, valdè ſonora, quia ipſa eſt demonſtratio plagarum ſuarum, quas in ipſa ſuſcepit obedientia. Quinque plagæ eius, quaſi quinque linguæ ſunt. Plagarum ſuarum cicatrices, idcirco in corpore ſuo retinuit & reſeruauit, vt victorias ſuas ſemper loquatur, illis quaſi linguis. Cui loquitur? Reuera primùm Deo Patri, deinde Angelis & hominibus Sanctis omnibus, electis omnibus. Videt Pater Deus, & pulchris victoriarum teſtimonijs delectatur. Vident Angeli, & ad laudem & gloriam excitantur. Vident homines redempti, & in gratiarum actiones, irremiſſibiliter extenduntur.]

Perſeuerabunt ergo vltra iudicij diem, & per totam æternitatem, ſacra quinque ſtigmata in glorioſo Chriſti corpore: & quod Cæſarius homilia 13. ait, clauorum ſigna non eſſe delenda vſque ad diem iudicij, non eſt accipiendum de ſacrorum horum ſtigmatum obliteratione poſt iudicium, ſed de permanentia illuc vſque, abſque excluſione vlterioris durationis. Sicut cum dicitur, *non cognoſcebat eam donec peperit*, non eſt ſenſus; Deiparam poſt Chriſti puerperium fuiſſe cognitam, iuxta Heluidij blaſphemum ſpurciloquium: ſed ſenſus eſt, quod Deipara vſque ad partum Virgo fuiſſet, quamvis vlteriùs quoque, id eſt ſemper omnino, fuerit Virgo. Sicut etiam cum Chriſtus dixit, ſe vſque ad ſæculi conſummationem cum ſuis futurum; non eſt ſenſus, quod tunc ſit eos deſerturus vt rectè notauit S. Baſilius hom. de humana Chriſti generat. Et de coruo nunquam poſtea regreſſo, dicitur Geneſ. 8. *non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Pſalmo item 109. dicit dominus domino, vt ſedeat ad dexteram, donec inimici pedibus eius ſubſternantur; tametſi hoſtibus iam ſubſtratis, continuaturus ſit ſeſſionem ad Patris dexteram. Quæ exempla ad illuſtrationem huiuſmodi loquendi, profert Theodorus Metochita in Hiſtoriæ Romanæ Breuiculo *pag.* 9. Idem ergo debet eſſe ſenſus Cæſarij, cum ait, ſigna clauorum vſque ad diem Iudicij non eſſe delenda è rediuiuo Chriſti corpore, quæ verè in eo perſeueratura ſunt in æternum. Nimirum vt ratiocinatur S. Thomas 3. part. quæſt. 54. artic. 4. ad 3. poſt S. Gregorium XIV. moral. cap. 21. Chriſti corpus, per reſurrectionem ſtaturum ſuper petram immobilem, tranſgreſſum eſt Lunam: quæ ab Ocello l. de vniuerſo, ſcitè dicitur *Iſthmus mortalitatis & immortalitatis, nec non mutationum ac viciſſitudinum, & prorſus immota ſtabilitatis.* Quare eundem ſemper ſtatum retinebit, & illa quinque primaria vulnera quæ habuit hactenus cum Apoſtolis poſt reſurrectionem, vltra omnia ſæculorum volumina conſeruabit.

Itaque non ſunt adæquatæ rationes quædam à nonnullis Patribus adductæ, cur Chriſtus cum ſtigmatibus reſurrexerit. Vt ratio quam creditus Cyprianus ſerm. de baptiſmo Chriſti, & creditus Anſelmus Hebr. 9. petunt ex efficaci interpellatione pro nobis, oſtentatis Patri Filij vulneribus, quæ interpellatio ceſſabit poſt mundi clauſulam. Item non erit poſt mundi metam neceſſaria erectio fidei ac ſpei mortalium, cui ſeruitum hâc vulnerum reſeruatione, volunt S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, & Eucherius homil. 10. de Paſchate Verbis illis. [Præfert piiſſimus liberator per vulnerum ſigna, celebranda redemptionis inſignia. Præfert clauorum confixione corpus inſertum, & lanceæ illiſione confoſſum. Quid hoc? Expoliata eſt fragilitas, exinanita mortalitas, ſola in cicatricibus permanent reuerendæ teſtimonia paſſionis. Nimirum illud ſolum reſurrectio, vnde erat credenda non abſtulit. Oſtendit ergo manus & latus, ne ſubitò non eadem caro crederetur reſurrexiſſe quæ paſſa eſt; ne cauſam ipſam gloriæ obſcuraret forſitan lux gloriæ, ne ſplendor reſurrectionis fidem obduceret veritatis. Oſtendit eis manus & latus, vt qui paulo ante in tuo Deum corpore inſpexeras, nunc in Dei lumine tuum corpus agnoſceres; vt tantùm de ſpe caperes gaudium, quantùm de nouitate miraculum.]

Erit qui aduersùs quamcumque horum ſtigmatum patentium & hiantium perſeuerantiam, vrgeat neceſſariam in Chriſto continuitatem partium, præſertimque venarum, arteriarum, atque neruorum; cui continuitati obeſt vulnerum hiantium perſeuerantia, cum non exiguo incommodo continentiæ ſanguinis, & ſpirituum ad motum & organicarum partium fomentum neceſſariorum. Verùm non eſt quod ratiunculæ humanæ, diuino imperio auſint obſtrepere. Non obſtante enim exiguâ illâ vacuitate, corpus non deſinit

eſſe

eſſe moraliter continuum, & tale appellari: nec idcirco incommodatur tranſuectioni ſanguinis & ſpirituum; quia foramina orbicularia (cuiuſmodi iſta erant,) non tollunt continuitatem circelli carnei circumjacentis, & circumpoſitarum arteriarum, venarúmque & neruorum. Vnde illa diſcontinuitas quàm admittimus, probè cohæret cum vſu debito partium organicarum. Poſſet quidem aliquis ingenioſè commentari, loca vulnerum fuiſſe planè continua; ſed Chriſtum dotibus gloriæ vtentem, feciſſe ea peruia, digitis ac manibus Apoſtolorum contrectantium: paries item opplentes foramina per clauos & lanceam cauſata, feciſſe inuiſibiles, impedito effluxu ſpecierum viſibilium ab illis partibus: quod vtrumque ſubeſt arbitrio Beati rediuiui, & multò magis erat in Chriſti iam glorioſi poteſtate. Hæc tamen commentatio, plus ingenij habet quàm ſoliditatis. Eſt enim contra pelluciditatem narrationis Euangelicæ: quæ omnino fert, vt ſtigmata corporis Chriſti rediuiui palpata à S. Thoma, non ſint meræ notæ anteriorum vulnerum, aut eorum iam obductorum cicatrices; ſed verè ſint patentia & aperta vulnera, in quæ poſſet inferri digitus, & mitti manus. Vnde Chryſologus ſerm. 76. vocat *clauorum foramina*. Et S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. cap. 3. vocat *manentia in manibus & pedibus Crucis ſigna, ac ſeruata clauorum & lanceæ veſtigia*. Rupertus lib. 12. de victor. verbi Dei cap. 28. & 29. nunc appellat *plagas*, nunc *vulnera iuſti, vapulantis quicquid ſenſibus ſuis caro noſtra deliquit*. Vnde quod capite illo 28. vocat *cicatrices*; (id quod etiam facit Eucherius homil. 10. de Paſch. non eſt accipiendum de cicatricibus propriè dictis; ſiue de notis poſt vulnus curatum & obductum; ſed omnino accipiendum eſt de vulneribus hiantibus & apertis, vt fert vox *plagarum*, quâ vterque ille Author vtitur iiſdem locis. Similiter cicatrices nominat, quas tamen apertas ſtatuit his verbis S. Auguſtinus (ſi tamen ipſe) ſerm. 138. de tempor. [Vtitur pij & fortiſſimi Regia officio, dum cicatrices quas pro ſalute populi ſui excepit, oſtendit. Aſpicite Phariſæi vacuum monumentum, & impietatis veſtræ cognoſcite ſacrilegium. Clauos quos fixeratis agnoſcimus, & quem occidiſtis, adoramus. Videte quem compunxiſtis. Poterat fixuras clauorum Dominus reſurrectione ſuâ componere; ſed ideò reſeruantur vt qui hoc ſacrilegium commiſerant, videant & confundantur.] En cicatrices in rediuiuo Chriſti corpore agnoſcit, & tamen fixuras non compoſitas, ideſt non obductas admittit. Id quod etiam videre eſt apud Theophanem Ceramæum hom. 35. Non eſt igitur audiendus Collius qui l. 5. de ſanguine Chriſti diſput. 7. cap. 1. aliter de Chriſti vulneribus poſt reſurrectionem philoſophatur, quàm hactenus fecerimus. Nec vera vulnera hiantia, ſed meras cicatrices & anteriorum vulnerum notas nullatenus apertas, ſed plenas in Chriſto rediuiuo agnoſcit. Nec multum abeſt ab eo placito quod dixit Syluester in Roſa aurea tract. 1. circa Euangelium Octauæ Paſchatis, nimirum non fuiſſe Chriſti rediuiui vulnera planè aperta vt fuerant in Sepulchro, ſed tantùm in locis vulnerum fuiſſe nonnullam humilitatem ſiue depreſſionem carnis. Hoc repudio, quia loca ſcripturæ ſuperiùs adducta, aliud ferunt: ſuffragantúrque Patres adducti à Suare t. 2. diſp. 53. ſect. 2.

Quod circa primarias quinque Chriſti plagas conſtitutum hactenus eſt, extendi poſſe ad plagas & ſtigmata SS. Martyrum, negat Euthymius Lucæ 24. ſtatuens eſſe ſolius Chriſti proprium, habere in ſtatu gloriæ vulnerum cicatrices, id eſt vulnera perfoſſa, qualia habuerat in ſtatu mortali. Et videtur idem velle Eucherius homil. 10. de Paſch. *ad finem*. Ait enim, [Reparandum me in corpore meo, & circundandum me pelle meâ, credo quidem ſermonibus annunciantis; ſed plus credo cicatricibus reſurgentis, quas quidem in reſurrectione Domini, ad confirmandam vniuerſitatis fidem, ſpeciales fuiſſe manifeſtum eſt, vt per teſtes crucifixi corporis plagas, definitiſſimè nouerimus, omnes ſub reparationis die animas, ad corpus proprium reuerſuras. In noſtrâ verò reſurrectione, nulla alicuius remanebunt indicia læſuræ, nulla penitùs apparebunt veſtigia vlceris, aut debilitatis in carne, vtinam non inueniantur in corde.] En nullas læſuras, nulla penitus veſtigia illatorum hic vulnerum, in corporibus Beatorum admittit. Idem tribuit Soto Suares t. 2. 3. part. diſp. 47. ſect. 2. Quamquam Soto in 4. d. 4. quæſt. vnica art. 3. tantùm ait, membrum vulneratum, in reſurrectione rutilaturū immenſo ſplendore, vt rectè aſſerunt Carthuſianus in 4. diſp. 49. quæſt. 8. & Ioſephus Angles quæſt. de beatitud. *in fine*, & præiuerat Cæſarius lib. 12. exemplor. c. 50. Imo præiuerant Patres, vt Ambroſius lib. 10. in Luc. & Auguſt. 22. Ciuit. cap. 19. & 20. nec repugnat S. Cyrillus 12. in Ioan. cap. 58. qui tantùm intendit negare, defectum aliquem aut probrum inde exoriturum; quæ fortaſſis etiam eſt mens Eucherij loco allegato. Ea autem ſpecialis gloria partis hic vulneratæ, quam ſolam inducit Soto, non pugnat cum vacuitate in membro perfoſſo. Vnde qui tam ſpecialem gloriam membri malè vexati admittit, non excludit eius ſtigmata. Neque huiuſmodi ſtigmata vacua & hiantia, pugnant cum verâ reſurrectione, dummodò non ſint eiuſmodi, vt vitam excludant, quemadmodùm accidit in capitis reſectione, vel in corporis interciſione vitam remouente, quaſi mulctatus eſt S. Iacobus Interciſus.

Stigmata igitur aperta cuiuſmodi ſunt transfixorum, dummodò non ſint naturaliter incompoſſibilia cum reſurrectione & vitâ, ſed poſſint cohærere cum naturali permanentiâ animæ in corpore; (eſto effectiuè mortem eſſent illatura intra breue aliquod tempus,) perſtabunt in Martyrum corporibus glorioſis, quicquid dicat Euthymius, vt probaui in Tractatione de Martyrio part. 2. cap 6. num. 33. annuúntque Malonius ad cap. 16. Palæoti de ſacrâ ſindone quæſt. 1. & Pineda in cap. 19. Iobi, verſu 26. num. 5. & Petrus Reginaldetus in ſpeculo finalis retributionis parte 2. §. de primâ gloriâ corporis, qui argumentatur ex debita conformatione corporum SS. Martyrum rediuiuorum & glorioſorum, cum corpore Chriſti glorioſo. Nam corpus Chriſti eſt metrum & exemplar corporum omnium beatorum; eſtque dignum ac iuſtum, vt corpora eidem complantata in ſimilitudinem mortis eius, aſſimilentur eidem in ſtatu reſurrectionis & gloriæ. Vnde non benè Euthymius, volebat hanc ſtigmatum perſeuerantiam in corpore glorioſo, eſſe ſpeciale Chriſti corporis decus, negatum glorioſis corporibus Sanctorum. Quod autem de SS. Martyribus dixi, extendendum eſt ad ſtigmata SS. Confeſſorum ac Virginum, quæ illis ad mortem vſque inhæſerint,

tiur. Nominatim verò de permanentiâ ſtigmatum S. Franciſci in patriâ, latè diſſerit Saluator Vitalis in calce Floreti Aluernini, nec non Didacus à Cea lib. 1. theatri terræ ſanctæ cap. 7. §. 13. & 15. ac 16.

Poſterior difficultas initio propoſita, nempe ſintne aliquia ſtigmata corporibus beatorum imprimenda in cœlo, fundatur in quibuſdam Scripturis, aſſerentibus, electos habituros nomen Chriſti & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Ita habetur de 144. millibus Apocal. 14. & eiuſdem libri cap. 7. Angelus aſcendens ab ortu Solis habens ſignum Dei viui, ſignandos monet ſeruos Dei in frontibus eorum; quod ad ſtatum beatitudinis pertinere, inde haberi videtur, quod poſt conſummatam ſigni impreſſionem, uniuerſa dicitur Ioanni turba magna, amictorum ſtolis albis, ex omnibus generibus, & tribubus, populiſque & linguis, ſtantium ante thronum, & in conſpectu Agni, palmas manibus præferentium. Itaque videntur in cœlo imprimenda electis noua ſtigmata, gloriæ & decoris refertiſſima, quibus in Dei populum conſignentur. Hæc ſtigmata, aliqui aſſeruerunt eſſe crucem frontibus electorum imprimendam in cœlo. Ita aliqui apud Salmeronem in cap. 24. Matth. tomo 3. parte 3. tract. 40. nec improbat Cornelius in c. 9. Ezech. ad verſum 5. *in fine*. Non video tamen ſufficiens fundamentum inuehendi noua ſtigmata, beatorum corporibus in cœlo impreſſa. Nam loca Apocalypſis allegata, iuxta optimos quoque Interpretes, pertinent ad myſticum ſtigmatiſmum quo iuſti ſerui Dei, fiunt immunes à plagis ibidem recenſitis, quibus liquet non fore in cœlo locum.

SECTIO II.

STIGMATISMVS HVMANVS, PROFANVS.

E TRIPLICI ſtigmatiſmo propoſito, primum hactenùs, executi ſumus. Nunc progredimur ad ſecundum, quo profana ſtigmata ab hominibus impreſſa continentur. Hæc verò diſtribui poſſunt, in nobilia & ignobilia. *Nobilia* dicimus quæ probri expertia, vel etiam cum honore vſurpata. *Ignobilia* verò, quorum impreſſio non caret dedecore ſecundùm humanam æſtimationem: quibus adiungemus, quæ *lugubria & superſtitioſa* nuncupabimus. Non eſt autem viſum de ſtigmatizandi ratione artificioſâ, aliquid generatim præmittere, quia de ſubiecto ſiue parte notatâ, & notandi inſtrumento, ac modo notandi vario, necnon de obliteratione ſtigmatis impreſſi, vix aliquid ſtatui vniuersè poteſt, in omnibus humanis ſtigmatiſmis commune. In ſingulis autem, quæ ad ea capita pertinent, commodius attingemus.

CAPVT I.

Stigmata nobilia.

HÆc ſtigmata, tripartitò diuidi poſſunt. Nimirum primò in ea ſigna corpori impreſſa, quæ apud varias gentes fuerunt indicia nobilitatis. Secundò, in ſtigmata militum quæ iure reponuntur inter nobilia: quia militia apud omnes gentes, nobile quid ſemper eſt habita, & vnus è primariis fontibus nobilitatis politicæ, vt videre eſt apud Tiraquellum in Opere de nobilit. cap. 8. Tertiò in ſtigmata eximiis aliquibus artificibus impreſſa, in argumentum inſignis peritiæ ad aliquod eximium artificium, vnde claritas atque nobilitas. Ex horum ſtigmatum, citra probrum, imo cum laude & nobilitate impreſſorum declaratione, liquebit quanta ſit varietas humanorum iudiciorum; dum quod alicubi ſeruile eſt, & probroſum, vt infra de ſtigmatibus monſtrabimus, alibi vel probro ac dedecore caret, vel etiam teſſera eſt nobilitatis; & quod vno loco indecorum eſt, alibi ingenuum eſt ac glorioſum. Sic nobis honorificum eſt aperire capita; cum apud Sinas, nonniſi capitis damnatis ſit proprium. Alicubi dextera honoratior eſt, alibi ſiniſtra.

In primo ordine, numerantur notæ Thracum. Ita nominatim de eis Herodotus lib 5. ſed quoad fœminas duntaxat. Ait enim nobilis fœminæ inſigne fuiſſe, habere faciem ſtigmatis compunctam; quæ autem ignobiles erant purâ facie fuiſſe, & nullis notis impreſſis deformatâ. Æquè fœminarum Threſſarū in facie notatarum ad ingenuitatis & nobilitatis ſignificationem, eóque pluribus ſtigmatis compunctarum quo honeſtiores eſſent, meminit Dio Pruſæus orat. 14. Vt non videam quomodò Plutarchus l. de ſerâ numinis vindictâ; Thracias fœminas viris fuiſſe exoſas dicat, ob diſcerptum Orpheum; & idcirco compunctas fuiſſe notis in facie. An quæ Orpheum diſcerpſerunt nobiles erant, indéque primùm ex odio inductum, vt tales notarentur ſtigmatis, quod poſtea reſtinctis licet odiis, verſum eſt in vſum, & pro argumento nobilitatis in muliere habitum? Alij autem ad longè aliam cauſam, ea ſtigmata, reduxerunt V. G. Ad Scythicum imperium nimium quantum crudele, ea Thraciarum mulierum ſtigmata retulit Athenæus lib. 12. c. 7. Præfatus enim Scythas omnium in quos irrumperēt, nares decurtaſſe præ truculentia, ſubdit. [Eorum autem vxores, mulierum Thracum finitimorum, qui ad Septentrionem ſiti ſunt, & Occidentem, ſubulis corpora ſic notarunt, vt picturata viderentur. Quam ob cauſam, multis poſt annis Thraciæ fœminæ eam iniuriam perpeſſæ, priuatim ſingulæ, quo eam calamitatis notam obliterarent, cutem reliquam poſtea, ſic veluti depinxerunt, vt iniuriæ ac pudendæ contumeliæ veſtigium, ſpecie pulchræ varietatis diſſimulatum, venuſtatis appellatione, probrum id obſcuraret, & induceret.] Quibus ſuppoſitis, hæc ſtigmata origine quidem fuerant ſeruilia, vſu tamen tranſierunt in nobilia. Quæ de ſtigmatibus in Thraciis mulieribus ad nobilitatem ſpectantibus dicta ſunt, Artemidorus lib. 1. Onirocrit. extendit ad paruulos Thracum; quos in facie, & aliis corporis partibus, ſtigmata prætuliſſe teſtatur. Apud Tullium 3. Offic. men-

tio eſt Threiciarum notarum, cum agit de Alexandro Pheræo, quem ait ex epulis in cubiculum venientem, ad vxorem Theben; barbarum, & eum quidem (vt ſcriptum eſt) compunctum notis Thraciis, diſtricto gladio anteire iuſſiſſe. Subdit verò. [O miſerum, qui fideliorem & barbarum & ſtigmaticum putaret, quàm coniugem.] Hæc Tullij verba Nonius Marcellus ad ſeruilem compunctionem refert V. *Stigmatia*. cap. 5. num. 504. & idem habet ad eum iocum Tullij, Bartuleius, ex Alciato l. 1. parerg. cap. 26. & Alexandro Neapol. l. 5. genial. cap. 18. Rectè tamen cenſuiſſe videtur Franciſcus Connanus l. 2. Commentar. Iuris ciuilis num 4. tametſi Tullius de eo quem Alexander præmittebat ad coniugem, contemptim meminerit: tamen tenera fuiſſe ſtipatorem eo loco nobilem, nec è fæce domeſticorum, ſed aulicum: ac proinde ſtigmata quæ præferebat, ad ſignificandam nobilitatem pertinuiſſe.

Annumerat Thracibus Gelonos, Vibius Sequeſter. Ait enim. [Geloni Thraciæ populi, picti corporis parte.] Sed vt notauit Turnebus lib 29. Aduerſar. c. 26. vel locus eſt mendoſus, & expungenda eſt vox *Thracia*: vel fallitur Vibius. Gelonos enim, Scythiæ populos eſſe, conſtat ex Herodoto lib. 4. & ex Philone l. de temul. cum de Tarando animali. Geloni igitur quamvis non Thraces, tamen æquè ac Thraces, argumentum nobilitatis habebant ſtigmata, vt inſinuat Claudianus l. 1. in Ruffin. cum ait,

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.

Optimè, membra ferro pinxiſſe dixit. Imprimebant enim Geloni ſtigmata, immiſſo corpori ferro, tum ſuperfundebant picturam, vt notauit Ioſephus Caſtalio c. 43. var. lect. & ante eum Seruius 2. Georg. ad illud,

Eoáſque domos Arabum, pictóſque Gelonos.

Vbi & Gelonos, & Agathyrſos qui item *picti* appellantur 4. Æneid. cenſet Seruius ſic dictos, à figuris ad ſignum nobilitatis corpori inuſtis, interuentu ferri, quæ inducto colore expreſſiores fierent. Ea cum differentia, (vt Mela l. 2. cap. 1. & Solinus c. 20. affirmant,) quod quanto quis nobilior haberi vellet, tantò protenſiore notâ tingeretur, vt eſſet iudicium humilitatis minùs tingi. Non benè quiſpiam apud Solinum legit *profenſiore nota*; nec idonea eſt correctio eius qui legendum cenſuit *potiore nota*; ſed genuina lectio eſt, *protenſiore nota*. Quod ergo Geloni, & his collimitantes Agathyrſi, cæruleo picti colore ſtigmatibus affuſo, *pictorum* denominationem à ſtigmatibus colore inductis ceruleriui, rectè poſitum eſt. Nec benè Seruius ad 4 Æneidos, pictos Agathyrſos nō à ſtigmatibus affuſo colore expreſſionibus, vt 2. Georg. dixerat, ſed à Comis Cyaneis denominatos affirmat; hoc non admitto ſi excludantur ſtigmata picta. Vtraque verò in Agathyrſis iungit Ammianus lib. 31. [Gelonis (inquit,) Agathyrſi collimitant, interſtincti colore cæruleo, corpora ſimul & crines.] Et eodem modo repudiandus erit Feſtus Auienus in orbis terræ deſcriptione, ſi Agathyrſorum picturam ad ſagum reſtringat, cum ait, *Pracinctique, ſagu ſemper picti, Agathyrſi*. Verè enim non ſagis tantùm, ſed etiam corporibus pingebantur. Glaſto factam à Gelonis eam ſtigmatum infectionem, aliqui referunt, quod excu iam mox circa Britannos. Agit haud dubiè de his populis ſub nomine Dacorum & Sarmatarum Plinius l. 23. c. 5. cum ait. [Equidem & formæ gratiâ ritúſque perpetui, in corporibus ſuis, aliquas exterarum gentium vti herbis quibuſdam, aduerto animum. Illinunt certè aliis, aliæ faciem, in populis Barbarorum fœminæ, maréſque etiam apud Dacos & Sarmatas, corpora ſua inſcribunt.] Gelonus enim apud Stephanum, vrbs eſt Sarmatiæ, à Gelono Herculis filio ædificata. Notam à Gelonis & Agathyrſis ac Sarmatis corpori impreſſam, fuiſſe ſerpentem, eſt qui inde eruat, quod iuxta Herodotum lib. 4. Hercules in Hylâ regione tres liberos ſuſceperit, (vnde populi prædicti ſint prognati;) Agathyrſum, Gelonum, Scytham; omnes ex eâdem matre, quæ humanæ ſimul ac ſerpentinæ eſſet naturæ iuxta fabulas de Gigantibus anguipedibus, cætera hominibus. Inde igitur factum volunt, vt ad teſtandam generis nobilitatem, quam & Hercules patre, & ſerpentinis pedibus diuinum quid olim inuenientibus, mater præferret, eam notam hi populi inuſtam corporibus voluerint. Benè iſta, ſi alicubi haberetur, pictos ſerpentibus fuiſſe hos populos. Mihi igitur ſat eſto, aſſerere, populos illos certas notas impreſſiſſe vultibus, graphio aut ferro adhibito, tum infectionem ex ſucco herbaceo cuius Plinius meminit, fuiſſe ſuperadditam. Nimirum cauſticis ſulcis infundebatur ſuccus coloratus, vt Zonaras 3. Annal. monſtrat, agens de SS. Theophane ac Theodoro, Theophili Imperatoris Iconoclaſtæ crudelitate inſcriptis. Factum id imitatione pictorum, qui per artem cauſticam ſiue vſtoriam, quam Callixen apud Athenæum l. 5. vocat *κηρογραφίαν* ceram omnicolorem liquefactam in ſtrias infundunt inter pingendum; quod picturæ genus nec ſole, nec ſale, nec vento in nauibus corrumpi, ſcribit ad Martialem Raderus l. 4. epigr. 36. Meminit huius Pictorum artific. Plinius lib. 35. c. 11. & Varro l. 3. de re ruſticâ cap. 17. Turnebus 8. Aduerſ. cap. 9. & l. 24 cap. 17. & lib. 29. cap. 13. Huius artis imitatione, vt multus ſuccus coloratus in partibus corporis perfoſſis combiberetur, ſatagebant prædictæ gentes, *picta* idcirco denominatæ. Vnde eſſent, & an Pictauiæ nomen dederint, latè verſat Ioan. Bapt. Souchetus ad vitæ S. Bernardi Tironenſis caput 2. in quem his pridem editis incidi.

Britones, ſiue Britannos, in ſignum nobilitatis eodem modo ſtigmata excepiſſe, Tertullianus tradit l. de vel. virg. cap. 10. vbi inter ea quæ varios fecere illuſtres, numerat pennas Garamantum, crobylos Barbarorum, cicadas Athenienſium, cirros Germanorum, ſtigmata Britonum. Neque ſtigmati infectio ab affuſo colore deerat. [Regionem (inquit de Britanniâ Solinus c. 25. *in fine*,) partim tenent Barbari, quibus per artifices plagarum figuras, iam inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur; inſcriptiſque viſceribus, hominis incremento, pigmenti notæ creſcunt. Neque quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quàm vt per memores cicatrices, plurimum fuci artus bibant.] Hinc Oppianus lib. 1. Cyneg. v. 469 vocant Britannos *αἰολονώτους terga pictos*. Verùm Herodianus multò diffuſiora facit Britonum ſtigmata lib. 3. dicens. [Britanni, ipſa notant corpora picturâ variâ, & omniſariam formis animalium; quocirca nec induuntur quidem; videlicet picturam corporis ne adoperiant.] Plinius item l. 22. cap. 1. Simile plantagini glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurúſque, toto corpore oblitæ, quibuſdam in Sacris nudæ

incedunt

incedunt, Æthiopum colorem imitantes.] Eſt enim cæruleus color nigrans, ſaturve, & vt dicunt obſcurus, ex Philandro ad l.7. Vitruuij c.10. Niſi malis eſſe proportionem duntaxat infectionis aſcititiæ, & natiui coloris Æthiopum: Vt ſcilicet quemadmodùm Æthiopes toto corpore præferunt nigrum colorem, ita illæ præferant cæruleum qui glaſto efficitur, vt ex Cæſare habetur, lib.5. de bello Gallico, verbis illis. [Omnes ſe Britanni, glaſto inficiunt quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore ſunt in pugna aſpectu.] Petrus Victorius l.19. var. lection. cap.3. legendum voluit *luteo*, expunctâ voce *glaſto*. Fuluius verò Vrſinus ad dictum Cæſaris locum n.115. vocem *glaſto*, nuſquam penitus inueniri teſtatus, ſed irrepſiſſe ex corrupto Plinij loco exiſtimás, monet alicubi legi *vitro ſe inficiunt*, vt etiam apud Melam lib.3. cum de hâc corporum infectione agit: Alibi autem legi *vitro*. Vnde anceps hæret, quam vt veram lectionem retineat: quamuis expungendum eſſe illud *glaſto*, ponat extra dubium. Sed nihil mutandum videtur. Nam quod ea vox alibi apud Latinos Scriptores non legatur, mirum non eſt: cum ſit vox Gallis vernacula; leui apud poſteros oblæſione (vt ſit) *Gualdum* ſiue *Guadum* appellatur; aut *paſtellum* teſte Tiraquello ad l.3. connub. Gloſſæ 1. parte 3. n.11. Philander quoque ad 7. Vitruuij c.10. tametſi vocem *glaſti* ſuppoſitionis ſuſpectam habet, eo quod in plerìſque MM. SS. Codicibus deſideretur apud Cæſarem & Plinium: tamen ait ſuo tempore, herbam ſatiuam, cui olim *Glaſto* nomen, *guesdam* nonnullis appellatam, aliis *paſtellum*. Eſſe porò herbam, etſi inſignibus virore cauliculis notatam, ſucco tamen inficientem cæruleo, quam truſatilibus molis premant ad herbaceæ ſaniei excluſionem; deinde exuctam digerant, & poſt tinctos pannos cæruleam illam feruentibus cortinis exemptam ſiccent pictorum vſibus, Indum vocantes. Inficiebantur igitur eo ſuo Glaſto, vel Gualdo, Britanni & vicini populi. Vnde Propertius *Belgicum colorem* dixit. Nam l.2. eleg.19. ſuccenſens Cynthiæ ſuæ, cum dixiſſet,

Nunc etiam infectos demens imitere Britannos,
Ludis & externo tincta colore caput.

Hoc eſt faciem, quæ vtique in capite; ac etiam comas, ſubdit.

Vt natura dedit, ſic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.

Sed quod vſus à Britannis primùm manaſſet, inde maximè in Britannis celebrata apud Scriptores hæc pictura. Sic Martialis in Apophoretis.

Barbara depictis veni baſcauda Britannis.

Et lib.11. Epigram.54.

Claudia cæruleis cum ſit Ruffina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?

Claudianus de bello Getico.

Venit & extremis legio prætenta Britannis
Quæ Scotto dat fræna truci, ferróque notatas
Perlegit exangues Picto moriente figuras.

Videſis Sirmondum ad Sidonium, in Auiti panegyrico.

Aliis quibuſdam populis, vſurpata olim proditur ſtigmatizatio corporum, vt Moſſynis in Themiſcyrâ regione, apud Plinium lib.6.c.4. Affirmat enim eos notis ſignare corpora: quod de his notis impreſſis nec exauidis, eſt accipiendum Syros omnes, in ceruice aut vola manus ſtigmata habuiſſe, Lucianus teſtatur l. de Syria Dea *in fine.* Sed hæ Syrorum notæ, ad ſtigmata ſuperſtitioſa ſunt referenda, vt infra dicam. In Ptolomæi Ægyptiorum Regis corpore, impreſſas liliorum ac tympanorum notas, memorat Plutarchus lib. de amici & adul. diſcrimine. Et videtur eodem modo accipienda pictura illa corporum, cuius eſt in Ptolomæi pompâ mentio apud Athenæum l.5. cum de quadraginta Satyris, conchylio aut minio, aut aliis coloribus corpora depictis. Ad nobilitatem quoque ſuam teſtandam, Lybies, vt ſe à Troianis oriundos comprobarent, inurebant ſtigmatis corpora, teſte Herodoto lib 4. vnde colligitur Troianis quoque vſuaria fuiſſe corporum ſtigmata. Parthos per omnia quæque ſua membra forata, inſerere grana pretioſa Tertullianus teſtatur lib. de cultu fœmin. c.10. Nihil in Indiarum Occidentum hiſtoriis frequentius occurrit, huiuſmodi notis & perfuſſionibus corporum, ſuperadditâ infectione per colores appoſitos. Vſque hodie quoſdam Inſulanos ad Inſulas fortunatas degentes & Arabas, & Saracenos, habere pectora & brachia inuſtis notis inſcripta, tradit Oleaſter in cap 19. Leuit. ad illud *neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis:* obſeruans, vocem Hebræam, ſignificare ſcripturam profundè cauam & cauterio inuſtam. Fuiſſéque id nobilium proprium, intelligitur ex Hebræa voce *Koakh*, virum inſignem & honoratum, & quibuſdam notis inſignitum, atque notabilem ſignificante. Vnde Babyloniis, quorum ſub eo nomine meminit Ezechiel c.23. verſu 13. mos erat, viros principes notis in carne impreſſis inſignire.

Pleriſque gentibus iam olim, ac nominatim Orientalibus Indis, Perſis, Athenienſibus, nota nobilitatis erat ſtigma in aure, ad appendendum aurum vel gemmam. Ita de Indis Curtius & Arrianus, vterque l.8 de geſtis Alexandri. Poſterior ſic habet. [Inaures Indi geſtant ex ebore, qui locupletiores ſunt tantùm. Neque enim volgò, id genus ornamenti ferunt.] De Athenienſibus Apuleius l. de dogmate Platonis, cuius illa ſunt verba. Qui aurum tantùm reliquit, quantùm puer nobilitatis inſigne in auricula geſtauit.] De Perſis, vnam hanc eſſe omnium ſententiam, quod nobilitatis inſigne habuerint foſſas aures, ait Tiraquellus ad calcem libri de Nobilit. & ex Diodoro Siculo lib.6. ac Xenophonte lib.3. expedit. docet Briſſonius lib.2. de regno Perſar. *pag. mihi* 320. Idem habet author quæſtionum ex vtroque mixtum in 115. Tom.4. Auguſt. addens, Antiſtites magnæ matris, quia mulieres videri affectabant, inaures Romæ geſtaſſe. Arabas ſimiliter aures foraſſe in ſignum nobilitatis ſcribit S. Iſidorus l.19. Orig. Vnde illud Gitonis apud Petronium. [Pertunde aures, vt imitemur Arabes.] Ad quem locum Georgius Erhardus in Symbolis, Dionem Caſſium ex lib.88. adducit, cum de Macrino Mauro. Tertullianus de cultu fœmin. cap.10. Parthis idem tribuit, verbis illis. [Scrupuloſa Deus auribus vulnera intulit; & tanti habuit vexationem operis ſui & cruciatus infantiæ tunc primùm dolentis, vt ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus, grana neſcio quæ penderent; quæ plenè Parthi per omnia quæque ſua, bullarum vice inſerunt.] Inſinuat, eos non auribus tantùm pertuſis, ſed & aliis membris, pendentia grana oſtentaſſe. Toto denique Oriente, inaurium vſus ingenuis ac nobilibus iam olim frequens fuit. In quam rem nonnulla retulit Serarius in cap.8. libri Iudicum q.14.

& multa ex ſacris literis coacervauit Martinus à Roa Tomo 2. ſingularium l. 1. cap. 7. Nam etiam Gen. 35. Idola quæ data ſunt Iacobo à turba domeſtica inauribus inſculpta erant, vt ibi habent SS. Auguſtinus atque Chryſoſtomus. Ornamento ſcilicet & ſimul ſuperſtitioni ſeruiebant per eas inaures.

Quod *de impendio* ait, pertinet ad pretioſiſſimas gemmas, quas mulieribus Romanis, ex quo externus hic cultus ad eas peruaſit, auribus appendere, ſtudium ardentiſſimum fuit. Horatius lib. 2. Satyr. 3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies ſolidum exſorberet aceto,
Diluit inſignem baccam.

Iuuenalis Satyr. 6.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

Hanc profuſionem ſæpè exagitat Seneca, nominatimque l. de vitâ beatâ cap. 17. conlatratorem philoſophiæ inducit dicentem. [Quare vxor tua, locupletis domus cenſum auribus gerit?] Et lib. 7. de benefic. cap. 9. [Video vniones, non ſingulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt. Iunguntur inter ſe, & inſuper alij binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi bina ac terna patrimonia, auribus ſingulis pependiſſent.] Et lib. de remediis fortuit. qui è variis Senecæ plagulis eſt contextus, admonetur de connubio cogitans, vt benè inſtitutam ducat, nec maternis inquinatam vitiis, aut cuius auribus bina vtrinque patrimonia dependeant. Tertullianus l. de hab. muliebr. c. 9. Senecam imitatus, ita conclamat in immundum hunc mundum. [Breuiſſimis loculis, patrimonium grande profertur. Vno lino, decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas, tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes, Kalendarium expendunt.] Tertullianum expreſſit de more S. Cyprianus l. de bono pudicit. Inaurium item pretia, ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum, auerſatur S. Hieronymus Epiſtol. 8.

Foratæ igitur aures, aut vt Plautus in Pœnulo dixit, *annulatæ*, notæ erant nobilitatis: ideóque à mulierculis, ad gradus ſui oſtentationem, ac etiam ad conciliationem pulchritudinis, tanto ſtudio captabantur. Puellis iam ab infantiâ, binas aures forari ſolitas, maribus ſolam dextram, ſcribit S. Iſidor. lib. 19. orig. cap. Aliter tamen habet Macrobius l. 7. cap. 3. referens ſcomma Tullij in Octauium, qui orante Cicerone, negauerat ſe audiſſe quæ is diceret. Ille reſpondit. Certè ſolebas benè foratas habere aures: alludens ad genus Octauij, qui Lybis oriundus dicebatur, vbi forare aures ex vſu erat. Xenophon item apud Laërtium, Apollonidi obiicit, quod perforatis eſſet auribus. Iuuenalis præterea Satyr. 1. idem videtur admittere, cum ait;

Cur timeam dubitémve, locum defendere, quãuis
Natus ad Euphratem: molli quod in aure feneſtra
Arguerint.

En *feneſtra* plurali numero, *in aure molli*, ideſt in vtraque aure. Tandem S. Marina, cuius acta retulit Metaphraſtes 8 Non. cùm ementito ſexu & habitu, in virorum cœnobio, ſub nomine *Babyla* cooptata eſſet, & Barnabas nuper ex ſcenâ monachus animaduerſâ ambarum aurium eius foratione viris inſolitâ, miraretur eius inter viros commorationem: reſponſum tulit, præ magnâ matris & educatricis beneuolentiâ in ipſam, vtraſque aures pertuſas fuiſſe, ad aureorum ornamentorum conſertionem, ex aurium foraminibus. Ex quo liquet, etiam viris aliquando binas aures fuiſſe foratas, ſed veluti præter communem vſum, qui vnicam in viro pertundi aurem ferebat. Vt propterea ſinguli amici & cognati, Iobo rediuiuo, vnicam inaurem donarint, vt habetur in calce hiſtoriæ Iobi. Et Gedeon Iudic. 8. qui immenſi pretij inaures ex prædâ de Iſmaëlitis coaceruauit, vnicam à ſingulis inaurem petiit, vt eum Ariâ ex textu Hebraïco obſeruat Serarius ibi quæſt. 8.

Ex dictis itaque liquet, ſtigma aurium vnius aut plurium, pro vario vſu regionis, fuiſſe numeratum inter ſtigmata nobilitatem prodentia; quamuis reuera vanitatem potiùs & ſtultam carnis vexationem prodat. Plinius ſanè in præfatione libri 12. ſimplicitatem primam demiratus, quâ arbores ſyluæque, alimentum homini & veſtem, congruámque mollitudinem ſuppeditabant, ſubdit. [Quò magis ac magis admirari ſubit, ab iis principiis, cædi montes in marmore, veſtes ab feris peti, vnionem in rubri maris profundo, ſmaragdum in imâ tellure quæri. Ad hoc excogitata ſunt aurium vulnera. Nimirum quoniam parum erat collo crinibuſque geſtari, niſi infoderentur etiam corpori.] Noſtri fortiùs ac iuſtiùs in hæc Chriſtianarum aurium dehoneſtamenta conclamant. Clemens Alexandrinus l. 3. pædagog. cap. 11. *ſub initium.* [Prohibet Verbum ne auriculas ſauciemus, vim naturæ afferentes. Cur non enim itidem narem? Vt illud etiam impleatur quod dictum eſt, *quemadmodùm inauris in aure ſuis, ita improba fœmina pulchritudo.* In ſumma enim ſi quis auro ornari exiſtimet, is eſt auro inferior. Qui autem eſt auro inferior, is non eſt eius Dominus. Se autem Lydio ramento minùs eſſe honeſtum & inferiorem fateri, quomodò non eſt abſurdiſſimum?] Quod Clemens inaurem impoſitam *auribus ſuis* dixit, nõ eſſe referendam ad infixam naribus inaurem, quaſi tarinca (vt vocant,) foratam; eo modo quo Ind. Occidui, docente dæmone, ad Chriſtiani characteris peruerſam imitationem, nares pertundere ſoliti referuntur. Sed eum circulum qui circumagendo bruto veluti frænum ad nares alligabatur, *inaurem* appellauit, qui in vulgata verſione capitis 11. Prouerbiorum, vnde tuta eſt ſententia à Clemente allegata, vocatur *circulus.* Quo eodem nomine donatur pars mundi fœminei, Hebrææ olim vſurpata vt infra dicam poſt Hieronymum in c. 16. Ezech. ad illud *& dedi inaures ſuper os ſiue nares tuas.*

Tertullianus l. de habitu mulieb. c. 6. [Sed & lapillos iſtos, qui cum auro ſuperbiam iungunt, quid aliud interpreter, quàm lapillos & calculos, eiuſdem terræ minutalia? nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut faſtigiis ſuſtinendis, aut tectis denſandis neceſſaria? Solùm hunc mulierum ſtuporem ædificare nouerunt; quia tardè teruntur, vt niteant; & ſubdolè ſubſtruuntur, vt floreant; & anxiè forantur, vt pendeant; & auro lenocinium mutuum præſtant.] Diceres alluſiſſe ad illud Silij l. 12.

Quale micat, ſempérque nouum eſt, quod Tiberis aure
Paſcit ebur, vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris aduectus ab oris.

Videndus

Videndus idem Tertullianus ironicè loquens l. de cultu fœm.cap.10.

S. Cyprianus l.de diſcipl. & habitu Virg. in eandem vanitatem forandi aures, ſic concitatur. [An voluit Deus vulnera, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur, vt poſtea de aurium cicatricibus & cauernis, precioſa grana dependeant, & ſi non ſuo pondere mercium quantitate?]

S.Ambroſius l. de Nabuthe c.5. [Delectantur & compedibus mulieres, dummodò auro ligentur. Non putant onera eſſe ſi pretioſa ſint, non putant vincula eſſe ſi in his theſauri coruſcent. Delectant & vulnera, vt aurum auribus inſeratur & margaritæ dependeant. Habent & gemmæ pondera ſua.]

Prudentius in Hamartigenia, inter ea quæ ſanus malè fortis agit, cui pectore in arcto, mens fragilis, facili vitiorum fluctuat æſtu, numerat

Colla vel igneis ſincera incingere ſertis,
Auribus aut grauidis virides ſuſpendere baccas.

Alcimus Auitus ad Fuſcinam Sororem de conſolatione caſtitatis, laudans eius in cultu ſimplicitatem;

Ergo vbi vitalis fouit te lympha lauacri,
Atque ſuum peperit cœleſtis gratia pignus;
Non tibi gemmato poſuere monilia collo,
Nec te contexit ſparſo qua fulgurat auro
Veſtis ductilibus concludens fila catenis:
Nec te Sidonium bis coctis muricis oſtrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura cocco;
Mollia vel tactu qua mittunt vellera Seres.
Nec tibi transfoſſis fixerunt auribus aurum,
Qua compenſarent pendentes vulnera baccæ;
Dum pretioſa grauant, ſed ſaxea pondera malas;

Sed plus ſatis de hoc fœmineo ſtigmatiſmo, ad mares indignè progreſſo, vt propterea Tertullianus cap.4. Apolog. & l.de pallio Achillem, etiam aurium foratu effœminatum, quod illi tunc apud Sigæum ſtatua ſeruabat, ludibrio habeat. Fateor, vſum forandi aures, ab aliquibus vſurpatū eſſe ad ſanitatem: in quam rem pleraque annotauit Thomas Bartholinus centur.4. anatom. libr.8. Nec enim ſi vnus aliquis in Taurinis aure per fulmen forata, reliquum vitæ amens exegit, ſequitur forationem abſque ea vehementia factam, inſalubrem ſemper eſſe. Narrat eum inſolitum euentum Scaliger Exerc.13. num.1. Attamen certum eſt, vſum protritiſſimum forandi aures, aliò pertinuiſſe, ſed maximè ad teſtandam nobilitatem.

An aliquibus, affectata quoque nobilitatis manifeſtatio & cultus ex nariū ſtigmate. Agitatū hoc nuper memini. Referebat ſiquidem D.Ludouicus à Vento, vir omnium virtutum, auditum abs ſe Eccleſiaſtem, cui id præferri viſum, eo loco Prouerbiorum; *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Nares enim ſuas, à muliere pulchrâ & fatuâ pertuſas, & circulo aureo decoratas, interpretabatur. Sed hoc eſt in gradu ſuperlatiuo ineptire: Cum ibi *nares ſuis*, ſint nares porcinæ; quas ineptus ille Orator, in nares muliebres, per ſummam inſulſitatem transformabat. Senſus autem ſapientis eſt, mulierem pulchram & fatuam, non ſecus dehoneſtare ſuam pulchritudinem, inquinatione peccatorum; quàm amica luto ſus, circulum aureum, ſi naribus eius circumponatur. Mox enim nares in lutum demittens, conſpurcabit circulum. Hæc S.Gregorius 30. Moral.cap.1. myſticè ad hæreſim accommodat. Caſſianus coll. 14. cap.16. ad ſapientiam improuidam. Sed genuinus ſenſus eſt quem dixi.

Sunt verò qui magnæ inſulſitatis damnent, earū ſtigmatis in naribus impreſſionem, ad oſtentationem nobilitatis, vel pulchritudinis conciliationem. Sic Pineda in c.42. Iob ad verſ.9. num.11. tractans inaurem Iobo datam poſt infelicitatem, perſuaderi non poteſt adhibitum eſſe monile naſo perfoſſo, quem ad muci extерſionem ſæpiùs contrectari, & expeditum ac liberum eſſe, oporteat. Et idcirco obſeruat, vulgatum Interpretem vbi Hebræa Iſaiæ 3. habent, *monilia naſi*; tranſtuliſſe per periphraſim, *gemmas in fronte pendentes*, vt ſignificaret, quomodò ea monilia *circa naſum* dicerentur. Notat etiam, Ezech.16. vbi Hebræa habent *ſuper naſum*, vulgatum vertiſſe *inaurem ſuper os*; vbi *inauris* non poteſt referri ad aures, quarum ornamentum ſtatim diſtinguitur; ſed pertinet ad naſum, ante quem appenſum erat ornamentum, in fronte fixum. Verba S. Hieronymi in eum locum Ezechielis, ſunt huic loco percommoda. [Verbum (inquit,) Hebraïcam *Nezen*, excepto Symmacho, qui interpretatus eſt *Ὑπὲρ* or *ſuper naſum*, omnes *inaures* tranſtulerunt; non quod inaures ponantur in naribus, quæ ex eo quod de auribus pendeant *inaures* vocantur: ſed quod circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncuperur: & vſque hodie inter cætera ornamenta mulierum, ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.] Ratam habent hanc Hieronymi expoſitionem Prados & Sancius ibi.

Nihilominus ſtigma narium, & ipſius carnis imæ, vel etiam cartilaginis mediæ naſum efformantis, terebrationem ad monile infigendum alicubi inualuiſſe, negari non licet. Ideóque Oleaſter Geneſ 35. à fœminis Orientalibus vſurpatum tradit, non ſecus de extremo naſo perfoſſo, ſuſpendentibus monilia, quàm paſſim ab aliis ſuſpenderetur ex auribus. Et quia hoc ornamentum naſi, erat circulus inſtar annuli vel inaurium, propterea aliquando dicitur *circulus poni in naribus.* Aliàs verò inaures naſo aptari dicuntur, iuxta Hebræum contextum. Theodoretus quidem Ezech.16 hunc circulum haud aliter infixum cenſuit naſo fœmineo, quàm inſeri ſoleat bubalis aut iuuencis, quibus non aliter quam equo frænum apponitur, vt circumducantur.

Ad quod alludens Deus Iſaiæ 37. dixit Sennacheribo, *ponam circulum in naribus tuis.* Quâ ratione hoc ornamentum adhiberetur naſo, citra ſtigma & pertuſionem vllam, ſiue carnis, ſiue cartilaginis. Et ex hoc antiquo more, manauit ad Africanas puellas ex Hebræorum gente, vſus geſtandi ad naſum circulos aureos, & quaſi Lunulas, eâdem ratione naſo applicitas, quâ perſpicilla in naſo collocantur. Hoc tamen modo naſum ornandi non excluſo, foratum quoque alicubi eſſe naſum ad ornatum, & citra probrum docet Author qq. ex vtroque mixtim in 125. verbis illis. [Mos Maurorum eſt, vt inaures etiam in naribus habeant fœminæ.] Idem rectè affirmat Martinus à Roa c.1. ſingular. lib.1.cap.7. aſſerens viſos abs ſe Æthiopas, foratâ naſi cartilagine, ad monilia appendenda. De pleriſque regionibus vltra Oceanum apertis, idem notauit Sancius Ezech.16. ad verſ.12. Ibi enim ex narium mediâ cartilagine, gemmeum aliquid ad os vſque dependens, & labiis ac dentibus allidens, geſtare ex vſu eſt.

Ticoric Regem Mexicanorum, in ſuâ inauguratione ſolemni, ſtigma in naribus excepiſſe ad inſignem Smaragdum inde appendendam, ſcribit Ioſephus à Coſta lib.7. hiſtor. cap.17. De Peruanis idem produnt qui eorum inſtituta mandarunt literis. Hæc verò non tam inſana gloriatio, quàm iuſta excruciatio cenſeri debet. Quid enim vel magis moleſtum, vel magis incommodum; ſiue ad loquelæ efformationem, ſiue ad cerebri neceſſariam expurgationem, excogitari potuit, quàm huiuſmodi ornamentum cum naſi terebratione?

Moleſtius etiam & incommodius, cum ad cibi ſumptionem, tum ad efformationem vocis, ac ſputorum deiectionem, agnoſci debet genus ornamenti labiis infixi, quale in fœminis Æthiopum versùs Arabiam ſitorum memorat his verbis Diodorus Siculus lib.4.c.1. [Armant vſque ad certam ætatem fœminas; quibus vt plurimùm moris eſt, æneum circulum in labiis ferre.] Non ait *ad labia*, ſed *in labiis*, quod infixionem ſonat. Ac ne gratis conficta ea verborum Diodori interpretatio videatur, præterquàm quod illam apertè præferre cortex verborum; habemus geminum exemplum in Braſilis, de quibus in hunc modum ſcribit Maffæus lib.2. hiſtor. [Æneà ipſi cute, atro inſuper ſucco pomi *Genipapi*, totum ſubinde corpus inficiunt. Præterea iuſenos habent iam inde à prima ætate, deliciarum cauſa, quidam inferiore duntaxat labro, quidam etiam facie totâ, prælongos nullius pretij lapillos, tetro ſanè ſpectaculo.]

Aliud genus ſtigmatis nobilis & probro vacantis, proponebam, ſtigma militare, cuius meminere Aëtius Medicus lib.8. cap.12. & Vegetius lib.2. cap.5. & lib.1. cap.8. ad quæ loca Steuechius: item Turnebus l.24. aduerſar. cap.12. & Gabriel Naudæus ſyntagmate de ſtudio militari lib.1. *pag*.43. necnon Lipſius l.1. de milit. Rom. dialog.9. adducens D. Auguſtinum epiſt.1. & Chryſoſtomum homil.3. in 2.Cor. Addo locum perelegantem ex eodem Auguſtino lib.2. contra Parmenia. cap.13. Agens enim de non repetendo baptiſmo illicitè adminiſtrato, adhibet hanc ex milite ſimilitudinem, qui ſi inſignitus illicitè fuerit, manet tamen notatus. [Neque vllo modo per deuotum militem, quod à priuans vſurpatum eſt, ſignum Regale violabitur. Si enim aliqui, furtim & extraordinariè, non in monetis publicis, aurum vel argentum, ſed æs percutiendo ſignauerint; cùm fuerit deprehenſum; nónne illis punitis, aut indulgentiâ liberatis, cognitum Regale ſignum, theſauris Regalibus congeretur inferri; aut ſi quiſquam eſt, ſiue deſertor, ſiue qui nunquam omnino militauit, qui notâ militari priuatum aliquem ſignet, nónne vbi fuerit deprehenſus ille ſignatus pro deſertore punietur; & eò grauiùs, quò probari potuerit, nunquam omninò ſe militaſſe, ſimul ſecum punito, ſi eum prodiderit, audaciſſimo ſignatore? Aut ſi fortè illum militiæ characterem in corpore ſuo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſâ, & impetratâ iam veniâ, militare cœperit, nunquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur? An forte minùs hærens Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota?]

Eodem argumento vtitur S. Cyrillus lib.6. de ador. cum ait: [Militem qui clypeum abiecerit, ac de prælio fugerit, ſecundis inſigniri characteribus non oportet, ſed puniri.] Retulit eum morem ſignandi milites, S. Gregorius lib.2. Epiſtol.65. & 64. referens hanc Mauritij Auguſti legem, [Vt nulli qui in manu ſignatus eſt, conuerti liceat.] [Ecce (inquit S. Gregorius,) aperta voce dicitur, vt ei qui ſemel in terrenâ militiâ ſignatus fuerit, niſi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulſus, Domino noſtro Ieſu Chriſto militare non liceat.] Ex verbis legis adductæ, liquet manum fuiſſe inſcriptam. Sicut hodiéque milites Abyſſinorū Imperatoris, cui nomen *Preſtezanni*, brachium inuruntur, admoto ferro candenti, & impreſſo Crucis ſigno. Romanis militibus, quæ nota in manu imprimeretur, coniectura ducitur à Lipſio proximè laudato, ex Epiſtola 1. Diui Auguſtini, inſinuantis, inſcriptum manui Tyronis, nomen Imperatoris. Idem habent Turnebus lib.24. Aduerſ. cap.12. & Valturius lib.12. de re milit. cap.7. Diſertè verò idipſum tradit S. Ambroſius Orat. de obitu Valentin. verbis illis. [Charactere Domini inſcribuntur ſerui: Et nomine Imperatoris, ſignantur milites.] Ex his liquet, quam inſulsè Lucas de Penna ad lib.3. C. de Fabric. allegato Archidiacono in cap. *quod quidam* 5. quæſt.1. aſſeruerit, ſtigma militare de quo hactenus egimus, fuiſſe cingulum. Meritò hoc explodit Petrinus Bellinus in Opere de bello parte 1. titulo 6. numero 4. addens, ne ipſum quidem Accurſium, qui truculentus Latinitatis lanius eſſe ſolet, adeò fœdè in hâc partè eſſe hallucinatum.

Fabricenſium ſtigmata, ad imitationem militarium ſtigmatum imprimebantur, vt conſtat ex Arcadij & Honorij Imperatorum decreto, quod extat his verbis l.3. C. de Fabric. [Stigmata, hoc eſt notæ publicæ, Fabricenſium brachiis, ad imitationem Tyronum infliguntur; vt hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci.] Dicebantur *Fabricenſes*, periti fabricandorum armorum; quibus proinde ſolis, fas erat arma fabricare. Nam ſicut non erat omnium, arma portare; ſic neque erat omnium arma cudere, ſed peritorum duntaxat artificum, vt edicitur Authent. *de Armis*. Præcellentes ergo in eo opificij genere, vocabant *Fabricenſes*; quos vt extaret peritorum ab imperitis diſcrimen, nec periti ſubducerent ſe labori, ſignari placuit ad eum modum.

Aquarij, ſiue Hydrophylaces, iubentur ſtigmatis impreſſis ſignari l. penult. C. *de aquaductu*, vbi ita edicitur. [Aquarios ſingulis manibus, nomine pietatis noſtræ impreſſo, ſignari decernimus, vt huiuſmodi annotatione, manifeſti ſint omnibus.] Erant hi aquarij, cuſtodes aquarum, longè diſtincti ab aliis item dictis *aquariis*, aquam ad balnea conuehentibus, qui impudicis mulieribus ſæpè fœdorum commerciorum internuncij erant, vnde illud Iuuenalis Satyr.6.

Veniet conductus Aquarius.

Hi peſſimè audiunt Feſto. V. *Aquarioli*; cùm tamen munus eorum, quod erat importandi aquam ad lauandum vel potandum, eſſet abſque labe. Sed Aquarij qui ſignari ſtigmate impreſſo iubebantur, cuſtodiæ aquarum erant addicti. & longè diſcrepabant ab his aliis Feſto proſciſſis Aquariis.

CAPVT II.

CAPVT II.

Stigmata ſeruilia.

SEruorum inuſtio erat olim perfamiliaris, vt propterea paſſim audirent *literati*, & *inſcripti*, ac *ſtigmatiæ*, & *nota* pro ſeruitute vſurparentur, vt apud Senecam videre eſt l. de tranquillit. animi cap. 11. Ea nota dicebatur ἔγκαυμα: ſicut qui ita notati erant, vocabantur ἔγκαυστοι vt videre eſt apud Athenæum ſub finem libri tertij, cum de Cniſolæco claudo, notis compuncto & inuſto. Ipſum inſtrumentum quo ſtigma imprimebatur, Palladius & Harpocration vocant κεντῆρα; Lucianus & Plutarchus καυτῆρα. Quanquam aliqui, cum impreſſio ſtigmatis à Domino impotente fiebat, adhibitum volunt graphium. Meminit enim Galenus l. de dignoſc. & cur. animi morbis c. 4. famulos à Dominis effrenibus, calcibus appetitos, graphiis compunctos, oculis ſtylo & calamo immiſſo priuatos, gladióque percuſſos. Ancillas quoque Dominorum morſu cruentatas. Defectu ferri, alteriúſve inſtrumenti ſignatorij, adhibitus interdum ad hunc vſum titio ſopitus, ideſt extinctus, vt Aſcylto factum apud Petronium. Quanquam ea non tam inuſtio ſtigmatis, & cauſtica impreſſio fuit, quàm tinctio & pictura fuliginoſa, facta ſopitionibus ideſt *ſopitis titionibus*, duabus vocibus in vnam conflatis, vt alibi non ſemel: quod benè monuit ſublatâ aliarum corruptarum lectionum varietate, Fernandius à Corduba in Didaſcalia multiplici cap 23. At nos hic de ſeruili inſcriptione ſtigmaticâ agimus, non de ſubluſtione iocosâ.

Subiectum partiale huius inſcriptionis, multiplex erat, ſed maximè frons, vt ſæpè infra dicemus, cum de inſcriptione ſeruorum fugitiuorum, & epigrammate inſcripto ſermo erit. Nunc appono exemplum hominum ſupra mancipia ſeruilium. Turcas dico qui in feſtiuitate ob circumciſionem Mahumeti, annum tunc agentis 15. ſtigmatiæ fuerunt: Narrat Cruſius in Turcogræcis l. 3. inſigni omnino apparatu celebratum eſſe feſtum illud, & varios vt Sultano eiúſque filij Mahumeti abblandirentur, edidiſſe ſpectacula prorſus inſolita: quale illud, hominis cui ſupino iacenti, incus grauiſſima impoſita eſt ſupra ventrem, necto valentiſſimis hominibus ferream ſoleam fabricantibus ſuper eam incudem. Tale item hoc eſt extraordinarium, quod ad rem noſtram facit & his verbis à Cruſio exprimitur. [Multi Turcæ, fronti ſuæ, pennas gruum; multi aliis partibus corporis, cultros aut ſagittas infixerunt: quorum & quidam perierunt.] Signatos in pedibus ſeruos, vult Scaliger ad 4. Propertij circa illud,

At quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cum ſaliere foro.

Vbi ſerui qui venales proſtabant, & interea ſaltabant in circuitum per coronam circumſtantium in auctione, dicuntur *cælati*, ideſt ſignati pedes cretâ; ſiquidem priuati hominis eſſent, heri ſigillo; vel Reipublicæ ſigillo, ſi eſſent mancipia publica, vt idem Author tradit ex Xenophonte περὶ πόρων. Et hoc eſt quod ait Poëta Saty. 5.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Innuens, non ita pridem fuiſſe ſeruum venalem, qui tunc glorioſiore ſorte eſſet. Verùm tametſi cretata notatos fuiſſe, vel reſperſos (*cretatos* dixit Plinius l. 35. c. 18.) pedes venalium ſeruorum, ſit extrà dubium; hoc tamen non videtur eſſe quod Propertius dixit, *cælatos*. Nam nota illa per cretam adhibitam, fluxa erat, & ad vſum duntaxat auctionis, vt paſſim agnoſcunt cæteri. Videſis Pulmannum ad Satyram 1. Iuuen. Nos autem hîc cælaturam attendimus, ideſt ſtigma ſtabile, quod inuſtione, aliáve perfoſſione membri fiebat; itaque *cælati*, ideſt compuncti, vel inuſti, dicti ſunt ſerui, à cælaturâ in fronte, aliáve quápiam corporis parte, quàm in pedibus cretati. Pleriqne tamen, & in vnâ eádemque parte ſæpiùs, & in variis partibus, notati leguntur. De iteratâ inſcriptione, eſt locus apud Pontium in vitâ S. Cypriani; & nominatim iteratam eſſe in facie inſcriptionem, liquet ex Actis SS. Theodori ac Theophanis fratrum. Quæ enim ſancti illi Martyres ſunt paſſi, repetenda ſunt ex ſtigmatiſmo ſeruorum, qui ab Ethnicis ad SS Martyres extenſus eſt, vt ſupra ſect. 5. cap. 6. cum Pignorio obſeruabam. De variis partibus in eodem homine ſignatis, liquet ex Ariſtophane in Auibus, ideirco ſeruos nominante *varios attagenas*.

Hactenus de ſubiecto partiali & immediato ſtigmatis ſeruilis. Circa totale verò eiuſdem ſubiectum, eſt nonnullum diſſidium. Eſt enim qui omnes ſeruos publicos, etiamſi innoxios, velit fuiſſe notatos; at ſeruos priuatorum non item, ſed tantùm ſi fugam tentaſſent, aliúdve quidpiam Domino moleſtum admiſiſſent. Ita Heraldus ad l. 8. Martialis Epigram. 75. *aliàs* 70. vbi Poëta loquens de publicis mancipiis veſpillones agentibus, qui Domini ſui funus cum dedecore exportarant, vt apud Eutropium lib. 7. videre eſt, vocat eos *quatuor inſcriptos*. Nimirum ob ſtigmata, his Sandapilariis publico muneri addictis, impreſſa; etiamſi innoxij eſſent. At ſeruos priuatorum, niſi quid deliquiſſent, inuſtos fuiſſe, negat Author prædictus. Fauet Clem. Alex. 3. pæd. c. 5. verbis illis. [Sicut notæ inuſtæ fugitiuum; ita etiam floridi colores, adulteram indicant.] Hoc tamen vniuerſaliter dictum, probare non poſſum. Conſtat enim ſeruos priuatorum, etiamſi planè inſontes, plerumque fuiſſe notatos, vt rectè tradit Franciſcus Connanus l. 2. Commentar. Iuris num. 4 qui addit, tales ſeruos non fuiſſe notatos in fronte, vt fiebat circa crimino ſos, ſed in parte occultâ. Quanquam ne id quidem vniuerſaliter verum puto. Abundamus enim exemplis ſeruorum innoxiorum, nunc in fronte, nunc alibi notatorum: parum curantibus heris, famæ eorum conſulere, dummodò ſuæ ſecuritati proſpicerent, quod maximè faciebant interuentu notæ conſpicuæ, ſeruos ſi fortè fugam tentarent, propalaturæ. Apud Syracuſios, ingenuæ ac ſeruilis perſonæ diſcrimen, penes notas ſtatuebatur. Nam qui ſeruus erat, tametſi nihil peccaſſet, inuſto equi typo notabatur ab hero, teſte Plutarcho in Niciâ. Idem in Pericle poſt Herodotum lib. 4. ſcribit, Samios ſi quem ex Athenienſibus cepiſſent, ſeruituti ſubiectum, inuſtâ fronti noctuâ, (quod erat teſſerarium Athenienſium Symbolum) deformaſſe. Viciſſim verò Athenienſes, punctis Simænam referentibus, notabant in facie captiuos Samios. Erat Simæna, genus nauigij, quod erat Samiorum pſephiſma ex Æliano lib. 2. variæ hiſtor. cap 9. Et ab his notis, Ariſtophanes iuxta Plutarchum ſupra, pronunciauit populum Samiorum eſſe valdè literatum, hoc eſt ſeruilem. Serui quippè ab inuſto literario ſtigmate,

te, paſſim dicti *literati*, nimirum ſeruilibus literis, vt vocat Seneca l. de tranquill. animi cap.1. Sic apud Plautum in Caſina, ſeruus conſeruo comminitans ait, *ſi hic literatum me ſinas.* Et inde, *ſcribere* Vlpiano tit.1. Inſtit. idem quod *vetare inurere.* Samij ergo extra noxam, tantùm quia captiui, notati;& inde dicti *literati.* Quanquam non me latet Paroëmiaſtem V. *Samij literati,* ex Ariſtotele quem adducit, aliò Id de Samiis dictum referre. Præterea Claudianus lib.2. in Eutrop. querelas mouens de peruerſione iurium omnium, Eutropio cuncta moderante per ignauiam Imperatorum, querebatur ſeruos, etiamſi inſontes tamen ſeruili ſtigmate notatos, omnia iura regere, quod erat reuera indigniſſimum. Eius illæ voces.

Pars humili de plebe Duces: Pars compede ſuras
Cruráque ſignati nigra liuentia ferro
Iura regunt, facies quamuis inſcripta repugnet,
Séque ſuo prodat titulo.

Inſonti ſeruo, Hiſtiæus ad vſum arcanæ epiſtolæ, capiti inſcripſit, meâ Domini, ſeruili capite abutentis licentiâ, vt eſt apud Herodotum l.5. & his verbis apud Gellium l.17.c.9. [Hiſtiæus nomine fuit, loco natus in terrâ Aſiâ, non ignobili. Aſiam tunc tenebat imperio Rex Darius. Is Hiſtiæus, cùm in Perſis apud Darium eſſet, Ariſtagoræ cuipiam, res quaſdam occultas, nunciare furtiuo ſcripto volebat. Comminiſcitur opertum hoc literarum admirandum. Seruo ſuo diù oculos ægros habenti, capillum ex capite omni, tanquam medendi gratiâ, deradit: capútque eius læue in literarum formas compingit. His literis, quæ voluerat, perſcripſit. Hominem poſtea, quoad capillus adoleſceret, domi continuit. Vbi id factum eſt, ire ad Ariſtagoram iubet. Et cùm ad eum (inquit,) veneris, mandaſſe me dicito, vt caput tuum (ſicut nuper egomet feci,) deradat. Seruus vt imperatum erat, ad Ariſtagoram venit; mandatúmque domini affert. Atque ille id non eſſe fruſtra ratus, quod erat mandatum fecit. Ita literæ perlatæ ſunt. Ex Artemiſiæ apud Rhodios trophæo, de quo Vitruuius l.2. c.8. habemus potitam Rhodo vrbe Reginam, duas ſtatuas feciſſe; vnam Rhodiorum Ciuitatis, alteram ſuæ imaginis & iſtam figuraſſe, Rhodiorum ciuitati ſtigmata imponentem, non ob aliam Rhodiorum labem, quàm quod captiui eſſent. Denique quod paſſim heri, ſtigmata inurerent mancipiis, etiamſi innoxiis; factum eſt, vt Phocylides leuitatem heris infigens, vetaret ſeruos inſcribi.

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.

Nimirum vix alio loco erant olim ſerui, quàm pecora. Propterea enim Florus lib.3.c.20. vocat eos *ſecundum hominum genus.* Nec niſi *dimidius homo,* vocatur mancipium Odyſſ.10. Ne hominis quidem nomine, eum dignatur Iuuenalis Satyr.6. Cum enim impotens iræ hera, mandaſſet poni crucem ſeruo; repoſitúmque eſſet, nullam vnquam de morte hominis longam eſſe cunctationem, è contrario herus ait;

O demens. Ita ſeruus homo eſt? Nil fecerit, eſto.
Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Habiti igitur ſerui heris, extra homines, ac inter pecora. At inuri ſolita pecudibus ſtigmata, diximus initio, & multis illuſtrat Hermannus Hugo l.de primâ ſcrib. orig. c.20. Arrogabant ſanè ſibi domini in ſeruos pro libidine, ius vitæ & necis, quantò magis compunctionis ac inuſtionis, etiamſi eſſent innoxij? Verum eſt, ſeruos qui non erant inuſti ob crimen, potuiſſe manumitti & plenâ libertate donari; quod non contingebat inuſtis ob crimen: nam hi non erant niſi libertini dedititij, nec poterant eſſe ciues, vt probat Politianus c.84. Miſcellan. Tamen paſſim, & noxij, & innoxij, ſignabantur impreſſo ſtigmate.

Quanquam nemo inficias eat, tunc præſertim fuiſſe ſeruis impreſſa ſtigmata, cum aliquid peccarant & maximè ſi fugam tentaſſent. Hanc ob cauſam S. Auguſtinus ſub finem expoſitionis in Epiſtolam ad Galatas, vocat ſtigmata, *notas pœnarum ſeruilium.* Ludit in Pergamum ſcriptorem pigrum, & ab hero ſuo fugitiuum Auſonius Epigr. 15. expoſtulans quod manus pigra, fronti nocuiſſet.

Tam ſegnis ſcriptor, quàm lentus Pergame curſor,
Fugiſti; & primo captus es in ſtadio:
Ergo notas ſcripto toleraſti Pergame vultu,
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Et rurſus ſubſequente epigrammate.

Pergame non rectè punitus fronte ſubiſti
Supplicium; lenta quod meruere manus:
At tu qui dominus, peccantia membra coërce;
Iniuſtum falſos excruciare reos.
Aut inſcribe iſtam quæ non vult ſcribere dextrã;
Aut profugos ferri pondere, necte pedes.

Et interdum quidem, profugi ſerui multabantur pedis præciſione, vt notat Cujacius l.7.obſeruat. c.13. ſæpè tamen ſignabantur in fronte, vt idem docet ex lib.1. ff. de fugitiuis, & ex Petronio ac Fabio,& Clemente Alexandrino. Hinc notum fugitiuorum epigramma, memoratum à Petronio: ideſt epigraphe inſcripta fronti fugitiuorum. Eam Laurentius Pignorius l. de ſeruis, refert ex antiquis collaribus, quorum vſus inſcriptioni eſt ſubrogatus, fuiſſe eiuſmodi. *Tene me, quia fugi, & reuoca me domino meo, Bonifacio Linarie.* Lucianus, fugitiuos neſcio quos Philoſophos, inurendos in fronte, typo vulpis aut ſimiæ decernebat. Lenes tamen aliqui domini, etiam ante abrogatam edicto Conſtantini inuſtionem faciei, abſtinebant eâ fugitiuorum vexatione, collare eis aptantes, vt liquet ex illis Lucilij l.29. apud Nonium.

Cum manicis, catulo, collarique vt fugitiuum
deportent.

Vnde collare, quid ſeruile & ignominioſum habebatur, vt eſt apud Metaphraſtem in Actis SS. Martyrum, Carpi, Papili, Agathodori & Agathonicæ. Nimirum erat collare loco ſtigmatis, atque adeò ſeruilis nota; qualem etſi non ſemper præberi lenitate, tamen vt plurimùm ſubibant fugitiui. Celebratur inter eos ſtigmatis fugitiuos. ſeruus Reſtionis, quem is idcirco vinculis coërcuit, & [inexpiabili literarum notâ, per ſummam oris contumeliam inuſſit:] Verba ſunt Valerij Maximi lib.6.c.8. Seruus tamen domino damnato perſtitit fidelis, quod valdè commendant Appianus l.4. Martialis l.3.epigr.16. aliàs 21. Macrobius 1. Saturnal. cap.11. Incertum an fugere tentaſſent, an timeretur ne fugam tentarent ſerui illi piſtrinenſes apud Apuleium lib 9. Miles. [Vibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorſúmque plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati quàm obtecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodò iniecti, cuncti tamen ſic tunicati, vt eſſent per pannulos manifeſti; frontes literati, & capillum ſemiraſi, & pedes annulati.] Ideſt *compediti,* iuxta illud Martialis.

Annulus iſte tuis fuerat modò cruribus aptus.

Erant enim compedes, inſtar annulorum, nonni-

hil

hil laxæ, ad motum aliquem & inceſſum opportunæ. *Pictos* autem dixit Apuleius, non eodem sēſu quo Maro, Gelonos, & Agathyrſos appellauit *pictos*, à colore ſtigmatis affuſo, ſed à ſtigmatibus atrocium flagellorum; ſicut litteratos fronte, ab impreſſione cauterij. Satis illuſtrata ex dictis videntur ſtigmata, ob tentatam cum ſcelere fugam.

Alias item ob culpas, inuſtos ſtigmatis ſeruos, eſt extra dubium. Sic apud Athenæum lib.6.c.2. Diphilus proſcindit neſcio quem, ſpecie Religionis comæ nutritorem: cum reuera tantùm quæreret obtegere capillis promiſſis, ſeruilem frontem, notis ob flagitium inuſtam. Æquè Martialis lib.2. Epigram.29. aliàs 25. quendam Sardonychatâ manu ſubſellia prima tenentem, & lacernis Tyron toties potis illuſtrem, omni denique fragrantiâ & nitore inſignem, deridet extremo illo ad Ruffum diſticho.

Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem.
Ignoras quid ſit? ſplenia tolle, leges.

Obduxerat ille frontem candidâ & ſplendente faſciâ, cui emplaſtrum ſplenis figura ſuppoſuerat. Splenium enim apud Plinium lib.6. epiſtola ad Arrianum, apertè ſumitur pro emplaſtro ſiue ſplenis ſiue alterius rei figura, vt monſtrat Philander ad 1. Vitru. cap 4. & eodem modo apud ipſum Martialem lib.3. epigram.22. *ſpleniatum mentum*, dicitur pro emplaſtris delibuto. Vt & l.8. epigr. 33. *ſpleniûm lunatorum fronte ſedentium* meminit: ideſt obducentium frontem emplaſtrorum. Is igitur ſeruus olim ſtigmaticus, tunc ſorte mutata ſublimia Dominus, vt inſcriptas olim ob flagitia literas tegeret, operiebat eas obductis emplaſtris, quibus amotis, legendas fore literas aiebat Sannio Poëta, exprobans illi & ſeruitutem priſtinam, & flagitia notis pluribus impreſſis teſtata. Sic item Eumolpum Petronius, ait Encolpij & Gytonis frontes notaſſe inſcriptione ſolerti, ingentibus literis per totam faciem liberali manu ductis, vt viderentur ſtigmate eſſe puniti tanquam flagitioſi ſerui. Quanquam autem Valerius proximè adductus, notas ſeruo fideli à Reſtione inuſtas, vocauit *inexpiabiles*, tamen ſiue ſerui ob fugam tentatam vel initam, ſiue ob alia flagitia, compuncti vel inuſti eſſent vt eſt mortalibus ad omnia ingenium, excogitata eſt aliquando ratio, ſtigma impreſſum obliterandi, niſi ſi quando penitius impactum cauterium, aut peculiaris affectio ſubiecti, obliteratione prohiberet: vt factum videtur illi copioſo & magnis honoribus claro, qui ad obtegendam inſcriptionis infamiam, cogebatur ſplenia faciei aut fronti adhibere. Aliàs tamen (vt dixi,) non fruſtra laboratum in ſtigmatis obliterationem; vt patet ex Columella lib.10. Vbi Lepidium circumſcribens, ſic canit.

Ponitur & lactis guſtum quæ condiat herba,
Deletura quidem fronti data ſigna fugarum;
Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Græco.

Aliqui legunt *ſigna focorum*, & putant reſpici ad ferrum candens, quo ſtigma imprimitur. Et ita legi in vetere Codice teſtatur Scaliger l.1. Auſonia. lect. c.21. Columbino fimo deleri ſtigmata, docet Plinius lib.29. cap.6. Meminit item huius ſtigmatum deletionis, Dioſcorides l.1.c.116. & lib.4. c.76. Locus inſignis Scribonij Largi perantiqui Medici cap.231. reſtitutus à Lipſio 2. Electo. cap.55. & ex Lipſio ſublectus à Proſpero Stellartio lib.1. de coronis cap.13. egregiè hanc rem illuſtrat. Sic ergo habet Scribonius. [Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita eſt mentio, ponemus quo ſtigmata tolluntur indignis Etenim multis hæc calamitas ex tráſuerſo accidit; vt diſpenſatori Sabini Caluiſij naufragio in ergaſtulo deprehenſo: quem Tryphon multis deluſum, & ne caſo quidem notas confuſas habentem, vno medicamento liberauit.]

Vafram hanc artem, (ſic enim nominat Martialis,) duo apud eum profeſſi referuntur, Cinnamus & Eros. De priore ſic lib.6. epigram 45. *aliàs* 64.

At ſi quid noſtra tibi bilis tranſſerit ardor,
Viuet & hærebit, totóque legetur in orbe,
Stigmata nec vafra delebis Cinnamus arte.

De poſteriore eſt apud eundem Poëtam mentio lib.7.epigr.50.alias 57. eo verſu.

Triſtia ſeruorum ſtigmata, delet Eros.

Corruptè aliqui codices legunt *ſaxorum ſtigmata.* Syncera lectio, vt omnia adiuncta docent, eſt *ſeruorum ſtigmata*, quibus obliterandis Eros ille, operam haud inanem nauabat. Itaque non erant vſquequaque inexpiabilia ſeruorum ſtigmata, ſaltem vbiuis, ac ſemper. Hactenus de ſeruili ſtigmatiſmo. Eruditè de eo Laurentius Pignorius l. de ſeruis à *pag.*59. Lipſius 2. Elector. c.15. Vvouerius ad Petronium *pagina mihi* 125. Hieronymus Alexander ad Inſtitut. Caij. Ioannes Brodæus 4. miſcell. c.24. Videndi idem Interpretes ad illud Iuuenalis ſatyra 10.

Mitius id ſanè, quod non & ſtigmate dignum
Credidit.

CAPVT III.

Stigmata reliqua crimino ſorum, per ſatyram.

RElìqua inquam; quia proximè actum eſt de ſtigmatibus quæ ſeruis noxiis ac flagitioſis inurebantur. Nunc igitur recenſendæ ſunt aliæ ſtigmatum impreſſiones ob ſcelera, in aliis factæ. Antiquum enim fuiſſe hunc vſum, exempla docebunt. Ex eo vin, Lucianus in Piſcatore, Philoſophum hypocritam decernit ab nbuio mulctandum dilacerata veſte, barbâque abraſa tragicâ nouacula; impreſſis item fronti ſtigmatibus, vel inuſtis ſuperciliis intermediis, inſculpta figura vulpis vel ſimiæ. Hodie quoque, ſi quis infra mortem plectendus videatur; inſignibus principalibus, vt in Gallia liliis, in ditione Pontificia clauibus è ferro candente, dorſo impreſſis, plerunque notatur.

Inuſtū hac ratione Nouioduni Caluini dorſum, conſtat. Cum enim ob nefandas ſpurcitias viuicomburio fuiſſet addicendus; per lenitatem toti Eccleſiæ damnoſam, & erga Hæreticos, maximè verò erga Hæreticorum capita ſemper improbandam, vt ait Hieron. Epiſtola ad Theophilum, mulctatus duntaxat eſt, impreſſione liliorum è candente ferro in dorſo eius factâ; vt ex illius æui Hiſtoricis, & ex Actis publicis cõfirmat Leſſius diſputatione de hoc argumento, ſubtexiâ Conſultationi de religione capeſſendâ; vbi fraude fratrum reformatorum hoc authoris & Docis ſui propudium horreſcentium, labem factam in archiuio Nouiodunenſi, conuincit. Videndus etiam in hanc rem in Appendice de Caluino ad calcem Tractatus de

Antichriſto, vbi propugnat quod priore loco ſcripſerat. Aliunde item, liliatum Caluini dorſum confirmat Nicolaus Romæus, in Caluini Confeſſione, articulo ſexto. Fuere hæc Caluini lilia, non alba, ſed nigra, vt ſcitè luſit Petrus Aloix Centuriâ 3. ſic canens.

Veris honos roſa, natiuo quæ purpurat oſtro,
Authore exeruit te Cytherea comas.
Æmulus & coniux tibi Cypria, Mulciber idem
Author & ipſe noui germinis eſſe cupit.
Hinc dextra ignipotens, ferrum moliens & ignem
Lilia Caluini tergere nigra dedit.

Neque tamen dorſualis illa inuſtio, miſerum hunc maſtigiam ab iteratione deteſtandi criminis deterruit, Aureliæ cum Iuriſprudentiæ ſub Petro Stella daret operam, vnde fuga ſe proripere eſt adactus. Nam reuolutionem in illud cœnum, non iam dorſi inuſtio per appreſſa ferrea lilia ignita, ſed viuicombuſtionis, iuxta leges eo loci, & tota Gallia vigentes, manebat, vt notum eſt. Viuebat eo ipſo tempore Aureliæ, Gentianus Heruetus, qui in transfugam pæderaſtem, ſimulatione pudicitiæ clarum, ſic concitatur, poſt eam ſimulationem verſibus expreſſam.

Proh ſcelus! At crimen cōmittis perdite,& audax,
Quod meritò horreſcat dicere lingua pudens,
Inficiat quod vel Ligeris, Sequanaque fluenta,
Quique omnes terras continet, Oceani.
Quod non tæda omnes, non omnia ſulphura, quamuis
Denique non ignis flamma piare queat.
Non metuis tibi, ne vel tellus ima dehiſcat,
Vel feriant tetrum fulmina ſæua caput.
Quo fugis ah demens! non te corrodere inermis
Deſinet, atque animis ſpicula fixa tuis.
Vt ceſſent meritas qui poſſint ſoluere pœnas;
Crudelis ſemper tu tibi tortor eris.

Itaque ne iterata inſcriptione notaretur miſelli Antinoi dorſum, aut ne toto corpore conflagraret, pedes ſaluti fuere. Sed Geneuæ quoque impuras haſce flammas Caluini viſcera adußiſſe, ſuſpicio fuit nec leuis, nec vana, vt à Hieronymo Bolſeco notatum eſt in Caluini vita; cum agit de eius ſeruo fugitiuo, non retracto è fuga, ne de polluto pudoris cubiculo querelas cieret. Horreſco alienum dedecus & huiuſmodi ſtigmata eſſe qui tantum deferant, mœreo.

Sicut ergo facinoroſis quibuſdam, hodiéque inuritur ſtigmatibus dorſum; ita olim in pleriſque nequam, idem ſeruatum. Niſi quod olim frequens erat reorum inſcriptio in facie, quod pridem lege Conſtantini Magni abrogatum eſt. Noluit enim Optimus Princeps, partem humani corporis ad cœleſtis (vt ait,) pulchritudinis ſimilitudinem, figuratam, dehoneſtari ea deformatione. Decretum hoc Conſtantini attigi in ſcalis à viſibili creaturâ ad Deum, Gradu 15. §. *os & facies* Habetur verò lib. 11. Cod. Theodoſ. *de pœnis* Alias ergo quorundam reorum inſcriptiones, nunc vſurpant Chriſtiani Iudices: quanquam in Galliâ ſuo tempore id non ſeruatum, & frontem quibuſdam reis inuſtum, ſcribit Petrus Gregor. lib. 31. Syntag. cap. 35. Nobis pauca de quibuſvis criminoſorum ſtigmatibus ſunt hîc attingenda per ſatyram.

Grauiſſimum crimen eſſe hæreſim, probat Conrad. Brunus lib. 2. de hæret. Stapleton. oratione de hac re. Nicolaus Romæus in Caluini effigie, in monit. ad Lectorem. Caſtro l. 1. de iuſta hæretic. punit. c. 2. Itaque Hæreticos ſtigmatis in frōtibus impreſſione multare, iuſtum cenſuit Iuſtus Lipſius l. de vna Relig. aduerſùs Dialog. ad caput 3. Et ita factum in Anglia anno 1162. regnante Henrico ſecundo, prodidit Neubrigenſis lib. 2. cap. 13. Hæreticæ quippè infamiæ character, frontibus noxiorum inuſtus eſt, addita virgarum coërcitione, ſpectante populo, ſicque vrbe extruſi. Non dubitat Lipſius, quin ſi hæc pœna in hæreticos decerneretur, dedecus illud ſuos notabiles reddens, auerſurum eſſet pleroſque à tanto crimine. Nec poſſe cenſeri atrocem, & iuſto acriorem pœnam, certum eſt. Nam poſſe Eccleſiam ob crimen hæreſis, inferre mortem, de fide eſt, vt latè proſequuntur Caſtro in Opere de iuſta hæret. punit. lib. 2. cap. 3. 4. 12. ac 13. Manclet parte 3. Operis de Monar. l. 3. cap. 9. 10. & 11. Conrad. Brunus l. 3. de hæret. c. 3. Bellarm. l. de laïcis c. 21. & 22. Pamel. opuſc. de diuerſ. religion. ferè toto, nominatim à c. 16. aliíque innumeri. Quomodo ergo iuſto auctius ſupplicium eſſet, ſtigma fronti inuſtum? Contumaces ſanè hæreticos, congruè iam olim addictos eſſe ignibus, fusè proſequitur Roſuedius l. de fide ſeru. hæret. cap. 11. longè verò lenius eſt, admoto igne inuri frontem duntaxat.

Sacrilegos notari ſtigmate mandabat his verbis Plato lib. 8. de leg. [Si quis ſacrilegium commiſerit, ſi quidem ſeruus aut hoſpes fuerit, in facie manibúſque crimen inſcriptus, & flagellatus, extra fines patrios proiicitur.]

Eminent inter ſacrilegos blaſphemi, & in periuria temerè procliues, quales multi iuratores aſſidui. Eos S. Ludouicus Rex Francorum, ſtigmate inuri voluit, vt ſcribit Ionuillæus in Actis ſancti Regis c. 83. & pleniùs ac luculentiùs Gaufridus à Bello loco ſancti Regis Confeſſarius in eâ deſcriptione vitæ eius quam Gregorij X. iuſſu edidit, componens illum cum piiſſimo Rege Ioſia. Ibi numer. 23. ſic habet. [Plurimùm anxiabatur & compatiebatur cor eius, ſuper peſtem illam quæ ab antiquo noxia, occupauerat ſpecialiter regnum ſuum; videlicet vitium iurationum turpium, & blaſphemiarum in Dominum & in ſanctos ipſius. Zelo igitur diuino permotus, & ſolerter cogitans qualiter hæc execrabilis noxa poſſet ad honorem Dei de regno ſuo radicitùs extirpari, habito priùs conſilio diligenti, cum D. Simone S. Ceciliæ Presbytero Cardinali, tunc Apoſtolicæ Sedis Legato in Franciâ; authoritate ipſius Legati, & ſuâ, cōuocati ſunt Pariſiis Maiores de Regno, tā Principes, quàm Prælati, vt ſuper hoc damnabili vitio refrenando, vel potiùs deſtruendo, apponeretur conſilium & remedium ſalutare. Igitur à Domino Legato, facto ſuper hac materia, ſermone ſolemni plurimùm efficace, Rex Catholicus Zelo ſancto ſuccenſus, ore proprio fecit ſuper hoc exhortationem deuotam, & rationibus validis & apertis ſubnixam. Igitur de communi conſilio & aſſenſo, edidit pius Rex generale ſtatutum, quod per totum regnum ſeruari & promulgari voluit.] Lacunam eſſe hoc loco, in Codice abs ſe edito, ait Claudius Menardus; annotans, ſtatutum in ſuo Codice deſideratum, extare apud Ionuillæum; Apud eum tamen nihil inuenio. Nam ſtatutum quod refert c. 86. tametſi iuramenta illicita & blaſphemias vetat Regiis Officialibus, de aliis tamen nihil habet; neque pœnæ quam in eo ſtatuto latam volunt, mentio vlla eſt eo capite 86. Pergit ergo Gaufridus, nullâ (vt mox dicam) interiacente lacunâ in eius Codice. [Igitur poſt editum huiuſmodi

publicatum,

publicatum, quidam Ciuis Pariſienſis, conditionis mediocris, inhoneſtè valdè iurando, blaſphemauit in Deum. Quem Rex iuſtus, abſque miſericordiâ cauterizari præcepit in labiis, ferro candenti, in peccati ſui memoriam ſempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cum multi, ſecundùm ſæculum ſapientes, propter hoc contra Regem, verbis maledictis murmurarent, audiens ſæpè Rex magnus, & ſciens eſſe ſcriptum; *Beati eritis cum maledixerint vobis homines*, iuxta illud, *Maledicent illi, & tu benedices*, dixit verbum Catholicum; videlicet quod deſiderabat potiùs ſimile cauterium ſibi in labiis eſſe factum, & quoad viueret, talem indecentiam ſuſtinere, dummodò huiuſmodi perniciosum vitium de regno ſuo penitus tolleretur. Præterea cum tunc temporis, ipſe Dominus Rex, quoddam opus fieri præcepiſſet, quod communi vtilitati conferre non modicum videbatur, ſuper quo Pariſiis à beneficia habentibus, multas benedictiones habebat, dixit; quod maiorem mercedem à Domino expectabat, pro maledictionibus quas occaſione illius cauterij incurrerat quàm pro benedictionibus quas habebat pro illo beneficio generali.] Hæc æquè leguntur apud Gulielmum de Nangis Monachum Sandionyſianum geſtorum S. Ludouici ſcriptorem; ex quo Regis ex partibus Vltramarinis regreſſum deſcribente, liquet generale ſtatutum cuius meminit Gaufridus, non ad Regios tantùm miniſtros, (quanquam ad eos præſertim;) ſed etiam ad omnes Regis ſubditos extenſum eſſe, nec pœnam cauterij fuiſſe pœnam in blaſphemos eo generali ſtatuto latam, ſed arbitrariam & ex occaſione delicti à pio Rege impoſitam. Itaque nulla eſt apud Gaufridum lacuna, vt Menardus ſuſpicabatur, tametſi vltrò omiſit Gaufridus ſtatutum illud prolixum referre, quod Ionuillæus & Nangiacus retulerunt.

Ad planorum ſacrilegorum ſtigmata referendum eſt, quod aliqui dicuntur impacto candente ferro, ementiti Chriſti ſtigmata. Sic enim canit Eleutherius Bizenus, in Reuclini, ſiue *Capnionis* triumpho, alloquens quos volebat reos.

Semel (inquit) *fecimus iſtud.*
Berna negat, ſceleriſq; affert monumenta ſecũdi,
Tempore iam noſtro. Tum vos vſſiſſe ſopito,
Vulnera leſſero, & ſanctum voluiſſe videri;
Franciſci fratres iactent no ſcilicet vltra,
Authori conceſſa ſuo hæc inſignia ſoli.

Hæc ſi verè & non per calumniam referuntur, ſunt verè planorum ſtigmata, profana prorſus & execranda, nec ſacrilegij vacua, cum in religionem adeò fœdè incurrant.

Alij eiuſdem æui ſcriptores, cum deteſtatione idem referunt. Rabie verò tanta correptus idcirco eſt quidã Iacobi Vimphelingi diſcipulus, teſte Ioanne de Schuvinfordia Epiſtola ad Ortuinum Gratium (volum. 2. Epiſtolarum obſcurorum virorum *pag.* 348.) vt diceret [ſe nolle credere in Chriſtum ſi eſſet Monachus, & fecit illos verſus deſuper.

Non ergo fallaci tecto tibi, Chriſte cucullo
Crediderim. Veſte hac fraus tegitúrque dolus,
Atque probat nouus è Berna quæſitus, habenda,
Franciſcus, Monachis quanta ſit ipſa fides.

Mentitur, imo blaſphemat, qui talia effutit. Admittamus factum à paucis fratribus Bernæ, quòd dicitur. Num idcirco, omnis cucullo tectus, eſt illorum ſimilis? Et vt omnes cucullati mortales

Theoph. Rayn. Philologica.

peruersè agerent, quid talibus & Chriſto, & vitioſiſſimo, & peccare ac fallere impoſi.

Ingratum inuſtione frontis mulctandum, edixit Philippus Macedo, referente in hunc modum Senecâ lib. 4. de benef. cap. 37. [Philippus Macedonum Rex, habebat militem manu fortem, cuius in multis expeditionibus vtilem expertus operam, ſubinde ex præda aliquid illi virtutis causâ donauerat, & hominem venalis animæ, crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus in poſſeſſiones cuiuſdam Macedonis expulſus eſt. Quod vt Macedoni illi nunciatum eſt, accurrit, ſpiritum eius recollegit, in villam illum ſuam tranſtulit, lectulo ſuo ceſſit, affectum ſemianimémque recreauit, diebus triginta impensâ ſuâ curauit, refecit, viatico inſtruxit, ſubinde dicentem; Gratiam tibi referam. Videre tantum Imperatorem meum contingat. Narrauit Philippo naufragium ſuum, auxilium tacuit & protinùs petiit, vt ſibi prædia cuiuſdam donaret. Ille quidam, erat hoſpes eius; is ipſe, à quo receptus erat, à quo ſanatus. Multa interim Reges, in bello præſertim, opertis oculis donant. Non ſufficit homo iuſtus vnus, tot armatis cupiditatibus. Non poteſt quiſquam eodem tempore, & bonum virum & bonum ducem agere. Quomodò tot millia hominum inſatiabilia ſatiabuntur? Quid habemus, ſi ſuum quiſque habuerit? Hoc Philippus ſibi dixit, cùm illum induci in bona quæ petebat iuſſit. Expulſus bonis ſuis ille, non vt ruſticus iniuriam tacitus tulit, contentus quòd non & ipſe donatus eſſet: ſed Philippo epiſtolam ſtrictam, ac liberam ſcripſit: quâ acceptâ ita exarſit, vt ſtatim Pauſaniæ mandaret, vt bona priori domino reſtitueret. Cæterùm improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, auidiſſimo naufrago, ſtigmata inſcriberet, ingratum hoſpitem teſtantia. Dignus quidem fuit, cui non inſcriberentur illæ literæ, ſed inſculperentur, qui hoſpitem ſuum nudo & naufrago ſimilem, in id in quo iacuerat, ipſe littus expulerat.]

Proditorem exercitum Armeniacum, Conſtantinus filius Irenes, matre abdicatâ regnare aggreſſus, multauit ex parte, inſcriptione faciei. Cogitarat exercitus, pro Conſtantino Alexium obtrudere. Itaque mouit in eos Conſtantinus, ac vicit; deuictorum autem millenos, hâc in vultu inſcriptione dehoneſtauit, *Armeniacus inſidiator*. Æquè Thebanos qui à Græcis ad Xerxem defecerant, *compunctos* fuiſſe *notis Regiis*, ſcribit Herodotus l. 7. De Iudæis ſic S. Chryſoſtomus hom. 2. contra Iudæos, cum dixiſſet eos ſub Adriano rebellaſſe & grauiſſimè mulctatos eſſe. [Poſt hæc ſub Conſtantino rurſus eadem aggreſſi ſunt. At ille amputatis eorum auriculis, ac rebellionis ſigno impreſſo corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia ac verberones, corporibus mutilatis, conſpicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant ſparſi erudiens, ne in poſterum eadem conarentur.] Signum impreſſum corpori, eſt ſtigma ferro candente inuſtum in rebellionis notam, quam S. Chryſoſtomus ſubdit, conſpectam fuiſſe à pleriſque inter eos qui aderant, ætate prouectioribus.

Ex prætenſo, proditionis, vel attentatæ defectionis crimine, Theodoricus Gothus Arianus, viris clariſſimis Opilioni & Gaudentio, frontium inſcriptionem eſt comminatus teſte Boëtio lib. 1.

de Conſolat. Proſa 4. Eadem ex cauſa Federicus Imperator, cum Romanam vrbem, in poteſtatem illicò (vt putabat,) redacturus veniſſet; ſpe ſua falſus, eo quod plerique Romani ad Pontificia fortem orationem Cruce eſſent ſignati, deſæuiit in paucos, quos cæpit, inuſto ſtigmate. quod refero verbis Naucleri Generat. 42. [Cruce iam ſignata cohors, cominùs eſt congreſſa, ad cuius conſpectum, adeò territus, adeò in inſaniam verſus eſt Fridericus, vt Cruce ſignatos captos, ad ſe viuos perduci, in prima ipſe pugnans acie clamauerit; perductóſque, caput partim illis in Crucis modum quadrifariam ſcindi iuſſerit, partim in fronte Crucem ferro candenti, reddiderit: Clericis autem ferro coronam cæſam in Crucis formam, vulnerari mandauit.] Nouum verò genus ſtigmatis excogitatum eſt Luteciæ, ſub Innocentio VI. vt ſcribit Author operis de Pontificibus qui in Galliâ ſederunt *pag. mihi* 126. Defecerant à Rege ſuo Pariſienſes, Duce quodam cui nomen *Iacobo Bonhomme*, qui ſe *Regem Iacquerorum* nuncupauit. Is captus à Delphino, coronatus eſt, impoſito capiti tripode ferreo candenti. Affine eſt, quod vt eſt apud Nicetam Choniatem lib. 2. de rebus Alexij Comneni initio, capiti affectantis Tyrannidem, quatuor clauis infixa eſt corona ærea, quadrupliciter pertuſa. Et idem factum Capiti coniuratorum in Iacobum 1. Regem Scotiæ. Imprimebatur his inuſtionibus ſtigma admodùm acerbum.

Germani proditorum, ſunt delatores, ex l. fin. C. de delator. Itaque eos quoque ſtigmatibus inuſtos, docet in Panegyrico Plinius, laudans Traianum, quòd delatores nauigiis impoſitos eximbaſſet, [ne vt antea exanguem illam & ferream frontem, nequicquam conuulnerandam præberent punctis, & notas ſuas riderent.] Idipſum poſt Traianum præſtitit M. Antoninus, referente Capitolino. Nam de hac notâ accipiendum videtur, quod ait Capitolinus. [Calumniis quadruplatorum interceſſit (Antoninus,) appoſitâ falſis delatoribus, notâ.] Erat ea nota, ſtigma figurâ literæ K, impreſſa fronti. Latini enim ſæpè K. vſurpabant pro C: vnde deſignaturi calumniatorem, inurebant cauterio, fronti eius, literam K. additâ interdum literâ G, ad ſignificandum, *calumniæ causâ.* Aliàs geminato K. in eundem finem, vt videre eſt apud Petrum Diaconum libro de Notis, & Manutium in eiuſdem argumenti Opuſculo. Inuſtionem huiuſmodi literæ in fronte calumniantis, referunt ad l. Memmiam (vt legi vult Hotomanus ad orationem Tullij pro S. Roſcio) vel Rhemiam, ſiue Rhemmiam l. 1. ff. ad S.C. Turpilianum. Eóque reſpexit Tullius Orat. pro Roſcio Amerino, cum dixit: [Crura quidem nemo vobis ſuffringet; ſed ſi ego hos benè noui, literam eam cui vos vſque eò inimici eſtis, vt etiam omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.] Eam namque literam fronti affigendam, non eſſe literam condemnationis, ſed eſſe literam fronti inuſtam, rectè cenſuit Turnebus l. 8. aduerſ. cap. 22. Hinc l. 13. ff. de teſtibus, homo frontis integræ, & homo calumniæ damnatus opponuntur.

Pertinet huc quoque quod ſcribit Ioannes Antonius Menaninus lib. 2 cap. 6. & ex eo Petrus Pollerius Tract. de Contract. Cenſuat. V. *Nicolam* n. 124. Nimirum de lege Mahumetis, calumniatorem falſi teſtimonij reuictum, hâc ratione mulctandum decerni. Nudus, & facie atramento vel fuligine tinctâ, auerſus aſino imponitur, ac pro habenis caudam manibus tenens, putridâ pelle equinâ aut bouina amictus, & ita quidem vt pellis interiora, nunc faciem, nunc tergum, diuerberent, totâ vrbe omnium ludibrijs expoſitus obequitare adigitur, pueris in miſerum conuitia cœnúmque iactantibus. Aſelli vectoris fronti apponitur inſcriptio ſeu titulus, præferens calumniatoris probrum; Ipſius autem calumniatoris fronti, & vtrique malæ, admoto cautere ignito inuruntur notæ, monimenta calumniæ, addito interdicto, ne ſic inuſtus, deinceps ad teſtificandum admittatur.

Non erat calumniatus aut falſi teſtimonij labe maculatus, ſed mendacio dumaxat ſe inquinauerat, miſer duos ex hoſtibus ſe adducturum pollicitus: quod cum non præſtitiſſet, mendacij compertus, tribus clauis in linguam adactis, mandante Artaxerſe confixus eſt, vt refert in eius vitâ Plutarchus.

Fures ſtigmate ſignatos, docet illud Iuuenalis Satyr. 14.

-- Gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Seirena flagellis
Cõparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus.
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Immanem ac truculentum herum, ait tum demum ſibi viſum felicem, cum propter teculas ſublectas, ferro candenti ſtigmatizaſſet miſerum ſeruum. Et idcirco ſubdit, cum inſcriptis ergaſtulis mirè affectum, & catenæ ſtridore lætum fuiſſe. Ad eum locum Ioannes Britannicus, ſtigmata ſeruorum (quos ex Apuleio 9. Mileſia. ſupra exhibuimus, frontes literatos, capillum ſemiraſum, & pedes annulatos.) furti cauſa inuſta tradit. Inurebatur furibus in fronte hoc Epigramma; *Caue à fure.* Apud Anglos vt ſcribit Polydorus Virgilius l. 6. hiſtor. Anglor. ex lege Henrici ſeptimi, furibus quos *Theefe* vocant, litera T, initialis vocis apud eos vernaculæ furem deſignantis, inuritur in palmâ ſiniſtræ manus, ſub pollice. Apud Sinas ſcribit Nicolaus Trigaultius l. 1. c. 8. primum furtum abit impunitum. In ſecundo autem furto, cauterio ſimul & atramento duo characteres brachio inuruntur. Cum fur tertio deprehenditur, eodem cauterio inuritur. Augetúrque ſupplicium ſi fur vlterius ea ſe noxa contaminet.

Homicidas, Angli, *Murdure* appellant & idcirco inſculpunt illis ſtigma, in figuram literæ initialis eam vocem, nimirum M. vt ſcribit Polydorus Virgilius l. 26. hiſtor. Anglor. quem vſum à Gallis hauſtum affirmat.

Falſariis Clericis qui regium ſigillum adulterarant, Vrbanus III. c. *ad audientiam* de crimin. falſi, mandat imprimi characterem aliquem & exilio mulctari. Eam inſcriptionem characteris Ioannes Franciſcus Pauinis Tract. de viſitation. 1. p. q. 6. num. 30. ex l. *ſi quis in metallum* C. de pœnis, ait non eſſe facienda in facie quæ eſt inſtar cœleſtis pulchritudinis & fœdari non debet ex Conſtantini decreto. Addit etiam in aliâ parte ſtigma debere ita inuri, vt ſola cutis ſuperficies deformetur citra ſanguinis effuſionem, vt ait notari d. cap. *ad audientiam.* Pontifex tamen nihil tale ibi decernit, ſed tantùm vt punitio ſit citra mortem. Et Petrus Gregorius ſupponens hanc pœ-

nam

rem non poſſe non eſſe pœnam ſanguinis, obſeruat eam eſſe Clerico infligendam per Iudicem temporalis Iuriſdictionis.

Obſigno hoc caput, rabinſo impotentis animi facto, in reum non reum. Non erat reum mare, & tamen inſanus Rex Xerxes, in illud veluti flagitio ſordeos, præ rabie, ſæuiit ſtigmatibus. Viſus eſt id non admittere Iuuenalis Satyr. 10. de eo dicens,

Ille tamen qualis rediit Salamine relictâ
In Corum atque Eurum ſolitus ſæuire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere paſſos
Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.
Mitius id ſanè quod non & ſtigmate dignum
Credidit.

At credidit, tametſi inſaniſſimè, vt apud Herodotum legere eſt libro 7. Ex eo enim diſcimus inſanum Regem, mari quod *Ennoſigæum* à concuſſione terræ vocauit Poëta, ſtigmata iuſſiſſe tanquam noxio.

CAPVT IV.

Stigmata Medica.

Diuini inter Medicos Senis, effatum eſt lib. 7. Aphoriſmo vltimo exaratum. [Quæcunque non ſanat medicamentum, ea ſanat ferrum: Quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: Quæ ignis non ſanat, ea Incurabilia putari oportet.] Hoc pronunciato, duplex ſtigmatum Medicorum genus attingitur; quod Ariſtoteles item memorat ſ. t. probl. 34. Vnum quod ferro ſcindente aut pertundente, efficitur; alterum quod ferro alióve præſertim metallico igniente peragitur: eóque reducendum eſt ſtigma quod abſque ferro aut metallo, aliâve materia igniente, ſed adhibitis cauſticis inuritur. Refertur quàm multas inſuper ſtigmatum Medicorum differentias enumerans Petrus Oſterman, de ſtigmat. ſect. 1. & ſeqq. Hæreo tamen in ſtigmatiſmo Medico propriſſimè dicto, qui notis ferro candente, aliiſve adurentibus, corpori humano impreſſis continetur; vt tradunt Auicenna 7. 4. cap. 7. tract. 2. Ægineta lib. 3. c. 7. Aëtius lib. 8. c. 12. Scribon. largus de compoſ. Medicam. cap. 231. De his illi fuſiùs & accuratiùs. Me, ne hæc hæc tractatio hiaret, breuiter iuuit, ſtigmata hæc Medica quomodocunque impreſſa, generatim attingere.

Prioris generis quod inciſione peragi aiebam, mentio eſt apud Aëtium Tetrab. 11. ſerm. 3. c. 12. vbi ait, Æthiopas ab ipſâ natiuitate, ſiſtendæ, peculiariter eos vexanti (vt ſcribit Volaterranus lib. 24. Antropol. noxiæ in oculos defluxioni ſolitos parunlorum frontem impreſſo ſtigmate nutare; idque Græcis dici *periſcyphiſmum*, & formari in figuram literæ Græcanicæ Π. triplici ſectione; ita tamen vt apices ſectionum, ad internas partes propendeant incuruati. Admotum quoque Scythis fuiſſe ſtigma ex hoc primo genere, Hippocrates author eſt l. de aëre. aquis, & locis. Tractans enim cauſas ſterilitatis Scythas grauantis, quæ quidem erant ex parte marium; obſeruat, Scytharum pleroſque Eunuchos factos, obiuiſſe muliebria officia, inſtárque fœminarum omnia feciſſe, ac etiam vocem formaſſe, vocatóſque *effeminatos*. Et quamuis rati incolæ id à Deo illis accidiſſe, colerent & adorarent hos ipſos homines, timentes ne quid tale ſibi ipſis inferretur diuinitus; tamen Hippocrates affectos illos & primam ſterilitatis Scytharum marium cauſam, reuocat ad inciſionem ab eis fieri ſolitam, retro autem. Ab aſſidua quippè equitatione magnis ac diuturnis corripiuntur articulorum doloribus; nimirum propendentibus ſemper ex equis, eorum cruribus, vnde plerumque claudicatio, & coxendicis contractio cum inualuerit morbus, cui medicabantur impreſſione ſtigmatis prædicti, ſiue inciſione pone vtramque aurem. At ea inciſio (vt Hippocrates notat,) ſterilitatem inferebat. Venæ enim ſunt retrò aures, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem ei qui ſecatur, immittat. Itaque deprehenſâ poſtmodùm ſterilitate ſuâ, ditiſſimi quique & nobiliſſimi Scytharum; (nam pauperes quia minùs equitabant, his incommodis minùs erant obnoxij:) putantes incommodum quo ſe vrgeri videbant, ab irato numine proueniſſe; cadebant animis, & palam ſe euiratos profeſſi, tranſibant ad mulierum contubernia, induti veſtem muliebrem, & fœminarum tractantes opera. Sic de illatâ Scythis ſterilitate, ab inciſione propoſitâ, & impreſſo per eam ſtigmate, Hippocrates. ſecus quàm Herodotus in Clio, qui inter Scythas Aſiâ vniuerſâ fuſis Medis potitos, eos duntaxat *ἐνάρεας*, vel vt Hippocrates loco annotato vocauit, *ἀνανδρίεις*, id eſt *eunuchos*, dictos voluit, qui Aſcalone in Palæſtinâ, Vraniæ Veneris templum ſacrilegè eſſent depeculati; quod fabulamentum fuiſſe, vt & reliqua de morbo fœmineo, iiſdem ac poſteris eorum immiſſo, iactata à mendaciloquo Herodoto; locus ex Hippocrate adductus confirmat; manifeſtè præferens quo morbo laborarent Scythæ, & ex quâ cauſâ; hoc ex ſtigmate, retrò aures, per inciſionem impreſſo. Et ſimilis ſtigmatis Medici, pro iis qui fluxionibus oculorum tentantur, expreſſa mentio apud Ariſtotelem ſect. 31. probl. ad q. 5. & qui eum medendi modum poſterioribus temporibus improbarunt, vt Aëtium, imprudentem potiùs modum eam medicationem adhibendi, quam ipſam ſimpliciter medicationem improbaſſe, notat Mercurialis lib. 3. var. c. 10. Diſertè apud Celſum lib. 7. c. 7. nec ſemel, ſed ſæpiùs; & rurſus c. 8. hæc ad curandum ſtigmatizatio præſcribitur.

Aliud ſtigmatis Medici genus eſt, quod cauterio adhibito inuritur. Non eſt hic ſermo de cauterio quale memorat Mœcianus l. *item pectoris* ff. de fund. inſtr. vbi reſpondet, inſtrumento pictoris legato, cedere legatu, ceras, colores, conchas. penicilos, cauteria. Ideſt interprete Turnebo l. 8 aduerſ. c. 9. inſtrumenta quibus olim pictores ceris pingentes, tabularum picturam inurebant. Et lib. 29. c. 13. de eiuſmodi pictura egiſſe ait Apuleium Apolog 1. eum meminit operis luto ficti, vel ære infuſi, vel lapide inciſi, vel cera inuſti, vel pigmento illiti: Coloribus enim inuſtis, & reſolutis igni ceris, fiebat ea pictura, dicta idcirco *encauſtica* & homo ſic depictus, *encauſtes*; ſic enim Martialis lib. 4. epigram. 36. ſugillans pictorem, qui Phaëtontem ſemel inuſtum iterum pingendo combuſſerat, ait;

Encauſtus Phaeton tabula tibi pictus in hac eſt:
Quid tibi vis, dipyrum qui Phaetonta facis?

Et Naſo 4. Faſto.

Et picta coloribus vſtis
Cœleſtem matrem concaua puppis habet.

Apud Athenæum l. 5. Callixen. huiuſmodi artem vſtoriam *κηρογραφίαν* appellat, quia omnicolor cera liquefacta, in ſtrias dum pingerent, infunde-

batur : vt videre eſt apud Varronem lib. 3. de re ruſt. c. 17. & Plinium l. 35. c. 11. Et ſicut pictura, *encauſtica* dicebatur ; & ars ipſa ſic pingendi *cauſtica* ; ſic ferrum materiam excauans, *vriculum* aut vt Turnebus apud Plinium legit, *vericulum*, vel ab vrendi effectu *cauterium* appellabatur. De huiuſmodi cauterio non eſt hic ſermo : ſed neque de eo cauterio quo olim vſum ferunt Tyrannum Cyrenenſium Nicocratem apponentem portis cuſtodes, qui mortuos quoque dum inferrentur, cauterio ſcrutarentur. Nec diſſimile quod Tertullianus c. 15. Apolog. ſcriptum reliquit. [Riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem.] Ineptiſſimè aliqui legerunt *canterio*. His dimiſſis ; agimus de cauterio quo Medici ad medendum ſtigma inurunt : cuius proinde inuſtio, aptè dicetur ſtigmatizatio Medica.

Hæc porrò multipliciter peragi poteſt & iam olim peracta eſt : nimirum vel admotione inſtrumenti igniti, præſertim metallici ; quod vocant *cauterium actuale* ; vel adhibitis causticis, vnde exiſtit *cauterium potentiale*. Et in vtroque membro, accidentaria ſubdiſtinctio multiplex, ſiue penes formam ac figuram ſtigmatis, ſiue penes eius efficientem cauſam annotatur. Nam penes figuram quidem, exiſtit ea diuerſitas quam Ambroſius Paræus lib. 18. cap. 27. expreſſit, oblongi, rotundi, lati, lunati, circularis, triangularis, quadrangularis, lenticularis, oliuaris, acuti, obtuſi, nucleum, enſem, malleum, cultellum, aliúdve quippiam referentis. Penes effectricem verò ſtigmatis cauſam ignientem, ſtigma ære, vel argento, aut auro, quod maximè commendat Albucaſis lib. 1. de Cauter. c. 1. *in fine*, ſed frequentiſſimè candente ferro inuritur, quale ætate Galeni erat paruum ferrum candens, æreo calamo ad fundum pertuſo immiſſum : pérque foramen illud partem curandam adurens. Ferè etiam nunc ſola metallica corpora ad huiuſmodi vſum adhibentur, etiamſi olim ex vſu fuit, idem præſtare adhibitis plumbo, aqua feruente ; fungis ignitis, ſulphure, oleo, butyro feruefacto, ſtruthij & ariſtolochiæ radice, ſtercore caprino, & viticis ligno, accenſis. Quod verò ſtigma lentiùs & mitius inuritur, à variis causticis admotis, variè denominari poteſt penes eam cauſam extrinſecam, quæ accuratiùs perſequi, non eſt huius inſtituti. Exquiſitè verò ac diligenter in ea omnia inquiritur, à variis qui commentarios de hoc argumento ediderunt ; quos inter eminent Albucaſis tract. de Cauteriis, Razes libello de iiſdem ; Michaël Gauaſſetius, tract. de natura Cauterij ; Thomas Fienus in Opere eiuſdem argumenti quinquepartito ; Hieronymus Capiuaccius Tract. de rectâ cauterij applicatione ; Daniel Sennertus lib. 5. inſtitut. Medic. parte 1. ſect. 2. cap. 9.

Illud potiùs conſiderandum hoc loco occurrit, ſitne huiuſmodi ſtigmatis Medicis vſus nouitius, & antiquis prorſus incompertus, vt Cardanus voluit l. de ſpir. difficult. an verò iam olim innotuerit hæc ad medendum ſtigmatis impreſſio. Sed mihi quidem, contrarium videtur debere eſſe extra dubium ; ſiue agatur de ſtigmatis ex admotione caustieorum tantùm, de quorum vetuſto vſu prohibet Plinius ambigere, pleraque huiuſmodi caustica iam olim vſu recepta ad medicandum recenſens ; ſiue agatur de ſtigmatis ex applicatione ignitorum, quæ præſertim viſa nonnullis eſt recentioris inuenti : ſed perperam, cum non modò apud ſcriptores Medicos mediæ ætatis, ſed etiam apud perantiquos, eiuſmodi vſus ſit mentio. Hippocrates ſanè qui Medicis audit *diuinus ſenex*, quia primus ſcriptis commiſiſſe rei Medicæ doctrinam traditur, horum ſtigmatum tanquam iam olim ad medendum vſurpatorum, meminit frequentiſſimè, & nominatim l. de morbis internis cap. 35. & 37. vbi (vt notauit Amatus lib. 5. Centur. 7.) plura ſignat ægritudinum genera cauterio perſananda, quàm habeat lineas. Latiùs l. de inter. affectibus, quem librum totum, vſtionibus ſcatere obſeruat Lælius Biſciola l. 18. ſubſec. c. 16. Crebra item vſtionum ad rem medicam mentio, apud Galenum, locis ibidem à Biſciola notatis, & à Zacuto lib. 1. hiſtor. Medicorum Principum ; hiſtor. 20. poſt obſeruationem 15. Profert autem in hanc rem Galenus, antiquos complures : & nominatim Platonem Comicum qui in Cyneſia prodidit, Euagoræ filium quod laterali morbo affectus eſſet, dediſſe ſe in concionem multipliciter inuſtum ab Euriphonte. Alios præterea veteres, huiuſmodi ſtigmatum vſum ad rem Medicam agnouiſſe rectè demonſtrat Hercules Saxonia l. de Phœnigmis ſect. 1. in præfatione.

Notantur gentes ac perſonæ, quibus iam olim, ad medicandum probata maximè ſunt eiuſmodi ſtigmata. Herodotus enim lib. 4. antiquiſſimis temporibus, quoſdam Lybiæ populos puerorum quadrimorum venas verticis, aut venas temporales, œſypo ouillo adurere ſolitos, teſtatur. Eſt Oeſypum, vel Oeſypa, vtroque enim genere effertur,) pinguitudo ſuccidarum lanarum, iuxta illud Naſonis.

Oeſipa quid redolent, quamuis mittantur Athenis,
Demptus ab immunda vellere ſuccus ouis ?

Erotianus tamen author eſt, Hippocratem accepiſſe *œſypum* pro ſtercore ouillo, quod ſanè vi aliqua vrendi eſt præditum : & modicè idem præſtat ſuccida lana, eiúſque pinguitudo, lanæ adhuc adhæreſcens. Quæ cauſa eſt, cur Mercurialis l. 2. var. cap. 1. potiùs exiſtimet, operationem illam adurendi Lybicis familiarem, œſypo feruente & ignito peractam. Sicut etiam ſæpe Hippocrates, præſcribit vrendum adhibito lino crudo ; quod non apparet quomodò vſui eſſe ad vrendum poſſit, niſi igneſcat. Afros curare ſolitos, verticem ad os vſque adurendo, ita vt ſquamam remittat, ſcribit Celſus l. 7. c. 7. *in fine*. In Thuſcia & nonnullis Italiæ regionibus antiquum vſum ferre, vt pueris adhuc lactentibus, vel paulo maioribus, occiput ignito ferro adurant, teſtatur ſupra Mercurialis : eo quod cenſeant præſidium inde parari pueris, aduersùs pituitam & puerilem morbum. Idem tanquam alexipharmacum, aduerſus omnes cerebri affectus potentiſſimum omnium, quo erga infantulos recens natos ſtatim à baptiſmo ſæpè ſæpiùs feliciter vſi ſint Neoterici, nominatim aduersùs comitialem morbum infantulis in tractu Arelatenſi perfamiliarem ; commendari video à Ioanne Taxil. lib. 1. de Epilepſia cap. 7. & agit de actuali cauterio, quoad infantes validos ; & cùm affectus validus non præbet inducias, ad lentiùs agendum. Non igitur ſoli Barbari de quibus Trallianus lib. 3. cap. 26. huiuſmodi remedium ad medendum adhibuerunt, ſed alij quoque iam olim, vt citata exempla docent, & addi poteſt memorata à Plinio horum ſtigmatum inuſtio lib. 3. cap. 5. & à Theodoro Priſciano l. 2. ad Timoth. cap. 2. ſect. 8.

ſect.8. & à Sereno Sammonico, cum agit de podagræ curatione. Qui etiam paulò ſuperiùs agens de medicatione carbonis, ſic habet.

Horrendus magis eſt, perimit qui corpora carbo;
Vrit hic incluſus, vitalia rumpit acerbus:
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis,
Tertia namque, Titi ſimul & centeſima Liui,
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exactum.

Nimis multis monſtratum puto, vſum ſtigmatum medicorum, etiam admoto vrente actuali, fuiſſe antiquis perſpectum; nec ſatis conſideratè Cardanum, ignorantiam veteribus hac in parte affinxiſſe. Intelligebant nimirum veteres Medici, quanta poſſit eſſe ad curandum vel roborandum, ſtigmatiſmi huius opportunitas, id quod benè proſequitur Auicenna in Cant. part.4. Aphor.32. & Fen.4.1. cap 29. Corpus enim noxià humiditate laborans, adhibito huiuſmodi remedio quod calore & ſiccitate præpollet, vtramque illam qualitatem contrahit, ex quibus exiſtit alleuiatio, aut curatio per depulſionem humiditatum ſuperuacanearum, & laxitatis carnis adſtrictionem, ac indurationem; quæ ſunt commoda ab Hippocrate annotata ex adustione Scythis obuenientia l. de aëre aquis & locis. Ibi deſcriptâ eius gentis corporum abundantiſſimâ humiditate, variis ex cauſis internis & externis quas enumerat; ad comprobandam eorum ſupereffluentem humiditatem, addit. Multos ipſorum, præcipuè qui Nomades ſunt, reperias, exuſtos humeros ac brachiâ habentes, manuúmque iuncturas, pectora, coxas, & lumbos, nullam ſanè aliam ob cauſam, niſi ob humoris & mollitiei naturæ detractionem. Nam neque arcus intendere, neque telum torquere poſſunt, præ impotentia humiditatis humerorum. Cum autem vruntur, humor ipſe à iuncturis exoluitur, fiúntque corpora ipſorum validiora, meliùs nutriuntur, & magis redduntur articulorum vſu potentia. Fluida verò fiunt, ac lata primùm, propterea quod faſciis non colligantur, quemadmodùm fieri ſolet in Ægypto. Deinde quod non animaduertunt, quomodocunque inter equitandum equis inſideant. Poſtremùm etiam, propter deſidiam perpetuam. Maſculi enim eorum, antequam potentes fiant equos conſcendere, atque in illis vehi, plurimum temporis deſident in curribus, raróque prodeunt vt inambulent, propter exilia ac perpetuas circulationes. Mulierum autem corporum formæ, ad miraculum vſque, fluxæ exiſtunt.] Tanta cum eſſet Scytharum humiditas & carnis laxitas; tamen beneficio ſtigmatiſmi de quo agimus, congruentem exſiccationem & robur aſſequebantur. Et quod vniuersè de Scytharum corporibus ait Hippocrates, quibuſvis vbilibet corporis partibus à capite ad calces vſque, ſtatui poteſt, vt diligenter proſequitur Fienus l.4. de Cauteriis à c.11. Maximè tamen in capite, ſe prodit ſtigmatiſmi huius efficacia. Caput enim verticem corporis occupat, multóſque attrahit humores ſuperuacuos: quos deinde refundit, ita vt nulla ſit pars inferior quam delectione ſuperfluarum humiditatum non irriget: idque niſi faceret, exiſterent inde exitiales affectus capitis, retentione humorum illorum procreati, vt benè conſiderauit Galenus l.9. de vſu part. & lib.5. de ſanit. tuenda, necnon Fernelius lib.5. patholog. cap.4. Quia ergo per clices & canales à natura conſtitutos, non poteſt plerumque deiici totus humor attractus, adhibetur ſtigmatiſmus de quo agimus; cum humoris ſuperflui eductionem, tum ad roborationem partis affectæ, quo eſſe referendam Medici operam, non minùs quàm ad humoris euacuationem, Galenus optimè admonuit l.2. de humor. ſect.1. comm.12.

Sed quàm multæ ab hoc ſtigmatiſmo vtilitates exiſtunt, ſi ritè & ex arte obeatur; tam multiplex imminet à mala eius admotione periculum. Vſtionem namque, feruor & calefactio indebita, propriæque temperiei euerſio facilè conſequitur; nec rarò ei comitatur tam exquiſitus dolor, vt inferendæ morti par eſſe queat. Suppetit exemplum ab Hippocrate annotatum lib.5. Epidem. de Eupolemo: qui coxendice laborans, multis & magnis ea in parte vſtionibus adhibitis periit; viribus imbecillibus morbo admodum deiectis tam vehemens remedium non ferentibus. Inſigunt hoc monitum Guanaſcetius l. de natura cauterij c.15. Mercurialis lib.1. praxeos cap.20. Mercatus l.1. indic.16. Zacutus lib.1. hiſtor. Med. Princ. hiſtor.10. obſeru.15. & ſeqq. & pereruditè Fienus libro 3. de Cauteriis cap.1. Conſiderat enim quaſdam ſtigmatiſmi huius minùs prouidè adhibiti noxas eſſe per ſe, quaſdam verò eſſe per accidens: alias vſtionem ſequi vi talem, aliàs cruſtam, vlcus, cicatricem; quæ diligentiùs perſequitur, à noſtro autem inſtituto ſunt aliena. Idem Author eas noxas, communes quoque eſſe cauteriorum potentialium, ritè perpendit. Verùm omnes illæ noxæ, improuidum duntaxat vſum huius ſtigmatiſmi conſequuntur: Ipſe autem ſi ritè & in tempore obeatur, non modò noxâ vacat, ſed magnis vtilitatibus redundat. Commune id eſt rebus omnibus quantumuis perfectis, vt malâ vel indebitâ applicatione noceant. Itaque non vſus ſed abuſus in vitio ponitur, vt S. Gregorius Nazianzenus animaduertit, orat.20. num.19.

CAPVT V.

Artificialia planorum ſtigmata falsò dicta genitiua.

VBique veteratorum fraudes & impoſturæ deprehenduntur, non in mercibus tantùm & negotiatione, ſed etiam in rebus maximè ſacris, ipſáque pietate. Nihil igitur mirum, irrepſiſſe quoque impoſturas in ſtigmata; ita vt quamuis reipſa ſint impreſſa, tamen fingantur genitiua, attributa iiſdem efficacitate ad certos effectus; quæ verè non à ſtigmatibus prodit, ſed aliunde a quamuis ab impoſtoribus, referatur ad ſtigmata quæ falsò iactantur genitiua. Hoc quid ſit, ante omnia eſt exponendum.

Dicuntur *nota genitiua*, quæ non extrinſecùs per artem imprimuntur, ſed ab vtero matris exportantur, ſiue impreſſæ fœtui per matris imaginationem, ſiue ex peculiari temperie reſultantes. Sic Auguſtus à Suetonio c.80. [Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Vrſæ.] Collidit cum Suetonio Sidonium, Caſaubonus, ratus Sidonium in Anthemij Panegyrico, affirmaſſe notas illas genitiuas Auguſti, non Vrſam cœleſtem; ſed Draconem Epidaurium exhibuiſſe. Ait enim Sidonius, de Auguſto.

Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi,
Pæonij iactans Epidauria ſigna Draconis.

Verùm hæc *ſigna Epidauria*, non ſunt illæ notæ genitiuæ de quibus ex Suetonio diximus; ſed aliæ non ipſius Auguſti corpore deprehenſæ, ſed in corpore matris Acciæ, quæ ſe ab Epidaurio dracone (ſcilicet,) compreſſam mentiebatur; vnde diuinum ſuum ortum ſtultè iactabat Auguſtus. Videndus de his ſignis Epidauriis, Suetonius in Auguſto c.94. Itaque non colliduntur Suetonius & Sidonius, quoad figuram notarum illarum genitiuarum, quas ex Suetonio in ipſomet Auguſto admiſimus. Omnes qui ex Draconteo genere erant, inſigne genitiuum habebant in corpore, per quod Creon Rex agnouit ſuſceptum à filio Hæmone ex Antigone filium, verè eſſe filium Antigonæ ſororis Polinicis è genere Draconteo, quam Creon Hæmoni filio cuius ſponſa fuerat, interficiendam dederat, ſed per mendacium ſubducta ab Hæmone, ei poſtea vxor fuit, vt ſcribit Hyginus in fabulis num.72. Notum præterea quod ferunt de Seleuci fatali annulo, in quo anchora efficta videbatur; cuius figura in ipſius Seleuci femore in matris vtero primùm impreſſa, in femore poſterorum illius familiæ, conſpicua erat (Vnde anchoram pro inſigni gentilitio habuit Seleucus ex Clemente Alexandrino lib.3. pædagog. cap.12.) Meminit eius notæ Seleucidarum, Iuſtinus l.15. & Auſonius de claris vrbibus in Alexandriâ, ſic canens.

——Illa Seleucum
Nuncupat ingenuum, cuius fuit anchora ſignum
(Qualis inuſta ſolet generis nota) certa per omnē
Nam ſobolis ſeriem natiua cucurrit imago.

Vocat eam notam *ſignum ingenuum*, & à naturâ impreſſum, vt rectè Scaliger lib.1. Auſon. lectionum cap 23. quod comparat cum ſigno inuſto, id eſt factitio, & immiſſo per artem, vt arbitratur Hermannus Hugo l. de prima ſcrib. orig. c.20. Neque enim illud ipſum genitiuum ſignum vocat *inuſtum*, ſed quod natiuum eſt confert cum eo quod pecudibus inuritur, iuxta illud Maronis.

Continuóque notas & nomina gentis inurunt.
3.Georg. De ſimili nota & inſigni Regum Æthiopiæ, videndus Heliodorus lib.10. hiſtor. Æthiop.

Thebis lancea erat nonnullis nota genitiua, vt memorat Ariſtoteles l.1. Poëticea, dicens γηγενεῖς, ideſt è terra natos, & è ſerpentis dentibus per Cadmum diſſeminatis exortos, notam lanceæ prætuliſſe. Victorius l.8. var. lectio. cap.17. putat hos γηγενεῖς Ariſtotelicos, eoſdem eſſe cum eis quos Plutarchus l. de ſera Num. vind. ἐτᾶ, appellat σπάρτους. Et eodem modo eos appellat Dio Pruſæus Orat. de regno. Si Luna & Saturnus & Mars fuerint in ſignis æquinoctialibus, hominem tunc genitum, ſortiturum corpus notis quibuſdam maculatum, ſcribit Iulius Firmicus lib.6. Aſtronom. An tamen ad poſteros ſint tranſmittendæ, non dicit. In Lepidorum gente membranula oculum dextrum tegens, erat inſigne ſymphytum & gentilitium. Thieſti eiúſque poſteris, caucrum, Lentulis lentem, Ciceronibus ſignatam ciceris, ab ortu adhæſiſſe tanquam notam familiæ, ſcribit Andr. Laurentius l.1. de ſtrumarum curat. c.4. ſed hæc tranſmiſſio quoad Cicerones & Lentulos, non videtur vera. Tametſi enim ab aliquo ex eâ gente cui nota illa fuerit natiua, ducta eſt in poſteros ſimilis appellatio, vt de variis talibus cognominibus monſtrat Sigonius lib. de Nominibus Romanorum cap.5. ſimilis tamen figura non eſt in omnes poſteros deriuata. Id tamen in Conzanorum Regibus accidiſſe, ſcribit Marcus Venerus in Itiner. Omnes enim qui ex eâ eſſent familiâ, aquilæ nigræ inſigni in humero notatos, teſtatur: id quod etiam habet Felix Malleolus Tract. de Nobilitat. c.26. Videſis item Tiraquellum in Opere de eodem argumento c.36. Chariclæa Hydaſſij Æthiopum Regis filia, quod ex aſpectu crebro pulcherrimæ imaginis in cubiculo ſuſpenſæ, candida & pulchra præter gentis indolem à matre concepta eſſet, ab eadem adulterij ſuſpicionem vertita, procul amandata; In regreſſu denique agnita eſt, ex nota genitiua maiorum, brachio inſerta; quæ erat orbiculus niger forma lapidis Hebeni, vt Heliodorus lib.10. recitat. Si tamen non eſt ingenioſum commentum, vt alia pleraque in ea Hiſtoria. Et quale etiam eſt, quod de humero eburneo, Pelopidarum ſigno perpetuo, Græcia fabuloſitatis ſemper amans iactauit; quod prouerbij loco, non autem tanquam veritatis aſſerendæ gratia, relatum eſt à Nazianzeno Epiſtola ad Themiſtium, cum dixit; [vt Spartiatas lancea, vt Pelopidas humerus, ita magnum Themiſtium, erudita prodit facundia.]

Quæ ſit huiuſmodi genitiuorum ſignorum cauſa phyſica, obſcuriſſimum expoſitu eſt, víxque negari poteſt, crucem ea in re omnibus Philoſophis fixam eſſe. Quis enim percipiat, quomodò imaginatio materna, quæ eſt facultas immanenter tantum operatiua, pingat fœtum imagine eius rei in quam fuerit defixa? Et tamen frequentiſſimum eſt, vt matre leporem imaginante, fœtus edatur labello ſuperiore bifido. Mulier vrſinis vnguibus fœtum edidit, quia vrſus erat in aduerſo pariete depictus, quem inter concipiendum imaginata acriter erat. Alia ex obiectu imaginis Baptiſtæ, puellam prorſus hirſutam eſt enixa. Puellum geminâ facie Lutetiæ editum, eo quòd mater ſolita eſſet ſpeculum fractum omnia geminata repræſentans intueri, ſcribit Laurentius lib 1. de Cniat. ſtrum. cap.7. vbi multa alia in hanc rem profert. Nec deſunt ſimiles notæ in brutis. Scribunt enim Auicenna & Magnus Albertus, gallinam viſo accipitre, timore correptam inter incubandum ouis, excluſiſſe pullum facie accipitrinâ. Pauonem, ouis ſuis incubantem, pullos omnino albos edere, non gemmantis de more coloris, ſi linteis albis circumtegatur, experimento eſt compertiſſimum. Columbas pullos edere variegatos, obiectu tapetum varij coloris, ſcribit Oppianus l.1. Cyneget. v.350. vbi ſimilem modum ſtigmatizandi equos in materno vtero proponit; monſtrátque idem in hominibus accidere. Varios colores ouium Iacobi, hâc arte enatos, eſt longè verius. Quis ergo adeò miram, colorum, figurarum, formarum varietatem, ad meram matris imaginationem in fœtu tam frequentibus experimentis deprehenſam, ſatis explicet? Et adhuc ago de ſimplici affectu, & ad poſteros non tranſmiſſo.

Quantò verò eſt admirabilius, & humano ingenio propè imperuium, quomodò eadem nota quæ in vno ſoit exorta, tranſmittatur deinceps ad eius poſteros, id quod pleriſque exemplis teſtatum fecimus? Quod porrò longè auget admirationem, interdum notæ illæ in vno aliquo è poſteris euaneſcunt, tum in nepote reuiniſcunt. Vt Ariſtoteles 7. hiſtor. animal. cap. diſertè tradit. [Habentis inuſti puncti notam in brachio filius,

abſque

abſque ea notâ natus eſt. Ex eo verò nepos, eodem in loco brachij, nigritiem quandam confuſam retulit.] Appendo etiam Plutarchi verba lib. de ſerâ num. vindictâ. [Quemadmodùm progenitorum acrochordones ac lenticulæ, quandoque in filiis haud apparent, attamen in nepotum corporibus inde erumpunt; (Nam & mulier quædam Græca cum nigrum enixa eſſet infantem, ob idque adulterij damnata, progenies Æthiopis quarta inuenta eſt. In corporibus quoque liberorum Pithonis Niſibenſis qui nuper vita functus eſt, haſtæ figura ſignum Spartanis conueniens, poſt tanti reuolutionem temporis, tanquam ex altiſſima generis emicuit ſimilitudine;) ita plerumque mores animæque paſſiones, quas priores celabant & occultabant generationes, natura longo poſt tempore producit.] Apud Plinium l. 7. cap. 11. & 12. ſunt in hanc rem nonnulla exempla. De Dacis enim dicitur. [Quarto partu, Dacorum originis nota, in brachio redditur.] Et de Lepidis. [In Lepidorum gente, tres intermiſſo ordine, obducta membrana oculo, genitos accipimus.]

His genitiuis notis, ſiue ſingularibus, id eſt non gentilitiis, ac familiæ perpetuis, & hæreditate quaſi tranſcriptis, ſiue genti vniuerſæ communibus, efficacitas aliqua ad certos effectus quandoque nexa; variis experimentis eſt deprehenſa. [Noui hominem probum & in magna dignitate conſtitutum, qui natus cũ angue, (id eſt anguis effigie,) in humero, omnes à ſerpentibus demorſos, vel ſaliua tantùm, ſanitati reſtituit.] Verba ſunt Ananiæ l. 4. de natur. dæmonum c. 11. In corpore ſeptimi maſculi, nulla per exortum fœminæ interceſſione, à partibus aliis maſculinis euulſi, caracteſignum Lilij experimenta docent. & nuperum Leodienſe exemplum confirmat. Ferunt verò, addi ei ſigno efficacitatem curandi ſtrumas per ſepiſmi illius maris contactum.

Hinc exorta eſt ambiguitas, circa ſtigmata aliquorum qui ſe de genere S. Pauli, vel S. Catharinæ profitentur; habentes illi quidem, ſerpentem impreſſum in corpore ſuo; hi autem figuram rotæ, quas notas affirmant eſſe genitiuas. Et priori quidem notæ, adiunctam eſſe dicunt vim inhibitiuam veneni, à ſerpentibus tamerſi contrectatis, immittendi. Rotæ autem, adiunctam volunt vim attrectandi impunè carbones, & immittendi manus in feruentis aquæ aut olei dolium, vel etiam ſubeundi fornacem ſuccenſam, citra vllum damnum. Qui ita præſtant, alicubi vocantur *Salutatores*. Apud Belgas dicuntur *filij feria ſexta in Paraſceue*: ſed nomen vulgatius eſt *Gentilium S. Pauli, & S. Catharinæ*, quorum efficacitas ad varias curationes celebratur. Eius porrò efficacitatis quaſi teſſera, aut ſignaculum certum, eſſe videtur ſtigma illud quod in horum corpore ab ortu cernitur, vnde ab eis dicitur eſſe rota genitiua.

Video porrò ab iis quibus hoc Salutatorum genus probatur, & beneficiis quæ præſtant labe eximunt, vnam è duabus viis iniri. Quidam enim aiunt, eſſe gratiam gratis datam; qui idam conſequenter videntur debere dicere; de notâ ſeu ſtigmate in his perſonis apparente. Agnoſcunt eam gratiam gratis datam, Nauarrus in ſumma c. 11. nu. 36. Palius in ſumma V. *incantationes*. Azor. t. 1. l. 9. c. 25. q. 2. Sanches lib. 2. in Decalog. c. 40. num. 49. Delrio 1. Mag. cap. 3. quæſt. 4. Zacutus Luſitanus l. 1. de Medicorum Principum hiſtoria quæſt. 53. conferens hanc gratiam gratis datam cum ea quâ Reges Galliæ ſolo contactu curant ſtrumas; & negans attendendum eſſe, cuiuſmodi ſit vita Salutatorum. Nam etiamſi ſint peſſimæ vitæ, poſſunt tamen potiri gratuito hoc munere: non ad ſanctificationem propriam, ſed ad aliorum vtilitatem conceſſo. Alij quibus Salutatorum geſta probantur, non putant vim quâ perficiuntur, eſſe gratiam gratis datam: ſed aiunt eſſe naturalem proprietatem indiuidualem aliquorum hominum: quæ eſt ſententia Pomponatij in Opere de Incantationibus cap. 4. Ait enim ſicut in herbis, lapidibus, & animantibus, inueniuntur variæ virtutes, quibus morbi depelluntur, & varia beneficia homini præſtantur; ita nihil repugnare, quominus in humana ſpecie alicubi inueniantur tales vires & efficacitates per inferiores creaturas à natura diſperſæ. [Cùm enim homo ſit omnia per participationem tam ſuperiorum quàm inferiorum; non inconuenit aliquem reperiri ſimilem animali habenti talem proprietatem? alterum verò tali herbæ, habenti aliam. Alium alteri lapidi, in aliâ proprietate. Hoc enim apparet manifeſtum in moribus animalium. Aliqui enim ſicut Dij vt heroës & ſancti viri: aliqui vt leones, aliqui vt lupi, vt ſerpentes, & ſic de cæteris. Quare nihil vetat, etiam in proprietatibus aſſimilari.] Exſcripſi Pomponatium, qui ſubdit varia exempla proprietatum occultarum, quæ in quibuſdam hominibus ſunt deprehenſæ, ex fide probatiſſimorum Scriptorum, ac nominatim D. Auguſtini lib. 14. de Ciuit. cap. 24. Sic exponit Pomponatius, quod à Plutarcho in Catone Vticenſi, ſcribitur de Pſyllis: & quod de Marſis iactatur tanquam donatis gratiâ S. Pauli, cùm tamen iudice Pomponatio cui præiuit Agellius lib. 16. cap. 11. & adhæſit Matthiolus 6. in Dioſcor. cap. 40. ſit naturalis proprietas indiuidualis. Id quod etiam affirmat de Regibus Gallorum, curantibus ſtrumas. Similiter ergo Salutatores, dici poſſunt naturali proprietate indiuiduali, præſtare ſanationes & alia opera ob quæ celebrantur. Et ita habet Zacutus lib. 3. de Medicorum Principum hiſtoriâ quæſt. 31. ad 5. quamvis alibi (vt vidimus,) ad donum gratuitum, hos Salutatorum effectus referat.

Verùm non pauci graues ſcriptores, planè in contrarium abierunt: & quæ de Salutatoribus dicuntur, neque ad gratiam gratis datam referri patitur, neque ad proprietatem naturalem indiuidualem, ſed eos habent pro impoſtoribus: quos aiunt, ſibi artificioſè imprimere, ſiue rotæ, ſiue ſerpentis figuras, eaſque pro notis genitiuis obtrudere. Effectus autem ſi quos præſtant, beneficio actionum naturalium, aut Satanæ edere. Ita Leonardus Vairus l. 2. de faſcino cap. 11. Ancoranus lib. 5. diſcurſu 1. num. 11. Andreas Laurentius l. 1. de ſtrumis cap. 4. Ciruelus in Opere de ſuperſtitione 3. p. cap. 7. Thomas Fien. de viribus imaginat. quæſt. 24. Mercado t. 1. lib. 2. claſſe 3. quæſt. 16. art. 4. Gabriel Naudæus lib. 1. de ſtudio militari *pagina mihi* 406. quibus ratio videtur ſuffragari. Neutrum enim ex capitibus propoſitis, ſufficiens videtur ad eximendos labe Salutatores. Vis enim quâ pollent, non poteſt referri ad gratiam gratis datam: non tam quia plerumque peſſimi ſunt; (id enim non obſtaret, cum gratiæ gratis datæ, etiam improbis tribuantur, vt patet ex Balaami & Caiphæ prophetiis;) quàm, quia hæc

vis dicitur hæreditaria, & adhærere verbis ac ſignis determinatis; inquinatúrque variis adiunctis ſuperſtitioſis aut impiis, latè recenſitis à Delrio t. Magic. c.3. q.4. Vt quod dicunt, ad huius virtutis vſum, exigi nimium vini potum: & quod vnum Saluatorem alteri perſpectum eſſe contendunt, etiamſi nunquam mutuò viderint: & quod rabidorum canum morſu vexatos, ne aliis noceant halitu ſuo interimunt; nec non quod dicunt, eam vim transfundi ab vno ad alium, per ſolam generationem ex tali familiâ; cùm tamen gratiæ gratis datæ ſint perſonales, nec conſequantur generationem. Fruſtra autem in contrarium obtenditur, exemplum Regum Gallorum. Neque autem familiæ, vel etiam perſonæ fauor eſt, curatio ſtrumarum, ſed Regij muneris; quod qui legitimè init, donatur diuinitùs ea curandi poteſtate, quæ in illis Regibus eſt verè gratia gratis data, vt omnibus aliis dicendi modis excuſſis, meritò concludit Andreas Laurentius l. 1. de ſtrumarum curatione c.10.

Non poteſt item vis quâ pollent Saluatores, referri ad proprietatem indiuidualem; quia ea proprietas non poſſet oriri niſi ex tali temperamento. Atqui nullum eſt temperamentum hominis, quod queat illum in igne indemnem ſeruare, id quod iſti Saluatores iactant ſibi contingere. Enecandus enim eſſet homo præ frigore, ſi in talem humorum complexionem incideret. Nullum item humanum temperamentum, poteſt eſſe accommodatum ad graues ægritudines ſolo contactu depellendas. Ad id quippè exigitur immutatio temperiei læſæ, quæ lentam actiuorum idoneorum in huiuſmodi paſſiuis operationem depoſcit. Accedit, quod paſſim ab iſtis admiſcentur nonnulla, quæ ſatis monſtrant, effectum non oriri à cauſâ merè naturali, vt videre eſt in curatione vulnerum, Ipris diſcuſſa à Petro Simonis Antiſtite, quem illam improbaſſe vt ſuperſtitioſam, ſcribit Delrio l. 3. Magic. parte 2. q.4. ſect.7. Adhibebatur enim certa formula, facta verbis conſecrationis. Aiunt præterea hi Saluatores, inhiberi vim ſuam, ſi eius adſit Saluator, habens vim ſanandi maiorem: quod liquet non cohærere cum vi naturali ad ſanandum, quæ potiùs eſſet roboranda per acceſſum potentioris cauſæ. Quare exempla quæ ad ſpecialem aliquorum hominum proprietatem indiuidualem ad miros effectus præſtandos, præſertim ſanationum, à Pomponatio addenſantur; vel fabuloſa ſunt, vel Magica, vt Andreas Laurentius capite illo 4. contendit. Ridiculè autem Zacutus dicta q.53. inter *magnos autores quibus fidem abrogaſſe, piaculum prope eſſe dicit*, numerat Pomponatium in Opere de Incantationibus, exempla illa recenſentem. Quanti enim eſſe debeat in illo Opere Pomponatius, monſtrare memini in Natur. Theol. diſt. 3. num. 139. & addenda ſunt quæ habet Mirandul. l. 29. enerſ. ſingul. certam. ſect.6. Nam quæ ibi dicuntur ſpectare ad illud Pomponatij opus; liquet ex ſect.4.

Eſt tertia quædam ſententia, cuius autores in hoc negotio ancipites hærent; ac etiam ſi agatur de agyrtis & circulatoribus vitæ deprauatæ, aut admodùm dubiæ, (cuiuſmodi ferè ſunt qui de S. Pauli aut S. Catharinæ genere gloriantur,) tamen non cenſent eos prorſus improbandos. Itaque hærent ambigui. Eſt in hoc ordine Victoria in Relectione de Magiâ num. 16. & Suares lib. de ſuperſtit. cap. 15. num.25. ac Torreblanca lib. 2. Dæmonologiæ cap.49. à num. 35. Veracruz l. 2. de Anima ſpeculat.2. & alij: qui *Saluatores* vel *Enſalmadores*, hodiéque certis in oris vigentes, tametſi habent valdè ſuſpectos, & velint attentiſſimè ac diligentiſſimè caueri, tamen non audent improbare; præſertim cùm (vt referunt,) tolerentur ab Eccleſiâ, & paſſim munus ſuum obire ſinantur.

Hæc ſententia, ſi de iure (vt ſic dicam,) ſit ſermo, eſt veriſimillima. Nihil quippè proferri poteſt, quod ſuadeat non potuiſſe Deum hanc facultatem concedere Saluatoribus, tanquam gratiam gratis datam, quam ad poſteros quoque eorum, transfuſam velit, eo ipſo duntaxat, quod è tali genere ſunt oriūdi. Nam tametſi peſſimi ſunt, tamen gratia gratis data cadit in peccatores, vt patet de Balaami prophetiâ. Et quamuis non ſit in poteſtate recipientis, eam liberè transferre in alium; tamen liberum ſemper eſt Deo, illam conferre cui viſum fuerit; atque adeò poſteris primi recipientis, eo ipſo tantùm, quod genus ex illo ducunt. Itaque ne vmbra quidem repugnantiæ cerni poteſt, quâ negare liceat, potuiſſe iſtis agyrtis obtingere hoc munus. Neque in hoc ſenſu, autores ſecundæ ſententiæ refragantur.

Agendo tamen de facto, aliter videtur ſtatuendum. Nimirum quosd ſimplices alioquos aut probos, præſertim quibus nil minùs cogitantibus ſtigma obtigit, quod ſolet teſſera cenſeri diuinæ illius beneficentiæ de quâ agimus; itémque à quibus ſic conſignatis, vel etiam citra omnem externam conſignationem, contigerit edi effectus inſolitos de quibus eſt ſermo; Quoad tales inquam, fatendum eſt, piè credi ſortitos eſſe à Deo gratiam iſtam gratis datam, nec fore prudentis omnia quæ de beneficiis ſanationum ac ſimilium honorum per eos collatis vulgabuntur, prorſus ebiicere, cum nullæ occurrent circumſtantiæ iudicium iſtud immutantes; ſicut interdum non occurrunt. V. G. quoad illum quem ex Anania ſupra retulimus. Idem dixerim de ſeptimo maſculo, nullâ per fœmellas ſorores interruptione, procreato ex legitimis nuptiis. Quamuis enim id eſſe ridiculum dicat Delrio 1. Mag. cap. 3. quæſt.4. concluſ.3. & videatur annuere Sanchez lib. 2. in Decalog. c.40. n.47. tamen experimenta indubitata nec infrequentia, id aſtruunt, in adiunctis quæ excludunt omnem prudentem occaſionem, reuocandi ſine ſtigma ſiue effectus inſolitos, ad cauſam dæmoniacam. Eiuſmodi maſculos, vim ſanandi ſtrumas habere, ſcribit Renatus Benedictus tanquam rem teſtatiſſimam, adhibitis quibuſdam adiunctis de quibus idem Author in S. Marculphi vitâ. Et annuit Ioannes Roberti 2. p. Notarum ad Acta S. Huberti c.10. num.9. nullâ tamen apud alterutrum factâ mentione ſtigmatis.

At ſi ſermo ſit de vulgaribus illis iactatoribus generis S. Pauli, vel S. Catharinæ, ſtatuendum eſt, tametſi metaphyſicè verum eſſe poſſet, quod afferunt de ſuo ſtigmate & illi adjunctâ efficacitate; tamen moraliter rem attendendo, prudenter fieri, cum explodunt vt impoſtores, & ſtigma eorum arte humanâ inductum aſſeritur: quæ cauſa fuit, cur hoc caput inſcripſerim de ſtigmatis planorum & impoſtorum. Reipſa enim aliquando deprehenſum eſt, huiuſmodi ſtigmata eſſe humano artificio inducta, vt notaui in Natur. Theologiâ diſt.4. num.317. poſt Vairum lib. 2.

de

de faſcino c. 11. & idem habet Andreas Laurentius lib. 1. de ſtrumis cap. 4. Qui rectè obſeruant, qui ea eis ſerpentes contrectant, non priùs id facere, quàm alexiteriis ſe præmuniuerint, & aliquos priùs dentes ſerpentum euellere. Quid quod interdum, vel quia iſta amuleta non præmiſerunt, vel quia non fuerunt ſatis efficacia, aut Deo iuſtè vlciſcente duplicitatem atque vafritiem, pereunt ea attrectatione venenatorum? Scribit ſanè Pomponatius l. de Incantat. cap. 4. quo anno ipſe opus illud exarabat, fuiſſe Mutinæ, ex circulatoribus ſerpentes contrectantibus, & genus S. Pauli iactantibus vnum, qui cum non ſecus ſerpentes manu prehendere ſoleret, quàm mulier ſoleat manibus captare pullos gallinaceos; tamen incidens in ſerpentem aſpectu horridum, vbi manus illi admouit, prout aliis ſolebat admouere, morſus à ſerpente eſt, & crudeliſſimo funeriu ſublatus è medio. Similiter alios qui prunas impunè contingunt, conſtat priùs manus, vel partem contingendam, ſucco quopiam frigidiſſimo illinere, putà, ſucco mucilaginoſo altheæ, portulacæ, maluæ, mercurialis. Ligni item, ouo candido perfuſi, reſtitiuam ignibus vim, celebrat Plinius lib. 29. cap. 3. atque adeò ſimiliter perfuſa manus, poterit ad tempus prunas innoxia attrectare. Ligna præterea alumine illita, perſtare ignibus indomabilia produnt, vt deprehenſum eſt in ignea turri, Archelao Mithridatis præfecto contra Syllam depugnante. Tali ergo quopiam malagmate, præmuniunt ſeſe huiuſmodi circulatores. Et tamen interdum, ſapientiâ vincente malitiam, & amuleto minùs efficaci adhibito, contingit vnum de his iactatis D. Catharinæ Gentilibus, flammis abſumi in furno concluſum quem imprudens ſubierat, vt Varius teſtatur l. illo 2. c. 18. Atqui ſemel mendax, ſemper præſumitur mendax. Prudenter igitur abrogatur fides huiuſmodi nugiuendis, quæſtum æſtimantibus pietatem, hoc eſt genus Sacrum, falsò iactatum. Prudenter item, ſtigma quod aliquando compertum eſt fuiſſe humano artificio veteratorio inductum, pronunciatur in iſtis tale eſſe. Et via quoad iſtos, occurrent vnquam circumſtantiæ quæ aliud ſuadeant. In moralibus autem, iudicium quod conformatur iis quæ ſemper aut ferè ſemper eueniunt, habetur pro moraliter vero ac prudenti. Iure igitur (vt præmiſi;) admiſi eſſe quædam artificialia planorum ſtigmata, quia & reipſa quædam deprehenſa ſunt talia, & quæ ab his circulatoribus oſtentantur, ſemper præſumi poſſunt eſſe eiuſdem rationis.

CAPVT V.

Stigmata lugubria.

QVæ dicam *ſtigmata lugubria*, intelligetur ex præcepto lato Leuit. 19. verſu 28. his verbis. *Super mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis: Ego dominus.* Simile mandatum ſic concipitur Deuter. 14. *Filij eſtote Domini Dei veſtri. Non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo, quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo, & te elegit vt ſis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ ſunt ſuper terram.*

Scopus Dei in horum ſtigmatum & inciſionum vetatione, non vno modo ab omnibus exponitur. Myſticum eſt, ſed à cortice literæ alienum, quod Radulphus Flauiacenſis his verbis tradit lib. 14. in Leuit. cap. 4. [Stigmata dicebantur, quædam ſigna quæ in manibus militum fiebant, vt de militia Imperatoris eſſe cognoſcerentur. Prohibet ergo ne huiuſmodi characteres facient ſibi, quibus humanam videantur profiteri ſubiectionem, qui diuinam profeſſi ſunt potiùs ſeruitutem. Nam etſi hominibus ſeruiunt electi, & ibi tamen Deum attendunt, iuxta illud Apoſtoli, *in hoc ipſo, Domino ſeruientes.* Vnde & idem nos admonet, dicens; *pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* Cur autem non debeant humanæ ſeruitutis teſtimonium ferre, reddit cauſam dicens, *Ego Dominus.* Ipſe namque verus Dominus eſt, de quo per Pſalmiſtam dicitur, *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipſe enim nobis ſubtractis, minor non eſt: Nobis verò ſine ipſo, benè eſſe non poteſt. Sicut ergo docemur in nouo Teſtamento, vt nec Magiſtrum, nec Patrem vocemus nobis ſuper terram, eo quod vnus ſit Magiſter noſter Chriſtus, vnus & Pater noſter qui in cœlis eſt; ſic & illi ſub lege adhuc poſiti, prohibentur alium dicere Dominum, præter Adonai ſuum.] Verè quidem iſta dicuntur, ſed non congruunt cum ſcopo Dei interdicentis impreſſione ſtigmatum ſuper mortuo; id eſt occaſione mortui. Nam in totâ vitâ noſtram, curandum eſt vt Deum ſolum habeamus Dominum, & illi ſoli ſeruiamus. Interdictum autem de quo agimus, ſpectat tempus funebre.

Propiùs ergo rem attigit Heſychius in c. 19. Leuit. cauſam diuini huius interdicti, repetens ab via Idololatrarum: quos ſpem non habentes, & in funeribus charorum in ſeipſos per deſperationem ſæuientes, nolebat Deus imitatione à ſuis exprimi. Sæuiſſe in ſua corpora Ethnicos in morte charorum, exempla monſtrant. [Barbarorum nonnulli, (inquit Plutarchus in Conſol. Apollon.) corporis partes abſcindunt, nares ſcilicet & aures, reliquum quoque corpus plectentes,] id eſt incidentes & compungentes. Scythas Regibus ſuis parentantes, aurem ſibi abſcidiſſe, brachia circumciſiſſe, ſiniſtram manum ſagittis traiecisse, affirmat lib. 4. Herodotus. Eſt qui genuum quoque cruentationem, in eo euentu factam prodat, allegato Luciano in libro de luctu, atque Plutarcho in Conſolat. ad Apollonium; à quibus tradi ait, Græcos in funeribus mulctam corpori ſuo inferentes, eam vel maximè genibus infligere ſolitos; eo quod eam corporis partem veteres religiosè obſeruarent; & in ea miſerationis & condolentiæ ſedem locarent, vt docet in Plautum Lambinus. Trahunt verò ad hunc ſenſum, illud Prouerb. 26. v. 6. *Claudus pedibus & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium ſtultum.* Ex Hebræo illud *Claudus pedibus*, vertitur à nonnullis quos approbant Caietanus & Ianſenius, *incidens pedes*, quod in grauibus quibuſuis infortuniis, ſed maximè in luctu charorum, factum volunt, inciſis nominatim & cruentatis genibus, Luciano & Plutarcho authoribus. Apud Lucianum tamen *genarum* non *genuum* cruentatio, in luctu charorum frequentata memoratur. Neque apud Plutarchum loco qui profertur, plus occurrit quod ad rem faciat. Itaque genuum perfoſſionem aut cruentationem, in luctu, vnde ſigillatim confirmem, non habeo, tametſi ſolitos Ethnicos ſe incidere, & ſtigmatis corpora in luctu fœdare, ſit

extra dubium. Nam præ impatientiâ, homines ſpem non habentes, in eam erga ſeipſos crudelitatem ferebantur: idque in honorem defunctorum ab aliquibus nimiùm mœrentibus factum, author eſt Theodoretus q. 28. in Leuit. Et hoc fuiſſe in causâ, cur Deus vetuerit populo ſuo. ſtigmata & concisiones in luctu, pronunciat Heſychius. Quanquam Hieremiæ 16. non obſcurè inſinuatur, Hebræos in vetitum ſemper nitentes, & conſuetudine cum Gentilibus corruptos, vſurpaſſe in luctu de morte charorum, incisionem. Ait enim Hieremias. *Morientur grandes & parui in terrâ iſtâ; non ſepelientur, neque plangentur; & non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.* Quibus verbis, videtur alludi ad vſum peruerſum lugendi mortuos eo tempore vſurpatum. ſaltem à quibuſdam; (tametſi vetante Deo,) ſoperuacuum pro defunctis ſuis luctum, eâ carnis conciſione & ſtigmatizatione teſtantibus.

Potentius quippiam in eâ ſtigmatum lugubrium impreſſione, ſubolfecit Gulielmus Pariſ. l. de legibus c. 14. incidens enim in propoſitum Leuitici locum, ait [Nec in comâ, nec in barbâ, voluit apparere ſpeciem Idololatriæ. Illas enim (attonſiones comæ in rotundum, & barbæ raſuram,) faciebant Idololatræ, ſicut inciſiones ſuper mortuos, propter placandum Deum inferorum, & tunc erat Idololatria Vel vt vehementiam doloris de morte charorum ſuorum exprimerent, quod adhuc multi faciunt in morte charorum ſuorum, quod vtique eſt de reliquiis ſacrorum & Idololatriæ Plutonis. Stigmata verò & figuras, adhuc etiam Chriſtiani faciunt, & deferunt; & vocant eas *breuia*, & in propriis corporibus, & in chartis, & in rebus aliis, videlicet metallis: Quæ omnia aut Idololatria vna ſunt, aut Idololatriæ ſpecies, aut ipſius reliquiæ deteſtandæ, & Chriſtianæ Religioni aduerſæ.] Non video quàm aptè Gulielmus, quæ vulgo dicuntur *breuia*, affirmet eſſe ſtigmata, & figuras corpori inuſtas: cum reuera aliud non ſint, quàm philacteria appenſa homini. Quod tamen dixit Gulielmus, ſtigmata pro mortuis impreſſa; ſpectare placationem Dei Inferorum, agnoſcitur à Seruio ad illud tertij Æneidos.

Vnguibus ora ſoror, fœdans, & pectora pugnis.

Sic enim ibi ſcribit Seruius. [Varro dicit, mulieres in exequiis & luctu, ideò ſolitas ora lacerare, vt ſanguine oſtenſo Inferis ſatisfaciant.] Idque fortè eſt quod ait Theodoretus q. 28. in Leuit. [Quoſdam Græcos aliquas corporis partes perforaſſe, & nigro veſtitus eſſe ad reuerentiam Dæmonum.] Idem ergo erat conſilium compungentium aut concidentium vel ſtigmatis deformantium corpora ſua, in gratiam defuncti: qui erat ritus ſordens teterrimâ labe Idololatriæ, ac proinde meritò à Deo improbatur populo ſuo.

CAPVT VII.

Stigmata ſuperſtitioſa Iudæorum, Ethnicorum, Hæreticorum, Antichriſti.

QVæ proximè attigimus ſtigmata, iuxta non inuerisimilem Gulielmi Pariſienſis ſententiam, fuere ſuperſtitioſa, ſin minùs vniuerſaliter & vbiuis, at ſaltem apud aliquos. Nunc ſubdenda ſunt nonnulla, quæ indubitata & directè erant profeſſiones Idololatriæ; cuiuſmodi in vſu fuere apud Iudæos & Ethnicos, itémque nonnulla ſordentia ſuperſtitione apud falſi nominis Chriſtianos, ipſúmque eorum caput Antichriſtum.

Inter Iudæos ergo, quidam diſcolæ, hoc fœdo ſtigmatum genere notati leguntur. Audiendus Philo. lib. 1. de Monarch. *ſub finem.* [Non deſunt tamē quidam prolapſi eò inſaniæ, vt ne receptum quidam ad pœnitentiam ſibi reliquum faciant, ad cultum ſimulacrorum præcipites; confirmantes eam ſeruitutem literis, non in carthulâ ſcriptis, ſicut mos eſt mancipiorum, ſed inuſtis in corpus ferro ignito, ne deleri queant poſtea. Nam hæ non obſcurantur vllo tempore.] Sorduiſſe hac labe Iudæos in Idolorum ſtudio feruentiores, refert ex Iudæorum traditione Abulenſis in c. 19. Deuter. Dicunt enim habuiſſe laminam auream, Idoli cui addicti erant nomine inſcriptam, eámque candefactam, carni ſuæ impreſſiſſe, vt nomen Idoli profundè inſcriptum geſtarent. Nec dubium quin huc pertinerent illa de Ioachim, pronunciata 2. Paralip. 36. verſu 8. *Reliqua verborum Ioachim, & abominationum eius quas operatus eſt, & quæ inuenta ſunt in eo, continentur in libro Regum Iuda & Iſrael.*. Quid ſonet illud *quæ inuenta ſunt in eo*, accipe ex S. Hieronymo, in calce Traditionum in Paralipom. [Inter cætera mala quæ geſſit, etiam hoc fecit in corpore ſuo, quod Dominus prohibuit, dum diceret, *non tondebitis capita veſtra in rotundum, neque ſuper mortuum; neque ſtigmata facietis in corporibus veſtris*: quæ poſtquàm mortuus eſt, in corpore eius inuenta ſunt.] Subſcribunt Comeſtor in hiſtor. Scholaſt. 4. Reg. 39. & Lyranus 2. Paral. 36. nec abhorret Abulenſis 4. Reg. 15. q. 59. Continebant hæc ſtigmata, expreſſiſſimam Idololatriæ profeſſionem, vt benè declarat in hunc modum Gulielmus Pariſ. libro de legibus monſtrans diuini edicti aduerſùs hæc ſtigmata Iudæis propoſiti ſanctitatem. [Contra ſtigmata & impreſſiones, euidenter dici poſſunt quæ contra characteres & figuras diximus; quia & ipſa expreſsè vergunt ad Idololatriam. Iſta enim in propriis corporibus & membris faciebant Idololatræ, propter quod euidenter cultores eius Idololatriæ ad quam inſignia illa pertinebant, eo ipſo ſe profitebantur: quemadmodùm equi, certo inſignio cognoſcuntur eſſe Hungari ſiue Hungarici: & falſarij deprehenſi atque puniti, eo ſigno apparent eſſe falſarij, videlicet impreſſione Apoſtolicæ bullæ. Sic Diabolicorum illorum characterum & ſigillorum impreſſionibus, conſignatos ſe cultui Diabolico, atque addictos oſtendebant. Sicut Iudæi ſignaculo circumciſionis, pacto Abrahæ, & legi Moſaïcæ aſtrictos ſe confitentur: & ſuſcipiendo huiuſmodi ſignaculum, ad ea ſe obligant obſeruanda. Non igitur eſt mirum, ſi huiuſmodi Dæmoniorum cultores, ab ipſis per iſtas execrationes iuuamen obtinebant, videlicet quod & ipſi Dæmones poterant naturali virtute ſuâ & permittebatur iuſtiſſimâ Dei altiſſimi voluntate. Ex his igitur omnibus apparet iuſtitia diuinæ legis, quæ iſta omnia nefaria prohibuit, vtpotè & humani generis pollutiones abominabiliſſimas, & Creatoris intolerabiles iniurias. Quemadmodùm enim Chriſtiano nefas eſt circumcidi; ſic ei huiuſmodi ſtigmatibus incidi & characteribus imprimi, & multò amplius: videlicet, quantò execratio idololatriæ deteſtabilior eſt quàm ritus Iudaicus.] Itaque Iudæi illi qui huiuſmodi ſtigmatibus

corpora

corpora ſua dehoneſtabant, deficiebant à vero Deo, vertebantúrque in Idololatras. Quales etiam illi euaſerant qui 3. Reg. 18 Baali ſacrificantes, *incidebant ſe iuxta ritum ſuum, cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.*

Aliud genus ſtigmatis ſuperſtitioſi in Iudæis exlegibus, conſideraunt varij Patres, expendentes quædam Scripturæ loca, in quibus fit mentio inaurium improbatarum. Petrus quidem Nannius in Expoſitionem Exodi per B. Ambroſium ad Romulum, faſſus ſibi ſæpè difficile fuiſſe intelligere, quomodò inaures ad cultum Idololatriæ pertinere dicerentur; ſubdit Andream Balænum Hebræum, hærenti in ea difficultate reſpondiſſe, Inaures in Scripturis illas quibus ad Idololatriam pertinere ſignificantur, non eſſe vulgatas inaures: Sed aurium tegmina, quibus Sacerdotes Idolorum ſacrificando vtebantur, quales fuere apud Romanos infulæ. Verùm hæc expoſitio *inaurium*, inſolens nimium & violenta videtur. Itaque retinenda eſt ſimplex notio vocis; ſecundùm quam nihilominus *inaures* ad Idololatriam pertinere potuerunt: quatenus videlicet, inauribus inſcriptæ erant Idolorum figuræ, vel eorum nomina. Ideóque D. Auguſtinus Epiſtol. 73. inaures, vocat *ſigna Diaboli*. Reſpondens enim Poſſidio, qui eius ſententiam de huiuſmodi inauribus exquiſierat, ait. [Execranda ſuperſtitio ligaturarum (in quibus etiam inaures virorum, in ſummis ex vna parte auriculis ſuſpenſæ deputantur,) non ad placendum hominibus ſed ad ſeruiendum dæmonibus adhibetur.] Hæc continere ſocietatem cum dæmoniis, vetitam 1. Cor. 10. & 2. Cor. 6. addit conſequenter, & concludit [Quid autem cum eis agendum ſit ſi ſoluere inaures timent, & corpus Chriſti cum ſigno Diaboli accipere non timent?] Q. d. ſunt planè perditi. Vocat ergo maiores illas *ſignum Diaboli*, & quia ei factæ, & quia eius nomine aut effigie inſcriptæ erant. Attigit hunc ſenſum inaurium illarum idem D. Auguſtinus q. 111. in Geneſ. expendens illud Geneſis 35. *dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum.* [Quæritur (ait D. Auguſtinus,) quare & inaures dederint, quæ ſi ornamenta erant, ad Idololatriam non pertinebant, niſi quia intelligendum eſt phylacteria fuiſſe Deorum alienum. Nam Rebeccam à ſeruo Abrahæ inaures accepiſſe, Scriptura teſtatur: quod non fieret, ſi eis inaures habere, ornamenti gratiâ non liceret. Ergò illæ inaures quæ cum Idolis datæ ſunt, (vt dictum eſt,) Idolorum phylacteria fuerunt. Hoc eſt, erant periapta, conſignata notis Idolorum. Idipſum coniectat S. Chryſoſtomus homil. 35. in Geneſ. & Lyranus, paſſimque Interpretes ad caput citatum Geneſeos. Sanè Gentiles, in annulis, & ad pectus in bullis, conſignata geſtabant Idolorum nomina: hoc enim eſt peccatum (Ideſt Idolum,) Iudæ ſcriptum ſtylo ferreo in vngue adamantino, (ideſt in gemmâ annulo incluſâ.) Hæc item ſunt adulteria, (ideſt Idololatriæ,) in medio vberum, appenſa ſcilicet per modum bullarum ad pectus pendentium in quibus Idola erant cælata, eorúmve nomina, aut ſymbola Nihil igitur mirum eſt, quod inauribus quoque inſculperent imagines idolorum, eorúmve nomina. Inaures autem, cum eis pertunduntur aures, ſtigma imprimunt. Atque ita habemus alterum ſtigma, inter Hebræos dyſcolas vſu peruerſo receptum, & pertinens ad Idololatriam.

Obſeruant etiam aliqui Doctores aliud genus ſtigmatis ſuperſtitioſi ſaltem latè dicti apud Hebræos, ad ementiendam Prophetæ alicuius familiaritatem cum Deo. Eiuſmodi ſtigmata à Pſeudoprophetis ad aucupandum Prophetarum nomen ſibi ipſis vel per charos ſuos inuri ſolita ſcribit Franc. Georgius Tom. 2. ſect. 7. problem. quæſt. 427. adducens Zachariam c. 13. apud quem exagitari hanc ſtigmatizationem arbitratur verbis illis quæ ad Pſeudoprophetam dirigi putat, *Et dicē: ei quæ ſunt iſtæ plagæ in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Arriſit hæc loci Zachariæ expoſitio Ariæ Montano, qui varia commenta ſpecie ſanctitatis ab hypocritis pſeudoprophetis excogitata recenſens, ait, inter ea, etiam eſſe quaſdam in corporis membris inſignitas notas ſiue plagis & vlceribus vltrò factas, ſiue igne, ferro, aliòve inſtrumento inuſtas atque impreſſas, quæ pro diuini colloquij & conſuetudinis veſtigiis iactabantur: quem morem antiquum fuiſſe, diuina lex vetando manifeſtat, dicens Leuit. 21. *Neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.* Hodiéque etiam apud Iſmaëlitas, nonnulli barbaris notis compuncta membra, aut impreſſa ſigilla, vel facti vltro vulneris cicatrices, certa figura, in familiaris cum Deo colloquij, vel ſingularis amicitiæ argumentum, vulgo harum rerum admiratori oſtendunt. Hæc igitur confictæ ſanctimoniæ ementita ſimolachra, per lucem Euangelicam diſſipanda. Zacharias iuxta authores allegatos prænunciat. Nec multum abeſt eiuſdem loci expoſitio à Hieronymo, Cyrillo, Theodoreto, Lyrano, ac Hebraizantibus tradita de clauifixione Pſeudoprophetæ per ſuos cognatos ac neceſſarios. Verius tamen videtur, plagas illas medio manuum, non ad pſeudoprophetæ ſtigmata vel clauifixionem pertinere; quamvis textura contextus Zachariæ id ferre videatur vt Caſtro contendit & Ribera agnoſcit, eam interpretationem eſſe probabilem admittens; ſed omnino pertinere ad Chriſtum, de quo ante interpoſitam de Pſeudopropheta per Chriſtum eliminando parentheſim, ſermo præceſſerat initio capitis; quod Rupertus rectè aſſerit, & Galat. lib. 8. c. 17. nec non Cornelius & Ribera. Sanè quæ immediatè poſt conſequuntur, de viro cohærente Domino exercituum, & paſtore percutiendo, ouibuſque eo percuſſo diſpergendis, apertè ad Chriſtum pertinent, vt liquet ex Matth. 26. Quanquam autem hæc ita ſe habeant, tamen ex conſenſione tot Patrum atque Doctorum qui locum Zachariæ de ſtigmatis Pſeudoprophetæ ſanctitatem cum Deo ementientis acceperunt, perſpicuum eſt quod ſtatuebamus, de his ſpecie religionis impreſſis peruerſè ſtigmatibus ad populi Iudificationem.

Inter Ethnicos, ſtigmata ſuperſtitioſa fuere omnino multa. Nec tamen inter ea recenſere placet, turpem exſectionem, & euirationem obſcœnorum Sacerdotum, in quam latè cōclamat S. Auguſtinus l. 7. Ciuit. c. 26. & multi adducti lib. 4. de virtut. à num. 287. & in Opere de Eunuchiſmo. cap. 5. §. 1. Sed dimiſſâ ea fœdâ vexatione humani corporis, fuerunt aliquæ præterea per eoſdem magnæ Matris miniſtros exſectiones, ſeu potiùs perfoſſiones, ac ſtigmatiſmi membrorum, in honorem eiuſdem falſi numinis, de quibus ſunt illa Naſonis.

Attonitúſque ſecat, vt quos Cybeleia mater,
Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos.

Idem de iiſdem Sacrificulis.

Cadunt ſaltatis vilia membra modis.

Horum Gallorum inciſiones in cubitis, Lucianus

deſcribit l. de Syriâ Deâ. Huc pertinent inciſiones illæ, quarum meminit S. Cyprianus carmine in Senatorem Apoſtatam, qui Magnam matrem colebat.

Mente fremunt, lacerant corpus, funduntq; cruorē:
Quale ſacrum eſt verò, quo fertur nomine ſanguis?

Nec mitior in ſibi addictos Bellona Dea, cui tiro cruento ac diro, mulieres ipſæ Sacrificantes, hâc ſe perfoſſione notabant, vt docent illa Tibulli lib. 1. eleg. 7.

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inepta Deum.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus,
Et canit euentus quos Dea magna monet.

Hoc eſt præter cætera, cur Flaccus l. 2. Satyra 3. dixit,

——— —*Gaudet Bellona cruentis.*

Lactantius has in ſacris Bellonæ, perfoſſiones membrorum, non omiſit, ita ſcribens l. 1. Inſtitut. c. 21. [Sunt publica ſacra virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipſi Sacerdotes, non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & vtrâque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt, efferantur, inſaniunt.] Peculiare quiddam notat de his ſacris Tertulianus cap. 9. Apolog. dicens. [Hodie iſthic (Romæ,) Bellonæ ſacratus ſanguis, de femore proſciſſo in palmulam exceptus, ſuis datur ſignatis.] Zephyrus ibi in paraphraſi, ait, *Bellonarios*, (ſic enim nominantur ab Vlpiano l. 7. ff. de Offic. Proconſ.) eum ritum proliciendi ſibi è femore ſanguinem, adhibuiſſe in ſuorum lancinatorum & ſtigmaticorum initiatione. Quod & propoſitis Tertulliani verbis inſinuatur, & illis Minutij. [Hodie ab ipſis, Latiaris Iupiter homicidio colitur, &c. Ipſum credo docuiſſe, ſanguinis fœdere coniurare Catilinam, & Bellonem ſacrum ſuum hauſtu humani cruoris.

Dianæ addictos, eadem ſibi ſtigmata impreſſiſſe, author eſt Athenagoras in legat. pro Chriſt. n. 33. Tametſi enim tantùm ait, eos ipſa hominum corpora in Dianæ honorem vulnerare ac incidere; tamen mox addit, alicubi eiuſdem Deæ Sacerdotes litare illi aliorum ſanguine. Priora ergo verba, cadunt in ipſos Sacerdotes, ſuimet inciſione ac vulneratione litantes. Subiungit etiam alios fuiſſe, qui culteris & flagellis nodatis ſeipſos compungerent ac ſtigmatizarent.

Erant Syri omnes, addicti Impensè Deæ Syriæ Atergatim Reginam eo nomine deſignatam, à Græcis *Decretum* dictam, proditum eſt. Non pauca de ea ſunt apud Athenæum lib. 8. Scripſit de eius cultu & honoribus, librum Lucianus, & ipſe Syrus, in cuius propè fine, ſic habet, de addictis illi Deæ. [Certis notis compunguntur omnes, alij quidem in volâ manus, alij autem in ceruice. Et inde eſt, quod cuncti Aſſyrij notas inuſtas habent.] Nempe quia omnes, ſunt illi ſuæ Deæ addictiſſimi. Erant ergo ſtigmata ſuperſtitioſa.

Mithriaci in ſuâ initiatione ſignabantur, excipientes *καυτῆρι τὰς μ ςιγὰς*, vt loquitur Nazianzenus orat. 1. in Iul. num. 29. Signatos fuiſſe in fronte, habet Tertullianus l. de præſcr. cap. 40. & ſuperfuiſſe cùm ea ſcriberet, qui ita initiarentur, monſtrant ea verba, [Et ſic adhuc initiat Mithræ. Signat illic in frontibus milites ſuos.]

Quod Apoſtolus Rom. 1. reprehendit Ethnicos qui euanuerant in cogitationibus ſuis, vndè à Deo punitos ſubdit, & traditos in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua; Primaſius ibi ita gloſſat, vt contumeliis affecerint corpora; [Dum ſibi characteres & vſtiones infligunt, in conſecrationibus Idolorum.] Hoc non eſt ad mentem Apoſtoli; qui clarè agit de contumeliis per fœdationes libidinum horrendarum. Quod tamen ait Primaſius, de vſtionibus in cōſecratione alicuius in Sacerdotem Idolorum, veriſſimum eſt: & optimè illuſtratur ex Prudentio, hymno de S. Romano, illis ſub finem verſibus.

Quid cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint,
Quamcumque partem corporis, feruens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant
Functum deinde quum relinquit ſpiritus,
Et ad ſepulchrum pompa fertur funeris:
Partes per ipſas imprimuntur bracteæ,
Inſignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo, quod peruſtum eſt ignibus.

Sic de Ethnico illo ritu, Prudentius: quem tamen non aduerto, dicere quod ei tribuit Georgius Fabricius in Commentario ad Poëtas Chriſtianos V. *Nota*. Nimirum quod huiuſmodi membra ſtigmatis notata, poſt mortem non vnà cum reliquo cadauere ſepelirentur; ſed amputata, haberentur pro ſacris; eàque aut ornarentur bracteis aureis, aut tota includerentur vitris & metallis. Vnde idem Sectarius, cenſet eum morem peruaſiſſe in Eccleſiam. vt digiti, brachia, articuli Sanctorum, includerentur vaſis, & oſculanda porrigerentur, aut proponerentur ſpectanda. Nugæ meræ. Eccleſia pium & ſanctum vſum ſacras reliquias venerandi & exornandi, non hauſit ex Gentilium profanis ritibus: ſed agnoſcens hæc corpora fuiſſe receptacula animæ iam ſanctæ, & fuiſſe Spiritus Sancti animam inhabitantis organa, ad eximias & operationes & perpeſſiones; cultum illis ac venerationem; vt ſacris pignoribus exhibet, vt optimè aduersùs Vigilantium docuit S. Hieronymus, & diſcipuli S. Polycarpi apud Euſebium 4. hiſtor. c. 15. Quod ſi idipſum prælucente Spiritu Sancto facit Eccleſia, quod Ethnici, ex mero naturæ lumine, ſupponentes corpora Diis ſuis conſecrata, verè ſancta eſſe, præſtiterunt, reprehenſione profectò vacat: id quod in multis aliis, proportionaliter apud nos & apud Ethnicos vſurpatis, æquè locum habet. Sed de his alibi. Non ergo ait Prudentius, (vt præmittebam.) membra ſtigmate notata, fuiſſe reſecta à reliquo corpore, ſicut affirmat Fabricius eum proximè recitatis verſibus dicere: id inquam Prudentius non dicit, neque doces ea membra fuiſſe ab Ethnicis aſſeruata, vti nos Sacras reliquias aſſeruamus: ſed tantùm ait, inter efferendum funus, honeſtata ad modum prædictum fuiſſe membra ſtigmata notata, ſiue conſepultis, ſiue poſt funeris pompam detractis ante illationem in tumulum, huiuſmodi ornamentis.

Mexicani Aſcetæ, vt ſcribit Ioſephus à Coſta l. 5. hiſtor. Indicæ c. 16. & 17. mediâ nocte ſurgebant, & thus numini falſo adolebant: ſum arreptis ſubulis, aut lanceolis, vel nouaculis, pulpam tibiarum pertundebant, prolicientes plurimum ſanguinem; quo cruentati abluebantur, in lacu cui nomen *Ezapanguè*, ideſt *aqua ſanguinea*. Subulæ verò quas iteratò ad eum vſum adhibere nefas erat, aſſeruabantur, & oſtentabantur magno numero, ad ludificandum ea ſpecie populum.

Philopator, deſertores legis Iudæos, inuri per ignem mandauit, initians Libero Patri, per candens hederæ folium analogum, è ferro aliòve metallo confectum.

confectum. Ita refertur in Apocriph.l.3.Machab. cap.

Subtexẽdi ſunt Ethnicis & Iudæis, Turcæ & Saraceni: quod quanquam vnum Deum videntur colere, quo ipſo ad Iudæos accedunt, tamen & primâ origine Ethnici ſunt, vt S. Hieronymus docet; & miaturas habent ex Ethniciſmo nõ paucas, vitámque viuunt prorſus Ethnicam, & iis qui Deum nõ nouerunt, congruentem. Saraceni ergo, ſiue Turcæ eorum ſucceſſores, varia ſtigmata ſuperſtitioſa frequentarunt. Turcas à Coſroë Perſa miſſos Conſtantinopolim refert Nicephorus lib.18. c. 20. & Theophylactus Semocatta lib.5. hiſtor. cap. 14. ſtigmaticos liquato atramento cruces infantibus impreſſas prætuliſſe: cauſámque rogatos cur ſignum quod non colerent, fronte præferrent, reſpondiſſe, edoctos ſe à quibuſdam Chriſtianis ad peſtẽ auertendam, huiuſmodi ſtigma ſibi inuſſiſſe proſpero euentu. Sed quia non religioſo affectu id ſtigma præferebant, ſed tanquam Magicum peſtis amuletum, eos hoc loco adduco. Apertiùs ſuperſtitioſa adiungo. Georgius Vvernerus in hyponemmatico de admirandis Hungariæ aquis, hæc habet de Poppis Turcarum. [Sunt Deruiſæ Turcis, quod nobis Monachi, qui mendicato viuũt, quibus ex Religionis quã affectant inſtituto, vſitatum eſt, ſæuire in corpus propriũ, quod alij per inuſtionem ſtigmatũ ferro candente, alij per inciſionẽ quæ fit nouacula acutiſſimâ, quidam vtroque modo faciunt; hoc crebriùs & crudeliùs, quo quiſq; ſanctior & Religioſior eſſe & haberi cupit.] Bartholomeus Gorgieuiz libro de Turcarũ moribus c. 1. Primum Monachorum Ordinem apud Turcas, vocari ait *Deruiſlar*: & poſt nonnulla de eorum aſperitate vitæ, ſubdit. [Hi deuoratâ herbâ, *Maſlach* vocatâ, in rabiem aguntur; adeò vt per pectus totum in tranſuerſum, vulnus ducant; itidem per brachium, vel nullo dolore, vel diſſimulato. Et fungum arborum incenſum, capiti, pectori, manui ſuperpoſitum, non remouent, donec in cineres reſoluatur. [Petrus Bellonius l.3. obſeru. c. 21. de iiſdem ſic habet. [Nudi plerumque obambulãt iſti Deruis æſtate & hyeme, brachiáq; & pectus, obliquis & trãſuerſis cicatricibus fœdata habent ex inciſuris quas ipſimet ſuis cultellis corpori inflixerunt, in longitudinẽ potiùs, quàm in latitudinẽ ductas, vt muſculi minùs offendantur. Cum verò nullo adhibito emplaſtro vulnera conſolidentur, cicatrices parui digiti craſſitudine turgentes, remanent. Pleroſque videre eſt, huiuſmodi cicatricibus adeò fœdatos, vt horrorem incutiant. Quo furore prophetico ſiue maniâ agantur, ſeſe ita concidentes & adurentes, ignoramus.

Nec Poppis duntaxat & quaſi Monachis, Turcarum ſiue Saracenorum, proprium fuit ſignari ſtigmatibus impreſſis; ſed cæteri quoque, ſaltem qui religioſiores videri affectarunt, idem factitaſſe videntur. Sanè Habdalla princeps Saracenorum anno 32. Imperij Conſtantini Copronymi, (ait Paulus Diaconus l.22. rerum Rom.) abiens Hieroſolymã, ieiunauit, & præcepit Chriſtianos & Hebræos inſcribi in manibus.] Vtique ex ritu Mahumetano, vt inſcriptio eſſet trãſcriptio in religionẽ Mahumetanam. Non enim videatur inuſturus vel inſcripturus Hebræos ac Chriſtianos, niſi ex ritu in gente ſuâ recepto, ſic conſignari addictos impiæ Sectæ, in more fuiſſet.

Hæreticorum ſuperſtitioſa ſtigmata, iã olim ſũt decantata. De quibuſdam Gnoſticis ſic S. Irenæus. [Signant cauteriantes ſuos diſcipulos, in poſterioribus partibus extantiæ dextræ auris.] Tribuit id ſignatim Carpocratianis, S. Epiphanius hæreſi 27. [Signaculũ (inquit,) per cauterium, aut nouaculã, aut ſubulam, immittunt ac incutiũt Carpocratiani, in dexteram inferiorem auriculam iis qui ab ipſis decepti ſunt.] Exiſtimat Feüardentius ad citatum S. Irenæi caput nu. 13. hæc ſtigmata fuiſſe Sacramentũ perpetuæ deuotionis, & prorſus interclusæ defectionis: alluſione ab illis factâ ad ritum Hebræũ, quo ſeruus ſeptennis nolens excutere domini ſeruitutẽ, adhibitâ ſubulâ perforabatur in aure.

Baſilidiani, conſignationem in fronte quam à Mithriacis vſurpatam vidimus adhibuiſſe videntur. Nam Baſilidiani colebant Abraxam, vt latè tradit S. Epiphanius hær. 24 Atqui Abraxas iuxta S. Hieronymum l.2. in Amos, erat idem cum Mithra. Et fortaſſis eam ob cauſam Tertullianus l. de præſcr. c. 40. dixit, ſuperfuiſſe ſuo tẽpore, qui vsũ ſtigmatizationis in fronte, ritu Mithriaco vſurparent. Quanquam potuit id quoque in Ethnicos cadere.

Cataphrygarum horrenda ſtigmata, puero anniculo minutis pũctiunculis illata, quibus ſanguinẽ ad vſum execramentorum ſuorum, (non enim Sacramentorum,) ex eius corpore prolicerent refert S. Philaſtrius c. 50. & S. Hieron. Epiſtola 54. & S. Auguſtinus ad Quoduult. c. 26.

Iacobitas, Iacobi Syri hæretici, infauſta genimina, circumferre inuſtũ candenti ferro in frontibus ſignum Crucis, teſtatur Ioachimus Abbas in Appẽdice nationum Chriſtianarum. Idque eſſe videtur, quod Prateolus in Elencho V. *Iacobitæ* num. 5. ex Bernardo Luxemburgenſi tradit, Iacobitas baptizaſſe inuſtis frontibus ferro candenti; nixos verbis illis Baptiſtæ de Chriſto, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* An idem quoque fecerant Seleuciani & Hermiani, quos S. Philaſtrius ait, ob ea verba Baptiſtæ, reſpuiſſe baptiſmum aquæ, & ei ſuffeciſſe baptiſmum ignis? Latè in eos agit Caſtro V. *baptiſmum* hæret. 1.

Manichæi, (ſaltem qui ſuperſtitioſiores erant,) ſtigmatibus inſigniebantur. Apertè id docet Victor Vticenſis l.2. hiſtor. Vandal. *initio*. Agens enim de Hunerico ad clauum tum primùm ſedente, ait. [Et vt ſe religioſum oſtẽderet, ſtatuit, ſollicitus requirẽdos hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit nauibus trãſmarinis; quos penè omnes Manichæos, ſuæ religionis inuenit; & præcipuè Presbyteros & Diaconos Arianæ hæreſeos. Vnde magis erubeſcens, ampliùs in illos exarſit. De quibus repertus eſt vnus, nomine Clementianus, monachus illorum ſcriptum habens in femore, *Manichæus, diſcipulus Chriſti Ieſu.*]

Antichriſtum in extremo mundi ſenio, ſignum beſtiæ, id eſt Diaboli impreſſurum aſſeclis ſuis prodit his verbis S. Ioannes c. 13. Apocal. v. 16. & 17. *Et faciet omnes puſillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frõtibus ſuis; & ne quis poſſit emere, aut vẽdere, niſi qui habet characterẽ, aut nomẽ beſtiæ, aut numerũ nominis eius.* Idẽ reperitur cap. 14. & 16. & 20. Neque hoc ſignum ſpectaturũ duntaxat ad ſubiectionem politicam, ſed fore quoque profeſſionem falſi cultus, euincit Suares t. 2. 3. part. d. 54. ſ. 6. Itaque meritò annumeratur ſtigmatibus ſuperſtitioſis. Quid hoc charactere ſeu ſtigmate ſit exprimendum, variant ſententiæ, quarum multas perſtringit Gretſerus l. 4. de Cruce c. 6. & pleniùs excutiuntur à Viega in c. 13. Apocal. comment. 1. ſect. 7. & à Maluenda l. 8. de Antichriſt. c. 18. Ambroſius Ansbertus ex reuelatione ſibi factâ, ait fore X, inſerto P. quæ erat Chriſti nota in labaro Con-

ſtantini.

ſtantini. Ita ille in c. 13. Apoc. Subſcribit Ribera ibi, & Cornelius 2. Theſſalo. 2. ad verſ. 10. quæſt. 4. Hoſtē tamen Chriſti profeſſum, initiales nominis Chriſti literas, ipſúmque nomen eius, pro teſſerâ aſſumpturum, minùs congruum videtur. Nugas præterea ſectariorū de hoc Antichriſti charactere, refert & meritò explodit Bellarminus l. 3. de Romano Pontif. cap. 21. ac Leſſius diſputatione de Antichriſto à numero 31. ſunt enim tenera commenta inſulſiſſima, & ad iocandum veriùs quàm ad rem exponendam excogitata.

Mihi dimiſſis aliis, quæ Hæreſeologi, & quotquot de Antichriſto diſputant, de hoc charactere proponunt, ſatis eſt hoc loco ſtatuere, illū non fore aliquid merè extrinſecùs & citra inuſtionē impreſſum: quâ ratione imprimitur frontibus noſtris ſignum Crucis; quo eodem modo de hoc Antichriſti charactere, pronunciare videtur Lactantius 7. Inſtitut. c. 17. ac Philippus Abbas libro de Cōtinentia Clericorum c. 117. & inclinat Suares t. 2. 3. p. d. 54. ſ. 6.) ſed verè fore ſtigma realiter impreſſum, & phyſicē inexiſtens, ac immiſſum corpori conſignato, vt rectè agnoſcit S. Hippolytus orat. de mundi conſum. & ad c. 13. Apocal. varij Interpretes, vt ex Antiquis Primaſius & Ansbertus, ex recentioribus Alcazar, Ribera, Viegas Vatablus. Nec nō Sanchez 4. Reg. 23. *in fine*, Sebaſtianus Michaëlis in ſententiam Auenionenſem contra Magos Scholio V. Florimundus l. de Antichriſt. c. 40. Imprimendū porrò eſſe hoc ſtigma fronti, aut dexteræ manui, ait diſiūctiuè S. Ioannes. Quo ſenſu accipiendum eſt quod copulatiuè de vtráque illâ parte videtur dicere S. Ephrē Tract. de conſummatione ſæculi & Antichriſto, verbis illis. [Dabit ſuum ſignum ſceleſtus ille, non quidem promiſcuè pro quolibet corporis mēbro, ne hoc graue ſit, atque moleſtum; ſed in dexterâ manu, ac fronte inſculpturus eſt huiuſmodi characterē ſuū, ne ſcilicet facultas ſit homini ſe ſignādi ſigno Chriſti; neque versùs in frōte vllatenus tremēdū, ſanctúmque Domini nomen imprimere queat; Neque etiā glorioſam, atque formidabilē Saluatoris crucē inſculpere. Nouit quippè infelix ille, per impreſſionē crucis Domini, poteſtatē ſibi omnem auferendam. Quam ob rem, ſignat hominis dexteram, quod ea cuncta noſtra membra ſignamus: ſimiliterque frontem, quòd illâ ſignum Saluatoris noſtri in altū præfert in modum candelabri.] Similia S. Hippolytus orat. de mundi conſummat. copulatiuè dextram & frontem ab Antichriſto inurendas à ſe deceptis, videtur ſtatuere, propter rationem adductam ex ſancto Ephrem; Et vterque accipiendus eſt in ſeorſum propoſitum.

CAPVT VIII.

Stigmata humana moralia.

PRO coronide Tractationis ſtigmatū humanorum phyſicorū, iuuat non prætermittere huius ordinis ſtigma morale, cuius eſt mentio apud Ioānem Michaëlem, Pariſienſem Theologum l. cui titulus eſt, *Anatome corporis Politici* c. 41. Scribit ibi Michaël, defuncto Ludouico 12. miſſos eſſe ad ſalutandum ſucceſſorē Franciſcum 1. quoſdam Doctores, duce verbi Thoma Bricoto, facultatis theologicæ tunc Decano, vt nomine Academiæ benè Regi precarentur, & ſalutē dicerent. Bricotus collaudato à multiplicibus naturæ & gratiæ dotibus Franciſco, extulit nominatim eius magnificētiam & liberalitatem, dicens, eum inſtar Diui Franciſci cuius nomē ferebat, videri ſtigmata gerere in manibus, è quibus veluti foratis, omnia effluebāt. Erat enim Frāciſcus Rex, mirificè liberalis atque munificus, adeò vt nullæ vnquam profuſiones, ſatiſrent eius ad largiendum propenſiſſimam voluntatem. Meritò tamē timebat Bricotus, (referēte Michaële qui aderat, & fideliter allocutionem illius annotauit, ne ea manuū perforatio, ſi iugis eſſet atque perpetua, multo plures ad paupertatem adduceret, quàm fecerat ſtigmatibus ſuis S. Franciſcus, qui tantos ad voluntariam & à Deo remunerandam paupertatē, ſtigmatibus ſuis mortales traxerat, cum Rex ſi porrò pergeret, innumeros adductutus eſſet ad inuoluntariam & exoſam paupertatem. Itaque hortabatur Regem Bricotus, vt ſtigmata manuum aliquando obſtrueret, imitatione ſoceri ſui Ludouici XII. qui *Pater populi* audierat: quia reciſis profuſionibus, in eo totus erat, vt populi grauationi parceret; eâque de causâ ſuo tempore, neque Magiſtrum Equitum habere voluerat, neque Cancellarium; contentus ſigillorum Cuſtode, quod munus eſt minoris impēſæ, nec ſemel conſilium inierat, tributa popularibus indicta abrogādi; perfeciſſétque reipſa, niſi qui eum ſtipabant Cōſiliarij, planè teſtificati eſſent optimo Regi, reditus ſuos ad omnes impenſas ſibi ſufficere conſtrmanti. Illi è contrario opponebant, plebem ablato ſemel iugo, ægrè illud reſumpturā, ſi ſuperueniret reſumendi neceſſitas. Quæ ratio, conſilium Regis populo commodum diſturbauit. Suadebat igitur Regi Bricotus, vt ſoceri imitatione, ad glorioſum illud *Pater populi* cognomen aſpiraret, obſtructione ſtigmatum quibus foratas & pertuſas habebat manus. Sed non applauſere dicenti, qui frequentes aderant Aulici, in quorum vtilitatem vniuerſa illa Regis profuſio per manus foratas cedebat. Neque Rex occludi ſua illa ſtigmata eſt paſſus, vt ſcribit loco allegato, Ioannes Michaël.

Ex hac narratione perſpicitur dari genus vnū ſtigmatis moralis humani, quo plerunque Magni qui ſunt in terrâ, in perniciem minorum, quaſi inuruntur. Tametſi enim pauci aliqui minorū, ex maiorum profuſione lucrum faciunt, tamē cæteri minores non poſſunt indemnes euadere, maioribus in eos graſſantibus, vt poſſint ſemper ſuppetere quæ effundāt in illos paucos inde dueſcētes: quod genus eſſe ſpuriæ liberalitatis, antiquā multorū malorum ſcatebrā, notauit ipſe Ariſtoteles, & fusè proſequitur Vincentius Turturetus in collatione Ethicæ & Iuriſprudentiæ diſſertat. 9. Aliud genus ſtigmatis humani moralis, ad hunc ordinē ſpectantis à Glabro l. 3. hiſt. c. 9. deſcriptum eſt, agendo de Vvillelmo Abbate Reomsēnſi, qui apud Robertū Regē, & eius coniugem Reginā Cōſtantiā, acriter expoſtulāt de admodū inhoneſto externo habitu per leuiſſimos homines tūc inducto, [aſſerebat (inquit Glaber, hęc omnia molimina, cauteria eſſe Satanę; ac ſi quis hominum, talibus inſignitis cauteriatus ex hoc ſæculo migraſſet, difficulter à Diaboli vinculis poſſe eripi.] *Inſignia & cauteria* hoc loco, idem ſonant quod *ſtigmata*. Itaque vides genus ſtigmatis moralis admodùm tetri, quod ęquè ad ſtigmata per quodlibet vitiū inuſta accōmodare liceat. Hæc ſtigmata malus quiſque ſibiipſi per vitæ tēpus inurit peccando. Quia tamen cuiuſuis peccati ab homine admiſſi, ſin minùs ſemper, at vt plurimum, Satanas author eſt ac incentor, præſtat hoc genus ſtigmatis humani moralis, differre in tractationem de ſtigmatiſmo Dæmoniaco, vbi c. 12. plenè de eo.

SECTIO III.

SECTIO III.
STIGMATISMVS DÆMONIACVS.

QVANQVAM ſunt varia ſtigmata dæmonica, de quibus hoc loco agendum erit, præcipuè tamen inſtituenda eſt diſputatio, de ſtigmatibus quibus Dæmon electa vaſa ſua plerunque conſignat. Sortilegos dico & Sagas, quibus ſuis mancipiis, Satan præter plura alia perpetuò deuoti obſequij pignora, vt eiurationem Dei, ac æternæ ſeruitutis promiſſionem annuâ tributi penſitatione firmandam, teſte Nicolao Remigio lib. 1. dæmonolatr. c. 5 1. ſtigmata non rarò imprimit, de quibus multa iactantur, quæ intereſt excutere. Commodè verò id præſtiturus videor, ſi præmiſsâ horum ſtigmatum exiſtentiâ, ſingulas eorum cauſas externas & internas inueſtigauero.

CAPVT I.

Dari verè aliqua Magorum & Sagarum ſtigmata, à Satana impreſſa.

NEgant hæc ſtigmata, Nouatores duo, Godelmannus & Vvierus. Ille lib. 3. de Magic. c. 3. num. 28. explodit hæc ſtigmata, allegatâ lege Carolinâ, quæ inſimulatos Magiæ, iubet eſſe innoxios; eorum verò criminatores, ſubiicit mulctæ. Vvierus verò Sagarum patronus l. 6. de præſtig. cap. 24. *ad quartam obiectionem*, imprimis ſtatuit, omnia iſta eſſe ludibria imaginationis vitiatæ, nec vllum reuera eiuſmodi ſtigma aliquando impreſſum eſſe à Satana; vt vt fallente imaginatione, aliqui in tormentis, vel apud Iudicem, aut etiam extra iudicium, fateantur ſtigma ſibi à Satana impreſſum eſſe. Quod ſi omnino coincatur, vel potiùs coinci ſupponatur, aliquod tale ſtigma reperiri in nonnullis, vnde conſtare poterit, eam notam eſſe dæmoniacam, & Satana inurente impreſſam? Quare pro comperto habet Vvierus, & iterato confirmat, omnia quæ de ſtigmate Sagarum iactâtur, commenta eſſe, & illuſiones imaginationis deprauatæ, iuxta ea quæ fuſiſſimè diſputat lib. 3. eiuſdem operis è cap. 7. de facili læſione phantaſiæ, & frequentibus erroribus ex vitio imaginationis, præſertim in ſexu molliore, ob imbecillitatem iudicij, vt ſtatuit toto cap. 6. Pacta porrò maleficorum cum Satana, quibus ſubiungi ſupponitur impreſſio ſtigmatis; ab eodem Vviero exploduntur vt commentitia, de quo idem plenè l. 3. de præſtig. c. 6. 7. & 8.

Nihilominus Vvierus, eandem hâc in parte fidem meretur, quàm in omnibus quæ ad Sagas pertinent, hoc eſt nullam. Homo enim inſulſiſſimus, cauſam Sagarum quas tegendas ſuſcepit, adeò vanè ac mendaciter agit, vt planè liqueat eum ſtare à partibus patris mendacij, & ab eo ſubmiſſum eſſe, ad ſtabiliendam immunitatem ac impunitatem maleficiorum dæmoniacorum. Itaque quicquid Vvierus blateret, pro comperto habendum eſt, dari ſtigmata dæmoniaca, impreſſa Sagis & Magis à Satana, indefinitè ſaltem loquendo. Nam poſtea videndum erit, an omnes Magi, omnéſque Sagæ, inſigniantur huiuſmodi ſtigmate. Agnoſcunt has notas Scriptores omnes, in Maleficorum & Sagarum diſquiſitione verſati, ac præter cæteros Nider lib. 5. Formicarij, Nicolaus Remigius l. 1. dæmonolat. cap. 5. Delrio 2. Mag. q. 4. §. *decimò corporis.* Sebaſtianus Michaëlis ſcholio 5. in ſententiam Aueníonenſem, Henricus Boguetus diſp. de Sortiariis c. 44. Fontanus iuſto Opuſculo, Creſpetus de Odio Satanæ, diſcurſu 15. Leloyer l. 7. de ſpectris c. 3. Petrus Ancoranus l. 5. de Inconſtantiâ dæmonum, diſcurſu 2. Torreblanca lib. 2. Dæmonologiæ cap. 7. n. 10. adducens Tertullianum l. de præſcript. nullo ſignato loco. Et fortaſſis reſpexit ad ea quæ de Mithriacorum ſtigmate, habet eo libro Tertullianus; quorum tamē ſtigmatum alia reuera eſt ratio, quā Magicorum. Inter Medicos ſtigmata Magica agnoſcunt Ioan. Hucher, l. 4. de ſteril. rubr. *an dæmones immortales,* Condronchus l. 3. de morb. veneſ. c. 4. Paulus Zacchia l. 7. qq. Medicoleg. tit. 4. q. 1. quamuis toto propè reliquo tractatu ambiguus, hæret ob difficultates his ſtigmatibus adiunctas. Ex ipſis Nouatoribus, ſtigmata Magica agnoſcunt Lambertus Danæus dialog. de Sortiariis, Bodinus lib. 2. dæmon. cap. 4. Thomas Eraſtus l. de Lamiis *pag. mihi* 523. Sennertus l. 6. Medicinæ practicæ parte 9. c. 5.

Probatio huius veritatis, non eſt quærenda alia, quàm quæ docitur ex frequentiſſimo experimento. Quotidianum enim eſt, vt Malefici, & Sagæ, vel ſuâmet cōfeſſione, vel participum accuſatione, vel diligentiâ Iudicum, deprehendantur notati huiuſmodi ſigno, inuſto per Satanam, affectantem peruerſâ imitatione, exprimere quod à Deo in animis fidelium fieri perſpectum habet. Gaſpar Sanctius Cantic. 8. n. 38. æmulatum cenſet Satanam, quod à Deo fit in corde iuſtorum, cui ſuum ſigillum imprimit, vt ſuos eſſe hic conſignatos iuſtos oſtēdat. Quo pertinere putat illud ſacri Epithalamij, *pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Sed quod hæc non valeant ſecundùm extimum corticem literæ, ſed ſpiritualiter tantùm ac myſticè, habemus realem euentum, in quo Satanam reali charactere conſignando ſuos, æmulatione Dei factum dicamus. Conſignantur

enim fideles in Baptiſmo, charactere indelebili, quo tranſcribuntur in Dei familiã, eiúſque æterno obſequio mancipantur. At Satan eſt verè ſimius Dei, vt optimè aſſumunt Tertullianus lib. de præſcript. c. 40. & lib. de Coro. milit. c. 14. Nyſſenus hom. 14. in Cant. & palpabilibus pleriſque experimentis prolatis Ioſephus à Coſta lib. 5. hiſtoriæ noui orbis, *propè toto*. Congerit in hanc rem plurima Henricus à Mõte Acuto, in Opere cui titulus eſt, *Dæmonis Mimica*. Satan itaque, nequam Dei æmulator, mancipiis ſuis infami abigeatu à Deo abductis, proportionalem conſignatis à Deo notã imprimit; ſin minùs in animâ quæ eius viribus ſubducitur, at in corpore, vt magis ſibi deuinciat miſeros ſtigmatias: quibus etiam (teſte Bodino loco allegato,) author eſt, vt eluendo Chriſtiano baptiſmo, denuò baptizentur in nomine Diaboli, & nouo donentur nomine. Vnde plerunque contingit, vt huiuſmodi homines ſint binomij. Confirmatur 1. ex dictis ſuperiùs, de conſignatione militum & ſeruorum. Hos enim habet Satan pro militibus, eiſdémque vt ſeruis vtitur. Confirmatur 2. ex dictis ſuprà, de ſuperſtitioſis notis quas vani homines in quibus nõ ſiberat ſcientia Dei, imprimebant ſibi authore Satana, vt ſe ei authorarent, & nexu æterno addicerent. Nam nõ contenti externa profeſſione ſuperſtitionis, inurebant ſibi ſtigmata, ad expreſſionem finniorem deuotionem. Et idipſum Antichriſtus curabit fieri, per eos quos ad Satanæ obſequium, inceniatis minis ac vi illata, adiget iuxta illud Apocal. 13. *Faciet omnes puſillos & magnos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.* Non debet igitur abſurdum videri, ſi dicamus, Satanam in lectiſſimis organis ſuis idem præſtare.

Neque tamen idcirco contendo, ſtigma eſſe indicium planè ineluctabile, ad reos protinus conuincendos, & indeclinabiliter vrgendos ad informe lethumque etiam ſubiiciendos tormentis. De quo ſanè exiſtentiâ ſtigmatum, controuerſia eſt inter DD. excutienda inferius cap. 9. Vt vt verò res habeat, quoad vim huius indicij ad pœnam maleficio decernendam, ipſúmque ſubiiciendum tormentis; ſatis in præſentia eſt, poni extra dubium ab vtriuſque partis Doctoribus, quod verè dentur ſtigmata Magica; & ſicut Deus in animâ, ita Diabolus in corpore habeat ſignatos ſuos.

Quæ in contrarium effutiebat Vvierus, ſunt planè mania. Quod enim pro certo aſſumebat ſtigmata ſi quando à Magis, præſertímque à Sagis, in ſomnium extitum produntur, & ad Satanam authorem referuntur eſſe attribuenda deprauatæ perſonarum illarum imaginationi; vel eo ſenſu dicitur, vt ſtigma quidem litterale & phyſicum, ſed à forti imaginatione cauſatum iuxta Pomponatij & aliorum quorundam delirium, quos non puduit S. Frãciſci ſtigmata ad imaginationem fortem tanquam ad phyſicam cauſam referre: vel certè dicitur eo ſenſu, vt ſignificetur nulla reapſe imprimi ſtigmata Magis & Sagis, tametſi per deluſæ imaginationis ludibrium ſomniantibus frequens, videantur ſibi à Satana recipere impreſſionem, quam reuera non recipiunt. Et hic peruerſus ſenſus placiti à Vviero iactati, ſolus eſt huius loci proprius. Nam alius, excutiendus erit inferiùs, tractando efficientem ſtigmatis cauſam. Aio ergo, ridiculum æquè ac delirium eſſe, iactare notas iam conſtãti multorum confeſſione ſenſibus deprehẽſas, eſſe ſomnia vigilantium. Nec iſta ſtropha eſt primùm à Vviero cuſa, ſed in incude Vulcani Tartarei eſt fabricata, longè ante. Scribunt enim Petrus Mamoris in flagello maleficorum cap. 17. & Nicolaus Iacquerius in flagello faſcinariorum cap. 3. *in fine*, anno 1453. Theologum quendam Pictauienſem Ordinis S. Benedicti, cui nomen *Gulielmo de Larc*, alias *Hamelme*, (Iacquerius qui ait eum ſibi fuiſſe notiſſimum, vocat *Gulielmum Adelme*.) 12. Septembris, in Tribunali Epiſcopali Ebroicenſi, publicè cum lachrymis ſcripto confeſſum eſſe, cùm ſe Diabolo manciparet in ſeruum peculiarem, monitum eſſe à Satana, fore vt magnum ſibi obſequium præſtaret, & ſectam perditionis egregiè amplificaret, prædicando & docendo, ſectam magorum nihil eſſe niſi illuſionem phantaſiæ: eámque perſuaſionem, præcipiente Satana à ſe inſinuatam quibuſcunque potuerat, deplorabat idem erroris propola; vt Iudices in ea peſte coërcendâ eſſent ſegniores, quod etiam ex parte eſt conſecutus. Conſtat enim, pleriſque locis Iudices hâc falsâ perſuaſione, inquiſitiones in Sortiarios neglexiſſe; ſcribitque Lambertus Danæus dialog. de Sortiariis c. 1. cùm Genabi ad Ligerim ageret, maleficum ex eo genere, poſt legitimam inquiſitionem ab vrbanis Magiſtratibus damnatum interpoſitâ prouocatione ad ſupremam Curiam, euaſiſſe iudicium; Senatu totam criminationem, meris (vt cenſebat,) imaginationibus nixam, deridente. Itaque impune fuit malefico, leſiſſe non paucos, eo ſcelerato fœdere quod cum Satana inierat; donec relapſus in ſcelera, prouocatione neglectâ, à Genabenſibus laqueo eſt addictus. Valeat ergo Diabolica phantaſia, à Vviero regeſta tanquam crambe recocta; fixúmque ſit, non omnia quæ de Magis & Sagis iactantur, & nominatim inuſtionem ſtigmatis per Satanam, eſſe ludibria imaginationis deluſæ; reuera autem nihil tale fieri, quamuis non idcirco diffitendum ſit, imaginationem plerunque deludi vanâ imagine, cum in aliis rebus, tum etiam in commercijs Magicis, vt plenè proſequitur Petrus Leloyer toto ferè lib. 2. de ſpectris.

De fundamento autem præcipuo Vvieri, quod in calce rationis dubitandi attingebatur, præſtare ferè ſileret, quàm copioſè agere. Aſſumit Vvierus, pacta omnia maleficorum cum Dæmone, quibus ſubiungitur ſtigmatis impreſſio, eſſe commentitia. Sed hoc fundamentum, diſſectione nouâ non eget. Pridem quippe quaſſatum eſt ac euerſum, non modo à Catholicis, ſed etiam à Sectariis. Videndus præter cæteros Binsfeldius de Confeſſ. malef. prælud. 6. multos & Patres & Doctores in hanc rem adducens, & Delrio l. 2. Mag. quæſt. 4. ac l. 5. ſect. 16. num. 5. vbi longum ſyllabum Doctorum, pacta Satanæ cum Magis & Sagis agnoſcentium, contexit. Et ſuffragantur ex Sectariis Lambertus Danæus dialog. de Sortiariis c. 2. Bodinus in dæmonom. l. 2. paſſim ac Sennertus l. 6. Medicinæ practicæ parte 9. cap. 5 concluſ. 8. Horrifica verò eſt, machina qua Vvierus hoc pactum labefactat: cùm ait, dæmonem non habere manus, ideóque non poſſe paciſci, cum ad pactum ineundum, exigatur manuum conſertio. Quo ipſo ariete, pacta diuina cum Abrahamo, & alia, in Scripturis decantatiſſima conciderent. Neque enim Deus habet manus, quas ad ineundum pactum conſerat. Quidni verò etiam obiiciebat Vvierus, dæmones carere lingua, qua pacti verba enuncient, & conditiones ſub quibus paciſcantur, proponant? Nugæ, Nugæ. En quibus fundamentis, homo impius nefariam cum Satana

ſocietatem,

ſocietatem, à Iudicum ira indemnem ſtatuere ſatagit. Vt mirum planè ſit, reperiri aliquando potuiſſe, qui ei ab eruditione, & iudicij emunctione in eo opere prodita, applauderent: cum ſit opus, in quo inſulſitas & ſtoliditas ſcriptoris, cum eius malignitate certant.

CAPVT II.

De ſtigmatis Magici ſubiecto totali, quod eſt perſona conſignata.

INter cauſas ſtigmatis Magici, occurrunt primo loco quæ dicuntur internæ, nimirum ſubiectiua & formalis. Subiectiua porrò ſecerni poteſt duplex; nempe totalis quæ eſt ſubiectum denominationis; & partialis ac immadiata, quæ pro accidentibus, dicitur ſubiectum inhæſionis. Circa vtramque, in hoc negotio conſideranda ſunt aliqua, initio facto à ſubiecto denominationis, ſiue à perſona ſuſcipiente ſtigma.

Perſona ergo, cui Satan impreſſione ſtigmatis notam mancipati ſibi obſequij indit, illa eſt quæ vulgo *Sortiaria* appellatur, voce quæ apud Hincmarum legitur 33. quæſt. 1. cap. vltimo, & ducta eſt à voce Latina antiquiore *Sortilegus*, vt benè obſeruauit Danæus dialog. de Sortiariis cap. 1. addens idcirco, qui nefaria hæc commercia cum Satana ineunt, dictos eſſe nomine à ſortibus diuinatoriis ducto, quod prima & antiquiſſima Magiæ illecebra, eſſet cognitio futurorum, quam Satana ſpondente captabant nefarij homines, quibus ab experita per ſortes futuri notitia, iam ante indita erat nomen *Sortilegorum*, extenſum poſtea ad omnes commercium quoquo modo habentes cum Satana. Similis extenſio facta eſt in aliis vocibus, quibus id genus hominum, ſiue mares ſiue fœminæ, denominantur: nimirum mares quidem, *malefici, incantatores, venefici, Magi* dicuntur. Fœminæ verò *ſtriges, Lamiæ, Magæ, Sagæ*, de quibus & aliis colluuiei huius nominibus, fusè idem Danæus citato capite, & Eraſtus ſub initium diſputationis de Lamiis, Torreblanca libro 2. Dæmonologiæ cap. 38. num. 1. 2. 3. 6. 7. ac Delrio 1. Mag. cap. 2. *ſub finem*. Vtrique ſexui communis eſt hæc calamitas; tametſi verum eſt, fœminas præſertim hâc labe ſordere, atque adeò frequentius eſſe, vt in eis loco habeant ſtigmita Magica. Nam ob iudicij imbecillitatem, & molliorem ac flexibiliorem genium, aptiores ſunt vt Satanæ pedicis irretiantur, eiuſque ſeruitio ſe mancipent. Notarunt hoc de faciliore mulierum ineſcatione ad hæc ſcelera per Satanam, Martinus de Arles Tract. de ſuperſtitionibus, ex ſcripto Ioanne Nider in primum Decalogi præceptum, & Gerſone tract. contra ſuperſtitioſam obſeruationem dierum; Simancas in Catholic. Inſtitut. tit. 37. num. 3. Sebaſtianus Michaelis in Pneumatologia toto c. 7. Creſpetus de odio Satanæ diſcurſu 11. Binsfeldius de confeſſ. malef. notabili 8. Condionchus l. 3. de morbis veneficis cap. 3. Torreblanca lib. 2. dæmonologiæ cap. 38. numero 15. Ancuranus lib. 1. de inconſtantia dæmonum diſcurſu 3. Eaſdémque ob cauſas, mulieres magis obnuxias eſſe falſis reuelationibus, notauit Simancas in Catholicis inſtitut. titul. 25. num. 25. ex Sybilliano decade 1. pereg. qq. cap. 8. quæſt. 2. ſunt enim imprudentiores, & humidiores, & maiore erga affectus ſuus impotentiâ laborant: quæ ſunt radices faciliores ſubiectionis ad Satanæ motus.

Sicut omnis ſexus, ita omnis ætas, infami huic commercio, atque adeò etiam conſignationi de quâ agimus, eſt obnoxia. Conſtat enim teneram quoque ætatem à parentibus Satanæ mancipatam, ab eodem eſſe inuſtam Magico ſtigmate. Audi Nicolaum Iacquerium in flagello faſcinar. cap. 7. [Hoc anno 1458. quidam iudicialiter ſponte confeſſus fuit, quod cùm olim ipſe eſſet iuuenis, ſcilicet quinque vel ſex annorum, mater eius ipſum cum quodam fratre eius paruulo, quem inter brachia portabat, & cum quâdam eius ſorore, duxit ad ſynagogam faſcinariorum: & ipſos tres libero dæmoni obtulit, apparenti in effigie cuiuſdam hirci, inſtruendo eos quod ipſe eſſet illorum Dominus & Magiſter, qui eis multa bona facturus eſſet. Et fecit ipſa mater, dictos liberos tangere prædictum dæmonem, manu ſuper caput effigiei prædictæ: & ipſe Dæmon quem vocabant *Tonyon*, omnes tres prædictos anteriori pede tetigit, in eorum coxis, & eis ſignum impreſſit indelebile; quod ſignum prædictus ipſe qui hoc confitebatur, deferebat ad quantitatẽ vnius fabæ.]

Neque tamen hâc teneræ ætatis ſtigmatizatione, officitur iuribus eorum, qui negant vllum ſtigmate Magico affici, niſi volentem. Ita Sebaſtianus Michaëlis in cauſa Magi Aquenſis anno 1611. die 1. Martij, & Fontanus Opuſc. de Notis Sagarum à pag. 15. refellentes reſponſum infamis Magi, qui deprehenſum multipliciter notatus reſpondit, ſi quæ eſſent in corpore ſuo notæ, eas ſibi inuito à Satana impreſſas. Hoc refellunt Authores prædicti, quia Deus qui alligauit gladium Satanæ, non patitur quemquã renuentem, infamibus hiſce notis dehoneſtari; alioqui ecquis hominum præ odio incenſiſſimo quo in eos flagrat Satanas, eſſet notæ illius expers, annitente Satana, vt vel labem vel exitium crearet illis ex hac parte? Accedit quod ſtigma eſt velut monimentum fidei datæ Satanæ; non ſecus ac olim character militi impreſſus, erat teſtimonium mutum, obſtrictæ Principi fidei. Sicut igitur fides non eſt deſponſa Satanæ niſi à volente, ita neque ſtigma imprimitur niſi volenti, ſaltem in cauſa. Quod addo, cum propter eos qui præmiſſa infami deuotione, notantur non aduertentes, tum etiam ad eludendam difficultatem quæ moueri in contrarium poſſet, ex ſenſu maleficorum cum admoto cauterio inuruntur; Videtur enim tunc deeſſe voluntarium, & perſona notari inuita. Præciſi tamen hanc difficultatem, cum dixi, inuſtionem eſſe liberam, ſaltem in cauſa. Tametſi enim maleficus ſentiens cruciatum, habet in ſe mixturam voluntarij & inuiti, qualis erat in militibus; cum capeſſentes vltrò militiam, dolebant de punctione, aut inuſtione profeſſionis militiæ ſubiuncta; tamen ea miſtura inuoluntarij, non officit libertati ob initam vltrò ac liberè pactionem cui hæc obſignatio adiungitur. Præterquàm quod non eſt inuerisimile, Satanam vt hæc exordia fœdi commercij mancipiis ſuis minùs amareſcant, minuere, aut etiam ſtupore illato præuenire, dolorem alioqui obuentorum ex ſtigmatis impreſſione: qua ratione plenè volentes ac exultantes in re peſſima, infelices ſtigmatiæ, excipiunt ſtigmatis impreſſionem. Quamuis igitur quod dictum eſt de ſtigmatis impreſſione ſolis volentibus facta, rectè habeat; non conuellitur quod ſtatuebam, teneram ætatem aliquando à Satana conſignari. Paruulorum quippe voluntas,

in parentum voluntate quorum rectioni ſubſunt, concludi cenſetur; & ipſimet paruuli aliquo iam rationis vſu potientes, exempla parentum ſectari, iubentes ineunt fœdum conſortium, ſtigmatis impreſſione firmatum. Notatos autem in ipſa cunia infantes, aut materna adhuc aluo concluſos, priuſquàm rationis diluculum vlla eis ratione illuceſceret, non memini legere; quamuis prodantur monſtroſæ in prolem malignitatis parentes, prolem ante vſum rationis, aut ante natiuitatem, deuouiſſe Satanæ.

Sic conſtituta impreſſione ſtigmatis in generibus ſingulorum vt ſic dicam, id eſt in omni ſexu & conditione hominum, excutiendum reſtat vulgare dubium de ſingulis generum; hoc eſt, an omnes omnino malefici & maleficæ, notentur à Satana impreſſo illis ſtigmate. In qua difficultate ambiguus hæret Condronchus l. 3. de morb. venef. cap. 4. dicens aliquos admittere omnes planè maleficos ſignari, alios verò id negare. Partem affirmantem tuetur Fontanus Opuſc. de notia Sagarum; qui argumentatur ex valde multiplici, & plerunque inconſpicua ſigni formâ, ac etiam omnium variâ impreſſionis ſede, in variis. Vnde effici putat, vt notæ aliquorum non deprehendantur, & idcirco falsò putentur abeſſe. Cur verò dæmon ſe erga aliquos è ſuis parciùs gereret, & in pari omnium mancipatione ad ſuum obſequium, aliquibus imprimeret deuoti ſeruitij monimentum, aliis non item? Omnes ergo quos ſibi in vernas & domeſticos aſciſcit, æquè conſignat, peruersè æmulans Deum, qui omnibus in ſuam familiam baptiſmi Sacramento adſcriptis, imprimit in anima characterem, cui proportionalis eſt in Satanæ mancipiis, character corporeus de quo agimus. Olim itẽ Imperatores, charactere ſuo non aliquos duntaxat, ſed omnes indiſcriminatim milites conſignabant. Sicut ergo Malefici ſub Satana duce militiã nefariam profitentur; ita par eſt exiſtimare vniuerſos charactere beſtiæ impreſſo, authorari eidẽ; ſicut omnes Sacramento fidelitatis ei ſe mancipãt. Eſt in hãc ſentẽtia Danæus dialo. de Sortiariis c. 4. *initio*. Tameſi eũ Bodinus l. 2. Dæmonom. c. 4. in contrariũ adducit. Idẽ habet Sebaſtianus Michaëlis in hiſtoria de tribus energumen. & Petr. Oſterman. de ſtigm. ſ. 9. mihi diu poſt hæc vulgata, viſ.

Quominus tamẽ admittendum videatur, omnes maleficos impreſſo Satanico ſtigmate conſignari, facit confeſſio multorum, qui ritè pœnitentes, ac regreſſi in vitæ metã ad Deum, omnia ſua quantumuis tetra & horrenda fideliter exponentes, negarunt ſe vnquam ſtigmate fuiſſe notatos. Ita nominatim de quodã cui nomen *Iacoba Craſſo* vulgo *le Gros Iacques*, ſcribit Boguetus Tract. de Sortilegis c. 44. teſtatus ſe ab eo in magnâ de ſceleribus contritione vitam claudente, ſyncerè edoctum eſſe, nunquam ipſum à Satana fuiſſe notatum. Ex quo Boguetus meritò colligit, hallucinari grauiter quoſdam Iudices, qui neminem pro nefario cum Satana commercio pœnæ ſubiiciunt, niſi notatus ſtigmate Satanæ deprehendatur: quod vniuerſaliter in quãdam Republicã ſeruari, idem Author expoſtulat. Accedit quod varij, à quibus profeſſio maleficorum coram Satana, accuratè poſt plurima experimenta deſcribitur, ſtigmatis non meminerunt, quod argumento eſt, illud non ſemper inuri. Quomodò enim qui omnes huius negotij minutias accuratiſſimè obſeruarunt, hanc notam reticuiſſent, ſi ſemper interueniret? Adducam infra varios, qui ritum impiæ profeſſionis retulerunt. Nunc vnum adſcribo Bernardum Comenſem, ipſo initio libri de Strigibus, vbi præfatus nonnulla de notatione vocis *strix*, ſubdit. [Hæ perſonæ congregantur in certis locis, per oppida & villas certis temporibus, præcipuè in nocte diem Veneris præcedente; apparente eis Dæmone in formâ humanâ viſibili; & quando in principio de illâ ſectâ eſſe volunt, ſeu incipiunt, primò ante omnia coram ipſo Diabolo, ad iuſſum eius, abnegant ſanctam fidem, & ſanctum baptiſma, ac etiam Dominum Deum, & Beatam Virginem Mariam, & poſtea conculcant crucem aliquam ibi ab vna illarum ſtrigiarum factam in terra: quibus omnibus peractis, faciunt fidelitatem in manibus ipſius Diaboli, accipiẽtes eum in dominum ſuum, & promittunt ei in omnibus ſe velle ſemper obedire, & in ſignum horum omnium tangunt ei manum, cum ipſarum manu ſiniſtra, poſt earum tergũ verſa, offerentes eidem Diabolo aliquid in ſignum ſubiectionis; & ita ab inde citra, ſemper reputant ipſum Diabolum, eſſe verum earum dominum, & Deum ſuum: deinde quotieſcunque vadunt ad illam congregationem, quam *ludum bonæ Societatis* appellant, ſemper faciunt reuerentiam ipſi Diabolo, in forma humana apparenti, & ipſum capite inclinato profundè adorãt, vt verum Deum ſuum: quæ omnia clariſſimè patent, per earum confeſſiones in proceſſibus contra eas per Inquiſitores formatis.] Nulla hic mentio ſtigmatis impreſſi, quamuis (vt vides,) adiuncta minoris momenti, diligenter ſint notata. Vnde colligitur, huiuſmodi ſtigma non ſemper imprimi.

Cur autem Satan aliquos ſtigmate impreſſo conſignet, non item alios, varij variè exponunt. Boguetus loco allegato & Franciſcus Maria Guarrius in Compendio maleficarum lib. 1. c. 6. exiſtimant, cauſam cur Satan aliquos ſtigmate impreſſo conſignet, non item alios, ducendam eſſe ex ſenſu quem de eorum ſtabilitate concepit. Quos enim arbitratur firmos in propoſito fore, dimittit non inuſtos: inurit autem eos, de quorum perſeuerantiâ ambigit. Hæc tamẽ ratio diſcriminis; meritò diſplicuit Anecrano lib. 2. de inconſt. dæmonum diſcurſu 2. Inuenti ſiquidem ſunt ſtigmate notati, qui omnium firmiſſimi in nequitia apparebant. Quid quod è re Satanæ magis futurum videtur, extorquere addicti obſequij chirographũ, vt ſæpè ab eo factum conſtat; nec raro cuiando, vt exaretur proprio dedititij ſanguine, vt factum ab Ægidio Roderico Valadorio, de quo Bzouius anno 1238. n. 9. & idem factum à Pariſienſi cauſarum patrono, ſcribit Bodinus l. 3. dæmon. c. 2. & his ab adoleſcẽte Germano nuper factum prodit Martinus Magerus mox adducendus. Vidiſſe item ſe Romæ, Chirographum literis ſanguineis exaratum, quod puella in Romano Pantheo cummens, à Satana inſeſſore eſt liberata, ſcribit Franciſcus Turrianus contra Bocquinum in c. 13. *pag. mihi* 156. Alterius qui ſanguine proprio chirographum deuotionis ſuæ, & addictionis ad Satanæ nutum confecerat Vvitebergæ, meminit Godelmannus l. 1. de Magia c. 6. n. 32. In Actis verò S. Baſilij ab Amphilochio conſcriptis c. 8. narratur mancipatio ad Satanam, ſerui qui Proterij heri ſui filiam interuentu Magicæ pactione acceperat in coniugem, dicitúrque ſeruus ille chirographum ſua manu exaratum tradidiſſe Satanæ, nullâ factâ mentione quod eſſet ſanguine conſcriptũ. In narratione quoque de lapſu & pœnitentiâ Theophili Eccleſiæ Adanenſis in Cilicia Oeconomi, con-

textam

texta ab Eutychiano ipſius Theophili miniſtro & repræſentata à Metaphraſte 4. Februarij ? habetur, Satanam exegiſſe ab eo chirographum, quod etiam cera obſignauit Theophilus; vndè inferiùs vocatur *charta habens bullam cera & charta bullata.* Nulla autem fit mentio ſanguinis quo fuiſſet exarata: vt neque in exemplo de quo Turſellinus l.4. hiſtor. Laur. c.33. Itaque non eſt vniuerſaliter verum quod Godelmannus l.1. de Magia c.5. n.8. ad finem formulæ deuotionis in obſequium Satanæ, tradit Dæmonem adigere maleficos vt iuramento per nomen dæmonis paredri concepto, vel chirographo quod ſanguine proprio exarauerint, confirment pactionem initam. Plerunque enim ſatis fuit Satanæ, extorquere chirographum quomodocunque conſcriptum; quod aliquando poſtea conceptâ pœnitentiâ, potenti aliquo ſuffragatore interueniente, ægrè recuperant, vt Theophilo Oeconomo contigit, per Deiparæ præſidium, & ſeruo Proterij per S. Baſilij orationes, nuper apud Alſatas anno 1613. (vt fusè deſcribit Martinus Magerus Aduocatiæ armatæ cap.9. num.416.) perdito adoleſcenti, beneficio S. Ignatij. Et Aueniione ante annos quinquaginta alteri idem accidit, multis pro eo rogantibus in publicâ pactorum cum Satana eiuratione, vt accepit ab inſigni Iuriſperito, amicorum optimo, Ioanne Baptiſtâ Tonduti. Idem exoraſſe Vvitebergæ Lutherum, perdito iuueni, ſcribit ſupra Godelmannus: quod non credo, cum ſatis liqueat, cassò ſteriſſe Luthero, quod aggreſſus eſſet dæmoniacum liberare, vt apud Lindanum videre eſt dialog.3. dubit. cap.1. & apud Staphylum in abſolutâ reſponſione contra Schmidelinum *pag.* 404. ex quibus eadem recitat Brendebachius l.7. Coll.Sacrar. cap.40. In ſolâ Catholicâ Eccleſiâ, contingit, dæmonem vel inuitum adigi ad huiuſmodi chirographa reſtituenda, cum malefici regrediuntur ad Deum: apud quem tamen nihil eis nociturum ſi non reſtitueretur, rectè ſtatuunt Suares l. de ſuperſtit. cap.17. n.4. & Sanchez l.2. in decalog. cap.40. n.53. Sed vt ad inſtitutum redeam, hæc adeò expreſſa & eluſu difficillima ſecuritatis argumenta ex ſyngrapha propria, captaret potiùs Satan; ſi ad ſecuritatem tantùm, inureret ſtigmata eos de quibus diffideret.

Vera igitur ratio cur Satan aliquos è ſuis deditiriis ſtigmate notat, non item alios, inde ducenda eſt, quod vel interdum diuina permiſſio non ferat, vt Satan aliquem notet; vel non ſit tunc illi commodum vacare impreſſioni ſtigmatis; vel denique quod ea varietate gaudeat. Illuſtro breuiter hæc omnia. Et imprimis non poſſe dæmonum etiam in maleficos, niſi quantum ſinitur, egregiè tradit S. Gregorius 18. Moral. à cap.1. S. Auguſtinus in Pſ.29. enarrat.2. *ſub medium*, & enarrat.1. in Pſal. 31. *ad verſum vltimum*, & in Pſalm. 32. conc.2. *ad verſum* 8. Tertullianus lib. de fuga in perſecut. c.2. Fusè & benè Nicolaus Iacquerius in flagello faſcinat. toto c.25. Deus ergo qui fecit Satanam, applicauit gladium eius: id eſt, interprete S. Gregorio, non ſinit eum in homine agere, quicquid fert rabies eius atque nequitia. Atque ita Deus aliquando eum impedit, ne ſtigma imprimat certis Magis aut Sagis, ob occultas rationes conſilij Sui. V. G. quia fortè prænouit reuenturos ad bonam frugem, nec vult illos dehoneſtari tali monimẽto Diabolicæ potentiæ. Item quia fortaſſis aliquid boni antea fecerunt, cui Deus rependit immunitatem à charactere beſtiæ; quamuis alios permittat ſignari à Satana. eaſdem ob cauſas quibus adductus permittat Satanam per maleficos tã multa terra & indigna operari. Recenſet latè eas diuinæ permiſſionis cauſas Trithemius q.3. de Maleficis ad Maximilianum, 1. Imperatorem.

Ex parte item ipſius Satanæ, poteſt ſubeſſe ratio, cur aliquos interdum non conſignet ſtigmate phyſicè impreſſo; nimirum (vt dicebam,) eo quod non ſit illi commodum vel opportunum, imprimere ſtigma. Neque enim Satan mera ſua voluntate poteſt ſtigma imprimere, quia eius voluntas non eſt operatiua tranſeunter: ſed ſi vel minimam qualitatem materialem velit producere, tenetur admouere congruentibus paſſiuis idonea actiua; quæ quandoque non ſunt ad manum. Et quamuis ſuppetant actiua accommodata, tamen cum interuenire debeat alteratio non perfectiua, neceſſe eſt interponi moram; non modò ad applicationem actiuorum illorum ad paſſiua, ſed etiam ad expromptionem actiuitatis, & effectus productionem; inſeruiente reſiſtentia paſſi, quæ non niſi per tempus aliquod expugnari poteſt. Satan itaque impatiens moræ, interdum omittit conſignationem non neceſſariam, cum ſatis innexos habeat maleficos, deuotione perpetua cum Dei eiuratione & horribilibus blaſphemiis emiſſa, vt legere eſt apud Budinum l.2. dæmonom. cap.5. & infra referam ex Aueninnenſi ſententia. Perſuaſus itaque Satan, intercluſum ſatis eſſe ſuis mancipiis regreſſum ad Deum per hæc execramenta, non videtur arbitrari ſemper neceſſarium, vt veluti ſigillum infamis characteris, adhibeatur nefandæ pactioni, quam tot diræ & execramenta communiunt. Quid ſi etiam, vt aliquorum perutilium ſibi Miniſtrorum indemnitati apud Iudices conſulat, omittit eos notare?

Tandem aiebam idcirco aliquos non conſignari ſtigmate, quia dæmon varietate gaudet qua æmuletur multiplicitatem addictionum ſanctarum in Dei obſequium. Itaque ſicut aliqui minùs, aliqui magis ſolemniter, addicuntur Deo; (quorundam enim vota non niſi ſimplicia ſunt, aliorum verò ſolemnia;) ita & Satan pari varietate oblectatur, vt latè tradit Grillandus tract. de Sortileg. q.3. quæ eſt de varietate profeſſionis Sortilegorum, & q.7. Caſtro Opuſc. de Sortilegiis cap.2. & 4. ac Farinacius parte 1. praxis ac Theoricæ Criminalis q.20. de delictis num.77. Duplex ab his authoribus profeſſio ſecernitur. Vna expreſſa, quæ fit ipſimet dæmoni, ſiue priuatim, ſiue in publico maleficorum cœtu. Altera tacita, quæ fit ſectio, dæmonis nomine admittenti ſceleratam deuotionem. Qui priorem profeſſionem emittunt, dicuntur eſſe Satanæ acceptiores: & cùm addmittuntur adhibitis omnibus nefariæ promotionis ſolemnitatibus, tunc ſtigmate notantur. Ita accuratè Condronchus lib.3. de morbis venefic. c.4. Extra eam verò pompam, non eſt ſemper Satanas ſollicitus de ſtigmatis impreſſione. Atque ita aſſequitur varietatem illam addictionis in ſuum obſequium, qua æmulatur magis & minùs ſolemnes addictiones priorum, in obſequium Dei.

CAPVT III.

De ſubiecto proximo ſtigmatis Magici.

HHoc eſt de parte corporis cui ſtigma imprimitur; Eam aliqui, teſte Nicolao Remigio

lib. 1. dæmonol. c. 5. arbitrantur præcipuè eſſe *quæ à ſacrorũ Antiſtite in die cuiuſque initiali, chriſmate fuit delibuta; vti fures abacti pecoris ſigna, ſuis impreſſis immutare ſolent.* Per *diem initialem*, intelligendus videtur dies Baptiſmi, quo quiſque noſtrum initiatus, auſpicatur vitam nouam, annumeratus filiis Dei, & ei generationi quam Dauid ad eam ſaliuans, vocabat *generationem venturam*. Et conſequenter *Antiſtes ſacrorum*, intelligendus eſt Sacerdos, qui linit chriſmate verticem capitis baptizati. Atque adeò iuxta ſententiam à Remigio recitatam, inuſtio characteris Satanici tendens ad obliterationem Chriſmatis ſuper baptiſma illiti, & eidem parti impreſſi cui appoſitum fuerat chriſma, deberat eſſe vertex capitis. Quidquid verò ſit de fine ex quo ſtigma imprimi dicitur in quo Remigius conſentit iis quos ita philoſophatos refert; tamen quoad partem corporis Satanico notaculo conſignatam, aliter frequentiſſimè contingit, vt ſequentia docebunt.

Aio igitur, nullam determinatam partem corporis poſſe in malefico aſſignari, quæ ſemper notetur; ſed nunc hanc, nunc illam, nec rarò plures ſimul partes notari. Non eſſe vllam partem corporis, quæ ſemper, aut ſola, notetur à Satana, compertiſſimum innumeris experimentis. Referam quæ varij ſcriptores in hoc negotio verſatiſſimi, ex fide tabulariorum publicorum, vel per *αὐτοψίαν* prodiderunt. Alexia Belhoria, Nicolæa Morelia, & Ioanna Gerardina ac Claudia Bergaria teſte Remigio l. 1. dæmonol. c. 5. ſtigma habuere in ſummâ fronte. Quirina Xallæa in occipite. Claudia Fellæa in pectore, & à tergo. Dominica Euræa in coxâ. Ioanna Nigra in dextro humero; Iacquelina Xaluetæ in ſiniſtro; Mugeta in ſiniſtro femore. Nicolaum Iacquerium iam ſupra retuli ex flagello faſcinat. c. 7. teſtantem tres liberos nefandiſſimæ matris, ab ea Satanæ initiatos, conſignatos eſſe in coxâ. Aliquos ſub linguâ, alios ſub palpebris, in labiis alios, quoſdam in naſo excepiſſe ſtigma, ſcribit Iacobus Fõtanus l. de notis Sagarum *pag. mihi* 24. Ad mammillam ſiniſtram notatas Sagas, habet Petrus Piperuus tract. de Nuce Beneuentana cap. 7. Boytaionam Sagam inſignem, in humero ſiniſtro ſtigma excepiſſe, ſcribit Claudius Caronus Tract. de Antichriſto reuelato Nota 1. *pag. mihi* 66. In Actis Quæſitorum Luronẽſium anni 1610. ſeptimo Nouembris, addoctis à Petro Ancorano lib. 5. de Inconſtantiâ dæmon. diſcurſu 3. habetur, Dæmonem frequentiùs notare ſiniſtri oculi albuginem, inducta effigie parui buffonis per impreſſionem aciculæ aureæ. Additúrque ibidem, notari humerum, & latus ſiniſtrum, vel femur. Ioannes de Vaulx Stabulenſis, ſignatus eſt in tergo, ſtigmate catellum nigrum referente: qua in parte ſi acus profundiùs adigeretur, nullus inferebatur ſenſus doloris; & tamen ſi à tergo, clam malefico, digitum in catellum illum veluti minitabundus erigeres, exprimebatur à reo dolor acerrimus, vt ex Petro Otano in ea cauſa Quæſitore, ſcribit Delrio 2. Magic. q. 11. Ex nobilis Valeſij teſtificatione, refert Bodinus l. 4. dæmonum. c. 4. aliquos ſub oculi palpebra notari; alios ſub labio, alios in imis locis, ipſóque ano, aut inter nates, & in oris palato, vt addit Danæus dialog. de Sortiar. c. 4. ac Condronchus lib. 3. de morbis veneficis cap. 4. Viſos abs ſe aliquos, intra oculum notatos, indéque ſe inuicem diſcernentes, teſtatur Florimondus Remondus Tract. de Antichriſto cap. 41. Eámque aliquorum notationem intra oculum ſiniſtrum, abs ſe deprehenſam, ſcribit Ancoranus lib. 2. de inconſtantia dæmon. diſcurſu 2. Et idem confirmans Bogetus in Opere de Sortiariis c. 44. ait, obſeruatum ſæpè eſſe, vt plurimùm maleficos habere in vno oculo duplicem pupillam, vt Tibienſes illos in Ponto; quibus, vnus oculus duplici pupilla inſtruebatur, & alter equi imaginem præferebat. Erant autem faſcinatores inſignes; quales etiam eſſe dicuntur mulierculæ quibus eſt in vno oculo pupilla duplex. Quandoque ergo nota Satanica, in pupillis oculorum imprimitur. Viris quibuſdam ſub axilla, aut in ima ſede; mulieribus verò in mammis aut in locis muliebribus impreſſam eſſe notam ſtigmaticam, tradit Delrio l. 5. ſ. 4. n. 28. quod de mammis negat Maria de Seins ſaga, itémque de labris ſubiacentibus. Sed ſunt multa in contrarium teſtimonia. Maximum ſtigma Ludouici Gaufridi, nobilis ætate noſtra malefici, erat in renibus, teſte Fontano l. de notis Sagarum: qui addit, alios notari aliquando intra naſum, aut intra pilos capitis; alios ſub lingua, pleroſque in pudendis. Intra os, vel intra oculos, pleriſque impreſſam notam, benè multis in podice, mulieribus frequentiſſimè in pudendo, obſeruauit Ancoranus l. 2. de inconſt. dæmo diſcurſu 5.

Perſpicuè ergo ex his habetur, quod Primo loco ſtatuebam, nullam aſſignari poſſe determinatam partem, in qua ſemper fiat ſtigmatis dæmoniaci impreſſio; ſed nunc vnam partem, nunc aliam notari. Quod ſuppoſita hominis impia deuotione, & ſui ipſius deditione ad Satanæ voluntatem, eius delectui & arbitrio permitti videtur. Seruata tamen analogia aliqua ad nequitiam, perſonæ ſtigmatizatæ, ſaltem vt plurimum, ac ferè ſemper. Confert ad hoc negotium, quod Maria de Seins inſignis Maga, teſtata eſt, non habere ſtigma qui ſe primùm Satanæ dedunt, ſed tantùm ex quo ingreſſi ſynagogam, admiſerunt nefaria, ſolita admitti in ſynagoga: vnde pro varietate ſceleris admiſſi, ſtigma certæ parti imprimitur, V. G. ſtigma in pudendis, eſt ſignum commiſtionis beſtialis; impreſſum verò podici, eſt nota auerſæ libidinis; inuſtum cordi, eſt ſignum amoris; immiſſum capiti, eſt nota gradus eminentis apud Satanam; impreſſum manibus, denotat inſigne aliquod ſcelus patratum contra Dominum; deorſum denique pedibus, indicat conculcatam Euchariſtiam. Solum ſtigma dorſi, caret peculiari ſignificatione, ſed tantum eſt nota generalis, qualis eſt dorſi liliati apud Gallos. Vt plurimum autem, Satan occultam quampiam partem deligit, cui ſtigma imprimat. Idque adeò affabre & dextrè facit, vt quantáuis accuratione adhibita, ægrè plerumque deprehendatur. In quam rem Claudius Caronus in Antichriſto reuelato nota. 1. *pag. mihi* 66. narrat ſibi & aliis quibuſdam faceſſitum eſſe negotium, cùm veſtigarent ſtigma maleficæ cuiuſdam perſonæ. Poſt operam autem diu fruſtra conſumptam, Dæmon qui intra energumenum ſtabulabatur, effuſè deriſos, docuit vbinam eſſet impreſſum ſtigma, in maleficæ perſonæ corpore.

Addebam, non rarò notari à Satana, plures partes corporis ſibi deuoti. Quod intelligo de notatione, interdum ſimul, plerunque autem ſucceſſiuè facta. In Actis Aquenſibus anni 1611. Ianuarij 19. Magdalena à Palode faſſa refertur, vt plurimùm maleficos tribus locis ſtigmate impreſſo notari: nimirum in corde, cerebro, ac renibus. Hanc ipſam

ſam Magdalenam, in pedibus, & renibus, ac circa cor fuiſſe ſignatam, habent anni proximè ſignati acta 25. Februarij. Inſignem Magum æui noſtri, qui nomine Ludouico Gaufridi, trigeſies fuiſſe ſtigmate notatum, teſtatur Fontanus Opuſculo de Notis Sagarum. Narrabat nuper Arauſicæ V. Clariſſ. inibi Princeps Senatus, D. De Seruan; id quod etiam tranſmiſſo poſtea ſcripto firmauit; Spiritam Grimandam à Ionqueria, ditionis Arauſicanicæ oppidulo, anno 1619. Octobris 28. de impactâ Sortilegij nequitiâ ream, Iudicis delegati præcepto, à Medico & Chirurgo inſpectim, duplici ſtigmate notatam apparuiſſe: quorum alterum læuæ axillæ ſuberat, alterum circa loca muliebria, è dextro lateræ erat impreſſum. Rurſúſque inſequenti anno 1620. Maij 26. iiſdem aliiſque tribus inſpectoribus, ſtigmata in eius corpore diligenter veſtigantibus, duo quæ dixi ſtigmata, ſunt deprehenſa; inſuperque alia quatuor, variis corporis partibus impreſſa; quæ vel priùs diligentiam ſcrutantium fugerant, vel de nouo poſt primam inſpectionem acceſſerant. Sed multo luculentius eſt, quod legitur in Opere de tribus Belgicæ energumenis tract. 4. c. 4. de Maria de Seins inſigni ſaga, quæ plurimùm tribus ſtigmatibus ſe notatam faſſa eſt, in corde ſcilicet, humeris, ac renibus; & poſt biduũ, aliud ſtigma accepit in ſummitate brachij, poſtridie verò terna, in pudendis vnum, alterum ad renes, tertium in pede. Biduo autem poſt, iterum notata eſt in dorſo; ac rurſum biduo poſt ſemel in dorſo, bis in pudendis ſignata fuit. Rurſus ſequenti die, bis in locis muliebribus, ſemel circa tempora, & ſemel item in dorſo, ac ſemel in pede eſt notata. Sequenti die ſepties, & rurſus die proximè ſequenti ſepties; tertia etiam die ſepties de nouo eſt ſtigmatizata & multipliciter præterea per multos dies conſequentes, notata ibidem in prædictis & aliis partibus legitur.

CAPVT VI.

De ſtigmatis Magici formâ eſſentiali & accidentariâ.

HÆc eſt altera ſtigmatis Magici interna cauſa, quam ſecerno in eſſentialem, quæ quidditate continetur, & accidentariam ad quam pertinent figura, quantitas, color, & ſi quæ ſunt alia ſtigmatis extrinſeca complementa, quibus omnibus ſubiungitur efficacitas, quippè quæ ad formam eſſentialem ſuis acceſſionibus ritè conueſtitam, conſequitur. Attingamus breuiter ſingula.

Quidditas & ſubſtantia ſtigmatis, eadem eſt quæ partis notatæ. Cuiuſmodi autem ſit pars cui ſtigma eſt impreſſum, non eſt vſquequaque perſpicuum. Fontanus Opuſc. de notis Sagarum contendit eſſe partem emortuam, & vitâ ſenſúque deſtitutam. Quæ enim pars corporis ſtigma excepit, eſt longè alterius rationis, quàm partes maculoſæ leproſorum, vel ſcabioſorum, & aliorum. Quantúmcumcunque enim transfigantur acu, vel graphio, non emittunt humorem: vnde diſcrepant à notis leproſorum & paralyticorum, è quibus transfixis, effluit humor. Item notæ Magorum non protuberant, vt verrucæ, nec relinquunt ſenſum doloris, vt contingit ſub cruſta ſcabiei, vbi minima punctio infert cruciatum. At pars ſtigmate Magico notata, quantumcunque compungatur, eſt ſenſu deſtituta, nec transfixionem ſequitur inflatio.

Colligitur itaque ex his omnibus, partem corporis Magico ſtigmate notatam eſſe ſiccam prorſus & emortuam, ideóque ægrè ſorabilem, non ſecus ac corium emortuum.

Non adſcribor omnino huic ſententiæ, ſed ex parte duntaxat. Itaque admitto, plerunque partẽ ſtigmate notatam, eſſe mortuam: quod multipliciter impugnat Paulus Zacchia l. 7. qq. Medicoleg. tit. 4. q. 2. à num. 1 1. vrgens ſecuturam, & partis illius emortuæ, & reliquarum ab iſta corrupta putrefactionem; nec non atrophiam reliqui corporis, interrupto ductu alimenti per partem ſtigmate inuſtam. Hæc tamen omnia parui ſunt momenti. Nam putrefactio, atque adeò graueolentia illius partis emortuæ, facile impediri poteſt; cum videamus corpora pleraque poſt abſceſſum animæ durare incorrupta, citra omnem fœtorem. Interclusio autem nutritionis reliquarum corporis partium, minimè ſequitur ex partis inuſtæ morte; cum venæ per quas alimentum diducendum eſt ad reliquas partes ei quæ inuſta eſt, continentes, per alias partes non læſas ſparſæ, ſuccum vtilem diffundant quaquauerſus, vt contingit cum aliquod membrorum eſt ſideratum. Plerunque ergo partem inuſtam eſſe emortuam, admitto; rectéque coniectatur ex ſtupore, & defectu ſenſus ac cruoris, quantumcunque pars notata cõpungatur. Suppetunt eius rei exempla quàm plurima Saga Arauſicana cuius proximè memini, acum Chirurgicam benè longam, in quauis parte notata excepit abſque ſenſu, tametſi adeò altè infigeretur acus, vt non extaret: & infixa parti circa pudendum, teuelli nunquam inde potuerit, ſed perpetuò ibi hæſerit, citra omnem Sagæ moleſtiam. Scribit item Remigius l. 1. demonolog. c. 5. Iſabellam Pardæam, cum indicaſſet qua corporis parte eſſet inſcripta; acum intra eam partem Iudicis decreto penitiſſimè infixam & inculcatam excepiſſe ſine ſenſu, permultis aſtantibus; & prorſus incruentam fuiſſe transfixionem. Idem de Claudia Bogarta ſcribit, deprehenſum fuiſſe in eius capite detonſo, ſtigma Magicum; quod Saga initio ad lapidis impactionem mendaciter referebat, poſtmodùm tamen in tormentis, faſſa eſt eſſe notam Satanicam. Ei parti immiſſa altiſſimè acus, neque dolorem intulit, neque elicuit ſanguinem, manifeſto indicio ſenſus ac vitæ ab ea parte exulantis. De Mugeta Saga, idem Remigius refert, cum nota Satanica in ſiniſtro femore eſſet deprehenſa, nullo lictoris conatu ferrum quanta vi potuit intrò adigente, guttam ſanguinis elici è parte notata potuiſſe, nec vel minimum doloris ſenſum eſſe expreſſum: quamuis continente ſtigmati parte leuiter ſauciata, & copioſus cruor manauit, & ingẽs clamor præ dolore à Saga ſit editus. Sebaſtianus Michaëlis in Actis Aquenſibus contra Magos ad annum 1611. *pag. mihi* 70. ſcribit, partis ſtigmate notatæ in Magdalena Paludana, acum profundè infixam eſſe à Gulielmo Vairio Senatus Aquenſis tunc Principe, qui poſtea Galliæ Procancellarius, & Epiſcopus Lexouienſis obiit; nullum tamen in parte ſic transfixa excitatum eſſe ſenſum doloris, nec vel minimum cruoris expreſſum. Intrò autem mota acu, ſtrepitum quaſi foratæ chartæ pergamenæ, eſſe perceptum. Similia exempla paſſim occurrunt, in Tractationibus de his argumentis: videtúrque per ea effici, partem ſtigmate notatam vita carere, cùm ad eum modum affecta deprehenditur. Et ad hunc ſenſum aptanda ſunt illa alioqui reiicienda ex Remigij Periocha libri primi cap. 6.

Hoc in confeſſo certè eſt, exangue manere,
Quod ſic attigerit: pigro vt torpedo ſtupore
Captantis ſe hamo totos interficit artus:
Namque altè ferro confoſſum non dolet, & ſtat
Fixus in extremo conſtanter vulnere ſanguis.

Hæc dico, ſi agatur de partibus ad dictum modum affectus, aptanda eſſe ad rem propoſitam, adhibita congruâ interpretatione. Neque enim pars ſtigmate notata, torpet duntaxat, eo modo quo manus piſcatoris, in quâ torpor non eſt argumentum excluſæ vitæ, quandoquidem manus diſcuſſo torpore obit ſua munera, æquè ac priùs: ſed pars cui ſtigma impreſſum eſt, ita torpet, vt verè ſit exanimis. Torpor igitur à quo comparatio petebatur, non eſt accipiendus niſi ſub genericâ ratione quâ communis eſſe poteſt, viuentibus & non viuentibus partibus; hic autem reſtringendus eſt ad partes vitâ deſtitutas, quandoquidem eas prorſus exangues, & ſenſus doloris expertes ſupponimus.

His porrò ita conſtitutis, nihil neceſſe eſt ſollicitum eſſe cum Remigio libro illo. 1. c. 5. de causâ ſtuporis tanti in parte ſtigmate notatâ. Cuius torporis originem, ait aliquos referre ad contactum Satanæ, ſtigma imprimentis. Cum enim corpora quæ dæmones aſſumunt, pluſquàm glaciali frigore rigeant, ſtupefaciunt vtique ea quibus admouentur: quemadmodùm mortui ob eximium frigus planè rigent, ita vt quod Plutarchus l. de comparatione vtilitatum ignis & aquæ notauit, acies nouaculæ corpori mortuo admotæ, propter rigorem cadaueris, obtundatur. Idem ergo contingit ex illato corpori frigore magno, per attactum corporis rigentiſſimi, quale eſt quod Satanas ſtigma imprimens admouet. Et indidem manat ſentiendi hebetudo, cum videamus, partes minori colore præditas, minorem ſentiendi vigorem habere. Sic igitur philoſophantur aliqui de causâ ſtuporis qui deprehenditur in membro ſtigmate notato; quos Remigius pluribus argumentis confutat: eòque tandem ipſe reuoluitur, vt dicat, reputandum nobis eſſet nihil vnquâ homini à Satana niſi exitiale atque mortiferum accidere poſſe: in eo nocendi perdendíque vim occultam eſſe, ac nullis naturæ legibus aſtrictam, otioſéque illos agere, qui quæ Satâ præſtat, ad certam aliquam naturæ rationem exquirunt: quaſi non ſit illi potiùs perpetuum, cum naturâ diſſidium atque cõtentio. Quid quod non modò à causâ frigidâ, vt perperam aſſumebatur, ſed etiam à præferuidâ & igneâ, (cuiuſmodi eſt fulmen, iuxta Senecam l. 1. natur. qq. cap. 11.) animalium membra perpetuum torpida & exanguia redduntur? Itaque poteſt Satan, hâc quoque ratione, iuxta Remigium, torporem illum & ſanguinis defectum inducere; non ſeruatâ illâ lege vulgari, quâ videmus torporem conſequi frigus, & frigidorum rigidorúmque admotionem.

In his Remigij dictis, illud diſplicet, quod Satanam videtur agnoſcere non alligatum naturæ legibus. Cum tamen extra ea quæ ad motum localem pertinent, nihil planè præſtare poſſit abſque admotione actiuorum naturalium, ex naturæ inſtitutis operantium. Cæterum vniuerſus hic labor, quærendi vnde ſtupor & ſanguinis defectus in parte ſtigmate notatâ exiſtat, ſuperuacuè ſuſcipitur, ſi pars notatâ ſupponatur emortua. Quorſum enim quærere, cur pars emortua torpeat; & ſauciata ſanguinem non emittat? Atqui vidimus, aliquando partem ſtigmate notatam, vita deſtitui: Non eſt ergo, quod cum is vitæ defectus ſupponitur, ſimus ſolliciti de causâ torporis partis notatæ, & non manentis ex ea transfiſâ ſanguinis.

Statuendum verò eſt ſecundo loco, partem ſtigmate notatam, non ſemper vitâ & ſenſu deſtitui. Id quod experientia conſtare, aſſerit Delrio lib. 5. Mag. ſect. 4. num. 28. Eſtque inſigne exemplum, quod Petrus Oranus Quæſitor in causâ Ioannis de Vaulx Stabulenſis, celeberrimi Magi exhibuit, teſtatus, cum ſi graphio adacto, aut acui infixâ, profundiùs foraretur aduertens vulnus, nihil ſenſiſſe cruciatus: eiulaſſe verò triſtem in modum, ſi à tergo, non aduertens pungeretur. Nimirum nequam Magus, aduertens punctionem, aduocato Satanæ ſubſidio, ſtuporem ſibi ac indolentiam conciliabat; quo deſtitutus ſubſidio, dolore vrgebatur, quia pars notata, erat ſenſu prædita & viuens. Et quanquam aliquando infelices ſtigmatiæ, cum aduertunt ſe pungi, & in partem notatam infigi ferrum aut acum, ementiantur dolorem, vt obſeruat Sebaſtianus Michaëlis in expenſione ſententiæ Auenionenſis ſcholio 5. Tamen ex prædicto exemplo liquet non ſemper dolorem eſſe ſimulatum; quandoquidem punctio fiebat à tergo; nec poterat maleficus induere perſonam dolentis, neſciens quorſum, & à quo compungeretur. Non igitur omnes Sagarum & Magorum notæ ſunt ſemper emortuæ: ſed pro varia vi cauſæ notam imprimentis, nunc vita viuunt, nunc vita & ſenſu deſtituuntur.

Pergo ad extrinſecam ſtigmatis formam, quæ eius accidentibus continetur. Sunt autem ea accidentia, in variis omnino varia, ſiue figuram ſpectes, ſiue quantitatem, ſiue colorem. Famoſus maleficus qui nomen à tribus ſcalis ducebat, *Triſcalanum* vocant aliqui; facta à Rege Carolo IX. vitæ gratia, benè multos ſceleris ſocios detexit, beneficio notaculi, pedis leporini forma, vt ſcribit Florimondus l. de Antichr. c. 40. n. 2. Aliquando forma ſtigmatis refert pedem buffonis, vt ait Delrio l. 3. Mag. ſect. 4. n. 28. Effigiem parui buffonis aliquando retuliſſe, habent Acta Lucronenſia anni 1610. Interdum refert araneam, vel glirem, vel catellum. Qua poſtrema forma erat ſtigma celebris Malefici, Ioannis de Vaulx Stabulenſis. Itaque mendaciter Maria de Seins, inficiatur, quod vnquam ſtigma Magicum ſit forma pedis leporini, aut buffonis, vel araneæ, aut gliris, aut canis, experimenta certa, ſunt in contrarium.

Quantitas notæ ſeu ſtigmatis in quibuſdam, quoad extenſionem in ſuperficie extima, non exceſſit magnitudinem denarij. Sic enim Claudius Caronus l. de Antichriſti perſonâ detracta nota 5. teſtatur ſtigma Bayaronæ inſignis maleficæ, fuiſſe in humero ſiniſtro, denarij tantùm magnitudine; quaſi à centro ad peripheriam ductis filamentis. Apud Iacquerium in flagello faſcinariorum c. 7. dæmon *Tonyen*, tres paruulos à ſcelerata matre oblatos, ſtigmate coxæ impreſſo notauit; nec ſtigma excedebat fabæ magnitudinem. Profunditas, quæ eſt altera quantitatis ſpecies frequentiſſimè eſt multò maior; quandoquidem acu oblonga penitiſſimè infixa, abeſt ſenſus doloris, nec cruor exiſtit ex vulnere. Maga Arauſicana cuius ſupra memini, abſque ſenſu doloris, excepit quàm longa erat, acum chirurgicam; adeò altè infixam, vt reuelli nequiuerit; & tamen hæſit ferrum in corpore citra vllam moleſtiam. Oportuit igitur, ſtigmatis profunditatem vt minimùm reſpondere longitudini acus infixæ. Stigma præcipuum Ludouici Gaufridi, Magi ætate noſtra inſignis, erat impreſſum renibus: vbi teſte Fontano in

Opuſculo

Opuſculo de Notis Sagarum, infigebatur abſque vllo doloris ſenſu, acus tres in tranſuerſum digitos.

Color denique ſtigmatis plerunque eſt admodùm dilutus; vt proinde benè oculato inſpectore opus ſit, ad ſtigma deprehendendum; aliàs verò eſt coloris magis ſaturi & viuidioris V. G. nigri; qualis erat color catelli Ioannis de Vaula Stabulenſis. Imprimi aliquando coloris rubri ſtigma & eſſe repertu facile ob coloris illius viuiditatem, teſtata eſt Maria de Seins vt refertur in l. de tribus Energumenis Belgicis tract. 4. c. 4. Aliquando alius eſt color, pro qualitate cauſæ proximæ ſtigma imprimentis, & paſſi variâ diſpoſitione.

CAPVT V.

De efficacitate formam ſtigmatis Magici proximè expoſitam conſequente.

AD quidditatem accidétibus ſuis inſtructam, conſequitur efficacitas; quæ proinde in ſtigmate conſideranda nunc venit. Non nemo tribuit ſtigmati Magico, vim iniiciendi maleficis ſilentij perpetui; ita vt id ſit eis quaſi linguarium, quamdiu nota latet, nec reuelatur. Et propterea feruntur Sagæ ſæpè rogaſſe Iudices, vt ſi veritatem vellent ediſcere, ante omnia raderent earum capillitium vniuerſum, ad retegendum ſtigma, quo manifeſtato veritas ab eis panderetur, alioqui altiſſime premenda, vt ſcribit Ancoranus l. 3. diſcurſu 2. n. 2. Ipſi item Iudices, nihil priùs ſuſcipiunt, quàm tonſuram, vel potiùs raſuram exquiſitã maleficorum. Itaque ad rem Magicam pertinere vult Bulengerus, l. 2. de Magia c. 65. quod de S Petro ab infidelibus attonſo, ſcriptum eſt à S. Germano in Theoria Et quod de B. Ioanne per Domitianum detonſo, ſcripſit qualiſcunque author Prochorus c. 10. Sicut etiam idem Domitianus, Apollonij cæſariem tonderi iuſſit, teſte Philoſtrato l. 7. c. 14. & Dio Præſes Beatas Priſcam atque Chriſtianam, quod eas Sagas arbitraretur, tonderi mandauit.

Verùm temerſi certum eſt, praxim peritorum Iudicum ſemper ferre, vt Sagæ ac malefici tondeantur, vel etiam radantur; non eſt tamen exiſtimandum id fieri, vt retecto per ſubmotum capillitium ſtigmate, taciturnitas ſoluatur: ſed potiùs, vt ex tanti indicij manifeſtatione, deprehendatur impium cum Satana commercium. Item ad ignominiam & deturpationem Maleficorum, videri poteſt adhibitam tonſuram aut raſuram. Omnia certè exempla proximè prolata, ad meram dehoneſtationem ac ludibrium inde captatum, ſunt referenda; vt de tonſura S. Petri, dixit S. Germanus: & de tonſura B. Ioannis, ac Apollonij, Prochorus, atque Philoſtratus. Et de S. Fauſta idem habetur in Tabulis Eccleſiaſticis 10. Septemb. vbi fusè in hanc rem Baronius. Nonnulla in eam rem protuli in Actis S. Ioannis Benedicti p. 7. Quod ſi tonſura B. Petri ad diſſipandas vires eius Magicas adhibita ab Ethnicis fuiſſet, quomodò Simon, Magus adeò inſignis, tonſuram ipſe quoque vſurpaſſet, vt ſcribit poſt memoratam S. Petri tonſurã Ceolfridus Abbas apud Bedam lib. 5. hiſtor. Eccleſ. Anglor. c. 22. Nolim tamen inficiari, quin olim fortaſſis aliqui Ethnici, ex malè intellecta & detorta Samſonis hiſtoria, Magum fortaſsè Samſonem rati, cum accepiſſent tantam eius fortitudinem, reciſo capillitio euanuiſſe, in eam inducti ſint opinionem, vt ad ſuccidendas Magorum vires, tondendi ſint, vel radendi. Interuerſam enim eſſe à fabulatoribus Ethnicis eam hiſtoriam, rectè monſtrat Serarius in c. 16. Iudic. quæſt. 16. Abſit tamen, vt nos Chriſtiani, qui nouimus vnde tantum robur Samſonis capillos ſit aſſectatum, in eam veniamus cogitationem, vt ad priuandos maleficos aliqua dæmoniaca prærogatiua, tondendi ſint, aut radenda exemplo Samſonis, quem detonſum defecit fortitudo.

Igitur ſtigmatis Magici efficacia non conſiſtit in obfirmatæ taciturnitatis collatione, quamdiu latet neque retegitur. Idque malè Torreblanca, l. 2. dæmonolog. c. 23. nu. 19. eruit ex narratione Remigij lib. 1. dæmonol. cap. 5. de Mugeta Saga, quæ deprehenſo ſtigmate, & altè in illud infixa acu, ſilentium tenuit, nec cruoris vel guttam emiſit: ſoluit verò ſilentium, & largum emiſit cruorem, compuncta in parte ſtigmati propinqua. Hæc quid ad inferendum, conferri maleficis taciturnitatem per ſtigma? Quamuis autem denego ſtigmati Magico efficaciam conferendæ taciturnitatis quamdiu non retegitur; admitto tamen, dæmonem plerunque ſtuporem in tormentis & taciturnitatem conciliare.

Fuiſſe qui cenſerent, hanc eſſe ſtigmatis Magici efficacitatem, vt inſomniam conciliet maleficis, quo poſſint hora conducta adeſſe conuenticulis nocturnis, ſcribit Ancoranus l. 2. de inconſt. dæmon. diſcurſu 2. n. 2. tribuens Maioli continuatori c. 2. l. 3. Sed ibi nihil tale inuenio, nec eſt ſanè veriſimile, aut etiam neceſſarium; cum tam multæ aliæ ſuppetant viæ, quibus poſſit diſcuti ſomnus ad nefariorum cœtuum tempora accuratè ſeruanda. Prætérquàm quod ſupponit ea opinatio, cœtus maleficorum ſemper de nocte peragi, & neminem eo abduci dormientem. Atqui contrarium prolatis exemplis teſtatum facit idem Ancoranus, in maleficorum cauſis verſatiſſimus, quippe quibus diu præfuit quæſitor. Eo igitur libro 2. diſcurſu 1. num. 1. & 2. monſtrat exemplis, conuentus maleficorum quibus Satan viſibili ſpecie intereſt, ac præſidet; interdum haberi de die: idque eſſe exiſtimat, quod Pſaltes inter diuinæ protectionis argumenta, numerabat eripi ab incurſu & dæmonio meridiano: & quod Origenes lib. 1. in Iobum, agens de prandio liberorum Iobi in domo fratris maioris, tentationes dæmonum infeſtiores eſſe meridie, admonuit. Eſto verũ ſit, plerunque Satanam tenebrarum Principem, condicere maleficis horam noctis tenebricoſiſſimam & altiſſimam: ipſam inquam noctem dimidiam, vel tempus haud ita abiunctum ab ea, vt fidem faciunt variæ narrationes. Præterea de abductis ad nefarium conuentum quibuſdam dum ſomno indulgerent; ita vt ſomno oppreſſi non aduerterent tranſuectionem, nec euigilarent niſi cum cœtui ſiſterentur, exempla habet idem Ancoranus lib. illo 2. diſc. 1. n. 2. Quare euerſum manet fundamentum, ex quo ferebatur, viſum aliquibus eſſe, efficacitatem ſtigmatis, ſitam eſſe in conciliatione inſomniæ, vt malefici condicta hora interſint conuentui nefario. Eſto, poſſit dæmon conciliare inſomniam; ac ne ſomno ſe dedant vltra quàm velit efficere.

Quamuis autem alterutram ex prædictis efficacitatibus, vel etiam vtramque, ſtigmati Magico tribueremus; certum tamen eſſe deberet eam non fore vim phyſicam ſtigmatis: quaſi ſcilicet ſtigma, innata proprietate effectus illos producat, per modum veræ cauſæ efficientis Nihil enim

tale

tale habet ſtigma; nec eſt proportione ſeruata, aliter de eo philoſophandum, quàm de charactere ſpirituali, cuius impreſſionem æmulatur Satan, conſignans hæc mancipia ſua. Veriſſima autem ſententia de charactere per quædam Sacramenta impreſſo, fert nullam eius eſſe efficacitatem actiuam, ac ne receptiuam quidem; fruſtraque niti quoſdam D. Thomæ ſectatores, & cum eis Peſantium 3. p. ad q. 63. art. 2. diſp. 1. cum talem aliquam phyſicam vim, re vera inexplicabilem, aſſignant characteri Sacramentali, vt fusè proſequuntur Suares t. 3. 3. p. d. 11. ſ. 3. *circa tertiam ſententiam.* & Vaſquez 3. p. d. 134. à num. 57. qui ibidem n. 70. monſtrat, charecterem eſſe qualitatem primæ ſpeciei, cuius munus non eſt actiuitas aliqua, ſed affectio ſubiecti in ordine ad ſeipſum. A qua ſententia reipſa non diſcrepant Valentia 3. p. d. 3. q. 4. p. 9. *ſub finem*, & Henriques l. 1. c. 13. nu. 4. qui caracterem reuocant ad ſecundam ſpeciem, quia continentur potentiæ. Id enim intelligunt duntaxat, de potentia morali, cuius intuitu aliquid à Deo fiat, aut conferatur. Et eodem redeunt Salas 1. 2. tract. 2. d. 8. num. 61. ac Carthagena diſp. 5. de Sacram. in genere diffic. 2. cap 4. reuocantes characterem ad quartam ſpeciem, eo quod habeat rationem quandam configurationis, cui aliquid moraliter debeatur.

Quod igitur de Chriſtiano charactere tradit probatior Theologorum ſententia, ad characterem ſiue ſtigma Magicum, proportione ſeruata, eſt accommodandum; dicendo, nullam planè eſſe phyſicam actiuitatem vel efficacitatem natiuam huius ſtigmatis, ſed ad ſummum moralem: quatenus dæmon, homini ſic conſignato, & in obſequium ſuum iniuſto, rependit aliquid; eúmve certo gradu & loco habet. Id quod multo rationabilius de charactere hoc Magico aſſeritur, quàm de charactere Chriſtiano. Nam hic, eſt vera qualitas phyſica, id eſt reipſa & realiter inexiſtens ſubſtantiæ animæ; (quamuis ſupernaturalis ſimpliciter ob nexum quem habet cum Deo, vt in ſe eſt, quod rectè ſtatuunt Mol. 1. p. q. 57. art. 1. d. 1. Herice 1. p. d. 48. num. 38. & Suares t. 3. 3. p. d. 11. ſ. 2. malè id retractans t. 4. 3. p. d. 46. ſect. 2. n. 21.) Tali autem qualitati, congruentior eſſet vis phyſicè cauſatiua, quàm ſtigmati Magico; quod vt plurimum eſt pars corporis emortua; & vt minimum, eſt pars oblæſa, & complexionis vitiatæ, cui non eſt quod natiua aliqua efficacitas correſpondeat.

CAPVT VI.

De ſtigmatis Magici, finali cauſa.

EXpoſitis ſtigmatis Magici internis cauſis, & proprietatibus ad eas conſequentibus, veniendum eſt ad cauſas eius externas; quas inter, prima eſt finalis, facilè expedienda ex proximè dictis, vbi falſas de ea nonnullorum opiniones excuſſerimus.

Viſum igitur eſt quibuſdam, referente ac ſuffragante Remigio lib. 1. dæmonol. c 5. finem imprimendi characterem hunc Magicum, eſſe abolitionem monumentorum baptiſmi, ideſt characteris baptiſmalis, per contrarium hoc Symbolum; quod aliter vocant, *eradicationem chriſmatis.* Id quod Remigius in periocha metrica illius capitis, ſic expreſſit.

Prima igitur cura eſt, vnguet immittere fronti
Expungendo, (aiunt,) quo myſtes vngit oliuo,
Dum nos luſtrat aquis; dum rite adſcribitur illi
Qui luit ipſe volens indigna morte peremptus,
Quæ primi noxa nos obſtrinxere parentes.

Refellit quidem ibidem Remigius, primos illius placiti de ſtigmatis imprimendi ſcopo authores, quibus viſum erat, ibidem ſemper imprimi ſtigma Magicum vbi apponitur à Miniſtro baptizante ſacrum chriſma: quam partem corporis cenſebant eſſe frontem, in quo aberrabant. Nam Sacerdos baptizans, linit chriſmate ſacro, verticem capitis baptizati; chriſmatio autem (vt ſic dicam,) frontis, ſpectat ad Epiſcopum confirmantem; ſuntque duæ illæ chriſmatis admotiones, omnino ſecernendæ. Videſis Pamelium ad librum Tertulliani de baptiſmo n. 48. & retexentem quæ alias malè in contrarium cenſuerat, Feuardentium ad lib. 1. Irenæ c. 18. n. 7. & in Appendice ad Caſtrum V. *baptiſmus* hær. 8. Itaque authores illi quibus viſũ erat, finem ſtigmatis Magici eſſe eradicationem chriſmatis, quo quis à Sacerdote in baptiſmo illitus eſt; perperam affirmabant, chriſma tunc illini fronti, & idcirco characterem Magicum ſemper imprimi fronti. Qua in parte deſeruntur à Remigio, cum conſtet ſtigma Magicum variis aliis corporis partibus imprimi. Admittit tamen Remigius, quacunque demum corporis parte imprimatur ſtigma Magicum, finem in quem imprimitur, eſſe expunctionem & abolitionem baptiſmi, per hanc contrariam notam, ac ſigillum, Chriſti ſigillo aduerſum.

Hæc tamen ſententia, de ſtigmatis Magici fine, non placet: & meritò exploſa eſt à Binsfeldio l. de confeſſ. malef. indicio 24. ac præludio. 6. *ſub finem.* Siue enim dicatur, Satanam hac ratione conari velut extergere baptiſmum, ſiue dicatur conari obliterare characterem in baptiſmo impreſſum; (nec enim ſatis liquet, quod notum ferant verba quibus aduerſarij ſententiam ſuam Latiniùs & concinniùs quàm clariùs exprimunt;) non eſt veriſimile, hoc eſſe Satanæ conſilium in ſtigmatis Magici impreſſione. Neque ſanè adeò cæcutit Satan, vt putet poſſe ſe, quacunque corporea impreſſione, eradere characterem baptiſmi, indelebilem & animæ exiſtentem. Certus etiam eſt, hominem baptiſmo initiatum, nulla corporis affectione aſſequi poſſe, vt non ſubſit iuribus Chriſti; per baptiſmum ſuſceptum adepti peculiari titulo poteſtatem in hominem: planéque inſaniuit Iulianus Apoſtata cum ipſo initio defectionis ſuæ, tentauit baptiſmum in Eccleſia Chriſtiana ſuſceptum extergere, vt his verbis prodidit Naz. orat. 3. n. 16. [Atque hinc quidem facinora ſua auſpicatur, quemadmodùm narrant, qui ipſius arcanis gloriantur (Proh in quos ſermones incurrere cogor:) impuro & nefario ſanguine lauacrum extergit, initiationi noſtræ execrabilem initiationem opponens, ſus videlicet in cœno prouoluta, ſicut eſt in prouerbio: manúſque ſuas profanat, vt nimirum eas ab incruento ſacrificio, per quod nos Chriſto, ipſiúſque paſſionibus & diuinitati communicamus, eluerer, ac repurgaret.] Quia enim Euchariſtiam, manibus (vt vſus tum virorum ferebat,) diuinis illis myſteriis participaturus exceperat, profanatas manus ſuas eo attactu ratus; ſanguine victimarum dæmonibus immolatarum eas abluit, vnáque corpus ſuum quod per merſionem in baptiſmi balneo fuerat Chriſto conſecratum, eluit eodem impuro ſanguine, quaſi baptiſmum

extерſurus;

exterſurus; quæ erat impia æquè ac inſana, notitio: ad quam fortaſſis reuocandum eſt, quod Ethnici quidam, Chriſtianos Magiæ inſimulatos, eluebant lotio toti corpori affuſo, vt ei oleo, poſitas in baptiſmo collata conſpurcaretur.

Eſto igitur, ſic cœcutiuerint vel inſanierint aliqui, vt baptiſmum collatum, eatergi, vel eradicari corporea quapiam impreſſione ſenſuerint. At non adeò fungus eſt Satan, vt id perſuadeatur. Nouit enim baptiſmum collatum non poſſe non eſſe collatum; & ius inde Chriſto partum eſſe in perſonam baptizatam, quod abrogari nulla corporis alteratione vel affectione poſſit. Characterẽ verò tunc impreſſum animæ, optimè perſpicit eſſe indelebilem per cauſam creatam; cum nulla cauſa corruptionis naturalis, circa ſpiritualem hanc formam animæ impreſſam, habeat locum. Et verò iuxta hanc ſententiam de ſtigmatis Magici fine, nemo notaretur ſtigmate Magico, niſi iam baptizatus. Et tamen ratum eſt apud omnes, conſignari quoque à Satana Iudæos & Paganos, Magicam ſocietatem ineuntes. Nam præter Tireſiam, inſignem quondam apud Thebanos maleficum, eiúſque filias eodem ſcelere imbutas, Manto & Daphnem, quibus omnibus notam fuiſſe impreſſam, falsò iactatam genituram, teſtis eſt in Bibliotheca ſua Apollodorus, præter hos inquam, multos infra referemus ex Ethniciſmo, conſignatos Magico ſtigmate. Falsò igitur aſſumebatur, ſtigma quod Satan maleficis imprimit, in eum finem imprimi, vt eradicetur, vel obliteretur baptiſmus, aut character in eo impreſſus animæ baptizati.

Iam ſupra retuli, viſum eſſe nonnullis, finem ob quem dæmon imprimit ſtigma, eſſe captationem ſecuritatis, (vt ſic dicam,) rei ſuæ. Ideſt curare Satanam ea ſigni impreſſione efficere, vt malefici non poſſint ab inito pacto regredi, timentes deprehendi per huiuſmodi notam, & legibus grauiter huiuſmodi ſcelera plectentibus, ſubijci. Sunt etiam qui addant, id quoque ſpectare Satanam, vt perdat, & in certum exitium deducat quos ita conſignat. Quod eſt admodum conſentiens genio Satanæ. Nec enim exiſtimandus eſt, reuera amare quos infamibus hiſce pactionibus ſibi deuincit, vt in felices ſibi de eius amicitia blandiantur. Quantacunque enim ſpondeat Satan, & quantumcunque in ſpeciem oſtentet affectum, reuera eſt hoſtis capitalis: de quo proinde S. Auguſtinus alibi adductus, vult accipi illud ſapientis, *ne credas inimico tuo vſque in æternum*. Eſt enim Satan verè ac propriè inimicus noſter, iuxta eundem Auguſtinum in Pſal. 40. *ad verſum* 2. & benè quoque ſerm. 26. de diuerſ. cap. 16. vbi ſic exponit illud dictum antiquis, *odio habebis inimicum tuum*. Hic ergo inimicus & vltor, eſt ſitientiſſimus noſtri exitij, imo eſt ipſa ſitis ruinæ noſtræ, vt S. Gregorius philoſophatur lib. 14. moral. c. 5. qui l. 15. c. 7. & 8. rectè conſiderat quamuis principio blandus & mitis appareat, tamen poſtea euadere viperam; & poſita ſpecie leni quam initio præferebat, truculentiam ſuam & rabiem prodere, euerſo funditus homine malè credulo, & fictis lenocinijs perſuaſo. Hunc genium quem Satan erga omnes homines habet, prodit maximè erga Maleficos; quibus aliqua familiaritate deuinctis, exitare & corporis præſens & animæ æternum exitium, ſummoperè expetit. Vt proinde non abſque colore dictum à nonnullis videatur, ſtigma idcirco Maleficis à Satana imprimi, vt habeant vnde reuincantur ſceleris, quo adiudicari flammis vltricibus debeant, iam ex hac vita.

Nihilominus obſtat huic fini, quod Satã ſtigma occultat plerunque, quantum poteſt, ita vt ægerrimè deprehendatur: quod non videtur congruere cum captatione ruinæ maleficorum, per ſtigmatis impreſſionem. Si enim ſtigma non eſſet adeò latens, multo faciliùs euerteret maleficos. Igitur cum Satan tantopere ſollicitus ſit de occulendo ſtigmate, non videtur per eius impreſſionem quærere (ſaltem directè & ea primaria intentione,) ruinam Magi, per pœnam inferendam cum ſtigma deprehenditur. Quæ item ratio, conuellit quod initio dicebatur, ſcopum Satanæ ſtigma imprimentis eſſe, vt ſecurior ſit de perſeuerantia maleficorum extimeſcentium ſupplicia, ſi reſiliant, & interuentu notaculi deprehendantur.

Finem alium impreſſionis ſtigmatis Magici amplectitur Ancoranus lib. 3. de inconſt. dæmo. diſcurſu 2. num. 5. dicens, idcirco Satanam imprimere ſuis mancipijs hanc notam vt illos edoceat potentiam ſuam. Nam imprimens illis hoc ſtigma citra vllum ſenſum doloris, perſuadet illis, in poteſtate ſua eſſe, vt bona vel mala excipiant; atque adeò ipſum eſſe malorum bonorúmque pro arbitrio largitorem, nec aliunde expectanda ipſis eſſe bona & mala. Hunc tamen eſſe finem ob quẽ ſtigma Magicum imprimitur, non videtur verum. Et imprimis, qui conſignantur non aduertentes, aut nondum ſui per ætatem compotes, apertè monſtrant alium eſſe finem imprimendi ſtigma. Non enim tales, ea ſtigmatis impreſſione docentur Satanæ potentiam. Quæ verò tanta potentia eſt ſtigmate notare corpus, quod nullo negotiò circa pecudes & bruta quotidie faciunt curatores eorum & paſſim olim à dominis fiebat circa mancipia, & ſæpè à carnificibus circa Sanctos? At elucet Satanæ potentia in impreſſione ſtigmatis citra ſenſum doloris. Audio. Sed quid illis fiet, quibus ſtigma magno cum cruciatu imprimitur; quales illi per totum trimeſtre magnis diſcruciati doloribus, & pelle laniati, vt ex Actis quæſitorum Lucionenſium ſcribit ipſe Ancoranus l. 5. diſcurſu 3. Tales certè non docentur potentiam dæmonis, per ſtigmatis Magici impreſſionem. Tandem de fine impreſſionis huius ſtigmatis, videtur eodem planè modo ſeruata proportione philoſophandum; quo de charactere baptiſmi, aut confirmationis: quorum impreſſionem, Satan ſtigmatis Magici impreſſione peruersè æmulatur. Nemo autem dicit, illos characteres idcirco imprimi animæ, vt homo doceatur Dei potentiam, & agnoſcat verum eſſe quod ſcriptum eſt; *Ex ore Domini egredientur bona & mala*; & in eo verti ſpem omnem noſtram atque timorem.

Germana igitur ratio impreſſionis characteris Magici, aſſignanda eſt per proportionem ad finem ex quo character baptiſmi confertur à Deo; quem Satan cum alibi ſemper Dei mimus, vt ſupra c. 1. cum varijs Patribus affirmabam; tum nominatim in hoc negotio peruersè exprimit vt ſimius. Finis autem imprimendi characterem baptiſmalem is eſſe videtur, vt Chriſtianus baptiſmi Sacramento initiatus, accipiat veluti ſpiritualem figuram, ſiue ſignaculum; non ad placitum, ſed naturaliter ſignificans & repræſentans hominem factum membrũ Chriſti myſticum, quippe configuratum Chriſto, qui eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ paternæ, iuxta Apoſtolum. Nam quamuis Chriſtus,

iuxta

iuxta veram doctrinam S. Thomæ 3.p. quæſt.63. art.5. cui ſubſcribunt alij apud Suarem t. 1. 3. p. d.46. ſ. 3. & t.3. diſp.11. ſect.4. non fuit præditus charactere; tamen ſicut Chriſtus fuit naturalis filius Dei, ita qui baptiſmum ritè ſuſcipit, efficitur Dei filius adoptiuus, atque ita configuratur Chriſto, quatenus fas eſt homini puro. Exponunt optimè hunc finem characteris baptiſmi, Abulenſis in c. 6. Matth. quæſt.74. Catharinus Opuſc. de charactere, & Salas tract.2. in 1.2. diſp.8. ſect.3. à n.61. Quod ſi quis malit, characterem baptiſmi eſſe veluti ſigillum, quo obſignatur pactum de noua vita, initum cum Deo, communitum appoſitione regij ſignaculi, vt aſſolet in confectione publicorum inſtrumentorum; qua fortaſſis ex cauſa, aliqui vt diuinum ſigillum pactis ſuis apponi docerent, baptizabant aliquem inter paſcendum, teſte Facundo Hermianenſi lib.4. de tribus capitulis cap.4. *pag.*170. Si inquam quis malit ea ratione exponere finem characteris baptiſmalis, perinde erit ad rem noſtram. Hæc enim eſt obligatio, reſultãs ex mancipatione in filium Dei adoptiuum. Et perinde quoque fuerit dicere, Chriſtianum ea nota impreſſa, aſſeri Deo: ſicut pecudes aſſeruntur Domino cuius notam præferunt; & ſicut olim mancipia monſtrabantur eſſe Domini, per appoſitam ab eo notam. Omnes hi fines, characteris in baptiſmo impreſſi animæ, veri ſunt, & eodem reuoluuntur. Proportione ergo ſeruata, dicendum eſt, Satanam mancipia ſua conſignantem in corpore, conari analogicè conſignare ea ſibi: conſtituendo ſibi in vernas, quos poſt eiuratum Deum habet ſibi mancipatos; ita vt euadant filij perditionis, qualis ipſe eſt, & portent imaginem Tartarei prædonis, loco diuinæ imaginis quam Dei largitate ſuſceperant. Nam in hunc finem denuo baptizantur in nomine Diaboli, & accipiunt nomen nouum, vt ea Bodino lib.2. dæmonum. c.4. iam ſupra retuli. Eſt item huius ſtigmatis appoſitio, veluti impreſſio publici ſigilli, firmam & inuiolabilem efficiens pactionem cum Satana initam, quæ eſt vere fœdus cum morte. Et denique hoc pacto, maleficus velut pecus Satanæ, impreſſa eius nota aſſeritur infami hero. Valde firmant hunc finem ſtigmatis Magici quæ retulit Maria de Sains, inſignis ſaga, vt refertur in l. de tribus Belgij Energum. tract.4. c.5. propoſit.3.

Quandoquidem autem video non paucos verba illa Tertulliani l. de præſcript. c. 40. *ſignat & ipſe* (Satan) *in frontibus milites ſuos*, accipere de ſtigmate Magico (quod nunc an ſit ad Tertulliani mentem non moror, tactum autem ſupra eſt ſ.2. cap.6.) qua ratione ſtigma Magicum reſponderet characteri confirmationis, quo Chriſti milites adſcribuntur in cœleſtem militiam, vt olim milites inuſto eis nomine Imperatoris: non erit difficile, ea quoque ratione proportionaliter exprimere finem ex quo Satan imprimit ſtigma maleficis. Sunt enim hi quoque milites eius, adſcripti Tartareæ militiæ ad vaſtandum orbem terrarum, & bellandum contra Deum. Nec item eſſet difficile, philoſophari de hoc ſtigmate per proportionem ad characterem Ordinis; quandoquidem malefici per hoc ſtigma initiantur in ſacrilegos & impuros myſtas, cultui Satanæ addictos; & pro animabus quas amat Dominus, in æternum exitium omni ſtudio pertrahendis, indefeſsè ſatagentes.

CAPVT VII.

Stigmatis Magici effectrix cauſa.

DE hac altera extrinſeca ſtigmatis Magici cauſa, referri imprimis poteſt ea erronea imaginatio, (non enim opinio veriſimilitudinis alicuius ſpeciem habens,) quam verbis biformibus inſinuauit male feriatus Vvierus Sagarum patronus lib.6. de præſtigiis c. 24. *ad quartam obiectionem*. Vbi primùm reniat eludere quæ dicuntur de ſtigmate. Quod ſi vrgeatur confeſſio maleficorum; & ſcilicet, ſi ſtigma deprehendatur in eorum corpore, negat conſtare poſſe ſtigma eſſe à dæmone impreſſum; ſed obſcurè inſinuat, referendum eſſe ad imaginationem perſonæ quæ maleficij inſimulatur. Quamuis enim hæc verba cadere videantur in perſuaſionem maleficæ, quod Satan ipſi ſtigma impreſſerit; tamen ex mente Vvieri, videntur quoque eſſe referenda, ad ſignificandum quod cauſa efficiens illius notæ quæ in corpore realiter deprehenſa ſupponitur, ſit imaginatio maleficæ. Excludit enim Vvierus, cauſalitatem Satanæ in ſtigma: qua excluſa, vix aliud poteſt occurrere quod aſſignetur pro effectrice cauſa talis effectus, quàm imaginatio, iuxta doctrinam multorum Philoſophorum, ea quorum mente de viribus imaginationis latè diſputat Leonardus Vairus l. 1. de faſcino cap.2. Et verò ſi ſtigmata S. Franciſci, ad fortem imaginationem tanquam ad cauſam efficientem reuocata ſunt à Petrarcha & Pomponatio; vt ſupra vidimus ſect. 1. c.9. quid mirum, ſtigmata Magica quorum productio longè minus operoſa eſt, ad imaginationem vt ad cauſam referri? Quæ Paracelſus l. de Imaginatione, de efficacitate & viribus imaginationis adducit, mirifice conſentiunt: ſúntque percommoda leniendæ difficultati, ſi quæ occurrit in productione ſtigmatis per imaginationem. Tot enim & tanta tribuit efficacitati imaginationis, vt non ſit dubium, quin hic quoque effectus ad illam poſſit referri; quandoquidem Thaumaturgam ſtatuit imaginationem, & fidem qua Chriſtus montes transferendos, & mira quæque perficienda ſpopondit, genus eſſe imaginationis affirmat, vt ſignatis è libris eius aliquot locis, monſtrat Godelmannus lib.1. de Magia c.8. à num.64. Neminem porrò latent, quæ de vi imaginationis ad multos effectus, proferunt Valeſius c. 11. hierophyſicæ. Pererius in cap.30. Geneſ. diſp.4. Delrio 1. Mag. c. 3. q.3. & Fontanus initio Phyſiognomiæ. *ad finem textus primi.* Erit ergo iſte quoque effectus, ſimilis eorum.

Agnoſco verè pronunciatum eſſe à S. Athanaſio ſub initium Epiſtolæ ad Epictetum, nimirum quæ nimis falſa ſunt, non eſſe refellenda, ne videantur eſſe potuiſſe credibilia. Quid autem magis falſum proferri poſſit, quàm quod nonnullis malè feriatis in mentem venit, circa vires imaginationis? Vſque eo vt non puduerit Atheum Paracelſum, quæ de fide ex Chriſti oraculo montes transferente, & mirabilia quæque exorante, certa habemus; ad imaginationem tanquam ad efficientem cauſam referre; eo quod fides ſit quædam imaginatio. Apage imaginatium & verè phantaſticum Chriſtianum, vt huc transferam verba S. Leonis ſerm. 15. de paſſion. in quoſdam hæreticos haud inſulſiora effutientes. Digna ſunt ſcuticâ, vel etiam furcâ, quæ alii blaterones efficaciæ

imaginationis attributa volunt, vt faſcinare, vel ſanare procul poſitos, res disiunctas loco mouere, ciere fulgura & fulmina, imbréſque de cœlo deuocare. Oportet profectò, hos philoſophaſtros quibus pepo pro corde fuit, nunquam ægrotaſſe, vel quos charos haberent, nunquam ſimile conflictati cum ægritudine. Semper iictu abundaſſe theſauris ac opibus, ad quæ inhiat mortalium auiditas. Potuerunt enim omnia illa, & quæcunque alia humanæ cupiditati optabilia, per imaginationem parare. Num vigilamus iſta audientes? Verum eſt, imaginationem, in corpus proprium, vel in corpus adeò intimè coniunctum proprio, vt quaſi vnum videatur, quale eſt corpus puelli reſpectu matris prægnantis, aliqua poſſe quoad motum localem, & ea quæ pendent à temperamento; in quod imaginatio, per ſympathiam potentiarum, variationem quandoque inducit. Et quia notæ fœtui aduenientes, non excedunt efficacitatem complexionis propriæ, tanquam cauſæ immediatæ: Propterea pingitur interdum fœtus, notis quibuſdam genitiuis, vt benè multis experimentis teſtatum facit Andreas Laurentius l. 1. de ſtrumis c. 7. & concinnè expreſſit Oppianus l. 1. Cyneget, *à verſu* 327. tametſi fixã eſſe Philoſophis ac Medicis crucem in eo negotio non pauci cenſuerunt, quos longo agmine profert Torreblanca l. 2. dæmonologiæ cap. 33. in hoc negotium inquirens à num. 43. Vt autem alieno corpori, præſertim abiuncto, imaginatio aliquid poſſit imprimere; velut in corpore proprio, homo iam grandis natu, inſculpere poſſit aliquas notas, illúdve præter naturam afficere, interuentu ſolius imaginationis, tam nugatorium eſt, vt ferri ab homine ſano non poſſit. Nominatimque in hoc negotio, frequentiſſimus ſtupor partis notatæ, ita vt transfixa oblongo ferro non ſentiat, & nullum emittat cruorem; non poteſt in imaginationem, (præſertim non aduertentis,) referri niſi ab eo qui gratis effundere velit quicquid in buccam venerit, & omnes cerebri ſui abortiones venditare pro legitimis partubus ingenij. Neque verò hic ſtupor partis notatæ, in paucis aliquibus deprehenditur: ſed propè in infinitis, vt certum moraliter ſit, talem effectum, non ex imaginatione quantumuis valida aut depranata proficiſci potuiſſe. Videndi qui hoc monſtrum ſententiæ plenè conuellunt & inefficaciam imaginationis, extra ea quæ præmiſimus, potenter demonſtrant, Vairus l. 2. de faſcino cap. 3. 4. 5. & 8. Petrus Pipernus l. 4. de Magicis affectibus c. 1. Andreas Laurentius lib. 1 de ſtrumis c. 7.

Referuntur alij, cauſam effectricem ſtigmatis Magici ſtatuentes, ægritudinem. Petrus Ancoranus lib. 3. de inconſt. dæmo. diſcurſu 2. n. 1. teſtatur adduci ab iſtis in hanc rem, Galenum atque Fernelium: qui teſtantur viſas ſibi prægnantes, quibus per ægritudinem & alui geſtationem, notæ aduenerant ſtigmatibus Magicis perſimiles. In quam rem recolenda ſunt quæ in ipſo Operis huius veſtibulo ſunt adducta, & variis Medicorum relationibus illuſtrata, nominatim circa aliquot prægnantes. Sed rectè opponit Ancoranus, quod ex iſtis Medicis profertur, vix ſemel & iterum contigiſſe; cum tamen in vnico tractu Aquitaniæ, ſimul & ſemel deprehenſa ſint corpora ſtigmatis Magicis notata, ad tria millia: & infinitos item infantes, ait, apparuiſſe ſtigmate Magico inſignitos, qui tamen ægrotauerant nunquam: Argumentum itaque haud infirmum inde petitur, quod ægritudo non poſſit ſtatui effectrix cauſa ſtigmatis Magici, quod & tam multis aliquando infirmatis, tam rarò imprimatur aliquod ſtigma: & tam multis qui nunquam ægritudine ſint correpti, reperiatur impreſſum. Itaque ad populum phaleras Ægritudo potuit in corpus morboſum (quale etiam vt plurimum eſt corpus prægnantis,) immutata connaturali temperie, maculam aliquam inferre. Notam autem adeò frequentem, & tam altè inſenſibilem, ex morbo inuiſibili exiſtere, ludo quiſpiam dixerit.

Vera igitur cauſa efficiens ſtigmatis Magici, alia eſt principalis, alia inſtrumentaria. Prior eſt Satan, qui pro odio quo in Deum flagrat, primatum corporearum creaturarum, à Dei obſequio cupidiſſimè abducit; & ſibi vendicans, hoc ſtigmate conſignat, velut inſultans Deo in quem furit: Quod enim de Pardali ſcriptum eſt à S. Baſilio homil. in aliquot Scripturæ loca, eam furere in hominem; cui nocere impedita, in obiectam ſtramineam aut papyraceam hominis imaginem, rabiem vertit, conſcerpens illam atque dilacerans; idipſum facit Dæmon erga diuinam imaginem; prohibitus Deo nocere, ad quem flagellum appropinquare non poteſt. Itaque diuinam imaginem natiuam exſculpere non valens Satan, imprimit homini characterem ſuum; vt ſaltem eo modo arroget ſibi rem diuini iuris propriam, & nocumentum Deo quantum poteſt inferat, ſic dehoneſtando eius imaginem. Quia verò Satan purus Spiritus eſt, nec eſt in eius poteſtate quicquam agere in corporibus, præter motum localem, vt rectè euincunt Victoria relect. de Magia num. 35. & Caſtro Opuſc. de ſortilegiis cap. 2 quibus ſubſcripſimus in Naturali Theologiâ diſt. 4. n. 272. propterea indiget inſtrumento aliquo ad ſtigma imprimendum. Fuit autem mera ſenſuum deluſio, cum viſus eſt impacto pede notare maleficos, vt apud Iacquerium in Flagello faſcinariorum c. 7. & cum viſus eſt infigere dentes, vt ſcribit Danæus dialog. de Sortiariis c. 4. item cum vngues immittere videtur, iuxta illud Remigij lib. 1. in periocha metricâ capitis quinti.

Prima igitur cura eſt vngues immittere fronti,
Expungendo (aiunt) quo myſtes vngit oliuo:

Idem dico de notatis infixo Satanæ cornu, vt eſt apud Ancoranum lib. 2. diſc. 2. Non ſunt Satanæ (quippe incorporei,) vel manus, vel dentes, vel vngues, aut pedes, aut cornua: ſed omnia illa ſymbolica ſunt, reſtatque aſſignandum phyſicum inſtrumentum, & idoneum actiuum, quo adhibito, & ad corpus malefici tanquam ad paſſum accommodatum admoto, exiſtat effectus de quo agimus; à dæmone quidem tanquam à cauſa principali morali; ab actiuo autem naturali: quod reſpectu dæmonis erit inſtrumentum aſſumptum tanquam à principali cauſa rem phyſicè conſiderando.

Eiuſmodi actiuum, ſtigmati per dæmonem imprimendo accommodatum, quale determinatè ſit, definiri à nobis certò & vniuerſaliter non poteſt. Nihil enim vetat aſſumi, à Satana aliquid impensè frigefaciens, quod partem notandam ita ſtupefaciat, vt torpidam omnino, & ſenſus ac vitæ expertem reddat. Quàm multis enim, carnea nimio frigore tabeſcunt, vel ex parte, vel ita vt de vita decedant? Experiuntur id non infrequenter, qui per hyemem, Alpinis rigoribus opprimuntur; & vel altiſſimis niuium molibus infodiuntur, vel acerrimo frigore in illis iugis vrgente corpori, exhalant animas. Quod autem in toto corpore, citra

omnem artem, vi & impetu cauſarum naturalium accidit; æquè poteſt à Satana ingenioſiſſimo artifice, in aliqua corporis parte præſtari, admoto quopiam actiuo idoneo, quod eius peritiam non fugit. Videtur tamen maximè accommodatum, & fortaſsè frequentiùs actiuum quod Satanas in hâc rem vſurpet, eſſe aliquid cauſticum; ſiue potentiale, (vt vocant,) ſiue actuale. Multa enim ſunt in rerum natura, quæ tametſi actu ignem non contineant, ſunt tamen inflammatiua. Sic Celſus lib. 5. cap. 8. inter adurentia & cauſtica, numerat auripigmentum, æruginem, calcem, chartam combuſtam, ſalem, ſquamam æris, fæcem combuſtam. Plinius lib. 25. c. 11. cauſticam vim in Peucedani radice agnoſcit; & in aliis præterea non paucis, eadem vis adurendi locum habet.

Sed quia hæc lentiùs agunt, conſilio Satanæ aptiùs & opportunius videri poteſt, cauterium actuale, ſiue ferrum candens. Eóque ſæpiſſimè notari infelicia hæc Satanæ pecora, eſt extra dubium. Teſtatur enim Ancoranus l. 2. de inconſt. Dæmo. diſc. 2. Mariam de Ralda inſignem Sagā; retuliſſe, viſum ſibi perſæpè Satanam altare, cum paruuli oblati ferro candente impreſſo ſignarentur; quanquam dubitabat an ipſe Satan ferrum imprimeret, an ij qui paruulos ad nefariam initiationem adduxerant. Addit verò idem Author, narrantibus pleriſque maleficiis innotuiſſe, nunc ipſummet Satanam, nunc eo demandante alios maleficos, ferrum candens ad initiatos inurendos imprimere. Oportet autem inſigni dexteritate admoueri ferrum candens, quando impreſſio eius fit in oculo: vt contigit illi puellæ, quam ibidem Ancoranus teſtatur in ſiniſtro oculo ſignatam à Satana fuiſſe, admoto corno ſuo. Si enim id cornu fuit reipſa ferrum candens, quomodò non eſt exoculata puella, niſi dexterrimè admoto ferro, & communito validis aduerſùs vim cauſticam, amuletis, reliquo oculo? Vnum præterea eſt, quod aduerſùs notatione maleficorum per ferrum candens, & quoduis cauſticum, opponi poteſt: nimirum quod maleficorum confeſſione ratum ſit, carnem notatam, poſt inuſtionem non decidere, vt videmus accidere in admotione cauterij. Sed rectè occurrit Fontanus Opuſc. de notis Sagarum, facile eſſe Satanæ, vbi candens ferrum admouerit, adhibitis idoneis vnguinibus, obſtare ne caro emortua decidat, vt ſolet in aliis adnſtionibus decidere, cum fit quod vulgo dicunt, *L'eſcarre.*

CAPVT VIII.

Stigmatis Magici effectio & eius adiuncta.

ADmotione cauſæ naturalis actiuæ idoneæ hactenus expoſitæ, producitur ſtigma, de quâ productione nunc agendum ſequitur; attingendo ſimul apparatum, quo præmiſſo, fit ea productio. Neque enim Satanas hoc quod vnum eſt è negotiis ſuis maioribus; exercet abſque ſolemnitate & apparato inſigni, vt mendacium luculentiùs ſplendeat, & improuidi facilius irretiantur, & pertinaciùs adhæreſcant falſis inſaniis.

Apparatus porrò iſte, quo præmiſſo imprimitur à Satana ſtigma Magicum, non eſt ſemper vnus & idem. Aliquando enim (vt ſupra vidimus ex Iacquerio in flagello faſcinatior. c. 7.) Satan abſque vllâ ſolemnitate, parentum duntaxat oblatione præcedente, notat & conſignat aliquos. Cum verò qui notantur, ſunt per ætatem ſui compotes, præmittitur ab illis Dei ciuratio; cum aliis horrendis quæ Creſpetus lib. de odio Satanæ diſcurſu 15. Danæus dialo. de Sortiariis cap. 4. Syluester lib. 1. de Strigimagis c. 2. & lib. 2. c. 5. & paſſim alij de maleficiis diſſerentes referunt, quamuis in adiunctis & circunſtantiis varient. Summa eſt, adductum ab aliquo myſtagogo iniquitatis, ad Satanam, miſerum candidatum, paciſci cum eo viſibiliter ſe prodente, nunc in hâc nunc in illa forma. Et miſerum quidem tyronem, profiteri ſe deinceps Satanam pro Deo habiturum, atque culturum. Satanam autem viciſſim, ſpondere fauores quoſcunque, & promptum ad poſtulata auditum. Quam ſceleratiſſimam veri Dei abnegationem, primum huius negotij greſſum, vocat ſupra Danæus.

Hoc tamen nimis generatim & indiſtinctè dictum, iuuat explicatiùs referre, adducta parte ſententiæ Auenionenſis latæ anno 1582. a F. Floro Prouincio Ord. Prædicatorum in Legatione Auenionenſi, Quæſitorem fidei agente Tam perſpicuè namque, vniuerſitas hæc iniquitatis deſcribitur in eo decreto, vt fruſtra alia ſint conquirenda, ad lucem tenebricoſo huic negotio affundendam. Subtexuit eam Auenionenſem Sententiam, ſuæ Pneumalogiæ, Sebaſtianus Michaëlis. Adſcribo partem quæ huc facit. [Viſis proceſſibus contra N.N.N. &c. coram nobis conſtitutos reos, accuſatos & delatos; quibus tam per veſtram & quorumlibet veſtrum relationem, ac propriam confeſſionem iudicialiter coram nobis factam, atque ſæpiùs repetitam, iuramento veſtro medio; quam per teſtium depoſitiones, eorúmque accuſationes, & alias legitimas probationes ex dictis actis, & proceſſu reſultantes, nobis legitimè conſtitit, & conſtat, quod vos, & veſtrum quilibet, Deum noſtrum omnium creatorem & opificem, Vnum & Trinum abnegaſtis; & inimicum Diabolum, hoſtem antiquum humani generis coluiſtis; vóbique illi perpetuò deuouiſtis, & Sacratiſſimo Baptiſmati, & his qui in eo fuerant, ſuſceptores, euantes, & propatentes, veſtiæque patri paradiſi, & æternæ hæreditatis, quam pro vobis & toto genere humano Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua morte acquiſiuit, coram præfato Cacodæmone in humana ſpecie exiſtente abrenunciaſtis; infundente ipſo fugiente Diabolo denuò aquam, quam accepiſtis, veſtro vero mutato nomine in ſacro Baptiſmatis fonte vobis impoſito; ſicque aliud commentitium nomen vobis imponi in fictitio Baptiſmate paſſi fuiſtis, & accepiſtis: atque in pignus fidei Dæmoni datæ, veſtrorum veſtimentorum fragmentum, & particulam illi dediſtis, & vt à libro vitæ vos deleri & oblitterari pater mendacij curaret, ſigna veſtra propria manu, ipſo mandante & iubente, in reproborum damnatorum, mortiſque perpetuæ libro nigerrimo ad hoc parato appoſuiſtis: &, vt ad tantam perfidiam & impietatem vos maiori vinculo deuinciret, notam vel ſtigma cuilibet veſtrûm, veluti rei ſuæ propriæ, inuſſit: & illius mandatis & iuſſis, iureiurando, ſuper circulo (quod diuinitatis Symbolum eſt,) in terram inſculpto, (quod ſcabellum pedum Dei eſt,) per vos & quemlibet veſtrum, præſtito, vos obſtrinxiſtis, ſigno Dominico & Cruce conculcata.] Continetur in prædictis homagium Satanæ exhibitum per æternam corporis & animæ addictionem ei factam; quam à profeſſione, negationem ſolam Dei continente, ſecernit Syluester loco vtroque ſuperiùs allegato.

Subdit

Subdit Danæus, poſt hanc conſignationem priuatim factam, nonnin væcors Satanæ mancipium, in deuoti ſui obſequij fidem, perendie aliquid quaſi clientelaris ſeruitutis conteſtationem, offerre patrono: quoſdam canem ſuum alios gallinam, felem alios, aut aliquid tale, quæ eſt præmiſſæ eiurationis Dei, & Satanicæ deuotionis, ratihabitio. Ex iis quæ annotauit Iacquerius in Flagello faſcinar. c. 7. conſtat præter domeſtica volatilia & pecora, offerri quoque grana, vel alia penes maleficos ſita, prout eorum facultas tulerit. Nec contentus Satanas hâc dæmonolatriâ, inducit miſeros ad ſpondendam deinceps, & iam tunc ex aliquâ parte executioni mandandam, profanationem Sacrorum, oblationem prolis ſi quam ſuſceperint, & ſeminis ac ſanguinis ſui: ac illationem malorum quotquot inferre poterunt, innoxiis. Diligenter hæc omnia proponit Nicolaus Iacquerius in flagello faſcinar. cap. 8. teſtatus, vi primæ ſponſionis ſæpè clam poſtea abreptam & deportatam ad cœtum Satanicum, ac horribiliter conculcatam Euchariſtiam. Tria ad id ſui temporis exempla profert ibi Iacquerius. Alia annotauit Boguetus l. de Sortilegis c. Vi deſponſæ oblationis liberorum, conſtat ab execrandis parentibus ſæpè oblatam Satanæ, innoxiam ætatem. Sed quod de humani ſeminis oblatione, ad horrenda execramenta per Gnoſticos olim apud S. Epiphanium hær. 26. turpiſſimè edita, ab iſtis uoto renouata, idem Iacquerius ibi refert, malo apud eum legi quàm his chartis illini, adeò ſpurca ſunt, & vel relatu indigna. Sanguinis humani oblationem declarat idem Author, fieri partim inciſione & perfoſſione corporis proprij, vt olim factum à Sacerdotibus Baal & Cybeles, adhibitis graphiis aut lanceolis: partim illatione necis, ſiue per veneficia, ſiue aliis quibuſvis modis; quibus in omnes quos poſſunt, ſed maximè in ætatem minuſculam graſſantur. In quam rem, immania multa paſſim leguntur apud Quæſitores qui obſeruatas editas à maleficis cædes, ſcriptis commiſerunt, vt Sprengerum, Niderium, Ancoranum, Boguetum, alios. Singulare verò eſt, quod idem Iacquerius c. 15. *in fine* recitat de Barone quodam Gallo, quem ait non ita multo ante quàm ipſe ea chartis committeret, clam iugulaſſe circiter viginti pueros, vt eorum ſanguine vteretur pro atramento, ad conſcribendum librum quendam in obſequium dæmonum.

Sic quaſi priuatim, id eſt extra cœtum plenarium, mancipatos tam horrendis deuotionibus atque promiſſis ſuo obſequio, Satan veluti de eorum conſtantiâ diffidens, ait Danæus cap. 4. cum perendie impreſſionis ſtigmatis oblationem ab eis factam admiſerit, aliquanto poſt, eos conuocat in ſynagogam Diabolicam; id eſt in locum in quem conueniunt profeſſi, vulgo *le Sabath*. Idémque inſinuatur in ſententiâ Aueniouenſi, vbi poſt impreſſum priuatim ſtigma, & promiſſiones abominandas; additur, maleficos vnguento Magico illitos, & baculo cruribus immiſſo quaſi inequitantes, tranſuehi per aëra ad locum conuenticulo Satanico conſtitutum. Vtique vi ipſius Satanæ, ex condicto ad vnguenti & baculi appoſitionem veluti ſuccollantis, quod non excedere vim Satanæ, cui corpora ad motum localem obediunt, nemo diffitetur. Reipſa autem hîc non præſtari ſeu Magica conuenticula eſſe meras imaginationes, nec eò verè & realiter aſportari maleficos, ſenſere quondam aliqui Legulcij. vt Ponzinibius cum quo conflixit Bartholomæus Spina. Sed res eſt adeò certa, vt reuocari in dubium non poſſit, vt rectè aſſerunt Abul. in cap. 4. Matth. quæſt. 47. Alphonſus de Caſtro l. 1. de iuſtâ hæretic. punit. c. 16. Suares l. de ſuperſtit. cap. 16. à num. 13. Delrio 2. Mag. q. 10. & l. 5. ſect. 16. num 4 & 5. benè pro Sectario Danæus dialo. de Sortiar. c. 4. Hi alios benè multos proferunt; iuxta quos, tametſi non ſemper eſt verum, maleficos tranſportari, etiam cum ipſi putant tranſportari, quod euincunt exempla adducta ab Abulenſi in c. 13 Gen. quæſt. 354. & à Caietano 2. 2. q. 95. art. 3. Tamen indefinitè loquendo, veriſſimum eſt, maleficos aliquando transferri realiter, vi dæmonis ad conuenticulum, quo omnes malefici & maleficæ alicuius oræ conueniunt: & plurimum tranſuectio eſt realis, quamuis aliquando Satan, fortaſſis ad eludendam credulitatem tranſuectionis realis, effecerit vt qui putabant ſe reipſa tranſuectos, deluſi eſſent, nec fuiſſet tranſuecti niſi per imaginationem. Nec repugnare caput *Epiſcopi* 26. q. 5. quod intorquetur in negotium longè diuerſum, benè monſtrat Suares ſupra n. 27. poſt Turrecrematam ad illud caput.

Præmittit Satan huic admiſſioni in Synagogam ſuam, ſiue in conuenticulum electorum ſuorum, & eorum veluti comitia, tot deuotiones nefarias, & promiſſiones deteſtandas, ipſámque ſigilli Magici impreſſionem, more humani iuris; quo repelluntur à comitiis, qui nondum ſunt allecti in ciues. Sicut etiam in Capitulorum Monaſticum, (vt Fulberti Epiſt. 25. vocem retineam,) non admittuntur niſi profeſſi. At hæc eſt veluti allectio in ciuitatem Diaboli; & quaſi profeſſio quâ infelicia capita addicunt ſe cultui eius perpetuo & obſequio ſempiterno. Itaque his veluti præexercitationibus, aptantur ad intimam ſocietatem cum Satana, & plenam aggregationem in cœtum domeſticorum illius. Sic habet minus ſolemnis alicuius malefici initiatio, in quâ ſtigmatis Magici, minoris pompæ & apparatus tenuioris impreſſio peragitur.

Alias verò cū Satã maiori ſolemnitate adhibitâ aliquem cooptat in maleficum; quæcunque hactenus admiſſioni in conuenticulum Satanicum præmitti diximus, pactionem ſcilicet mutuã, Dei eiurationem, nefandiſſimas ſponſiones, characteris Magici inuſtionē, oblationem tegularum ſuarum, peragit Satan in conuenticulo maleficorum. Ita enim tradit Creſperius l. de odio Satanæ diſcurſu 15. ex tabulario Geneuenſi, quo acta quæſitorum aduersùs maleficos continebantur. Et idem variis exemplis confirmat Petrus Ancoranus l. 2. de inconſt. Dæmon diſcurſu 2. Idem habet Sebaſtianus Michaëlis in Actis Aquenſibus contra Ludouicū Gaufridi, vltimo Aprilis 1611. Ait ergo ex Actis Geneuenſibus Creſpetius, Satanam Geneuæ iuxta priuatum S. Petri Canonicorum exedrion, conuocato cœtu maleficorū, apparuiſſe ſpecie vulpis ruffæ impoſito ſibi nomine *Morguet*. Ibi Malefici omnes & Sagæ, procidentes Satanam adorauerunt, oſculantes vulpis anum, admodùm frigidum, & putentiſſimum. Et cum puella quædã tunc primùm ad Satanam adducta, loco adeò putenti ac fœdo figere oſculum horruiſſet, & obfirmatè labia ſua illi olere apprimere renuiſſet; Satan aſſumptâ humanâ ſpecie, exhibuit illi oſculandum genu, quod non minùs frigebat quàm podex vulpinus: ſimúlque ac oſculum adorationis indicem excepit, puellam notauit in fronte, impreſſo ei pollice,

vnde non leuis dolor in puellâ eſt exortus. Hæc ex Geneuenſi tabulario Creſperius, quibus nonnulla lux aliunde eſt affundenda.

Imprimis retegetur in hac narratione, tempus ſolemnis lenius impreſſionis, ſtigmatis Magici. Quamuis enim de hoc non ſit quæſitum, cum ſermo erat de impreſſione factâ priuatim, quæ quouis die, & quâuis naturalis diei parte, pro Satanæ arbitrio, & hominis ad eius nutus inflexione peragitur; tamen de hâc ſolemni impreſſione, videtur iure quæri poſſe; quando fiat, quod nexum eſt cum quæſtione de die, aut parte diei, vel horâ quâ conuenticulum indicitur. Verùm nihil hîc quoque, fixum & ſtatum habemus. Quod enim notauit Danæus c. 4. dialogi de Sortiariis, Satan neque omnes ſimul maleficos & maleficas conuocat, neque eodem ſemper die vel horâ conuentum indicit, ſed nihil in ea re certi aut conſtituti habet; ita vt neque hebdomatim, neque menſtruatim conuentus fixo tempore habeat, ſed quando, quotieſque ipſi videtur. Et cum indicat celebrandum conuentum, quandoque celebrandum curat de die, vt docet Ancoranus l. 2. de inconſt. Dæmon. diſc. 1. Vt plurimum tamen, celebrat ſub mediam noctem. Odit enim lucem, quia malè agit. Quæ cauſa item fuiſſe videtur, cur olim milites Mithræ initiarer in ſpelæo, vt author eſt Tertullianus l. de coron. milit. cap. 14. Et videtur inde quoque petenda ratio, cur Iudices, cum Magis aut Magiæ ſuſpectis, agerent ſub dio, vt author eſt Beda l. 1. hiſtor. Anglor. c. 24. nempe rati, Diabolum Magorum Principem, in luce ac ſole, minùs virium ad eos iuuandos habiturum.

Quæ adunato conuentu, & omnibus congregatis fiunt, turpe eſt referre & dicere. Apparuiſſe in Geneuenſi conuenticulo Satanam, vulpinâ primùm, tum humanâ ſpecie, iam retulimus. Frequentiſſimũ eſt vt appareat hirci ſpecie. Quod enim hircus ſit animal ſalaciſſimum & olidiſſimum, adamat Satan ſpurcitiæ perſtudioſus, eam ſpeciem, & in ea gaudet coli à maleficis, vti factum eſt iis qui in ſententiâ Auenionenſi, quam ſuperiùs iam deflorauimus, referuntur adiiſſe conuenticulum Satanicum, & multa ibi patraſſe infanda. Verba decreti ſunt. [Per acta ad locum conſtitutum, intempeſtâ nocte, horâ commodâ malefactoribus, ſtatiſque diebus, ab ipſo tentatore portati & tranſlati fuiſtis: ibíque in communi Synagogâ plurimorum maleficorum, Sortilegorum, & hæreticorum, faſcinatiorum, cultorúmque Dæmonum, accenſo igne tetro, poſt multas iubilationes, ſaltationes, comeſſationes, compotationes, & ludos, in honorem ipſius præſidentis Beelzebub, Principis Dæmoniorum, in formam & ſpeciem fœdiſſimi & nigerrimi hirci immutati, vt Deum, & verbis adoraſtis; & ad illum complicatis genibus ſupplices acceſſiſtis; & candelas piceas accenſas obtuliſtis; & illius fœdiſſimum ac turpiſſimum anum, (proh pudor;) ſumma cum reuerentia, ore ſacrilego deoſculati eſtis; illumque ſub veri Dei nomine inuocaſtis; illiſque auxilium, & pro vindicta in omnes, vobis vel infenſos, vel petita denegantes, exercenda, efflagitaſtis.]

Subiungitur immenſa moles horrendorum criminum, Dæmonis auxilio & eruditione à maleficis patratorum, infanticidiorum, anthropophagiæ, calcationis Euchariſtiæ, & turpitudinum ac fœditatum contra naturam, quæ vel referre vel legere pollutio fuerit. Ad rem verò præſentem pertinet, quod ad facultatem ac ſcientiam horum omnium comparandam Dæmon ſpecie hirci, aliáve, conſpicuus adoretur à maleficis. Adoratur autem ea forma apparens Satanas, aliter quàm hîc inter nos vſu veniat, vt notat Alphonſus de Caſtro lib. 1. de iuſta hæret. punit. c. 16. Malefici enim, non faciem ſed terga ad Dæmonem vertunt; & caput non verſus pectus, ſed versùs ſcapulas flectunt, ita vt mento ſurſum ſublato, caput in terga reflectant. Crura vero non flectunt, à tergo illa curuantes; vt nobis ex vſu eſt; ſed à parte anteriore, illa ſurſum à terra ſuſtollunt. Adeò Satanæ placet, ordinem in omnibus inuertere. Addit Caſtro, adorationi Satanæ per maleficos, iungi quandoq; in eius honoré ſacrificia, non tamen ſemper. Conſtantius eſt ac ferè perpetuum in omnibus conuenticulis, vt malefici accidentes hirco, præter cætera venerationis ac beneuolentiæ ſigna, ad ſiniſtrum eius oculum, nec non pectori, clunibus, femori, pudendo, ac demum ſurſum elata cauda, ano, Satanæ figant oſculum. Quod dum faciunt, ſpurcus nebulo dehoneſtat miſeros, egeſto in os figentis oſculum, ſortatiæ materiæ fœtentiſſimæ demenſo, dignum præmium nefandiſſimi cultus reponens, vt habent Acta Quæſitorum Lucronenſium anni 1610. deſcripta ab Ancorano l. 5. diſcurſu 3. vbi ſubditur, poſt hæc vellicatis, admouerit auream aciculam, & ſtigma imprimi; id quod Acta Geneuenſia, pollice Satanæ factum referebant.

Non ſemper imprimi ſtigma nudum, ſed interdum materiam aliquam è ferro aut chalybe, ſimiléinve, mergi intra partem ſtigmate notatam, & ibi infixam relinqui aliquando eximenda narrationes probatæ confirmant. Sic de acu exempta à Satana, è corde Ludouici Gaufridi, vbi illum notans eam infixerat, refertur in Actis Aquenſibus a. Aprilis 1611. Res hæc eſt eodam modo exponenda, quo ingeſtiones quædam materiarum in corpus humanum, exponuntur à Medicis & Philoſophis, Petri Fraxinetti filiam, tales materias, primùm acus, tum ſudes, egerentem in oppido S. Symphoriani ad Lugdunum, curauit plenè S. Petrus Tareuteſienſis. Tales ingeſtiones non paucas, recenſet Schenchius l. 7. obſeru. Medicinal. titulo *de præſtigiis ex* Langolib. 1. epiſtol. 38. & Cornelio Gemma l. 2. de naturæ diuinis characteriſmis cap. 4. Videndi item Gregorius Horſtius l. 5. epiſtol. Medicinal. ſect. 7. Petrus Pipernus l. 5. de Magicis affectibus c. 6. Sennertus l. 6. medicinæ practicæ parte 9. cap. 3. & 5. concluſ. 5. Diximus & nos hac de re in Natur. Theolog. diſp. 4. num. 298. & 299.

Dolor qui inter imprimendum ſtigma perceptus referebatur, in narratione ex Creſperio adducta, confirmatur aliis plerilque exemplis. Et nominatim ex Actis Quæſitorum Lucronenſium 7. Nouemb. anni 1610. recitatis ab Ancorano l. 5. de inconſt. Dæmon. diſcur. 3. vbi dicitur, Satanam infixa aurea acicula notantem maleficos, inducta parui buffonis effigie, vel albugini oculi ſiniſtri, vel humero, aut lateri ſiniſtro, vel femori, pellem dirè laniare: ita per triſtreſtre magnis diſcrucientur doloribus, donec cuiuſdam herbæ admotione, ſedet dolorem, ſtupefaciendo partem notatam, vnde fit, vt deinceps, quamuis pertuſa, ſit planè expers doloris. Et poterat quidem Satan longè antea idem beneficium præſtare, imò planè præuenire omnem doloris illationem. Si enim inueniuntur qui prælotis ſucco aliquo frigidiſſimo manibus, eas plumbo liquato impunè immergunt, vt Cardanus de ſucco portulacæ teſtatur, quantò faciliùs eſſet Dæmoni, qui vires herbarum omnium, & aliorum actiuorum perſpectiſſimas habet,

habet, illis admotis obſtare, ne impreſſio ſtigmatis dolorem mancipiis hiſce ſuis inferret? Sed dignum fuit, hanc miſeros ſtigmatias impiiſſimæ deuotionis mercedem referre in ſemetipſis. Et ipſe Satan, qua rabie in Dei imagines ſæuit, vt vt aliquando ementiatur beneuolentiam gaudet tamen pœnis ſuorum, & his veluti arrhis, plenæ ſummæ dolorum, quibus opprimet in inferno infelicia capita.

Conſummata impia ſolemnitate, & impreſſo iam ſtigmate, omnibúſque abominandis deuotionibus peractis, adeſſe Notarium, qui deuotionis, & eiurationis Dei, ac pactorum omnium quibus infelix ſtigmatias ſe obſtrinxerit, acta conficiat, & sitè obſignata aſſeruet, ſcribit Petrus Pipernus tract. de Nuce Beneuentana ●7. quod non video cur ad præſtigias referri debeat, cum poſſit realiter contingere; curante Satana, eo item modo, ſecuritati prædæ ſuæ conſulere. Neque verò dubium eſt, quin inter Miniſtros iniquitatis, quos habet ex omni gradu ad manum, Notarios quoq; aliquos habeat; quibus demandare curam conficiendi tabulas pactionem cum maleficis, poſſit. Et quamuis ſupponeretur nullum adeſſe qui inter nos agat Notarium, quis dubitat Regem illum ſuper omnes filios ſuperbiæ, arrogare ſibi poſſe poteſtatem, promouendi aliquos ad munera mundanis conſimilia, & pro ſua ſcelerata negotiatione procuratores atque Notarios deligere? Deuotum ſtigmatiam, à Principe dæmone, committi Diabolo minori; qui iugis ſit in promouenda ruina malefici, & nominatim biduo ante, moneat eum de adeundo conuenticulo, tradit Caſtro l. 1. de iuſta hæret. punit. cap. 16. notans eum Dæmonem præſidem, vocari *Martinellum*, aut *Martinetum*, malefici.

Non plura de horrendiſſima humani generis infamia, qua infeliciſſimæ quædam Orci victimæ, depaſcendas ſe morti deduot; oblitæ quo pretio ſint redemptæ, & quaſi non eſſent Chriſti charactere notatæ, admittentes impiè characterē hoſtis Tartarei. Scelus quod nullæ piorum lachrymæ ſatis defleant, nulla deteſtatio ſatis percellat.

CAPVT IX.

Cui vſui poſſit eſſe in foro externo, ſtigmatis in corpore deprehenſio.

EX iis qui contra Vvierum, agnoſcunt imprimi à Satana ſtigmata ſuis hiſce mancipiis, pleriqne ominimous nolunt iudices admodùm inniti huic iodicio magiæ, & pſcti eum morte: quia neque fortaſſis eſt ſignum vniuerſale, cum rumor ſit, pleróſque Magos eſſe eius expertes, neque eiuſdem modi in omnibus ſignatis; & aliquando confunditur cum nota gentitiua; nec raò poſt impreſſionem obliteratur à Satana, hinc ergo graues DD. colligunt, deprehenſionem ſtigmatis, in aliquo, non eſſe certum indicium addictionis ad Satanæ obſequium: neque defectum ſtigmatis, eſſe certum indicium innocentiæ, & nitoris ab hoc ſcelere. Ita Binsfeldius comment. ad titulum Codicis de malef. & mathem. *indicio* 14. Federicus Speë in cautione criminali de proceſſibus contra Sagas, dubio 43. Delrio 5. Mag. ſect. 4. n. 28. & fuſiùs Ioannes Iordanæus in opere de proba ſtigmatica. Nec refragaretur Fontanus, qui Opuſculo vernaculo de his notis ſagarum, teſtatur, molitorem quendam San maximitanum, cui nomen *Germano*, periclitatum eſſe ad ejus capitalis, eo quod a pleriſque pro Mago haberetur, ob notam genitiuam ei in humero ſiniſtro impreſſam in materno vtero, cum mater hepar porcinum experiiſſet, & eius imaginem tenero fœtui impreſſiſſet. Vnde liquet, notam genitiuam, aut næuum naturalem cum ſtigmate magico, ob nonnullam ſimilitudinem, confundi interdum poſſe; atque adeò indicium ex tali nota petitum, non videri planè euidens, ac indeclinabile, etiam ad torquendum.

Verùm quia hæc diſquiſitio, ſpectat maximè ad Iuriſperitos, placet ſubnectere iudicium D. Petri Tonduti, Toparchæ de S. Legier, Viri Iuriſperitia clariſſimi, quem de hoc puncto ſciſcitatus, hoc reſponſum retuli.

Ego vt N. amici rogantis deſiderio ſatisfaciā ſuper quæſtione propoſita circa notas, ſeu ſtigmata in corpore ſtrigarum reperta, tria capita conſtituo. Primum vtrum tales notæ indicium faciant. Secundum vtrum ad torturam. Tertium vtrum ex talibus notis ſeu ſtigmatibus oriatur ſufficiens & ſatis violenta præſumptio ad condemnandum.

Ad primum caput reſpondetur, nullum eſſe dubium quin ex huiuſmodi ſtigmatibus in corpore maleficæ repertis oriatur indicium ſeu præſumptio aliqua maleficij, quia cum Dæmon ex permiſſione diuina applicando actiua paſſiuis poſſit & ſoleat huiuſmodi, notas inurere corporibus illorum qui ſe poteſtati ipſius tradiderunt, vt quotidiana docet experientia, inter alia indicia & præſumptiones tam grauis delicti (veluti conuerſatio cum maleficis, defectus lachrymarum, defixio oculorum in terram, crucis defectus vel fractura in roſario ad honorem glorioſiſſimæ Mariæ Virginis introducto, cum ſimilibus,) numeratur & non immeritò inuſtio ſiue impreſſio ſtigmatis, vt nos in diuerſis perſonis impreſſum vidimus, & nominatum in quadam muliere nuncupata Ludouica. Dapport, quam anno 1615. ad vltimi ſupplicij pœnam publicè condemnauimus cuius ſcelera præcedente ſtrangulatione ignis ſupplicio plecti mandauimus, prout factum fuit. Ipſa enim inter plurima indicia, probationes, & confeſſiones, reperta fuit notata in corpore nota quadam ſenſu carente, in quam infixa acu nullum planè dolorem ſentiebat, prout de aliis ſimilibus teſtatur Martin. Delrio diſquiſit. Magic. lib. 2. ſect. 11. fol. 187. ſimiliter in ſententia lata in præſenti ciuitate anno 1582. per R. Patrem Florum Prouincium tunc inquiſitorem contra plurimos ſortilegos & veneficos, inter cætera hoc habetur. [Et vt ad tantam perfidiam & impietatem vos maiori vinculo deuinciret, notā vel ſtigma euil ber veſtiûm veluti rei ſuæ propriæ inuſſit. Quam ſententiam refert Delrio in d. tract. l. 5. ſect. 56. fol. 84. Vndè negari non poteſt quin aduerſus ſimiles perſonas oriatur indicium ex eo quod repertæ fuerint notatæ dicto ſtigmate ſeu ſigno cùm ex eo cenſeantur præſtitiſſe conſenſum Dæmoni ſignum imprimenti tanquam argumentum dominij propriæ perſonæ quod in dæmonem tranſtulerunt ad inſtar ſtigmatum quæ olim Fabricenſium brachia imprimebantur: Fabricenſes, enim dicebantur qui fabricæ cenſiti ſeu adſcripti erant, & arma publica in diuerſi prouinciis fabricabant, quorum brachiis ſtigmata ideſt notæ publicæ imprimebantur, vt latitantes ex tali ſigno agnoſci poſſent l. ſtigmata 3. Cod. de Fabricenſib. l. 11. & ibi DD.

maximè Luc. de Penn. & quemadmodum ex ſigno, ſeu marca cognoſcitur quis ſit Dominus mercium Barthol. in d. l. ſtigmata, & animal præſumitur illius cuius ſigno ſignatum fuit Maſcard. de probat. concluſ. 1052. num. 3. Ita & nota illa præſumptionem facit contra reum, cum naturaliter imprimi non ſoleat, ſed ſola vt plurimùm dæmonis operatione propter inſenſibilitatem illius partis quæ infixæ acus dolorem non ſentit, dum clauſis oculis, & tentata per diuerſas corporis partes acus fixurâ, ſolus ille locus ſine ſenſu reperitur, prout notauit Henric. Boguet Doctor Burgund. *en ſon diſcours des Sorciers chap.* 44. in fine.

Ad ſecundum caput reſpondetur non poſſe nec debere iudicem ex hoc ſolo indicio ad torturam deuenire, ſed tantùm concurrentibus aliis adminiculis. Pro cuius concluſionis corroboratione ſupponendum eſt indicia duplicis eſſe generis quædam proxima, alia remota: indicium proximum dicitur, quo poſito, ponitur criminis effectus, & quo remoto, illius effectus remouetur & quod reſpicit veritatem rei & delicti immediatè per ſenſum viſus vel auditus, iuxta ſubiectam materiam; indicium verò remotum eſt illud quod non tangit directè delictum ſed tantùm illius circumſtantias. Farinac. de indic. & tortur. quæſt. 36. n. 44. & ſeqq.

Præterea alia adhibetur indiciorum diſtinctio quædam enim ſunt grauia, alia grauiſſima, alia ſunt leuia: leuia ſunt quæ facilè poſſunt abeſſe à delicto, grauia quæ frequenter contingere ſolent, grauiſſima verò quæ frequentiſſimè & facillimè eueniunt. Farinac. d. quæſt. 36. n. 49. & ſeqq.

Indicium ſtigmatis nõ eſt proximum delicto, ſed remotum, cùm non tangat directè delictum neque concludat directè, ſed tantum indirectè ad verificationem delicti, non enim in omnibus qui de hoc delicto conuincuntur, reperitur, ſed in iis tantùm de quorum conſtantia Dæmon dubitare poteſt, conſtantibus vero non inurit, & has notas dæmon etiam carceratis aufert aliquando, vel transfert ad aliam corporis partem vt notauit Binsfeld. quem citat Delrio d. l. 4. c. 4. n. 8. fol. 38.

Prædictum indicium ſimiliter non eſt indubitatum nec per conſequẽs grauiſſimum; ſæpè enim deluduntur homines & Chirurgi aberrant circa iudicium artis ſuæ, dùm notam indicant ſenſu carentem quæ tamen ſenſibilis ab aliis eiuſdem artis profeſſoribus reperitur, & certum eſt probationem quæ fit per relationem peritorum vocari priuilegiatam, & ſententiam ex indicio peritorum latam nunquam tranſitum facere in iudicatum, ſed ſemper peritiores poſſe reuideri. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 47. num. 84. & ſeqq. vbi plures allegat, & in effectu cùm anno 1603. quidam Ioannes Grenier fuiſſet de crimine maleficij & ſortilegij inquiſitus, fuit coram ordinario reperta in eius corpore nota nullum acus oblongæ & infixæ dolorem ſentiens & ſine ſanguine, prout Chirurgus referebat, ſed directè proceſſu ad Senatum Pariſienſem delato, repertáque ſtigmatis ſigna in corpore inquiſiti, negotio duobus Medicis Pariſienſibus cõmiſſo ad referendum, vnus ex ipſis notam illam nihil aliud eſſe referebat præter cutis albedinem ex aliqua ignis ſcintilla iniecta prodeuntem, cum illam & vita ſenſu plenam reperiſſet, alios verò notam illam & vita & ſenſu carẽtem firmiter aſſeuerabat, ita vt Senatus incertior multò eſſet quam ante dictam relationem peritorum, cum vnus negaret, alter affirmaret, qua de cauſa dictus Ioannes abſolutus fuit a pœna mortis, & ad perpetuum monaſterij claustrum & incluſionem condemnatus, prout refert Automn. in collat. Iur. Gall. cum leg. b. Rom. ad leg. *nullus haruſpex* Cod. de mal. fic. & mathemat.

Secunda verò pars concluſionis, videlicet quòd concurrentibus aliis adminiculis poſſit deueniri ad torturam ſi ſtigma fuerit in corpore inquiſiti repertum, probatur ex eo quod licet vnum indicium remotum non ſufficiat ad inferendam torturam niſi aliis concurrentibus adminiculis, ſi tamen alia concurrant, poteſt ad torturam deueniri, maximè in iſtis grauioribus & atrocioribus delictis, veluti ſi inquiſitum nominaret alius delinquens qui illum in conuentu ſagarum nocturno vidiſſet, vel adeſſet diffamatio magna, aut tractatio ſortilegiorum, aut quid aliud ſimile, tunc enim iudex poſſet procedere ad torturam magnam vel paruam pro modo indiciorum, vt in terminis magiæ oſtendit Peregrin. in ſuo conſil. 2. num 501. vol. 2. Idemque verum eſſe cenſuit Berlin. lib. 3. concluſ. practic. part. 4. concluſ. 4. de proceſſ. in cauſ. venefi. num. 153. vbi licet notam inuſtam qua inquiſitus reperitur ſignatus inter veneficij indicia referat, tamen num. 162. concludit, vt indicia per eum propoſita ad torturam ſufficiant, requiri vt aliqualis ſaltem mala fama & ſuſpicio veneficij concurrat, quæ tamen ſola ad torturam non ſufficeret.

Vltimæ quæſtionis reſolutio ſatis euidenter reſultat ex ſuperioribus, cum enim ſupra oſtenderimus indicium iſtud ex ſe ſolo non ſufficere ad torturam, ſed requiri concurſum aliarum coniecturarum & adminiculorum, ſequitur minus ſufficere ad condemnationem maximè cum non videatur abſolutè vera Bodini ſententia qui lib. 4. dæmonoman. cap. 4. hanc præſumptionem vocat benè violentam, & tamen ex ea ſola aſſerit non eſſe procedendum ad condemnationem, ſed præterea requiri alias coniecturas & argumenta, veluti ſi ſocius criminis pœnitentia ductus in articulo mortis inquiſitum nominaret & accuſaret, vnde veriſſimum eſt in icium illud non eſſe ſufficiens ad condamnationem, ſaluo &c.

AVAN. *hac die* 14. *Ianuar.* 1644.

S. LEGIER.

Hactenus is quem dixi Iuriſperitus, non multum (vt vides) ſtatuens momenti, in ſtigmate deprehenſo in corpore ſi deſint alia adminicula.

Alij autem quidam Doctores, habent ſtigma, pro indicio magiæ omnium vrgentiſſimæ; ita vt perſonam in qua ſtigma ſit deprehenſum, habeant pro comperta huius ſceleris, & addictionis ad Satanæ obſequium, ita Henricus Boguetus Opuſculo de Sortiariis cap. 10. Sebaſtianus Michaëlis parte 2. hiſtoriæ magicæ *fol.* 79. Petrus Anchoranus l. 2. diſcurſo 2. & quem aliena fide allego Petrus Oſtermannus in opere de hoc argumento Sed & Maria de Sains, inſignis maga, hanc poſteriorem ſententiam late confirmat, & omnia Delrij argumenta fusè retundit, vt refertur in opere de tribus Belgij energomenis tract. 4. c. 1.

Ego, tametſi ſimpliciter & abſolutè loquendo exiſtimo priores Doctores admodùm prudenter agere, lubens tamen conceſſerim, quando conſtanti ipſorum maleficorum confeſſione, nota deprehenditur, & in Satanam authorem refertur, acceditque inſenſibilitas partis notatæ, adeò vt penitiſſimè

penitiſſimè transfixa, neque emittat cruorem, neque ſenſum doloris inferat; argumentum eſſe moraliter certum, ad pronunciandum, impreſſionem eſſe Satanicam, & reum hac nota ſe obſtrinxiſſe Diabolo, ſtrictiore & firmiore nexu, quàm alterius generis peccatores.

CAPVT X.

Quàm antiqua ſit Magici ſtigmatis impreſſio hactenus expoſita, déque eius progreſſione ad hanc ætatem.

Non quæro de antiquitate ſolemnitatum in ſtigmatis Magici impreſſione adhibitarum, quas cap. 8. retuli. Illas enim conſtat non anteceſſiſſe tempora Chriſtiana, cum anteriùs non potuerit eiurari baptiſmus in Eccleſia Chriſti ſuſceptus, & interponi pactio de calcandis omnibus ſacris, quæ pij Chriſtiani frequentant. Igitur quæro duntaxat, quàm antiqua ſit Magici ſtigmatis impreſſio, facta per Satanam, ſiue priuatim, ſiue in cœtu malignantium.

Attingens hoc punctum Petrus Leloyer lib. 7. de ſpectris cap. 3. antiquitatem ſtigmatis Magici reperit ab ætate Moſis, quem Leuit. 19. vetuiſſe obſeruat, ne Hebræi, Ægyptiorum & Syrorum more, inciderent notarentque corpora. At Ægyptus & Syria, Magis ſcatebat: itaque interdictum diuinum de non faciendis entomidibus, ac cæſuris in corpore, putat Author cum quo agimus, pertinere ad excludenda ſtigmata dæmoniaca, quorum erat vſus in oris illis Ethnicorum, frequentatis à populo Hebræo. Eodémque refert, laminarum candentium nomine Idoli cuiuſpiam inſculptarum, admotionem; vt nomen Idoli in carne ipſorum legeretur. Item Magicis notis annumerat, Mithriacorum cauſticas notas, à Nazianzeno memoratas orat. 3. in Iulia. & notas Gallorum, ac Archigallorum, quos & corpora ſua incidiſſe, & impreſſo ferro candente notaſſe tradit. Cæterùm hæc omnia parum referre videntur ad præſens negotium. Aliud quippe eſt ſtigma Magicum à Satana impreſſum, vel ex eius demandatione ab aliquo iniquitatis miniſtro; aliud ſuperſtitioſum, quod homo in falſi numinis honorem vltrò ſuſcipit, citra ſpecialem Satanæ tanquam Authoris vel primarij Curatoris interuentum. Itaque nihil iſta ad antiquitatem ſtigmatis Magici, quamuis poſſint videri, vel rudimenta, vel præludia impreſſionis factæ à Satana, ad obſignationem deuotionis ſceleratæ.

Veriſimiliùs inter ſtigmata Magica numerantur notæ Spartorum, quarum ſupra ſect. 2. cap. 1. meminimus. Quamuis enim dicerentur eſſe notæ genitiuæ, potuerunt tamen eſſe reuera Dæmoniacæ. Nam nouum non eſt, vt venditentur pro notis Genitiuis, quæ reuera ſunt humani opificij, vt vidimus ibidem c. 4. Et ſimiliter poſſet contingere per Satanicam operam. Auget ſuſpicionem Dæmoniacæ operæ in Spartorum noraculo, quod teſte Apollodoro in Bibliotheca, Tireſias Spartorum vnus, inter Magos præcelluit; & filias habuit Magicæ impietatis cultrices, Daphnem ac Manto. Epimenidis Philoſophi ac Poëtæ corpus, poſt mortem vſquequaque literatum apparuit, teſte Heſychio lib. de Sapientibus. Hoc quoque probabiliter Loyerius. ad ſtigmatiſmum reuocat. Fuit enim Epimenides inſignis Magus, vt docent eius vaticinia, & liberationes Athenienſium à peſte, de quibus Tyrius ſerm. 22. & 28. Nec refert quod Apoſtolus, hunc proprium Cretenſium Poëtam aliquando allegarit, & eo ipſo ſanctificarit eius verſus, vt loquitur Tertullianus. Hoc nego referre ad rem noſtram. Nam etiam Balaami inſignis Magi oracula; & Caïphæ Pontificis, hominis perditiſſimi verba, cum laude ſunt illata in ſacros libros. De Epimenide plura Lilius Gyraldus l. 2 dialogorum de hiſtor. Poëtarum, vbi rectè in ſenſum quem diximus, accipit prouerbium, *Epimenidis corium*: quod inſulsè Eraſmus in Adagiis, accipit de pelle Epimenidis, ob longiſſimum eius ſomnum diutiſſimè aſſeruata, inſtar ſacrarum exuuiarum.

Pythagoram Magico ſtigmate notatum, pro certo habet Loyerius, eo quod femur ſuum quandoque oſtentarit aureum. Eam enim ſupponit hic Author fuiſſe notam Magicam. Ego Magum fuiſſe Pythagoram, extra dubium pono, idque agnoſcit Origenes lib. 6. contra Celſum, & S. Chryſoſtomus hom. 1, in. 1. ad Timo. ac S. Cyrillus l. 3. in Iulia. id ex eius colloquio cum flumine Cauſa monſtrat. Et aliis prolatis, confirmat Henricus à Monte Acuto in Opere cui titulus *Mimica Dæmonis* c. 13. & iampridem Franciſcus Pic. l. 1. exam. vanit. doctri. gent. cap. 2. Nec eſt opus alia confirmatione huius rei, quàm quæ ſe vltrò ingerit Acta eius perlegentibus; vbique enim occurrunt Magicæ impietates. An tamen femur aureũ quod Pythagoras vidẽdum exhibuit, idipſum eſſet quod nota Magica vt affirmat Loyerius, iure vocatur in dubium. & videtur negandum. Neque enim ſtigmata Magorum ſunt aurea; ſed viſa eſt aurea illa pars corporis, quæ vtique ex auro non conſtat, nec in aurum à Satana vertitur, cum notatur. Deinde pars inferior corporis, vitam amiſiſſet, ſi femur euaſiſſet aureum arte Dæmoniaca. Itaque per præſtigium, planus iſte imponebat ſpectatoribus, & femur aureum exhibebat, quod reuera aureum non erat. Aptiùs probaretur Pythagoræ ſtigma Magicum, cum Henrico à Monte Acuto c. 8. libri inſcripti *Mimica dæmonis*, ex eo quod Iamblicus in vita Pythagoræ diſertè prodat, eum fuiſſe in coxa notatum aureo charactere.

Æmulatus eſt Pythagoram, Numa Legiſlator ſimul ac Rex Romanorum, & vterque Zoroaſtrem. Numam enim fuiſſe inſignem Magum, docent colloquia eius cum Egeria Nympha, & Fauni ac Pici Martij Magicæ illaqueationes, de quibus Arnobius initio libri quinti, nec non conuiuium ſumptuoſiſſimum nullo præuio apparatu exhibitum. vt Plutarchus in Numa ſcribit, & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. hiſtor. Rom. De Zoroaſtre Magicis ſtudiis addictiſſimo, res vulgatior eſt quàm vt monere de ea oporteat. Clemens Rom. l. 4. recog. Chami filium fuiſſe docet, & à Dæmone quem importunius frequentabat, igne crematum. Non rarò enim, improuida maleficorum cum Dæmone tractatio, exitium illis creat. Et quanquam Pythagoram, cum Zoroaſtre, quoad hunc vitæ exitum cõfert Henricus à Monte Acuto in Opere cui titulus *Mimica Dæmonis* cap. 13. (nam Pythagoras quoque conflagrauit;) tamen cauſa viuicomburij Pythagorici, non fuit Magica, ſicut cauſa mortis Zoroaſtris. Pythagoras enim per inuidiam eorum quos admittere in Milonis domum noluerat, incenſa domo periit, iuxta Clementem Romanum 4. recogn. At Arnobius lib. 1. & Athenagoras in Legat. Pythagoram ob affe-

ctaram tyrannidem, intra ædes in quas confugerat, iniecto igne ſuccenſum, tradunt. Mihi in præſentia ſufficit, ex Magico Pythagoræ ſtigmate, quod in publicum inſignis & ipſe Magus agnoſcit, de non diſſimili Zoroaſtris, quem Pythagoras eſt æmulatus, ac Numæ (qui iuxta D. Auguſtinum 7. ciuit. c. 35. ante Pythagoram floruit; dictus tamen idcirco à Clemente Alexandrino Pythagoræus quia Pythagoræ inſtitutis adhæſit,) Magica notatione coniecturam facere. Quæ ſi admittatur, æquè ad cæteros eiuſdem furfuris homines, ante ac poſt Chriſtum Magiæ nomine infames, (quales Pythagoræi propè omnes & bona pars poſteriorum Platonicorum, præſertim Iuliano Apoſtatæ æqualium;) extendenda erit ſtigmatis Magici impreſſio.

Characteriſmi Magici antiquitatem, haud obſcuris indiciis tenemus. Eiuſdem verò infelicem ad hæc vſque tempora propagationem, iam ſupra euicimus cap. 1. Expoſtulat verò Lambertus Danæus dialog. de Sortiariis c. 2. quod ſuo tempore. (hoc eſt inclinante ſæculo ſuperiore,) nota hæc Magica, multiplicatis ſupra modum maleficis, increbuiſſet longè magis, quàm trecentis abhinc annis. Cuius rei cauſam repetit, ex eo quod [Mundus Sacroſanctum Deum Verbum, patefactumque ipſius lumen reiicit, & impudentius & obſtinatius. Quantò enim homines magis ſe in Deum ingratos hodie præbent, tantò Deo iuſtior eſt eorum deſerendorum cauſa, tradendorúmque Satanæ, ad nominis ſui contemptum vindicandum. Quare hoc maximè tempore quo grauiſſima & fœdiſſima hominum in Dei doctrinam rebellio manifeſtè cernitur, Satan hanc poteſtatem à Deo accepit, vt tales ſibi adduceret, & exturbaret; conceſſáque illi eſt erroris ſumma efficacia, ad multos fallendos, irretiendos, & abducendos: quemadmodùm ipſe Dei Spiritus, id fore imprudem teſtatus eſt 2. Theſſal. 2. verſ. 10. & Deum miſſurum eſſe vim & energiam deceptionis, vt homines credant Satanæ, & mendacio, & damnentur qui non crediderunt veritati, ſed acquieuerunt iniuſtitiæ, quia amorem veritatis non receperunt vt ſalui fierent.] Exſcripſi fideliter, Danæi, hoc eſt Miniſtri Caluiniani verba, quibus cauſam multiplicatorum ſuo tempore maleficorum, vnáque Magici ſtigmatis, refert in catholicæ doctrinæ tenacitatem. Id enim eſt quod ait, homines æui ſui fuiſſe rebelles lumini, per ſolem (ſcilicet) Gebennæ exortum, affuſo. Nam ſi purum, & non dilutum Dei verbum, quale in Geneuenſi popina propinatur, hauſtum auidè fuiſſet à mortalibus, reiecta vappa Romana præ annoſitate in acorem verſa; malefici pauci aut nulli in orbe fuiſſent, & ſtigma Magicum vix vſquam habuiſſet locum. Ob hæreſeos verò Caluinianæ deſpectionem atque repulſam, ſumma efficacia erroris data eſt Satanæ, mittente Deo vim & energiam deceptionis, vt homines credant mendacio, & damnentur qui non crediderunt veritati.

In his Caluiniani Poppæ verbis, eſt quod putorem blaſphemiæ ſuboleat, eſt quod effrontem impudentiam crimen ſuum innoxiis impingentem repræſentet. Blaſphemiam redolet, miſſa à Deo vis & energia deceptionis & erroris. Tametſi enim in Scripturis aliquid tale interdum occurrit, tamen peruerſos ſenſus quem Caluinus & eius aſſeclæ verbis Spiritus Sancti ſubiiciunt, aſſerentes Deum nos implanare, & potenter in errorem conitrudere, blaſphemiam redolet. Neque enim Deus vllum implanat. Satan item nunquam adeò ſæuire permittitur, vt liberum nobis non ſit, repudiare & abigere, pellicientem duntaxat non cogentem. [Non extorquet à nobis conſenſum, ſed petit;] ait D. Auguſtinus ſerm. 197. de temp. & l. de natura & gratia cap. 58. Pelagium ſimilia profitentem collaudat. Egregiè in eandem ſententiam S. Hieronymus in c. 4. ad Epheſ. ad illud, *nolite locum dare Diabolo.* Scitè item S. Bernardus ſerm. 85. in Cant. Sed elegantiſſimè de more Eucherius homil. 1. de Paſch. his præter cætera. [Nunc infelices quoſque quos ſibi aſſenſum facilem accommodare præuiderit, ad fauces ſuas, ſollicitationum carminibus trahit, & voluntariam prædam inermis expectat, Vertit vero ad eam ſollicitationem, ſpiritibus erroris atque dæmoniis: quo nomine Apoſtolus 1. Tim. 4. interprete ibi D. Chryſoſtom. homil. 12. intelligit Hæreticos, quorum ordine indignitatis & & nequitiæ, nulli poſteriores Caluiniani; vt videas repercuti aduerſarium eo ipſo lapide quem intorſerat, tribuens tantam ſua ætate fruticationem Magiæ abiectioni puri verbi diuini, & prædominationi erroris. Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam. Magia & mancipatio ad peculiare Satanæ obſequium cum hæreſi ſuecreuit. Hoc verè dixiſti. Magna germanitas inter hæreſim & Magiam. [Notata ſunt commercia Hæreticorum, cum Magis compluribus;] Aiebat Tertullianus l. de præſcripe. c. 43. & annuit Theophilus Alexandrinus hom. 1. Paſch. Sed nolo in hoc cœno diutiùs conuolui, quod vir doctiſſimus Thomas Stapletonus, tota oratione 1. Academica, diligenter hoc negotium verſauerit. Titulus Orationis eſt; *Cur Magia pariter cum hæreſi hodie creuerit.* Adeò ſanè creuit in Gallia, Magiæ ſtudium cum Caluiniſmo, vt Bodinus in præfat. dæmonomaniæ, ex Triſcarini celebris Magi relatione, teſtetur; ſuo tempore, hoc eſt ſuperiore ſæculo ſatis inclinato, in ſola Gallia Caluiniſtis tunc refertiſſima fuiſſe Magorum trecenta millia. Quanquam alia Latina Bodini editio, non niſi centum millia memorat.

CAPVT XI.

De ſtigmatis Magici ſtabilitate aut euaniditate.

PEr ſe loquendo, ſtigma Magicum videtur perpetuum; ita vt nullius hominis voluntate, quamdiu corpus perſtat, videatur poſſe obliterari. Eſt enim impreſſum in eum finem, vt ſit pignus ac teſſera ſeruitutis Dæmoni mancipatæ, quam teterrimus noſter ac Dei hoſtis, optat eſſe perpetuam. Quod ſi pars ſignata ſit emortua, vt plerunque contingit; liquere videtur, non poſſe notam obliterari arte humana. Quis enim hominum, quod vita ſemel priuatum eſt, reſtituat vitæ? Nec refert quod excogitata ſint varia remedia naturalia, ad ſtigmatis ſeruilis obliterationem, vt tactum eſt ſect. 2. cap. 2. Ea enim ſtigmata non adeo profundè deſcendebant; vnde obliterabantur extimæ cutis decuſſione, & ſubſtitutione nouæ. quod hîc non ſufficeret, ob penitiorem impreſſionem. Itaque per ſe loquendo, ſiue ſpectata tantùm vi humana, ſtigma homini à Dæmone impreſſum, perenne eſt; nec ſiue temporis tractu exeditur, & obſoleſcit; ſiue humana arte obliteratur.

Quin tamen ſtigma Magicum poſſit diuino beneficio

beneficio obliterari, dubitare non licet: Legimuſ-que nonnullos maleficos reuenientes ad Deum, notam Satanicam amiſiſſe. Ita ſcribit de quodam olim Mago Conſtacenſi, Petrus Ancoranus lib. 2. inconſt. Dæmo diſcurſu 2. addens *in fine*, innumera ſe illius obliterationis experimenta cæpiſſe. Id quod reperit lib. 4. diſcurſu vltimo. Magdalenam Paludanam, teſtatur Fontanus l. de notis ſagarum *pag.* 33. pœnitentem & ad Deum regreſſam, amiſiſſe ſtigma ingenti eum cruciatu, ipſo die Paſchatis. Hoc idem Author, tribuit concitationi Satanæ pœnitentem, regreſſam ad officium, & Deo conciliatam, quam voluerit ſuo ſignaculo notari, iam alienam. Sed malim id Deo, potiùs quàm Satanæ tribuere. Quis enim vltrò amouet titulum, & ſignum aditæ poſſeſſionis optimi prædij, & non potiùs expectat vt amoueatur ab alio, per quem de poſſeſſione eius deiicitur? At ſtigma erat veluti titulus, quo Dæmo oppignerauerat ſibi creaturam Dei, & eius quaſi poſſeſſionem, titulo donationis, & perfidæ deuotionis inuerat. Nullo ergo pacto, volet ſtigma ſua arte & labore obliteratum. Sed diuinum beneficium agnoſcat neceſſe eſt, quiſquis pœnitens eiurato Satana cui ſe mancipârat, dæmoniacum notaculum ſemel impreſſum amittit. Et quamvis nihil vltra damnationis ſupereſſet iis qui ſunt in Chriſto & per pœnitentiam reuenerunt ad Deum, etiamſi notam corpoream retinerent; Tamen optandū eſt omnibus qui Diaboli iugum excuſſerint, ea quoque nota liberari; quippe veſtigio ſeruitutis ſemel addictæ, quod intereſſit exſcindi funditus. Sicut quamuis pœnitenti non noceat, quod Dæmon retineat Syngrapham addictionis impiè exaratam, cum facta eſt teterrima deuotio, iuxta annotata cap. 2. poſt Sanchem atque Suarem; tamen omni ſtudio ſatagitur, vt ea Syngrapha quæ penes Satanam erat, recuperetur, ac deſtruatur. Idem igitur proportione ſeruata faciendum eſt, circa hanc teſſeram; quippè ipſi corpori infixam, teſſeram dæmoniacæ ſeruitutis. Quamuis autem obliterationem iſtam ſtigmatis, in regreſſis ad Deum, admittam non fieri à Satana; tamen nihil vetat tribuere illi dolorem, ſi quis in huius notaculi abiectione interuenit, vt ex Fontano referebamus interueniſſe in exemplo Magdalenæ Paludanæ. Præ odio namque abiectæ mancipationis ſibi deuotæ, potuit cruciatum quem referebamus, excitare. Vel Deus ipſe in pœnam prioris culpæ, quamuis iam quoad maculam deterſæ, potuit eum cruciatum inferre, vt agnoſceret creatura improuida, quàm durum & amarum ſit, dereliquiſſe Dominum Deum ſuum, & ad eius hoſtes impiiſſimè indigniſſiméque transfugiſſe.

Haudquaquam tamen facilè dixerim, an Deus hoc beneficium obliterationis ſtigmatis, concedens pœnitentibus, ſtigma immediatè per ſeipſum obliteret, an ad id vtatur miniſterio Angeli boni, vel ipſum Satanam adigat, vt quæ à Deo perfecta, malignè ipſe deſtruxerat, iterarò ſarciat, atque reſtituat in ſtatum priſtinum. Non tranſcenderet ſanè vires Angelicas hæc obliteratio. Nec rarò deprehenſum eſt, Satanam nondum ſaturum malorum per maleficos inferendorum, liberare eos à nota impreſſa, ſi Iudicibus plectendi ſiſtantur, vt faciliùs legum ſeueritatem declinent. Habet in hanc rem exempla Bodinus l. 2. dæmonom. c. 4. & annuit Delrio l. 5. Magic. ſect. 4. num. 28. Ratio item ſuffragatur. Nam vt Angelus, ſiue bonus, ſiue malus, partem notatam, (etiamſi ſupponamus emortuam,) reſtituat priſtino ſtatui, aliud non exigitur, quàm vt Temperamentum illi humani corporis parti conſentaneum reponat; molleſacta ſi obduruerat, & debitè temperata ea materia: quo nihil Angelo faciliùs, applicando idonea actiua paſſiuis, quæ vtraque habet perſpectiſſima. Quid quod totalem quoque hominis materiam, ſi leges vniuerſales de huius orbis ordine latæ, ita permitterent, non tranſcendendo metrum natiuæ Angelo poteſtatis poſſe ab eo diſponi ad exceptionem animæ;) præſertim ſi ea materia organizationem & configurationem humanam retineat, quale eſt cadauer hominis anima recens priuatum;) probabiliſſima doctrina fert, tradita in Naturali Theologia d. 4. n. 191. Non erit igitur Satanæ operoſum, obliterare notam humano corpori ab ipſo impreſſam, ſi Deus eam obliterationem in gratiam pœnitentis demandet; aut ſi ipſemet Satan, pro ſuo verna ſollicitus, id præſtare ſtatuat. Scribit ſanè Henricus Boguetus cap. 44. Georgium Gandillonum maleficum, in iudicio falſum ipſimet Bogueto Iudici, Satanam obliteraſſe notam impreſſam, & locum cui impreſſa fuerat à malefico eſſe demonſtratum. Acta item Aquenſia anni 1611. Aprilis 3. produnt, Satanam à Deo adactum, Magdalenæ Paludanæ pœnitentis, notas Magicas aboleuiſſe, poſtquàm refecta fuit cœleſti pane. In ea tamen obliteratione, quam Satan facit quaſi in fauorem Maleficorum, vt ad tempus Iudices eludant; facilè poteſt obrepere deceptio; quia pater mendacij, nuſquam veritatem amans, facile poſſet oculis ſpectantium imponere; ſiue per obductionem extimæ pellis ſaluo interiore & profundiore ſtigmate, (nimirum repoſito debito Temperamento in extima duntaxat corporis parte, intactis partibus penitioribus;) ſiue per præſtigias, quibus immutato reipſa ſtigmate, tamen illudat ſenſibus, iuxta ea quæ in Naturali Theologia diſputata ſunt d. 4. à n. 311.

CAPVT XII.

Recenſentur alia quadam ſtigmata Dæmoniaca, minùs frequentia.

STigmata Magica de quibus hactenus, ſunt veluti primaria inter ſtigmata Dæmoniaca. Nam ad ſcopum dæmoni propoſitum apprimè commodant, cum ſint obſignationes deuotionis quâ homo ſe Satanæ mancipabit. Quare primo loco de eis agendum fuit; præſertim cum ſint longè frequentiſſima, & in vſu penè quotidiano.

Nunc attingenda ſunt rara quædam exempla, ſtigmatum, vel à Satana extra commercium Magicum & mancipationem ſeruitutis, vel ab animabus damnatis corpori alicuius ſuperſtitis impreſſorum. Parinde enim eſſe videtur, quòd ſtigma vel à Satana, vel ab anima damnata habeat originem. Id quod multo magis valet, ſi admittatur doctrina S. Chryſoſtomi hom. vltimâ de Lazaro. & Victoriæ relect. de arte Magica nu. 17. & aliorum grauium Authorum apud Thyræum l. de locis infeſtis parte 1. c. 9. quibus viſum eſt, nullas animas damnatas huc aliquando regredi, ſed Dæmones eſſe, qui ſpecie animarum damnatarum, apparent aliquando mortalibus. Et quamuis (vt idem Thyræus agnoſcit l. de appărit. Spirit. à cap. 11. agnoſcit,) nulla ſuppetat idonea ratio ad inficiandum, animas damnatas diuino permiſſo aliquando huc regredi;

gredi,& apparere mortalibus: tamen anima damnata quodammodò tranſcribitur in ordinem Dæmonum; non quidem ſubſtantiali mutatione, ſed conditione ac ſtatu. Quamobrem ſtigma impreſſum ab animâ, Dæmonis contubernali, & quaſi commenſali, poteſt aliquatenus appellari Dæmoniacum, etiamſi ſupponatur non eſſe à Dæmone impreſſum ad animæ præſentiam, ſed immediatè per ipſam animam.

Inter hæc ſtigmata Dæmoniaca infrequentia, illuſtre eſt quod Beda l.3. hiſtor. Anglor. cap. 19. literis mandauit de S. Furſæo, qui ad tempus vita functus, & cœleſtium bonorum contuitu,& pœnarum Tartarearum obiectu, donatus eſt. Iuſſus enim retorquere oculos in vallem tenebroſam, quatuor in ea ignes animaduertit: & ſciſcitatus quæ illæ flammæ eſſent,accepit ab Angelis bonis quos habebat myſtagogos, eſſe quatuor ignea qui mundum ſuccedentes, eſſent conſumpturi. Primus mendacij, quo deſponſa in baptiſmo ſæculi renunciatio, non præſtatur. Secundus cupiditatis, quo terrena præ cœleſtibus captantur. Odij tertius,ac violationis proximorum.Quartus denique impiæ malignitatis, quo potentiores opprimunt inferiores, & fraudibus ac calumniis vaſtant & conterunt, quibus non eſt munimentum. Cùm ignes illi paulatim creſcentes, & appropinquantes adinuicem, diffuſi eſſent in molem immenſam; ita vt Furſæus accedentem ad ſe ignem extimeſceret, eáque ex cauſa vni Angelorum, qui aderant ſupplex fieret, vt ignem auerteret; audiuit ab Angelo [quòd non incendiſti, non ardebit te. Nam etſi terribilis iſte & grandis eſſe ignis videtur, tamen iuxta merita operum, ſingulos examinat; quia vniuſcuiuſque cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam.] Solutus Angelorum opera eo metu Furſæus,iuſſus eſt ad corpus reduci:in quo regreſſu notatus eſt ſtigmate dęmoniaco,vt in his verbis ſcribit Beda, cum ex Actis B. Furſæi plenioribus, tum ex teſtimonio probatiſſimi Monachi, ſui monaſterij, qui ex oculato teſte rem totam fuerat edoctus. [Remanſerunt cum B. Furſæo tres Angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cúmque præfato igni maximo appropiaret, diuiſit quidem Angelus ſicut priùs, ignem flammæ; ſed vir Dei, vbi ad patefactam vſque inter flammas ianuam peruenit, arripientes immundi Spiritus vnum de eis quos in ignibus torrebant, iactauerunt in eum, & contingentes, humerum, maxillámque eius incenderunt. Cognouítque hominem, & quòd veſtimentum eius morientis acceperit, ad memoriam reduxit: quem Angelus ſanctus ſtatim apprehendens, in ignem reiecit. Dicebátque hoſtis malignus: Nolite repellere, quē ante ſuſcepiſtis. Nam ſicut bona eius peccatoris ſuſcepiſtis; ita & de pœnis eius, participes eſſe debetis. Contradicens Angelus: Non (inquit,) hoc propter auaritiam, ſed propter ſaluandam eius animam ſuſcepit. Ceſſauítque ignis: & conuerſus ad eum Angelus, Quod incendiſti, (inquit,) hoc arſit in te. Si enim huius viri in peccatis ſuis mortui, pecuniam non accepiſſes, nec pœna eius in te arderet. Et plura locutus, quid erga ſalutem eorum qui pœniterent, eſſet agendum, ſalubri ſermone edocuit. Qui poſtmodùm in corpore reſtitutus, omni vitæ ſuæ tempore, ſignum incendij quod in anima pertulit, viſibile cunctis in humero maxilláque portauit. Mirúmque in modum, quòd anima in occulto paſſa ſit, caro palam præmonſtrat.]

Eſt inter Agobardi Opera, Tractatio ad Bartholomæum Narbonenſem Epiſcopum ab Agobardo exarata, collato ſtudio cum Hildigiſo & Floro Magiſtro, qua refert, accepiſſe ſe [fieri vt videantur & ſentiantur in corporibus hominum ſtigmata exuſtionis, quaſi ſi ſulphur arſiſſe in locis illis contigiſſet, nec tamen mori aliquem ex his, dictum eſt nobis: quæ videntes vtriuſque ſexus & diuerſæ ætatis homines, offerunt quædam donaria quæ vnuſquiſque poteſt, aut in auro & argento,vel pecoribus, aut in quibuſcunque ſpeciebus;nullius exhortatione,nulla ratione admoniti, ſed irrationabili terrore perterriti. Quod nobis multum ſtultè fieri videtur, cum nulla ſigna ſanitatum, nulla ſpes propitiationis ibidem demonſtrentur,propter quod faciliùs aduerti poterat, qua eſſet cautela cuſtodiendum. Et certè ſicut veriſſimum eſt,quod iſtæ percuſſiones eſſe non poſſunt, niſi Deo permittente, ita certiſſimum, nulla alia virtute miniſtrante,niſi Angelo percutiente.] Húc Angelum percutientem,oſtendit Agobardus paulo poſt,non alium eſſe quam Satanam,quem Scriptura Iobi 6. ait percuſſiſſe Iobum vlcere peſſimo;niſi quod quia percuſſio non fit à Satana niſi permittente Deo, additur Spiritum Domini malum percuſſiſſe, & manum Domini tetigiſſe Iobum percuſſum. Confirmat latè Agobardus, dæmones à Deo plerunque adhiberi ad huiuſmodi percuſſiones. Tametſi enim Angeli boni, quandóq; legantur intuliſſe corporea quædam damna (vt cum Gabriel Zachariam Baptiſtæ patrem ſilentio multauit, Lucæ 1. & cum Danielis compages in viſione obiecta,diſſolutæ ſunt Danielis 10. & cum Iacob Angelo colluctatus claudicauit Gen. 32.) tamen Satanam vt plurimum eſſe adminiſtrum flagelli bonis æquè ac malis communis, cuiuſmodi erant hæ ſtigmatum inuſtiones,aſſumit Agobardus vt verum, probátque ex variis Scripturis. Et ſub tractationis finem, addit, Satanam [maximè in illos inhiare, quibus præualere ſe poſſe videt, eo quod ſint exiguæ fidei, & vacui pondere rationis. Et inde eſt,quod pueros ac puellas, & hebetes quoſque decipere videtur, & maculis exuſtionis notare.] Non eſt omittendum, quod initio Tractationis præmiſerat, exuſtiones propoſitas non multùm abfuiſſe à veſicis turgentibus; vel ſicut alia editio dicit,feruoris, Ægypto illatis. Atque adeò videri etiam poſſunt ſimiles caumatibus illis, quæ *ignes S. Antonij* denominata ſunt, eo quod interpellato B.Antonio curarentur, vt tractatum eſt libro de ſymbolis Antonianis.

Thomas Cantipratanus l. 1. Apum c.20.nu.8. narrationem huc facientem, his verbis contexit. [Clericus quidam, in Synodo Epiſcoporum prædicare compulſus, anguſtiabatur non modicum, quidnam dignè poſſet coram tot Prælatis Eccleſiæ prædicare. At vbi acceſſurus, in oratione iaceret,venit ad eum Diabolus,& dixit ei; Quid anguſtiaris iſtis Clericis prædicare? Dicas eis iſtud & non aliud: Principes Infernalium tenebrarum, Principes Eccleſiæ ſalutant. Læti omnes nos,gratias eiſdem referimus, quia cum ipſis, eorum nobis afferuntur ſubditi,& per eorum negligentiam, ad nos deuoluitur totus pariter ferè mundus. Inuitus quidem tibi dico quod dico, ſed altiſſimi iuſſione coactus. Reſpondit Clericus; Mihi quidem, ſi hæc eis retulero, non credent. Tunc Diabolus tangens maxillam eius:Ecce, (ait,) ſignum,

nigredo

nigredo inſolita faciei. Hanc antequàm prædices, non contingat, quia fruſtra: poſt prædicationem verò aquâ benedictâ delebis. Proceſſit ergo Clericus in Synodo prædicaturus: & admirantibus cunctis in ſigno indito faciei, tantùm illa quæ ſibi iuſſa ſunt recitauit; & ad horrorem maximũ cunctorũ corda permouit. Hæc anno ab Incarnatione Domini M.CC.XLVIII. fuerunt Pariſiis, coram omni Clero & populo, ſolemniter recitata.

Mulierem Sebuſianam, ſcribit Gerſo in calce Tractatus de Examinatione doctrinarum, delatam apud Lugdunenſem Antiſtitẽ anno 1424. multa fingentem tanquam ſibi à Deo reuelata, quæ non aliundè quàm à Satana didicerat. Peccata enim quibus quiſque ſe contaminarat, inſpectâ fronte agnoſcebat. Vnam ſe è quinque mulierculis à Deo miſſis, ad extrahendas è Tartaro innumeras animas, & earum duas ad minimum, quot diebus inde eripuiſſe, mentiebatur. Tandem duo ſtigmata veluti carbones, in pede præferre deprehenſa, & territa; cum tormentis ſubiicienda eſſet, veritatẽ ſyncerè aperiens, quæſtum ſe æſtimaſſe pietatem, iudices docuit; & morbum epilepticum quo laborabat, prætextu exceſſuum diuinorum obnubere ſolitam: carbones autem queis notatum pedem habebat, Satanæ in ea opificio extitiſſe, ad faciliùs imponendum ſimplicibus; quod ex eâ parte ingentes tolerarct cruciatus, cum eſſet è Tartaro eripienda, damnata quæpiam anima.

Inuſtam viro probo, & Medico ſcientiſſimo, à damnatâ animâ notam, annis ſuperioribus, iuuat recolere ex Prato meo ſpirituali num. 81. Decumbebat Petrus Serpillonus probus & doctus Medicus, ex morbo è quo etiam haud ita multò poſt exceſſit: & ritè ſubductis rationibus omnibus, peractâ accuratè de vitâ vniuerſâ, exomologeſi, obducto lecti ſipario ſe continebat, non lucem faſtidiens vt domeſticis primùm videbatur, ſed vt liberiùs hæreret defixus in cogitatione de Deo, & de tranſitu à quo non eſt regreſſus: cum ecce ſubitò auditur ab iis qui lecto ad officia ægro præſtanda aſtabant, inclamans æger. Heu miſeram animam! Quo infelix propelleris? Reſponſum auditum eſt, & ex voce reſpondentis, poſteàque ex ægri deſignatione certiùs compertum, eſſe animam Libellionis Aucionenſis qui ea horâ fato concesserat. Reſpondit ergo qui interrogabatur, ire ſibi eſſe in infernum. Roganti ægro damnationis cauſam, reſponſum ſecundò datur, cauſam fuiſſe quod malè & infideliter functus eſſet concredito Notarij munere. Eſtne igitur, inſtitit Serpillonus, id munus periculoſum & damnationi obnoxium? Eſt verò, reſpondit infelix. Quid ſi è ſodalitio Deiparæ ſint, ait æger? His quidem, repoſuit damnata anima, peculiari præſidio ſunt, tutela Deiparæ, & aſſidua monita quibus ad vitam piam informantur: tamen ni ſapiant, & ipſi quoque excidentur, & igni addicentur æterno. Dixit, & fidem verbis facturus infelix Notarius, manum in iacentis femur extendit, quod æger confeſtim aduocato ſpiritus Magiſtro P. Ioanni Suffreno, oſtendit veluti cauterio Inuſtum, in totius huius narrationis confirmationem.

Stigma dæmoniacum planè inſolitum, anno 1634. in Saxonia impreſſum citra commercium Magicum, adſcribo ex duplici epiſtola Baltazaris Han, Archiatri apud Saxoniæ Electorem. Exhibet eas Epiſtolas Sennertus, in Appendice ad partem nonam libri ſexti Medicinæ practicæ. Narrabat ergo Baltazar Han, puellam Lutheranam annos natam 21. poſt turbationes in ſomno, cum mane 9. Nouembris templum adiret pronubam actura coniugij apud Miniſtrum celebrandi, deprehenſam eſſe, liuidis maculis duabus, in vnaque manu ſubitò exortis notatam; & variis laciniationibus continuitatem cutis vtriuſque brachij, à carpis ad flexuras vſque cubitorum, tanquam ſe ſolutam. Supra vtroſque verò cubitos, (vt idem reſtatur,) conſpiciebantur diuerſæ literæ: quæ inter N. & B. exactè conformatæ erant. Conſpiciebatur item ibidem, multiplex crucis effigies, & quidem ea varietate, & cruces modò longiores, modò breuiores, modò longiſſimæ, incurrerent in oculos: quædam cernerentur profundiùs demiſſæ, doloremque ac pruritum excitarent; quædam ad ſuppurationem peruenirent, ſuáque veſtigia vltra menſem poſt ſe relinquerent; in quibuſdam verò nihil tale obſeruaretur. Auctus proditur numerus characterum, vna atque altera cruce, circa collum, pectus, & ventrem infimum erumpente, 15. Nouembris. Indéque ad plures corporis partes proreperunt notæ, maxima ex parte Crucem figura referentes; ita vt ſpatio ſeptidui, puella à capite vſque ad calcem, tam in anticis quam in poſticis partibus, tota cute, perinde ac ſi ſpinis aut virgis cæſa fuiſſet, ſtigmata præferret. Et prioribus quidem diebus, facies pura apparebat, & abſque notis: poſterioribus verò diebus, ipſa quoque notas prætulit, ſed leuiores, vixque cutis continuitatem ſoluentes, nec niſi epidermida afficientes. Nocte inſequente, acus vtrique volæ manus infixa apparuit, nec vana ſpecie: nam ab aſtantibus extracta, & variè incuruata, ac igni admota, ſoliditatem ſemper retinuit; éſtque aſſeruata. Aliquot poſt diebus inter deambulandum, deprehenſa eſt acus vtrioſque pedis plantæ infixa, cruciatum inferens haud exiguum, nec abſque cruoris profuſione. Exinde per interualla, certis noctibus non ſemel extra lectum abducta, & ſub ſcamno aliquo iacens reperta eſt, nouis inſignita Crucibus, & cordis effigie, ac Chymicis & Aſtronomicis notis, cutè velut inciſis. Die verò Ianuarij 27. inter colloquendum & operandum cum vicina, manus dexteræ artificio inſigni, leuiter inciſa apparuit roſæ & trifolij figura; & anni a Chriſti Natiuitate decurrentis numerus 1635. Demum cor telis tranſfixum de nouo apparuit, citra dolorem, & ſtulti imago ac Germanicum verbum *Narr*. & quædam alia ſigna cum diuerſis crucibus.

En prodigioſam omnino ſtigmatizationem, extra omnem Magici commercij ſuſpicionem. Manum Satanæ rectè hîc agnoſcunt Baltazar Han, & Ioachinus Colbius. apud Sennertum loco allegato. Quod tamen inſinuant, meras fuiſſe præſtigias, & ſenſuum ludificationem, non admitto. Quis enim dicat, vlcera & ſtigmata ad tempus ſatis diuturnum perſtantia, ac ſanioſa, & acus aſſeruatas, deluſiones ſenſuum eſſe? Verè ergo impreſſa ſunt ea ſtigmata, arcano ſed iuſto Dei permittentis conſilio. De acubus infixis corpori & exemptis, conſulendi quos ſupra adduxi cap. 8. Adiuncta varia huius narrationis, adduxerunt me, vt adſcriberer prædictis, circa cauſam effectricem harum prodigioſarum notarum. Contraria verò adiuncta narrationum quas contexeruht Naucle-rus generat. 51. (ex literis Leodienſis Epiſcopi ad Maximilianum Imperatorem,) & Franciſcus Picus carmine quod inſcripſit *Stauroſtichõ*, & Cornelius Curtius l. de clauis Dominicis c. 14. ſimiles inſtrumentorum paſſionis Chriſti notas, non in

veſtibus

veſtibus tantùm ac linteis, ſed etiam in humanis corporis conſpicuas; opus fuiſſe diuinæ vel Angelicæ manus, ſuaſerunt.

CAPVT VII.

Stigmata dæmoniaca moralia.

QVemadmodum in expoſitione ſtigmatum [illegible]orum, & humanorum, præter ea quæ realia [illegible] phyſica erant, nonnulla promiſimus moralia phyſicis analogicè reſpondentia; ita operæ pretium eſt hoc loco, probatis ſtigmatibus dæmoniacis realibus ac phyſicis, moralia non prætermittere: vt fideles tanto ſtudioſius eorum impreſſionem effugiant quanto tetriora perſpexerint. Habemus autem de his moralibus nequitiæ notis, ſuffragium Scripturarum & SS. Patrum.

Imprimis Apoſtolus Rom. 11. viſus eſt ſtigmata Diabolica de quibus agimus, in Iudæis à Deo derelictis, & Satanæ ductum ſequentibus, agnoſſe: cum dixit, *ſicut ſcriptum eſt, dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*. Græcè eſt *κατανύξεως*, quæ vox *perfoſſionem* ſonat. Hebræi quidem Codices Iſaiæ 29. verſ. 10. vnde verba citata ab Apoſtolo ſunt deſumpta, ferunt potiùs veternum & altum ſoporem, qua pœna obdurationis multatos eſſe Iudæos, affirmat Eſaias, iuxta textum primigenium. Tamen Apoſtolus ſecutus 70. adhibuit vocem prædictam, quæ *compunctionem*, ſiue *percuſſionem* & *perfoſſionem* ſignificat. Eaque etiam voce viſus eſt S. Lucas Actor. 2. cum dixit, *his auditis, compuncti ſunt corde*. Græcè *κατενύγησαν*. Et eſt ea vocis notio propria. Nam *νύσσειν vellicare, pungere, fodicare*, ſignificat; vt Interpres Nouator ad eum Lucæ locum expendit. Atque adeò apud Apoſtolum, *ſpiritus compunctionis*, eſt ſpiritus percutiens, & ſtigma imprimens. S. Cyprianus l. de orat. & alibi admodum energicè, legit *ſpiritum tranſpunctionis*. Et verè ex perfoſſione, vel transfixione, & tranſpunctione animæ, ſequitur hebetudo mentis, & excæcatio, ac ſurditas, quam Apoſtolus Iudæis conſequenter tribuit. Nam ſicut ex pupillæ & ſenſorij auditus transfixione, cæcitas & ſurditas conſequuntur: ita populus Iudaicus à Deo auerſus, Satanico ſpiritu punctus atq; transfixus, deſerente Deo, in poteſtatem Satanæ tranſiēs, exoculatus eſt, & obſurduit animo. [Pertuſa eſt illi mens, (inquit S. Cyprianus lib. 1. epiſtol. 3. hebes animus, & ſanſus alienus à Deo.] Ex pertuſione autem illa ſiue punctione, peculiare ſtigma Diabolicum, non eſt quod exponam: cum antiquis, *punctus vultu*, idem eſſet quod *inuſtus*, & impreſſo ſtigmate deformatus.

Eandem tranſpunctionem & ſtigmatum impreſſionem, ſubeunt quotquot Iudaicæ pertinaciæ æmuli, obſiſtunt ſpiritui veritatis: ſed nulli magis quàm Hæretici. Et idcirco Apoſtolus 1. Tim. 4. illi tribuit, ſtigmatis transfixam ſiue cauteriatam conſcientiam. Verba Apoſtoli ſunt. *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus, diſcedent quidā à fide, attendentes à ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocryſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis quos Deus creauit.* Non cadunt iſta in Dæmonia, ex quorum Doctrinā peraguntur; ſed in attendentes eorum doctrinis. Hic quidem genitiuus ille *Dæmoniorum* ſumitur ſubſtantiuè, non adiectiuè; nec deſignat homines qui per malitiam euaſerunt in Diabolos, vt de Iuda dictum eſt Ioannis 6. ſed deſignat ſimpliciter dicta Dæmonia, Satanam nimirum & Angelos eius. Legendum enim eſt cum codicibus emaculatis *δαιμόνων*: quamuis aliqui Codices habeant, *δαιμονίων*, vt Eſpenæus notauit. Qua lectione admiſſa, ea vox deſignaret homines Dæmoniacos, & genitiui omnes eodem referuntur. Sed probata lectio, habet *dæmoniorum*, ſiue *dæmonum*, ita vt ea vox cadat in Satanam & Angelos eius. Et tamen dico genitiuos alios in eo loco Pauli propoſitos, & genitiuo illi *Dæmoniorum* ſubnexos, non cadere in ipſa Dæmonia, ſed in attendentes doctrinis eorum, quia Hebraiſmus eſt, quo nomen & verbum cum propinquiore nomine concordat, potiùs quàm cum eo quod propriè reſpicit. Similes Helleniſmos apud Homerum, Euripidem, ac Sophoclem, obſeruauit Euſtathius Iliad. *β*, & Scholiaſtes Nouator Marci 12. v. 40.

Ait ergo Apoſtolus, hæreticos in hypocriſi loquentes mendacium cauteriatam habere conſcientiam; id eſt cauterio inuſtam Satanico. & Diaboli ſtigmate conſignatam; eique non ſecùs addictam, quàm vi ſtigmatis ſui mancipentur Satanæ malefici. Eam verò conſcientiæ Diabolico cauterio notatæ inuſtionem, inſenſibilitas, & defluxus vberis ſaniei conſequitur, vt docet vox *cautery*. [Sicut enim cauterium, corruptio eſt in carne, per ignem ſiue ferrum ignitum, ex quā egreditur continuò putredo: ita ex igne peruerſæ voluntatis, quaſi cauteriatæ, vlceratur conſcientia, & egreditur falſa doctrina Dæmoniorum, & affinia habet ibidem Gagneius.] Verba ſunt S. Thomæ, ad eum locum lect. 1. Ex eadem voce *cautery*, Caietanus ibidem, eruit impietatem in Hæreticis dogmatum ſatoribus. de quibus agebat Apoſtolus, ferè eſſe indelebilem. Sicut enim nota cauterio impreſſa, eſt indelebilis; neque ita vnquam obliteratur, quin remaneant impreſſionis veſtigia; ita pro miraculo propè haberi poteſt, ſi hæreticum impia dogmata ſerentem, reuenire ad Deum contingat. Nihil horum repudio. Sunt enim omnia veriſſima, nec ab Apoſtoli ſcopo abhorrent, probantúrque credito Ambroſio, Theodoreto, & Oecumenio, prolatis ab Eſpenæo in Commentario illius capitis quarti, prioris Epiſtolæ ad Timotheum. Qui præterea addit, ex Brunone, & vtraque Gloſſa, & conſentit Bartholomæus Vveſthmer in Phraſibus Scripturæ V. *Conſcientia*, cauterium quod à cauendo fore cauteriato dictum putauit, hæreticis dici impreſſum, eóſque cauteriatam habere conſcientiam, quia eſt illis inuſtum cauterium, ſicut furibus deprehenſis, vt ab illis caueant, qui ſtigma pœnale inuſtum viderint. Neque hoc repudio, tametſi planiſſimus Apoſtoli ſenſus, videatur quō dixi. Conſcientiam videlicet Magiſtrorum falſæ doctrinæ, eſſe ſtigmate Diaboli notatam, eique mancipatam; nec ſecus ſe habere, quàm carnem ambuſtam cauterio, quæ vita & ſenſu caret, perpetuoque emittit purulentias, & ſanioſum fœtorem. Quam ſuam malam affectionem, iidem mali Magiſtri, impertiunt aliis. Æquè enim inuſtam, ac ſtigmate Dæmoniaco notatam efficiunt conſcientiam eorum qui ſe illis adiungunt. Vt propterea verum quoque ſit quod S. Auguſtinus 15. contra Fauſt. cap 10. & lib. 16. legit *cauteriatam conſcientiam*.

Adiungo propoſitis Scripturis, iudicia Patrum de ſtigmate morali Dæmoniaco, initium ducens

à

à Philone. Nam cum Patribus & Eccleſiaſticis ſcriptoribus annumerauit S. Hieronymus. Philo itaque l. quod mundus ſit incorruptibilis, agens de cauſa e quam Deus puram lucem non affundit animæ, eam refert in [Imprudentiæ, iniuſtitiæ, cæterorúmque vitiorum ſtigmata, vix eluibilia.] Quæ ſtigmata, impreſſa ait à perturbationibus, quarum currus in nobis eſt; auriga autem & agitator peſſimus, ipſe eſt Satan, vt dico cum de Chriſto aurigatore. Itaque hæc ſtigmata per omne vitiorum genus impreſſa, ſunt manifeſtè Diabolica, deformántque omnes vitiis addictos, non quidem ſenſibiliter in corpore, ſed (quæ teteriora ſunt notæ,) inuiſibiliter in anima.

Agnoſcit quoque ſtigmata hæc Dæmoniaca, Origenes hom. 13. in Ezech. tractans illud *in ſignaculum ſimilitudinis*. Vbi poſt propoſitum ſignaculum diuinum, & ſtigma ſacrum piis impreſſum; ſubdit declinandam eſſe imaginem hominis terreſtris, quæ eſt ſtigma Satanæ. [Caue homo, ne ſæculum iſtud egrediens, ſignaculo Diaboli ſis impreſſus. Habet quippe ille ſignaculum. *Sicut portauimus imaginem terreſtris*, vnde vel quando, vel qui ſignificanti hoc ſigno portauerimus imaginem terreſtris. Circuit Diabolus, & luſtrat omnia, volens & ipſe ſignare ſubiectos ſibi. Signat autem ſingulorum corda conſiderans, & imprimit in eis figuram terreni, per peccata, per vitia, vt portent imaginem terreſtris.

Sed & Tertullianus l. 4. in Marcion. cap. 9. [In exemplo leproſi non contingendi, imò ab omni commercio ſubmouendi, communicationem prohibebat hominis delictis commaculati, cum qualibus & Apoſtolus cibum quoque vetat ſumere; Participari enim ſtigmata delictorum, quaſi ex contagione, ſi quis ſe cum peccatore miſcuerit.]

Non abhorret ab hoc inſtituto, S. Ambroſij oratio in Apologia Dauid. Exponens enim quid ſonaret ea petitio Dauidis, *dele iniquitatem meam*, ait. [Videamus hoc verbum: non enim otioſum eſt. Denique & alibi ait, *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero.* Sunt profectò altè impreſſa quædam conſcientiæ noſtræ vlcera delictorum, & quædam mentium noſtrarum, animorúmque vibices, quæ errorum noſtrorum obducuntur vlceribus. Habet ergò culpa characteres ſuos & apices, quibus proditur; quod non ingenio noſtro affingimus, ſed Prophetica authoritate ſignamus. Scripta eſt ergò, & vbi ſcripta ſic vide. *In pectore*, inquit, *cordis ſui*. Hoc eſt, ibi ſcripta eſt culpæ ſeries, vbi etiam forma virtutis, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona ſunt, non atramento ſcribuntur, ſed ſpiritu Dei viui. Quæ autem vitioſa, graphio ferreo, & vngue adamantino. Talia propemodùm ſcriptura, qualis eſt pœna peccati. Scribitur illa graphio ferreo, hoc virga ferrea coërcetur, ſicut ſcriptum eſt. *Reges eos in virga ferrea.*] Idem animam corporeis voluptatibus veluti clauis ſuffigi, atque adeò ſtigmatis notari, conſiderat l. 4. in Luc. ſub libri finem. An alluſit S. Ambroſius, omnigena literatura inſtructiſſimus Rhadamantum Luciani. Ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάζηται τὸν βίον, ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. Quæcunque quis malè in vita perpetrauerit eorum ſingulorum obſcura in animâ ſtigmata circumfert.

Tractans ſacra ſtigmata corporis Christi redíuiui Eucherius hom. 10. de Paſch. & inde aſtruens Chriſti reſurrectionem, ac noſtram, ait cicatrices & plagas; [in reſurrectione Domini, ad confirmandam vniuerſitatis fidem ſpeciales fuiſſe, manifeſtum eſt; vt per teſtes crucifixi corporis plagas, definitiſſimè nouerimus, omnes ſub reparationis die animas ad corpus proprium reuerſuras. In noſtra verò reſurrectione, nulla alicuius remanebunt indicia læſuræ, nulla penitus apparebunt veſtigia vlceris, aut debilitas in carne, vtinam non inueniantur in corde. Elaborandum itaque eſt, ne ſub illo tremendæ recognitionis examine, multæ aliæ cicatrices manifeſtentur; ne reuelentur in medium vulnera flagitiorum, ne plagæ conſcientiarum, ne horrendæ homicidiorum maculæ, ne obſcœnæ fœda ſigna luxuriæ, in illa die deficientibus præ dolore oculis ingerantur. Et ideò cuſtodiamus totis viribus regenerationis dona, redemptionis munera, ſacræ imaginis ornamenta, vt quandoque in conſpectu Iudicis noſtri, non Diaboli vlcera, ſed Chriſti ſtigmata, reparato in corpore præferamus, neque hoſtis noſter aliquid ſuum in membris noſtris, ſed ſua in nobis redemptor noſter membra agnoſcat.] Meritò vocat has plagas, *vlcera Diaboli*; atque adeò ſtigmata huiuſmodi vlcerum, iure agnoſcit eſſe ſtigmata Diaboli, quia Diabolo authore & incentore imprimuntur. Tametſi enim Diabolus, latrare & ſollicitare poteſt, mordere autem nequit, niſi volentem, vt ſupra aiebam ex D. Auguſtino ſerm. 196. de tempor. id quod etiam reperitur in Epiſtola ad Demetriadem, & fusè confirmatur à Binsfeldio de confeſſ. malef. præludio 4. Ideóque rectè moneat Siracides cap. 2. Eccleſ. *dum maledicit impius Diabolum, maledicit ab eo animam ſuam*, in quam rem diſſerit de more luculenter S. Auguſtinus homil. 12. ex 50. & ſerm. 3. de diuerſ. cap. 1. Tamen gladius peccati, educitur, ſimul & egreditur de vagina ſua, iuxta concinnam S. Gregorij expoſitionem 15. moral. cap. 13. Nam egreditur ſponte ſua, & per arbitrium proprium; educitur verò ob præuiam Diaboli inſtigationem: ſin minùs ad omnia planè peccata, (circa quod anceps eſt Suares lib. 8. de Angel. c. 19. num. 20. negant autem Leſſius l. 7. de libert. Chriſt. c. 6. & Vaſquez 1. 2. ad. quæſt. 80. artic. 4. poſt S. Baſilium in reg. breuior. interrog 75.) at ſaltem quoad maximam peccatorum partem, & ferè quoad omnia. Rectè igitur Eucherius, peccata, non Chriſti, ſed Diaboli vlcera & ſtigmata appellat.

Nec alia mens fuit Petro Damiani Opuſc. 58. diſſert. 2. c. 6. cum dixit, peccata eſſe characteres & ſtigmata Diaboli, quæ opponit ſtigmatibus eorum qui habent nomen eius, & nomen Patris eius, ſcriptum in frontibus ſuis. Egregiè verò præmiſerat, haud aliter ſe habere fideles notatos Satanico peccati ſtigmate, quàm ſe habeat miles deſertor; [Cui militaris eſt character impreſſus; quocunque tranſfugiat, militiæ ſuæ cui iuratus fuerat, ſecum ſemper ſignaculum portans. Et quandocunque iuſti ſibi ſtigmatis vibicem conſpicit, deſertorem ſe militiæ, reúmque transfugij recognoſcens.] Sic omnis qui ſignatus eſt à ſpiritu, ſi retrocedens in aliena caſtra, Satanæ nomen ferat, eiúſque notetur ſtigmate; quoties occurſabunt animo admiſſæ noxæ, (& ſemper occurſant; iuxta illud, *peccatum meum contra me eſt ſemper*,) infelicem ſtigmatiam, veri ſui heri deſertorem, & ad hoſtes transfugam, ſe recognoſcet, vel inuitus.

Alcimus Auitus l. 3. in Geneſ. *initio* peccatum primorum parentum *ſtigma* vocauit, cum de pudentibus & ſe operientibus dixit,

Tum pudor hiſcapto detorquet lumina ſenſu,
Nec iam ſecura præſtatur luce tueri
Signatam fixo peccati ſtigmate carnem.

CAPVT XIV.

De ſtigmatis Dæmoniaci perſeuerantia in termino.

Diſputauimus hactenus de ſtigmatum Dæmoniacorum impreſſione in via, non prætermiſſis ſtigmatibus moralibus, quæ phyſicis proportione reſpondent. Nunc attingendum, an ſtigmata realia Dæmoniaca V. G. Magica, ſint perſeueratiua in corpore damnati rediuiuo.

Huius dubij reſolutio, ex parte pendet ex iis quæ traduntur de perſeuerantia defectuū hic malè afficientium corpus, in eodem corpore ſuſcitato, Qua in re duplex eſt ſententia. Vna ſupplementi S. Thomæ 3. p. q. 86. art. 1. remouentis omnia corporis vitia à damnatis, poſt reſurrectionem: quia reſurrectio corporis, eſt opus Dei, cuius effectus non debet eſſe imperfectus. Accedit quod intereſſet damnatorum, ad pœnæ imminutionem, defectus quoſdam corporis hîc fortaſſis contractos retinere, puta cæcitatem ad non videndum mutuo, & non percipiendum loci horrorem: item ſurditatem, ad non audienda improperia, & immanes blaſphemias; torporem tactus ad minùs ſentiendum dolorem. Idémque eſt de ſimilibus defectibus, quos retinere, prodeſſet damnatis. Has rationes Suares t. 2. 3. p. d. 50 ſect. 5. concluſ. 3. æquè vrgere exiſtimat, pro excludendis à corpore damnatorum, defectibus illis, qui proueniunt ex indebita partium aut humorum vel qualitatum compoſitione, proportione, aut diſpoſitione: vt ſunt ægritudo, debilitas virium, gibberum, & ſimiles defectus. Quare hæc ſententia non admittit in corporibus damnatorum rediuiuis, niſi defectus corporum connaturales corpori humano, vt ſunt grauitas, opacitas, paſſibilitas, & ſimiles, oriundi ex principiis ſpeciei, ac proinde non exigentes ad ſui excluſionem, dotes gloriæ.

Aliam ſententiam in re propoſita tuetur Valentia 3. part. diſp. 11. q. 3. part. 3. ſecutus Durandum in 4. d. 44. quæſt. 2. & 3. iuxta quam, omnia vitia corporum, in damnatis reſurgentibus perſtabunt. Quæ mihi ſententia magis arridet, dummodò excludat à corporibus damnatorum, illos defectus per quos diuinæ in eos vindictæ executio impediretur: vt eſſe ſurdum, quod excluderet auditionem horrendorum mugituum per alios damnatos editorum: eſſe cæcum, quod ſubduceret à damnatis horrenda viſa, quibus perceptis iraſcantur, & fremant, atque rabeſcant. Cæteros autem defectus corporum hîc contractos, qui non obſtabunt executioni diuinæ iuſtitiæ, nulla ratio ſuadet, debere excludi à corporibus rediuiuis damnatorum: vt eſſe gibboſum, claudum, ſimum, ac ſimilas.

Ex hac doctrina inferendum videtur, ſtigmata phyſica Dæmoniaca, hîc impreſſa damnatis ſuperſtitibus, perſeueratura eſſe in corporibus damnatorum poſt reſurrectionem. Sunt enim ex eo genere defectuum, qui non obſtabunt executioni iuſtitiæ Dei, ſæuientis in peccatores: & alioqui erunt deformationes non vulgares talium corporum, & veſtigia iniquitatis præteritæ, quæ à Deo ſine labe ex parte ſua reſerui poterunt. Nullum ergo ſuppetit fundamentum, affirmandi tales defectus exulaturos à corporibus impiorum vita redonatis. Nam quamuis reueniant ad vitam per Dei omnipotentiam, & Dei quantum eſt ex ſe perfecta ſint opera; tamen nihil vetat, in opere ad oſtenſionem iuſtitiæ Dei diuinitùs refecto, deeſſe perfectiones aliquas quibus in vita mortali caruerit; ſiue propria culpa, ſiue ex naturalium cauſarum curſu, aut malo quopiam incurſu. Itaque ſtigma Dæmoniacum qualecunque demum ſit ex variis ſupra recenſitis, cum non obſit executioni diuinæ iuſtitiæ, ſed eam potiùs compleat, deformando corpus maledictum, & omni dehoneſtatione digniſſimum; iure reſtituerit corpori rediuiuo damnati hominis, qui hic in vita mortali ſtigma illud habuerit impreſſum. Sanè Theologi, characteres Sacramentorum, tametſi ſubſtantialiter ſupernaturales, conſentiunt hæſuros in animabus damnatis, ad magnam eorum confuſionem: quod licet non ſit ex fide certum, (vt malè cenſuit Bonacina d. 1. de Sacrament. quæſt. 5. part. 3. iure reiectus à Vaſque 3. p. d. 134. qui ait, Eccleſiam de indelebili duntaxat viatorum charactere, fuiſſe ſollicitam;) Eſt tamen longè congruentius ſenſui Eccleſiæ, & vnanimi Theologorum conſenſione firmatur, vt docet Ægidius 3. part. quæſt. 63. num. 16. Eritque ſine dubio magnum cordolium animæ Chriſtianæ damnatæ, quod ex charactere Baptiſmi, agnoſcenda ſit Chriſtiana; ex charactere Sacerdotij, deprehendēda ſit conſtituta ſin tam ſublimi ſanctitatis gradu, & tamen deciderit in tantum barathrum. Proportione ergo idem erit de familiaribus Satanæ mancipiis, cum ex notaculo, deprehendunturfuiſſe truculentiſſimo Dei & ipſorum inimico addicti. Quæ de notis inuſtis, in altera vita perſeueraturis, ex Platone, Luciano, & Claudiano, notat Brodæus 1. Miſcellic. 4. myſtica potiùs & moralia videntur, quàm phyſica.

FINIS.

SYLLABVS

SYLLABVS CAPITVM.

PROLOQVIVM.

SECTIO I. *Diuinus & ſacer ſtigmatiſmus.*

CAPVT I. *De ſtigmatiſmis diuinitùs impreſſis aut indi-ctis in antiquo Teſtamento, ac primùm de Caini ſtigmate.* ibid.

CAP. II. *De ſtigmate circumciſionis, olim diuinitùs indicto Abrahæ poſteris.* 84

CAP. III. *De indicta à Deo auris ſeruilis ſtigmatizatione per ſubulam.* 97

CAP. IV. *De ſacris noui Teſtamenti ſtigmatibus, ac primùm de impreſſis Chriſto Ieſu, Domino noſtro.* 99

CAP. V. *de ſtigmatibus P. Pauli.* 109

CAP. VI. *Stigmata SS. Martyrum, & priſcorum in cauſa fidei Confeſſorum.* 111

CAP. VII. *Stigmata pia voluntaria.* 115

CAP. VIII. *Stigmata S. Hieronymi.* 119

CAP. IX. *Stigmata S. Huberti.* 121

CAP. X. *Stigmata S. Franciſci.* 223

CAP. XI. *Stigmata B. Catharinæ Senenſis.* 127

CAP. XII. *SS. Dominici & Auguſtini ſtigmata.* 130

CAP. XIII. *Quibus aliis ſtigmata Chriſti impreſſa diuinitùs produntur per ſatyram.* 131

CAP. XIV. *Cautiones circa cæleſtes fauores proximè propoſitos.* 135

CAP. XV. *Stigmata piorum moralia.* 136

CAP. XVI. *De ſtigmatibus in patria.* 138

SECTIO II. *Stigmatiſmus humanus profanus.* 143

CAPVT I. *Stigmata nobilia.* ibid.

CAP. II. *Stigmata ſeruilia.* 149

CAP. III. *Stigmata reliqua criminoſorum per ſatyram.* 151

CAP. IV. *Stigmata Medica.* 155

CAP. V. *Artificialia plancrum ſtigmata, falsò dicta genit na.* 157

CAP. VI. *Stigmata lugubria.* 161

CAP. VII. *Stigmata ſuperſtitioſa Iudæorum, Ethnicorum, Hæreticorum, Antichriſti.* 162

CAP. VIII. *Stigmata humana moralia.* 166

SECTIO III. *Stigmatiſmus Dæmoniacus.* 167

CAPVT I. *Dari verè aliqua Magorum & ſagarum ſtigmata, à ſatana impreſſa.* ibid.

CAP. II. *De ſtigmatis Magici ſubiecto totali, quod eſt perſona conſignata.* 169

CAP. III. *De ſubiecto proximo ſtigmatis Magici.* 171

CAP. IV. *De ſtigmatis Magici forma eſſentiali & accidentaria.* 173

CAP. V. *De efficacitate formam ſtigmatis Magici proximè expoſitam, conſequente.* 175

CAP. VI. *De ſtigmatis Magici finali cauſa.* 176

CAP. VII. *Stigmatis Magici, effectrix cauſa.* 178

CAP. VIII. *Stigmatis Magici effectio, & eius adiuncta.* 180

CAP. IX. *Cui vſui poſſit eſſe in foro externo, ſtigmatis in corpore deprehenſio.* 183

CAP. X. *De ſtigmatis Magici ſtabilitate aut euaniditate.* 185

CAP. XI. *Recenſentur alia quædam ſtigmata Dæmoniaca, minùs frequentia.* 186

CAP. XII. *Stigmata Dæmoniaca Moralia.* 187

CAP. XIII. *De ſtigmatis Dæmoniaci perſeuerantia in termino.* 190

APPROBATIO THEOLOGIÆ DOCTORVM.

NOs infrà ſcripti Sacræ facultatis Theologi accuratè perlegimus librum *de Stigmatiſmo Sacro & Prophano* olim Gratianopoli publico iuri datum à R.P. Theophilo Raynaudo Societatis Iesv, nunc verò pluribus adiunctis nouis eiuſdem indefeſſi authoris meditationibus, obſeruationibúſque locupletatum; in quo adeò non occurrit aliquid quod fidei Catholicæ ſacris Dogmatibus, aut morum integritati officere poſſit; vt potius lucubrationem cenſeamus Iudicibus Eccleſiaſticis ac Laïcis mirum in modum proficuam; viris eruditionis & literarum amantibus pergratam, Theologis & ſacris concionatoribus multis in locis planè accommodatam. Quare dignam iterùm prelo pronunciamus, & authoris iam grandis natu & Theologorum Principis, ingenij vigorem, nitorem iudicij, doctrinæ ſoliditatem, noſtri teſtimonij minimè indigam, ſed omnibus ſuſcipiendam hoc publico noſtræ in eum potius obſeruantiæ monumento voluimus cohoneſtatam. Datum Gratianopoli 15. Iunij 1662.

SANGVIN Theologus Canonicus S. Andreæ.
DVCHESNE Doctor Valentinus.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

ANTONIVS MILLIEVS Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. Henrico IV. Ludouico XIII. nunc regnante conceſſum; quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione librorum ab hominibus eiuſdem Societatis conſcriptorum, niſi Superioris conſenſus accedat; annuimus vt excudatur ac diſtrahatur lucubratio R.P. Theophili Raynaudi De ſtigmatiſmo Sacro, & profano, Diuino humano, Dæmoniaco à Theologis noſtris recognita. Scripſi Lugduni 18. Iulij 1645.

ANTONIVS MILLIEVS.

VITÆ AC MORTIS HVMANÆ TERMINALIA

A Deo Metatore conſtituta,

Lucubratio R. P. THEOPHILI RAYNAVDI ex Soc. IESV.

CLARISSIMO ORNATISSIMOQVE VIRO

D. FRANCISCO D'HONORATI,

IVDICI ÆQVITATIS AMANTISSIMO.

O D E.

ATROX carentes parciùs ingere
Megæra tædas, nec furialibus
Contunde mortales flagellis
Heu nimiâ laceros ruinâ.

Viden, rebelles impietas tenet
Victrix vt arces, vt ſuperat nefas.
Iam iamque labentis tumultu
Excidium meditetur orbis?

Calcata pridem turpe! iacet fides
Iniurioſâ victa proteruiâ
Ariſque conuulſis ſuperſtes
Religio temerata luget.

Liuor Veſeui turgidus ignibus.
Præceps inundat, ſulphuream vomens,
Latè mephitin; & cruentum
Innocuis coquit ira bellum.

Sunt quos ſceleſta tangit atrociùs,
Auara fodiens corda pecunia
Amor nefandus, nec ruinis
Tangitur immeritæ clientis.

Vos queis ſeuera vis Themidos piis
Calet medullis, queis animum dedit
Aſtræa non lanum, quibuſque
In gremio ſibi templa fixit.

Antiqua tandem crimina ſiſtite,
Veſtrum viciſſim ne feriant caput,
Tardámque peſtem, & dira vobis
Toxica vindicibus propinent.

Firmamen æqui, Iuſtitiæ decus
Columna veri, & præſidium boni,
Honos, HONORATE, & verenda
Cor Themidis, fideique cuſtos.

Cui pectus ambis cedere neſcium
Robur, ceraſtis ambitioſius
Elide monſtrum, nec ſuperbas
In verticem patiare criſtas

Auxiſſe, vinclis Harpyias doma
Seuerus vltor, quiſque ſuo integer
Fruatur, & ſugens hirudo
Atque aquila fugiant rapaces.

Quem te ſacrabo, ſeu miſeris manum
Opémve fractis contuleris reis,
Seu te quiritantum vel vna
Flebilis impulerit querela.

Nec vim potentum, ius nec adulterum
Times, ſed auri ſegnia pondera,
Et pauperum cenſus malignos
Lance pari trutinaris æquus,

G. R.

PERILLVSTRI

PERILLVSTRI ET PRÆSTANTISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO D'HONORATI,

IVNQVERIARVM TOPARCHÆ, ET COMITI Palatino, Patricio, Almæque Vniuerſitatis Studij generalis Auenionenſis Primicerio Rectori & Priuilegiorum eiuſdem Conſeruatori digniſſimo.

THEOPHILVS RAYNAVDVS SOC. IESV.

QVI potiori iure inſcribam meum hoc opuſculum de vitæ termino, quam tibi, VIR AMPLISSIME, cuius nomen non circumſcribetur vitæ limitibus, ſed ab ipſa immortalitate fouebitur. Sanè multum intereſt tuæ patriæ vt diu viuas, qui mori non potes quin maximum tui relinquas deſiderium. Te extincto deſiderabitur ſingularis fides, quam in gerendis ampliſſimis Magiſtratibus eximiam præſtitiſti; requiretur vberrima doctrina, quâ reconditas diſſimileſque diſciplinas complexus es; ibit in exemplum indefeſſus iuſtitiæ amor, qui adeo tibi proprius eſt, vt eum à natura hauſiſſe, non à diſciplina expreſſiſſe videaris. Hæc cùm per ſe magna ſunt, tùm præſertim in tam corrupto ſæculo, quod honeſtum metitur vtili, & in quo illi demum videntur ſapere, qui fas & ius quæſtuoſis artibus, poſthabent. Verum ſi de virtute benè mereris, cum illius obtemperas legibus, & præceptis morem geris, hæc viciſſim in te lucem refundit ſuam, quâ præfulges in oculis florentiſſimæ ciuitatis. Hæc tibi collegit famam integerrimi viri, quam ne inuidia quidam maledico dente mordere poſſit; hæc in te contulit ampliſſimos titulos quibus nouum decus addidiſti; hæc non ſemel tibi commiſit publica negotia, in quibus ſemper cum eximiâ prudētiæ laude verſatus es; hæc poſtremo tibi peperit eam quam nunc obtines, Vniuerſitatis Auenionenſis Primicerij dignitatem, cuius faſtos tuum nobilitabit nomen, & illuſtrabit induſtria. Sanè nullus alius præficiendus erat clariſſimæ Academiæ, quam is qui à puero ſcientiis aſſueuit, & qui ſinceram virtutem cum copioſiſſima doctrina coniunxit. Hi ſunt honores quos tibi integritas tua detulit, non fortuna. Hæ ſunt animi dotes quæ te ferunt in ora hominum, propter quas expeteris vt amicus magni præſidij, conſuleris vt vir iuris diuini & humani peritiſſimus, amaris vt tuapte naturâ pronus ad benè merendum de omnibus. Quid mirum igitur ſi meus his liber ambiat, HONORATI nominis patrocinium, & ſi accedat ad te, tecum vt eam viuat vitam, quæ nec deteretur tempore, nec ſæculis conſeneſcet.

Accipies igitur vt ſpero meum iſtud qualecunque munus, ea fronte quâ ſoles quidquid pertinet ad litteraturam accipere; nec aſpernaberis pro tua humanitate quod tibi offero obſequij pignus & obſeruantiæ monumentum,

Lugduni Calend. Maij 1662.

CONSPECTVS

CONSPECTVS OPERIS.

OCCASIO Scriptionis. pag.199

PVNCTVM I.

Status quaſtionis de vita ac mortis termino, cuiuis hominum conſtituto diuinitùs. pag.201

PVNCTVM II.

Aliquorum vitam & mortem certis terminis, à Deo antecedenter concludi, dubitare non licet. pag.203

PVNCTVM III.

Recténe Chriſtus Dominus, iis annumeretur, quorum vita & mortis terminus, eſt à Deo antecedenter conſtitutus pag. 209

PVNCTVM IV.

Nam Romani Pontifices, iis ſint accenſendi, quorum vita & mors certo termino diuinitùs antecedenter fixo concluditur. pag.211.

PVNCTVM V.

An certa peccata admittentibus, vel certa bona operantibus, vita ac mortis termini ſint antecedenter praſtituti diuinitùs. pag. 219

PVNCTVM VI.

An mors eorum, qui ex peſte occumbunt, ſit antecedenter definita diuinitùs. pag. 224

PVNCTVM VII.

Qui omnium planè hominum vitam & mortem fixis antecedenter à Deo terminis concludi cenſuerint, & quibus argumentis. pag.230.

PVNCTVM VIII.

Non eſſe vniuerſaliter loquendo antecedenter fixos, humana vita, ac mortis terminos: vera ſententia, primùm autoritate firmata. pag.236

PVNCTVM IX.

Contraria ſententia, Ethnicorum, Fatariorum, Saracenorum, Manichaorum, Pradeſtinatianorum, Hareticorum de Caluini praſertim caula. pag.241

PVNCTVM X.

Ratio valida vita ac mortis terminos antecedenter cuique à Deo fixos, exſcindens pag.246

PVNCTVM XI.

Confirmatio veritatis propoſita, diſtinctiùs expreſſa abſurditate eorum qua ad terminorum vita ac mortis noſtra praefixionem conſequerentur. pag. 249

PVNCTVM XII.

Vana diſtinctio ad propoſitas difficultates eludendas, eliditur. pag.251

PVNCTVM XIII.

Aperitur quomodo nobis Deus vita ac mortis terminos conſtituat. pag.255

PVNCTVM XIV.

Prolata in contrarium ex Scripturis, ac Patribus, & ratione, diluuntur. pag.256

PVNCTVM XV.

Quo pacto Deus metator vitarum, nonnullos diuturniores, aliis breuiores viuendi moras concedat, difficultas protrita, minùs pungens in noſtra ſententia. pag.262

PVNCTVM XVI.

Erectio animi aduersùs mortis diſcrimina, & aquanimis eiuſdem quandocunque aduenientis exceptio; fructus aqualis vtriuſque de vita ac mortis termino ſententia. pag.279

PVNCTVM XVII.

Lenimen in morte charorum, ex diuina vita ac mortis humana praefinitione, illegitimum. Contraria ſententia, idoneis eiuſdem doloris malagmatibus abundat. pag. 282

Clauſula Operis ad mœſtos parentes & alios.

OCCASIO

OCCASIO SCRIPTIONIS.

I. NEc ipſa ſine quæſtionibus mors, quamquam finis omnium quæſtionum, vt Tertullianus c. 50. de anima rectè ſtatuit: vita verò noſtra vniuerſa, perpetuus quæſtionum contextus eſt, & vnum iuge diſſidium, ſi S. Cyprianum audiuimus lib. de Moral. num. 4. Etiam circa ipſas *vitæ* & *mortis* voces, agitatas quæſtiones reperio; contendentibus non paucis, & quidem primæ notæ tractatoribus, quam *vitam* dicimus, *iugem* potiùs *mortem* dici oportere, quàm vitam. Ita Sanctus Hieronymus ad calcem Epitaphij Nepotiani D. Auguſtinus 13. ciuit. cap. 10. S. Gregorius, homil. 37. in Euangel. & præiuerat Plato in Gorgia allegans illud Euripidis. *Quis nouit, vtrum viuere mori ſit, mori autem viuere?* Morti itidem populariter dictæ, non congruere reuera *mortis* appellationem, S. Maximus Centur. 5. ex variis cap. 76. egregiè tradit. Itaque etiam ipſa *vitæ* & *mortis* vocabula, non ſunt vacua quæſtionum. Dimiſſis autem in præſentia, variis planè de vita & morte quæſtionibus, quæ ſuum alibi habuere locum, illa occurrit hoc loco pertractanda celebris iam olim quæſtio, quæ eſt de humanæ vitæ ac mortis termino.

II. Huius mihi occupationis, quam iure poſſim cum ſapiente, *peſſimam*, id eſt faſtidij & acerbitatis refertam dicere, occaſionem ingeſſit mors præmatura ſuauiſſimi cuiuſdam pueri cuius vel ſola commemoratio ſit vnguis in vlcere. Nec abs re. Quis enim vt cum Hieronymo Epiſt. 26. dicam, parturientem roſam, & papillatum corymbum, priúſquàm in calathum funderetur orbis, & tota rubentium foliorum panderetur ambitio, immaturè demeſſum; vel recogitare ſiccus poſſit? Nec minus opportuna illa Nyſſeni in Pulcheriæ puellæ monodia. [Qui poſſit aliquis ob ea quæ acciderunt, non affici? quis animo adeò alienus ab affectibus eſt, quis adeò moribus ferreus eſt, vt abſque dolore, quod accidit, excipiat? Noſtra teneram hanc columbam, quæ in nido patrio nutriebatur, quæ iam primum quidem nitidis pennis volucris euadebat, ſed ætatem gratiis & virtutibus ſuperabat, vt relicto nido diſceſſerit, vt ex oculis noſtris auolauerit, vt eam inuidia repente de manibus noſtris rapuerit. Siue columbam hanc dicere oportet, ſiue recens pullulantem florem, qui nondum quidem toto ſuo ſplendore ex gemmis ac vaginis emerſiſſet, ſed partim quidem iam enituiſſet, partim verò in lucem emerſurus ſperaretur; nec eo minus in exigua atque imperfecta ſui parte, mirum in modum reſplenderet, vt repente in gemma emarcuerit, ac priuſquàm ad ſuum vigorem perueniſſet, ac ſummum incrementum nactus eſſet, totumque cum ſuaui odore decorem panderet ac diffunderet, ipſe circa ſe defluxerit, & in puluerem redactus ſit, quem neque quiſquam decerpſit, neque coronis adaptauit, ſed fruſtrà natura laborauit: vbi bonum quidem erat in ſpe & expectatione, inuidia verò gladij inſtar, ex tranſuerſo irruens, ſpem interrupit.] Pergit deſcribere patris ac matris in præmatura talis floris ſucciſione dolorem, & mœrorem omnium qui triſti ſpectaculo, ſiue eum ſuccideterent, ſiue cum efferretur, interfuerant. Quæ mihi omnia, in rem præſentem perbellè cadentia, & vſurpanda congruè video, vt communem dolorem vtcumque exprimam, in floris non diſſimili deceptione immatura. Præſertim verò pungit & fodicat mœrentem in eius recordatione animum, odioſa, (quippè citum obitum portendens) ea ingenij ab eo oſtentata felicitas, qualem Ceſtius de Alſij Flauij tam maturè magno, atque adeò non vitali ingenio prædicabat, referente Seneca libro Controuerſiarum ſecundo, in prima controuerſia. (Ἀνδρόπαιδα dixiſſet cum Sophocle, æquus quilibet æſtimator vel παιδογέροντα iuxta vulgarem Macarij penè pueri appellationem;) ſed ita vt ex Catonis Cenſorij apud Plinium oraculo, lib. 7. cap. 51. eam virilem ac ſimilem pueritiam præmaturæ mortis haud obſcurum omen eſſe auguraretur. Quod de corporis robore ſtupendum recitat Nicephorus Gregoras libro hiſtoriæ 55. fuiſſe ſcilicet puerum trimulum, qui vicennem iuuenem robore æquaret, hoc de viribus ingenij; quæ tanto potiores ſunt, quanto animus diuinæ auræ particula, luteo corpore, pronuntiare, de puſione qualem deſcribebam ad veritatem, liceat.

III. Non me latet, pleraque de portentoſo puerorum quorumdam ingenio iactata fuiſſe, quale eſt quod Ioann. Druſius præfationi ad l. 10. prætexere. de filio ſuo puerulo variis linguis inſtructiſſimo prodidit. Et quod Lilius Gyraldus l. 1. de Poëtis ſui temporis prodidit, de Mario Fran-

ciſci Philelphi filiolo, qui ad centū quæſita à centum quæſitoribus propoſita, reſpondit conſequenter & appoſitè. Quod fortaſſis memoriæ potiùs, quàm ingenij atque indicij, oſtentum fuit. Nec aliter video prononciatum nuper a variis, de Iacobo Martino Modaneſio, puero ſeptenni, Adria oriundo, qui hîc Romæ in S. Marcelli templo, concluſiones è Theologia, Iuriſprudentia, Medicina, Philoſophia vniuerſa, Rethorica, Grammatica, coram grauiſſimo & numeroſiſſimo conſeſſu, etiam Eminentiſſimorum Cardinalium, argumentantibus primariis Theologiæ profeſſoribus propugnauit. Quamquam idem mortuo Magiſtro, viſus præcocem illam ſapientiam didiciſſe, in ſcolam Grammaticæ inferiorem ad illa litterariæ rei crepundia reductus, ſuſpicionem ingeſſit, aliud in eo fuiſſe quàm memoriæ prodigium. Id quod iisipſis diebus Carpentoracti deprehenſum æquè eſt in puero, quem Pater ſatanæ deuouiſſe, & inſolita ſapientia in ſpeciem clarum, ea horrenda via feciſſe conuictus à ſacris quæſitoribus eſt, cum priùs ea quaſi picæ ſapientia ad præcellentiam memoriæ referretur à multis. Quod ab Angelo Politiano lib. 12. Epiſt. 2. de Fabio Vrſino, monſtroſi ingenij puero, ſcribitur (niſi vacillet, vt alibi non ſemel, ſcribentis fides) non poteſt de ſolius memoriæ miraculo accipi. Vndecennem ait fuiſſe puerum; iam Poëtam minimè vulgarem, vt confirmat ex Poëmate Heroico, quod ex eius recitantis ore ſe audiſſe ait; moxque à recitatione, retexuum pedeſtri oratione verbis rectiſſimis. Addit de eodem puero Politianus, quod in ea ætatula poſſit monſtroſum videri eum collocatis quinque per ordinem Librariis, cum ſtylis & pugillaribus ad excipiendum quod ille dictaſſet, argumentis totidem Epiſtolarum ex improuiſo propoſitis, illas ex tempore, excipientibus ordine Librariis, dictauiſſe ſeriatim, ac per partes; ſic tamen, vt omnes vno tempore abſolueret. Et poterat plures dictare, niſi Politianus fatigationi pueri metuens, tenuiſſet argumenta plurium Epiſtolarum Librariis pluribus ab eo dictandarum præſcribere. Credibiliora & à commentis remotiora, retuliſſe videbor, nulla huiuſmodi ſupra communem morem & ordinem adſcribens ei quem non ſecus ac Marcellum quendam terris tantùm oſtenſum prædicabam, citò ingenioſum, citò prudentem, citò ac præmaturè proindéque odioſè ſapientem, qui illud nobis à Seneca de Marciæ filio in quo omnia præpopera, ſcitè dictum, inſtaurauerit. [Nulli ferè, & magna bona, & diuturna contingunt. Non durat, nec ad vltimum exit niſi lenta fœlicitas. Filium tibi, Marcia, Dij immortales non diu daturi, ſtatim talem dederunt qualis diu effici poteſt.] Abſtergatur multiplicitas illa numinum quæ nullitas numinum eſt, iudice S.Athanaſio; reliquam ſententiam, expuncto Marciæ nomine, ad parentes Chriſtianos transfero. Et poſſem eodem iure attexere quæ Fabius l. 6. in præfatione de filij ſui præcoci obitu agens profert dicens. [Obſeruatum ferè eſt, celerius occidere feſtinatam maturitatem, & eſſe neſcio quam quæ ſpes tantas decerpat, inuidiam, ne videlicet vltra quàm homini datum eſt noſtra prouehantur. Haud diſſimiliter Plinius l. 21. c. 1. [Magna admonitione hominum fieri ait vt quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcant. [Affine eſt illud Accij Tragœdi apud Agellium l. 13. c. 2. [Quod in pomis eſt, itidem eſſe aiunt in ingeniis. Quæ dura & acerba naſcuntur poſt fiunt mitia atque iucunda: ſed quæ gignuntur, ſtatim vieta & mollia atque in principio viuida, non matura mox fiunt, ſed putrida. Relinquendum igitur ingeniis quid dies atque ætas mitificet.] Fabium huc rurſus aduoco, cuius illa ſunt perbellè huc facientia l. 1. c. 3. [Non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nititur. Vt quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina, celeriùs ſe effundunt, & imitatæ ſpicas herbulæ, inanibus ariſtis ante meſſem flaueſcunt. Placent hæc annis comparata; deindè ſtat profectus. [Hæc & alia leniendo neceſſariorum dolori æquè annecti præcedentibus poſſent, ex communi vſu breuitatæ in præcocibus durationis. Quanquàm mihi verendum etiam atque etiam eſt, ne dum crudis vulneribus facere medelam tento, accenſeâr ipſi quoque conſolatoribus oneroſis ſemini, verbis; cuiuſmodi illi erant quos exacuiſſe, non retudiſſe dolorem ſuum, viuus patientiæ adamas, (vt eum vocabat Chryſoſtomus) extinctis in rerum ſuarum vniuerſali clade etiam liberis, expoſtulabat. Viros ſapientiæ ac doctrinæ laude claros, leuamenta mœrentibus ob præmaturum liberorum obitum adhibuiſſe complura, vulgariſſimum eſt. Ea Ethnicis notati à me alibi, probatiores ad hanc ægritudinem ſeplaſiarij: Seneca Epiſt. 99. Apollonius Epiſt. ad Valerium inter Græcanicas *pag. mihi* 130. Plutarchus in conſolat. ad Apollonium, & alia ad vxorem. E noſtris præclarè in hanc curam incubuerunt præter cæteros, Hieronymus Epiſt. 25. Nazianzenus orat. 10. Paulinus Epiſt. 37. Chryſoſtomus hom. 32. in Matthæum, & hom. 41. in 1. ad Cor. & hom. 1. in 1. ad Theſſal. nec non Epiſt. 71. Ruricius lib. 2. Epiſt. 4. Ennodius lib. 2. Ep. 1. Hildebertus Epiſt. 46. Bleſenſ. Epiſt. 2. quibus nunc addendus, Albericum & Ermillinam in paruuli filij præcoci morte conſolans, Petrus Damiani lib. 8. Epiſt. 4. Mihi hæc ipſa ſpatia ad caſum inopinum propoſitum, leuandis ſuperſtitibus non vno nexu mecum deuinctis obtigit: ac ne toties duntaxat decantata recinerem, ſimulque, vt ingenium aliqua ex parte exercerem, iuuit in peruulgato apud non paucos iam olim in cordolij huius lenimento excutiendo, operam nonnullam impendere, vt eius inanitate demonſtrata, alia legitima & valida quæ vndecunque corrogabo, mulcendi pectoris remedia, gratiore & maiore cum fructu admoneantur.

Examen Leuamenti quod plerique iam olim in morte charorum ſuppeditarunt, ab antecedenter diuinitùs præfinita & ineluctabiliter conſtituta cuique mortis hora, quam vanum ſit aduenientem ſubterfugere, exactámve deplorare,

MAlagma quod Plutarchus Apollonio in filij morte mœrenti confecit, ex diuini Decreti ineluctabilitate, cui fruſtrà foret obſiſtere, & prorſus vanum non acquieſcere, adhibuerunt in hanc rem omninò multi inter Ethnicos. Mihi tamen (vt ſyncerè dicam anceps ac dubia

ſemper

ſemper viſa eſt huius alleuamenti efficacitas, cum nitatur ineluctabilitate diuini Decreti antecedentis, de quo apud omnes non conſtat; imo non pauci, eo decreto inducto, conuelli humanam libertatem, & effectuum contingentiam exſcindi magnis & multis argumentis confirmari abs ſe putant. Quare per hanc occaſionem, placet in illius doctrinæ ſoliditatem inquirere, & quam firmum ſit appoſitumque ſolatium, quod ægro animo ex ea diuini Decreti finem cuique ſuum præfigentis, ineluctabilitate, admouetur, accuratè inueſtigare; eius autem leuaminis inopportunitate demonſtrata, conuenientiora huius doloris lenimenta ſubſtituere.

PVNCTVM I.

STATVS QVÆSTIONIS, de Vitæ ac Mortis termino, cuiuis hominum conſtituto diuinitùs.

HInc ordiendum eſt, ne in certum vagemur, vel etiam à ſcopo aberremus; quod non neminiaccidiſſe in hac controuerſia, deprehendo.

Alienum ab hac controuerſia, ſitne omnibus moriendum

1. NOn eſt itaque hoc loco, quæſtio, ſintne ex ineluctabili Dei decreto, vitæ denique ac mortis fines omnibus hominibus poſiti, ita vt aliquando tandem ſit vita excedendum, mortéque defungendum. Apoſtolus hanc dubitationem diſcuſſit Hebr. 9. cum dixit, *Statutum eſt omnibus hominibus, ſemel mori*: quod aliis verbis, eodem reipſa ſenſu, expreſſit Siracides c. 14. iuxta Ianſenij & Bonarſcij interpretationem *Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi; Teſtamentum enim huius mundi, morte morietur.* Vacat *teſtamentum inferorum*, decretum de ſubeundo ſepulchro; quod decretum diuinum, omnibus naſcentibus intimatum eſt ab orbis initio; ita vt hoc ſit teſtamentum, huic mundo, id eſt omnibus hunc mundum ingredientibus conſtitutum, *Morte morieris.* Et quanquam Delrio diſgreſſione de voce *inferni* intexta adagio 197. loco 78. expoſitionem eius loci de morte vnicuique præfinita, dicat natam eſſe ad Arcton: & frigere conglaciatam; videtur tamen admodùm genuina, & potior ea quam ipſe vt legitimam ſubiicit de neceſſario quoque poſt mortem deſcenſu ad limbos vel ad loca pœnalia ſubtus terram locata. Ea enim neceſſitas non pertingit ad tempora Chriſtiana, quandoquidem ex quo Chriſtus initiauit nobis viam nouam quotquot plenè nitent non adiguntur deſcendere ad inferos, atque adeo non comprehenduntur teſtamento inferorum iuxta Delrij mentem expoſito. Ac proinde ea interpretatio gratis arctat monitum Siracidis ad tempora morte Chriſti anteriora. Verus ergo ſenſus eſt quem propoſui, nimirum ex decreto diuino in Adamum peccantem lato Gen. 2. & 3. omnes homines morti ac tumulo deduntur Id quod paulò poſt, idem Siracides his perelegantibus verbis expreſſit. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcit, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deiiciuntur. Sic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur.* Nemini licet tergiuerſari, aut vim legis poſitæ eludere.

Hoc ipſo quod nati ſumus, morituri ſumus, iuxta S. Auguſtinum ſerm. 24. ex 40. nouis, vbi hoc ita illuſtrat. [Quid eſt quod dixi? Omnibus hominibus natis, conſtituit Deus mortem, per quam de iſto ſæculo emigrent? Exceptus eris à morte, ſi exceptus fueris à genere humano. Quid facis? Numquid tibi modò dicitur, elige vtrum velis eſſe homo? Iam homo es, Veniſti; quomodò hinc exeas, cogita. Natus es; moriturus es. Fuge, caue, repelle, redime. Mortem potes differre, non auferre. Veniet etſi nolis. Veniet quando neſcis. Quid ergo times, quod etſi nolueris, erit] Et Serm. 21. [Moriturus mori non vult, & tamen erit neceſſario moriens, quamuis continuè mori nolens. Nihil agis quod mori non vis, nihil efficis, nihil extorques. Nullam habes poteſtatem nolendi mortis neceſſitatem. Veniet te nolente quod times, aderit, te recuſante, quod differs. Mortem quippè ſatagis vt differas, numquid vt auferas? &c. Scio, viuere amas, mori non vis; & de hac vita in aliam vitam ſic tranſire velles, vt non mortuos reſurgeres, ſed viuus in melius mutareris. Hoc velles, hoc habet humanus affectus, hoc ipſa anima neſcio quo modo habet in voluntate & cupiditate, quoniam diligendo vitam, odit mortem, & quoniam carnem ſuam non odit, nec ipſi vult accidere quod odit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit. Hunc affectum oſtendit Apoſtolus vbi ait, *Habitationem habemus ex Deo, domum nō manufactam, æternam in cælis. Etenim in hoc ingemiſcimus, habitaculum noſtrum quod de cælo eſt, ſuperindui cupientes: in quo nolumus expoliari ſed ſuperueſtiri vt abſorbeatur mortale à vita.* Non vis expoliari, ſed ſpoliandus es, &c. Prima mora ſpoliatura eſt te carne, interim ſeponenda, & ſuo tempore recipienda. Hoc velis, nolis] Omnes ergo morituri ſumus, etiamſi attento naturali ad corpus affectu animæ, qui etiam in Chriſto & Martyribus patuit, (vt Auguſtinus ibidem præmiſerat) mori ſiue ſpoliari nolemus, ſed ſuperueſtiri. At pro omnibus lata eſt lex in contrarium. Cuicumque nato, eſt moriendum. Id quod longa inductione confirmat Theodulphus Aurelianenſis lib. 5. carminum in c. quod eſt conſolatio in morte cuiuſdam fratris.

II. Iuxta Gregorium Nyſſenum homil. 6. in Eccleſ. ad illud capitis tertij *tempus naſcendi, & tempus moriendi*, & Nyſſeno ſubſcribentem Olympiodorum, ibi, hæc ipſa veritas in actu exercito conſignata proſtat in ipſo libri capite, ac veluti in fronte ſacrorum Codicum, quatenus Geneſim ſequitur Exodos. [Vt qui ea legerent quæ ſcripta ſunt, etiam per ipſum ordinem librorum, ea diſcerent quæ ad ſeipſos pertinent. Neque enim fieri poteſt, vt qui *Geneſim*, *Generationem* inquam audierit, non *Exodum* id eſt *exceſſum, ſiue obitum* protinùs cogitet.] Quam ordinis Librorum ſacrorum diſpoſitionem, myſterijs ad nos pertinentibus fœtam, S. Auguſtinus l. 12. contra Fauſt c. 31 & Petrus Damiani ſerm. de S. Anthimo, extendunt ad libros ſequentes, quibus primùm lex ſeruanda inſinuatur, deinde iudicium ſecuturum, ac

denique regnum rependendum ſi facta ferant, & non è contrario æternam ſub Satanæ tyrannide ſeruitutem depoſcant. Mors igitur omnibus hominibus naſcentibus certò eſt conſtituta, non modò poſitiuo Dei decreto, de quo initio Geneſeos, ſed etiam naturali, deriuato à Deo quatenus naturæ authore: qui tametſi per gratiam, ſi homo nó peccaſſet, eam naturæ fluxæ in interitum prolapſionem coërciturus erat ex pacto; tamen ſubintrante mundum culpa, permiſit naturali cōditioni curſum ſuum, ex quo homo nequicquam allaborante Medicorum ſtudio, tandem morti ſuccumbit; ita vt mors ſit cuiuis mortali indeclinabilis: ſicut verbum *morior*, iuxta Grammaticos canones à D. Auguſtino in hanc rem acutè libratos, 13 Ciuit. c. 11. non eſt declinabile. Qui item ſerm. 21. de verb. Dom. & ſerm. 50. de temp. ad eiuſdem veritatis expreſſionem, ait in omnibus humanis rebus locum habere poſſe particulam, *forte*, præterquàm in morte, omnibus certò obuentura, & ex ſuæ mortalis naturæ conditione, & ex poſitiuo Dei decreto in Scripturis propoſito.

III. Vt propterea probatior ſententia Theologorum, eos quoque mortem obituros eſſe pronunciet ante mundi clauſulam, qui veniente ad judicium Chriſto, & curſui generationum ac corruptionum finem tunc impoſituro, reperientur ſuperſtites. Morientur inquam hi quoque tametſi ex principijs intrinſecis duraturi adhuc eſſent ad aliquod tempus. Sed ne diuinum Decretum de omnium hominum morte irritum abeat, cui poſt judicium locus non erit, (quippè hominibus mortalitatis ac immortalitatis iſthmum, juxta Ocelli phraſim tranſgreſſis) mortem ipſi quoque ſubibunt, ante percuſſam terram poſtremo illo apud Malachiam anathemate, quod non niſi in puncto generalis omnium reſurrectionis intorquebitur. Ita de morte ſuperſtitum tunc hominum, Antonius Perez in Laurea Salmantina, certam. 10. expoſit. Suarez tom. 2. 3. p. d. 10. ſ. 2. Sixtus Senenſis lib. 6. bibl. annot. 165. A Coſta lib. 4. de tempor. nouiſſ. c. 20. Salas tract. 2. in 1. 2. diſp. 14. nu. 21 Leſſius lib. 13. de diu. perf. nu. 120. Baſilius Poncius q. 10. ſcholaſt. cap. 2. quamvis addat, (id quod alij quoque nonnulli ex prædictis annotarunt) contrariam ſententiam, quæ ſuperſtites tunc homines morituros negat, ne temerariam quidem eſſe; & citra notam quamcunque defendi poſſe; quia ſcilicet, non omnino liquet de eo poſitiuo Dei decreto, ex quo interitum mortalibus omnibus certò imminere præmittebam: & loca Scripturæ tale aliquod decretum ſonantia, facilè poſſent referri ad expreſſionem mortis cuiuis imminentis, ſecundùm naturæ curſum diuinitus non cohibitum: ex quo capite mortales in mundi clauſula ſuperſtites, non eſſent morti obnoxij. Sicut tamen decretum illud poſitiuum à Deo latum eſſe probabilius eſt, vt ſonant pleræque Scripturæ; ita ne illud decretum irritum abeat, probabilius eſt omnes planè tunc ſuperſtites, eſſe morituros: quo mortis genere Deus nouit, vt rectè ſtatuit Thyræus lib. de glorioſa Chriſti judicis apparit. c. 4. num. 45. De termino ergo vitam concludente & mortem inferente in ſenſu propoſito, non eſt hoc loco controverſia, quia vt certum ſtatuitur, eum terminum eſſe planè omnibus poſitum, ſaltem ex naturali hominis conditione, & (vt probabilius eſt) etiam à Deo.

Aliena hinc quoque quæſtio, quando moriendum.

IV. SEd neque quæſtio hoc loco eſt, de tempore pro quo vitæ ac mortis termini à Deo ſunt conſtituti. Viſum quippè eſt Deo, eos terminos quomodolibet conſtitutos, obtutibus noſtris ſubducere. Qua in re, inſignem Dei erga nos prouidentiam meritò ſuſpexere varij Patres; præſertim Chryſoſtomus homil. 9. in 1. ad Theſſal. & homil. 78. in Matthæum. S. Gregorius homil. 13. in Euang. ad illud, *qua hora non putatis.* Climacus grado 6. S. Auguſtinus in Pſal. 144. ad illud *longanimus & multum miſericors.* Et ſerm. 47. de verb. Dom. Beda in Pſal. 101. ad illud *vigilaui.* Victor Carteuſienſis lib de Pœnitentia, c. 28. qui omnes, (vt verbis Victoris dicam) prouiſam mortis incertitudinem tradunt. [Ne ſub ſcientia peccandi, & delectatione pereundi, vſque ad extremam ætatem nos in voraginem criminum demergimus, cum viuendi nobis vſum à diuina dignatione collatum, qui terminus claudat, habeatur incertum. Certè ſi putat aliquis reſtare ſibi tempus vt peccet, & ſatiata libidine, cum iam impetraſſet animo corporis vires, tunc ad pœnitendi redire iudicium, vltimum mihi vitæ ſuæ tempus edicat, quo calculante didicerit; quo inſinuante cognouerit; vt inde ſibi, vt ita dicam, de temporis ſpatio blandiatur. At cum nobis inopinatus ſit exitus terminalis: & vitæ noſtræ dubius ſinis, et mortis ignorantia, curricula; quomodo ſibi quiſque ſupereſſe ad confitendum tempus exiſtimat, qui temporis ſui tempus ignorat?] Prouidentiſſimè itaque Deus, celauit nos vitæ noſtræ ac mortis terminum, definitè ſpectatum. Si enim nunc cum vitæ meta in futurum ſeruatur incerta, nec poteſt homo ſpondere ſibi vel momentum ad quod vitam ſit vlteriùs prorogaturus, plerique tamen adeò negligentes ſunt æternæ ſalutis, vt eam diſcrimini obiciant præ captata ſenſibilium bonorum dulcedine; quid facturi non eſſent, ſi conſtaret illis de vitæ ac mortis termino ad aliquā moram elongato, intra quam capedinem poſſent genio indulgere abſque metu ſubeundi aleam æterni exitij, mentem mutaturi cum eſſent in termini diuinitus conſtituti vicinia?

V. Vtilitas hæc ſubductorum proſpectioni humanæ terminorum vitæ ac mortis, eſt longè maxima. Nec Dauid aduersùs tam fructuoſum nobis diuinæ prouidentiæ ordinem connixus eſt, quaſi Pſalmo 38. petierit vitæ ſibi finem ac mortis terminum declarari, cum loquutus eſt in lingua ſua; *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorū quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.* Non inquam Dauid ea petitione conuolſit ſcita diuina de occulto cuiuis mortalium vitæ ac mortis termino. Sed vt benè ibi expreſſit Ianſenius, quæ videntur voces poſcentis notitiam terminorum vitæ ſuæ ac mortis aliud non ſunt quàm expreſſiones deſiderij, quo vir ſanctus flagrabat, excedendi denique è tot ærumnis quibuſcum vita propè vniuerſa erat conflictatus: perinde ac qui oppreſſi malis clamant, ecquando Domine finem mihi tot malorum demonſtrabis? quando adueniat ærumnarum exitus? quod ſi Deus aliquando per ſingularem fauorem quibuſdam ſanctis vitæ ac mortis ipſorum terminum detexit, tantis eos virtutum prouentibus communijt, vt non eſſet

illis

illis ea notitia diſcrimen vllum peccandi; & licentiùs agendi illecebra; ſic ſe geſſit Deus cum adeò multis ſanctis, vt ſuperuacuum videatur aliquos nominatim appendere, ne quiſquam adeò hoſpes eſt in Actis Sanctorum, vt ignoret, quàm id frequens aut etiam propè perpetuum fuerit, omnibus alicuius notæ ſanctis viris. In Collectaneis Ioannis Seuerani de precioſa iuſtorum morte, exempla paſſim ſignantur.

Germanus quæſtionis ſtatus, an Deus vitæ terminum ex ſe præfixerit.

VI. DE prædictis cum non ſit hoc loco controuerſia, lis tantùm eſt de illis certò à Deo præcognitis humanæ vitæ ac mortis terminis, ſintne ita fixi ac immobiles, vt nullo humano ſtudio prætergredi fas ſit, vel nulla incoria perire volentium eoſdem anteoccupare. Exempli gratia, præſciuit Deus, quandonam Petro vltima vitæ hora ſit obuentura. Quæritur an is vitæ Petri terminus, diuidendo mente diuinam prænotionem, adeò fixus ac firmus fuerit, vt Petrus vltrà eum progredi nullo modo poſſit. Vel poſſitne Petrus, ſi lubeat, priuſquàm ad eum terminum pertingat, vitam abrumpere, veluti declinans diuinum decretum, quo non niſi tali momento moriendum ipſi eſſe, fuerit conſtitutum, ex mera ipſius Dei voluntate, antecedenter ac ex ſe ad eum modum edicente. Neque enim eſt hoc loco quæſtio, de termino naturali aut accidentario vitæ ac mortis humanæ, iuxta Laurentij Iouberti diſtinctionem apud Beuerouiciū Epiſt. ad Iacobum Crucium; ſed quæſtio propriè eſt de eo termino, quem idem Author appellat ſupernaturalem: qui ſcilicet à Deo ex ſua antecedenti voluntate fixus eſt, non habita ratione eius quod naturalis complexio, vel caſus extrinſeci, & aduentitij ferre poſſent; ſed præcisè ſpectando quod Deus præfiniuit antecedenter, ac ex ſe, circa durationem vitæ hominis, & mortis eius initium; quamuis in executione ſuæ illius antecedentis, ac ex ſeipſo conceptæ voluntatis, plerumque Deus admoueat ſeriem cauſarum naturalium vitam fouentium aut exſcindentium, vel accidentarios propagandæ vitæ obices; perque huiuſmodi media, executioni mandet decretum ſuum, adhibiturus alia, niſi iſta fuiſſent ad manum; quia lex ſummi Regis eſt de homine tunc morituro, quam infirmari non licet.

VII. *Hic eſt magnus, & celebris, & propè ab omnibus hominibus quæſitus terminus*, vt loquitur Author quæſtionum ad Antiochum qu. 112. déq; eo frequenter à mundo condito agitatam fuiſſe diſputationem, ait Anaſtaſius qu. 96. in ſcript. Dixi de hoc termino in naturali Theologia diſt. 8 nu. 155. & 156. Et à n. 181. ad 185. poſt quæ conſcripta, incidi in aliquot ſcriptorum cum veterum, tum recentium plenas lucubrationes de hoc argumento. Eiuſmodi in primis eſt Gennadij Epiſtola prolixa de prædeſtinatione, quæ potiùs inſcribenda fuerat; *Tractatio de præfinitione terminorum vitæ ac mortis*: item opus Antonij de Senis Epiſcopi Fulginatis, cui titulus eſt, *Liber de diuina præordinatione vitæ & mortis*. Florebat anno 1480. Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani ſermo Græcus *de terminis vitæ*, Geſneri Indice memoratur, & in additione 2. ad Trithemium de ſcriptoribus. Vtrobique item conſignatur, Nicephori Blemmydæ, *demonſtratio quod indiuiduis vitæ præfinita non ſit*. Nuper Franciſcus Syluius, eandem molam verſauit in variis reſolutionibus, V. *Vitæ terminus*. Leuinum Lemnium Zetandum patria Zirizæum ex medico, poſt elatam vxorem, Canonicum, ſcripſiſſe librum *de præfixo ſtatóque vitæ termino*, refert Aubertus Miræus, recenſens Scriptores ſæculi 16. librum ipſe non vidi; ſed quantum ex titulo coniectare licet, ſtat potiùs pro fatariis, (ſi ita loqui licet,) hoc eſt pro iis qui terminum vitæ antecedenter à deo fixum agnoſcunt. Quæcunque verò fuerit eius ſententia, extat eius lucubratio de vitæ termino. Sed & Ioannes Beuerouicius, opus *De vitæ termino fatali an mobili*, ex variis ſuis de eo argumento Epiſtolis & ſubiectis octo Doctorum reſponſionibus contexuit. Quanquam quod & ipſe Beuerouicius; & omnes quorum reſponſa exhibet, (præter vnum Marinum Merſenium) Caluino atque Luthero inhæſerint, & ex eorum placitis ferè pronuntient de hac controuerſia, minùs Catholicis Lectoribus commodare poteſt tradita eo Beuerouicij volumine doctrina, tot admiſtis probatæ farinæ furfuribus, quos adhibito accurati examinis veluti pollinario incerniculo ſtudioſè ſeiungemus.

PVNCTVM II.

ALIQVORVM VITAM ET Mortem certis terminis à Deo antecedenter concludi, dubitare non licet.

PRÆMITTENDVM eſt tanquam certū, eſſe aliquos cum malos, tum bonos, quibus ex diuino decreto antecedenti, præfixi ſint mortis ac vitæ concludendæ termini; ita vt quamuis attentè temperie corporea, eſſent diutiùs vitam protogaturi; tamen Deo ſtamen vitæ abrumpente moriantur ante tempus illud ad quod pertingere ſecundùm naturæ curſum potuiſſent, ſi Deo minimè inhibente, non eſſent prohibiti pertingere.

Malis quibuſdam, fixus antecedenter à Deo vitæ terminus, ex Scripturis.

I. QVoad malos, ſuppetunt in hanc rem, & Scripturæ teſtimonia quibus id vniuerſè aſſeritur, & ſingularia exempla non pauca, quibus idem affirmatur. Sic Iob. 4. Eliphas Themanites ait; *ſe vidiſſe eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos.* Concinnè iniquos ait, *ſeminare dolores & eos metere.* Reuera enim operatio iniqua, nihil aliud eſt, quàm ſementis dolorum ſuo tempore metendorum. Qui igitur iniqua agunt, ſin minùs omnes, at certè aliqui, flante Deo pereunt, & ſpiritu iræ eius, conſumuntur. Præclarè S. Gregorius V. Moral. c. 15. Flatum Dei quo huiuſmodi impij ante tempus ſuum conſumuntur, interpretatur animaduerſionem diuinam, accepta cauſa ex impiorum peccatis, inflictam. Flatus enim ita emittitur ab intrinſeco, vt priùs ab extrinſeco ſit hauſtus. Decretum

itaque Dei de plectendo peccatore, & eius vita ſuccidenda, ita à Deo manat, vt tamen eius cauſa fuerint ſcelera atrocia peccatoris. Hoc Origenes homil. 13. in Ezech. ait eſſe, quod ab eodem Propheta c. 14. dictum eſt, *Scandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam.* Ipſe legit, *pœnam iniquitatum ſuarum poſuerunt ante faciem ſuam.* Quod ipſum idem Origenes ab Iſaia c. 50. ſignificatum putat, cum dixit, *ambulate in lumine ignis veſtri, & in flamma quam accendiſtis*; quia Deus ex ſe, non infert pœnas, ſed nos ipſi nobis quæ patimur præparamus, & à Deo ad pœnas irrogandas minimè proclini, velut extorquemus decreta de illatione ſupplicij: vt contingit iniquis in re propoſita, qui ſuccisi ſunt ante tempus ſuum, propter admiſſa ſcelera. Apud eundem Iobum c. 15. præclarè in hanc rem dicitur de impio, qui cucurrit aduersùs Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Non recedet de tenebris: ramos eius areſaciet flamma, & auferetur ſpiritu oris ſui.* Plerique interpretum, illud *ſui*, ad Deum referunt, ita vt ſenſus ſit, impium perdendum eſſe à Deo, & vita ſpoliandum in Dei ira, ex impij iniquitatibus concepta. Alij ad impium referunt eum ſpiritum, voluntque ſenſum eſſe, perditionem præproperam obtigiſſe impio, ob verba blaſphemiæ quæ profudit: ita vt hæc ſit exitij ipſius cauſa moralis. Vt vt ſit, mox ſubdit. *Antequàm dies eius compleantur, peribit, & manus eius areſcent. Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proijciens florem ſuum.* Sunt qui & impio patri, celerem ac præcocem mortem denunciari his verbis volunt, & ramis eius, ſiue germinibus ac liberis; quod æquè commodat præſenti inſtituto. Nihil tamen vetat *manus & ramos*, pro operibus impij accipere: ita vt ſenſus ſit, non modò breuem futuram impij vitam, ſed etiam omnia eius opera perbreui eſſe areſacienda. Quo pacto intellectus locus ille Iobi, totus facit ad hoc negotium.

II. Eiuſdem farinæ ſunt illa Pſalmi 54. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Et illa Eccleſiaſtis 7. *Ne impiè agas multùm, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempere non tuo.* Anaſtaſius Sinaïta q. 96. noua in ſcrip. profert huius mortis quam *ſpiritualem* appellat, exemplum in Corinthiis illis, qui quod indignè cõmunicarent, morte à Deo prrematurè mulctati referuntur ab Apoſtolo 1. Cor. 11. verbis illis. *Ideò* (ob indignè ſuſceptam Euchariſtiam) *multi inter vos infirmi, & imbecilles & dormiunt multi*; mortis nimirum dormitione. Profert item exemplum primogenitorum Ægypti. [Neque enim naturali aëris, vel elementorum ordine & & conſtitutione, ſed ex diuina indignatione, mors eis illata eſt.] Siue enim aliqui eorum iam erant puberes, & indignationem Dei, ob peccata perſonalia commeriti; ſiue tantùm quia vnum cum impiis patribus cenſebantur, & in eis plectebatur paternum ſcelus; indignatione Dei præmaturè è vita ſublati ſunt, & letho dati.

III. Concinnius quoque in eandem ſententiam locus habetur apud Amos, c. 8. iuxta Riberæ paraphraſim. Ait ibi Propheta, monſtratum ſibi eſſe à Deo vncinum pomorum, quo ſcilicet poma quæ manu carpi non poſſunt, auelluntur priuſquàm vltrò decidant. Hæc enim poma, aptè ſignificant homines vita fruentes, quorum ſpecies ſicut pomorum, plerumque decipit. Vnde apud Iobum cap. 9. ea comparatio adhibetur, cum dicitur, *Dies mei pertranſierunt ſicut naues poma portantes.* Pomorum igitur quædam vltrò ab arbore bajula cadunt; videlicet homines, quorum dies pleni ſunt inuenti, & in tempore ſuo inferuntur ſepulchro: alij autem ex Dei decreto ſuccidunt ante tempus ſuum, perinde ac poma quæ adhuc cohærentia arbori, auelluntur admoto vncino. Itaque mox ſubdit, veniſſe finem, nec Deum vltra diſſimulaturum: multos morituros, & ſilentium in omni loco fore projiciendum, ac veluti vbiuis proſeminandum, ex vrbium totiuſque regionis vaſtitate. Pia nec inueriſimilis interpretatio, quam præter Riberam, approbat Fernandius, viſione 28. *in fine*, nec diſplicet Tirino.

Exemplis ſingularibus, impiorum ex antecedente Dei decreto ſublatorum, abundamus. Nam Geneſ. 38. Dominus dicitur interfeciſſe Her & Onan filios Iudæ, propter eorum turpitudines. Similiter Leuit. 10. Nadab & Abiud à Deo cæſi ſunt, ob oblatum coram Domino ignem alienum. Præterea Core. Dathan, & Abiron, propter concitatam ſeditionem aduersùs ductores populi à Deo conſtitutos, diſcedente terra, illicò ſunt abſorpti, vt eſt Numer. 16. Ac vt alia exempla in Scripturis conſignata prætercam, Ananias & Sapphira Actor. 5. in pœnam mendacij ſacrilegi, ſubitò diuinitus ſunt extincti. Cùm ergo Scriptura in omnibus prædictis locis, diſertè exponat diuinam mentem, præcocem immaturumque obitum iniquitati aliquorum repetentem, perſpicua eſt veritas propoſita. Et de ea accipi poteſt quod eſt apud S. Antonium ferè initio ſermonis de vanitate mundi, quem Voſſius in Miſcella ſubtexta, Gregorio Neo-Cæſarienſi repræſentauit ex antiquo Manuſcripto Aldino. [Huic vitæ (ait S. Antonius) ſuccedit mors, & mundanam gloriam apprehendit confuſio. Multi quippè potentium, ante præfinitum tempus canum more in infernum detruſi ſunt.] *Præfinitum tempus* appellat, id quod tali temperamento fuiſſet debitum: ſed quod propter hominem corruptis moribus decurtatum eſt, & ipſi ſublati ante tempus ſuum.

Quomodo dies hominis, centum viginti annorum iuxta Moſem,

IV. EST locus celeberrimus Geneſ. 6. quo plerique idem confirmant, ſed non omnes ſatis opportunè. Refert eo loco Moſes, Deum exaſperatum ſceleribus mortalium, edixiſſe de hominibus qui in carnes euaſerant, vt aſſignarentur illis anni, centum viginti: *Erunt* (inquit) *dies* hominis, *centum viginti annorum.* His edicti verbis, fuerunt qui exiſtimarent, definitos eſſe certos terminos vitæ ac mortis omnium hominum; ita vt id futurum deinceps eſſet, maximum quod ſit, humanæ vitæ: niſi ſi quando ex peculiari diuina diſpenſatione ad mundum replendum, vita eſſet vlteriùs diffundenda. Quo pacto extricant difficultatem ductam ex nonnullis qui etiam poſt Noë, referuntur in Scriptura tranſgreſſi eſſe numerum illum annorum vitæ, communi lege præſtitutum. Ita Ioſephus, Philo, Rupertus, Abulenſis in cap. 1. Geneſeos. Item Valeſ. c. 7. ſacræ Philoſophiæ & Corraſius 5. Miſcell. cap. 15. Hic eſt vitæ humanæ diffuſiſſimus termi-

nus

hus, ad quem doctiſſimi Mathematicorum, Trebellio Pollione referente, *ipſo initio vita Claudij*, vitam humanam protelari poſſe ſtatuerunt: negantes cuiquam obuenturum aliquid amplius: illud tamen addentes, ſoli Moſi ob familiaritatem cum Deo, productam eſſe etiam ad annos centum viginti quinque. Eidem porrò expoſtulanti quod iuuenis è vita diſcederet, præ tot antiquis qui longè annoſiores obierant, ferunt reſponſum eſſe, (Pollionis verba ſunt) ab incerto numine, neminem deinceps plus victurum. Fabula eſt, ex interpolatione loci capitis ſexti Geneſeos quem proferebam. Eum enim locum eſſe ab iſtis interpolatum, perſpicuè liquet, quia fatentur Moſem vltrà illum terminum, annorum centum viginti, prorogaſſe vitam per quinquennium, & addunt nullius deinceps vitam vlterius fore diffundendam; cum dicendum fuiſſet, neminem ad tam diffuſum vitæ terminum eſſe deinceps venturum, ſed victurum ſaltem quinquennio minùs.

V. Pono verò extra dubium, aliam fuiſſe Moſis mentem, de eo diuino decreto quod refert. Neque enim verum videtur, pleroſque poſt Noëmum, multiplicato iam ſatis orbe, Macrobios, ex diuino tantùm miraculo ac diſpenſatione vitam prorogaſſe vltra annos 120. Multa huiuſmodi exempla longæuitatis vitæ humanæ vltrà illum terminum poſt diluuium, addenſant Claudius Deodatus lib. 1. Panthei Hygiaſtici c. 6. & Thom. Philologus Rauennas l. de vita hominis vltra 120. annos protracta cap. 3. 4. & 5. ac Simon Maiolus Colloquio 4. Omnes poſt Phlegontem & Lucianum de longæuis, ac Plinium lib. 7. cap. 49. Macrobij vltra eum terminum vulgatiſſimi, ſunt Ioannes de Stampis, cognomento *de temporibus* & Richardus item *de temporibus*, milites Caroli Magni: quorum hic ad annos quadringentos, ille ad trecentos ſexaginta & vnum, vitā prorogauit, ſi Cardano credimus in opere Proportionum, propoſit. 183. quamquam Ioannem illum, Paulus Æmilius nonniſi per annos 160. vitam produxiſſe, nec ſub Carolo Magno, ſed ſub Carolo Simplici, militaſſe confirmat. Supplebit verò huius locum, Libertus Damaſcenus, Caroli Magni Armiger, quem vixiſſe ad annū vſque Chriſti 1144. ſcribit eo anno Ptolomæus Lucenſis: atque adeo cum Carolus floruerit ſub annum octingenteſimum, productam admodum fuiſſe illius armigeri vitam, neceſſe erit fateri, ſi vera narrat Ptolomæus. Neminem latet Indus (de quo Petrus Maffæus 11. hiſtor. *ſub medium*) qui trecentos triginta quinque vitæ annos, ſæpè renatis dentibus, ſæpè deciduis, ſæpè canus, denuóque crine niger exegit. De homine admodùm annoſo, cuius ſoboles, ipſo ſuperſtite, oppidulum centum citeriter domorum impleuerat in Hiſpania, ita vt propinquitatis nomen iam deeſſet, quo à minimis natu, vocaretur, meminit Ludou. Viues 15. Ciuit. c. 8. Miramur nunc tātam longæuitatem, quia eſt inſolita. Olim verò ſicut nihil erat frequentius, ita vacabat admiratione. Nec ſunt audiendi, qui vitam priſcorum hominum ad tam multos annos prorogatam prorer hodiernum morem, interpretantur de aliis annis, quàm ſolaribus; merito refragante D. Auguſtino l. 5. Ciuit. c. 54. ac q. 24. in Geneſ, poſt Hieronymum in trad. Hebr. in Geneſ. ac Chryſoſtomum hom. 22. in Geneſ. Eſſéque eam interpretationem contra manifeſtam Moſis ſententiam,

a

benè confirmat Feuardentius ad librum 5. S. Irenei cap. 5. num. 1. & Ioannes Lucidus lib. 1. de emendat. tempor. cap. 5. ac Ægidius Camarius lib. de rebus geſtis Eliæ c. 3. ſ. 4.

VI. Quare euaneſcit argumentum ex prædicto Geneſeos loco petitum, ad aſtruendos fines certos vitæ ac mortis cuique homini poſt diluuium ex antecedente Dei Decreto conſtitutos. Et quod D. Hieronymus Epiſt. 21. *in-tio* alludens ad illud c. 6. breuiatum, poſt diluuium, vitæ terminum tradit; ad alias cauſas eſt referendum, quàm antecedens Dei decretum. Poteſt tamen locus ille, non de omnibus omnino poſt diluuium futuris hominibus acceptus, ſed reſtrictus ad impios illos, qui tunc viuebant, commodare præſenti inſtituto: ſenſus enim genuinus erit, Deum pertæſum exaggeratæ nequitiæ mortalium tunc viuentium, præfixiſſe illis ad concipiendam pœnitentiam ſpatium 120. annorum: quibus abſque pœnitentia conſumptis, perdendi eſſent ex antecedenti decreto in odium improbitatis concepto, ruptis ad illius decreti executionem fontibus abyſſi, & inducta ſuper terram vniuerſam eluuione, mortem impiis omnibus illatura. Ita S. Hieronymus in qq. Hæbraïcis circa c. 6. Geneſeos. S. Auguſtinus 15. Ciuit. cap. 12. Chryſoſtomus homil. 25. in Geneſ. Eucherius in explicatione difficil. qq. ad 18. Torniellus anno mundi 1656. à nu 3. Delrio libro 2. diſquiſ. Magicarum q. 23. Perer. lib. 7. in Geneſ. à n. 103. Sixtus Senenſis l. 5. Bib. annot. 75. Eugubinus in c. 6. Geneſ. adducens Abenezram, & pleroſque Hebræorum. Lippomanus ibidem in Catena, & paſſim recentiores interpretes, Iac. Sforza Cicogna l. 3. p. 1. Mag æ omnifariæ c. 7.

Mali quibus extra Scripturas, præfixus à Deo proditur vitæ terminus.

VII. EXtra ſcripturam, ſuppetunt exempla complura, impiorum ante tempus ſuum ex diuino decreto antecedenti ſucciſorum. Videtur planè eò pertinere, quod habent Acta S. Niconis cognomento *Myroblitis*, quæ Græcè extant in Bibliotheca Sfortiana, & à Cardinali Baronio anno 982. recenſentur. Rogatus à Lacedæmoniis peſte laborantibus S. Nicon, vt ad eos peſtem depulſurus accederet, precibus ceſſit; ſed ea lege, vt Iudæos vrbe exigerent, ne moribus inquinatiſſimis, ac nefariis, ritibus eam deinceps contaminarent. Ad ſancti viri aduentum, peſtis depulſa eſt, vnàque extruſi ex vrbe Iudæi, quorum patronus Aratus, furiosè in auctorem relegationis Iudæorum S. Niconem conclamauit: nec ita multo poſt, per occaſionem poliendi textilia, peritum opificij illius Iudæum, Spartam reduxit. Sed eum S. Nicon, fuſte quā occurrit mulctarum, abſcedere denuò adegit. Ad quod factum, in rabiem actus Aratus, nullus abſtinuit conuiciorum probrorumque ſordibus, quibus ſanctum virum non dehoneſtaret, nec abſque minis; cui Sanctus, ſtatim in foribus peccatum ſuum affore denunciauit. Nec mora. Vix verba denunciando compleuerat, cum non pede claudo pœna, infelicem Aratum eſt iūſecuta. Horrificis enim viſis territus, & febri vehementiſſima occupatus, accitum S. Niconem mulcere ſtuduit, & ad eius pedes fletibus madens accidit, Dei ſententiam, (vt ſperabat) retorturus. Cui beatus. [Quæ in me perpetraſti, ea tibi

fruct

frater, quantum in me condonabuntur. Sed quoniam vitæ finis tibi cœleſti decreto præſtitutus eſt, nemo erit de cætero (quemadmodum ait Propheta) qui Dei conſilium diſſipare poſſit. Euentus denunciationi reſpondit : nam paulò poſt : Arato vitæ ſtamen ſucciſum eſt ; quod ex antecedente Dei decreto factum eſſe, & denuntiationis verba, & adiuncta negotij perſpicuè ferunt.

VIII. Sed præter cætera, luculentum eſt exemplum Anaſtaſij Imperatoris. Peruerſiſſimus homo, cùm initio vtcumque bonus apparuiſſet, mox mutatus in virum alterum, aliud cogitare non videbatur, quàm imperij cladem & religionis euerſionem, ſubinductione Eutychianiſmi. Commonitus porrò à S. Hormiſda Romano Pontifice, ad ſalubria conſilia obſurduit : nec tantum in legatos pontificios iniurius fuit, habens eos contumelioſiſſimè, & renauigantes certò vitæ diſcrimini obijciens, ſed in ipſum quoque Hormiſdam, verbis bacchatus eſt Chriſtiano homine prorſus indignis. Hoc imperatoris portentū, cum impleta ab eo eſt menſura ſcelerum, à viro terribili per ſomnum obiecto didicit, vlciſcente Deo, decurtatam eſſe vitam : commonſtrato ipſi ab illo terribilis ſpeciei viro, quem manu geſtabat, libello, & eraſis vitæ annis quatuordecim. *Ecce* (inquit) *ob peruerſitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.* Nec ita multo poſt, Anaſtaſius inter magnos cœli fragores, ne quicquam cœnacula inferiora, & penitiores thalamos ſubiens, igne vltore correptus, veritatem inſomnij comprobauit, vt ſcribunt Theophanes lib. 15. Miſcellæ, Zonaras p. 3. Annal. & ex eis Baronius anno 518. In hoc exemplo manifeſtè elucet antecedens Dei decretum de terminis vitæ ac mortis impij hominis in cœlo fixit; quos ſceleſtus ille, nulla machinatione potuit prætergredi : quia quod Dominus exercituum decreuit, quis poterit infirmare ?

Nonnulli mali, de quibus id ambiguum.

IX. AMbigi aliquo modo poteſt, ſint ne eodem loco habenda (tametſi redolet eandem diuini decreti antecedentis efficaciam) narratio quæ apud Rogerium in Annalibus Anglicanis legitur anno 1117. [Apud Longobardiam (inquit) magno terræ motu facto, & vt teſtati ſunt qui nouere, quadraginta dierum ſpatio durante, plurima domorum ædificis corruerunt : & quod viſu dictúque conſtat mirabile, villa quædam prægrandis, mota eſt repentè de ſtatu proprio ; iamque ab omnibus in loco longè remoto conſiſtere cernitur. Viri Mediolani patriciæ dignitatis, dum de Republica tractantes, ſub vna reſiderent turri, auribus omnium vox foris inſonuit, vnum ex illis nomine vocans, & feſtinatò exire rogans. Quo tardante, perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, vt egrederetur, prece obtinuit. Exeunte illo, turris repentè cecidit, & omnes qui ibidem erant, caſu miſerabili oppreſſit.] Hîc diuinum decretum antecedens de ſubita illorum qui intra turrim hæſerunt, oppreſſione, mandatum executioni per Angelos, ſublucere videtur in illa feſtinata euocatione, eius quem Deus ſaluum volebat, vrgente Angelo exitum citum illius : ante cuius digreſſum, vt de Lotho teſtatum eſt, vltor Angelus non poterat facere quicquam pertinens ad executionem diuini decreti, ſuſpenſam vſque ad poſitionem illius conditionis. Commodiſſimè ſine dubio, ea narratio in hunc ſenſum accipitur. Quamquam dici item poſſet bonum Angelum præſcium calamitatis naturaliter ſubſecuturæ, clientem ſuum tempori ſubduxiſſe ; non ſuſpenſa pro arbitrio, ſiue ſuo, ſiue diuino ipſi manifeſtato, euerſione turris, quovſque ille vnus digreſſus eſſet : ſed prouidè declinata ruina præcognita, tali in declinando fœlicitate, vt caſus naturaliter exortus, videri poſſet interueniente cauſa liberæ contigiſſe. Ipſi ſanè Ethnici in conſimili euentu hominis ſubducti exitio per ſubuerſionem domus conſecuturo, prænuntiata per intelligentiam ruina naturaliter imminente, ad eum quem dixi modum factam ſubductionem cenſuerunt, vt intelligitur ex hoc incerti Auctoris Epigrammate in Anthologia.

Pone ruinoſas homicida quieuerat ædes,
Cui viſus tacita nocte Serapis, ait
Praſcinis. Hinc ô qui ſterteis te protinus aufer,
Atque aliò cubitum progrediare miſer.
Euigilans homicida abiit, parieſque ruinam
Lapſus humi vaſta mole repentè dedit.
Soſpita de hinc fecit Diis ſacra nefarius, orto
Sole, ratus latum cædibus eſſe Deum.
Cui Deus in ſomnis iterum ventura ferebat;
Me in fontes ſcelerum perdite amare putas ?
Quippè quod auerti facilis diſcrimina lethi,
Hinc reſeruandum noueris eſſe cruci.

Vides de huius Ethnici Poëtæ ſenſu, contigiſſe in hoc euentu, quod dicebam obtrudi poſſe circa narrationem ex Rogerio propoſitam, ad inficiandum interueniſſe in ea oppreſſione Mediolanenſium, decretum diuinum antecedens. Hæc cauſa eſt, cur dixerim ambigi aliquo modo poſſe, an propoſita narratio ad ſtabiliendum vitæ ac mortis terminum aliquibus à Deo antecedenter fixum, ſit referenda.

X. Ambiguum item videri poteſt, ſitne huc referendus repentè ſuperueniens interitus, quo aliqui in flagranti luxuriæ crimine extincti ſunt, vt contigit in exemplis quæ à S. Odone lib. 2. collat. cap. 26. & ex Cantipratano lib. 2. Apum. cap. 30. num. 11. retuli p. 1. Heterocl. ſpirit. ſect. 2. p. 9. num. 16. & 17. & multo plura non ita pridem geſta recitat. Io. Dominicus Ottonellus in perutili opere de periculoſa conuerſatione, notatione octaua : eminetque inter ea, exemplum Nouitij, à lupa magnis ſecundùm ſæculum titulis nobili miſerè ſeducti, & acti in barathrum turpitudinis, ac in illius cœni volutabro, cum primùm illud ſubiuit, extincti, vt diſtinctiùs dicam puncto 53. In his ergo exemplis, ambigi poteſt, an illa præpropera mors, à diuino decreto antecedente in ſceleris pœnam manarit; an naturaliter ſit conſecuta vberrimam conſumptionem ſpirituum, quæ commercio turpi adiungitur ; vnde illa tanta corporis eneruatio per Venerem, de qua latè lib. 6. de virtut. à num. 168. & Michaël Medina lib. 4. de Contin. Controu. 4. per multa capita. Non poſſumus ergo definitè pronunciare, an ſubitæ illæ abruptiones vitæ in ſcelere, ſint referendæ ad naturalem cauſam, an ad diuinum decretum antecedens.

Piis quibuſdam, fixi antecedenter à Deo, vitæ termini.

XI. IAm quod ſicut nefarij quidam diuino decreto antecedente ſucciduntur, vt hactenùs monſtratum eſt) ita piis quibuſdam vitæ ac mortis termini à Deo antecedenter decernente figantur; facilè eſt, cum ſcripturæ ſuffragio, tùm exemplis illuſtrare. Locus ſcripturæ in hanc rem luculentus, habetur Sap. 4. vbi non de Enocho, (vt ſignificat S. Ambroſius in Pſal. 40. & 45. ac orat. de obitu Satyri, affirmatque Ianſenius ad c. illud 4.) ſed vniuersè de iuſto præmaturè adrepto agens Salomon, ita loquitur. *Iuſtus ſi morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit ſenectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque an orum numero computata. Cani autem, ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata. Placens Deo factus eſt dilectus & viuens inter peccatores tranſlatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona; & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia. Conſummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Nihil potuit in hanc rem proferri luculentius. Diſertè enim ſapiens, affirmat Deum aliquos iuſtos præmaturè abripere, ne ruant in exitium æternum: quod factum præuſcuntur, niſi per obitum præcocem præcluderentur occaſiones; auertente eos à recto concupiſcentia ex lege, nunc in hoc, nunc in illud ſenſibile bonum, contra diuina ſcita inuoluente. Deus enim, qua eſt intellectus perſpicacitate, omne verum penetrante, non modò quæ abſolute futura ſunt proſpicit, ſed etiam quæ euenirent ſi hæc aut illa conditio poneretur. Idque eſſe vnum ex præcipuis mediis quibus prouidentia diuina circa ſalutem noſtram negotiatur, eámque infallibiliter ad finem optatum dirigit, optimè monſtrat Suares lib. 1. de prædeſtinat. toto c. 7. ac Stapletonius in Antidotis ad c. 9. Epiſt. ad Romanos, & in cap. 11. v. 29. Per hanc ergo ſcientiam futurorum ſub conditione, videns Deus fore, vt ſi is cui benè vult, diutiùs vitam prorogaret, dementaretur à faſcino & nugacitate ſæculi, immaturè eum decerpit; vt optimè ratiocinatur S. Cyprianus lib. de Mortal. & Gregorius Nyſſenus Orat. de infantibus præmaturè abreptis, ac S. Fulgentius Epiſt. 2. quæ eſt ad Gallam mortuo in florenti ætate marito, viduam iuniorem; alijque multi Patres infra p. 14 proferendi. Hæc ergo eſt Deo cauſa properandi educere de medio iniquitatum, aliquos iuſtos, ex ſe & antecedenter tales vitæ terminos illis præfigendo.

XII. Singularia verò exempla, iuſtorum diuino decreto antecedente ſublatorum, citra naturaliū cauſarum exigentiam, ſuppetunt non pauca. Sed illuſtre imprimis eſt, exemplum Moſis, cui Deus vitæ ſtamen ſuccidit, cum nulla ægritudine laboraret, vt habetur Deuter. 34. Id quod ibi Cornelius verſ. 7. rectè perpendit ac confirmauit, argumento inde ducto, quod Moſes validus ac viribus integris, aſcendit in montem; ibíque ſtatim fato conceſſit, Deo illum diſſoluente per vitæ aureæ (vt Sapiens appellauit) diſruptionem; id eſt exciſa vnione Phyſica, quæ corpus & animam Moſis nexu naturali vinculabat. Moſem enim verè mortuum eſſe, tam clarum eſt ex ſcriptura, vt mirum ſi id negare potuiſſe Catharinum in c. 3. Geneſ. & paucos alios quos Suares memorat 3. p. t. 2. d. 32. ſ. 2. Quid enim ſonant illa verba Dei ad Moſem c. 32. Deuter. *Iungêris populo tuo ſicut mortuus eſt Aaron.* Et diſertiſſimè c. 34. *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle.* Verè ergo mortuus eſt Moyſes, & verè ſepultus: vndè altercatio Michaëlis cum Satana de Moſi cadauere, memorata à S. Iuda. Mortuus autem eſt Moyſes iubente Domino, id eſt ex Dei antecedente decreto, talem ei vitæ terminum præſtituente, ac negante vlteriorem; vt notauit Anaſtaſius q. nona 96. in ſcript. addens idem eſſe de Aarone dicendum. Et verè multa adiūcta mortis Aaroni, eadē ſunt cum adiunctis mortis Moyſi, vt videre eſt Numer. 20. & 33. & Deuter. 32. vbi Moyſes dicitur iunctus populis ſuis, ſicut mortuus eſt Aaron, qui iubēte Domino conſcenſo monte erat Moyſi præmortuus, placidiſſimè, & abſque illa ægritudine. [Quod autem S. Auguſtinus q. 82. & 83. in Leuit. tradere videtur omnes Aaronis ſucceſſores, ſummos Iudæorum ſacerdotes, ſimili mortis genere abſque ægritudine exceſſiſſe, non eſt quòd adſcribamur, quia nullum ſuppetit id aſſerendi fundament. Argumentū quidē ducit S. Auguſtinus, ex neceſſaria per ſummū Sacerdotē incenſi oblatione bis quotidie, in altari thymiamatis: quod munus, cū ſummus ſacerdos vnicus eſſet, alteri committi nequiuiſſet, ſi is aliquandò ægrotaſſet. Itaque prouiſum erat à Deo, vt ſemper ſacerdos ſummus ſubitò moreretur, ita vt alius poſſet illico ſuccedere, & munus prædictum eadem die obire. Sed hæc argumentatio non viget vt benè monſtrat Mendoca in c. 4. primi Regum ad n. 18. Nam altare thymiamatis, non erat in Sancto Sanctorum, quò ſolus ſummus Pontifex, ſemel quotannis penetrabat; ſed erat extra velum, in *ſancto*, vt vocabant: ad quem locum fas inferioribus ſacerdotibus accedere, & thura incendere. Eſto autem ſolus ſummus ſacerdos ſi valeret, thus in altari prædicto quotidie accenderet, erat tamen ei attributus vicarius, qui morbo aliâue ſontica de cauſa impedito Pontifice, munera eius omnia obiret, vt poſt Ioſephum l. 17. c. 8. tradit Petauius l. 10. de doctr. tempor. c. 56. & Serarius ad c. 4. libri 2. Machab. Itaquè vniuerſa S. Auguſtini ratiocinatio rimas agit; præſertim cum Marathias, qui de multorum ſententia fuit ſummus ſacerdos, ægrotaſſe prodatur in Machabæorum hiſtoria. Attingamus ergo alia exempla, iuſtorum obeuntium ſubita & leniſſimè morte antecedente Dei decreto.

Virginem Deiparam eodem lethi genere abijſſe è vita, dicere memini tractans felicem eius obitum in Diptychis Marianis parte 1. puncto 11. & 12. Nec qui ex eius recubitu in lecto, argumētantur, vt probent Deiparam vi ægritudinis obijſſe, ſolide tenera argumētantur: cum nec de recubitu illo ſatis conſtet; nec ſi conſtaret, aliud inde colligeretur, quàm ſeruitum ab ipſa Deipara eſſe conſuetudini; ne ſingulare quippiam in eius morte notaretur. Itaque ratum eſto, Deum, enim viſum eſt, ſtamen vitæ eius abrupiſſe abſque naturalium cauſarum exigentia; cum poſſet per vigorem qui plurimus ei ſupererat, vitam longè vlteriùs prorogare, ſi Deus curſui naturæ reliquiſſet, vitæ parentis ſuæ productionem.

XIII. In eundem ſyllabum iuſtorum diuino

decreto antecedente ſublatorum, referendi videntur Monachi illi Gemmeticenſes de quibus Acta S. Aichadri 15. Sept. à cap. 17. E nongentis quippè Monachis qui ibi ſimul degebant, media pars ab apparente viſibiliter Angelo Domini, cum ſomnum in conclaui dormitorio caperet, tactu virgæ quam manu geſtabat deſignata, eodem ſimul die mortem oppetiit, ordine quadripartito. Nimirum aliqui hora diei tertia, alij ſexta, nona alij, denique alij veſpere ſpiritum emiſerunt à B. Aichadro ex Angeli monitu & deſignatione præmoniti, de comparatione ad iter in montem Dei, per ſuſceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, & exercitium multorum ſatisfactionis operum, intra quatriduum quod ſuperfuit ab exhibitione viſionis ad pium obitum tot Sanctorum. Eum verò ex diuino decreto antecedente ortum habuiſſe, & ipſi morientes agnoſcebant, vt in iiſdem actis deſcribitur; & adiuncta ſatis perſuadent. Quis enim non agnoſcat diuinam manum, vitæ filum ſuccidentem perſonis nulla tentatis inualetudine?

XIV. Geminum propè exemplum ſuppeditant Acta S. Mauri, diſcipuli S. Benedicti, qui cum centum quadraginta Monachorum cœtum in Gallia adunaſſet, eique per annoſ iam triginta præfuiſſet, ab inſultante Satana ſub orationem accepit, quanta ſtrage vaſtandum paulò poſt eſſet eius ſodalitium. Ad Beati autem Viri preces, adueniens bonus Angelus, quod mox euenturum erat, diſtinctiùs his verbis expreſſit. [Pars huius Congregationis maxima, infra breue tempus colligetur ad Dominum, vt ab ipſo præfixum atque præordinatum eſt. Sed non propter hoc ipſe (Satan) vt aſſeruit, de aliquo illorum, vel ad modicum triumphabit. Tuis enim admonitionibus & exhortationibus inſtructi, paratus vnuſquiſque vocationis ſuæ diem expectabit gaudens. Quos cum omnes præmiſeris felix, vt promeruiſti, felicior ſubſequeris.] Omnia vt prænunciata fuerant, euenerunt, breuíque Monachi demptis 24. omnes obiere. Ex propoſitis porrò Angeli verbis, & ex S. Mauri ad ſuos allocutione, inſinuari ſatis apertè videtur, antecedens Dei decretum, hos vitæ terminos piis illis monachis poſuiſſe. Sic enim ſuos affatus proditur S. Maurus. [De his quæ ſerui, Dominum velle cognouerint, ſi aliquo modo triſtari cœperint, voluntati Domini contrariæ, ipſa ſua videntur triſtitia. Et ideò quia ipſe mortalibus terminum finiendæ iſtius poſuit vitæ, qui præteriri à nullo natorum valet; nos quibus, quo voluit ordine, dies huius vitæ in proximo finiendos eſſe patefecit, præoccupemus faciem Domini in confeſſione, &c.] Videtur perſpicuum, tam citam, tam multorum è vita extractionem, vt verba Angeli & S. Mauri præ ſe ferunt, ab antecedente Dei decreto, quo mors his ſerui Dei præfinita fuerat, dimanaſſe. Exiſtimare licet ſubitam S. Aureæ mortem cum ſexaginta ſororibus eodem modo contigiſſe. Narrat enim S. Audœnus ſub finem vitæ S. Eligij, cùm S. Abbatiſſa domi ſederet, ſubitò à S. Eligio iam defuncto, per adoleſcentem eſſe euocatam. Feſtina autem, & præ gaudio ſe non capiens, ad templum aduolauit; ſed iam beatus Antiſtes euanuerat. Tantùm nebula templum, opplens, fidem viſo faciebat. Intellexit igitur ſe cum certis ſociabus (inter circiter trecentas quas regebat) euocari ad cœlum. Itaque omnibus adunatis vale extremum dixit, & ſanctis monitis firmatas, cum iis quas dixi delectis Virginibus, migrauit ad Dominum, ſatis perſpicuo diuinæ voluntatis antecedentis indicio de morte earum. Idem planè videtur ſtatuendum, de exemplo quod recitat S. Gregorius 4. Dialogor. c. 26. de Monachis ſui monaſterij, ad cœleſtem militiam ex nomina eductis, quorum nomina auro ſcripta vidit Gerontius, [quia eorum nomina apud ſe fixa, æterna claritas habebat] vt loquitur S. Gregorius. Nec aliter pronuntiaueris, de alio affini exemplo quod habetur in vita S. Bernardi Tironis c. 9. Itaque & malis & bonis nonnullis, vitæ finem ex diuina præfinitione accidere, ratum eſto.

Ægræ dederim Vvillelmo Malmesburienſi, quod ipſe aſſerit l. 1. de Reg. Anglor. *cum de Henrico* 1. quotquot erga aliquod myſterium, vel erga aliquem Sanctorum cœlitum, benè affecti, die illis ſacra, vel intra eius Octauam occumbunt, non vſitato morientium more, ſed ex antecedente Dei decreto vitam abrumpere. Itaque Lanzonem Cluniacenſem S. Pancratij in Anglia Priorem mirè affectum erga B. Mariam matrem Domini, feria quinta in Cœna Domini ſub tempus auſpicandi ſacrum, morbo correptum & intra tempus quo Octaua virginis ab Angelo ſalutatæ, & Incarnatio Dominica recolitur, exiſtimat ex ſupra antecedenti voluntate tunc ceeidiſſe. Et ſimiliter Philoſophatur de SS. Odone & Odilone, quorũ ille S. Martino erat addictiſſimus, & iſte erga Domini Natiuitatẽ mirè afficiebatur: vterque verò intra Octauam chariſſimarum ſibi ſolemnitatum deceſſit. Similiter diceret de S. Malachia, qui optimè affectus erga Cœnobium Claræuallenſem, & diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum, cum Claræuallem ſub eam diem peruenisſet, ibidem & eo tempore ſolus eſt corporis ergaſtulo. Idem ſentiret Malmesburienſis de Franciſco Turriano, qui piiſſimè affectus erga myſterium Virginis Præſentatæ, cum forti ac docta ſcriptione effeciſſet, ne feſtum de eo myſterio, ex Calendario Romano expungeretur, ea ipſa die, fato conceſſit. Similia alia exempla interdum occurrunt. Sed quamuis mors tunc licet obueniens poſſit ad ſpecialem Dei fauorem, & prouidentiam peculiarem, ad pietatis ſpecialis remunerationem referri; vt tamen ea prouidentia contineant decreto antecedenti ea quo mors inferatur abſque exiſtentia cauſarum naturalium, nihil eſt quod perſuadeat. Affiniſque eſſe debet reſolutio de morte trium Dominarum, Baſiliæ, Aofridæ, & Euæ, quæ Becci in Normannia addixerant ſe diuino obſequio. [Et quaſi condixerunt ſibi, vt de hoc mundo vna poſt aliam tranſirent, & tres Dominicas elegerunt, in quibus vitam finirent.] Verba ſunt Chronici Beccenſis anno 1089. Et euentus non defuit; nam Aufrida obijt Dominicâ 4. Non. Ianuarij. Mox obijt Baſilia, aliâ Dominicâ 16. Cal. Febr. Eua, tertiâ Dominicâ 10. Cal. Febr. viuendi finem fecit. Sic igitur hæ tres Dei ancillæ, tribus Dominicis vti condixerant, migrauerunt, Aufrida, noctis parte prima; Baſilia, nocte media, cum cantaretur matutinum: Eua manè, cum recitaretur prima. Agnoſcenda

cendam videtur Dei ad preces harum ſanctarum matronarum, ſtatuen vitæ earum ſuccidentis diſpoſitiu, in fauorem vt ſic dicam pietatis, eam ſibi remunerationem obſequiorum depoſcentis; abſque decreto tamen antecedenti ex præfinitiua Dei voluntate lato. Omnes igitur hos euentus, ſecernendos puto ab anterioribus, in quibus antecedens illud decretum admiſi.

PVNCTVM III.

RECTE'NE CHRISTVS Dominus iis annumeretur, quorum vitæ ac mortis terminus eſt Deo antecedenter conſtitutus.

SICVT Chriſti Domini vita mortalis fuit pretioſiſſima, & Deum ſpecialiſſimam eius prouidentiam habuiſſe, dubitare non licet, (id quod etiam de Chriſti morte tot bonorum feraci eſt pronunciandum:) ita antecedenter fixos à Deo eſſe, vitæ ac mortis Chriſti terminos, non nemo certum habuit.

Terminum vitæ Chriſti, antecedenter à Deo fixum eſſe, quorundam ſententia.

I. INſinuant partem affirmantem variæ ſcripturæ, quibus dicitur, Chriſtum ſeriùs traditum eſſe in manus impiorum, vt vita ſpoliaretur; *quia nondum venerat hora eius*, vt videre eſt c.7.& 8.Ioan.apud quem etiam c.13. dicitur, *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*. En *hora eius*, id eſt ei præſtituta & prædefinita à Deo, ad mortem oppetendam. Nec aliud voluiſſe Chriſtum Ioannis 11. cum dehortantibus diſcipulis ne in Iudæam regrederetur, reſpondit, duodecim eſſe horas diei, probatior & literæ cohærentior interpretatio fert, quam ibi paucis attigit Rupertus; dilucidiùs autem expreſſerunt Maldonatus atque Toletus. Locus eſt cuius ἀκολουθίαν pleríque minùs deprehendunt. Itaquè iuuat eam attingere. Cum ergo Chriſtus occaſione nuncij de Lazari ægritudine, quam morte concluſam eſſe non ignorabat, vellet iterum in Iudæam tendere, ſolliciti pro Magiſtro ac pro ſeipſis Diſcipuli, impendens vitæ diſcrimen, quod ægrè paulò ante in feſto Encæniorum euaſerat, opponentes, obſtare regreſſui voluerunt. Sed repoſuit Chriſtus, nondum aduenisse mortis ſuæ tempus, nec inſtare vitæ finem: proindeque ſecurè, & ſe, & ipſos ire poſſe in Iudæam iterum. Adhibita autem metaphora expouit, nondum præſens eſſe diſcrimen. Eſt enim ſpatium diei vſualis, certum ac ſtatum, quod minui nequeat; conſtat quippè horis duodecim; intra quod totum tempus ſi quis ambulet, non impingit, quia lucem huius mundi videt: atque adeò agnoſcens quo loco pedem ponat, abſque offenſione incedit. Similiter ergo, ait Chriſtus, conſtitutum ſibi eſſe à Patre certum tempus, quo ambulare, id eſt, viuere vitam à qua viatores dicimur, & commiſſum à Patre munus procurandæ ſalutis animarum exequi deberet. Tempus illud, eſſe diem ſuum, intra quem quamdiu duraret, poſſet abſque damni periculo, tendere quo luberet. Et quamuis exigua eius diei ſupereſſet portio, nec nox ſiue conſtitutum morti punctum temporis procul abeſſet; tamen adhuc ſupereſſe illius temporis partem aliquam, & velut horam diei duodecimam, quà donec compleretur, poſſet ſecurè in Iudæam ire, & tutò ipſi diſcipuli Magiſtro eunti comitari. Nam antequàm vitæ ſuæ terminus à Patre præfinitus ac veluti vitam excipiens nox adueniret, progreſſionem fore indemnem, non ſibi tantùm, ſed & ipſis quibus vita ſua durans, veluti ſol eſſet, cognoſcens occaſum ſuum, & quando is eſſet conſtitutus proſpiciens. Hoc ibi voluit Chriſtus cum ſe lucem mundi dixit; id eſt ſolem, in cuius luce tutò inceditur. Nec enim antequàm plenè effluxiſſet conſtitutum ſibi à Deo vitæ tempus, & antequàm vitæ ſuæ nox, id eſt mortis hora à Deo prædefinita adueniſſet, mortem ſibi, aut diſcipulis ex comitatu Magiſtri periculum ingruere poſſe, ſignificabat. Et ſimile reſponſum dedit Chriſtus Lucæ 13. admonentibus vt fugeret ab Herode, quærente ipſum morti dedere. Reſpondit enim Chriſtus, nihil eſſe à volpinante Herode periculi, ante tempus mortis à Patre decretum. *Dicite* (inquit) *vulpi illi, ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodiè, & cras, & tertia die conſummor: Verumtamen oportet me hodie & cras ac ſequenti die ambulare*. Senſus eſt, quamuis edam opera illuſtria quæ Herodis æmulationem ac timorem excitent, tamen nemo poteſt vitam mihi ante tempus à Patre præſtitutum eripere. Hoc autem tempus nondum aduenit. Adhuc hodie, & cras eiicio dæmonia, & ſano ægritudines, cæteraque opera ad munus mihi à Patre concreditum opportuna perficio, quia nondum exactum eſt præfinitum mihi vitæ ſpatium. Itaque frendeat, & vafrè quantum volet, agat Herodes; nihil adhuc eſt periculi, nec eſt cur fugiam.

II. Explicatiſſimè idem Lucas Act.2. eundem de præfinita Chriſto vltima vitæ hora ſenſum his verbis proponit ex ore S.Petri. *Hunc*, Chriſtum, *definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemiſtis*. Et c.4. diſcipuli oratione ad Deum verſa. *Conuenerunt verè in ciuitate iſta*. Hieruſalem, *aduersùs ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſraël, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri*. Spectant iſta quidem proximè & immediatè ad paſſionem Chriſti, quam Deus antecedenti decreto ſanxerit: tamen eo ipſo quod paſſio Chriſti antecedenter prædefinita eſt à Deo, mors quoque & terminus vitæ Chriſti eidem prædefinitioni antecedenti ſubiacuit. Et eodem modo illi prædefinitioni aſtipulantur Patres, apud quos paſſim celebratur decretum Dei antecedens, (hoc eſt ex ipſius Dei voluntate conceptum, nec in humana Chriſti poteſtate dimiſſum) de redemptione hominum per mortem Chriſti, etiam quoad temporis ac loci circunſtantias à Deo prædeterminatam.

Sunt in hac ſententia benè multi, prædefini-

tionum diuinarum, non modò immanentium, ſed etiam mouentium patroni, qui vt grauis Theologus Nicolaus Magnienus expoſtulabat, adeò ſolliciti fuerunt de validè firmanda, ac ineluctabiliter illiganda humana voluntate, & omnibus ad hominem, ac inferiora quæque attinentibus; vt etiam minutiis adiunctorum quorumcunque, compedes prædefinitionum iniecerint, ne fortè elaberentur. Verebantur ſcilicet, ne diuina præſcientia & prouidentia, ſubſidio pluſquàm adamantinatum præmotionum, ex diuinis prædefinitionibus manantium deſtituta cœcutiat, & nutet, incerta vbi pedem figat. Quod itaquè ab his Authoribus de re quacunque futura ſtatuitur; minùs mirum eſt extendi ad terminum vitæ ac mortis Christi Domini, vnde tanta bona humano generi, & tantus diuinæ gloriæ prouentus expectabatur.

Contraria ſententia, approbatur.

III. NOn adſcribor huic doctrinæ, quia neque ſatis ſolidis fundamentis innititur, neque à grauiſſimis difficultatibus, quibus grauatur, expediri ſufficienter poteſt. Eſto enim, prædefinitio diuina purè immanens, cohærere rectè poſſit cum facultatis liberæ expeditione ad alterutrum; nec rei prædefinitæ contingentiam euertat; tamen prædefinitio diuina mouens, quam ij cum quibus agimus, circa terminum vitæ Chriſti, & actiones quibus poſitus eſt interueniſſe admittunt, contingentiam termini prædicti, & actionum quibus Chriſto obtigit, planè exſcindunt. Nam Deo aliquid ex ſe præfinienti, & robuſtiſſimè, vt ponatur, adigenti; quis obſiſtet? Diſſero in hanc rem vniuersè, in Morali diſt. 1. q. 3. artic. 5. quoad mortem verò Chriſti, in tractatione de Iuda cap. 10. à num. 10. vbi fusè confirmaui, neque proditionem Iudæ, neque actiones impiorum illorum qui mortis Chriſti cauſæ fuerunt, à diuino vllo decreto antecedente manaſſe. An enim Deus poteſt ex ſe & antecedenter velle, (præſertim potenter mouendo & vrgendo cauſas ſecundas) actus malos, queis ſupplicia conſtituit?

IV. Argumentatio eſt S. Leonis ſerm. 16. de paſſion. Tractans enim verba adducta ex c. 4. Actuum, de iis aduersùs Chriſtum patratis in Hieruſalem quæ manus Dei & conſilium decreuerunt fieri, ſic habet. [Numquid iniquitas perſequentium Chriſtum, ex Dei orta eſt conſilio; & illud facinus quod omni maius eſt crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt, quia multùm diuerſum, multúmque contrarium eſt, id quod in Iudæorum malignitate præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non inde proceſſit voluntas interficiendi vnde moriendi; nec de vno extitit ſpiritu, atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit: nec præſciendo quod faciendum eſſet, coëgit vt fieret, cum tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet vt fieret.] Hæc ipſa argumentatio in hanc rem, eſt etiam Proſperi ad 12. capitulum Gallorum, & ad quintam obiectionem Vincentianam, & aliquot ſequentes; Fauſti lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 3. Eccleſiæ Lugdunenſis l. contra Ioannem Scotum circa caput eius quintum. Itaque cum proditio Chriſti qua terminus vitæ eius condictus eſt, & eiuſdem proditionis executio, ac mortis irrogatio, quibus vitæ finis, & mortis initium Chriſto obtigit, actiones fuerint ad ſcelerum verticem prouectæ, & (vt eruditus Cyprianus ſerm. de paſſion. Domini loquitur) *peccata peccatorum*, non potuerunt à Deo ex ſe decerni, & prædefiniri, præſertim prædefinitione mouente & impellente cauſam, ad executionem tanta ſceleris atrocitate ſordentem: quia Deus cum ſit mundiſſimus, reſpicere ad iniquitatem non poteſt; id eſt non poteſt eam approbare, aut vllo modo ex ſe velle; alioqui Deus prædeſtinaret ad malum; quod Conc. Arauſic. 2. c. 25. cum omni deteſtatione ſub Anathemate damnat, latéque reijciunt Tertull. 2. contra Marcio. à c. 5. ad 10. & lib. de exhortat. ad caſtit. c. 2. ac Fulgentius l. 1. ad Moninium, & ex Recentioribus Staplet. s 1. de iuſtif. Feuard. dialog. 2. à cap. 7. ad 12. & in appendice ad Caſtrum V. *Adam.* hær. 4.

V. Quo item facit egregia obſeruatio Ruperti, admonentis, non eſſe in Deo voluntatem mali, quamuis illud permittat: contra quàm viſum eſſe ſcribit Gulielmo Epiſcopo Catalaonenſi, & Anſelmo Laudunenſi, aſſerentibus Deum voluiſſe malum fieri, vnde admittebant, voluntatis Dei fuiſſe, vt Adam præuaricaretur: quod colligebant ex culpæ permiſſione, Deo ab omnibus tributa. Ita refert Rupertus l. 1. in regul. S. Bened. & l. de voluntate Dei, quanquam l. de Omnipot. Dei cap. 26. purgat Anſelmum Laudunenſem. Demonſtrat itaque latè Rupertus, Deum non voluiſſe malum culpæ, nec eam volitionem ex permiſſione rectè colligi; quandoquidem etiam Deus vult permiſſionem culpæ, non tamen culpam ipſam. Nam vt ipſe rectè expendit, libro illo de volunt. Dei, c. 3. duo illa obiecta valdè differunt. Permiſſio ſiquidem, aliud non eſt, quàm non impeditio, quæ verè cadit ſub Dei voluntatem, non autem obiectum illius non impeditionis ſiue culpa. Et rectè idcirco l. de Omnipot. Dei c. 20. negat, cum de malo culpæ agitur, licere coniungere verbum *vult*, (ſi de Deo ſit ſermo,) cum hoc infinitiuo quod eſt *fieri*; ſed tantùm admittit dici poſſe, *Deum velle ſinere, malum illud fieri.* Quia hoc duntaxat eſt velle non impeditionem culpæ, abſque culpæ ipſius volitione. In quam rem alia addi poſſunt ex Scoto in 1. d. 47. q. vnica *litera B.* ac Gerſone lect. 5. de vita ſpirit. & Tertulliano l. de exhortat. ad caſtit. c. 3. Tradit idipſum diſertiſſimè S. Auguſtinus variis locis, & nominatim cap. 100. Enchir. Miror verò, S. Auguſtinum malè intellectum à Ruperto l. 1. in regul. S. Bened. minùs reuerenter haberi quoad hoc negotium; ita vt cum D. Auguſtini autoritate vrgeretur Rupertus extimuerit dicere, B. Auguſtinum cum alia pleraque retractarit, hoc quoque retractare debuiſſe. Hoc Rupertus minùs prudenter ſcripſit; enim D. Auguſtinus, eo ipſo loco qui negotium Ruperto faceſſit, agnoſcat Deum nolle malum; ſinere tamen malum fieri; & planè velle id ſinere, hoc eſt nolle impedire, quæ eſt prorſus ſana & orthodoxa doctrina.

VI. Cum ergo oculi Dei ſint mundiſſimi ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſit, ſtatuendum planè eſt, Deum ex ſe & antecedenter, non prædefiniuiſſe actiones impiorum quibus Chriſtus letho datus eſt, & vitæ finem accepit: atque adeò neque ipſum terminum vitæ Chriſti prout ex illis actionibus oriendum;

qua

qua tamen ratione ſpectandus eſt, ſi prædefinitio ad rem vt exercitam, & omnes eius circumſtantias phyſicas terminetur, vt volunt qui pro prædefinitionibus diuinis ineluctabiliter mouentibus ſatagunt. Ac ne illos quidem approbandos puto, qui prædefinitionem tantùm immanentem mortis Chriſti,aſtruere ſolliciti, dixerunt,mortem ac paſſionem Chriſti præfinitam tantùm eſſe in ratione paſſionis,quæ non inuoluit intrinſecè malitiam,vt ſupponitur. Sic Suares lib. 2. de concur. Dei c.5.n.15. Aliis viſum eſt mortem & paſſionem Chriſti præfinitas duntaxat eſſe generatim, & in communi, prout ſcilicet cauſandas ab impijs; non tamen his aut illis. Vtrumque dicendi modum reieci in tractatione de Iuda.c.10 n.18. Et præiuerunt, cum alij adducti agendo de diuinis decretis & prædefinitionibus 1.p.q.19. & 23. tum nominatim Leſſius tract.de prædeſtin. Angelor.& Hominum à num.18. & lib.de ſummo bono, num.185.

VII. Nobis hoc loco non eſt neceſſaria penitior diſcuſſio, prædefinitionis iniquorum operum quibus Chriſtus eſt letho datus: ſed tantùm termini vitæ Chriſti, & momenti, quo erat illi moriendum. Hoc ergo momentum, nego antecedenter ac ex ſe fuiſſe à Deo delectum. Nec id ferunt verba illa Euangeliſtarum, quibus aſſeritur Chriſtum non fuiſſe tunc tentum,quia nondum venerat hora eius. Quin potiùs *hora eius*, vt Caietanus Ioan.13.optimè dixit,ſonat horam quæ fuit in Chriſti poteſtate, & ab ipſomet vltrò ac liberè delecta eſt, ponendo nemine auferente animam ſuam, quia ipſe voluit & quando, ac quomodo, & vbi voluit. Iſtáque fuit D. Auguſtini mens tract. 31.in Ioan.cum dixit,horam eius, fuiſſe voluntatem eius, qua cum non cogeretur mori, dignaretur occidi. Scitè S. Auitus Epiſtola 3. [Nemo ſic ineptus reputandus eſt, vt iſtud quod dixit. *Nondum venit hora mea*, velut errore Gentili conſtitutis velit fatalibus applicare. Ad intelligendum horæ illius myſterium, diſcretionem potiùs requiri conuenit, quàm decretum, cùm ipſa quoque noſtræ mortalitatis conditio non eligatur, ſed omnis ſtatus noſtri neceſſitas, gubernatoris perpetui ſit voluntas; quanto magis Chriſtus, qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, nullo ſe fati voluit implicari præſcripto? Sed cum venerit ſubeundi hora patibuli, apparebunt cœleſtia quæ Pater genuit, & corporea quæ aluus effudit.] Ita S. Auitus exponit reſponſum Matri in Cana à Chriſto datum, diſtinctionem Deitatis miraculorum patratricis à Patre acceptæ, & humanitatis à Matre collatæ, & in Cruce morituræ inſinuatam eo reſponſo exiſtimans, & apertè Diuo Auguſtino conſentiens,de Chriſti hora,id eſt eius voluntate. Accuratè id exponit Maldonatus Ioan.7.num.30. Quare definitum conſilium Dei, & decretum vt fierent quæ patrata ſunt circa hominum redemptionem,quorum mentio eſt Actor. 2. & 4. ita accipi debent, vt cum in Chriſto liberum delectum mortis ſuæ, & circumſtantiarum eius non tollant. Atque ita ex iis quæ de Chriſto traduntur in Scripturis aut Patribus,nihil habetur quo antecedenter à Deo facta terminorum vitæ & mortis humanæ præſtitutio aſtruatur.

PVNCTVM IV.

NVM ROMANI PONTIFICES ijs ſint accenſendi, quorum vita & mors certo termino diuinitùs antecedenter fixo concluditur.

DEVENIMVS ad *antiquam concertationem, & monſtruoſam calamitatem, cuius ratio ſæpè quæſita,nec tamen ſatis inueſtigata.* Verba ſunt Roderici Zamorenſis lib.2. ſpeculi vitæ humanæ cap.4. In hanc concertationem deſcendere nos quoquè adigimur, quia non nemo cenſuit, hinc ſtabiliri decretum antecedens de fixo diuinitùs, vitæ noſtræ ac mortis termino.

Omnes poſt S.Petrum ſummi Pontifices, mortui ante annum Sedis 25.

I. NEminem ſucceſſorum S.Petri æquaſſe in Pontificio munere, annos quibus Apoſtolus egit Romæ Pontificem, hactenus experimento perpetuo eſt comprobatum. Exegit in Romana ſede S.Petrus, annos quinque ſupra viginti, quot nullus poſteriorum Pontificum, eius ſucceſſorum attigit, per tot ſæcula. Nam Adrianus I. qui omnium diutiſſimè sediſſe fertur, annos duntaxat viginti tres, menſes decem, & dies ſeptemdecim Pontificij muneris numerauit. S. Leonem I. annos 25. pontificatus expleuiſſe, affirmat Rodericus Zamorenſis lib.2. ſpeculi vitæ humanæ, c.5. ſed hallucinatur. Sedit enim duntaxat annis viginti & vno, minùs diebus triginta duobus. Fuerunt qui S. Sylueſtro plures pontificiæ rectionis annos adſcripſerint. Nimirum aliqui annos pontificij S.Sylueſtri numerarunt quatuor ſupra viginti cum aliquot menſibus. Et multò amplius annos pontificatus eiuſdem S. Sylueſtri diffudit S. Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronico, tribuens S. Sylueſtro, octo ſupra viginti annos exercitij pontificiæ poteſtatis. Apud alios ex deprauata lectione auctarij S. Hieronymi ad Chronicum Euſebij, tribuuntur S. Sylueſtro anni pontificatus vndeuiginti. In codice autem per Pontacum reſtituto, numerantur viginti duo: cui Chronographiæ ſubſcribere, videtur Baronius anno Chriſti 336.aſſignans S.Sylueſtro ſedis Pontificiæ annos viginti & vnum, menſes vndecim, vno minùs die. Videtúrque hic numerus annorum Pontificatus S.Sylueſtri, ſtabiliri, ſubducto ritè ingreſſu S.Sylueſtri, & ſubrogatione S. Marci in eius locum. Atque ita S. Sylueſter procul fuit à duratione S. Petri in ſede Romana. Benedictus XIII. qui eam ſedem iniuit anno 1394. & obijt anno 1424.multò diuturniùs hæſit in ſede Pōtificia quàm S.Petrus. Sed non idcircò conuellitur quod præmittebam, de breuiore Pontificatu ſucceſſorum S.Petri, quàm fuiſſet ipſius S. Apoſtoli. Benedictus enim non erat legitimus Pontifex, ſe intruſus. Id quod S Antoninus, & alij probant ex Pontificatu eius diuturniore, quàm

fuiſſet S. Petri. Quod tamen non eſt bonum argumentum vt rectè vidit Henricus Spondanus, anno Chriſti 1424. num. 3. Et quamuis Benedicti ingreſſus, vt aliqui ſubmurmurant, fuiſſet legitimus, tamen in progreſſu, priuſquàm ad annos ſedis S. Petri pertigiſſet, verus Pontifex eſſe deſijſſet. Nam Concilium Conſtantienſe, adactum neceſſitate tollendi ſchiſmatis in quo tres ſimul pro Pontificibus ſe gerebant, Gregorij XII. & Ioannis XXIII. vltroneam renuntiationem admiſit, & Benedictum depoſuit, eum nullius eorum ius eſſet liquidum, ita vt non ſupereſſet tergiuerſationi locus. Itaquè creauit Martinum V. anno 1417. à quo tempore, Pontificatus Benedicti (qualiſcunque priùs fuiſſet) euanuit. Numeratis autem annis ſedis eius ab ingreſſu, vſque ad depoſitionem, tantùm abeſt, vt Pontificatus Benedicti æquauerit vel ſuperauerit annos Pontificatus S. Petri, vt ne ad eos quidem pertigerit. Nullus igitur poſteriorum Pontificum, tot annis in Romana ſede hæſit, quot S. Petrus. Vnde illud de nouo Pontifice vulgo iactatum, non ex aliquo libro rituali, ſed ex populi voce, *Non videbis annos Petri.*

II. Scribens de hoc argumento ad Alexandrum II. Petrus Damiani opuſc. 23. ingenuè fatetur, neminem Pontificum qui S. Petro in Pontificis ſede ſucceſſerunt, annos quibus S. Petrus Romæ ſedit, attigiſſe. Imò addit, quo tempore ipſe hæc ſcribebat, notatum eſſe à pleriſque annis, vix vllum Pontificem, vltra quatuor, vel (vt multùm) vltra quinque annos vitam protraxiſſe, poſt initum Pontificatum. Non debet videri Petrus Damiani, terminis admodùm arctis vitam Pontificum Romanorum concluſiſſe, eum intra quinquennium ſuo tempore omnes ferè cecidiſſe ait. Plerique enim, & eo anteriores & poſteriores, longè breuius vitæ ſpatium in eo honorum culmine ſunt nacti. Ex Antiquis Anterus, Lucius, Sixtus, Euſebius, Anaſtaſius, Bonifacius, Gelaſius, vix annum integrum S. Petri cathedram tenuerunt. Agapitus primus, & Lucius 2. ad menſes vndecim duntaxat inſedere eidem throno. Leo 2. & Benedictus 2. & Alexander 5. nonniſi per menſes decem. Clemens 2. & Bonifacius 1. tantùm per menſes nouem. Vno menſe minùs, vixere in Pontificatu, Marcus eo nomine vnicus & Ioannes 14. ac Ioannes 20. Tantùm per ſeptimeſtre Stephanus X. Stephanus verò 4. & Leo 6. duntaxat per ſemeſtre ſederunt ad clauum Eccleſiæ. Adhuc vno menſe minùs, rexerunt Eccleſiam, Cœleſtinus 2. Innocentius 5. & Cœleſtinus 5. Nonniſi quatuor menſibus Pontificium tenuere Ioannes 16. & Ioannes 17. Noſtra memoria Innocentius 9. menſes duntaxat duos, egit Pontificem. Vno duntaxat menſe, durarunt in ſede Petri & Chriſti Vicariatu, Valentinus eo nomine vnicus, & Leo 5. Adrianus 5. & Gregorius 8. Ne menſem quidem continuarunt Pontificatum aliqui; Nam Leo XI. obijt die vigeſima ſeptima initi muneris; Pius 3. die 26. Damaſus 2. die 23. Marcellus 2. die 21. Siſinnius eo nomine vnicus die vigeſima, Cœleſtinus 4. die 17. Bonifacius 6. die 15. Vrbanus 7. die 7. Stephanus 2. die 4. Deſino mirari, ſi S. Bernardus Epiſt. 236. Eugenium 3. ſuæ citæ migrationis admonebat, ad tam modicum tempus dominationis prædeceſſorum, paucitatem dierum ſuorum nuncianrium ipſi Eugenio, & clauum à Petro Damiani adactum, alio clauo trudo; Mirabatur enim quod ſuo tempore Pontifices, ferè vltra quadriennium, aut ad ſummum vltra quinquennium, vitam in Pontificatu non protenderent, cum tam multi proximè elapſi, arctioribus finibus Pontificatum ſuum concluſerint. Et quidquid ſit de his quos notauimus certum eſt longiſſimo experimento, neminem, planè inquam neminem Pontificum poſt S. Petrum, æquaſſe annos quibus Petrus ſedem Romanā tenuit nec ad annum 25. ſedis pertigiſſe vt Damiani rectè agnoſcit. Vnde ſibi *prodigialem* (vt ait) *ſtuporem* obortum non diſſimulat; quandoquidem in nulla alia orbis Eccleſia, Pontificis vita adeò arctis limitibus concluditur. Sed & Imperatores ac Reges, paſſim, ad longè vlterius ſpatium, vitam diffundunt, poſtquàm ad Imperij aut Regni clauum ſederunt. Soli Pontifices Romani, poſt aditam Pontificiam dignitatem, ad annos viginti quinque non pertingunt, vt experimento tot ſæculorum eſt deprehenſum.

III. Huius periodi Romani Pontificatus, cauſam aliqui referunt, in deuexam ætatem eorum qui eliguntur in Pontifices; vt mirum non ſit, ſi homines iam admodùm annoſi, deinceps ad annos quinque ſupra viginti non pertingant. Hæc tamen difficultatis propoſitæ eliſio non eſt idonea; neque enim omnes qui in Romanos Pontifices electi ſunt, ſenio grauabantur, cum ſunt electi; ſed pleriſque ætas erat adhuc florens, & vires firmæ, ita vt facilè poſſent ab initio Pontificatus vitam producere vltra annos viginti quinque. *A potentatibus* enim, id eſt ab hominibus robuſtæ, ac viuidæ compoſitionis, ſatis frequens eſt, attingi annum octogeſimum, vt Dauid quoque Pſalmo 89. cecinit. Itaque non pauci Pontifices valentes ac vegeti, qui circiter quinquagenarij ſunt in Pontifices aſſumpti, facilè potuiſſent ad octogeſimum vitæ annum poſt aſſumptionem pertingere, atque adeò durare in Pontificatu vltra annos viginti quinque. Imo aliquando electi ſunt in Pontifices, nonnulli admodùm iuuenes vt Ioannes XII. & plerique violentia Tuſculanorum Comitum electi; qui etiamſi ætate non admodùm deuexa obijſſent, facilè potuiſſent in pontificatu hærere vltra annos viginti quinque. Superiore ſæculo Leo X. electus eſt natus annos triginta ſeptem; qui citra notabile ſenium, potuiſſet ſuperſtes eſſe vltra annos quinque ſupra viginti ab initio pontificatu: obijt tamen octauo poſt anno, cum florenti eſſet ætate, & habitu corporis præcellente, ita vt putaretur ad annorum tricenarium ſuperfuturus. Quamuis igitur plerique Pontificum, non ſint per inclinatam iam ætatem prohibiti exigere in ſede Pontificia annos viginti quinque, nullus tamen fuit qui poſt aſſumptionem in Pontificem, vitam prorogarit ad tot annos. Itaque eliſio difficultatis propoſitæ petita ex ætate deuexa eorum qui in Pontifices eliguntur, non eſt accommodata.

* * *

Antecedens Dei decretum de morte ſucceſſorum S.Petri, ante annum ſedis 25. ex coniectura experientiæ adeo diuturnæ, ſuaſum.

IV. HInc ſuaderi videtur, agnoſcendum eſſe antecedens Dei decretum de tali termino vitæ Romanorum Pontificum. Quod enim in tanto ſtudio prorogandæ vitæ quantum ea vſu eſt erga Pontificum perſonas adhibere, nemo, etiamſi aſſumptus ad Pontificium munus, ætate adhuc florens, ac viribus integris, quos facilè fuiſſet citra miraculum, vitam ad annos viginti quinque protendere, ad eam annorum periodum ſeipſa pertigerit, ſed omnes antea ſint defuncti, non videtur caſui tribuendum. Indicium itaque ſuppeditatur, obicis alicunde appoſiti, prorogationi vitæ Pontificum ad eum vſque terminum. A quo autem obex ille fingi poteſt appoſitus, niſi à Deo, qui antecedēter, ex mero ſuo beneplacito, edixerit vt nemo Pontificum vitam retineret ad annum viceſimum quintum? Vnde non poteſt peti firmum argumentum diuinæ iræ aduerſùs Pontifices. Neque enim exiſtimandum eſt, omnes qui ea diuino decreto antecedente ſucciduntur, à Deo ob culpas exaſperato ſuccidi, vt patet de illis qui prouidēte Deo rapti ſunt, ne malitia mutaret intellectū eorum. Quinimo plerique ex ijs quos aquarum eluuio vniuerſalia poſt annum centeſimum viceſimum, à Noëmo, præſcribente Deo denunciata abſorbuit, innoxij fuerunt; nec ſunt ea communi calamitate inuoluti ob peccata quæ admiſiſſent. Ita enim certum eſt de infantibus, inter quos plerique erant à peccato originis iam mundati per remedium legis naturæ; ac proinde abrepti ſunt prorſus immunes à quocunque peccato. Quanquam verò dici poſſet, in filiis tortam fuiſſe paternam impietatem, iuxta ea quæ habet Saluianus ad calcem operis de prouidentia: ac etiam quia inſtituente natura, plus ferè filios, quàm ſeipſum diligit pater, vt Latinus Pacatus in panegyrico diſſerit, ex quo efficitur, acerbiorem eſſe patris in filio cruciatum, quàm ſi in ſeipſo plecteretur; vt latè confirmat Faber 3. ſemeſtr. cap. 8. Tamen ipſi filij per ſe ſpectati, erant innoxij, nec dedebantur letho ad diuinæ in eos vindictæ expletionem; quod ſufficeret, vt ſimpliciter negaremus, præmaturè abreptos Pontifices, ob ſua peccata ſublatos eſſe; cum eſſe poſſent erepti, quia ijs dignus non erat mundus, vt de S. Anaſtaſio I. dixit S. Hieronymus, epiſt. 16. Quinetiam adultos pleroſque ex ijs qui generali diluuio perierunt, citra peccatum, cui Deus tantam pœnam rependerit, periſſe, ſententia fuit Caietani in cap. 7. Geneſeos, quam eruere conatur ex 1. Petr. 3. vbi de Chriſti prædicatione in carcere ad eos qui increduli fuerant in diebus Noë. An tamen ea, Caietani ſententia ſatis cohæreat cum verbis Dei de cauſa inferendi diluuij, & cum verbis Chriſti Lucæ 17. omnes tunc præter Noë ac ſuos damnantis inſignis nequitiæ, & idcirco exciſos ſignificantis, alibi expendendum eſt, idque fusè facit Pererius l. 9. in Geneſ. diſp. 3. Vtut ſit, pono vt certum, etiamſi Deus diceretur antecedenti decreto concluſiſſe vitam Romanorum Pontificum intra terminos de quibus agitur; non rectè inferri, quod ita edixiſſet in vltionem peccatorum, quibus Pontifices inquinarentur. Poſſet enim ex mero ſuo beneplacito, ita edixiſſe.

Eius decreti ferendi, congruentiæ ex parte fidelium.

V. NEc deeſſent optimæ cauſæ morales, Deum mouentes ad eos terminos vitæ ſummorum Pontificum præfigendos. Egregia eſt quam ſubminiſtrat Petrus Damiani opuſc. 24. ſcribens de hoc ipſo argumento ad Alexandrum II. (perperam enim à Roderico Zamorenſi allegante eum Petri locum l. 2. ſpeculi cap. 4. pro *Alexandro*, adductus eſt *Honorius*.) Ad Alexandrum ergo ſcribens Petrus Damiani, nec admodùm obſcurè adhærens ſententiæ quæ prædefinitum à Deo terminum vitæ Pontificum affirmat, ſic loquitur. [Videtur nobis, quia idcircò hoc indicij cœleſtis ordo diſponit, vt humano generi metum mortis incutiat; & quàm deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo gloriæ principatu euidenter oſtendat: quatenus dum præcipuus hominum, tam anguſti temporis compendio moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandam ſui obitus cuſtodiam prouocetur, & arbor humani generis dum cacumen ac verticem ſuum tàm facilè corruiſſe conſiderat, flatu concuſſa formidinis, in ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.]

VI. Negat autem mox ibidem Petrus Damiani, parem videri debere rationem ſecularium Principum, puta Regum & Imperatorum: quaſi ipſi quoque deberent à Deo ſuccidi intra anguſtum tempus, ad colligendum fructum prædictum. Eſt enim longè diſpar, horum, & ſummorum Pontificum ratio. [Quia cum vnus omnī mundo Papa præſideat, Reges autem plurimos in orbe terrarum, ſua cuiuſque regni meta cōcludat, quia quilibet Imperator ad Papæ veſtigia corruit, tanquàm Rex Regum & Princeps Imperatorum, cunctos in carne viuentes, honore ac dignitate præcellit. Vnde quolibet Rege defuncto, adminiſtratione eius, regnum tantummodò cui præerat deſtituitur: cùm verò ſedis Apoſtolicæ Pontifex moritur, vniuerſus tanquam communi patre mundus orbatur. Quid enim Africa de Regibus Aſiæ, aut quid Æthiopia de Principibus ſentit Heſperiæ? Nam ſiue moriantur, ſiue viuant, quia procul à ſe remoti ſunt, vtrumque indifferenter ignorant, &c. Porrò quia terreni Principes regni ſui quiſque, (vt dictum eſt) limitibus includuntur, cauſa non eſt, cur per alienas mundi prouincias eorum obitus diffundatur. Papa verò quia ſolus eſt omnium Eccleſiarum vniuerſalis Epiſcopus, cum luce priuatur, mors eius per ampla terrarum regna diffunditur. Et ſicut ſol, quia ſolus lucet, ſi Eclipſim fortè ſuſtineat, præſtò neceſſe eſt vt tenebras totus vbique mundus incurrat; ſic Papa cum ex hac vita recedit, illicò quia vnus in mundo eſt, longinqua regnorum ſpatia, mortis eius fama percurrit: & conſequens eſt, vt quos tam ſublimis ſingulariſque perſonæ caſus obturbat, propriæ quoque vocationis cattum tremefactis viſceribus expaueſcant. Vbi notandū, quàm velit omnipotens Deus Romani Pontificis vitam hominibus in ædificatione prodeſſe; cuius etiam mortem, decreuit ſaluti gentium miniſtrare. Quanto ſtudio debet lucri animarum dum ad viuit inſiſtere, cuius etiā mors prouidetur

prouidetur ad Creatorem ſuum animas hominum reuocare; vt dum ſe Patrem orbis eſſe conſiderat, ab inculcanda tot filiis hæreditate, deſidia non torpeſcat? De fructu in pectoribus fidelium capiato à Deo ex hac veluti ſemente, ſatis poteſt ex dictis liquere.

Alia congruentia, ex parte Pontificis.

VII. IN eo autem qui eligitur in Pontificem, hæc ipſa anguſtorum vitæ terminorum præfixio, cum inſignem fructum ingeneiat, quod docetur, quam ſit caducus ſummus ille gradus honoris quem ſubit. Permagni enim intereſt ita admoneri in tantæ dignitatis aditu nouum Pontificem, vt fiat ventis pondus. Eugenium 3. anteà alumnum ſuum, hinc admonebat S. Bernardus Epiſto. 237. [In omnibus (inquit) operibus tuis memento te eſſe hominem; & timor eius qui aufert ſpiritum principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes, tuis oculis aſpexiſti? Ipſi te prædeceſſores tui, tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant? & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Iugi proinde meditatione, inter huius tranſeuntis gloriæ blandimenta, memorare nouiſſima tua; quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.] Monitum omnibus humana faſtigia occupantibus, congruentiſſimum. Ea ſanè ex cauſa, Romani, triumphantem commonebant caducitatis gloriæ humanæ cuiuſcunque, vt his verbis tradit Tertullianus cap. 30. Apolog. [Hominem ſe eſſe, etiam triumphans, in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, *Reſpice poſt te, hominem memento te.*] Sanctus item Hieronymus Epiſt. 25. tractans illud, 2. Cor. 12. *ne magnitudo reuelationum extollat me*, eiuſdem moris his verbis meminit. [Ad reuelationum humiliandam ſuperbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per ſingulas acclamationes ciuium, dicens, *hominem te eſſe memento.*] Suggerebat verò id carnifex, eidem vectus curru, vt S. Iſidorus l. 18. Orig. cap. 2. & ex Zonara Onuphrius in opere de triũpho expreſſit, inſinuátque Plinius l. 28. c. 4. Non fuiſſe eam monitionem incongruam, euerſiones multorum è ſummo vertice, ſæpè demonſtrarunt, vt Seiani, Plautiani, Galli Cæſaris, Ablauij, & recentiore memoria Aluari de Luna apud Marianam lib. 22. hiſtor. c. 13. Engoerrani, & iuxta multos B. onichildis Reginæ apud Gallos. Videndus in hanc rem Helladius apud Photium Cod. 866. & Ammianus l. 14. ibique Gloſſator. Hoc ipſo conſilio, Græci vt Pontifices ſuos ſublimiores, admonerẽt caducitatis honorum quorumcunque, mox ab electione, ſubmittebant ad eos ſepulchrorum artifices cum variis marmorum fragminibus, data optione è quo marmore vellent ſibi ſepulchrum apparari, vt eſt in actis S. Ioannis Eleëmoſinarij. Quoad Imperatores quoque, (vt Petrus Damiani opuſc. illo 34. c. 5. teſtatur) Græci vt eos aduerſùs tumorem præmunirent, cum tenebant morem, vt mox à creatione, per vnum quempiam, oſſa mortuorum ac cineres in vaſe illi offerrent: qui idem manu altera ſtupam præferebat, cui admoto igne, illicò in Imperatoris oculis conflagraret: vt quid denique futurus eſſet tantæ dignitatis poſſeſſor, ac quàm breui tempore, ſummo illi honorum culmini eſſet inceſſurus, non ignoraret. Quem ritum in Romanorum Pontificum inauguratione vſurpari ſolitum, conſtat, ea inclamatione adhibita, *ſic tranſit gloria mundi*. Quod ergo paucis hiſce ac ſtuais verbis, in hiſce inaugurationibus inſinuatum dixi, ſonantiſſima voce in Pontificum obitu omnibus inſonat: háncque eſſe cauſam, præfiniti antecedenter à Deo, breuis termini vitæ Pontificum Romanorum, arbitratur Petrus Damiani.

VIII. Alias eiuſdem antecedentis decreti motales cauſas, ſuggeſſere nonnulli, quas refert Rodericus Zamorenſis l. 1. ſpeculi vitæ humanæ, c. 4. imprimis, vt Pontifices qui Chriſti ſunt Vicarij, quem imitari iubentur in viuendi modo, imitentur quoque eum in vitæ breuibus moris. Nam Chriſtus obijt iuuenis ob cauſam ab Algero propoſitam lib. 2. contra Bereng. c. 7. deinde quia non eſt æquum, & diuinæ in diſtribuendis donis ſuis prouidentiæ conſonum, vt vni ac eidem bona meraca, & nullatenus diluta obtingant, iuxta illud Flacci, *nihil omni ex parte beatum*, quod Ariſtoteles 2. Rhetor. inter ſententias Græcanicas, hoc ſenario expreſſum refert.

Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ,
Felix per omnia, nullus eſt mortalium.

Eò Plutarchus in Theſeo, refert tanquam vitæ humanæ imaginem quod in *ὠσχοφορία* cani ſolebat, *Eia a, Eia heu*; quarum vocum prior lætitiam ſonat, poſterior luctum ac gemitum. Nec aliò ſpectabat iuxta Macrobium lib. 1. in ſomn. quod Romani, Angeroniam Deam ab Angoribus dictam, in Ara Volupiæ Deæ à voluptate denominatæ collocabant, ore obligato atque ſignato. Nec alibi Angeroniæ Sacerdotes ſacrum faciebant, quàm in Volupiæ ſacello: innocentes voluptatem, ac vt ſapiens dixit, riſum dolore miſceri; & qui pateréter acceperit dolores, nihil aduerſùs prouidentiam murmurans, voluptate deinquè potiturum. Notum adagium, *vbi vber, ibi tuber: vbi mel, ibi fel.*

—— *Medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.

Vt Lucretius lib. 4 cecinit. Nec in amore dũtaxat eſt illud *γλυκύπικρον*, melle ac felle fœcundum, vt Comicus in Moſtellaria memorat, ſed in omni planè re creata, vt alibi ex Apuleio 4. Florid. annotaui. Quorſum hæc omnia? vt intelligatur, diuinam prouidentiam non obliquari (retineo enim Roderici vocem c. illo 4.) dando Pontificibus quos ad culmen honorum ac bonorum, fœliciſſimos de mortalium ſententia prouehit, meram & nullatenùs temperatam fœlicitatem, qua ſtultè intumeſcant atque tumpantur. Tot igitur támque confertis bonis ac gaudiis, admiſcuit Deus mœrorem, ex decreto de vitæ breuitate, qua cæteros mortales non arctauit: vt habeat Pontifex quo cæteros excedat, & iſti obtineant ad quod ille ſaluet, aut etiam inuideat.

IX. Ad hæc, in tam flagrantibus omnium mortalium ſtudiis erga vitæ prorogationem, de quibus inſigniter S. Chryſoſtomus homil. de SS. Bernice & Proſdoce, poſt Origenem lib. 4. cont. Celſum, ac Gregorium Nyſſenum initio dialogi de anima, iuſtè prouiſum videtur, vt mors, tam vehemens vitæ ſtudium præueniat; in eo præſertim, qui deberet in votis habere, cæteris potiùs quam ſibi viuere. Et quia præter cæteros mortales,

tales, ſtudium prorogandæ vitæ in ſummis Pontificibus videtur admodùm vigere, non debet mirum videri, tanto celeriùs in eis abrumpi vitam: quia iuxta B.Gregorium, quanto mens humana ſe per deſideria dilatat, tanto ad receptionem effectuum ſe anguſtat. Rurſúmque vita humana per momenta deficit iam ab exordio, & cum plus creſcit viuendi cupiditas, ipſa viuendi anxietas deſiderio terminatur. Ex quo illud conſequitur, vt Pontifices Romani, omnia (vt putantur) adepti, agnoſcant ſe in cogitationibus ac votis ſuis euanuiſſe, dum longam ſibi vitam promittunt: & qui non ignorant, quia non eſt hominis via eius, diſcant ea deſiderare quæ proſint, & dum per potentiam ſe ſtare arbitrantur, deprehendant quàm facilè cadant, homines ſupra folia autumnalia decidui; vt propterea fuerint qui à pappo, carduorum flore in lanuginem abeunte, vocem *Papa* deriuarint. Videſis Corraſium 5. Miſcell.c.15. Denique negat Deus prouidentiſſimè ſuo Vicario, quæ ipſe ſibi ad priuatam vtilitatem expetit, donans quæ reuera ſunt potiora & viciniora ſaluti. Nam vita diuturna, innumeris malis hominem grauat & infeſtat, de quibus ſcatent Eclogæ Stobæi, & aliorũ, quos in morali deflorauimus diſt. 1. à n. 248. Hæ igitur ſunt illę aliæ rationes morales, quibus decretum antecedens Dei de vita Pontificũ ante annos ſedis 25. terminãda, videtur poſſe inniti, præter eas quæ ex Petro Damiani ſunt recitatæ. Atque ita decretum illud antecedens, ſuffragante præſertim tot ſæculorum experientia, non videtur inueriſimiliter inuehi.

Non eſſe antecedenter à Deo fixum, terminum vitæ Pontificum Romanorum, vera ſententia

X. CONtraria ſententia, quæ decretum illud antecedens in hoc negotio diffitetur, ſolidior eſt & amplectenda, cum Roderico Zamorenſi l.2. ſpeculi vitæ humanæ, c.5.6.& 7. Thoma Rauennate lib. de vita hominis vltra 120. annos propagabili, c.6.& 20. quorum ille c.6. negat *oppoſitum eſſe ferendum, aut recta fide tenendum*: Et vterque meritò putat, ſe non vrgeri experimento in contrarium allegato. Neſciunt enim quid superuentura pariet dies. Eſto verò nullus hactenus Romanorum Pontificum 25. annos ſedis Pontificiæ expleuerit, quis tamen certò poſſit affirmare, neminem deinceps expleturum? Quàm multa enim aliquando tandem eueniunt, quæ anteriùs acciderant nunquam? Nuperrimè (vt cætera exempla reticeam) homini, ex caſu in prunum, infixo pectori ramo, móxque auulſo, progerminauit è pectore prunus. Quę vnquam id viderant ſecula? Neque verò hic vrgemur vllo fidei principio, ſiue expreſſo in verbo Dei ſcripto, ſiue in tradito, ad agnoſcendum decretum Dei antecedens, quo cautum ſit, ne quis Pontificum poſt initum Pontificatum, tot annos numeret quot S.Petrus numerauit. Scripturam enim conſtat nihil tale prodidiſſe. In verbo item tradito, nihil eiuſmodi continetur. Nam neque per manus citra omne ſcriptum à maioribus ad poſteros tranſmiſſa eſt ea Pontificum caducitas: (quo pacto citra quoduis ſcriptum pleraque de materia & forma Sacramentorum à maioribus ad nos vſque permanarunt) Neque in ſcriptis Patrum, qui vt plurimùm ſunt teſtes diuinarum & Apoſtolorum traditionum, periodum propoſitam vitæ Pontificum, licet deprehendere. Igitur non niſi temerè, poſſet quis, pertinaciter contendere latum eſſe à Deo antecedens decretum, quo Pontifices Romani annum ſedis vigeſimum quintum attingere prohibeantur. Timendum verò etiam videtur, ne inuectio huius decreti, collidatur cum vſu ac ſenſu Eccleſiæ. Iam olim námque Eccleſia, in Canone Miſſæ, orat pro Pontifice, vt Deus eum cuſtodiat & protegat. Et in formula litanuetica, expreſſiùs poſcitur, vt Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, nec tradat eum in animam inimicorum eius. Ea verò petitio longæuitatis Pontificis eſſet illicita, ſi certus ille terminus, de quo agimus, eſſet à Deo antecedenter præfinitus. Præſertim enim cum Pontifex accederet ad eum terminum, ætatis in ſede tranſactæ, non liceret contra abſolutum Dei decretum niti, & vlteriores ei vitæ terminos poſtulare. Quid ergo fieret vſui Eccleſiæ ſine intermiſſione iam ab initio deprecantis pro incolumitate Romani Pontificis, tanquam capitis ſui? Nec abs re. Nam vt dixit S.Bonifacius [pro Romani Pontificis vita, atque perpetuo ſtatu, vniuerſitas fidelium tantò inſtantiùs orat, quantò ſuam ſalutem poſt Deum, ex illius incolumitate animaduertit propenſiùs pendere.] Atnon poteſt, neque debet Eccleſia, vel erroris in ea precatione, vel oſcitantiæ argui: quod vtique faciendum eſſet, ſi contra antecedentem Dei voluntatem obtineretur, poſtulans longæuitatem Pontifici vltra terminum vitæ, eidem indeclinabiliter ac ineluctabiliter fixum. Et quamuis Deus pleraque dare decreuerit, quæ tamen reipſa ad interpoſitionem precum vult elargiri; tamen quæ præcisè & antecedenter decreuit negare, fruſtra poſtulantur; & illicitè, ſi de illo antecedenti decreto conſtet precanti.

Cur Pontifices ante annum ſedis 25. excedant, cauſæ variæ, aliæ ab antecedente Dei decreto.

XI. EXperimenti verò tot ſæculorum, cuius præiudicio grauatur ſententia negans huiuſmodi decretum antecedens, proferri poſſunt rationes non incommodæ, enumeratis naturalibus cauſis vitæ Pontificum Romanorum, vt plurimùm minùs diuturnæ. Diligenter eas cauſas recenſent Rodericus capite illo 5. & Thomas Rauennas c.6. Vt quid autem in antecedens Dei decretum referatur periodus anguſta vitæ Pontificum, ſi ſuppetant naturales cauſæ, in quas referri poſſit? Ac primùm plerique aſſumpti ſunt ad Pontificatum admodùm ſenes, quos mirum non ſit ad multos annos non ſuperfuiſſe. Sic Calixtus II. octagenario maior creatus eſt Pontifex, quem per annos duntaxat quatuor ſediſſe nemo iure miretur. Alij plerique Pontifices, temperie & conſtitutione corporis fuere nõn admodùm viuida, ſed imbecilla & fluxa, quod de S.Gregorio magno, eſt proditum; & de Ioanne quinto, qui primo initæ ſedis anno deceſſit.

XII. Rodericus Zamorenſis lib. 2. ſpeculi vitæ humanæ, c.5. non dubitauit inter cauſas anguſtæ vitæ Pontificum Romanorum, recenſere illam ipſam, quam pleriſque mortalem eſſe exitialem, dixi ex multis externis æquè ac noſtris

ſapientibus l.6.de virtut.à n.78.nempe ingluuiē, & epularum lautarum profuſionem,ratione cuius prædictus Rodericus obſeruat, multos præſertim Principum non implere iuſtam ætatis menſuram: quia [putant ſe ita eſſe dominos ſtomachorum & ventrium ſuorum, ſicut & omnium ſubditorum. Quotidie ſiquidem pretioſis atque ſplendidis,ſapidiſque cibis,variiſque modis præparatis,paſſim veſcuntur, vinorúmque varietate potantur. Et quia maiore quantitate ſumitur, quod auidiùs & ſapidiùs deuoratur, neceſſe eſt ex multorum diuerſorúmque ciborum varietate,grauetur ſtomachus. Quo fit, vt edendo,edēdi appetitus amittatur, generentúrque ventoſitates & inflationes in ventre, tremores in membris ac febres,& tandem præmatura mors accidat.]Egregiè hoc dixit Siracidea c.37. *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt,adyciet vitam.* Stomachatur itaque Rodericus, in eos qui iniræ Pontificiæ tribuunt citam mortem Pontificum, quam ait par fuiſſe ingluuiei eorum tribuere. Forraſſis quo tempore ſcribebat Rodericus, (hoc eſt ſub annum 1460.ſedente Paulo II.cuius Caſtellanum & Referendarium fuiſſe Rodericum ſcribitur à Paulo Burgero qui anno 1500. opus eius vulgauit:) vel certè non ita multo ante, Pontifices in lethi præproperi cauſam hîc à Roderico aſſignatam inciderunt. Et de Paulo II. ſcriptum lego, neglectu fructuum eſu, cancrorum, paſtillorum, piſcium cibatione delectatum, duorum prægrandium peponum vna die ſumptorum in cibum, ingluuie, apoplexiam ſibi & mortem acciuiſſe. Quicquid autem ſit de ætatis illius Pontificibus, nunc certè aliter eſt ſtatuendum. Nam qui ætate noſtra vixerunt, vix notati ſunt incommodaſſe vlla ex parte prorogationi vitæ ſuæ, hac ex cauſa.

XIII. Æquè viderit Rodericus, an alia cauſa quam breuiatæ vitæ quorundam Pontificum aſſignat, congruerer in aliquos æui ſui Pontifices. Quoad illos certè qui noſtra ætate ſederunt, ei non adſcribor. Eſto in aliquibus ſequioris æui locum habuerit.Ex multis itaque Scripturis confirmat Rodericus, vitam breuem, pœnam eſſe peccatorum; & vitam diuturnam, ſtipendium eſſe morum ſanctè conformatorum: ſin minùs ſemper, ſaltem non tarò. Nam aliquando boni præmaturè abripiuntur, quia ita ipſis expedit, nec mors illis pœna eſt, ſed leuamentum, quia miſeriarum finis eſt, vt Seneca quoque agnouit l.de breuitate vitæ,c.17.& 18.& lib. de conſol.ad Marciam, c.20. & confirmat luculenter S. Ambroſius in opere de bono mortis. Aliquando tamen negari non poteſt, quin ob iniquitates vita ſuccidatur, vlciſcente Deo, ac etiam miſerante; ne protractione vitæ, creſcat damnatio. Allegat Rodericus hunc Auguſtini locum. [Vita hominis,media eſt inter vitam peccantium hominum, & innocentium Angelorum. Si viuit homo ſecundùm carnem, peccatoribus comparatur, qui non dimidiabunt dies ſuos. Qui viuit ſecundùm Spiritum, per diuturnam vitam Angelis comparatur.] Hunc locum apud Auguſtinum adhuc quæro. Non placet autem quod ait Rodericus, vitam diuturnam proborum ſummorum Pontificum, ſignatam expreſsè eſſe Pſal.90. verbis illis, *Super aſpidem & baſiliſcū ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; quæ de ſummo Sacerdote dicta affirmat, móxque de eo ſubiici notat, *Eripiā eum, & glorificabo eū, longitudine dierum adimplebo eum.* Vitam verò breuem Pontificum improborum, ſignari aſſerit Rodericus eo loco Pſalmi 36 *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut Cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Hæc enim propriè cadere in ſummum Pontificem, inde colligit Rodericus, quod verè ipſe exaltetur ſicut cedrus. Nam hæc arbor plantas omnes eminentia & ſublimitate ſuperat, ſicut Pontifex altior eſt cunctis hominibus. Concludit itaque Rodericus, aliquos Pontifices ſummos, quod vitæ eſſent ea ſede indignæ, breuitate vitæ eſſe mulctatos. Ex bonis verò nonnullos, vt miſeriis ſubducerentur, quantocyus exceſſiſſe. Et quanquam de pleriſque Pontificibus multa calumnioſè ſunt iactata quoad eorum horrendum obitum, præ ſceleribus exaſperato numine rependum, vt manifeſtum eſt de Syluestro II. & quibuſdam aliis, in quos hoſtes Eccleſiæ moloſſicè baubant; tamen neque omnes præſtare labis puros, & vindictæ intactos, poſſumus aut debemus.

Ærumnæ Romani Pontificatus, eius contractioni quantum ſeruiant.

XIV. IN tertia cauſa breuitatis vitæ Pontificum à Roderico propoſita, nemo quantū arbitror moroſius fuerit, adeò quadrat veritati. Conſiderat ille ærumnas importabiles & iuges angores Pontificatus Romani. In quam rem inſigniter quoque diſſeruit Ioannes Sariſberienſis l.8. Polycr.c.23. vbi probans Pontificem Romanum eſſe ſeruum ſeruorum, ſupra omnes mortales ærumnoſum, ait. [Dominum Adrianum cuius tempora felicia faciat Deus, huius rei teſtem inuoco, quia Romano Pontifice nemo miſerabilior eſt, conditione eius nulla miſerior. Et licet nihil aliud lædat, neceſſe eſt vt citiſſimè, vel ſolo labore deficiat. Fatetur enim in ea ſede ſe tantas miſerias inueniſſe, vt facta collatione præſentium, tota præcedens amaritudo, iucunditas & vita fœliciſſima fuerit. Spinoſam dicit Cathedram Romani Pontificis, intantum acutiſſimis vſquequaque conſertam aculeis, tantæque molis, vt robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam & phrygium, clara meritò videri, quoniam ignea ſunt. Se nunquam à natali ſolo Angliæ malle exiiſſe, aut in clauſtro B.Ruffi perpetuo latuiſſe dicit, quàm tantas, (niſi quia diuinæ diſpenſationi reluctari non audet) intraſſe anguſtias. Dum ſupereſt, ipſum interroga, & crede experto.] Addit ea eiuſdem Adriani teſtimonio, quod in vita quidem vniuerſa fuiſſet ærumnis exercitus, ſed in pontificatu ſupra modum. [In incude, (inquit) & malleo, ſemper dilatauit me Dominus; ſed nunc oneri quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet, ſupponat dextram, quoniam mihi importabile eſt.] Hæc & alia pleraque Sariſberienſis eo loco, vt monſtret quanta ſit dementia eorum qui Pontificatum ſummum, etiam per ſimoniam & malas artes captabant. Non ergo aberrabit qui dixerit, Cathedram S. Petri videri ſimilem ei cathedræ quā ſibi curauit S.Aurea, Abbatiſſa Parthenoni, populoſi Luteriæ à S.Eligio conſtituti. Aſtabat illa ſacro ſolemni in quo Diaconus legens Euangelium, &

per

per leges pronunciandi fœdè violatas, impingens colaphos Priſciano atque Donato, omnium effuſum riſum ciebat. Itaque pertæſa ludibrij in re tam ſeria, Diacono ſtolam eripit, qua ſibi de collo ſuſpenſa, legit ipſa publicè Euangelium. Sed regreſſa in cubiculum vbi ab Angelo didicit quàm perperam in alienum miniſterium inuolaſſet, tacta dolore cordis intrinſecùs, munere abdicato concluſit ſe per ſeptennium in cella ſeparata, vbi præter alias imbonitates, & corporis emaciationes curauit ſibi cathedram confici in qua dextrorſum, & ſiniſtrorſum claui prælongi ac præacuti ponè infixi, hinc quinquageni, & ex alia parte totidem, horrorem hiſpiditate ſua præferebant, prætereáque alios quinquagenos ea parte cathedræ poſtica infigi voluit. Sic aſperatam cathedram ſubibat quotidie, integrum pſalterium decurſura; nunc quinquagenam vnam pſalmorum, inſiſtens parti dexteræ, mox parti ſiniſtræ alteram quinquagenam, poſtea etiam tertiam dorſuali parti innitens recitabat. Quanto cruciatu præ clauorum acumine nihil attinet dicere. Præ tot curis, haud abſimilem S. Petri cathedram quis dixerit.

XV. Poteſt iure Romanus quilibet Pontifex præter ea quæ extrinſecùs ſunt, (& ſunt innumera) cauſari debitā abs ſe inſtantiam quotidianā, & ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, quibus non poſſit deeſſe, abſque manifeſto ſalutis æternæ diſcrimine. Qua ex cauſa, Cardinalis Bellarminus, (vt eſt in eius vita auctiore l. 3. c. 5.) nullum cenſebat digniorem commiſeratione, quàm Romanum Pontificem. Sic enim ratiocinabitur. [Summus Pontifex triplicem gerit in Eccleſia Dei perſonam. Eſt enim Paſtor & Rector Eccleſiæ vniuerſæ: eſt Epiſcopus vrbis Romæ proprius: eſt princeps tēporalis Eccleſiaſticæ ditionis. Sed inter omnia eius officia, primum locum tenet ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Hoc enim eſt primum, ſingulare, maximum. *Primum* quidem, quoniam Apoſtolus Petrus, multò ante factus eſt Paſtor totius Dominici gregis, quā Epiſcopus Antiochenus, vel Romanus. *Singulare* autem, quoniam multi ſunt alij Epiſcopi nobiliſſimarum Ciuitatum, multi quoque Principes temporales: ſed Pontifex orbis terrarum, Chriſti Vicarius generalis, Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ſolus ipſe eſt. Denique *maximum*, quia Epiſcopatus vrbis Romæ, ſuos habet definitos limites, eóſque ſatis anguſtos, vt eſt etiam principatus Eccleſiæ temporalis. At ſummus Pontifex nullos habet in orbe terrarum limites, niſi quos ipſe orbis terrarum habet. Porrò officium hoc, tam antiquum, tam magnum, tam ſingulare, tam proprium ſibi, tam neceſſarium Eccleſiæ, facilè poterit ſummus ipſe Pontifex implere, ſi Eccleſijs ſingulis bonos Epiſcopos præficiat, eóſque ſuo muneri ſatisfacere curet, & ſi opus ſit, cogat, &c. ſin autem ſummus ipſe Paſtor, Eccleſijs particularibus, vel Epiſcopos dederit minùs bonos, vel vt ij fungerentur munere ſuo, non diligentem operam dederit; tunc ſanè animarum illarum ſanguis, de manu Pontificis maximi requiretur. Hæc me conſideratio tam vehementer exterret, vt nulli hominum magis ex animo compatiar, quàm ſummo Pontifici, cui plerique omnes inuidere ſolent. Nam S. Ioannes Chryſoſtomus, magno cum animi ſenſu ſcribit, paucos ex Epiſcopis ſaluari: propterea quod difficillimum ſit, tot animarum ſibi creditarum bonam rationem reddere. Neque blandiri nobis debemus de bona conſcientia, de recta intentione, de ſanctis operibus; cum Apoſtolus Paulus dicat, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.*] Hactenus ille homo Dei qui cominùs ærumnas Romani Pontificatus intuebatur.

XVI. Itaque dici ad veritatem poteſt, ſeruari oportere in Romani Pontificis electione, quod Plutarchus in Artaxerxe ſeruatum in Oriente tradit, à quibuſdam populis, qui Regi per Sacerdotes inaugurato, porrigebant edendum panem, è ficis & multa terebinthio confectum; & calicem propinabant ex lacte, & copioſo aceto mixtum: vt docerent, principatus dulcedines multis admiſtis amaritudinibus, acorem contrahere. In tanta ergo angorum Pontificij muneris vbertate, & in tanto támque iuſto metu æterni exitij proprij, ſi partes ſuas non impleat qui in Pontificem eſt electus, nemo non videt, quanta mœſtitiæ & angorum nubes perpetuò incubet animo Pontificis de ſua ſalute ſolliciti. At ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, & ſicut animus lætus ætatem floridam facit, ita è contrariò, animus ſemper anxius & curis aſſiduè fatigatus, inducit corpori marcorem, & viribus exhauſtis, vitæ præſentiſſimam cladem infert. Exſuguntur enim puri ſpiritus, nec niſi ſedimentum ſupereſt: vnde omnium vitalium functionum luxatio, & cita mors exiſtat, neceſſe eſt.] Mœrores (inquit Nazianzenus in ſententiis, comprehenſis diſtichis elegiacis) præcocem ſenectutem mortalibus pariunt. Neque enim ea vnquam tempus inſtaurabit, quæ mœroribus diruta fuerint aut proſtrata.] Caſſiodorus in eandem ſententiam luculēter. [Nihil eſt quod vitæ hominis magis officiat, & dies eius abbreuiet, quā triſtitia mentis, languor animi, & rerum ſollicitudo multarum. Nam ſicut lætus animus floridam reddit faciem, & iucunditas cordis vita eſt conſummata hominis: ita anxius & curis fatigatus animus, corpus macerat, & vires minuit, humidum conſumit, caliditatem augens cum ſiccitate. [Videſis quæ dico, tractans commotiones corporeas ad certos affectus conſequentes, diſt. 3. mor. n. 387. & Valeſium c. 71. ſacræ Philoſ.

Quid ergo mirum, Pontifices muneris ſui implendi ſollicitos, breui marcere, nec in vietam ſenectutē dies ſuos protrahere? Germani cuiuſdam principis cor, ſuperiore ſeculo, non ſecùs ac pyrū toſtum in diſſectione demortui corporis fuiſſe repertum, præ mœrore quo extabuerat, alibi refero, adducto illius tēporis teſte, Homine Nigro, teſte non bono, qui tamen nullas hac in parte mentiēdi cauſas habuerit. Similiter itaque, Pontificum magno ſtudio curſum nauiculæ ad cuius clauum ſedent dirigentium, curæ ac mœrores, in tot mœrendi argumentis, mirū non eſt, quod eorum vitā extenuent, & non poſt multos annos profligent.

Aliæ cauſæ minùs productæ Pontific. vitæ.

XVII. ALijs quibuſdam Romanis Pontificibus, mœror immenſus & vitam obruens, interdum obtigit ex parum proſpero exitu negotiorum, fortè ſuſceptorum admixtis politicis & temporalibus rationibus; aut tractatorum cum minore acrimonia quàm deceret eam perſonam, ideóque non adeò fortunatorum à Spiritu ſancto. Hanc certè fuiſſe cauſam ſuc-

ciſæ vitæ Bonifacio octauo, multi prodiderunt. Qui enim rabioſum, & illiſo in parietem capite, manibuſque ſemeſis mortuum iactarunt, mendaces deprehenſi ſunt anno 1605. cum effoſſo eius tumulo, cadauer planè integrũ repertum eſt, capite nullatenus attrito, & manibus prorsùs illæſis, nulláque ex parte violatis. Itaque Bonifacius ex mœrore obijt, non Biothanatus, ac ex rabie, & capitis ad murum alliſi diſtractione. Vigilius Papa poſt ludibria & indignitates immenſas ſibi Conſtantinopoli illatas, extabuit in Sicilia, præ cordis contractione. Benedictus I. & Vrbanus III. præ cordolio malorum Eccleſiæ, vitam clauſerunt. Nicolaus V. præ mœrore ex capta à Turcis Conſtantinopoli, morbum contraxit, & obijt.

Sunt pleræque aliæ cauſæ violentæ citi obitus, à quibus Romani Pontifices non fuere immunes, in quas relatam oportuit haud diuturnam eorum moram in ſede Petri, non in diuinum decretum antecedens. V.G. multi SS. Pontifices vitam poſuere ante naturale tempus moriendi, cæſi à Tyrannis odio fidei Chriſtianæ. Alios ambitus parricidalis nefariorum peremit, ac vita ante tempus ſuum ſpoliauit. Alexander VI. vino ex lagena toxico imbuta hauſto, perijt errore Miniſtri: qui autore Cæſare Alexandri filio, alteri quàm Pontifici lethale poculum præbere deſtinarat. Itaque inconſultè Thomas Rauennas libro de protractione vitæ vltra annos 120. c. 6. Alexandrũ dixit ſibiipſi intuliſſe necem, veneno. Enumerat diffusè eo capite Autor prædictus, cauſas naturales, (id eſt longè alias à Dei decreto, etiamſi violentas, in quibuſdam) obitus omnium Pontificum qui ad eam vſque diem throno S. Petri inſederãt, numero 232. ad Iulium vſque tertium: Concludítque, perperam omnino obtendi diuinum aliquod decretum, peculiariter ſpectans Romanos Pontifices, quo vitæ terminus ex diuino mero beneplacito ad 25. annos ab inita ſede pertingere prohibeatur; cum non ſit recurrendum ad decreta diuina extraordinaria, (quale ſanè iſtud eſſet) niſi ex reuelatione, aut ineluctabili ratione eò adigamur. Quinimo vt Rodericus Zamorenſis libro 2. ſpeculi vitæ humanæ, c. 6. ratiocinatur, tale decretum antecedens in vitam Pontificum ſæuiens, videtur indecorum Deo, qui ea ratione inſimulatur acceptionis perſonarum. Cum enim Deus puſillum æquè ac magnum fecerit, nec abijciat potentes, cum ipſe quoque ſit potens, immeritò videretur de ſui Vicarij vita ſeueriùs ſtatuere, quàm de vita vilis cuiuſvis homuncionis.

Diſcuſſæ congruentiæ, ſuperiùs adductæ in contrarium.

XVIII. MOrales verò cauſæ ſupra poſitæ, ex quibus Deum congruenter, ad ſic decernendum induci potuiſſe, obtendebat contraria ſententia initio propoſita, non ſunt re vera tanti. Nam timor mortis, fruſtra dicitur incutiendus audita morte Pontificis. In tam denſis enim aliorum funeribus, non egemus huiuſmodi incitamento ad concipiendum mortis imminentis timorem. Cadunt vbiuis in dies, magni & puſilli, iuuenes ac ſenes; ac vt ille aiebat, *Nullum ſæua caput Proſerpina fugit*. Spicæ rationales, (iuxta concinnam Clementis Alexandrini allegoriam 2. pædag. cap. 10. latè illuſtratam à Riterbuſio ad l. 1. Halieut. Oppiani num. 26.) ſatæ in aruo genitali incurrentes in falcem volantem concludentem, adeò exactè demetuntur, vt non ſit ſpicilegio locus; quia nulla effugit ſecantem. Vt quid ergo neceſſe eſt, ad excitandam mortis memoriam, mori intra breue tempus Pontificem, cuius frequens annoſitas, minùs mirandum eius occubitum facit? Vt plurimum enim Pontifices iam ſunt ætate prouecti. Nemo autem non videt, quod tametſi iuuenes poſſunt citò mori, ſenes tamen non poſſunt diu viuere, vt S. Marcella eluſit Cerealem apud S. Hieronymum Epiſt. 16. Quod aliter dixit Bleſenſis Epiſt. 6. mors in inſidiis iunioribus eſt, ſenioribus eſt in ianuis. Vnde Theodoretus ſerm. 8. de prouid. ait, ſenectutem eſſe mortis præludium. Et iuxta Iſidorum Peluſiotam l. 3. Epiſt. 54. ſenex Græcè γέρων dicitur παρὰ τὸ γῆς ἐρᾶν *ab amore terræ mox ſubeundæ*. Hoc igitur cum ſit omnibus notum, minùs mirantur, & minùs timore mortis percelluntur, cum audiunt Pontificem ferè ſemper annoſum cecidiſſe, quàm cum alicuius florente ætate ſuccisi mortem inaudiunt. Itaque ratio propoſita eſt prorſus friuola.

XIX. Ad contemptum verò dignitatum, non eſt neceſſaria Pontificatus Romani citæ caducitas; cum ad deſpectionem rei adeò lubricæ, ſatis ſupérque eſſe poſſint, eius diſcrimina & ærumnæ ſupra tactæ, & vniuersè in quibuſvis dignitatibus & honoribus humanis, expreſſæ in Morali diſt. 1. à n. 140. Indidémque peti poteſt, ipſi in Pontificem electo materia humilitatis: vt non ſit, ad faciendum in eo ventis pondus, neceſſaria hæc mortis ante annum ſedis vigeſimum quintum neceſſitas. Si enim vt S. Auguſtinus dixit ſer. 39. ex 40. nouis, *Epiſcopus nomen periculi*, quanto magis nomen periculi eſt *Romanus Pontifex*, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, vt Tertullianus l. de pudic. & S. Tiburtius in actis S. Sebaſtiani, aliique nominarunt? Cum conſcientia autem tanti periculi, quod vi muneris incurritur, non poteſt typhus & tumor cohærere: ſed neceſſe eſt, vt qui culmen ad quod peruaſit verè recogitat, horrore perpetuo, ex timore vertiginis & ruinæ corripiatur, etiamſi mortem ante annum ætatis 25. non habeat propoſitam.

XX. Addebatur, congruum eſſe, Pontificem imitari Chriſtum cuius Vicarius eſt. Chriſtus autem iuuenis obijt. Hæc tamen ratio multipliciter claudicat. In primis, quia non eſt neceſſe, Chriſti Vicarios aſſimilari Chriſto per omnia: alioqui deberent omnes mori in cruce clauis confixi. Satis ergo æmulabuntur & exprimen Chriſtum magnum Paſtorem ouium, & Epiſcopum animarum noſtrarum ſupremum, ſi eius exemplo animam ſuam, cum res feret, dare pro ouibus non extimeſcant; & rectionem ſuam vniuerſam, ad modulum rectionis Chriſti pro viribus conforment.

Tandem dilutio bonorum, quibus Pontificatus abundat, non eſt quod petatur ex morte neceſſariò oppetenda ante annos ſedis 25. cũ aliunde multa aqua affundatur huic vino, vt ſuperiùs tactum eſt, & plenè alibi eſt demonſtratum. Nec deſiderium vehemens vitæ, quod hac citæ mortis præfinitione mulctatum volunt, omnes Pontifices preſſit: cùm multis in votis fuerit, exolui tot ærumnis, & ad Chriſtum euolare. Et tamen omnes mortui hactenus ſunt ante annum ætatis 25. Igitur corruit vniuerſa ſubſtructio, ei deſiderio vitæ diuturnæ, Pontifices vrgenti, inædificata. Atque ita euaneſcunt omnes illæ perſuaſiones, quibus

bus ſententia contraria, & potiùs error popularis quam ſolida, & benè maturata doctrina de diuino decreto antecedente mortis Pontificum, ante annum Pontificij vigeſimum quintum, ſtabiliebatur.

Alia apud aliquos, anilitas potiùs quàm veriſimilis opinatio, quod tela vitæ Pontificum qui aliquem in Sanctorum numerum retulerint, mox ſuccidatur, aliò amandanda eſt: quia qui ita ſunt imaginati, non aſſignarunt vllum fixum terminum vitæ Pontificis; vt faciebant ij cum quibus hactenus egimus. Prætterquàm quod ea imaginatio, plerunque reuicta perſpicuè eſt falſitatis, vt benè monuit Petrus Galeſinius in Actis S. Didaci Complutenſis parte 3. cap. 5. exemplo Alexandri tertij; qui anno 1165. S. Bernardum retulit in album Sanctorum; & poſtea ſuperſtes fuit annis 15. Et multo etiam ante obitum ſuum, S. Thomam Cantuarienſem, & alios quatuor, honeſtauit Canoniſmo. Gregorius item 9. S. Dominicum annumerauit Sanctis, & ſuperfuit per annos tredecem; multóque etiam tempore ante mortem ſuam, S. Franciſcum, & alios quatuor in Sanctorum numerum retulit. Alia multa exempla addenſari in eam rem poſſent, niſi videretur ſuperuacuum, inſiſtere confutationi prolixiori, anilitatis nulla ratione ſubnixæ; nec fortaſſis excogitatæ niſi ad vrbanè repellendam feſtinam aliquorum in vrgendis præproperè Canoniſmis cupiditatem. Non diſſimiliter, atque ad comprimenda turbida aliquorum vota de conſpiciendis corporibus quorundam Sanctorum incorruptis, iactatum aliquando eſt (exemplo fortè petito ex mortuis poſt conſpectas S. Laurentij reliquias, vt ſcribit S. Gregor. l. 3. Epiſto. 30. indic. 12.) id non eſſe attentandum, abſque certo mortis incurſu, poſt breue tempus ab eo contuitu, quod tamen experientia reuicit falſitatis. V. G. circa corpus S. Franciſci, quod integrum perſeuerat, & tamen à Nicolao V. impune conſpectum eſt, ac reuerenter attrectatum, aſtantibus aliquot comitibus: vt legere eſt ad calcem Notarum Henrici Sedulij in vitam S. Franciſci c. 15. apud Lucam Vvadingum, in Minorum Annalibus, ad annum 1230. Item Ægidius Card. Albornotius illud conſpexit impune ex Sepulueda ad calcem libri tertij de eius rebus. Proportionalem ergo ob cauſam, (vt ſcilicet eſſet ad manum, prætextus cœrcendis ijs qui nimis ardenter expeterent alicui decerni cœlitum honores,) excogitata ab aliquo nugiuendo, & contra Pontificum mentem iactata videtur, ea immatura mors Pontificis, poſt Canoniſmum alicui decretum; ſed de ea anilitate ad Præſes inſtitutum non pertinente, plus ſatis,

PVNCTVM V.

AN CERTA PECCATA admittentibus, vel certa bona operantibus, vitæ ac mortis termini ſint antecedenter præſtituti diuinitùs.

IAM præmiſimus, aliquos & bonos & malos, ex diuina præfinitione, vitæ ac mortis terminos nanciſci. Nec id rurſus hic agitandum ſuſcipitur; ſed an alicui generi, ſiue bonorum ſiue malorum operum à quocunque exerceantur, obringat præfinitio terminorum mortis ac vitæ, à Deo lata intuitu illorum operum; mortis quidem ratione criminum quibus iuſtum ſit citam mortem rependi: Vitæ verò ratione ſanctarum actionum, quibus Deus diuturnitatem vitæ retribuens, præfiniat homini longæuitatem. Et quamuis hæc res non ingerat magnam difficultatem, viſum tamen eſt eam non præterire, ſaltem vt lux affundatur quibuſdam Scripturis, quas Autores p. 7. proferendi allegant tanquam pertinentes ad hoc inſtitutum; ad quod tamen an pertineant, , dijudicabitur ex dicendis

Quibus peccatoribus fixi à Deo antecedenter vitæ termini, iuxta nonnullos ac primùm, ad mortem peccantibus.

11. PArs affirmans, innui videtur in varijs Scripturis, cum quoad mala, tum quoad bona opera. Et in primis quoad mala, eſt locus ſingularis apud Ioannem primæ Epiſtolæ c. 5. vbi ait, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccãti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.* Senſus eſt, præter rationem peccati cuiuis iniquitati communem, eſt certum quoddam genus peccati, quod ſolum eſt ad mortem. Hoc peccatum quodnam ſit, non exponit Ioannes, ſed ſatis eſt ad rem præſentem, quod agnoſcat eſſe aliquod peccatum quod ſit ad mortem, quàm deprecari & auertere ſpes præcindatur: eo quod fixum ſit Deo, mortem propter illud inferre, quam homo ſic peccando commeruerit. Id enim proprie eſſe, *peccare ad mortem*, habetur ex doctrina Philippi Abbatis, lib. de ſalute primi, Homin. cap. 15. vbi perpendens locum D. Auguſtini, aſſerentis Adamum factum eſſe inobedientem vſque ad mortem; docet, eo loquendi modo, ſignificari inobedientiam quæ mortem promeruerit. Sicut Chriſtus dicitur factus obediens vſque ad mortem, Philipp. 2. [Hoc eſt, tantam obedientiam Patri exhibuiſſe, vt eum judicarent Iudæi mortem meruiſſe. Vnde cum fixus maneret & conſtans in faciendo mandatum Patris, clamauerunt, *reus eſt mortis*. Et cum Pilatus parcere vellet ei, reſponderunt; nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.] Hoc fuit, Chriſtum factum eſſe obedientem vſque ad mortem. Similiter ergo è diame-

tro, ſit inobediens Deo vſque ad mortem, diciturque peccare peccatum ad mortem, quiſquis tale peccatum peccat, cui Deus iuſtus retributor velit rependere mortem, [Peccare enim vſque ad mortem, hoc eſt, peccando mereri mortem.]

Viri ſanguinum, in eo ordine.

III. Eiuſmodi eſt juxta multas Scripturas, peccatum homicidij. Pſaltes enim Pſal. 54. conteſtatur virum ſanguinum non dimidiaturum dies ſuos. Quod ad literam, perinde eſt atque dicere, non pertingent ad dimidium vitæ, quam alioqui fuiſſent victuri. Sanctus quidem Gregorius 5. mor. c. 28. aliter accipit eam dimidiationem. [Dimidiare quippe dies (inquit) eſt tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum, ad pœnitentiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vſum partiendo reparare. Sed iniqui dies ſuos nequaquam dimidiant, quia peruerſam mentem nec in extremo tempore immutant. Quò contra benè Paulus admonet dicens, *redimentes tempus quoniam dies mali ſunt.* Tempus quippè redimimus, quando anteactam vitam quam laſciuiendo perdidimus, flendo reparamus.] Idem habet S. Bern. in Cantic. Ezechiæ. Bona doctrina; ſed loco Pſaltis non congruens, cum in eo dimidiatio dierum apertè ex omnium interpretum ſenſu ſonet ſuccisionem ſtaminis vitæ, viris ſanguinum iuter repoſitam, vt dicebam ferre multas Scripturas. Et Inſulani Melitenſes cum vidiſſent Paulum naufragum ab exiliente de ſarmentis vipera inuaſum, eum illicò vi veneni occidendum arbitrati, dixerunt ad inuicem, Act. 25. *Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eũ viuere.* Hoc illi ex ea perſuaſione dicebant, quod homicidæ immineat diuina vltio, non ſinens homicidam viuere, iuxta edictum quod proſtat cap. 8. Geneſ. vbi Deus conteſtatur ſe fuſum hominis ſanguinem de manu homicidæ requiſiturum. Vnde ſubiungit: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippè Dei, factus eſt homo.* Iuſtum pronunciat, ei vitam eripi, (hoc enim eſt: *fundi eius ſanguinem,*) qui irrogata morte diuinam imaginem in homine repoſitam fuerit demolitus. Idque firmans Chriſtus Matth. 26. ait S. Petro qui gladium arripuerat priuata autoritate aduerſus ſatellites à Magiſtratu ſubmiſſos; *Omnes qui acceperint gladium;* id eſt vſurpauerint non commiſſum ab habente ius gladij *gladio peribunt.*

IV. Acutior, quàm ſolidior videtur eſſe ea expoſitio qua homicidæ dicuntur perituri in anima, eo ipſo ictu gladij quo alium confoderint. Sicut Tertullianus Idololatram, ſui homicidam eſſe, & telo culpæ ſuæ ſe confodere, conteſtatur lib. de Idol. cap. 1. Vniuerſaliter & ſcitè id tradit Drogo, ſermone de ſacram. paſſion. Domin. qui præfatus omnes homines timere crucem, quia ſunt latrones & homicidæ; hoc probat; quia,] Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Faciunt ergo homines, ſeipſos ſpeluncam latronum: iugulant homines & trahunt in ſpeluncam ſuam. Quod enim maius homicidium, quàm vt ſeipſum interficiat homo? Vel quod grauius homicidium, corpus occidere, an ſpiritum? O quoties homo ſpiritum ſuum interficit! Quoties voluntariè & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud quàm ſeipſum iugulat? Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. Gladius animæ, peccatum eſt; Peccatum animæ mors eſt. Qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit, hoc eſt acceptum habet & gratum, primus in ſeipſum, mucronem mittit, primus ſeipſum interficit. *Gladius* (inquit) *eorum intret in corda illorum.* Nec ſatis eſt ſemel occidere, & quieſcere. Millies & millies, crudeles in ſe manus conuertunt, & veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem ſuum, viri ſanguinum & doloſi.]

V. Dicuntur iſta concinnè, non tamen ſatis appoſitè. Tametſi enim quod dictum eſt à Tertulliano & Drogone, eſt myſticè veriſſimum; quia peccato lethali tollitur vita gratiæ; non eſt tamen conſentaneum menti Chriſti Domini; qui potiùs voluiſſe videtur ſignificare, homicidam eſſe dignum cui ſimilis mors rependatur, perearque violenter, ſiue per Magiſtratus mandatum, ſiue Dei ipſius gladio vltore, vt benè ad eum Matthæi locum attigit Franc. Lucas. Quod aliter expreſſis B. Ioannes eum dixit 1. Epiſt. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt,* vtique initiatiuè, ac (vt philoſophatur eruditus Sixtus 3. Epiſtola de malis DD.) vt in ſemine quod facilè adoleſcet, ac diſpoſitiuè, niſi eum malum animum gliſcere prohibeat. Scimus autem quod nemo homicida ſpem vitæ habet, vel ius ad vitam; cum ad vitam gratiæ quæ æternam vitam inferre eſt apta, tum ad vitam temporariam, quæ iuſtè eripitur ei qui per vim vſurpatam, alium ſimili vita priuauerit. Quid vetat huc referre ſanguinationem cadaueris, ſi adueniat qui interfecit? Quod tam multis experimentis teſtatum habetur, vt vix ſit inficiationi locus. Videtur autem eò ſpectare illa ſanguinis amiſſio, vt ſignificatum velit Deus, ſanguini fuſo, par eſſe rependi ſanguinis noxij effuſionem; ſic ferente antecedente Dei decreto & præfinitione quali ſe præuentum agnouiſſe videtur Abbas Pœmenes ſolitarius apud Moſchum c. 167. Limonarij. Fuerat enim paſtor, & ſinerat miſerum hominem vexari à canibus. Itaque tametſi ei leo per hyemem accubans arceret frigus, conteſtatus tamen eſt Abbati Agathonico ſe ob noxam prædictam à feris deuorandum eſſe, & ita contigiſſe poſt triennium ex quo ea dixerat, teſtatur Moſchus. Antecedens ergo Dei circa ſe decretum de tali morte ſibi obuentura agnouiſſe videtur Pœmenes.

Doloſi, & in negotio fratrem ſupergredientes, in eadem naui.

VI. Viris ſanguinum non dimidiantibus dies ſuos, id eſt ex diuino decreto antecedenti, præpropetè; & non ſecundùm exigentiam naturalium cauſarum ſucceſſu, adjungit Pſaltes, *doloſos*; hoc eſt oppreſſores innocentum, per calumniam, prætexto violentiæ, colore Iuſtitiæ: quod ſolemne eſſe malignis grauiter opprimentibus pios, S. Baſilius Epiſtola 28. declarat Apologo lupi, qui ouem voraturus, voluit videri ſubeſſe cauſam; & doloſè architectatus eſt friuolam cauſam inferendi necem miſeræ ouiculæ. Faciunt hoc multi è Iuriſperitorum numero quibus leue eſt ſtrophâ concinnatâ innocentem elidere; vrbe media latrocinando, (vt queritur Columella in præfatione) obſtantéſque ne mentitus

titus ſit Seneca lib. de conſtan. cap. 6. vocans forum *Locum exercendis in publico vitijs deſtinatum*. Plutarchus lib. de vſura, ἐν φῶν χώραν *regionem impiorum* vocauit. Legeſis de horum (vt Apuleius lib. 10. Mileſ. dixit) *togatorum vulturum* aſtuta malignitate S. Bernardum 1. de conſid c. 10. Petrum Bleſenſem Epiſt. 16. & 140. Nyſſenum hom. 5. in Eccleſ. & Auguſtinum ſerm. 19. de verb. Domini, qui horum hominum vafritię eò deuentum quæritur, vt nulla cauſa quantumuis iniqua, poſſit eſſe ſine cauſa. Hos ſanguinem humanum ebibentes, iuſtum eſt ſuo ſanguine fuſo, piare alienum; nam ſiue cauſa ſit recuperatóriæ actionis; ſiue ſit capitalis; & innoxius per vaſtam malignitatem forenſis accipitris cauſa cadat, exſugitur, ac bibitur ſanguis illius: quod clarum eſt de cauſa capitis. Nec eſt etiam obſcurum de cauſa recuperatorij iudicij, cum opes ſint ſanguis hominis, vt multis illuſtro in opere de Martyrio, p. 1. cap. 5. à num. 2. & optimè idē tradit S. Auguſtinus ſerm. 5. ex 40. nouis, ac Nicephorus Gregoras l. 9. hiſtor. c. 20. cum de expilatione ædium magni Logothetæ.

VII. Extra iudicium forenſe, S. Paulus 1. Theſſ. 4. inter grauia ſcelera numerat, ſupergredi & circumuenire in negotio fratrem ſuum, cuius maligni doli vindicem fore Dominum, conteſtatur. Aptiſſima autem vindicta eſt, ſuccidere vitam, cuius fouendæ & blandè exigendæ gratia, doli omnes in negotijs concinnantur. Obſcurum autem eſt, quid Apoſtolus eo loco *per circumuentionem & ſupergreſſionem in negotio*, intelligat. Latinorum enim pleriqué, hæc accipiunt de frauda & circumuentionem in negotijs quibuſuis humanis; vt contractibus, mercimonij, alijſque huiuſmodi. Sed S. Hieronymus in cap. 4 ad Epheſ. ad illud, *in operationem immunditiæ omnis, in auaritia*; eam *auaritiam* interpretatus de cupiditate plus fruendi turpibus voluptatibus, quàm liceat, ad hunc quoque Apoſtoli locum eam interpretationem extēdit; conſiderans ita planè ferre texturam Apoſtolici diſcurſus. Subdens enim Apoſtolus cur Deus ſit vindex huiuſmodi circumuētionis in negotio, & aliarum macularum de quibus egerat, reddit rationem; *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem*. Quæ ratio non quadraret, niſi dolus in negotio, de quo immediatè ante egerat, pertineret ad turpitudinem: quæ rectè ac verecundè exprimitur nomine *negotij*, non modò apud Clementem Romanum 3. Conſtit. cap. 2. ſed etiam vernaculo Gallorum idiomate; quo *negotium, auoir affaire*, cum muliere turpa commercium deſignat.

Quanquam autem hic dolus erga fratrem, cuius vxor captatur, aut fœdatur, deterrimus eſt, & igni vſque ad perditionem deuoranti confertur à Scriptura; nec dubium quin Deus vindex ſit in huiuſmodi, præ tanta ſceleris atrocitate, quantam aperit Philo lib. de decalog. *circa præceptum* 3; tamen Pſaltes, doloſos quos viris ſanguinum adiungebat, & dimidiaturos ætatem ſuam negabat, videtur intellexiſſe eos qui per iniquas criminationes & doloſè conficta ſcelera, euertunt proximos; quibus à Deo celerem mortem denōnciat. Eiuſmodi erat Doëg, qui falsò criminatus Dauidem & Sacerdotem Achimelech, octoginta quinque viris veſtitis ephod lineo exitium creauit: nec per eum ſtetit, quominus Dauid ea calamitate inuolueretur, vt habetur 1. Reg. 22. & Pſalmo 51. vbi dolus quem potens in iniquitate Doëg, ſicut nouacula acuta fecerat, exagitatur, & ſubiungitur: *Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium*: quibus verbis, præfinitos et accelerata vitæ ac mortis terminos inſinuatur.

Nec non liberi parentibus moroſi.

VIII. GEnus aliud peccati, cui Deus præfixiſſe ſignificatur, vitæ ac mortis terminos non multùm prorogandos, eſt inobedientia erga parentes, eorúmue inhonoratio. Nam in præcepto de colendis parentibus cautum diſertè eſt, longæuitatem ſuper terram ijs eſſe conſtitutam, qui officio illi non defuerint. E contrariò igitur, qui ſecus ſe gerunt, intelliguntur multandi celeri ſucceſſione vitæ, tanquam rei ſceleris omnino grauis: quippè admiſſi in Deos conſpicuos; ſic enim viſum eſt nonnullis, nominandos parentes reſpectu filiorum, vt Philo lib. de Decalogo *circa præceptum* 4. notauit. Indigni itaque ſunt qui vitæ vſuram habeant diuturnam, qui erga eos à quibus vitam acceperunt, non ſunt reuerentes. Vulgare eſt exemplum quod ſua ætate geſtum recitat S. Bernardinus t. 2. Domin. 1. quadrag. ſ. 17. in oppido *Sui*, non procul Valentia. Adoleſcens enim duodeuicennis, actus in furcam propter facinora admiſſa, cum imberbis illuc vſque fuiſſet, mox à ſuſpendio, excreſcente barba, canitiem velut nonagenarij hominis præferente, ſpectaculum exhibuit plenum ſtuporis. Sed Epiſcopus poſt indictas preces & conſultum de eo euentu numen; docuit, adoleſcentem fuiſſe peruenturum ad vitæ terminum, quem ea canities demonſtrabat, niſi ob ingeſtas parentibus moleſtias, meruiſſet citò ſuccidi, cōſentaneè ad diuinum decretum de filijs erga parentes contumacibus, ad eum modum multandis. Quod ſignificatum videtur verbis illis Prou. 10. *Qui maledixerit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. Item oppreſſione populorum.*

IX. Impij Principes, in ſubditorum euerſionē incumbentes, qui tondere oues non contenti, deglubunt eas, & res ſuorum eò deducunt, vt genuiſſe mœrori ſit, & orbitas ponatur in lucro, vt Ennodius in vita S. Epiphanij dicentem inducit Sanctum illum Antiſtitem. Scripturæ ergo omnino multæ quas addenſat Menochius lib. 2. Hieropol. c. 8. talibus delectionem ante tempus ſuum, & ſubuerſionem fundamenti eorum perſonarum iuxta Iobum cap. 22. ſæpè ſæpiùs denunciant, tanquam Deo ſucciſionem eorum antecedenter prælocuto. Dimiſſis autem alijs locis quæ proferri poſſent ex Deuter. 17. Pſal. 54. & 124. ac 128. pulchrè Siracides c. 10. Eccleſiaſtici id videtur tradidiſſe cum dixit. *Omnis potentatus, breuis vita. Languor prolixior grauat Medicum: Breuem languorem præcidit Medicus: hic & Rex hodie eſt, & cras morietur:* Potentatum appellat dominationem impotentem & effrenem, cui quod libet, licet. Eiuſmodi ergo potentatui multò celeriorem vitæ terminum à Deo conſtitui quàm æquis Principibus oraculum eſt Spiritus Sancti per Siracidem, iuxta Menochij loco allegato expoſitionem, qui breui id eſt recenti necdum confirmatæ ægritudini, adhibent citam medelam, ne ſi inualeſcat & prolixa fiat, vaſter denique miſerum ægrotum. Similiter ergo Deus Principem nequam & ſuis exitialem, morte præpro-

ſeet

pera abolet, non relinquens virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, & innocentum, omni calamitate per tyrannicam ſuperbiam inuolutorum.

Quibus pijs fixi antecedenter à Deo vitæ termini, iuxta aliquos

X. SIcut prædictis peccatis, diuino antecedenti decreto, breues vitæ ac mortis termini præfiguntur, iuxta Scripturas propoſitas, ita bonis quibuſdam operibus, longitudo dierum diuinitùs præfinita ſpondetur. Hoc eſt manifeſtum, de filijs ritè parentes colentibus. Deuter. 5. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & benè ſit tibi.* Eccleſiaſtici 3. *Qui honorat patrem ſuum, vitâ viuet longiore.* Ephel. 6. *Honora patrem tuum & matrem tuam, (quod eſt mandatum primum in promiſſione,) vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terrã.* Et huc refert D. Thomas 2.2.q.122. art. 5. ad 4. illud ex 1. Timoth. 4 *Pietas promiſſionẽ habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Non eſt quidem præceptum de honorandis parentibus, abſolutè primum, imo eſt quartum ordine. Eſt tamen primum præceptum cui Deus adiunctam voluit expreſſam promiſſionem vitæ diuturnæ, ex æterna præfinitione obuenturæ ijs qui in hac parte rectè ſe geſſerint. Voluit enim Deus, hoc illice temporariæ remunerationis in bono maximè expetibili, prouocare liberos ad cultum parentum: ſpondens illis remunerationem congruam, vitæ diuturnitatem, vt benè ratiocinatur poſt D. Thomam ſupra, Heſſelius in IV. Decalogi præceptum c. 24. Nam gratus de accepto beneficio, dignus eſt cui beneficiũ conſeruetur; è contrario qui beneficij accepti gratitudine non tangitur, dignus eſt vt quod habuit auferatur ab eo, nec gaudeat beneficij prorogatione, iuxta Senecam, in Chriſti ipſius doctrinam. Atqui parentum in liberos beneficium eſt, collata eis vita. Si igitur honorando parentes, tanquam eos à quibus vitam acceperunt, gratos ſe illis præbuerint, digni planè erunt quibus vita conſeruetur, & diuturnam viuant vitam, donec ſaturi dierum ad vitam nullo cõcludendam termino transferantur, vt ſpopondit qui non mentitur Deus; ſollicitior quodammodò de horum ſuorum Vicariorum honore, quàm de ſuimetipſius cultu, cui nihil tale rependendum expreſſi. Nam quamuis extra omnem comparationem, quilibet plus aſtringatur Deo colendo, quàm parentibus: tamen quòd liberorum ingratitudo & immemoria beneficiorum plus timenda ſit erga parentes, quàm erga Deum, cuius reuerentia non periclitatur ob imperfectiones quibus laboret ſicut ſæpè periclitatur cultus parentum; idcirco placuit ipſi; prouocare liberos ad officium erga parentes, expreſſione præmij temporalis, quod vitæ longæuitate ab æterno in eam rem præfinitæ, continetur.

X Charitati in egenos, idem ſæpè promiſſum legimus. Eſt enim actio admodùm accepta Deo, & idcirco ab antiquis antonomaſticè *opus*, aut *operatio* dicitur, vt cõſtat ex titulo tractatûs Sancti Cypriani de *opere & eleemoſinis*. Idemque habet Tertullianus in calce libri de idololatria, alibique non ſemel, & Prudentius, cum in Pſychomachia opponit auaritiæ, *operationem*. Quare adeò pretioſo operi, iure prædefinita eſt vitæ vſura diuturna, vt ſonant pleræque Scripturæ. Tobiæ 4. & 12 *Eleemoſina à morte liberat.* Dan. 4 *Vir ſi fuerit iuſtus, & panem ſuum eſurĩẽti dederit, & nudũ operuerit veſtimento, vita viuet ait Dominus Deus.* Eſſe *iuſtum*, hoc loco, idem eſt quod exercere in egenos charitatem. Nam apud Paulum, *Incrementa frugũ iuſtitiæ*, & apud Matthæum, *Iuſtitia facta coram hominibus*; & apud Pſaltem, *Iuſtus in memoria æterna futurus*, pertinent ad eleëmoſinam & eleëmoſinæ erogatorem. Eleëmoſina quippè, tametſi eſt actus miſericordiæ, & tamen eſt antonomaſticè opus ſanctum, conferens ad hominis iuſtitiam & ſanctificationem. Denique Eccleſiaſtis 11. mittẽti panem ſuũ ſuper trãſeuntes aquas, hoc eſt in egenos, qui velut aquæ fluunt, & dilabuntur, ſpondetur quod poſt multa tempora inueniet eum, quia vitam viuet diuturnam, rependendam à Deo, in cuius dextera eſt dierum longitudo; & ipſe eſt qui conſeruat atque viuificat eum qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Et iuſta ſanè videtur repenſio, vt qui de ſua ſubſtantia alienam vitam fulcit, & conſeruat, accipiat in eodem genere remunerationem? vitæ munere à Deo vitæ auctore cumulatus; deprecante præſertim eleëmoſina in ſinu pauperis abſcondita; quod genus ſuffragij apud Deum eſt efficaciſſimum.

Denique numerari à Deo annos beneficorum in proximos, & eorum terminũ proſpici hinc ſuadetur. Fuiſſe Hugonem Tuſciæ Marchionem, cũ alijs ornamentis Chriſtianis & ciuilibus illuſtrem, tum nominatim charitate erga ſubditos, Petrus Damiani Glaber, Sigebertus, Platina, & alij in eius Laudes effuſi commemorant. Pleraque ex varijs collegit Baptiſta Laurus in Appendice ad Tractationem de annulo B. Virginis. Huius ergo eximij Principis vitam certis diuinitus terminis fuiſſe concluſam, videri poteſt ſignificatũ eo viſo quod Epiſcopo euidam obiectũ referunt. Iacebat Hugo Piſtorij ex morbo qui eum paulo poſt ſuſtulit. Et cum frequentiſſimus magnatum, cœtus adeſſet, omneſque grauitas morbi haberet ſollicitos, Epiſcopus quidam in igne qui Luculentus in camino ardebat, expreſſum litteris hoc lemma perſpexit; HVGO MARCHIO QVINQVAGINTA ANNIS VIXIT. Erat is numerus annorũ Hugonis qui non multo poſt magno ſui deſiderio relicto, ſanctè exceſſit. Quis neget igneas illas litteras fuiſſe expreſſiones diuini diplomatis de morte Hugonis in eo temporis articulo. [Ac ne principũ dũtaxat terminus vitæ prædefinitus videatur, extat in vita S. Colũbæ Abbatis narratio quæ omnibus indiſcriminatim poſitas ſimiliter metas docet. Ægrotabat Broichanus Regi in paucis charus, quo obſtitẽre, ancillæ exſolutionem S. Abbas fruſtra popoſcerat. Rogatus ergo vt periclitanti Broichano opitularetur, lapidem à ſe benedictum tranſmiſit, ſpondens ſalutem ſi famula dimitteretur libera, bibendo ex aqua in quam lapis ille intinctus eſſet. Conditione impleta & ſanitate Broichano reſtituta, lapis in Regijs theſauris eſt reconditus, & multis ſanitatem contulit, innatans aquis poſt eum attactum propinatis. Sed mirum dictu, ab his ægrotis quorum vitæ terminus ſuperuenerat, requiſitus idem lapis, nullo modo reperiri poterat; & ſic in die obitus Brodeij Regis quærebatur, nec tamen in eodem loco vbi priùs fuerat reconditus, inueniebatur.] Quid hæc niſi nota certa prædefinitæ diuinitùs & ineuitabiliter præ-

ſtitutæ

ſtitutæ mortis aliquorum, ad quorum opitulationem lapis diſpatebat.

Reiecta termini vitæ præfinitio, ſiue pro malis, ſiue pro bonis operibus.

XII. HÆc ſunt quæ pro terminorum vitæ ac mortis præfinitione, quibuſdam bonis aut malis operibus correſpondente, proferri poſſunt. Et reuerà proferuntur ab aliquibus hoc negotium diſcutientibus. Nihil tamen in his omnibus deprehendo, quod eam præfinitionem diuinam euincat. Imo pleronque mali, peccata de quibus dictum eſt, exercentes, vitam viuunt diuturnam, & in nequitia conſeneſcunt. E contrario autem pij ac iuſti longitudinem dierum non aſſequuntur, Deo melius aliquid illis prouidente. Vbi ergo prædefinitio terminorum vitæ ac mortis commenſa meritis? Imo genus illud repenſionis, non ſatis quadrat cum Chriſtiana ſanctitate: nam Hebræis quidem quia admodùm carnei erant, oſtentabatur præter alias temporales benedictiones, vitæ diuturnitas; nunc autem mutatis temporibus, alia ſpondentur pretioſiora atque maiora. Et ſi quando placet Deo, etiam benedictionis illius inter temporales primariæ, compotes facere ſeruos ſuos, (vt ſanè interdum facit,) nõ interuenit antecedens vllum decretum, à Deo ex ſe formatum, de tali bono conferendo: ſed tantùm interuenit ſpecialis prouidentia, aptans curſum ſecundarum cauſarum, vt effectus ille abſque ineluctabili præfinitione conſequatur; de qua prouidentia, dicetur plenè inferiùs. Nec aliter ſtatuendum eſt de termino vitæ ac mortis improborum, extra infrequentiores euentus in quibus Deum ex ſe & antecedenti decreto terminos vitæ malorum præfigere, ſupra admiſimus. Cæterum quæ pro præfinitionibus propoſitis ſunt adducta, nullo negotio expediri poſſunt.

XIII. Quod attinet ad præfinitiones terminorum vitæ & mortis, eorum qui certis peccatis ſe commaculant, perperam imprimis huc aduocatur peccatum ad mortem. Non enim Apoſtolus vocauit *peccatum ad mortem*, illud peccatum cui mors corporea eſt antecedenter conſtituta à Deo: nullum enim eſt huiuſmodi peccatum, cum nulla ſit labes peccati quantumuis terra & enormis, quæ ex antecedente Dei lege plectatur in hac vita, irrogatione mortis corporeæ confeſtim rependæ: ſed pleronque mors cuiuſcunque peccatoris, permittitur curſui cauſarum naturalium; ita vt mors ſæpè diu differatur, & cum incurritur, non habeat rationem pœnæ grauium peccatorum quæ homo admiſerit; ſed incurratur ex conditione naturæ. Quid igitur eſt apud Apoſtolum, *peccatum ad mortem*? Præter Interpretes, id excutiunt diligenter, Vaſques 1.p.d.97.c.1. Suares t.4.3.p.d.8.ſ.2.à num.10. Bellarminus l.2.de pœnit.c.16.in fine, Herice 1.p.d. 34.cap.8. Videtur legitimam illius peccati notionem tradidiſſe Autor Epiſtolæ ad Euagrium, qui Leuitam lapſum repulerat. Eſt a 3.tomo 9.Hieron. [In Epiſtola ſua (inquit,) Ioannes orari mandat pro fratre qui non habet peccatum vſque ad mortem. Credo qui non vſque ad extremum vitæ finem, peccatorum ſuorum malis fuerit ſubiectus.] Nec aliter his verbis S. Gregorius 16. Moral.c.31.ad illud, *& vſque ad inferos peccatum illius.* [Peccatum vſque ad inferos dicitur, quod ante finem vitæ præſentis, per correctionem ac pœnitentiam non emendatur: de quo videlicet peccato, per Ioannem dicitur, *Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico vt roget quis.* Peccatum námque ad mortem, eſt peccatum vſque ad mortem; quia ſcilicet peccatum quod hîc non corrigitur, eius venia fruſtra poſtulatur; de quo adhuc ſubditur *obliuiſcatur eius miſericordia.*] Locus notandus, contra affictam S. Gregorio orationem pro Traiano in peccatis ſuis pridem mortuo. Ex ea autem peccati ad mortem interpretatione, quæ verè legitima eſt, & quadrans Apoſtolico inſtituto, nihil poteſt colligi pro præfinitione terminorum vitæ ac mortis corporeæ, cuiuſcunque peccatoris.

XIV. Nihil item pro iiſdem præfinitionibus eruitur, ex ijs quæ in Scriptura traduntur de viris ſanguinum & doloſis, & erga parentes contumacibus, corpoream mortem commeritis; & indignis qui diu degant in terra. Quamuis enim eorum demerita ferrent citam è vita ſubductionem, eamque Deus interdum reponat; interdum quoquè Iudex, vltore gladio iuxta leges humanas eam inferat; tamen nulla eſt de ijs mortis ac vitæ terminis ſtata lex; cum ſæpè ſimilia peccantes, expectentur ad non breuem morem. Itaque omnia quæ proferebantur pro præfinitione terminorum mortis ac vitæ, in illis qui ſe prædictis maculis inquinauerint, ad ſummum euincunt quid iuſte rependi poſſet talibus peccatoribus. Et nominatim ita accipiendum eſt, quod proferebatur de cadauere ſanguinante ad præſentiam homicidæ. In quam rem, pleraque adducta ſunt in morali diſtinct.3.à n.402. Et multi etiam alij ibidem adducti in eam difficultatem explanandam nauarunt operam, vt multi Iuriſperiti adducti à Farinacio in pract. Crimin. qu.52. num. 154. & alij DD. quos proferunt Lælius tom. 2. ſubſec. lib. 13. cap. 1. Collius lib. 4. de ſang. Chriſti, d. 3. Fortunius Liceta t. 2. de quæſitis per Epiſt. cap. 45. ac Libauius tract. de cruentatione cadaueris. Sed quod iſte totus eſt, in eo effectu ad naturalem cauſam referendo, mihi non probarur, vt dixi citato loco, vbi ea opinio exploſa eſt monſtratumque eam ſanguinationem, cum contingit, ad ſupernaturalem Dei operationem eſſe referendam: non vt oſtendatur, præfinitum eſſe homicidæ terminum vitæ; ſed vt eius occultum ſcelus pãdatur, & quid commereatur manifeſtum fiat. Quod autem nihil communione ſit prædictæ ſanguinationi cum præfinitione terminorum vitæ ac mortis, ob perpetrationem cædis proximi; manifeſtè euincitur, ex eo quod non ſemper verum, cadauer ſanguinare ad præſentiam homicidæ. Et tamen ſi eſſet connexio inter præfinitionem mortis pro tali peccato conſtitutam, & effectum illum ſanguinationis, neceſſe eſſet, cadauer ſemper ſanguinare adueniente homicida; contra quàm certis experimentis deprehenſum ferunt.

XV. Denique expreſſa in varij ſcripturis longæuitatis repenſio, ijs facienda qui honori parentum, & beneficentiæ in pauperes fuerint addicti, malè trahitur ad negotium in quo verſamur: cum ea longæuitas non ſemper ijs obtingat, qui bona illa opera exercent, eo quod maius illorum bona aliud ferat. At diuinæ promiſſiones de repenſione illius boni ad quod ſaluant omnes mortales, intelliguntur, ſi ita expediat, conſentaneè ad æternum hominis bonum, vt notauit S. Thomas 2.2.q.122. art.5.ad 4. ſi antè interueniſſet diuina præfinitio at-

que adeò voluntas abſoluta repẽdẽdi tales tẽporalis vitæ terminos, omnibus qui bona opera propoſita exercuiſſent, nemo illorum, expers eſſet diuinæ illius remunerationis. Pro illis verò quibus reipſa obtingit ea temporalis vitæ longæuitas, repenſa intuitu bonorum operum prædictorum, nihil eſt neceſſe intermiſcere præfinitiones terminorum vitæ & mortis quos ſortiũtur: cum abſque omni tali Dei decreto, omnia poſſint exponi, recurrendo ad ſpecialem Dei prouidentiam, conſequentem curſum cauſarum naturalium, vt pleniùs ex infrà dicendis intelligetur.

XVI. Argumentum ex ſcriptura ignea, in qua Hugonis Marchionis vitæ finem legi contigit, nihil reuera ad hanc rem facit. Ea enim expreſſio termini vitæ Hugonis in flamma ignis, non fuit propoſitio diuini decreti antecedentis de morte Hugonis tunc per antecedens Dei decretũ irroganda: ſed poſito quod omnibus æquo obiecta fuerit, nec referatur ad ſpectium imaginatium ſoli Epiſcopo qui adducebatur, *repræſentatum*; aliud non continuit aut indicauit quàm tunc ſecuturæ mortis prænunciationem. Quæ reſponſio, poteſt etiam ad exemplum quod ſubijciebatur accommodari.

PVNCTVM VI.

AN MORS EORVM, QVI ex peſte occumbunt, ſit antecedenter prædefinita diuinitùs.

NON pauci, vel inſinuant, vel affirmant, mortem ex peſte irrogatam, fuiſſe diuinitùs prædefinitam: Putant enim eſſe peculiarem rationem, mortis ex ea cauſa inflictæ, ita vt ad antecedens Dei decretum referri debeat.

Quibus arridere viſa prædefinitio mortis ex peſte;

I. VIſus planè eſt adinſinuare Gregorius II. Epiſtola 14. ad S. Bonifacium, (eſt 116. inter S. Bonifacij Epiſtolas.) Monitus enim à S. Bonifacio Gregorius, quod lue graſſante, Monachi & Clerici ſani, fugam arripuiſſent, reſcripſit. [Valdè fatuum hoc iudicatur. Non enim quiſquam Dei effugere manus poterit.] Suffragari videntur varij Patres, quorum nonnullos iuuat adſcribere.

Anaſtaſius Sinaïta q. 114. noua, & Athanaſius qu. 102. & 103. ad Antioch. iiſdem vterque verbis, Deum peſtis auctorem perſpicuè agnoſcit, & fruſtra aduersùs hanc cœleſtem plagam, ſalutem per fugam captari, conteſtatur. S. Ephrem t. 1. Opuſc. 40. cuius titulus eſt, *ne decipiamur Gẽtiliũ erroribus*, latè confirmat id de quo agimus, his præter cætera. [Mortalitate gliſcente, in vrbe Conſtantinopoli, multiſque morientibus, Medicus quidam cognomento *Domnus*, plurimorum tunc ibi cladem, & aliorum timorem quo detinebantur, cernebat. Et ex his quidem qui moriebantur, alij artifices erant, qui igne ſua opera conficiebant: alij in cellis ſubterraneis degebant. Qui verò in altioribus locis habitabant, & ſerenioris ſubtilioriſque aëris beneficio perfruebantur, peſtis contagium euadebant. Atqui iſta in Domno contigerunt, poſtquàm animum ad vanam Gentilium ſapientiam imbibendam appulit. & eiuſmodi mentem ſuam lædi paſſus eſt. Et vt iſta hic effutire cœpit, biduo aut triduo poſt, morbo correptus, iacuit ſemiuiuus, proprios ſubornans ſeruos, qui ipſum in ſuburbium eius ferrent, vt mortuus ibi ſepeliretur: quem alius Medicus cui nomen *Macedonius*, videns deportari iam agentem animam, (erat autem ipſe vnus ex ijs qui futilem eius loquacitatem audire ſolebant) ait; hic tametſi pulcherrima domo ac ſereno aëre perfrueretur, non eſt ſaluatus: ſed eccè obrutus eſt, nec ſuæ ipſi profuerunt nugæ. Et Dumnus quidem ad ſuburdia delatus, ibique mortuus ac ſepultus eſt. Macedonius verò ab ingruente mortalitate præſeruatus, vitæ priori renuncians, ſyncerioris vitæ inſtitutum, monaſticum ſcilicet, amplexus eſt, ab illius impietate nidimè contemptus.] Confirmat S. Ephrem reſolutioné datam; & peſtem à Deo immitti, cuius manus ineuitabiliter feriat, oſtendit ex 2. Reg. 24. vbi diſertè proditur, Deum per Angelum bonum immiſiſſe peſtem, in vltionem noxæ Dauidis qui populum præ vanitate numerarat. Nec obſcurè ex eodem Dauidis exemplo idem eruit S. Gregorius lib. 8. Epiſto. 41. Dei ipſius manu ſuccumbentem populum deſcribens.

II. Multo autem frequentius videtur, vt Deus in hanc rem opera malorum Angelorum vtatur, tanquam carnificum ſuorum; quo pacto de dæmonibus loquitur Chryſologus ſerm. 17. annuitque Origenes in fine ſeptimi contra Celſus, & l. 8. cum agit de præfecturis quas Celſum dæmonibus tribuebat; annuunt item Syneſius Epiſt. 44. & Baſil. in cap. 13. Eſaiæ, ac Auguſtinus ad illud Pſalmi 77. *Immiſſiones per Angelos malos.* Idem eſt quod S. Hieronymus Ioëlis 2. vocat Dæmones, *Dei quæſtionarios, atque tortores.* Quod verò Angelos illos malos, quorum immiſſiones memorat Dauid, de Angelis ſanctis malum inferentibus accipiendos cenſuit Pererius in cap. 7. Exodi, diſp. 12. ita vt Angeli ibi dicantur *mali*, non abſolutè ac in ſeipſis, ſed reſpectiuè; (id eſt noxij atque nocentes, quo ipſo modo ibi verterunt aliqui:) non cenſeo admittendum, quia non quadrat communi vſui illarum vocum, nec propenſioni ſanctorum Angelorum ad benefaciendum; præſertim ſi malum de quo agitur, inferatur viris iuſtis. Nam quoad impios, notum eſt ex Lothi hiſtoria, bonos Angelos inferre nocumenta iubente Deo. Quoad peſtem ergo quæ promiſcuè in probos & improbos graſſatur, frequentius videtur, vt Deus adhibeat Angelos malos; vt factum eſt in vrbe Neocæſarienſi, cum ibi S. Gregorius Thaumaturgus ageret Epiſcopum. Rem diffusè deſcribit S. Gregorius Nyſſenus, in laudatione eiuſdem Thaumaturgi. Agnoſcunt quoque malos Dæmones peſtem immittere, Tertullianus c. 22. Apolog. & Athenagoras in legatione Apologetica pro Chriſt.

III. Suntque commodæ ad id confirmandum, narrationes complures, præter eam quæ iam adducta eſt ex Nyſſeno. Nam Agathias lib. 5. hiſtor. & Procopius lib. 2. de bello Perſico referunt, in lue ſæuiſſima qua ſub Iuſtiniano in ſola ora Byzãtina quot diebus quina millia, aliàs dena millia funerum numerabantur, dæmonum ſpecie humana conſpicuorum phantaſmata apparuiſſe,

uiſſe, à quibus peſtis inferebatur. Exemplum quod ſuppeditat Gregorius Turonenſis in vitis Patrum, c. 17. quod eſt de S. Nicetio Trevirenſi, videtur in hanc rem eximium. Sic enim ſcribit. [Cum lues inguinaria, Treuericum populum in circuitu ciuitatis valdè vaſtaret, & ſacerdos Dei pro ouibus commiſſis, Domini miſericordiam imploraret aſſiduè, factus eſt ſonus de nocte, magnus tanquam tonitruum validum, ſuper pontem amnis, ita vt putaretur vrbs ipſa abſorberi. Cúmque omnis populus exterritus, in lectulis reſediſſet, lethiferum ſibi interitum opperiens; audita eſt in medio tumultis, vox vna cæteris clarior dicent. Et quid hîc, ô ſocij faciemus? Ad vnam enim portam Eucharius Sacerdos obſeruat; ad aliam Maximinus excubat; in medio verſatur Nicetius. Nihil hîc vltra præualere poſſumus niſi ſinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hac voce audita, ſtatim morbus quieuit, nullusque ab eo vltra defunctus eſt.] Perſpicuè liquet, malos Angelos abſtitiſſe plagam luis inferre, abſterritos tutela quam tres S S. Treuirenſes Antiſtites, defuncti duo, Eucharius & Maximinus, ac S. Nicetius tunc ſuperſtes, vrbi Treuirenſi impendebant. Eorum porrò abſceſſu, deſijt lues infeſtare ciues, nec vllum deinceps perculit: ac proinde ab eis exiſtebat malum. Æquè Cedrenus in hiſtoriarum Compendio, diram peſtem ſub Conſtantino Copronymo graſſatam, illam refert à malis Angelis qui viſibiliter conſpicui apparebant. Eſt etiam inſigne in hanc rem exemplum apud Paulum Diaconum lib. 6. hiſtor. Longobard. c. 2. vbi Paulus deſcribens teterrimam peſtem Romæ ac Ticini graſſatam anno 680. ait; [Tunc viſibiliter multis apparuit, quia bonus & malus Angelus, noctu per Ciuitatem pergerent, & ex iuſſu boni Angeli, malus Angelus qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo oſtium cuiuſcumque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſequenti homines interirent.] Hoc quid aliud fuit, quàm typus & imago viua diuinæ prædefinitionis, de morte aliquibus inferenda per malos Angelos, denunciante Dei voluntatem Angelo bono.

IV. Eundem fuiſſe ſenſum Ethnicorum multorum, peſtem & oriundum ex ea interitum referentium ad Deum, per malos dæmones exequentem quod decreuit de aliquibus è medio tollẽdis, monſtrat Raymundus Mindererus tract. de peſtilentia, c. 8. nec obſcurè fuit in ea ſententia Domitianus, vt colligitur ex Philoſtrato lib. 8. vitæ Appollonij c. 2. nam eum Appollonius ob liberatam peſte Epheſum, criminationi patuiſſet, volenſque ſe apud Imperatorem purgare, propoſuiſſet cauſas peſtis exponere, tenuit audire eas cauſas Domitianus [Timens (ait Philoſtratus) ne iniuſtitiam, & ſceleratas nuptias, & cætera quæ præter rationem fecerat, morborum cauſas eſſe diceret.] Itaque ea inſederat Domitiani animo perſuaſio, quod peſtis ab vltore Deo inferretur, adminiſtris haud dubiè Angelis malis, in ſui decreti antecedentis de termino mortis aliquorum ſic pereuntium, executionem.

Ad eam præfinitionem aſtruendam, coniecturæ ac exempla.

V. Varijs coniecturis potiùs quàm rationibus, ad hanc ſententiam confirmandam vſos video varios. Laurentius Condius à Ripa Tranſona lib. cui titulus, *Medicina philoſophica contra peſtem*, argumentatur imprimis, ex eo quod incredibile videatur, vnius tenuiſſimi fili attactu, quod homo peſte laborans tetigerit, inferri certam necem. Itaque agnoſcenda ibi eſt, cauſa ſupra naturam operans. Quæ verò alia quàm Deus, hanc vitæ metam ponens filum virulentum contingenti? Præterea ferunt, ex panis, & carnis, & aliorum ad vitam neceſſariorum contactu, luem non contrahi, ſed ex contactu pecuniæ: quem eſſe peſtiferum ac lethiferum, experimenta faciunt teſtatiſſimum, Deo haud dubiè ita ſtatuente, vt agnoſcant mortales quid ſit ipſis exitiale atque lethiferum. Ad hæc, incredibile eſt tantilli aëris intra venam concluſi vim eſſe tantam, vt maximæ orbis parti inficiendæ ſit ſatis: quod tamen proditur de halitu ex aperta arcula aurea afflato, anno Chriſti 170. Quid quod multi cum contactis verſantur impunè, quamuis nullo præmuniti alexipharmaco; alij verò omnibus ſcrupuloſiſſimè adhibitis cautionibus, vel ad ſolum contacti è longitudo contuitum, peſte corripiuntur, ac pereunt. Sæpè qui verſatur cum lue contractis, non inficitur ipſe; ſed tamen alios inficit quibuſcum poſteà verſatur. At quomodò hic daret quod non habet?

VI. Ex Euagrij hiſtoria, cum deſcribit peſtem per annos 52. graſſatam, multa expendit idem Laurentius Condius, quibus teſtatum faciat, peſtem intellectuali modo operari; vtique admotam ab intelligentia, Deo videlicet per Angelos operante: vnde aliqui quaſi delecti peribant, non item cæteri admiſti. Apud Euſebium lib. 9. hiſtor. c. 8. illæſis Chriſtianis, ſoli Ethnici aut Hebræi, ex peſte occumbebant. Hoc quis non videt, ad Dei manum eſſe referendum? Neque enim fides Chriſtiana, vim morbi naturaliter infringere, vel auertere potis eſſet. Illuſtriſſimum in hanc rem eſt, exemplum Sodalium S. Eligij de quibus Aubertus Miræus in Notis ad auctarium Aqnicinct. Chronici Gẽblac. De ijſdem Antonius de Lions librum nuperrimè vulgauit, eſtque res comperiiſſima & teſtatiſſima. Contrectant hi Sodales lue contaminatorum cadauera, perinde ac cæterorum; & puerorum quidem corpuſcula inter brachia efferunt; Aliorum, è lecto in quo expirarunt depoſita corpora, linteo funebri inuoluunt & includunt ſarcophago, illæſi ſemper & à peſte immunes in eo charitatis exercitio. Nam extra illud, ſunt æquè obnoxij contrahendo contagio, ac cæteri. Si quando præ cadauerum multitudine, qui à Sodalitij Præſide ſunt delecti non ſint pares tumulationi, aſciſcunt alios è ciuibus auxiliares; qui etiamſi non conſcripti in Sodalitium, eadem gaudent immunitate. Functi hoc charitatis officio Sodales, redeunt ad ſuos & abſque vllo infectionis ſuorum periculo; domum remigrantes, cum coniugibus & liberis eos nullo modo horrentibus aut extimeſcentibus, agunt, perinde ac ſi lues non ſæuiret, aut qui eo charitatis officio ſunt functi, aliquod aliud munus purum ac nitens obiuiſſent. In Normãnia Gallica idẽ inſtitutum vigere, neminem latet. Hæc apertè monſtrans interuenientem intelligentiæ manum.

VII. Nec aliter ſtatuendum de exemplo planè inſigni quod ex M. S. Diario à Cardinali Toleto Romani Collegij Bibliothecæ, relicto; per Blaſium Baronum Martinellum, Pontificum Saecel-

lanum, alióſque exarato, ſuppeditatur; De Guidone Aſcanio, Cardinali Sfortia Vicecancellario, qui Romæ ex peſte deceſſit ineunte ſæculo ſuperiore, anno ſcilicet 1505. & in Eccleſiam S. Mariæ de Populo ad ſepulturam eſt aſportatus? Vir vt in M.S. illo Codice habetur, æterna dignus memoria. Elatus eſt tametſi graſſante lue, perhonorifico funere, comitantibus & funus deducentibus, cum vlulatu veriùs quàm gemitu non domeſticis modò, ſed etiam ciuibus permultis, & plebe copioſiſſima quæ, quacunque pertranſibat feretrum, adjungebat ſe comitem ex omni ſexu ac ætate, ceteróſque & funera pro gradûs & conditionis ſuæ varietate, maiora minoraue præferebant. Et quibus cerea fax, parua aut magna deerat, lucernas vel etiam titiones geſtabant. Priuſquàm cadauer inferretur tumulo, omnes ad manuum & faciei Cardinalis ex peſte demortui, oſcula intrepidi acceſſerunt (mirabile dictu;) veluti conteſtantes fieri non poſſe, vt manus adeò in egenos beneficæ, per quas Deus tam multa bona opera ediderat, dum vita ſupereſſet, in demortuo fierent noxiæ ciuibus, de quibus adeò benè meritæ fuerant per vitæ tempus. Et cum omnes pia oſcula fixiſſent, nemo produur fuiſſe, cui appreſſum oſculum fraudi fuerit: nemo præter morem cæterorum cadauerum, lue contactorum hominum, virulentiam hauſerit. Etiam poſtridiè tumulationis, ex multis Parthenonibus Moniales quas tunc concluſio poſtea inducta minùs vrgebat, ad tumulũ conuenerunt, benefactorem à quo largiſſimas eleemoſynas in ſumma annonæ neceſſitate excipere ſolitæ erant, eo religioſo officio honeſtaturæ, & apud Deum adiuturæ. Quod fecere tantis cum lachrymis, vt ſpectatorum omnium animos ad lachrymandum commouerent, reuocaréntque in memoriam, quod à viduis pupilliſque & egenis, circum Tabithæ corpus lamentantibus, factum Lucas narrat; niſi quod Petrus defuit, qui beneficium mulieri illi impenſum, viro iſti in tot pauperum gratiam rependeret. Fuere pia hæc officia omnibus innoxia, & nemini ſiue aër corruptus, ſiue corporis contactus, ſiue deductio ad tumulum, aut huius frequentatio, fraudi fuit. Quid hoc eſſe dicemus, niſi exaratum vncialibus literis teſtimonium veritatis, cui probandæ ac illuſtrandæ inſiſtimus? Concludit ex his & ſimilibus, is quem dixi autor, peſtem habere autorem Deum, huic aut illi certos vitæ terminos figentem, quos prætergredi nulla humana induſtria liceat.

Ad idem, ratio ex peſtis deſitione.

VIII. EOdem ſpectat ratio, ducta ex eo quod per quas cauſas intellectu præditas, & certo conſilio operantes, aliquid tollitur, & ceſſat eſſe, cum ita placet; per eaſdem ponitur, cum placuit ei effectui dare eſſe. At conſtat, peſtem nunquam tolli vi naturali, ſed ex ſola ſpeciali voluntate Dei, nolentis vlteriùs affligere plebem ſuam, vt fusè confirmat Franciſcus Rondinellus in narratione de lue Florentina anni 1630. & 1633. p. 2. c. 7. qui ad id vtitur prudẽti expenſione, quod omnibus morbis prouiſa ſint à Deo naturæ autore certa remedia; ſiue herbarũ, ſiue foſſilium, ſiue animalium. Peſti verò depellendæ, nullum naturale remedium certum ac ſtatum, eſt à Deo conſtitutum. Imo quod remedium aliquando viſum eſt prodeſſe, aliàs prorſus inutile efficitur: haud leui argumento, quod peſtis primariam cauſam habeat Deum, inde ſumentem occaſiones exequendi decretum antecedenter latum, de vitæ termino morientibus ex peſte conſtituto. Idque perſpexiſſe Ethnicos, confirmat idem autor, ex eo quod ipſos ad primum peſtilentiæ ſenſum, tanto ſtudio adimplorandum deorum ſubſidium accurriſſe, ſit teſtatiſſimum.

IX. Conſtat ſanè, non rarò peſtem adhibitis ſupernaturalibus remediis illicò euanuiſſe, vt infrà referam de atroci peſte Byzãtina ſub Iuſtiniano. Et conſtat de peſte Romæ graſſante, S. Gregorio in Pontificẽ electo. Idem proditur in variis hiſtoriis Sanctorum, qui per tempus peſtis publicas preces indixerunt, & numen mox placarunt; peſte ſupra omnem naturalem ſpem, confeſtim depulſa. Signaui quædam exempla, tractans proceſſiones Heteroclitas à n. 7. ſuppetunt verò alia omnino multa: vt quod de S. Genouefa narrat Anonymus miraculorum eius collector. Et quod habetur apud Bzouium anno 1215. num. 8. & quod recitat Monachus Benignianus in vita S. Vrbani Lingonenſis, cap. 3. necnon aliud quod eſt in Actis S. Oſualdi Epiſcopi Vigorniensis cap. 21. & quod narrat Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, ad diem 2. Maij. Argumentum id eſt, à ſolo Deo ablatæ, atque adeò per eum ſolum inductæ peſtilentiæ, ad executionem decreti ſui antecedenter lati, de termino vitæ vniuſcuiuſque ex peſte occumbentis. Non deſunt apud Ethnicos exempla proportionalia, peſtis ad ſtudia ſuperſtitioſa mox dilabentis, ſatagente dæmone infigere eâ viâ cultum falſorum numinum: atque adeò vel ceſſante nocere, poſitis interpellationibus ſuperſtitioſis, vel adhibente idonea curationis remedia, quæ habet perſpectiſſima. Sed his exemplis non eſt hîc dandus locus, cum inde autor talis calamitatis non monſtretur eſſe Deus; quod hîc quæritur. Sufficiunt ergo exempla Chriſtiana propoſita, quibus diuini decreti antecedentis aſſertio, circa mortem à peſte illatam, videtur inſinuari.

Exempla, idem directè ferentia.

X. SVnt etiam quædam exempla quibus directè ſignificatum videtur quod ex ſublata peſte indirectè collegi; nempè peſtem à Deo immitti ad decreti ſui antecedentis executionem de fixo cuique vitæ termino. Nam apud S. Gregorium 4. Dialog. c. 26. narratur de puero armẽtario, peſte Romæ, Narſi patricij tempore percuſſo, qui priuſquàm è vita excederet, raptus in cœlum, de quibuſlibet in ea domo ex ea peſte morituris, & ipſius heri indemnitate, certiorem fecit herum; non abſque pignore diuinitùs indulto ad faciendam dictorum fidem. Homo enim ruſticanus nihil niſi vernaculum ſuum idioma callens, linguarum omnium donum ſubitò accepit, ita vt expeditè, Græcè ac Bulgaricè illicò ſit locutus. Quod prædixerat, exquiſitè impletum eſt, Deo atteſtante denunciationi decreti ſui antecedentis, cui eum obitum eſſe accepto ferendum, adiuncta ſimilis extra peſtem celeris obitus, ex fixa apud Deum ſententia, ibidem à D Gregorio recitata, ſatis inſinuant. Quidni verò ad diuinum quoque decretũ antecedens quo mors aliquorum ex peſte,

ſit

ſit diuinitùs decreta, referre liceat quod Nodkerus in Martyrologio 6. Iunij de S.Columba tradit; fuiſſe ſcilicet ab eo benedictam quandam petram quæ admota lue contactis, illas ſanabat. Sed cum diuinum decretum ferebat aliquem peſte perire, non iuuabit eum petræ admotio: nam quæſita petra, non inueniebatur. Itaque in eo ſaltem euentu lues diuinitus immittebatur, & vitæ terminus per eam inductus, erat à Deo præfinitus. Exempla profana ab Ethnicis exarata ſuppeterent multa, ſed illud præſertim geminæ peſtilentiæ Græcorum exercitui immiſſæ: primum ob iram Dianæ, cui ſacram capream, interemerat Agamemnon, vt latè refert Dictys Cretenſis lib. 1. de bello Trojano. Deinde ob iram Apollinis, cuius Sacerdotem Chryſeida, in filia abducta iniuriam paſſum, vlciſcebatur creditum numen: vt Iliad. 1. & apud Dictyn. l. 2. legere eſt.

Argumentum ex lue Venerea

XI. GEnus peſtis, & quidem teterrimum ac virulentiſſimum, eſt, quam appellant *luem veneream*: quæ iuſto iudicio per carnem qua peccarunt, excruciat carnis mancipia. De eius luis horrore & contagio, graphicè Fracaſtorius lib. 1. Syphilidis. Et quamuis luis illius cauſas varias proferant idem Fracaſtorius lib. 2. de morbis contag. cap. 11. Mercurialis & Fernelius, aliíque in tractationibus de eo fœdo argumento; tamen Albertus Hero l. 5. de prouid. cap. 2. planè perſuaſum habet, eam luem eſſe flagellum, hiſce carnis mancipiis ex immediato & antecedente Dei decreto immiſſum. Et idcirco ait, nunquam eum morbum oriri ex vſu coniugij quantumuis immoderato, ſed tantùm libidini extra legitimum coniugium vaganti, obtingere, ex iuſto iudicio Dei, immediatè vexantis hos cruciarios. Quod ergo de hac lue dicitur, æquè de omni alia lue ſtatuendũ videtur; habere ſcilicet authorem Deum, antecedens ſuum decretum de terminis vitæ mortalium exequentem: ſin minùs ſemper ad vltionem (quandoquidem iuſti quoque peſte corripiuntur,) at ſaltem ad probationem, vel ad præuentionem & raptum eorum quorum malitia intellectum mutaret. Qua ratione Theophanes Nicænos in gratiarum actione pro liberatione à peſte, notat per peſtem demeti præſertim paruulos innoxios: ita ſanciente Deo, vt tenera illa ætatula præripiatur ante lapſum; & maiores de æterna vita periclitaturi ſi caderent, æterno exitio ſubducantur, ſortiti diuturnius ſpatium ad obeundam condignè pœnitentiam.

Hæc ſunt, quibus ſententia de fixo antecedenter à Deo vitæ termino, iis qui ex peſte occumbunt, ſuaderi poſſe videtur. Sunt in ea (vt coniectura ex eorum dictis, aſſequi licet) Gabriel Biel in qu. de fuga peſtis, Philibertus Marchinus in expoſitione tituli operis de bello diuino, Paracelſus tract. 2. de peſtilentia, Tympius in ſpeculo Epiſcoporum, Angelus Decembrius l. 5. de politia literaria parte 57. Federicus Cardin. Borromæus, apud Ripamontium l. 6. vitæ eius c. 6. & alij iam indicati. Suffragati videntur, qui peſtem vocant, *bellum diuinum*; quæ eſt apud Iuriſperitos admodùm vulgata peſtis denominatio, vt ex multis Doctoribus tradit Ripa tract. de peſte, quæſt. 4. de prælodiis, & Ioannes Franciſcus Balbus tract. de præſcriptionibus, parte 6. principali ſect. 2. qu. de dormitione præſcriptionis, num. 5. Fauent prætereà Galenus, Auicenna, & Auenzoar adducti à Mercuriali tract. de peſte, cap. 5. Multáque in eam rem peti poſſunt ex allegatis à Fortunio Liceto, tom. 2. de quæſitis per Epiſtolam, c. 18.

Reiecta prædefinitio mortis ex peſte, vniuerſaliter loquendo.

XII. COntraria ſententia, ſi agatur de omnibus ex peſte occumbentibus, eſt amplectenda. Eámque benè confirmat Henricus à Bra præfatione ad Catalogum pharmacorum aduerſùs luem, confectum ab Antonio Sneebergero. Benè item Andreas Gallus lib. de peſte, faſciculo 5. cap. 23. Præiuerat Anaſtaſius Sinaïta, qu. 114. noua. Conſentítque etiam Athanaſius qu. 112. ad Antiochum. Ratio non eſt obſcura. Nam abſque diuina præfinitione, antecedenter poſita conſtitutione terminorum vitæ ac mortis, rectè ac commodè exponi poſſunt omnia, quæ vel ad peſtis exortum, vel ad inductum ab ea interitum pertinent, indefinitè loquendo, vt nunc loquimur. Conſtat ſanè plerumque peſtem ex cauſis naturalibus exiſtere, & inde mortem pleriſque inferri, nullo diuinitus appoſito veluti ignitabulo: ſed merè ex vi cauſarum naturalium, quæ idipſum æquè præſtarent, etiamſi nullum interueniret Dei decretum antecedens de vitæ terminis. Signum ergo eſt, huiuſmodi diuinum decretum, quoad omnes ex peſte occumbentes, gratis confingi. Notant accuratè eas naturales cauſas peſtis, atque mortalitatis Philippus Ingraſſia tract. de peſte Panormitana anni 1576. parte 1. c. 2. Iacobus Dalechampius lib. 1. de peſte, cap. 1. Georgius Agricola toto lib. 1. de peſte, paſſímque alij in eodem argumento verſati. Ad halitus corruptos è terra in aërem ſubuectos, recurrit Seneca lib. 6. natur. qq. cap. 27. quod item faciunt plerique Iuriſperiti ad l. 1. ff. de Cloac. & Medici non pauci. Videſis Mercurialem l. de peſte c. 5. & 6.

XIII. Ferè qui narrationes de peſte alicubi graſſata contexunt, naturales cauſas ex quibus eſt denata, conſignant. Sic Liuius lib. 8. peſtem Romæ graſſatam deſcribens, refert eam ad venena à maleficis matronis, admota. Id quod S. Auguſtinus 3. ciuit. cap. 17. confirmat. Ibidémque c. 31. *ad finem*, memorat horrendam peſtem Africanam, ex aëre per locuſtas magna vi putrefactas corrupto, excitatam. Anno Chriſti 590. peſtis Romæ conſecuta eſt Tyberis eluuionem, è qua ingens putredo extitit, vermiúmque & anguium copia omninò magna, quibus corruptionis adeò validæ geniminibus, peſtis ſucceſſit, qua vis mortalium planè magna, ipſéque Pelagius II. Pontifex perijt. Peſtis Peluſij excitata anno 1220. ad ſeptuaginta mortalium millia abſumpſit. Eam Paulus Æmilius in Philippo accuratè deſcribens, ortam prodit ex fame & incommodis obſidionis ad annum prorogatæ. Æquè in commeatus inopiam refertur peſtis anno 1225. vniuerſæ Galliæ admodùm infeſta, vt ſcribit Bernardus Guido in Chronico: notans Francorum copias, Auenionem, tunc Albigenſium ſpelæum obſidentes, commeatus inopia

laboraſſe, indéque excitatam peſtem. Mediolanenſem peſtem anni 1244. præceſſit ingens locuſtarum multitudo euidenti putrefactionis argumento, indidémque peſtis excitata. Anno 1315. peſtis Angliam, Germaniam, Belgium, horribiliter afflixit. Illam Batlandus l. 11. Annal. Flandriæ, in perpetuos imbres & conſecutam ex ſumma vligine famem reuocat. Olim quolibet decennio, ſolitam peſtem graſſari Romæ, ob aëris Romani vitium, non pauci ſenſerunt, quanquam refragante quoad hanc cauſam Marſilio Cagnato lib. de aëre Romano pag. 32. & 33. Cum teneamus has & ſimiles naturales cauſas peſtilentiæ in quas meritò referri poſſit eius excitatio, & effectus peſtem conſequentes; quorſum ad diuinam præfinitionem antecedentem recurſus fiat? Itaque non agnoſco terminos vitæ & mortis, omnibus ex peſte morientibus à Deo antecedenter conſtitutos.

Retorquetur argumentum ex vſu antiquo, ſenſúque ſapientum, de placando Deo, graſſante peſte.

XIV. OPtima alia in rem noſtram argumentatio duci poteſt, retorquendo argumentum in contrarium ſupra tactum, de ſenſu omnium gentium, quod peſtilentia ſit flagellum, ad tonſuram laſciuientis ac ſyluеſcentis generis humani, (vt Tertullianus lib. de anima loquitur) à Deo immiſſum. Quam receptiſſimam perſuaſionem (vt quidem aduerſarij volunt,) non ſatis firmat recurſus ad Deum ſæuiente peſte. Nam poſſet etiam in ea tam graui calamitate ad Deum recurri, quamuis ab ipſo peſtis, neque immediatè neque mediatè immitteretur, rogando eum vt tanquam bonus pater, ſtragem ſuorum, vndecunque demum illatam, auertere dignaretur. Eſtò verò perſuaſum fuerit omnibus, peſtem infligente Deo, per ſe vel per Angelos, immitti. Nego tamen perſuaſum fuiſſe, ſiue Chriſtianis ſapientibus, ſiue Ethnicis, peſtem & mortem inde conſequentem, ex decreto antecedente & ineluctabili deriuari, de quo ſolo eſt hîc controuerſia. Non fuiſſe autem mentem vllorum ſapientum, quod origo peſtis & funerum ex ea prodeuntium, ſit diuina præfinitio, & antecedens decretum ineluctabile, probatur manifeſtè ex recurſu ad Deum qui obijciebatur. Nam per tempus peſtis, eſſe recurrendum ad placandum Deum, omnibus ſemper fuit perſuaſiſſimum.

XV. Et Chriſtiani quidem, annitentibus ſanctiſſimis Præſulibus per tempus illius calamitatis, cœlum inuidia tundere, (vt cum Tertulliano loquar) aſſueuerunt, etiam adunati in cœtum, vt gratam vim Deo inferrent. Nota ſunt ſtudia in excitandis fidelibus ad placandum eo tempore Deum, adhibita à S. Nicetio Treuiris, à S. Gallo Aruernis, Romæ à S. Gregorio Magno, Mediolani à S. Carolo, & ab aliis pleriſque alibi. Signo non paucos, tractans Heterocliſes proceſſionum à num. 6. Aliam viam placandi in peſte numinis iniuit Conſtantinopoli Iuſtinianus anno Chriſti 558. latis ſæuiſſimis edictis in peccatores quoſdam immunes. Nam & blaſphemos afflixit, & pæderaſtas, etiam genere nobiles, nudus in medium forum pertractos, præciſis partibus, quibus viti erant, & naturam contumelia affecerant, letho dedit, qua ratione Dei iram flexit, ita vt mox peſtis euanuerit.

XVI. Eadem perſuaſione acti Gentiles, ad primum peſtilentiæ ſenſum, implorabant ſedulò Deorum ſuorum ſubſidia, eoſque placare & mulcere ſtudebant, omnis generis ſuperſtitioſo cultu; vota concipientes, lectiſternia indicentes. Erant *lectiſternia*, epulæ in lectis recubitoriis ac tricliniaribus apparatæ dijs, de quibus Satyr. 15. Iuuenalis.

> —— *Ne magna gaudia cœna*
> *Sentiret, poſitis ad templa & compita menſis.*

Sternebantur enim lecti tricliniares in publico, cibandis Ioui, Iunoni, Mineruæ, aliíſque fictis numinibus, quæ mulcere ſtudebant eo grandi officio focos & thoros in publicum educendi, epulandíque vicatim, & ciuitatem tabernæ habitu obolefaciendi, vt Tertullianus c. 35. Apolog. dixit in hanc rem, à Zephyro & Pamelio rectè expoſitos. Quanquam ibi Tertullianus, agit de lectiſterniis pro ſalute Imperatoris; ſed primum lectiſterniorum initium, à peſtilentiæ auertendæ ſtudio prodijt, vt docent illa Liuij lib. 5. [Grauis peſtiléníque omnibus animalibus æſtas excepit vrbem, cum inſanabili pernicie; quando nec cauſa nec finis inueniebatur. Libri Sybillini ex S.C. adiri ſunt. Duumuiri ſacris faciundis. Lectiſternia tum primùm in vrbe Romana facta per dies octo, Apollinem, Latonámque, & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quàm ampliſſimè tum apparari poterant, ſtratis lectis, placauere. Priuatim quoque id ſacrum celebratum eſt tota vrbe, patentibus ianuis, promiſcuóque vſu rerum omnium in propatulo poſito; notos ignotóſque paſſim aduenas, in hoſpitium doctos ferunt, & cum inimicis quoque, benignè & comiter ſermones habitos, iurgijs & litibus temperatum: vinctis quoque dempta in eos dies vincula. Religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem tuliſſent, vinciri.] En primam originem lectiſterniorum, à peſte. Videndus de eis Lilius Gyraldus Syntag. 17. §. *ſupplicationes*. Eadem fuit origo prima, inſtitutorum religionis nomine ludorum ſcenicorum, teſte eodem Liuio l. 7. *initio*, & D. Auguſtino lib. 2. ciuit. c. 8. & lib. 4. cap. 26. Fixionem claui ſolenniſſimam, magna religione, (imò ſuperſtitione) celebrarunt eadem ex cauſa placandi numinis, & ſedandæ peſtilentiæ, vt autor eſt Liuius lib. 7. Fortaſſis autem ea claui fixio, ad numinis cultum atque adeò placationem pertinebat, quia clauus ille apud Hetruſcos à quibus is ritus ad Romanos manauit, erat nota anni, & curſus vitæ humanæ. Atque adeò, clauum figere, idem erat quod proteſtari Deum eſſe autorem vitæ, à quo illam miſericorditer expectarent. De ancilium apud Romanos conſecratione, ad finem ſedandæ peſtilentiæ, videndus Camerarius problē. 8. Apud alias item gentes, ex eadem perſuaſione, quòd peſtis à Deo immitteretur, magno ſtudio frequētabantur Dij, & omne genus religioſi officij vſurpabatur, quoties peſtem graſſari contingeret. Carthagine, Iuſtino teſte lib. 18. in graui peſte, admoti aris impuberes; pacem Deum per innocuam ætatulam expoſcente circumfuſa ciuitate. Idem ſtudium Athenienſium placandi in peſte numinis, notauit Hieronymus Prænidellus

dellus tract. de peſte & eius priuilegiis, num. 6. Paſſim quoque apud Græcos, idem ſenſus viguit. Itaque cum ob filiam Chryſis dehoneſtatam, peſtem ab Apolline cuius is erat Sacerdos, immiſſam eſſe perſuaſum habuiſſent in bello Troiano, ad piacula potiùs quàm ad pharmaca confugerunt, malum multis victimis precibúſque auertere ſatagentes. De Demetrio item Lacone legimus, Taurum ab eo Magicis Incantamentis eiceratum, & filo ad alterum cornu religato in Amphitheatrum deductum, Deæ peſti (nam Dea habebatur) mactandum, ad exorandam à lue liberationem. Quam ritus Paganici delirationem, Romæ aliquis Adriano VI. Pontifice ad auertendam graſſantem peſtem inſtaurauit, ipſo Pontifice quantum poterat, conuitente prohibere factum deteſtandum, vt narrant qui eius res geſtas mandarunt literis. Differit de ea Ethnicorum perſuaſione, quod peſtis à Deo immitteretur, eſſéntque per illud tempus placanda numina, Raymundus Mindererus tract. de peſtilentia, cap. 8. & Antonius Porcus lib. 1. de peſte, cap. 20. nec alius Galeno ſenſus, qui tract. de libris propriis, gratus profitetur, graſſante Romæ peſte ſæuiſſima ſub Marco Antonino, ereptum ſe à lethi faucibus, pano peſtilentis luis ſanato ope Æſculapij, quem ad id Alexicacum popoſcerat.

XVII. Liquet de ſenſu Ethnicorum æquè ac Chriſtianorum, quanti ſit, Deum placare graſſante peſte. Atqui ſi eſt locus placationi, euidens argumentum ſuppetit, quod Deus non formauerit decretum nullum abſolutum & antecedens de peſte inferenda, & mortalium ſtrage per eam cauſanda. Nam aduersùs Decretum Dei antecedens, ſtultum ſit obniti. Nec enim emaci prece, & quantumuis ſupplicibus votis, exorabitur quicquam. Igitur perſuaſio illa vigens apud omnes de neceſſario per tempus peſtis ad Deum recurſu, conuellit præfinitionem antecedentem, pro qua adducebatur. Eámque meritò repudiandā dixi in hoc negotio, ſi agatur de omnibus ex peſte occumbentibus, quaſi omnes tales, fuerint de cœlo icti, ad executionem diuini decreti antecedentis, de fixo illis tali vitæ ac mortis termino.

Cur præfinitio mortis ex peſte, vniuerſaliter tantùm reiecta.

XVIII. Conſultò dixi, me id de omnibus non admittere. Nam quod aliqui interdum ex lege à Deo antecedenter fixa, peſte cadant, non diffiteor. Disertè hoc habet Anaſtaſius qu. 14. noua, diſtinguens peſtem ex naturalibus cauſis profectam, quæ declinari poteſt, & aduersùs quam vtile eſſe poteſt fuga ſibi conſulere; ab alia diuinitùs immiſſa ex certo conſilio tollendi quempiam è vita; quam fatetur; non poſſe vel humana diligentia vel induſtria euitari, ita vt fuga tunc non poſſit hominem letho à peſte inferendo ſubducere. Eadem habentur apud autorem quæſtionū ad Antiochum q. 112. Fauétque S. Baſilius, qui quæſtione 55. fuſarum, ſtatuit, aliquos morbos etiam exitiales & vitæ hominis immedicabiliter infeſtos, à Deo immitti interdum; ſiue ad iuſtam vltionem, ſiue ad cæterorum terrorem: aut vt agnoſcatur, Deum eſſe cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt. Fauet item, quod cauſam peſtis & indè conſequentium funerum certiſſimam, primam, præcipuámque, Deum eſſe; interdúmque ſua ſola potentia vti, alias tamen ac vt plurimùm, naturales cauſas peſtiferas adhibere, tradit Lautentius Ioubertus lib. de peſte, c. 3. Æquè Diomedes Amicus l. de peſte c. 5. & 33. ac 59. peſtem interdùm eſſe à Deo ſolo, aliàs non item, expreſsè docet. Non plus voluiſſe videntur plerique ex ijs qui initio in contrarium profetebantur; vt Gregorius II. & S. Ephrem. Eorum verò qui plus aliquid ſignificant, rationes diſſoluere non erit operæ ſum.

Eliſa argumenta pro præfinitione mortis cuiuſuis ex peſte.

XIX. Dvcebatur in primis argumentum ex eo quod non videatur veriſimile, tantuli fili attactu peſtem ac mortem creari. At cur incredibile cenſeatur, viruleutiam filio illitam tantam eſſe, vt contingentem inficiat, & vi præſentiſſima tollat è medio? Hoc ipſo argumento confirmare licetet, è ſcintilla ignis in materiam diſpoſitam immiſſa, excitari non poſſe ingens incendium, quo vrbs vniuerſa conflagraret. Sicut ergo ignis modicus, incidens in idoneam materiam, facillimè diffunditur, & vaſtitatem ijs quæ corripit promptiſſimè infert, ita etiam virus peſtilens, tametſi tenui filo illitum, poteſt vi naturali exitium creare, & ei qui filum contigerit, & per eum aliis. Proportionalia exempla peti poſſunt ex tractatione de venenis; quorum vim nemo ad diuinam præfinitionem antecedentem referat, ſed ad congenitam ipſis virulentiam, & vim noxiam præſentiſſimam, quâ perdunt viuentes, etiamſi in permodica quantitate adhibeantur. Quod autem contactos quorundam rerum per lue affectos ſit innoxius, non aliarum rerum; quædam item perſonæ citra damnum & peſtis contractionem, contingant, quæ ijdem lue correpti attrectauerint, vel cum eis verſantes non inficiantur; ad peculiarem ſubiecti diſpoſitionem eſt referendum. Et ex ea diſpoſitione aliquando oritur, vt qui halitum virulentum, aut ſubſtantiam peſtiferam à morboſo inhalatam, vel quomodolibet emiſſam excepit, morbo nihilominus non tenetur; quo tamen correptus eſt alius aliter diſpoſitus, cum quo poſtea continget illum agere: qui malè dicitur dare quod non habet: Reuerà enim habet vapidam ſubſtantiam peſtilentem, quamuis in eo morbum non creauerit, ob indiſpoſitionem ad huiuſmodi effectum.

XX. Argumentatio alia quæ ducebatur ex indeclinabili humanis remediis peſte, nō habebit adſtipulatores tam multos, qui Alexipharmaca præſcripſere ad peſtem auertendam, priuſquàm contraheretur, eandémque iam contractam repellendam. Scatent libri huiuſmodi remediis, quæ aliquando felicitet eſſe adhibita, euentus monſtrauit. Quod ſi aliquando luis virulentia fuit potentior, nec potuit admoto pharmaco inhiberi, non debet mirum accidere; cum etiam in aliis morbis, quos naturaliter exortos & citra diuinum vllum decretum antecedens lethiferos eſſe nemo in dubium reuocat, non rarò contingat, vim morbi eſſe medicamento inſuperabilem: & aliquando idemmet remedium vni ſit vtile, in alio autem morbo ſimili, ob ſubiecti vel adiun-

ctorum

ctorum diuerſitatem, fruſtra adhibeatur. Itaquè nihil indè validè infertur ad cõprobationem decreti diuini antecedentis, de vitæ termino ſic è vita excedenti conſtituto. Ex eodem porrò exemplo cæterorum morborum, euertitur quod addebatur de praxi apud omnes gentes perpetua, ſatagendi circa placationem numinis, graſſante peſte. Similiter enim vſus perantiquus, apud Ethnicos quoque vigens, tulit; numen placare ad cuiuſcunque ægritudinis paulo grauioris & periculoſæ incurſum. Et hunc fuiſſe apud Ethnicos vnum polytheiſmi fontem, ſuo loco eſt demonſtratum. Sicut tamen inde non eruitur, morbos illos, & mortem cum inde exiſtit, ex antecedente Dei decreto de fine vitæ ægri, ortum habere, ita de lue contacto, Dei opem expoſcente, eſt ſtatuendum. Et verò ſi numinum placatio iuuare poterat ad auertendam peſtem iuxta Ethnicorum perſuaſionem, non igitur cenſebant peſtem inferri ex decreto præfinitiuo, quod nullis precibus infringi poſſe non ignoraſſent.

Exempla cætera non vrgent. Quod narratum ex D. Gregorio, nullo modo probat præfinitionem antecedentem termini vitæ, in ijs qui ex peſte excedunt. Tantùm verò inde habetur, præſcientia eorum qui ea via morituri erant reuelante Deo; quod longè aliud eſt à prædefinitione termini vitæ. Multò minus vrgent quæ adducebantur illatæ diuinitùs peſtis exempla ex ſenſu Græcorum. Et ſimile eſt exemplum Iſraëlitarum, in pœnam numerati à Dauide populi, peſte multatorum; ex qua ad perbreue tempus tam multa millia ceciderunt. Hæc enim & ſimilia pleraque, tantùm ferunt, peſtilentiam plerumque in pœnam peccatorum ab vltore Deo immitti. Sed inde non probatur, peſtilentiam inferri ad executionem diuini decreti antecedentis de præfixo cuique vitæ termino.

XXI. Luem libidinationi meritiſſimò ſuperuenientem, eſſe effectum diuini decreti antecedentis, ægrè ſuadetur. Eſſe diuinam plagam, non aliqui tantùm ex Theologicis aſſeruerunt, ſed è Medicis quoque, vt Mercurialis tract. de morbo Gallico, cap. 1. quanquam Fernelius ſolitus in effectibus abditis diuinum quid ſuſpicari, vnde & *diuinus* apud nonnullos ſua ætate audiuit; deſcribens tamen graphicè hunc morbum lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap. 14. nihil hic diuinum cogitauit; ſed contagium duntaxat naturale ex cauſa virulenta. Sit verò, vt aliquibus viſum eſt, diuina plaga. Num omnes diuinæ plagæ, mortis antecedenter præfinitæ argumentum idoneum ſubminiſtrant? Hoc ſanè affirmari ad veritatem non poteſt; præſertim cum virulentam hanc plagam, obduci in quibuſdam, & perfectè detergi luem contractam, peritorum curatorum ſolerti induſtria contingat. Sit tamen ſalua coniugio ea prærogatiua quam Albertus Hero memorabat; nimirum vt nunquam ex coniugali commercio, etiamſi immoderato, lues iſta enaſcatur, niſi ex contagio alterutrum coniugum aliunde inquinatio aduenerit. Qua ratione infici coniuges, per alterius intemperantiam alteri damnoſam, eſt ſatis frequens. Eáque ratione, cauſarum patronus in quadam Regia ſub annum 1546. cum Rex in vagam libidinem ſolutior, coniugi quam aduocatus habebat ſpecioſiſſimam condixiſſet confuſionem, eáque maritum conditionis feciſſet certiorem, impotens animi Aduocatus, nec habens quò ſe verteret, & quomodo à ſe tantum probrum auerteret, vltionem à rabie ſuggeſtam ingenioſus ſceleris alieni per ſuum crimen vltor expertus. Nam adito proſtibulo quod ea lue infectum nouerat, virus inde contractum communicauit vxori: à qua Rex alieni cubilis dehoneſtator, miſerè eſt infectus, & imparibus morbo remediis extinctus. Sed excedamus ex hoc cœno.

PVNCTVM VII.

QVI OMNIVM PLANE hominum vitam & mortem fixis antecedenter à Deo terminis concludi cenſuerint, & quibus argumentis.

NON aliquorum duntaxat hominum, vt eorum quorum hactenùs cauſam diſcuſſimus, ſed omnium planè mortalium vitam & mortem, certis terminis antecedenter à Deo fixis concludi, nonnullorum ſententia eſt, quam aliquibus Scripturæ, ac Patrum teſtimoniis & rationibus ſtabiliunt.

Omnium mortem eſſe præfinitam, qui cenſuerint.

I. VIdentur tradere hanc ſententiam, S. Thomas lect. 2. in c. 14. Iobi, & ibidem Richelius artic. 33. itémque Titelmanus, Sancius, Pineda, Bolduceus, ruſúmque Titelmanus ad c. 7. Eccleſiaſtis, vbi etiam Lorinus, & Pererius in cap. 5. Danielis, ad illud, *Mane, thecel, phares* Ioannes Baptiſta Ventura lib. de morte retardanda cap. 9. Drexelius in mortis prodromo, cap. 2. §. 41. Qui hanc ſententiam ex inſtituto tradiderint, tres occurrunt. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Antonius de Senis Epiſcopus Fulginas, & Franciſcus Sylvius. Sectarios enim à Beueruicio circa hoc adunatos, quòd pingues errores paſſim admiſceant, nec ſatis ſolidè rem hanc agitarint, minùs moror. Poterat addi alius quem ex ſolo Auberti Miræi tractatu de Scriptoribus ſæculi 16. c. 128. compertum habeo; nempe Leuinus Lemnius, multiplici Scriptione notus. Librum eius de hoc argumento, hoc titulo prænotatum refert Miræus. *De præfixo ſtatóque vitæ termino.* Quod tamen ea ſcriptio in manus meas non venerit, malo in tribus quos nominaui hærere.

Gennadij Tractatio, inſcribitur *Epiſtola de Prædeſtinatione*; quæ reuera directè ac ex inſtituto, non eſt de prædeſtinatione in illius vocis nomine recepta, ſiue ſonet electionem ad gloriam, quæ eſt vulgaris, etiam inter Scholaſticos ſignificatio illius vocis; ex qua *prædeſtinati*, paſſim appellantur, qui ſunt electi ad gloriam, ſiue (vt Auguſtinus vocem *prædeſtinationis* adhibuit) deſignet præparationem gratiæ: ſed eſt de vitæ & mortis humanæ prædefinitione, quam tamen vt

infrà

infrà diſtinctiùs attingam, obiter componit Gennadius cum electione antecedenti & ineluctabili ad gloriam.

Scripſit præterea ſub idem tempus de hoc negotio Antonius Betinus de Senis; quem ne hominem nihil adduxiſſe pro eadẽ ſententia videat, intento in eius decora digito, obiter indico; remittens auidum plenioris notitiæ lectorem, ad laudationem argumento parem Ioannis Baptiſtæ Rouſſi, qua eum in S. Ioannis Columbini Ieſuatorum Fundatoris hiſtoria parte 5. cap. 2. illuſtrauit. Nam & in ſæculo de ſuggeſtu in Academijs fundentem ſcientiæ flumina deſcribit, & in ſacra familia omnibus eximij ſerui Dei dotibus clariſſimum demonſtrat; ita vt virtutes eius quod Mathæi Parrieij ex ordine Prædicatorum Theologi teſtimonio, confirmat, ſtylo ac ſermone humano ſuperiores viderentur. Eius meritis Latinus Card. Vrſinus dedit, vt eſſet *Ieſuatis* optata in vrbe ſedes; attributo illis SS. Ioannis & Pauli templo, & attiguo palatio, abundè domeſtica ſupellectili liberaliter inſtructo. A Pio autem II. Antonius in ſummum totius Italiæ Pœnitentiarium promotus. Inſubriæque & Liguriæ Collector, & ad Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium principem Nuncius dictus, ac demum creatus Fulginatium in Vmbria Epiſcopus; (nam purpuram & meritis debitam, & Pontificis deſtinatione obuenturam, cita Pij mors præripuit;) in Epiſcopatu per annos ſex & viginti, omnes probati Antiſtitis numeros expleuit, incolumi ſemper Religioſo ſpiritu, cuius ſtudio deniquè à Paulo II. vacationem à munere Epiſcopali exorauit, & Senas regreſſus, nonagenario maior exceſſit ſanctiſſimè, Chriſti anno 1487. Hic igitur planè inſignis Antiſtes, cum graſſante lue, plurimi cũ magno ſalutis animarũ diſpendio fugam capeſſerent, librum emiſit anno 1480. inſcriptum de diuina præordinatione vitæ ac mortis humanæ; quo totis viribus connititur, antecedens Dei decretum de humanæ vitæ termino ſtabilire.

Incubuit deniquè in eam curam Franciſcus Syluius in varijs reſolutionibus, V. *vitæ terminus*: qui vtitur quidem diſtinctione, reipſa tamen agnoſcit diuinam (vt vocat) terminorum vitæ ac mortis præordinationem ac prædeterminationem. Huiuſmodi porrò eſt diſtinctio quam adhibet. Terminus vitæ mortalium, vnus eſt iuxta complexionis naturalis virtutem, alius ſecundùm Dei præordinationem. Si ergo agatur. De termino vitæ iuxta naturalem virtutem & complexionem hominis, Deus eum terminum non præfigit ex ſeipſo & antecedenter. Attenta enim complexionis naturalis fortitudine, modò accedant congruentium ciborum & pharmacorum adminicula; & extrinſeca vitam per accidens truncantia remoueantur, præfigit Deus vnicuique terminos vltra quos non poteſt vitã producere, quia natura non poteſt perſeuerantiam ineſſe diffundere vltra vires propriæ cuique complexionis. Itaquè natura neceſſariò ſiſtit intra eum vitæ terminum qui eſt proportionatus complexioni ſecundum naturalia duntaxat auxilia conſideratæ: & vt ibi ſiſtat natura, vitæque tela abrumpatur, Deus terminum vitæ prædefinit atque præordinat immutabiliter, ita vt terminus ille nulla humana cura vel arte mutari queat, iuxta Syluium concluſ. 2. quem propterea dicebam certare pro illa ipſa ſententia cui Gennadius & Antonius de Senis inhæſerunt, agnoſcentes prædeſtinationem (vt Gennadius loquitur) ſiue prædefinitionem terminorum vitæ, pro qua item ſatagit Syluius. Argumentantur autem hi autores pro hac ſententia, tam autoritate, quàm ratione.

Probatio illius placiti ex Scriptura.

II. AVtoritatẽ imprimis adhibent Scripturæ Antonius de Senis c. 9. adducit loca ex c. 26. Leuit. & ex c. 32. Deuteron. vbi Deus intentat peccatoribus mortem, & profitetur ſe eſſe qui occidit & viuere facit: atque adeò penes quem eſt mortis ac vitæ iudiciũ, vt S. Thomas rectè intulit 2. 2. q. 64. artic. 3. Adducit inſuper idẽ autor locum ex c. 41. Eccleſiaſtici, vbi ſic habetur. *Noli metuere iudicium mortis. Memento quæ ante te fuerũt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi. Hoc iudicium à Domino, omni carni. Et quid ſuperueniet tibi in beneplacito altiſſimi, ſiue decem, ſiue centũ ſiue mille anni?* Ibidem c. 17. *Deus creauit de terra hominem* &c. *Numerum dierum & tempus dedit illi.* Ibidem c. 11. vita & mors à Deo eſſe dicuntur. Iob apertiſſimè cap. 14. *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Quibus verbis geminum eſſe illud Baltazari denunciatum *Mane, Thechel, Phares*, cenſet Pererius in cap. 5. Danielis. Nam *Mane*, idem eſt quod *numerauit*, ſupple *Deus dies vitæ tuæ.* Apoſtolus quoquè Actor. 17. ait Deum definiſſe ſtatuta tempora & terminos habitationis hominum in hoc mundo. Quid clarius in rem propoſitam? Nec aliud voluit Pſaltes cum Deo dixit, *in manibus tuis tempora mea.* Teſtatur Anaſtaſius qu. 96. noua, ſolitũ item pro hac ſententia proferri illud Chriſti *ne paſſerculus quidem cadit ſine Patre veſtro*, id eſt nõ decernente *Patre veſtro.* In manu enim eius ſunt fines terræ fértque & transfert omnia, nutu & verbo virtutis ſuæ. Prætereà Hieronymus Vielmius lect. 21. in Geneſ. pro præfinitionibus temporum vitæ & conſiſtentiæ viuentium quæ præteriri non poſſint, affert illud ex cap. 1. Geneſeos, *& ſint in dies, tempora, & annos.* Nam vox Hebræa *Moed*, vt Oleaſter, Lippomanus, ac Eugubinus obſeruarunt, ſignificat, *ſtatum ac præfinitum tempus.* Sícque Deuter. 16. memoratur egreſſus ex Ægypto, *Moed*, id eſt *tempore præfinito.* Et 2 Reg. 2. 24. dicitur Dominus dediſſe peſtem in Iſraël vſque ad tempus prædeterminatum. Hebr. eſt *Et hmoed.* Itaquè concludit Vielmius, verbis illis Moſis, inſinuari præfinitiones terminorum vitæ & mortis.

Num hæc ſigna temporum vt habetur Geneſ. 1. ſunt illæ ipſæ conſignationes finis noſtri de quibus ſap. 1. Conſignat enim Deus & exarat in aſtris dies vitæ noſtræ. Iuuat id illuſtrare luculento exemplo, deſcripto apud Zonaram tomo 3. Annal. in calce deſcriptionis imperij Iuliani verbis illis. [Ferunt obitum Iuliani, eodem quo perijt die, Antiochiæ fuiſſe cognitum. Nam quendam Paganum, eiuſdémque cum deſertore Religionis, ex ordine Iudicum illius loci, cum iuxta Prætorium excubaret, congeriem ſtellarũ in cœlo vidiſſe, quę literas informaret in hanc ſententiam. *Hodie Iulianus in Perſia occiditur.* Notato tempore, poſtea cognitum eſt, eodem die fuiſſe interfectum,

&c. Is verò cui per aſtra eius obitus ſignificatus fuerat, viſionis illius occaſione, veram religionem eſt amplexus. [Hoc accipere de diuinatione per cœlos, in quibus per aſtra vt in libro, luminoſis literis deſcripta ſint fata mortalium, fatuum eſt, & meritò multipliciter à Delrio explodirur lib. 4. Magic. cap. 3. quæſt. 1. Talis quippè liber commentitius eſt, nec de eo valet, vt ſomniarunt aliqui, illud Pſalmi 103. *Extendens cœlum ſicut pellem.* videtur ergo ijs literis cœleſtibus, vitam Iubiani tali termino concluſam fuiſſe, inſinuatum eſſe cœleſte decretum antecedens, de nece tunc inferenda Iuliano, cui ea ratione aſtra fuerunt in tempora, & annos.

Eodem modo argumentari licet, ex eo quod diuina præfinitio antecedens quod vitæ humanæ durationem ſæpè exprimitur nomine *ſcripturæ* aut libri vitæ, continentis ſeriem annorum noſtrorum à Deo præfixam. Sic enim generatio hominis ad certum vitæ temporariæ ſpatium Pſalm. 138. proponitur ſub nomine *libri*, cum dicitur, *in libro tuo omnes ſcribentur*; iuxta S. Epiphanij interpretationem hær. 30. quæ eſt Ebionitarum. Et è contrario, ſublatio è terra per mortem, vocatur *deletio è libro.* Sic S. Ambroſius lib. de Noë & arca cap. 13. *reſurrectionem* (ſic enim legit) id eſt exortum *vniuerſæ carnis*, tanquam literarum apices delendam de libro terræ ex Domini oraculo obſeruauit. [Delet Deus reſurrectionem carnis (inquit) tanquam apicum ſcriptionem: quod declaratur, quod ſuperfluam hominum natiuitatem, propter impietatem eius, deleuit, ſpecie litterarum [ſcripturas ergò populorum per decretum antecedens de vitæ duratione & clauſura, præter exemplum Anaſtaſij ſupra Pſ. 2. num. 8. propoſitum, monſtrat narratio in rebus S. Nicetij Treuirenſis à Gregorio Turonenſi deſcriptis in opere de vitis Patrum, c. 17. [Nec hoc (inquit) ſilendum putaui, quod eidem de Regibus Francorum à Domino fuit oſtenſum. Vidit enim in viſu noctis, turrem magnam tanta celſitudine præditam, vt polo propinqua ſuſpiceretur, habentem feneſtras multas; dominumque ſtantem ſuper cacumen eius, & Angelos Dei per ſpeculas illas poſitos. Vnus autem ex eis, tenebat librum magnum in manu, dicens. Tantum temporis Rex ille, & ille victurus eſt in ſæculo: nominauitque omnes viritim, vel qui eo tempore erant, vel qui deinceps nati ſunt; dixitque & qualitatem regni, & quantitatem vitæ eorum. Sed poſt vniuſcuiuſque nomen ſemper *Amen* cæteri Angeli reſpondebant: ſicque de his in poſterum eſt impletum.] Particula *Amen* hoc loco non eſt clauſula optatiua, quæ incertum euentum atque adeò non prædefinitum inſinuaret. Eſt ergò particula aſſeuerans, & firmans ratum eſſe quod ab Angelo pronunciabatur, de qua notione particulæ *Amen*, ſæpè alibi eſt diſputatum. Videndus Delrius adagio 100. & Toletus in c. 3. Ioan. annot. 4. & quos ſignat Scotta lib. 3. de Miſſa, cap. 20. Scripta igitur erat in libro temporariæ vitæ apud Deum, vita Regum illorum. Et quia Iudice Sapiente, ſimilis eſt Regum ac cæterorum omnium introitus ad vitam hanc temporalem, & exceſſus ab ea; propterea aliorum quoque omnium vitæ termini, ſignati ſunt in libro Dei, id eſt antecedenter fixi. Nam quod Caietanus Exaudi 32. ad illud, *Dele me de libro tuo quē ſcripſiſti*, agnoſcit peculiarem in Deo librum, quem ipſe vocat *librum principatus*; in quo exarata ſit conſtitutio de principatu vitæ, & ſtatutis diuinis ad eos pertinentibus, repudiandum eſt; tanquam abſque fundamento ſiue autoritatis ſiue rationis inuectum. Etiamſi interdum terminum vitæ principum quaſi legendum exhiberi à Deo, exempla doceant. Et præter antedicta, illuſtre eſt quod ſupra p. 5. n. 11. attigi de Hugone Marchione Tuſciæ viro optimo, cui apud Piſtorium decumbenti ex morbo qui eum paulo poſt proſtrauit, cum eſſet quinquagenarius, mors imminens prænuntiata eſt à quodam Epiſcopo; qui in flamma camini has voces igneis literis exaratas conſpexit. Hugo Marchio quinquaginta annis vixit: Scripturæ ergo fauent termino vitæ ac mortis humanæ, diuinitùs præfinito.

Ad idem, Patrum ſuffragium.

III. NEc minùs illuſtria ſunt Patrum teſtimonia idem ferentia, in quibus proferendis parciores fuere autores prædicti, Ego è plurimis quæ ad manum ſunt, potiora ſeligam. Origenes lib. 3. in Iobum ad illud, *Aperiens Iob os ſuum, maledixit diei.* [Omni homini ordinatum eſt tempus, atque dimenſum vitæ ſpatium vniuſcuiuſque. Similiter ac ſingulis diebus tempus ordinatum eſt, atque dimenſus ſolis tranſitus, quo tranſeunte non eſt dies ille vltra qui tranſactus eſt. Et adhuc ſicut omnibus hominibus, à ſæculo & vſque ad ſæculum numerus ſupputatus eſt coram Deo; ita & omnium dierum à ſæculo & vſque in ſæculum, numerus & computatus in conſpectu præſcientiæ Dei eſt ſupputatus.]

IV. Gennandius, in hanc ſententiam conſenſiſſe ait SS. Baſilium, Athanaſium, Nazianzenum, Nyſſenum, Auguſtinum, Damaſcenum, & Maximum. Apud S. Baſilium orat. quod Deus non ſit autor malorum, leguntur hæc verba, [Mortes induuntur terminis vitæ abſolutis, quos circa vnumquemque facit iuſtum Dei iudicium eminus proſpicientis quod nobis conducit.] In Collectaneis Simeonis Magiſtri orat. 24. quæ eſt de morte, hic item locus ex S. Baſilio profertur. [Deus qui nos finxit atque anima ornauit, certum ac proprium vnicuique animæ, vitæ ſtatum præfixit; atque alijs alios vitæ terminos ſtatuit. Nonnullos enim longiore temporis ſpatio in hac vita manere vult; nonnulli verò vt citiùs ijs corporis vinculis quibus ſunt aſtricti leuarentur, ordinauit, iuxta inenarrabiles ipſius ſapientiæ ac iuſtitiæ rationes. Animæ ſiquidem noſtræ, ſimile quiddam mihi videntur, his qui in carcere conduntur; quorum nonnulli longiore tempore, vinculorum ærumnas ſuſtinent, nonnulli citiùs è vinculis emittuntur. Sic & animæ noſtræ affectæ ſunt: quarum aliæ multùm ſanè temporis in hac vita permanent, aliæ verò ocyùs ex vita hac migrant, ſecundùm analogiam ac proportionem dignitatis vniuſcuiuſque, Deo optimo maximo prudenter ac ſapienter, & ſanè ita vt mens hominis cogitatione conſequi non poſſit, res noſtras gubernante atque diſponente.] Obſtrepebant aliqui S. Baſilio, ob hanc doctrinam. Et qui mitiùs cum eo agebant, excuſabant quod pro concione ſic locutus eſſet, vt faciliùs perſuaderet auditoribus, vitam

ducere à Deo nutu pendentem. Stomacbaiur ob huiuſmodi S. Baſilij eluſione, Gennadius Epiſtola illa de prædeſtinatione, indigniſſimum pronuncians, tam indignum ſenſum affingere ſancto viro; vt aliis prodeſſe tentauerit, ſibi nocendo, & contra mentem loqoendo, atque adeò inquinando ſe mendacio. Qui locus Gennadij, eximios eſt aduersùs multorum iudiciom de S. Chryſoſtomo: quem ſæpè aliqui cum non videntur ſibi poſſe eum aliter defendere, excuſant quaſi concionatoriè locutum. Ratum igitur videtur, S. Baſilium agnouiſſe ſtatum vitæ ac mortis terminum antecedenter à Deo præfinitū.

V. Athanaſius ſplendidè idipſum tradit, ſub medium Apologiæ de fuga ſua; vbi primùm adhibet exemplum Chriſti, qui & Matri, ac fratribus ſuis ſiue propinquis nondum horam ſuam veniſſe profeſſus eſt, & comprehendi non potuit quia nondum venerat hora eius. Et tandem ſub mortem de eo dicitur, quod ſciret quia veniſſet hora eius. Et ipſemet Ioannis 17. *Ecce venit hora.* Quæ autem humanitùs de Chriſto ſcripta ſunt, par eſſe ad commune hominum genus referri, admonet ibi S.Athanaſius; qui addit, Chriſtum non prout Deum, ſed prout hominem eſſe locutum, cum horam ſuam, ſtatam & à Deo fixam, ad hinc excedendum, agnouit. [Homo factus hoc genere ſermonū vſus eſt oſtenditque vnicuique mortalium tempus dimenſum eſſe: nec tempus iſtud fortuito caſu, (vt nonnulli Ethnicorum fabulantur,) ſed prout ipſe conditor pater voluit, vnicuique definitum eſſe. Id enim ſcriptum eſt & apud omnes conſtat, tametſi ignotum habeatur & lateat omnes mortales, quomodò aut quantum vnicuique temporis admenſum eſt. Sed tamen quiſque certum habet, vt Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis ſunt certa tempora; ita quoque (vt ſcriptum eſt) tempus viuēdi moriendique eſſe. Ideóque ætas quæ ſub Noë fuit, mutilata eſt, & quaſi tempore omnium completo, contracti ſunt anni. Ezechiæ, æquè additi ſunt quindecim anni. Deus quoque legitimis ſuis cultoribus, numerum ipſorum dierum ſe adimpleturū eſſe pollicetur. Abraham quidem plenus dierum moritur. Dauid verò deprecatur, *Ne me reuoces in dimidio dierum meorum.* Et vnus ex amicis Iob, Eliphas nomine, id probè cognitum habens, ita locutus eſt. *Venies autem in ſepulchrum, vt ſeges matura ſuo tempore demeſſa, & vt manipulus area in tempore collectus.* Et Salomon, hunc ſermonem obſignans, ita ait: *Tollentur immaturè anima impiorum.* Quapropter in Eccleſiaſte admonet dicens. *Ne impius ſis valdè, & ne ſis durus: ne & tu moriaris; in tempore non tuo.* Vt igitur ad iſtum modum conſcripta ratio ex ſe declarat Sanctos cognoſcere vnicuique mortalium eſſe tempus menſuratum, ita eos quoque ignorare oſtendit terminos ſui temporis.] Addenſat in hanc rem S. Athanaſius varias ſcripturas, & concludit, priuſquàm hora, quam ipſe ſibi Chriſtus ad moriendum definierat, aduenisset; & fugâ ſibi, cum res ferebat, & alijs medijs proſpexiſſe. Vbi verò hora illa præfinita aduenit, non ſe ſubduxiſſe, vt omnibus manifeſtum fieret à ſupremo iudicio pendere vitam & mortem hominum. Quibus nihil clarius in hanc rem proferri potuit.

VI. S. Auguſtinus 6. de Geneſi ad literam c. 17. longam & breuem vitam hominis, munet non eſſe admetiendam cauſis ſecundùm quas naturaliter, vita deberet aut in longum produci, aut citò finiri: ſed ad voluntatem Dei, ab æterno figentem terminos durationis mortalium. Vnde quod Iſaiæ 38. dicuntur ad vitam Ezechiæ additi quindecim anni, referendum docet ad Dei conſtitutionem, non autem ad cauſas inferiores, ſecundùm quas Ezechias verè eo tempore exceſſurus fuiſſet è vita. Et ideò rectè dicti ſunt additi quindecim illi anni, quia ex Dei Antecedente decreto quo vitæ Regis terminos fixerat, acceſſerunt ſupra intrinſecæ complexionis exigentiam, quindecim anni quibus mortis oppetitio tunc naturaliter obuentura, dilata eſt in Ezechia. Eſt ergo D. Auguſtinus in propoſita ſententia. Quid quod Epiſtola 28. conceptis verbis admittit præfinitionem terminorum vitæ ac mortis noſtræ? Tractat eo loco S. Auguſtinus, cur infuſæ animæ, quibuſdam citò moriantur. Reſpondet verò. [Scimus Deum omnibus temporaliter tranſeuntibus rebus (vbi ſunt etiam animalium ortus & obitus) curſum ornatiſſimum atque ordinatiſſimum dare: ſed nos iſta ſentire non poſſe, quæ ſi ſentiremus, delectatione ineffabili mulceremur. Non enim fruſtra per Prophetam qui hæc diuinitùs inſpirata didicerat, dictum eſt de Deo, *qui profert numerosè ſeculum.* Vnde Muſica id eſt ſcientia ſenſúſve benè modulandi ad admonitionem magnæ rei, etiam mortalibus, rationales habentibus animas, Dei largitate conceſſa eſt. Vnde ſi homo faciendi carminis artifex nouit, quas quibus moras vicibus tribuat, vt illud quod canitur, decidentibus ſonis pulcherrimè curiat ac tranſeat; quantò magis Deus, cuius ſapientia per quam fecit omnia, longè omnibus artibus præferēda eſt, nulla in natura naſcentibus & occidētibus temporum ſpatia, quæ tanquam ſyllabæ ac verba ad particulas huius ſeculi pertinent, in hoc labentium rerum mirabili cantico, vel breuiùs, vel productiùs quàm modulatio præcognita & præfinita depoſcit, præterire, permittit? Hoc cum etiam de arboris folio dixerim, & de noſtrorum numero capillorum, quanto magis de hominis ortu & occaſu, cuius temporalis vita breuiùs productiúſque non tenditur, quam Deus diſpoſitor temporum, nouit vniuerſitatis moderamini conſonare?] Satis apertè S. Auguſtinus quod hic ſuſceperamus aſtruendum confirmat, allegato etiam Iſaia cap. 40. iuxta 70. qui legunt *ἐκφέρων κατ' ἀριθμὸν τὸν κόσμον αὐτοῦ*, vbi Vulgatus habet, *qui educis in numero militiam eorum*, quod cum verſione ſeptuaginta interpretum quadrabit ſi *militia eorum* accipiatur pro vita mortalium, quæ *eſt militia ſuper terram*; iuxta Iobum.

VII. S. Proſper l. 2. de vocat. Gent. cap 8. *aliàs* 17. propoſita difficultate de immatura quorundam morte, concludit poſt alia de mortalitate hominis à vitæ principio. [Cum igitur iuſta & omnipotens prouidentia Dei inacceſſibiliter vniuerſa dijudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, niſi eo ortu atque deceſſu, quem rerum arbiter ſecūdùm altiſſimam ſcientiam ſuam, ſapientiámque decernit, (ſicut ſcriptū eſt in libro Iob, *Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſa carnis hominis?* Et iterum, *Breues dies hominis ſunt, & numerus dierum eius apud te eſt*;) quis audeat cauſas operū &

conſiliorum eius inquirere?] Addit alia de vitæ metis multiformiter (vt ait) inæqualibus, ita vt paruuli quidam, quos *paucorum dierum homines* appellat, quàm ocyſſimè abeant à vita, nec tarò præ obitu præcoci, expertes baptiſmi: Plerique verò hominum ad decrepitam ætatem protogent vitam. Nec aliter eam litem componit, quàm fecerat lib. 1. cap. 7: vbi docet, hoc totum eſſe. [Sub illius prouidentia & omnipotentia, in cuius manu eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis; & cui dicitur, *breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt.*] Quod idem videtur eſſe, ac ſi dixiſſet, antecedente Dei lege fixam cuiuis eſſe ſtatam horam quâ hinc excedat, & populo ſempiterno, (vt Propheta loquitur) adiungatur.

VIII. S Gregorius 12. moral. c. 25. ad illud, *antequàm dies eius impleantur, peribit*, ſic habet. [Præfixi dies ſingulis ab interna Dei præſcientia, nec augeri poſſunt, nec imminui: niſi contingat vt ita præſciantur, vt aut cum optimis operibus longiores ſint, aut cum peſſimis, breuiores; ſicut Ezechias augmentum dierum, meruit impenſione lachrymarum. Et ſicut de peruerſis ſcriptum eſt; *indiſciplinatis obuiat mors.* Sed ſæpè iniquus, quãuis in occulta Dei præſcientia, longa vitæ eius tempora non ſint prædeſtinata, ipſe tamen quia carnaliter viuere appetit, longos animo dies proponit. Et quia ad illud tempus peruenire non valet quod expectat, quaſi antequàm dies illius impleantur, perit.] Non minùs commodè diceretur, futuros fuiſſe longos dies vitæ eius, ſpectata temperie, & aliis cauſis inferioribus: ſed à Deo decretum ſuum antecedens implente, eſſe receiſos: ſitque mandatum executioni, quod apud Iobum legitur conſequenter. *Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proijciens florem ſuum.* Eiuſdem libri initio quãuis illud Iobi, *breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt*, aliter accipit, quàm vt in verbis illis fundari poſſit decretum antecedens Dei de humanæ vitæ termino; tamen mox ad illud, *Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt*, perſpicuè agnoſcit tale decretum. [Statutum quoquè (inquit) homini eſt, quantum in ipſa vita mortali temporaliter viuat. Nam etſi annos quindecim Ezechiæ Regi ad vitam addidit omnipotens; cum eum mori permiſit, tunc eum præſciuit eſſe moriturum. Qua in re quæſtio oritur, quomodò ei per Prophetã dicatur, *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues:* Cui cum mortis ſententia dicta eſt, protinus ad eius lachrymas, eſt vita addita. Sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipſe merebatur: per largitatem verò miſericordiæ, illo eum tempore ad mortem diſtulit, quod ante ſæcula ipſe præſciuit. Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec DOMINICA STATVTA conuulſa ſunt, quia vt ex largitate Dei, anni vitæ creſcerent, hoc quoque ante ſæcula præfixum fuit; atque ſpatium vitæ quod inopinatè foris eſt additum, ſine augmento in præſcientia fuit intus ſtatutum.] Similia habet l. 16. cap 6. ad illud, *Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertit fundamentum eorum*, vbi præfixum procul dubio nobis à diuina præſcientia tempus vitæ conteſtatur: *præſcientiam* (vt alibi aſſolet) vſurpans pro diuina voluntate prædecernente, quam præſcientia preſsè accepta ſubſequitur, quippè ſupponens obiectum à voluntate præſtitutum. Et ratione illius præſcientiæ, ait neminem alio in tempore mori potuiſſe, niſi illo ipſo quo moritur.

IX. Iulianus in Catena Comitoli ad cap. 9. Iobi (*nobis cap. 14.*) circa illud, *Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt*, ſic diſſerit. [Confectis periodis quas vniuſcuiuſque vitæ æqua Dei prouidentia deſcripſit, mors incurrit in omnes. Nam qui nos finxit atque animauit Deus, certam cuilibet animæ ſtationem, commorationémque in vita conſtituit, nec paria cunctis decedendi ſpatia atque momenta aſſignauit. Quoſdam enim voluit animos diuturniùs cum corpore habere commercium: alios autem eiuſdem corporis vinculis expediri celeriùs, idque ex arcanis ſapientiæ iuſtitiæque ſuæ rationibus.]

Perſpicuè igitur Patres, fixum cuiuis homini à Deo vitæ terminum ex antecedente decreto, agnoſcunt. Quod ſi aliquando Patres videntur negare definitum eſſe à Deo, terminum vitæ hominis, intelligunt hoc, eo ſenſu, quem illa Gregorij Nyſſeni verba præferunt orat. in differentes Baptiſmum. [Sed dices tu qui es iuuenis, nondum conſenui. Noli ergo decipi. Non definitur mors certo tempore ætatis, neque timet eos qui ſunt in ipſo flore ætatis, in ſolos autem ſenes obtinet dominatum. Huius autem accipe magiſtram, quotidianam experientiam. Vides enim quo mortui efferuntur feretrum; quàm inæqualiter, & vt contingit, omnem effert ætatem; hodiè ſenem, cras florentem & elegantem, adoleſcentem, paulò poſt eum qui cœperat apparere lanugo: rurſum virum robuſtum & valentem viribus, & rurſus vetulam ſimul & virginem. Hæc aſpicientes, nos muniamus, vt non ſimus metu vacui. Non magno euenit negocio, vt exinaniatur vter ſpiritûs.] Senſus ergo Nyſſeni, negantis mortem definiri, ad alios æquè Patres transferendus eſt, cum in ſpeciem negant definitus eſſe mortalibus vitæ terminos, dicendo tempus vitæ mortalium non eſſe fixum.

Rationes ad idem, ex Syluio.

X. ACcedunt rationes. Syluius loco ſupra annotato argumentatur pro hac immutabili terminorum vitæ noſtræ præfixione facta diuinitùs, quia Deus omnia futura certò præſcit ex Sap. 8. Eccleſiaſt. 23. ac 39. & Hebr. 4. Prænoſcit ergo Deus terminũ vitæ vniuſcuiuſque, quia hoc eſt obiectum aliquando euenturum: & cum certò & immutabiliter id præuideat, neceſſe eſt vt fuerit prædefinitum; alioqui non eſſet aliquid certum & immutabile, quale neceſſe eſt eſſe obiectum prænotionis diuinæ. Poteſt inſuper ea præfinio terminorum vitæ noſtræ, (iuxta Syluium confirmatione 2.) probari ex eo quod Deus omnia quandoque futura prædefinierit, vt habetur ex Sap. 8. vbi Deus dicitur attingere à fine vſque ad finem, & diſponere omnia. Idem habetur ex eo quod Deus operetur omnia quæ in tempore fiunt, ex Rom. 11. Actor. 17. & Epheſ. 1. Nihil autem Deus operatur in tempore, quod non ab æterno prædeterminauerit agendum: & quidem eo modo agendum, quo reipſa in tempore agitur. Cum igitur in tempore, vita à Deo detur vſque ad talem terminum, fateri adigimur, Deum

huiuſmodi

huiuſmodi terminom præordinaſſe ac præfinioiſſe & prædeterminaſſe ab æterno. Quis verò dubitabit, oumeratum, ideſt, prædefinitum eſſe à Deo tempus, qoo caſurus eſt homo; quandoquidem abſque Deo prædecernente, ne ſolū quidem aut paſſer cadit? Quanto igitur magis, præordinaverit ac prædeterminauerit tēpus quo caſurus eſt, ideſt vitā concluſurus, homo, qui pluris eſt his? Itaque iure S. Hieronymus in cap. 10. Matth. & S. Aug. 1. Confeſſ. c. 10. ac lib. 5. c. 9. & tract. 104. & 105. in Ioannem, agnoſcunt, Deum eſſe diſpoſitorem ac ordinatorem omnium rerum naturalium, atque adeò etiam temporum ac vitæ humanæ, iuxta illud Proſperi Epiſtola ad Ruffinū. [Omnia Dei iudicio ordinantur.] Et illud Bernardi lib. de grat. & lib. arbitrio. [Attingit Deus à fine vſque ad finem, hoc eſt à ſummo cælo vſque ad inferiores partes terræ; à maximo Angelo ad minimum vſque vermiculum. Attingit autem fortiter, non quidem mobili diſcuſſione, vel locali diffuſione, vel ſubiectæ creaturæ tantùm officiali adminiſtratione, ſed ſubſtantiali quadam & vbique præſenti fortitudine; qua vtique vniuerſa potentiſſimè mouet, ordinat, adminiſtrat, *&c.* Vel certè attingit à fine vſque ad finem, hoc eſt ab ortu creaturæ, vſque ad finem deſtinatum à Creatore; ſine in quem vrget natura, ſiue quem acceleret cauſa, ſiue quem concedit gratia. Attingit fortiter, dum nihil horum euenit, quod non prouidet vult, potenti præordinet prouidentia.] Ex his patet, Deum eſſe præordinatorem atque adeò prædeterminatorem omnium quæ in mundo contingunt, vt D. Thomas multoties tradit; nominatimque qu. 2. de verit. art. 1. & 1. ſent. d. 36. q. 2. art. 1. & qood lib. 11. art. 14. & lib. 3. contra Gent. cap. 76. & 1. p. q. 2. art. 5. & q. 116. art. 1. quo poſtremo loco diſertè dicit. [Omnia quæ hîc aguntur, diuinæ prouidentiæ ſubduntur, tanquam per eam præordinata & quaſi prælocuta.] Ab his *omnibus*, non excipitur præcipuum inter hæc inferiora; nempè terminus vitæ mortiſque humanæ. Ergò admittendum eſt, eum terminum, à Deo, antecedenter atque adeò immutabiliter & irretractabiliter fixum eſſe, & prædefinitum, ac prædeterminatum. Summa eſt argumentationis Syluij.

Argumentum ex regreſſu euocatorum quaſi per errorem.

XI. Adiungi poteſt non incongrua ratio, ex quibuſdam narrationibus, quibus traditur, cum aliquando vous quiſpiam, quaſi per errorem euocatus ex hac vita eſſet, inſſum eſſe regredi, & ad vitam tenenire donec veniret hora eius. Habet vnum huiuſmodi exemplum S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis, cap. 12. referens Curinam quendam Municipij Tullienſis Curialem, poſt aliquot propè exanimationis dies, ad ſe reueniſſe, aſſerentem ex monito per viſum accepto, non ſe euocatum, ſed alium Curinam item nomine, fabrum ferrarium, qui præceptus fuerat adduci ad loca mortuorum; & dimiſſo Curina Curiali, iuſſus eſt exhiberi; obiitque eo ipſo momento, quo iſte penè reuixit. Apud S. Gregorium 4. Dialog. cap. 36. habetur conſimilis narratio de Stephano qui Conſtantinopoli defunctus & Iudici in locis inferis præſidenti exhibitus, non eſt ab eo admiſſus: cum diceret, non hunc adduci, ſed Stephanum Ferrarium iuſſi: eòque ad corpus redeunte, Stephanus ille Ferrarius, fato functus eſt. Matthæus Raderus ex Menæis 5. Octobr. recitat viſionem Coſmæ Monachi, qui defunctus, iuſſus eſt ad corpus reduci, adducto in eius locum Athanaſio Monacho. Ex bis ergò ac ſimilibus narrationibus, monſtratur, neminem è vita excedere niſi euocatum; & eum qui euocatur, non poſſe defugere quominùs veniat, quia venit hora ei præſtituta; quæ eſt perſpicua aſſertio prædefinitionis terminorum vitæ & mortis omnium hominum.

Rationes ab Antonio de Senis, addenſatæ.

XII. Tandem Antonius de Senis, ſententiam hanc confirmat prolatis varijs grauiſſimis incommodis quæ ad ſententiam oppoſitam conſequuntur. Scopus ei erat, acuere ſtudia multorum quiea ætate, cum dira peſtis graſſaretur, nequaquam perſuaſi fixos ſibi à Deo eſſe vitæ terminos, quos prætergredi non poſſent, profugiebant ad loca ſana, recedentes ſtudioſiſſimè à lue contactis, & peregrinos quoſque inhumaniter reijcientes; rati ſe ad eum modum prorogaturos vitam vlteriùs. Aduerſùs hoc itaque agēs Antonius de Senis, doctrinam de non præfixo cuiuis à Deo, indeclinabili vitæ termino, eorum eſſe ait, qui carnis oſtreo affixi, caducа æternis anteferunt; & cum Pelagianis anteponunt liberum arbitrium diuinæ gratiæ, cenſentes liberum arbitrium ſibi ſufficere ad mandatorum diuinorum impletionem; & cum Ariſtotele, negantes diuinam prouidentiam ad nos vſque pertingere. Sanè iuxta hunc autorem c. 12. exiſtimare quod quia ſe morti ſubducat per receſſum à tali loco, vel fugam commercij cum contactis, perinde eſt ac dicere; [Quòd caſu viuimus, & morimur, & non per Dei prouidentiam: & quòd vita & mors hominis, eſt in eius poteſtate ac arbitrio: & quod per libertatem arbitrij, poteſt homo mortem vitare, & per fugam à loco peſtifero, prolongare ſibi vitam. Quòd ſi verum eſſet, aliquid eſſet in mundo, quod non per Dei prouidentiam gubernaretur, ſed à caſu, quod idem autor, ait eſſe euertere articulum Symboli de Deo Creatore ac prouido adminiſtratore rerum omnium: itémque euertere doctrinā Catholicam de gratia, admittēdo cum Pelagio, liberum arbitr ū præcurrere diuinæ gratiæ, nec ſubiacere prædiſpoſitioni diuinæ. Ex hoc item fundamento item Autor c. 19. recitata cantione Gentilis Fulginatis, qui per tempus peſtis aſſignabat pro optimo alexipharmaco, *fugere à loco infeſto, longè, ac citò; & tardè reuerti*, concitatur in eam cantionem, tanquàm profectam ab homine animarum ſalutem negligente, nec ſpectante niſi cauſas inferiores: cum homini Chriſtiano ſpectanda potiſſimùm ſit cauſa ſuprema, hoc eſt, Deus antecedenter omnia præordinans ac decernens cuique certum vitæ terminum; quem niſi attigerit, non migrabit è vita, quicquid denique faciat; & vbi eum attigerit, quidquid faciat aut moliatur, erit ei de vitæ ſtatione diſcedendum.

XIII. Supponit eodem opere, potiùs quàm diſcutiat Antonius de Senis, paritatem præordinationis antecedentis vitæ & mortis, cum præ-

deſtinatione æterna Dei. Quam æquiparationem apertiùs adhibet Gennadius tract. Epiſtolari de Prædeſtinatione, vbi idcircò ſententiam ſuam de prædefinitione vitæ & mortis humanæ, adſcribit D. Auguſtino, quia antecedentem electorum electionem ad gloriam, ab eo traditam non dubitat: id quod etiam potior Theologorum pars agnoſcit: præſertim verò Suares, cum in libris de prædeſtinatione, tum l. 3. de cócurſu Dei à c. 16. ad 19. ac Bellarminus l. 2. de grat. & libero arbitrio, vbi à cap. 10. de hac controuerſia diſſerit. Vt autem æquiparatio ſit plena, & correſpondentia præfinitionis vitæ & mortis cum vita & morte æterna, (qui ſunt vltimi hominis termini,) bellè procedat; prædefinitus antecedenter & electis & reprobis populo ſempiterno terminus termino carens, erit agnoſcendus, quod aliqui è præfinitoribus non grauantur admittere, & putant in Scripturis & Patribus inſinuatum, vel etiam apertè traditum.

PVNCTVM XIII.

NON ESSE VNIVERSA-liter loquendo antecedenter fixos humanæ vitæ ac mortis terminos, vera ſententia, primùm autoritate firmata.

SENTENTIA ei quam proximè retuli è diametro oppoſita, negat terminos vitæ ac mortis humanæ, eſſe antecedenter à Deo vnicuique præfixos; ita vt quamuis vniuersè ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori, ſigillatim tamen huius aut illius mors non ſit à Deo ex ſe & antecedenter præſtituta, & vita certis durationis terminis concluſa. Huic ſententiæ adſcribor, cuius confirmationem, vnáque reiectionem contrariæ, ordior ab autoritate. Nam eius eſſe, ianuam rationi aperire, rectè monuit S. Auguſtinus l. 2. de ord. c. 9.

Scripturæ aduersùs præfinitam omnium mortem, improbatam à vera ſententia.

I. ADduci verò in primis poſſunt ſcripturæ illæ, quæ tradunt aliquibus non obtingere dies plenos, Pſal. 72. habetur; & quæ ferunt, quoſdam non dimidiare dies ſuos, vt eſt Pſalmo 54. aut mori in tempore non ſuo, vt dicitur Eccleſiaſtis 7. vel excedere è vita præ triſtitia, aut incondito alio effectu, quod Siracides c. 30. & 28. teſtatur; aut exorari vitæ prolongationem, vel mortis accelerationem, interpoſitis ad Deum precibus. Omnes inquã hæ ſcripturæ quæ infinitæ ſunt, videntur apertè excludere præfixionem terminorum vitæ & mortis, factam à Deo antecedenter. Nam ſi dierum terminus plenus, eſſet diuinitùs conſtitutus antecedenter, non poſſet non impleri, quantauis occaſio ex parte hominis ad impediendam plenitudinem interueniret. Vnde ob peccata, non poſſent dici dimidiati dies, nec item dici poſſet, aliquem mori in tempore non ſuo, quia decretem Dei antecedens, impoſſibile eſt non impleri. Quomodo autem affectos iræ, aut triſtitiæ, aut amoris incenſiſſimi, poſſet homini feſtinatam mortem inferre; vel quod idem eſt, vitam necdum conſummatam abrumpere, ſi decretum à Deo antecedenter ac ex ſeipſo latum, alios fines homini præfixiſſet, ob quos ab homine non aditos, mors dicatur feſtinata, & vita non plena, vel dimidiata? Oratio autem pro vita prorogatione, vel mortis acceleratione ad abrumpendum curſum peccati, eſſet illicita; quia ſic orare, eſſet conniti contra Dei decretum, & abſolutam voluntatem, quod nunquam poteſt fas eſſe creaturæ At Deus ipſe monſtrauit, eiuſmodi orationem ab Ezechia ad exorandam vitæ prorogationem humiliter interpoſitam, ſibi acceptam fuiſſe, conceſſa vſura plurium vitæ annorum, vltra terminum intra quẽ ſpectato naturali curſu cauſarum mors imminebat. Benè ex eo ad Ezechiam Dei oraculo, Eucherius in explicat. difficil. qq. in rem noſtram pronunciauit. Adiectos enim Ezechiæ quindecim annos affirmat; [Quia vrgebatur Ezechias extremis; non fati decreto, ſed Dei euocatione atque iudicio. In tantum autem vitæ anni prius non fuerant conſtituti, vt per ſupplicationem intelligantur adiecti.] Similiter exempla de additis vitæ annis, ad preces Sanctorum, frequenter occurrunt. Et præter eos qui deprecatoribus Sanctis erepti ſunt à morbis lethalibus, & ex ipſis propè Erebi faucibus abſtracti, (quibus proinde reliqua vita fuit à Deo adiecta, interuentu orationum fuſarum in eam rem à ſanctis viris;) habentur exempla additionum huiuſmodi, omninò illuſtria, in vita S. Aidani ſiue Medoci, Epiſcopi cap. 6. cum is oraſſet pro Guario Rege Conaghtorum ægrotante, cui triginta vitæ annos adjici impetrauit. Fuit etiam qui S. Poponi ægro annos vitæ viginti impetraret, vt ſcribit in S. Poponis Actis Euerebelinus c. 9. Recentiore memoria, raro charitatis exemplo, Ioannes Raſtellus, deuouens ſe pro Paulo Offzo ad extrema deducto, quod publicæ rei intereſſe eius vitam putaret, impetrauit ei adjici annos qui ipſi ſuperaſſent, vt ſcribit in vita Caniſij l. 2. c. 5. Matthæus Raderus. Hæc igitur ſatis perſpicuè demonſtrant, vitæ terminum non eſſe homini antecedenter à Deo fixum, quia precatio locum non haberet ad impetrandam vitæ prorogationem, & mortis dilationem ſi à Deo ex ſe & antecedenter, latum eſſet decretum de fixo vitæ humanæ termino: cum tamen & propoſita Sanctorum exempla contrarium ſuadeant, & Scripturæ quas adduximus, ei orationi aſtipulentur. Præter alias Scripturas quas item propoſuimus, quibus ea terminorum vitæ noſtræ ineluctabilis præfixio, excludi perſpicuè videtur. Multas omnino aceruat Manaſſe Beniſrael l. 2. de vitæ termino ſect. 5. in quem his pridem editis incidi.

Patres pro eadem ſententia.

II. INter Patres, (ad quos poſt ſacras litteras progrediendum eſt) videtur imprimis tradidiſſe hanc ſententiam S. Clemens Romanus, ex

cuius

cuius ſermone 1. de prouidentia & iuſto iudicio, hæc verba profert Anaſtaſius q.96. noua in Scripturam. [Quemadmodùm fieri poteſt vt & nunc Deus formet hominem eo pacto quo Adam formatus eſt : id tamen non fit, eo quod homini vim generandi homines conceſſerit, verbis illis ad naturam humanam prolatis, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram* : ita omnipotente & prouida ſua virtute, corporum reſolutionem & corruptionem, naturali quadam ſerie & conſecutione elementorum mutationi permiſit & commiſit, ſecundùm inſitam illius eſſentiæ cognitionem & comprehenſionem.] Sic Clemens, quem Anaſtaſius vocat, *Sanctum & Apoſtolicum Doctorem ac Patrem Patrum*.

III. S. Iuſtinus qu. 33. ad Orthod. [Non eſſe definitum cuiuſque vitæ tempus, ex oracularibus Scripturæ verbis ita oſtenditur. *Si* (inquit) *in agro homo repererit puellam quæ deſponſata ſit, & vi illata concubuerit cum ea, virum quidem occidite, puellam verò ne occideritis. Quomodò namque percuſſit homo proximum ſuum, & cum eum percuteret non affuit percuſſo opitulator, ſic & factum hoc patratum eſt; inclamauit puella & adiutor ei non fuit.* Non cótuliſſet diuina Scriptura ſtuprum vi illatum cædi violenter cõmiſſæ; ſi mors definita eſſet. Nam quod apud Deum definitum eſt, id vi mouere & tranſgredi non eſt. Atque hoc ſi ita habet; nempè non determinatæ Ezechiæ vitæ, adiecti ſunt vitæ anni, ſed nullo certo fine præteritis eius annis, quorum exitus aderat à morbo lethali, non à Deo qui morbum illum ſanauit, vitæ illum reſtituit.

IV. S. Ambroſius lib. de Noë & arca, cap. 5. vbi nos legimus *finis vniuerſæ carnis, venit coram me*. Ipſe legit, *tempus omnium hominum venit coram me*; quod ita gluſſat. [Tempus, quidem omnium hominum in conſpectu Dei, & in eius voluntate eſt. Non enim (vt aiunt) fatale decretum alligatur : ſed tamen ſpiritaliter hic dictum putu, quia in Euangelio Dominus redempturus hominum genus paſſione ſui corporis, & emundaturus ſanguine ſuo, Sacramentoque. Baptiſmatis, ait, *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te.* Ergo quia in diluuio per arcam Noë ſeruatæ ſunt reliquiæ generis humani, ad ſeminarium reparationis & renouationis futuræ, ideò præmiſit hic, *tempus omnis hominis venit coram me.*] Apertè hîc S. Ambroſius, & fatalem vitæ exitum excudit, (quem coincidere cum termino antecedenter prædefinito poſtea dicam; & finem ac horam vltimam vitæ hominum, eiuſdem rationis ſtatuit cum fine & hora vltima Chriſti, cui liberum fuit ponere animam ſuam : nec obijt ex prædefinitione, de ipſius quoque S. Ambroſij ſententia.

V. S. Hieronymus in cap. 38. Eſaiæ, tractans exoratam ab Ezechia vitæ prorogationem, poſt diſcuſſas varias cauſas cur tæderet Ezechiam immatura morte defungi; addit. [Simul fati quæſtio ſoluitur, ac neceſſitatis vincula atque cauſarum quod nequaquam dies mortis ſingulis præſtituta ſit, ſed voluntate Dei & ignotis mortalibus cauſis vel viuat aliquis vel moriatur; præſertim cum & ſtatuta nunc mortis neceſſitas differatur, & poſt mortem reſuſcitatos plurimos legerimus.] Quod excluſo fato, voluntati Dei, & cauſis inferioribus adſcribit S. Hieronymus vitæ terminum, idcircò dicit; quia voluntate Dei non antecedenter decernente vitæ finem, ſed rarum habente ordinem naturalem cauſarum eúmque nolente inhibere, (extra raros & infrequentes euentus de quibus ſupra p. 2. (homo ad terminum ſibi in talibus adiunctis naturaliter debitum, pertingit.

VI. Nazianzenus orat. 5. ſententiam pro qua ſatagimus apertè inſinuat verbis illis. [Labor artis Medicæ circa corpora verſatur, fragilémque hanc & humi labentem materiam omnino tandem interituram, eaque, quæ fert ipſius conditio, perpeſſuram, etſi artis ſubſidio diſſidium illud quo laborat nunc ſuperet. Eam enim aut morbi vis aut tempus extinguet naturæ legi cedentem nec fines ſuos excedentem.] Inſinuari his verbis excluſionem terminorum vitæ ac mortis humanæ antecedenter conſtitutorum, optimè ibi perſpexit Elias Cretenſis, ſic ſcribens [Ex his verbis illud mihi colligi videtur, quod poſt violatam Dei legem, ſtatutum ſit, animam à corpore diſiungi, corpuſque in terram reſolui; nec fieri poſſe, vt quiſpiam decretum hoc excedat. Non tamé omnino ac ſine vlla mora, in quadam certa hora; verum ea interdum prorogabitur ! Medicina nimirum humorum perturbationem ac coniunctionis eius quæ inter corpus & animam eſt, ſolutionem ſuperante, non tamen ſine diuino nutu & voluntate. Hæc porrò ijs aduerſantur qui fatalem quemdam ac neceſſarium mortis terminum eſſe aſſerunt, nec fieri poſſe vt præfixum diem atque horam quiſquam excedat. Cum tamen alij mortis horam à Deo quidem prænoſci, non tamen neceſſariò definiri pronuncient, ſuæ ſententiæ hic quoque vir ſanctus, mihi accedere videtur per ea quæ hoc loco diſſerit.

S. Paulinus explicat ſſimè negat terminum vitæ eſſe antecedenter præfixum hominibus, agens cum Ionio Epiſto. 38. vbi Platonem delirantem circa Parcas lanificas ſubſannat. Quod metro poſtea repetit ſub finem Epiſtulæ ſic Iouium alloquens, & fatum Platonicum euertens.

> *Num Rex ille* (Ezechias) *habuit fatum, qui morte propinqua*
> *Orauit Dominum, quem leges nouerat vnum*
> *Flectere poſſe ſuas, conſumptum vt tendere cursum*
> *Longiùs; & meruit tria ducere Luſtra ſuperſtes*
> *Annus ipſe ſuus, & non ſua viuere ſæcla*
> *Hunc tria miremur texentem fata Platonem,*

Perſpicua eſt mens S. Paulini de excluſione termini fatalis vitæ humanæ. Quod autem Gabriel Naudæus q. 5. Iatrophilologica (in quam his pridem editis incidi:) num 28. acerbitatis & inconſiderantiæ damnat hac in parte S. Paulinum, nec illæ admodùm acerbè & valdè inconſideratè lautus eſt, nec eſt timendum vt hoc ſuum de viro ſanctiſſimo, ſed præter alia decora manſuetiſſimo aſperum iudicium alijs perſuadeat, cum nemo qui Paulinum norit (& norunt pij ac docti omnes) mititatem ſummam atque benignitatem cum iudicio & ſancta prudentia certantem ignorare poſſit in beato illo Dei homine inſigniter micare. Sed non eget S. Paulinus defenſione noſtra, ipſe per ſe nitentiſſimus. Quod autem Platoni non impoſuerit, patebit puncto 9. n. 1.

VII. Anaſtaſius q. 96. noua in ſcripturam, fusè impugnat factam à Deo prædefinitionem terminorum mortis ac vitæ humanæ, argumentatus imprimis ex eo quod ſi ita eſſet (fatendum foret, Deum eſſe acceptorum perſonarum. [Fa-

cimus

ciamus (inquit) eſſe prouinciam ab omni pietate & æquitate alienam , diabolico cultui mancipatam , verique Dei prorsùs neſciam , ſed lapides , deteſtanda ligna , muſcas , & ſimias adorantem , cedo age tu qui ſingulis terminum vitæ prout vtile eſt , à Deo præſtitui affirmas, quomodò & qua de cauſa alij ex impiæ illius ciuitatis indigenis , centenarij hinc excedant , alij quinquagenarij , *&c.* Illi centum , iſti decentorum annorum : alij in infantia & matris ſub vbere ſæpremum diem obeant. Si enim prænotio ſeu præfinitio eſt , cur homini idololatriæ dedito , quingentos annos vitæ præſtituit , vt tu aſſeris , alteri centum , hunc verò infantili ætate , & paterni ſceleris purum innocentemque , ex vitæ ſtatione educit ? Nam ſi hæc ex præfinitione contingunt, Deus erit acceptor perſonarum ; vt poté qui hunc illibatum intactumque , rebus humanis eximet , alteri quingentos annos admittitur, non ignarus omnes in idololatria conſumptum iri.] Non eſſet difficile hanc Anaſtaſij ratiocinationem eneruare , ſi agat de acceptione perſonarum Deum dedecente & vitioſa. Sed nunc non attendo niſi Anaſtaſij mentem , quæ ex recitatis eius verbis perſpicua eſt : ſicut etiam ex reliqua admodùm diffuſa diſputatione , qua confirmat, mortem & vitam ex cauſis naturalibus exiſtere, etiam iuxta Scripturas , vt cum 4. Reg. 2. aquæ Hiericunthinæ priùs mortiferæ dicuntur deinceps fore innoxiæ , ob interpoſitam à Deo purificationem aquarum. Exclamat ad hoc exemplum Anaſtaſius , [Audis tu , qui præfinitiones nobis affers , vocem Propheticam & diuinam, perſpicuè atteſtantem , mortem & ſterilitatem, ex aquis , hominibus obtingere : ſicut è contrario , vitam & fœcunditatem ex aqua prouenire, planum faciunt aquæ Ægyptiæ , admodùm feraces & fœcundæ. Quod ſi ex aquis corpora permiſſu Dei intereunt , ſequitur , idem ex reliquis elementis ſecundùm quædam incrementa , vel decrementa accidere poſſe.] Obſignat denique totam reſponſionem conteſtando , vitæ productionem aut reciſionem , [Non fieri quidem abſque conditoris prouidentia & ſcientia ; ſed tamen non alio modo , quàm per elementorum primitiùs à Deo conſtitutam gubernationem , & ordinem , & naturalem adminiſtrationem.] Extra ratos euentus , quibus Deus extra ordinem , vult alicui vitam proferre , vel ſuccidere, vt dictum eſt puncto 2.

VIII. Athanaſius (quiſquis demum autor) qu. 112. propoſita , quæſtione de vitæ humanæ termino, eam primùm in vtramque partem agitat; eo quod aliquæ ſcripturæ, ei termino ſtato & diuinitùs antecedentur fixo , ſuffragari videantur: puta quibus petitur ne mors in dierum dimidio adueniat , & quibus anni poſiti dicuntur ſpithama , ſiue menſurabiles : aliquæ verò ſcripturæ è contrario , videantur terminum illum ſtatum excludere , vt quibus aliqui dicuntur mori in tempore non ſuo , & quibus vita narratur adaucta & prorogata petentibus. Sic vtrinque agitata quæſtione , reſpondet Athanaſius , nullos dari fixos humanæ vitæ terminos, quia conſtat aliquos tolli è vita non ob impletos vitæ terminos , ſed quia peruersè ſe geſſerint. Item quia ſi dies hominis eſſent præfixi & definiti , fruſtra peteretur à Deo vitæ prorogatio. [Terminus enim , terminus eſt, cui acceſſio adiungi non poteſt. Et quomodò dicit Scriptura; *Honora patrem tuum & matrem, tuam vt ſis longæuus?* Terminus igitur vitæ humanæ præfixus, eſt cõſilium Dei: qui cui vult, addit; & vbi lubet, eripit , omnia faciens ad ſingulorum vtilitatem. Et quemadmodùm Dominus gregis, quandocunque voluerit, mittit qui ſibi , quas velit, adducat oues , ſic etiam Deus facit hominibus: & tunc expectat hominem mors, cum terminus vel tempus vitæ completur. Quapropter terminus (vt dictum eſt) vitæ cuiuſque, eſt iuſſus & conſilium Dei.] Hæc poſtrema videntur aſtruere terminum vitæ cuique à Deo fixum ; & eo nomine hic autor videri poteſt improbatus ab Anaſtaſio q. 69. in ſcript. vbi refellit eos qui admittunt præfinitiones diuinas circa vitæ noſtræ terminum , ad ſingulorum vtilitatem à Deo præſtitutum. Ne tamen dicamus, hunc autorem ſibi ipſi intra paucas lineas contradicere , (quod ſtolidi eſſe ac imperiti , ait Æneas Gazæus ſub Theophraſti initium) dicendum eſt , cum in prima reſponſionis parte, abrogare præfinitiones termini vitæ & mortis humanæ , quod hic intendimus : ſubdere verò in reliqua reſponſione, penes Deum eſſe ius in vitam ac mortem noſtram ; non modò ratione primæ ac vniuerſalis legis de conſtitutione elementorum aliarumque cauſarum, è quibus vita & mors hominis pendent , vt fusè proſequitur Anaſtaſius qu. 96. in ſcript. ſed etiam quia in particulari, Deus in bona voluntate ſua, abſque præfinitione, temperat & diſponit cauſas inferiores modo ad prorogandam vel breuiandam vitam opportuno, prout conſilium ipſius & voluntas tulerit; vt iam præmiſi circa locum adductum ex S. Hieronymo.

IX. Æneas Gazæus in Theophraſto, admittit quidem , prouidentiam liberam Dei præfigere cuique vitæ terminum, tamẽ & eodem ſenſu quo creditur Athanaſius atque Hieronymus accipi poteſt : & quod maximè ad rem facit, negat terminos illos eſſe ineluctabiliter fixos & immobiles; quo ipſo negat eſſe ex antecedenti decreto diuino fixos , quales ponit ſententia contraria cui reluctamur : minimè tamen reſpuentes poſitionem terminorum vitæ ac mortis , conſequentem curſum cauſarum inferiorum à Deo præuiſum, & ex prouidentia temporatum.

X. S. Anſelmus , cap. 5. Concord. docet quod ſcriptura ait , conſtitutos eſſe cuique vitæ terminos qui præteriri non poterunt, non ita eſſe accipiendum, quaſi homo ex ſua libera voluntate non poſſit diem mortis ſuæ accelerare , aut adhibitis præſidijs conuenientibus differre ; quod ſanè fieri non poſſet ab homine, ſi Deus ex decreto antecedenti fixiſſet cuique ſuum vitæ terminum : Ita ergo accipiendum dicit quod ait Scriptura, vt ſenſus ſit , terminum vitæ ex cauſarum inferiorum curſu præuiſum , non poſſe mutari , eo ipſo quod præuiſus eſt tanquam ponendus ex naturali curſu cauſarum, vel ex hominis arbitrio , cum mors eſt violenta. [Nam quoniam Deus non fallitur , nec videt niſi veritatem , ſiue ex libertate, ſiue ex neceſſitate veniat , dicitur conſtitui ſed apud ſe immutabiliter, quod apud homines, priuſquàm fiat, mutare poteſt.] Simile eſſe ait, quod Apoſtolus Rom. 8. agnoſcit æternum Dei propoſitum erga electos. [Hoc quippè propoſitum ſecundùm quod vocati ſunt Sancti : in æternitate , in qua non eſt præteritum. vel futurum, ſed tantùm præſens, immutabile eſt : ſed in ipſis hominibus ex libertate arbitrij aliquando eſt mutabile. [Quod pluribus

proſequi

proſequitur. Et ratio eſt perſpicua, quia ea immutabilitas qua Deus vult hunc terminum, non eſt niſi ex ſuppoſitione futuritionis eiuſdem termini, per inferiores cauſas ponendi: Ex ſuppoſitione autem quod res ſit futura, non poteſt non eſſe futura: atque adeò Deus tendens in eam, inuariabiliter & immutabiliter tendit? aliud tamen ab æterno voliturus, ſi futuritio termini per inferiores cauſas ponendi, fuiſſet diuerſa. Quare S. Anſelmus perſpicuè abrogat decretum Dei antecedens, de vitæ ac mortis noſtræ termino.

XI. Gulielmus Conuentrienſis Autor Elucidarij perperam inſcripti S. Anſelmo, cum c. 52. propoſuiſſet dubitationem; [Eſtne homini terminus vitæ conſtitutus; & ſi poteſt hunc excedere viuendo, vel præuenire moriendo? [Reſpondet in hunc modum. [Vnicuique ſtatutum eſt à Deo, quandiu viuere debeat in hoc ſæculo: vltra quem terminum, homo non poteſt viuere vel vnum momentum; vt dicitur, *Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Poteſt autem multis modis anteuenire, ſiue in arma vel in beſtias ruendo, ſeu veneno vel laqueo vitam extorquendo, aut flammis vel vndis inſiliendo. Sicut mercenarius prauis moribus poteſt efficere, vt non ſolùm mercede priuetur, verùmetiam ante condictum tempus expellatur] Vt hic autor ſibi conſtet, nec ſecum ipſe intra vnam periodum collidatur, neceſſe eſt, vt quod habet de vitæ termino cuiuis homini diuinitùs ſtatuto, intelligat de decreto conſequente præuiſionem applicationis cauſarum ſecundarum, ex quibus ille effectus ſit exiturus. Eo enim ipſo quod terminus mortis poteſt anteuerti, vt habet poſterior pars reſponſi, manifeſtum eſt, decretum de termino vitæ, non eſſe latum antecedenter, qua ratione non poſſet terminus anteoccupari. Atque ita autor iſte, (qui tametſi plurimùm ab Anſelmi grauitate abeſt, hunc tamen ingenij fœtum inter legitimos S. Anſelmi obtruſum diu habuit; vendicatur à probro inconſtantiæ, & ſententiæ noſtræ clarè aſſentitur.

Cæſarium Heiſterbacenſem, ſciens prætereo. Nam tametſi videtur ſatis apertè tradere ſententiam propoſitam lib. 1. miracul. à cap. 25. tamen implexè loquitur, & interdum videtur prænotionem diuinam termini vitæ, confundere cum prædefinitione eius antecedente & hanc prædefinitionem termini vitæ, humanæ admittere. Vndè hunc terminum, vocat intranſgreſſibilem, nixus præſertim eo Iobi loco ex cap. 14. *Conſtituiſti terminos, eius qui præteriri non poterunt* [Eccè (inquit Cæſarius) in hoc habes hominis terminum viuendi à Deo conſtitutum, & quod idem terminus intranſgreſſibilis ſit.] Similia habet initio capitis 26. Vbi tamen continenter addit, ſi terminus vitæ eſſet intranſgreſſibilis, fruſtrà Eccleſiam pro infirmantibus preces fuſuram. Et in fine eiuſdem capitis 26. agnoſcit & ex Scripturis confirmat, terminum vitæ poſſe in aliquibus fieri breuiorem, in alijs verò longiorem. Nec liquet non cohærere cum illa immutabilitate termini vitæ à Cæſario ibidem admiſſa. Itaquè Scriptorem adeò implexè loquentem, & ex eodem ore nunc calidum, nunc frigidum efflantem præſtat miſſum facere, ijs potiùs inſiſtendo quos vidimus abſque ea implexitate, veritati pro qua ſatagimus, aſtipulari, inter veteres.

Epimetrum de antiquis Rabbinis.

XII. Partibus noſtris, id eſt antiquis Chriſtianis Doctoribus, adiungere potuiſſem pleroſque antiquos Hebræos. Nam præſtantiſſimis quibuſque veteribus Rabbinis ratam fuiſſe aſſertionem propoſitam, & inficiationem fixi antecedenter à Deo vitæ termini, diligenter monſtrat Apella (in quem his primùm vulgaris incidi) Menaſſeh Ben-Iſraël toto lib. 1. & 2. de vitæ termino. Profert hic Scriptor, varia Rabbinorum veterum in rem noſtram argumenta, propoſita à nobis vniuerſo hoc opere. Et imprimis experientiam, & praxim communem habendi rationem valetudinis, & connitendi ad eam vel conſeruandam vel inſtaurandam. In quam rem pleruṁque certis cibis abſtinetur, adhibitis ſtudiosè alijs tametſi palato minùs arridentibus: Catapotia & cathartica pharmaca propinantur, & alia præſtantur non abſque expenſis & faſtidio guſtus: mutatur ſolum, & ſalubrius cœlum captatur. Quid denique non fit, vt vita ſit diuturnior? At perſtultum videretur, (inquit ex horum Rabbinorum ſenſu Menaſſeh,) ſollicitum eſſe pro vita, quæ ſocordia elabi ac diffluere, aut cura protegi vel conſeruari, ob fixum à Deo indeclinabiliter vitæ terminum non-poſſit. Vrgent in eandem rem iidem Rabbini, decurtationem vitæ, varijs planè modis contra quam ferret natiua temporis; obuenientem pleriſque. Non modò enim qui contemnit viam ſuam mortificabitur, vt habetur Prou. 19. id eſt morti dedetur exlex, iudicum ſententia ante horam ſuam ſublatus, vt interpretatur Abenezra; ſed etiam varijs accidentarijs caſibus, præuenitur hora in qua mors eſſet naturaliter conſecutura, iuxta ea quæ diſſerit Moſes Ægyptius in Yadagazaka. Et è contrario, pleriſque datur vita diuturna in præmium pietatis, quod Rabbini Thalmudici in Gemara Roſaſana, dicunt fieri à Deo mutante ſententiam intuitu eleemoſinæ, precationis; mutati nominis, ac mutatæ vitæ. Omnia autem iſta euerterentur ſi fixus eſſet antecedenter cuique terminus vitæ. In ſumma, diffuſè nec inaccuratè Menaſſeh de ſuorum probatiſſimorum Rabbinorum ſenſu, ſtabilit mobilitatem termini vitæ; & nonnullos viſos opinari contrarium, exponit de immobilitate conſequente Dei præſcientiam cui certum eſt determinatè obijci finem noſtrum, & numeratos eſſe annos ac dies vitæ mortalium, quamuis nihilominus maneant exſoluti à neceſſitate. Quia non ex eo res futura eſt, quòd Deus eam præſciat, ſed è contrario Deus illam præſcit, quia futura eſt vt Rabbi Iſcarat Seſat, & Rabbi Iſac Arana tradunt apud eundem Menaſſeh l. 3. ſect. 11. interdum ea quæſtione admiſceat, quibus videri poſſit fauere aduerſarijs. Tametſi ne pro illis quidem clarè loquitur, poteſtque benignè exponi, ita vt egerit de decreto conſequente, non de antecedente. Paſſim præterea qui reijciunt prædeterminationes (ſunt autem innumeri) præfinitionem terminorum vitæ humanæ repudiant.

Extra ſcholam Theologicam, Medici quoquè non ignobiles, à nobis ſunt, & antecedenter à Deo fixos cuique vitæ terminos reijciunt. Præter cæteros Ferdinandus Euſtachius diſputatione de prorogatione vitæ humanæ per Medicinam, ſect. 4. ad quintam rationem pro prima ſententia quæ negabat poſſe vitam hominis Medicinæ beneficio prorogari, admittit, Deum

præfixiſſe vitæ humanæ, terminum ſpecificum, pro varijs mundi ætatibus varium. V.G. edixiſſe, vt nemo hoc tempore vitam prorogет ad annos mille, vel ad octingentos. In ſingulari autem, non præfiniſſe omnibus vitæ terminum. Quam diſtinctionem refert, à Petro Aponenſi qui Conciliator audit, aptatam eſſe illi loco Iobi, *Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt*, adhibitis alijs vocibus; dicendo ſcilicet, Deum præfixiſſe vitæ noſtræ terminum communem, latum, & indeterminatum, de quo Iob ſit locutus. Non præfixiſſe tamen terminum præciſum, anguſtum, & particularem, qui ſub illo lato & communi termino, poteſt productior aut breuior reperiri. Hoc verò eſt, apertè admittere, non dari pro vnoquoque homine, terminum vitæ antecedenter præfixum, quod vnum contendimus. Ex eodem Medicorum Ordine. Ioannes Langius lib. 1. Epiſtolar. Medicar. in 79. diuinitùs antecedenter cuilibet fixum vitæ terminum diffitetur. Et quamuis agnoſcit naturalem in vnoquoque vitæ terminum attenta naturali temperie; tamen artem & induſtriam in illius periodi prorogatione non parum poſſe, rectè docet, confirmatque Galeni ſui exemplo; qui tametſi conſtitutione corporis ſatis imbecilla, tamen centum quadraginta vixit annos, eo quod abſtinentiam in cibo & potu exquiſitè ſeruaret, ita vt numquam ad ſatietatem comederit aut biberit, nec crudem quippiam vnquam deguſtarit, & odoriferum ſemper anhelitum ſpirarit. Ita ille ex Suida V. *Galenus* ac Perotto V. *Nestor* Sed & Gabriel Naudæus prima ſua ſorte Medicus q. 5. Iatrophilologica à nn. 12. ineluctabilem vitæ terminum euertit pro viribus, reiecto latè Tullio à n. 17. eo quod Ariſtoteli adſcribat fatalitatem circa vitæ terminum. Monſtrat verò ipſe nu. 19. eum fato & debita morte excedere, qui moritur reſoluta inſenſibiliter aut per morbum naturali temperie. Eum verò dici mortuum ante diem qui externo caſu violento vitam concludit. Deniquè vt alios taceam. Fortunius Licetus, Patauienſis Medicinæ Profeſſor tomo 1. operis de quæſitis per Epiſtolam, Epiſtola V. apertè ſentit quod hîc dicimus. Tametſi enim aliqua eius verba puncto 12. referenda aliud ſonare videntur, reipſa tamen huc reſoluitur.

Externi quoquè, pro eadem veritate.

XIV. POteram quoque adiungere teſtimonia externorum, ſi dignum foret, ſiligeneæ farinæ furfures admiſcere. Poſſum enim vſurpata potiore iure S. Gregorij phraſi, furfures dicere quæ dicunt externi, Heterodoxos dico & Paganos. Nam quamuis magna pars vtrorumque in aliam ſententiam conceſſerit, vt proximè monſtrabo, tamen aliqui ex vtraque claſſe, huic veritati adhæſere; vt ex prioribus Abraham Vandermylius Epiſtolis binis de hoc argumento, quæ habentur in Beneroui cij Collectaneis. Et ibidem Simon Epiſcopus Epiſtol. 1. & 2. *pag.* 211. & Gaſpar Barcæus *pag.* 343. Ex Ethnicis, quotquot fatū reiecerunt, (& ſunt innumeri) in eadem ſunt natū, vt ex proximè dicendis liquebit. Nec omittendus Tullius, ſi ipſe eſt autor libri de Conſolatione, quod contendit Mariana lib. 3. de Immortal. cap. 4. & Alij; refragante tamen Lipſio in iudicio de ea lucubratione. Tullius ergo, vel quiuis alius libri illius Autor, rejiciendum decernit placitum quorumdam, affirmantium fuiſſe à Deo fixum vnum communem omnibus vitæ terminum: tametſi vt aliqui ocyùs, alij ſeriùs moriantur, ſingulorum hominum vel intemperantia vel negligentia contingat. Hoc autor ille reprehendit, quia ea ratione fatendum foret, terminū vitæ eſſe fatalem. [At ſi vitæ terminus fatalis eſt, nec immutari quidem poſſe neceſſe eſt. Sin voluntarius & in hominis arbitrio poſitus, nihil eſt cur eundem omnibus à Deo conſtitutum eſſe, quiſquam affirmet.] Ex qua ratiocinatione patet, hunc autorem à fatali termino abhorrere; ac nullum, vel hominibus eundem, vel ſingulis varium præfixum vitæ finem agnoſcere. Vtrumque enim probat ratio quam adhibet. Vndè patet, quod aliquoties repetit, præfinitum eſſe à Deo vitæ terminum quem præterire vel ex quo egredi non liceat, de decreto Dei conſequente, non de decreto antecedente eſſe accipiendum.

XV. Poſſunt præterea in eandem ſententiam accipi, varij Ethnici, quibus in ore frequentes erant acclamationes illæ à Tertulliano memoratæ, cap. 35. Apolog. *De noſtris annis, tibi Iupiter augeat annos.* [Dicere ſolent (inquit Seneca lib. de breuit. vitæ, c. 8.) eis quos validiſſimè diligunt, paratos ſe, partem annorum ſuorum dare.] Bernardinus ferrarius in opere de veterum acclamationibus, cap. 11. multis hoc illuſtrat. Et audio, hodiéque Turcarum nonnullos, his Ethniciſmi reliquijs imbutos, vt imperatori ſuo gratificentur, mortem per inediam ſibi accerſere; vt quod ſibi de vita decerpunt, accedat vitæ Imperatoris. Non nemo etiam cenſuit, vſum antiquum, imò abuſum, bibendi ad principis alteriúſve ſanitatem, ad hanc ſuæ vitæ pro aliena *deuotionem* pertinere. Nam etiam S. Ambroſius libro de Elia, cap. 17. eum vſum iam tunc, imo longè antetiùs in Ethniciſmo vigentem, referens ac improbans, appellat *deuotionem*. Et verò multi, toties ad ſanitatem bibebant, quod vellent eſſe annos principi iuxta illud ex 3. Faſtor.

Sole tamen vinoque calent, annóſque precantur
Quod ſumunt cyathos, ad numerúmque bibunt.
Inuenies illuc qui Neſtoris ebibat annos
Quæ ſit per calices facta ſibylla....

Id eſt quæ numeroſiſſimè biberit; & ſiccatis calicibus, annos ſibyllarum æquauerit, quas ad nongentos annos vixiſſe ferebat fabula. Ad nongentos ergo cyathos, ſiccatos fuiſſe oportuiſſet, (niſi hyperbole eſſet ad exprimendam ingentem vim calicum,) vt totidem annos apprecarentur. Solitum id fieri in Bachanalibus, notauit Ioannes Fridericus Mateneſius lib. 1. de ritu bibendi ad ſanitatem c. 8. Igitur ea annorum inter potandum apprecatio; ad vitæ propriæ acciſionem, vt alteri cedat quod homo ſibi detractum vult in eius gratiam pertinere potuit, in prima illius moris vſurpatione apud Ethnicos. Hoc ſi ita eſt, euaneſcit iuxta mentem eum ritum adhibentium, termini vitæ antecedenter poſita præfinitio. Stultè enim expeteretur, vel detractio annis proprijs, vel acceſſio alienis, ſi fixus antecedenter à Deo cuique eſſet vitæ terminus.

Multi igitur Ethnicorum quos ritum prædictū vſurpaſſe conſtat, veritati pro qua ſatagimus ſunt aſtipulati. Nec refert quod fatum admittant. Neque enim fatum ſemper & apud omnes illud admittentes infert præfinitionem antecedentem de re fato ſubiecta. Sed interdum nomen *fatorum* apud Ethnicos aliò pertinet, vt notat Ioſephus Scaliger lib. 2. lection. Auſon. cap. 22. ad illud tumulo Arborei inſcriptum.

Dictaſti fatis verba notanda meis.

Solebant enim Gentiles quo die nomen puero imponebant captare omnia & ex nomine, & ex ijs omnibus quæ ab eius horoſcopo, ad eum vſque diem contigerant. Idque dicebant fata ſcribenda adorare. Quo ſpectat illud Tertulliani 1. de anima cap.39. [Omnes Idololatria obſtetrice naſcuntur: dum adhuc ipſi vteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina ſua demoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur: dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur: dum vltima die fata ſcribenda aduocantur.] Vltimus dies ipſe eſt octauus, hebdomadis vltimus qui luſtricus erat; & à nominis impoſitione NOMIMALIA appellabatur.

PVNCTVM IX.

CONTRARIA SENTENTIA, Ethnicorum, Fatariorum, Saracenorum, Manichæorum, Prædeſtinatianorum, Hæreticorum, de Caluini præſertim cauſa.

SENTENTIA, quam impugnamus, non modo idonea quauis ſuffragatione deſtituitur; (pauca enim quæ ex Scriptura, & Patribus pro ſe adducit, infrà facillimè expediemus;) ſed etiam è contrario, ab ijs tradita eſt, quos alia probroſa dogmata infamant; vt non parum ſanè ad huius ſententiæ nonnullam dehoneſtationem interſit, tales ſortitam eſſe autores, vel ſuffragatores. Præcipuos quoſque attingo.

Ethnici fatarij, pro vitæ termino omnibus præfinito.

1. ET imprimis, fuit ea doctrina Ethnicorum fatariorum, quorum dogmate via vllum proferri poteſt exitialius. Fato ſiquidem admiſſo, vt Iſidorus Peluſ. lib.3. Epiſt.191. gradatim, monſtrat, eò deniquè deuenitur, vt Deus ipſe abnegetur, qui eſt vertex iniquitatis, & improbitatis faſtigium. At aſſeranda præfiatione antecedenti terminorum vitæ & mortis, inuehi ipſiſſimam doctrinam Ethnicorum fatariorum, autor eſt S. Iuſtinus qu. 33. ad Orthod. Recenſetur inter eos Ethnicos fatarios, Plato à Nemeſio, cap. 38. libri de homine. Ait enim Nemeſius, Platonem inuexiſſe diuinam legem ineuitabilem; cum cuiuſque rei, atque adeò etiam hominis euentum, præfinientem ineluctabiliter, quam vocabat *Adraſtiam.* Fabella eſt quam verbis S. Paulini Epiſt. ad Iouium, retego. Riſerat S. Paulinus ea Epiſtola 38. fictores numinum, apud quos Amor, Nemeſis, Furor, occipiti caluo Occaſio, Fortunaque lubrico malè nixa globo, in ſimulachris colebatur. Addit autem. [Nec minore mendacio, fata ſimulantur vitas hominum nere de calathis, aut trutinare de lancibus. Quod deliramentum ne vulgo imputemus aut nimirùm Philoſophos admiremur, Platone etiam delirante narratur; qui in gremio anus, penſum neceſſitatis apponit, & tres ei filias addit concinantes & verſantes fuſum & per fila ludentes: hoc ſcilicet lanificio autumans eas conficere res hominum, & tempora cuique ſignate detexere.] Benè. Nam etiam vita telæ confertur, vt eſt apud S. Gregorium 8. moral. c.11. ad illud, *Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſuccidatur.* Videſis etiam Interpretes ad illud Iſaiæ 38. *Præciſa eſt velut à texente vita mea.* Sed pergit S. Paulinus. [Tantum abuſus eſt Plato humanis artibus arrogantia inanis facundiæ, vt ridiculam anilis fabulæ cantilenam, non erubeſceret ſcriptis ſuis quibus de diuina etiam natura quaſi conſcius diſputare audebat, inſerere: ſed nobis in illo ſermonis tantùm Attici comitas, non inanis fabulæ ſpectanda concinnitas. Quæ demulcendis tantùm auribus edita ſunt, non debent ſenſuum fundamenta conuellere.] En quo loco habet S. Paulinus, hanc fatariam terminorum vitæ præfixionem; vt piorum ſenſuum fundamenta conuelli dicat, ijs mulcentibus lenocinibus quibus à Platone proponitur, in Timæo.

Purgatus ab ea labe, Ariſtoteles & Papinianus.

11. ARiſtoteli idem tribuit Tiraquellus l. de nobilit. c.31. n.494. & Beuerouicius l.1 Collectaneis de vitæ termino, Epiſtola ad Ioannem Veſtemburgium, propter hæc verba ex l. 2. de gener. c. 10. textu 57. [Cuiuſque tempus & vita numerum habet, numeroque præfiniuntur; omnium enim ordo eſt, & omne tempus & vita, circuitu menſuratur.] Non video tamen quid in his verbis fatale lateat, cum optimè poſſint accipi de prænotione termini mutabiliter conſequentis, excluſa immutabilitate ex quocunque decreto antecedente ineluctabili. Si liber de Mundo ad Alexandrum, eſſet fœtus Ariſtotelis genuinus, vt viſum eſt Iuſtino, & alijs quibuſdam, eſſet vndè fati aſſertio illi tribueretur. Nam in ipſa libri clauſula, autor diſerte agnoſcit neceſſitatem adiacere mundo: nec aliam ſtatuit neceſſitatem quàm Deum prædefinientem: qui ideirco & εἱμαρμένη, id eſt *fatum* appelletur, & πεπρωμένη, quod ab eo omnia terminata ſint. Quin & μοῖρα, id eſt *ſors*, à rerum partitione ſit dictus; & νέμεσις tanquam iuſtus vnicuique diſtributor eius quod ipſi viſum eſt, & ἀδράστεια quaſi cauſa quam nemo fallere aut vitare queat. Αἶσα denique ſit dictus, quippè ſemper exiſtens: eodem item refert autor ille, tres Parcas; quarum filum fuſi, partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt. Atropos præterita, Lacheſis futura, Clotho quæ nere vnicuique conficit quod ſuum eſt, præſentia moderatur. Quæ omnia, [non aliud quicquam, quàm Deum eſſe planum eſt, vt eximius Plato cenſuit] Itaque hic autor. Platoni fatario apertè adſcribitur. Non videtur tamen eſſe Ariſtoteles: Qua de re variantibus ſententijs agitata, dixi in naturalis Theologiæ prologo, c. 82. videndus etiam Daniel Heinſius ad primam Maximi Tyrij diſſertationem.

Sed quod μοῖραν hic ipſe Auctor memorauit, reuocat in memoriam quod eſt apud Gellium l. 3. c.16. de tribus Parcarum nominibus, *Nona Decima & Morta.* Nam ridiculè Ceſellius vindex in

antiquis lectionibus *Moiram* legit, adducto Liuij antiqui Poëtæ verſu. *Quando dies adueniet quem profata morta eſt* vbi, *Moira* eſſe legendum Gellius notauit. Abſurdiùs verò Ludouicus Cœlius l. 22. c. 13. *Mortuam* legi voluit, retulitque *Mortuam* ad Deam præſidem octimeſtris partus ferè non vitalis, ſed mortualis. Nonam verò, & Decimam ad Antiſtitas *ſollicitiorum menſium*, vt Tertullianus l. de anima c. 37. vocauit, quia pro fœtus editione, ſollicitudo præſertim eſt, menſe à conceptu nono vel certè decimo, qui ſoleni eſſe termini partus humani, iuxta Varronis philoſophiam à Gellio ibi propoſitam. At hæc *Mortua* notio eſt planè extra Gellij mentem, nec apud vllum ex antiquis habetur. Et cum Ceſellius *Mortam* poſtremo loco collocet, iuxta Cœlium collocatur primo loco ante *Nonam*, & *Decimam*. Itaque rectè Gellius cenſuit legendum *Moiram* vt ex Odyſſæa Liuij retulit, deſignatúmque ea voce Parcam fatali vitæ termino præpoſitam; cauſa pro effectu metonymicè adhibita. Nam μοῖρα propriè eſt ipſe fatalis terminus iuxta illud Lyſiæ in orat. funebri; ὁ δαίμων ὁ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰληχὼς ἀπαραίτητος [& dæmon quidem ille qui noſtrum fatum, ſiue vitæ terminum ſortitus eſt, ineuitabilis eſt] Morta ergo legendum eſſe apud Gellium rectè cenſuit Turnebus l. 28. aduerſ. c. 34. & Nicolaus Loënſis 3. miſcell. c. 11. Atque adeò author libri de mundo, nominans Deum ineluctabiliter præfinientem, nominè μοῖραν, agnouiſſe apertè videtur, vitæ humanæ terminum antecedenter præfiniri, à Deo, niſi quod *Mœram* ſiue *Moiram* ad diſtributionem rerum diuinitùs cuique antecedenter factam referens, videtur latiùs ſumpſiſſe vocem illam, ita vt non tantum fatalem vitæ exitum à Deo aſſignatum, ſed alia quæuis diuinitùs antecedenter attributa complectatur. Verùm cum liber ille de mundo, non ſit genuinus Ariſtotelis fœtus, nihil ex prælato eius libri loco adduci poteſt, quomodocumque vox *Mœra* ibi vſurpetur, vndè ſuadeant Ariſtotelem fatali vitæ termino diuinitùs antecedenter præfinito eſſe aſtipulatum. Quòd Nicetas l. 4. theſauri circa hæreſim 42. tres Parcas ad totius vitæ noſtræ actiones neceſſitate deuinciendas refert aptatas, non eſt huius conſiderationis. Papinianum æui ſui Iuriſconſultorum facile Principem, & ſub Caracalla Præfectum Prætorio, eâdem calumniâ circa negotium in quo verſamur, onerat Lambertus Danæus l. 2. Ethicæ Chriſt. c. 13. eo quòd dixerit fati celeritatem, non debere eſſe criminationi obnoxiam in iis, qui ſæuiunt in ſe ipſos, ſed duntaxat conſcientiæ metum, quia ſcilicet, cum ſint ſibi conſcij mortis commeritæ, præueniunt pœnam mitius, aut certè abſque publica ignominia obituri, & idcirco eorum bona Papinianus addici fiſco volebat, non item reliquorum Biathanatorum, quos fatum, & decretum antecedens eo modo, ac tempore perire edixiſſet. Verùm Papinianus nihil tale cogitauit, quale ei affingit Sectarius implanatus ex deprauata lectione legis *Qui rei ff. de bonis eorum, qui ante ſententiam, mortem ſibi conſciuerunt.* Ibi enim ex lib. 16. reſponſorum Papiniani ſic habetur [Papinianus ſcripſit, vt qui rei criminis non poſtulati, manus ſibi intulerunt, bona eorum fiſco non vendicentur. Non enim fati celeritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiæ metum in reo velut confeſſo teneri placuit] Ita quidem lectio deprauata, ex qua Danæus inductus eſt, vt Papiniano calumniam strueret, de fixo antecedenter vitæ termino ſed ſyncera lectio habet non *fati celeritatem*, ſed *facti ſceleritatem*. Eo enim loquendi modo, quo l. 5. ff. quod *metus cauſa*, *malitas* pro malitia ponitur, hic quoque *ſceleritas* pro violentia ſceleris ponitur, vt notaui l. 3. de virtut. num. 125 eſtque ſenſus in euentu propoſito parci Biathanato, quia non plectitur ob ſcelus, quo ſe ſpoliat vita, ſi alterius criminis conſcientia non præceſſerit. Non plectitur autem de Papiniani ſententia ob id ſcelus, ſiue quia dubium eſt, ſatis ne ſui compotes fuerint, cum ſic in ſe ſæuierunt vt diſſerit Thomas Morus l. 2. Vtopiæ, ſiue quia ita tunc ferebat conſuetudo præſcripta & inolita, forcaſſis inducta à falſo ſentientibus, hominem eſſe vitæ ſuæ dominum. Qua de re alibi. Nunc ſatis ſit monſtraſſe, Papinianum non cogitaſſe de admittenda vi fati in vitam hominis celeriter ſuccidendam, priuſquam diſpoſitio corporea eam ſuccisionem depoſcat.

Sordentes ea paſſim Stoici.

III. CONgruentius, fatalis illa tempore præfinito excedendi neceſſitas, adſcribenda videtur Stoïcis, quorum illæ erant voces.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non ſollicitæ poſſunt curæ,
Mutare rati ſtamina fuſi.
Quicquid patimur mortale genus,
Non illa Deo vertiſſe licet,
Quæ nexa ſuis currunt cauſis.

Seneca Stoæ dogmata vbique ſpirans, horam hanc *decretoriam* (ſic enim nominat Epiſtola 102.) apertè admittit in Conſol. ad Marciam cap. 20. Reuellens enim, quod Marciæ filius dicebatur immaturus exceſſiſſe, ait. [Non immaturus deceſſit. Vixit enim quantum debuit viuere. Nihil enim iam vltra ſupererat. Non vna hominibus ſenectus eſt, vt ne animalibus quidem. Intra quatuordecim quædam annos defatigantur: & hæc illis longiſſima ætas eſt, quæ homini prima. Diſpar cuique viuendi facultas data eſt. Nemo nimis citò moritur, qui victurus diutiùs quàm vixit, non fuit. Fixus eſt cuique terminus. Manebit ſemper vbi poſitus eſt, nec illum vlteriùs diligentia aut gratia promouebit. Scit libenter illum vlteriùs diligentiam ex conſilio perdidiſſe. Tulit ſuum, metaſque dati peruenit ad æui. Non eſt itaque quod ſic te oneres. Potuit diutiùs viuere. Non eſt interrupta eius vita nec vnquam ſe annis caſus interiecit. Soluitur quod cuique promiſſum eſt. Eunt vi ſua fata; nec adjiciunt quicquam, nec ex promiſſo ſemel demunt; fruſtra vota ac ſtudia ſunt. Habebit quiſque quantum illi dies primus adſcripſit. Ex illo quo primùm lucem vidit, iter mortis ingreſſus eſt, acceſſitque fato propior; & illi ipſi qui adiiciebantur adoleſcentiæ anni, vitæ detrahebantur: In hoc omnes errore verſamur, vt non putemus ad mortem niſi ſenes inclinatóſque iam vergere: cum illo infantia, ſtatim & iuuenta, omniſque ætas ferat. Agunt opus ſuum fata.] Idem Epiſtola 101. [Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit, ſed nemo ſcit noſtrum quàm propè verſetur.]

IV. Hierocles, & ipſe quoquè Stoïcus, ac Chriſtianorum infenſus hoſtis lib. 3. de prouid. quem

Photius

Photius Cod. 251. contraxit, allegato Platone qui tempus vitæ à natura præſcriptum, etiam brutis tradit, ſubiungit.] A natura enim ſingulis præfinitum tempus eſt, ad quem terminum, nec vltra, perueniri poteſt. Non omnes autem ad terminum vſque pertingere poſſunt, impediente extrinſecùs caſu aliquo violento, quem Dei erga nos prouidentiam ordinare, in brutis autem fortuitò accidere diximus, &c. Quamobrem etiam ſingularum animarum eſt prouidentia, & iudicium, & pœna, & expiatio, & ad orcum miſſio, vitæque terminus conueniens; mors quoquè non fortuita, &c. Quo fit vt humanæ voluntates, fati legibus quas conditor Deus præſcripſit, regantur.] Sic Hierocles. Verum eſt, ibidem Cod. 214. Photium referre, Hieroclem, nec Stoïcis nec Genethliacis circa fatum adhæſiſſe, & humanæ libertatis exſolutionem, non obſtante fato admiſiſſe: idque etiam ex Stoïcorum doctrina tradit Ioannes Sarisber. 2. Polycr. cap. 22. quod an cohæreat cum ſententia Stoïcorum, expendo in natur. Theol. diſt. 8. n. 196. & ſeqq. Quicquid autem ſit de humanis actionibus, ſi fato ſubijciantur, (variant enim ea in parte doctorum placita; & Stoïcos inducto licet fato, libertatem humanam ſaluam eſſe voluiſſe, tradiderunt aliqui:) quoad terminum vitæ quem antecedenter præfinitum ſtatuerunt, fatendum eſt illos eum omninò indeclinabilem & ineluctabilem inuexiſſe. Et hoc quoque habet Hierocles, fati Stoïci ea ſaltem ex parte propugnator.

[Apollonium Tyaneum, planū improbiſſimum, & inter Satanæ emiſſarios vix vlli ſecundum, præfinitum antecedenter à Deo vitæ terminum cenſuiſſe, colligitur cum ex libro octauo de vita eius c. 3. tum ex reſponſo quod datum ab eo, Domitiano refert Philoſtratus, lib. 8. vitæ Apollonij c. 2. οὐ μὴν μὲ κτενεῖς ἐπεὶ οὔτε μόρσιμός εἰμι. Id eſt, vt interpretatur in Hiſtoria Poëtarū Lilius Gyraldus. *Non me Rex occides, non enim Morſimus ego ſum* cenſétque Gyraldus alluſiſſe Apollonium ad Morſinium Poëtam ab Ariſtophane & theatro ſæpè exſibilatum & exploſum: ita vt voluerit dicere Magus, *non ſicut exploſus eſt & ludibrio habitus inſulſus ille Poeta Morſimus, ita & ego, Domitiane, ludibrium tibi debebo, tentus per te ac letho datus.* Sed hoc nimis longè petitum eſſe, nec quadrare menti Apollonij, rectè vidit Hadrianus Iunius l. 6. animaduerſorum cap. 19. Eſt enim ibi legendū μόρσιμος non μορσῖνος ſignificatúrque ea voce homo ſubiacens fatali termino diuinitùs antecedenter fixo. Itaque ſenſus Apollonij erat, *Non me occides ô Rex, quia nondum venit hora mea. Terminus meus è vita digreſsûs prædeſtinatus, nondum aduenit.* Et ita emaculatum habetur Apollonij reſponſum apud Suidam V. μόρσιμος, tametſi aliud apud eum obrepſit mendum, cum pro *Domitiane* habeat *Domitium*. Apertè ergo Apollonius, Deo attribuit ineluctabilem termini vitæ præfinitionem.

Et Paſſim quoquè cæteri Ethnici.

V. IN eadem naui fuiſſe videntur paſſim cæteri Ethnici. Idcirco enim in morte charorum, ex vſu inter eos erat, conuitijs in Deos furere, aráſque eorum euertere, & templa lapidare. Loca proſtant apud Senecam lib. de vita beata, cap. 26. & apud Arrianum lib. 2. diſſert. Epict. cap. 22. Addenſat alia Kirchmannus lib. 2. de funeribus Rom. c. 12. Non aliā autem ob cauſam, ſic in Deos furebant in morte charorum, quàm quia Deos habebant tanquam vitæ ſucciſores, & mortis præfinitores. *Viduus*, nomen Dei erat, ex Cypriano lib. de Idolor. vanit. inde ductum, quod corpus anima viduare crederetur. ideóque quaſi feralis & funebris, intra muros non habebatur. ſed colebatur foris. Tribuebant ergo Deo, mortis inductionem per extruſionem animæ à corpore: quod ipſum erat, terminos vitæ ac mortis, à Deo præfiniente deriuare. Et hoc quoque inſinuare videtur voluiſſe doctus Poëta ad calcem quarti Æneïdos cum deſcribens Didus Biothanatæ interitum, ait, Iunonem longum luctantis cum morte dolorem miſeratam, difficiléſque obitus, demiſiſſe Olympo, Iridem quæ luctantem animam nexóſque reſolueret artus.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitóque accenſa furore,
Nondum illi flauum Proſerpina vertice, crinem
Abſtulerat, Stygióque caput damnauerat Orco.

Itaquè vt vita alicui clauderetur, & mors ſubingredi poſſet, exiſtimabant Ethnici, viduari crinibus à Proſerpina oportuiſſe, morientes: de quo ritu, plura inter tractandum quo pertineat reſectio capillitij Religioſorum. Et quamuis apud Cyprianum dicatur *Viduus*, quæ Maroni fœminino nomine *Proſerpina* vocatur; tamen ſicut apud Poëtam, Venus maſculino nomine effertur, eo verſu, *Qui veneris magni violans numina verbo*; vnde Cyprijs *Venus barbata*; ex Macrobio 3. Satur. c. 8. & *Luna maſculus* memorati à Tertulliano cap. 15. Apolog. & ab Euſebio 3. de præpar. cap. 3. ita alij quoque Dij, mutatis generibus, alterius ſexus denominationes ſubeunt, & nominatim Proſerpina, de qua eſt illud iliad.

Iupiter infernus ſimul, & Proſerpina Diua.

Et eo ſpectabat Orpheus in hymno, cum de Ioue caneret.

Iupiter omnipotens eſt primus & vltimus idem.
Iupiter & mas eſt & neſcia fœmina mortis.
Spiritus è cunctis valida vis Iupiter ignis.

Proſerpina ergo tondens & abrumpens filum vitæ, eadem habita videtur cum Ioue viduo, id eſt, vitæ finem ponente, ex decreti ſui antecedentia efficacitate.

Quem Viduum nonnulli, alij vnum è tribus Fatis appellabant. Quas enim *Parcas*, nentes, proſequentes, ac demum ſuccidentes vitæ filum de ſenſu Ethnicorum ſuprà deſcripſimus, alij *tria fata* nominabant. Retinuit eam Latinam appellationem tanquam vernaculam Procopius l. 1. belli Gotthici *ſub finem* malè expreſſus Latinè à Volaterrano; ſic enim Procopium vertit. [Iani, foro in medio, & ex aduerſo Capitolij Sacellum extat, paulò ſuprà eum locum quem nunc Romani tres Parcas appellant.] At Græcè ὀλίγῳ ὑπερβαίνοντα τρία φάτα. οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι νενομίκασι τὰς μοίρας καλεῖν. Supra *Tria Fata* dixit, quia ea erat vulgaris Romæ appellatio, tempore Anaſtaſij adhuc ſuperſtes. In Honorio enim, ait eum fecisse Eccleſiam B. Adriani *in Tribus fatis*. Et in Adriano, ait ipſum reſtaurasse & ornaſſe Eccleſiam SS Coſmæ & Damiani, ſitam in tribus Fatis: id eſt in loco qui ab inibi poſita æde, vel à ſtatuis trium Parcarum, vitæ terminum ineluctabiliter figentium, dicebatur *Tria Fata*.

Maroni idem fatalis vitæ terminus à Deo antecedenter præſtitutus, tribuitur propter illud ex l. 10.

Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tẽpus.

Eodem refertur à Macrobio l. 1. in ſom. cap. 13. illud ex lib. 6.

Explebo numerum, reddárque tenebris.

Expletur enim numerus, cum fatalia vitæ tempora aduenerunt, & ſumma fatalis confecta eſt, quem finem vitari non poſſe præmiſſum fuerat eodem libro Macrobij cap. 7. quamuis in textu haberetur *ſi effugeris*; quia tametſi vitæ terminus diuinitus conſtitutus ex iis eſt quæ ſunt ineluctabilia, & nulla arte, nullo auertuntur ingenio; tamen vt Macrobius notat, ad modum ambigentis exprimitur, [quòd ſiue dum humano aut mœrori parcitur aut timori; ſeu quia vtile eſt hoc maximè latere, pronius cætera, oraculis quàm vitæ finis exprimitur; aut cum dicitur, non ſine aliqua obſcuritate profertur.] In ſe tamen, (vt præmiſi) terminus hic, iuxta fatarios eſt ineluctabilis. Videtur in eandem ſententiam conceſſiſſe Arnaldus à Villanoua l. de humido radicali cap. vltimo, quatenus eos arguit & refellit qui (vt ait) ſophiſticis rationibus nituntur probare, mortem naturalem arte medica produci poſſe.

Idem ſenſus Saracenorum atque Turcarum.

VI. Saraceni, Ethnicis ſunt contermini. Imò Ioannes 8. variis contra eos Epiſtolis, Saracenos *Paganos* nominat. Id quod etiam fecit S. Eulogius l. 1. memorial. Sanctorum. Et conſentiunt Abbas Vſpergenſis, & Otho de S. Blaſio, ac Leo ſapiens Epiſtola ad Othmanum, qui Saracenos vocant *Idololatras*. Nec abnuerent, S. Hieronymus in Hilarione, & Nilus in hiſtoria Martyrij Patrum Montis Sina, qui Saracenorum ſacrificia, Lucifero aſtro exhibita referunt. Et quanquam Saraceni poſt Mahumetem Idola non colant, Mahumete idololatriam improbante: Tamen ſemper meritò audiunt Pagani, quia extorres ſunt à vero Deo, & neutrum veri Dei teſtamentum admittunt: quæ eſt Paganiſmi quaſi Characteriſtica. Hæc profero, vt appareat, cum poſt Ethnicos addo, Saracenos quoque eſſe fatarios; propaginem Ethnicíſmi à me proferri. Saraceni ergò ac Turcæ, totius nequitiæ ac impietatis colluuies, nihil habent penitiùs infixum, quàm terminos vitæ cuique antecedenter eſſe definitos. Itaquè in prœliis, non aliam ob cauſam feruntur præcipites in quæuis diſcrimina, quàm quia perſuaſum habent, ſuam cuique extremam horam eſſe conſtitutam. Ea priuſquàm aduenerit, non eſſe pereundi periculum: nec reſtare ſpem euadendi, vbi reipſa aduenerit. Ita de Turcis Spanduginus, Bellonius, Nicolaus è Nicolais ac Iouius, adducti à Thoma Boſio lib. 23. de ſignis cap. 18. Fuiſſe hunc Mahumetis ſenſum, teſtatur Iacobus de Vitrisco in hiſtoria Hieroſolymitana. Quanquam enim videtur hic autor, dicere Mahumetem eiúſque partiarios, mortis contemptionem quam præferunt, fundare in præuiſione Dei quæ falli non poteſt; tamen apud Mahumetem, præſcientia inuoluit præfinitionem, ac prædeſtinationem, antecedentem planè ac ineluctabiliter efficientem, quod Deus ex ſe conſtituit. Et apud Patres interdum quoque *præſcientia* præfinitionem ſignificat: eáque eſt præſcientiæ notio apud Anaſtaſium qu. noua 96. Vt ergò apud Homerum Hector, mulieri vrgenti ne in prælium abiret, imperterritus reſpondet.

Δαιμονίη μὴ μοί τι λίην ἀκαχίζεο θυμῷ
Οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει
Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

Ne angaris ô illuſtris. Non enim aliquis me hominum ad orcum præter fatum demittet; fatum verò aſſirmo, neminem mortalium effugiſſe. Vt inquam Hector, (quod ex hoc reſponſo liquet) ingentes animos periculorum ac mortis contemptores, hauriebat ex perſuaſione de fatali vitæ termino, quod prætergredi vel ſuccidere nulla vis poſſit: ſic Turcæ à Mahumete dementati, ex conſimili ſenſu de vitæ termino, præcipites ruunt in quævis pericula, & ſtreuuè in bello rem gerunt.

VII. Iidem Turcæ, in peſte hærent intrepidi, nec plus ſibi cauent à lue contactis, quàm ſi cum puris & ſanis verſarentur. Non proſpiciunt ſibi per fugam; & aliis quibus Chriſtiani vti ſolent aduersùs contagioſum morbum præſidiis, abſtinent. Cauſam aperit Busbequius Epiſtola 4. Turcicæ legationis, his verbis. [Turcas à peſte ſecuros, ſed non tutos, præſtat opinio, qua mortis tempus & genus, vniuſcuiuſque frõti à Deo inſcriptum, perſuaſum habent. Si mori fatum ſit, fruſtra declinari: Sin contra, ſtultè metui. Itaquè veſtes & lintea in quibus peſte ægri, animam exhalarunt, etiamnum à mortifero ſudore madentes, contrectant, imo iis perfricant faciem. Si Deo (inquiunt) viſum, vt ſic moriar, fieri neceſſe eſt; ſin minùs, obeſſe non poterit. Sic contagioni, latus patefit aditus, totæque interdum familiæ, ad vnum emoriuntur.] Vides vnde mortis in peſte, æquè ac in bello, contemptionem hauriant Turcæ. Nempe ex perſuaſione de antecedente Dei decreto, de termino vitæ vniuſcuiuſque; quem nec præuenire, nec prętergredi fas ſit mortalibus, quantumcunque conitantur. Habent quidem etiam Chriſtiani ſuos parabolanos, qui nullo peſtis metu tanguntur, & quod intrepidi in aperta mortis à lue pericula irruant, *parabolanorum* nomen tulerunt iuxta germanam vocis illius originationem alibi diſcuſſam. Sed horum intrepiditas, & aduersùs præſentiſſimum diſcrimen alacritas, (prudentia quantum licèt, non deſtituta,) non petitur ex perſuaſione falſa de vitæ termino cuique antecedenter diuinitùs præfixo, ſed à fiducia in Deum, cuius gratia, ex charitate proximi adirur diſcrimen. Itaquè longè alia eſt parabolanorum Chriſtianorum, quàm Turcarum ratio, quoad rem propoſitam.

Idem ſenſus Manichaeorum.

VIII. Ex iiſdem ſcrobibus, è quibus Ethnici, & Saraceni, ſeu Turcæ, prodigioſi quique; ſub Chriſtiana perſona erones, fatariis ſe adiunxerunt, & vitæ terminum, præfixum antecedenter à Deo eſſe, aſſeruerunt. Numerandi imprimis in hoc ordine, Manichæi, qui vt bina prima principia inuehebant, bonum

vnum,

vnum, & alterum malum; ita bonis à Deo bono, malis à Deo malo præfiniri vitæ terminum affirmabant, vt diſertè notat Anaſtaſius qu. 96. noua in ſcript. At quanta fuerit Manichæiſmi fœditas, quantùmque dedecus doctrinæ de fatali ac præfixo vitæ termino acceſſatur, ex eo quod à Manichæis ſit tradita, inde liquet, quod Patres cæteroqui temperatiſſimi, & in alios Hæreticos ſuauiùs agere ſoliti, cum de Manichæis ſermo incidit, admodùm hirſutos & aculeatos ſe produnt. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 4. 13. ait, eos *Diabolum impietate ſuperare*. S. Baſilius hom 2. Hexaëm. hæreſim Manichæorum vocat, *Marcorem Eccleſiarum*. Impiiſſimum Manichæum nominare, pollutio eſt, ait S. Hieron. Epiſt. 61. S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 6. & 16. *Sentinam hanc eſſe omnium errorum*, fusè proſequitur, & nominatim quoad Manetem, obſeruat eum nomen *Curbici* mutaſſe in nomen *Maneta*, quod ea vox Perſicè *dialecticum & bonum diſputatorem* ſonet: ſed per Dei prouidentiam, eadem vox ſonet Græcè *inſanum*. Itaquè Manichæi adhærebant inſano. De eorundem nefandiſſimis dogmatibus, mentio eſt in Actis S. Porphirij Gazenſis 26. Febr. nec tarò apud S. Auguſtinum, ac S. Leonem. Inter ſpurciloquia igitur horum cœnoſorum hereticorum, numeratur aſſerta ab eis præfixio terminorum vitæ ac mortis, facta à Deo antecedenter, quam hic exagitamus.

Adiuncti antedictis, Prædeſtinatiani.

IX. AD Paganorum & Manichæorum impietatem, Proſper Epiſt. ad Ruffinum, refert errorem eorum, qui Deo tribuebant fatalia decreta circa hominum ſalutem, quæ aliqui D. Auguſtino impingebant per calumniam. Nec ita pridem, eas in D. Auguſtinum turbas, inſtaurauit Catharinus lib. de prædeſt. & in cap. 5. Epiſt. ad Rom. vbi 25. argumentis eam (vt vocat) *duram & diram* D. Auguſtini doctrinam quatit; calumnias ſuas vocans doctrinam D. Auguſtini; quæ non erat niſi fatariorum quorundam, malè ex S. Doctore perperam intellecto fatuantium. Hæſere in eo cœno, hæretici, dicti *Prædeſtinatiani* eo quod ex antecedente Dei decreto, quod *prædeſtinationem* appellabant, certam & ineuitabilem cuique, vel æternam ſalutem, vel damnationem inueherent. Deſcribit eam hæreſim Sigebertus in Chronico anno 415. & Proſper in Chronico edito à Pithæo anno 23. Honorius, ac Gennadius in Appendice ad librum S. Hieronymi de hæreſibus V. *Prædeſtinatiarij*. Falluntur enim qui putant eam hæreſim inuectam primùm à Goteſcalco Monacho, vndè eam vocant *Goteſcalcanam*, vt legère eſt in opere nomine Lugdunenſis Eccleſiæ exarato, contra Ioannem Scotum, & libro de tribus Epiſtolis *inſcio*. Sed non fuiſſe Goteſcalcum hæreſis illius primum authorem; fuiſſe autem duntaxat inſtauratorem, rectè notauit Hincmarus Epiſtola ad Nicolaum I. conſtátque ex nuper refoſſo opere contra hæreſim prædeſtinatianorum, quo liber Auguſtini nomine confictus, ad huius hæreſis ſtabilitionem, integer refertur, tacito prorsùs Goteſcalco qui tunc nondum comparuerat, & error ipſe ad D. Auguſtini tempora reuocatur.

X. Ridendi verò potiùs quàm refellendi ſunt Iacobus Hufferius in Caluini cauſa apud Hibernos opilio, in hiſtoria de Goteſcalco & Controuerſia Prædeſtinatiana, & Vſſeri expilator lib. 6. de hæreſi Pelagiana cap. 23. cum nullā vnquam fuiſſe hæreſim Prædeſtinatianorum contendunt; calumniæ reus agentes qui Goteſcalcum eo nomine infamant: cum tamen (vt ipſis quidem placet) alij non fuerint Prædeſtinatiani, quàm ij Catholici, quos ſemipelagiani ob adhæſionem cum D. Auguſtino, ea labe aſperſerunt, quod fatalitatem quandam inuexerent. Qua ratione, Goteſcalcus & anteriores Prædeſtinatiani, ita purgantur ab impacto crimine, vt Doctores Catholici qui eos repulerunt; (vt Rabanus in Concilio Moguntino 2. Hincmarus ad Nicolaum I. Venilo in Synodo Gariſiaca. & Hiſtorici qui damnationis illorum teſtes fuit, puta Proſper in Chronico, Sigebertus, Flodoardus, Trithemius, Baronius, aliíque.) inſimulentur calumniæ in Goteſcalcum; & Prædeſtinatianos Catholicos Auguſtinianos, pro hæreticis perperam traductos. Dixi hæc ridenda potiùs eſſe quàm refellenda. Quis enim non videt, liquidius perſpectum fuiſſe Prædeſtinatianorum & Goteſcalci errorem, à tot Synodis & antiquis Scriptoribus, quàm à Caluiniſta Hiberno, eiuſque Expilatore, gratis & ex ſuo cerebro dicentibus bonum malum, & tenebras lucem? Ratum igitur eſto, Prædeſtinatianorum & Goteſcalci placitum, vera hæreſi ſordere, quam Catholici ſemper improbarint.

XI. Hæc hæreſis, eſt gemella doctrinæ de fixo antecedenter vitæ termino, & vtraque iiſdem fundamentis innititur; ita vt qui vnam aſſerit, alteram quoquè tenetur admittere, loquendo conſequenter. Agnouit paritatem pius Medicus apud Cæſarium lib. 1. mirac. c 27. Vtebatur eius Medici opera Lantgrauius mentè corrupta homo circa prædeſtinationem: è qua peruersè intellecta, virus hauriebat vitæ omnibus maculis inquinatæ. Hæc enim erat eius perſuaſio. *Si Deus me prædeſtinatorum numero adſcripſit, ſaluus ero, quicquid denique faciam. Si me eo numero non inſeruit, peribo quicquid denique faciam.* Nec poterat vllo proborum Monitorum ſtudio, ab ea peruerſitate dimoueri. Incidit deniquè Lantgrauius in periculoſam ægritudinem, à qua ſibi metuens, pium illum quem dixi Medicum, acceſſiuit. At is aliquandiu ad vocationem immotus, ægri deſideria acuit; tandémque ad iacentem profectus, cum expoſtulantem de tarditate aduentus audiſſet, repoſuit; ſe quidem aduentum ſuum cenſuiſſe ſuperuacuum ideóque tardiùs aduenisse. *Nam vel* (inquit) *prædefiniuit Deus, vt ſaneris, & ſic abſque mea opera conualeſces; vel non prædefiniuit, & ſic fruſtra laborabo: Nam quicquid denique efficiam, morieris.* Æger è contra; atqui Deus non vult excludi humanam operam, vt vita prorogetur. Retorſit Medicus orationem, ad vitam ſpiritualem, in qua Deus operam noſtram vult interuenire, nec totum negotium in ſuum decretum referri, cum non ſit decretum ineluctabile & antecedens, ſed conſequens, & noſtra ſtudia ſupponens. Ex huius pij Medici facto, perſpicuum eſt, hæreſim de prædeſtinatione ineluctabili, & idcirco negligendo omni ſtudio ſalutis æternæ; & hanc doctrinam de fixo cuiuis vitæ termino antecedenter conſtituto, iiſdem greſſibus incedere, nec niſi materiali diſcrimine ſecerni; vt qui vnam admitteret, alteram quoquè admitteret

mitteret

mittere neceſſe habeat. Et ita paſſim fieri à Doctoribus, obſeruat Gaſpar Barlæus Epiſtola ad Beuerouicium de vitæ termino.

Paritatem quam dixi intercedere inter hæreſim Prædeſtinatianam, & doctrinam de antecedenter præfinito vitæ termino, præter pium Medicum de quo proximè, agnouit etiam Clericus quidam apud Gerſonem 4. p. ſerm. s. de Natiu. Dom. vbi Gerſo *ad quæſtionem tertiam*, excutit hoc punctum, referens in hanc rem exemplum quod ſubijcio. [Audiui aliàs recitare à patre meo cum adhuc eſſem puerulus, quòd homo quidam ſeipſum ſubmerſerat. Fœmina quædam ſimplex & ſtolida per vrbem ibat, & clamabat, ipſum debuiſſe mori & ſubmergi, & euadere non potuiſſe. Acceſſit Clericus quidam, qui fœminæ illi, magnas duas dedit alapas. Fœmina illa ſtupida & irata, interrogauit quare Clericus eam ſic verberaſſet. Reſpondit Clericus, ipſam iraſci non debere, quoniam ſic de neceſſitate accidere debebat, quemadmodùm ipſa de eo qui ſe ſubmerſerat, diceret. Quæ omninò confuſa, cum ſuis receſſit alapis.] Valida ſanè argumentatio qua Scotus libertatis noſtræ expeditionem confirmat, in 1. d. 39. quæſt. vnica *litera C*, & ex eo Gabriel ibidem d., 8. art. 1. notab. 9. Inficianti enim expeditionem libertatis, mandant impingi verbera, nec abſiſtendum donec inficiator ille mutet mentem & fateatur liberum eſſe verberanti abſiſtere verberatione. Quod argumentum Andreas à Vega l. 2. in Concilium Tridentinum c. 15. Ariſtotelis quoquè fuiſſe docet. Sicut ergo rectè infertur libertatis expeditio ex eo quòd fas ſit homini deſiſtere ab actu aliquo v. g. à verberatione alterius; ita rectè excluditur ineluctabile Fatum, ſiue antecedenter præfinitus & ineuitabilis terminus vitæ, quem nullum ſtudium queat defugere. Et verò, ſicut Gerſo loco annotato, philoſophatur; ſi ea opinatio admitteretur, ſiue circa prædeſtinationem, ſiue circa terminum vitæ, idem ſtatuendum eſſet de omni planè actu contingenti [nec vlla cautio adhibenda eſſet ad vitæ conſeruationem, nec manducandum eſſet, nec bibendum, nec quidvis aliud agendum: quia Deus benè cognoſcit quid futurum ſit, & quando tales morientur.] Quinetiam ſi vitam hominis præfiniuit, antecedenter quoquè præfiniuerit omnia alia quæ vocamus contingentia: atque adeò fruſtra laboraremus aut ſolliciti eſſemus pro eorum euentu. Quare benè concludit Gerſo. [Eſt grandis Stoliditas, ita dicere, aut cogitare.]

Noui Gnoſtici Rhodanuſij, pro prædefinita omnium morte.

XII. CALVINVS, vt eſt adamantinarum prædefinitionum, etiam mouentium, perpetuus buccinator, ita terminos vitæ & mortis ex eo quod à Deo antecedenter ſint cuique præfixi, ineluctabiliter vrgere confirmatque monſtrat Ioannes Veſterburgius Epiſtola ad Beuerouicium de vitæ termino. Et patet ex his eius verbis, circa Ezechiæ hiſtoriam. [Ezechiæ ad annos 15. vitam Deum prorogaſſe, primo intuitu poſſet abſurdum videri; quando ea lege creati ſumus, vt præfixam nobis metam, ne momento quidem tranſgredi poſſimus.] Et quamuis in c. 54. Iobi, tentat fatalem adactionem remouere, non obſtante ferrea illa præfixione terminorum vitæ ac mortis; infigitque genuinum in Catholicos, vocans *phantaſticos*; quia ex ea præfinitione terminorum, inferunt vitā termino adueniente fruſtra curari: tamen verba tantùm ac voces profert, nec difficultatem, qua inexpedibiliter implicatur, reuera declinat. Nigri huius corui feralem crocitatum, æmulantur paſſim Caluiniſtæ: Hi enim ſunt, qui apud Ioannem Beuerouicium Caluini gregalem, in Collectaneis Epiſtolicis de vitæ & mortis termino, dicuntur Theologi propugnatores ſtatæ periodi vitæ ac mortis vniuſcuiuſque, ſpectato Dei decreto antecedente. Et ita nominatim ex ea cauſa Ioannes Veſterburgius Epiſtola 1. & 2. de hoc argumento ad Beuerouicium. Idem habet alius eiuſdem gregis caper ac dux Iacobus Crucius, in reſponſo ad eundem Beuerouicium. Idem tradit Miniſter Tigurinos Antiſtitis nomine per catachreſim donatus à Ioanne Veſterburgio Epiſtola 1. ex quo in cap. 10. Ioan. hæc verba recitat, cum ea verba exponit, *poteſtatem habeo ponendi animam meam.* [Admonemur, quæ noſtræ etiam mortis ratio ſit. Nam etſi nobis non ſit liberum, animas, quando nos volumus, deponere, attamen certum eſt, neminem eſſe qui eas nobis eripere poſſit, priuſquàm hora illa FATALIS venerit, quam noſtræ vitæ terminum Deus conſtituit.]

Eſt igitur ea vox, & Caluini, & omnium propè eius combibonum communis. Quanquam vt non viget apud Sectarios concors doctrinæ vniformitas; non defuerunt inter eos, qui rationum in contrarium fulgore perſtricti, aduerſùs fixos iſtos vitæ mortiſque terminos ſtarent, Ita latè Abrahamus Vandermylius Epiſtola 1. & 2. de vitæ termino, & Simon Epiſcopius binis de eodem argumento Epiſtolis, & Gaſpar Barlæus Epiſtola de vitæ termino. Omnes in Beuerouicij Collectaneis Epiſtolicis de hoc negotio. Vt liceat profectò hic vſurpare illud Theodoreti libro 3. contra Græcos, cum ex Porphyrio, mendacij (vt vocat) parente, aliquid reuincendo mendacio vtile protuliſſet; *De comedente exiuit cibus.*

PVNCTVM X.

RATIO VALIDA VITÆ ac mortis terminos antecedenter cuique à Deo fixos, exſcindens.

I. NON nemo, pro noſtra ſententia eam rationem duxerit potentiſſimam, quæ petitur ex actionibus prauis, quibus plerunque mors infertur, & ad vitæ terminum peruenitur. V. G. Biothanati qui ſeipſos vita priuant, ſcelere horrendo inquinantur, vt monſtratum eſt in tractatione de virtutibus lib. 2. num. 126. éſtque exploratum. Multis item abſque ſcelere ſuo aduenit mors, per ſcelus alienum; eſque peccato, nexus eſt incurſus mortis, & peruentio ad vitæ terminum.

terminum. Vt proinde, ſi terminus vitæ ac mortis eſſet à Deo antecedenter præfinitus, videatur non poſſe declinari prædefinitio antecedens iniquitatis, cum terminum inueheutis per modum cauſæ efficientis. At ea prædefinitio actus mali, nulla ratione ferri poteſt, vt tactum eſt cap. 3. & plenius excutitur à variis ibi indicatis. Igitur neque antecedens prædefinitio terminorum vitæ ac mortis, cum deteſtandis illis actionibus nexorum ad modum effectus, admitti legitimè poteſt. Deus quippè non prædefinit vitæ terminum, quaſi in abſtracto aut Metaphyſicè ſpectatum; ſed vt eſt effectus quidam Phyſicus, ac prout reipſa ponitur in rerum natura: atque adeò prædefinit eum, prout manantem à cauſis per quas accipit eſſe exercitum. Igitur per connexionem cum termino prædefinito, cauſæ quoque ad quas ſequitur, prædefiniuntur, quod nefas eſt Deo tribuere reſpectu actuum malorum quibus plerumque inuehitur vitæ terminus. Solus enim Caluinus, & qui eius virus ſuxere ex lib. 1. inſtitut. cap. 16. & 17. ac 18. propudioſum illud dogma admiſerit, quod peccatum fiat ex antecedente decreto Dei impellentis ac vrgentis peccatorem, ſuo arcano iudicio, ad patrandam iniquitatem. Ex hac itaque doctrina, primarius quidam in celeberrima Academia S. Theologiæ Profeſſor, rogatus ſententiam de vitæ humanæ termino antecedenter prædefinito; reſpondit eam prædefinitionem cum mors infertur per actum malum, eóque attingitur vitæ terminus, eſſe contra fidem & ſanam doctrinam.

Prædefinitio termini vitæ per ſcelus inducendi, auerſanda.

II. Adſcribunt ego quidem huic iudicio, ſi verum ſit terminum vitæ prædefiniri antecedenter, prout manantem à cauſa mala, ita vt ipſa quoque actio praua terminum illum inferens, prædefiniatur. Hoc enim obnoxium eſt omnibus illis fulminibus, quibus Theologi & Catholici DD. Caluinum ſubijciunt, ob inceſtatum hunc aërem inuectione cauſalitatis Dei antecedentis, in malum. Siquidem actionis prauæ terminum vitæ inuehentis prædefinitio, vel ſtatueretur mouens & vrgens cauſam ſecundam ad operandum; vel ſtatueretur purè interna & Deo immanens. Prædefinitio mouens, reſpectu talis prauæ actionis, non poteſt Deo tribui abſque horrenda impietate, atheiſmum æquante, vt S. Baſilius ſtatuit loco mox adducendo: eadémque iuxta Euſebium lib. 1. de præpar. cap. 5. nulla eſt atrocior. A Philone lib. de agricult. circa illud, *ſi non rectè diuiſeris*, numeratur inter doctrinas ſuillas, eo quod ſit Sophiſtarum cœnoſorum, qui non ruminant tam turpem mentis cibum. S. Ambroſius l. 1. hexaëm. c. 8. vocat ſententiam feralem; multíſque in eam concitantur S. Irenæus, in opere contra Florum, cuius fragmentum exhibet Euſebius lib. 5. hiſtor. c. 19. *alias* 20. S. Baſilius hom. quod Deus non ſit author malorum. S. Auguſtinus lib. de duabus animabus c. 6. & l. 2. de peccat. merit. cap. 18. Proſper ad obiectiones Vincentianas à cap. 5. ad 13. Fulgentius l. 1. ad Monim. à c. 17. & alij quos longo agmine adducunt Bellarminus lib. 2. de amiſſ. gratiæ, cap. 9. Coccius tom. 2. l. 2. art. 1. Molina quæſt. 14. concord. art. 13. diſp. 30. Bouerius tomo 2. Atheiſmo Caluini ſ. 6. & 7. Paucis rem perſtrinxit S. Chryſoſtomus hom. 23. in Acta, cum pronunciauit, *ſatius fore, ſexcenties defodi, quam Deum audire talia per nos.*

III. Prædefinitio itaque diuina mouens, & extrinſecùs vrgens cauſam ſecundam, ad ponendum actum prauum, cui vitæ terminus tanquam cauſæ efficienti ſubiungitur; cum omni deteſtatione reijcitur. Sed neque prædefinitio antecedens actus praui purè Deo immanens, admitti à Catholico poteſt, quia eſſet volitio & approbatio actus praui; cum tamen Deus cuius mundi ſunt oculi, reſpicere ad iniquitatem non poſſit, & auerſetur ac plectat ſic operantes. Quare ſi ſententia de antecedenti prædefinitione termini humanæ vitæ, admittat quoquè præfinitionem actus praui quo is terminus plerumque inuehitur, nulla ratione poteſt admitti.

Purè immanens eiuſdem termini præfinitio, poteſt à ſcelere abſtrahere.

IV. Exiſtimarim tamen, Aduerſarios qui prædefinitionem diuinam antecedentem termini vitæ humanæ concedunt, non adigi admittere prædefinitionem antecedentem, ſiue mouentem, ſiue purè immanentem, actuum prauorum quibus terminus vitæ inferatur. Præfinitionem mouentem, ſi daretur, fateor debere ferri in actum prauum, vi cuius terminus vitæ à cauſa ſecunda inuehitur: quia tametſi Deus poſſet ſtamen vitæ humanæ abrumpere, abſque interuentu vllius actionis cauſæ ſecundæ ad id operantis; in quo euentu non exigeretur præfinitio vlla vrgens ad actum, cauſantem vitæ terminum; tamen argumentatio fiebat de vitæ termino per hominem malè operantem inducto: qui certè non poteſt ad operandum vrgeri, abſque præfinitione cauſam ſecundam mouente. Ea verò præfinitio actus mali, iam exploſa eſt, tanquam planè à Deo abhorrens. Itaquè tota difficultas eſſe debet de prædefinitione purè immanente, quam dico poſſe in Deo intelligi abſque eo quod tendat vllo modo, in actum prauum inferentem vitæ terminum. Quid enim vetat, concipere Deum decernentem immanenter, fixum ſibi eſſe, ne homo talem vitæ metam prætergrediatur, nihil tamen decernere antecedenter de actionibus quibus perueniendum ſit homini ad eum terminum? Poſſet enim Deus, eum vitæ articulum conſtituere homini poſtremum, nihil præterea antecedenter ſanciendo circa termini illius cauſas; ſed permittendo duntaxat, vt cauſa ſecunda quam præuidet iniquè molituram, ſuæ libidini indulgeat, & inuehat à ſe prædefinitum homini vitæ terminum; aliam viam inituros ne decretum ſuum euaderet irritum, ſi iſta præuideretur defutura. Nam tametſi Deus non prædefiniuit terminum vitæ in abſtracto, aut vt aliquid tantùm per intellectus negotiationem præciſum; ſed verè dicendus ſit, quod prædefiniit, prædefinire vt exercitum, & realiter ponendum in rerum natura; tamen intentio diuina, atque adeò decretum antecedens & prædefiniens, benè poteſt ferri in poſitionem exercitam termini vitæ, per quaſcunque

demum cauſas terminus vitæ ponendus ſit in rerum natura. Noſtro quippè modo concipiendi, poteſt Deus ferri voluntate in vnum obiectum, non tendendo in alia quibuſcum obiectum illud non ſit neceſſariò nexum. Et ſic iuxta multorum ſententiam, intendit aliquibus gloriam æternam, ex ſe,& nondum cogitans de mediis quibus gloria ſit illis obuentura: quæ media præparat in poſteriori rationis; ſúntque (ſi de adultis agatur) propria ipſorum merita, interuentu gratiæ diuinitùs collatæ elicienda: de qua præparatione mediorum, voluntas diuina ſtatuit duntaxat, in poſteriori rationis; etiamſi ſimul, quantum attinet ad durationem,de omnibus ſtatuerit,iuxta illud, *Semel locutus eſt Deus.* Nihil itaquè vetat; agnoſcere, priùs ratione voluntatem diuinam de fine honeſtè expetibili, (cuiuſmodi eſt humanæ vitæ terminus) apud ſe ſtatuere; abſtrahendo à mediis peccato ſordentibus, per quæ is terminus ſit in rerum natura ponendus. In poſteriori autem rationis, cum inter alia media implendi voluntatem illam efficacem de fine,occurrerint quę peccato ſordent;merè permiſſiuè ſe habere ad eorum poſitionem: Id eſt ea quidem non approbare aut velle, quod à Dei ſanctitate eſt alienum: Velle tamen ſinere vt fiant, ſi ita tulerit cauſæ creatæ determinatio. Quare aliundè quærenda eſt purè Deo immanens humanæ mortis præfinitio,etiam cum per ſcelera infertur, quàm ex tendentia diuinæ voluntatis approbantis, in ea ſcelera.

Alia eiuſdem purè immanentis præfinitionis de morte hominis, impugnatio caſſa.

V. PLerique, omnem diuinam præfinitionem de rebus ad hominem ſpectantibus, idcirco reiiciunt; quod putent eam cum libertate hominis non cohærere. Impoſſibile quippè eſt, rem præfinitam non fieri, quomodocunque ſit à Deo prædefinita, atque adeò etiamſi nonniſi immanenter. Cum ea autem omnimoda neceſſitate partis prædefinitæ, & impoſſibilitate vt ſecus eueniat, non cohæret vertibilitas in alterutram partem, quæ eſt humanæ libertatis recepta notio, dimiſſis nuperis ſomniis, de libertate ſita in amplitudine & eminentia reſultante ex adhæſione cum Deo: quàm Gibieufianam nouitatem, à ſeculo in ſcholis Chriſtianis non auditam, plena lucubratione exploſi.

Non puto tamen, argumentum ductum ex libertatis humanæ læſione per præfinitionem purè immanentem, habere hîc locum. Tum quia libertas ſpectanda eſt in operationibus, quas homo ſui arbiter, & ſeipſum determinans,poteſt exercere aut non exercere. Hîc autem non agitur de operatione aliqua noſtra, ſed de morte, & vitæ clauſula. Tum etiam quia, ne quoad operationes quidem noſtras, verum puto, quod præfinitio diuina quamdiu eſt purè immanens, lædat libertatem, vt putat Vaſques 1 p.d.99.cap.3. Leſſius diſp. de prædeſt. hom.& angel. à numer. 17. Valent.1. p.d. 1.qu.23. p.3. Oſorius lib.9. de Iuſtitia, & alij non pauci. Sed rectè contrarium ponunt Henriques lib.de fine hom.cap.5.& 6.Fonſeca 6.Metaph.c.2 q.5.ſect 7. Suarez 1.de auxil. c.16.& l.2 c.7.& l.3.cap.16.à num.9. & c.17.à num.4.& c.19. à num.16. & ſæpè alibi. Et ratio eſt,quia nihil libertati extrinſecum,eámque nullo modo immutans,aut aliquo ei debito ſpolians, poteſt dici lædere libertatem. Quomodò enim, cum eam planè intactam ſinat? Liberè ſanè puſio tendit ad locum in quem à pædagogo inuitatur, ſi nihil adhibeat præter inuitationem atque blanditias: quamuis fixum apud ſe haberet, puſionem vel renitentem trahere, ſi inuitationi non cederet. Qua tractione læderet quidem libertatem; attamen quamdiu blandiendo tantùm ac ſuadendo procederet, libertati puſionis non incommodaret: nec propoſitum Pædagogi purè immanens de trahendò puero ſi vltrò non iret, faceret, vt puer ſequens pædagogi perſuaſionem, & vltrò proficiſcens quò inuitatur, diceretur abſque libertate profectus. Non ſecus ergo ſe haberet Deus,ſi præfiniret purè immanenter,operationem hominis. Eius quippè libertati non officeret. Qua de re actum alibi diligentiùs.

Solida præfinitionis illius impugnatio.

VI. OPtima eadémque ineluctabilis ratio aduersùs decretoriam mortis horam, cuique ex antecedenti Dei voluntate ſtatutam, ducitur ex ineuitabilitate, præfinitionem illam diuinam, etiamſi purè Deo immanentem, conſecuturà. Quod enim Deus præfiniuit, eſt indefectibile, quantumuis vires creatæ in contrarium connitantur. Hoc argumento Theologi qui ſolidiùs ſunt philoſophati, præfinitiones actuum liberorum & ſalutis æternæ hominibus obuenturæ; etiamſi immanentes tantùm, reiiciendas edixerunt. Nimirum quia vt in morali diſt.2.num. 281. obſeruabam, actio ſic prædefinita, quamuis de facto poſſet eſſe libera; tamen eſſet indeclinabiliter obeunda: & ſalus æterna ſic prædefinita, adeò firma homini eſſet, vt fruſtra ei eſſet ingerendum illud monitum, *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Fieri enim non poſſet, vt homo ſalute excideret; quia ſi homo ſibi permiſſus, nec diuina vlla motione adactus, (quam præfinitio purè immanens, non inferret) vellet extra ſignatam à Deo ſalutis orbitam ferri, tunc Deus, ne præfinitio ſua caſſa euaderet, teneretur agendi modum mutare, & præfinitionem purè immanentem reddere mouentem, compellendo hominem, quò obiectum præfinitionis à Deo antecedenter poſitæ, exigeret. Atque ita admiſſa præfinitione antecedenti, inuehitur fixa & ineluctabilis immobilitas obiecti præfiniti, quæ omnia ſtudia humana in contrarium, irrita efficit: & quæ pro eo obiecto humana diligentia ponendo adhiberi poſſunt, reddit ſuperuacanea: quandoquidem ſiue homo omni cura in contrarium feratur, ſiue compreſſis manibus hæreat, ineuitabiliter ita fiet, vt eſt à Deo præfinitum, non aliter. v.g. vt ſiſtam in præſenti negotio, ſi à Deo antecedenter conſtitutum eſt, vt Petrus ea hora moriatur, quantumcunque laboret vt vitam prorogét, morietur ea hora. Quod ſi è contrario, Deus antecedenter ſanxerit, certam quandam horam non eſſe illi poſtremam;non morietur ea hora;etiamſi prætermittat omnia quæ ad vitam tunc conſeruandam exigerentur; vel etiamſi faciat omnia ad vitam profligandam, & mortem accelerandam, accommodata. Dei enim voluntati antecedenter conceptæ inconſultis nutibus

bus ac beneplacitis noſtris, quis obluctabitur? Aut quis contra illum æterni fluuij ictum, ibit? Itaque quod Deus inconſultis nobis, ex ſe & abſolutè ſanxit, infirmari non poteſt. Nam Deus ſemel loquitur, vt ait Pſaltes; & quod dixit eſt immutabile, vt fusè diſſerit Origenes homil. 16. in Num. Atqui ita mors, cum venerit hora conſtituta, nequibit vlla induſtria euitari: & vita ante horam terminalem ei præfixam, nulla violentia abrumpetur.

PVNCTVM XI.

FIRMATVR VERITAS propoſita, expreſſis diſtinctè abſurdis quæ ad diuinam præfixionem terminorum vitæ ac mortis humanæ conſequerentur.

HIc Aduerſarijs hæret aqua. Quanquam enim aliquid refugiunt conſectaria confusè ac generatim tacta, ad eorum placitum conſequentia, tamen inexpedibiliter implicantur argumentatione propoſita. Conſequenter autem locutus Antonius de Senis, toto Opuſculo de vitæ & mortis præordinatione, omnia conſectaria deuorat: & vitam ac mortem ijs terminis, quos Deus præfixerit adeò alligatam agnoſcit, vt nec mors anteuerti, nec vita niſi in eo termino abrumpi poſſit. Hæc tamen doctrina adeò dura eſt, vt ne à valentiſſimo quidem ſtomachô concoqui valeat; vt rectè præter cæteros proſequitur Henricus à Bra, præfatione ad Antonij Sneebergere catalogum pharmacorum aduersùs peſtem. Sed proſequamur & expendamus quædam ex contrariæ ſententiæ conſectariis ſigillatim.

Iuſta aduerſarios, caſſa & illicita precatio pro vitæ prorogatione.

II. INprimis ergo ex præfixione terminorum vitæ ac mortis antecedenter à Deo facta, ſequitur fruſtra orari Deum, pro re contraria euentui antecedenter præfinito; quas tamen preces eſſe honeſtiſſimas, nemo non videt, & disertè traditur à S. Gregorio l. 12. moral. c. 2. vbi expendit preces Ezechiæ ad Deum pro vitæ prorogatione, quam Propheta in verbo Domini ſuccidendam ea ægritudine qua tenebatur, denunciabat. Erat autem Ezechiæ precatio ſancta & honeſta, quia ſupponebatur non anteceſſiſſe diuinam præfinitionem antecedentem de morte tunc inferenda. Qua ipſa ratione, nunc preces noſtræ de quacunque parte cui timeamus; labe vacant: quia ſupponimus non eſſe à Deo latum antecedens decretum de contraria parte. Si autem tale aliquod decretum antecederet, oratio quæ contra abſolutam voluntatem Dei niteretur, fieret oranti in peccatum. Nunquam enim poteſt creaturæ honeſtum eſſe, velle aliquid contra voluntatem Dei antecedentem & abſolutam. Neque ignoratio decreti diuini poteſt reprehenſioni ſubducere huiuſmodi orationem. Semper enim dubium eſſe poteſt homini, an de parte contraria latum ſit à Deo antecedens decretum. Itaquè non poſſet homo honeſtè deſiderare ac rogare, vt ſibi obtingat euentus fortè præfinitioni Deo liberæ contrarius, quantumuis purus, & vt ita dicam, ſimpliciter ſimplex; cuiuſmodi obiectorum petitio (etiam abſque conditione appoſita) eſt innoxia. Nam etiam circa augmentum gratiæ ſanctificantis, & auxilia ad illud augmentum opportuna, ſunt certi denique fines, de quibus S. Gregorius lib. illo 12. cap. 2. accepit in ſenſu myſtico, illud Iobi, *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.*

Fruſtra pro ægris, Medici, & pharmaca.

III. SEcundò ex antecedenti terminorum vitæ ac mortis præfixione, eruitur, fruſtra aſſumi pharmaca ad differendam mortem: quod eſt contra illud ipſius Spiritus ſancti monitum, Eccleſiaſtici 38. *Honora Medicum propter neceſſitatem*; (nimirum ad curandum, vel præueniendum morbum, alioqui mortem illaturum:) *Etenim illum creauit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, &c. Altiſſimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nónne à ligno indulcata eſt aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiã Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis.* Exornate Medicinã tentarunt Eraſmus, Daniel Vlierdenus, Gabriel Naudæus, & alij, iuſtis lucubrationibus. At Siracides loco prolato omnes ſuperauit. Nam adhibita ab eo ſuggerente Spiritu ſancto, non potuit digniùs ac ſplendidiùs exornari Medicina, quàm celebratione neceſſitatis qua vrgentur homines ad eam adhibendam. Item ratione originis, quia Deus eſt eius author primus, indita per benignitatem & ſapientiam vi rebus inanimatis ad medicandum, & dirigendo curationem quæ adhibitis naturalibus cauſis captatur, ſicut dirigit ortum plantarum & tritici è terra, ad bonum noſtrum. Quod ſi lignum vi à Deo indita pollens, amaritiem aquarum abſterſit *Exodi* 15. quis non agnoſcat proportionalem vim medicam, plantis aliiſque naturalibus cauſis inſeri à Deo potuiſſe, ad curationem ægritudinum noſtrarum? Ea ergo efficacitate medicandi donatæ ſunt res huiuſcemodi, vt cognoſcerentur ab hominibus eſſétque illis ad vſum medicum in tempore ægritudinis ſiue neceſſitatis. Expendit eum locum in Medicinæ laudem à Deo ipſo depactam, Franc. Valleſius cap. 74. hierophyſ. Non poteſt ergo vſus medicamentorum à Deo ipſo comprobatus, cenſeri inanis ac ſupernacuè adhibitus: vt ſanè cenſendus eſſet, ſi ſententia, quam impugnamus, rata eſſet: quia ſi fixa eſſet mortis hora, ita vt nec protrahi vita poſſit, nec mors differri, quando ea hora aduenit, & niſi ea hora aduenerit, mors non ſit timenda; fruſtra aduocaretur Medicus, & pharmaca inutiliter abſuméque admouerentur. Vanæ item ac prorſus irritæ eſſent omnes illæ obſeruationes circa media vitam prorogandi & mortem auertendi ad longum tempus, tanto ſtudio annotata à Francisco Baccono, Barone de Verulamio, in opere quòd

inſcripſit, *Hiſtoria vitæ & mortis.* Abirent enim in fumum omnes illæ cautelæ, & curæ, ſi fixum eſſet ineluctabiliter, tempus noſtri ex hac vita digreſſus, noſtræve in corpore commorationis. Dices id fieri quia neſcimus an hora nobis præfixa aduenerit. Sed ne ſic quidem eliditur argumentum. Nam ſi tenera hora noſtra nobis inſciis aduenit, fruſtra confugimus ad pharmaca. Si autem nondum aduenit, quorſum ſimus de pharmacis ſolliciti, cum non ſimus morituri, idque certiſſimum ſit, & indubitatum?

Itaque hoc principium, quod in præcordiis ſententiæ aduerſariorum hæret infixum, eſt manifeſtè noxium homini ægro: & Medicinæ vſum à Deo ipſo commendatum, prorsùs profligat. Proptereáque Medicos ſibi & arti ſuæ (ac ſcilicet crumenæ) proſpicientes, abhorrere à ſententia de fixis cuique antecedenter à Deo terminis vitæ ac mortis; ſubſcribere autem ſententiæ quam ſequimur, dixit Martinus Panſa in parte theorica generali de proroganda vita, cap. 4. Scitè quoque Gaſpar Barlæus Epiſtola ad Beueronicium de vitæ termino, ait illos ipſos qui ex ſcholis hauſtam contrariam ſententiam ſani crepant, omnia alia dicere, cum morbo tentantur. Nimirum quia timent ſibi ab ægritudine, qua oppreſſi corruerent, ſi intenti in præfinitiones abſolutas termini vitæ, abijcerent medicamenta, & ſibi proſpicere negligerent per eam perſuaſionem.

Vana elementis cœli captatio.

IV. NExuit hoc argumentum aduersùs vitæ terminum antecedenter præfinitum Anaſtaſius qu. 96. noua, cum alio argumento affini, imo ad Medicinam Therapenticam maximè pertinente. Nimirum ducto ex eo quod ad vitæ prorogationem, commodiores ſint certæ oræ: vndè captatio aëris huius, potiùs quàm illius, aut habitationis delectus: eo quod experientia doceat, certas ſedes eſſe aliquibus fatales, alias verò ſalubres & innoxias. Profert in eam rem Anaſtaſius exemplum regionum quæ ſunt ad mare mortuum, præſertim oræ Zoëiorum ac Tetrapyriæ, vbi aër eſt omnibus exitialis, præterquàm Cypriis: vt propterea qui publicis agris colendis præerant, nonniſi ſeruis Cypriis vterentur. Si qui autem captiui illuc aliunde mitterentur, intra perbreue tempus, cœli ac ſoli illius vitio, excederent è vita. {Ex his ergo manifeſtum euadit, (concludit Anaſtaſius) omnium Conditorem ac Creatorem Deum, qui à principio cuilibet naturæ propriam operationem indidit, dediſſe etiam ex ſua prouidentia, ſcientia, & nutu, elementis, hoc; vt noſtrum ortum, incrementum, vitam, & mortem moderentur: ita vt per ipſorum quatuor elementorum motum, vel decrementum, vel augmentũ, vel diuiſionem, mors corpori obueniat. Quocunque enim tempore vel occaſione calida & vitalis operatio corporis ex aliqua cauſa deſinit, ſtatim moritur ex elementis compoſitus homo: & quem elementa vi quadam diuina viuificabant, eundem poſtea diſſoluunt ac diſſipant. Quapropter nunnulli etiam in infantia obeunt, imo etiam embryones moriuntur; quando ex naturali elementi cauſa & antipathia, vitalis calor debilitatur & deficit, ſic vt corpus amplius viuificare nequeat.} Cum igitur hanc teneamus apertam cauſam naturalem, ſiue vitæ prorogandæ, ſiue inferendæ mortis, aut ſaltem accelerandæ; videamúſque aërem, ſolum, elementa & alimenta variis locis varia, ad vitæ protractionem & mortis dilationem conferre plurimum, quis non videat (vt Anaſtaſius rectè ſtatuit) vitæ ac mortis, terminum, non eſſe à Deo antecedenter præfixum vnicuique; ſed curſui cauſarum ſecundarum, temperamento viuifico, aut in mortem ruenti, conſentientium permitti?

Perſtandum cuique eſſet in peſte.

V. EFficitur tertiò ex contraria ſententia, non eſſe fugiendum tempore peſtis, nec lue contactos eſſe auerſandos, quia quantumcunque quis fugiat, non effugiet Dei manum, ſi latum eſt de eius tunc morte, decretum Dei antecedens. Fruſtra captatur locus ſanus, ſi hora decretoria non aduenit, quia homo non morietur ante eam. Si autem aduenerit, mors homini non parcet, etiam in loco ſaluberrimo, iuxta Martialis lib. 10. Epigr. 47. aliàs 460.

> *Ardea Solſtitio Paſtanáque rura petantur,*
> *Quique Cleonæo ſydere feruet ager.*
> *Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,*
> *Inter laudatas ad Styga miſſus aquas.*
> *Nullo fata loco poſſis excludere; cum mors*
> *Venerit; in medio Tibure, Sardinia eſt.*

Itaquè per tempus peſtis, non eſt ſecedendum ad loca ſana, ſi hora ſit præfinita ad moriendum. Hoc verò etiamſi Antonius de Senia contendit eſſe veriſſimum; tamen (extra euentum obligationis, à charitate, vel à munere proprio iniectæ ad perſtandum, vel conuerſandum,) nemo non videt quàm ſit abſurdum. Quis enim ferat, ſuadentem vltrò verſari cum lue contactis, & vrgentem ne deuitentur, eo quod necem inferre nequeant, ſi hora moriendi à Deo præfinita non aduenerit? Senſus certè communis omnium ſapientum, aliud fert: & tanquam præſentiſſimum aduersùs peſtem remedium, iactatur adagio, *citò, procul, tardè.* Nimirum vt cita fiat ſeceſſio priuſquàm combibatur virulentia, quod ſupra omnia commendatum per tempus peſtis volebat Marſilius Ficinus in Antidoto Epidemiarum cap. 25. Eò item facienda eſt ſeceſſio, vt ob longinquitatem non poſſit illuc peruadere peſtifer afflatus; exortus, aut vigens in loco vnde facta eſt ſeceſſio. Vt propterea Cornel. Celſus lib. 1. de re medica, cap. 10. & Hippocrates (ſi ipſe autor) libro de natura hominis peregrinationem longinquam, peſtilentia alicubi ſæuiente, commendent. Ac denique regreſſus ad locum peſtilentiæ virulentia contactum, debet eſſe quàm tardus, ſi vitæ eſt conſulendum. Vulgò canitur.

> *Hæc tria lethiferam pellunt aduerbia peſtem*
> *Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.*

Expendit iſta, & peſti declinandæ eſſe neceſſaria, monſtrat Laurentius Ioubertus lib. de peſte, cap. 10. & nemo refragatur ſapientum.

VI. Quæ ergo exertatio eſt, contra prudentum omnium torientem ire, ac fugam diſſuadere tanquam inutilem, graſſante peſte? Neque ſuffragantur aliqui Patres, qui ſtultitiæ damnarunt fugam inire tempore peſtis. Id enim intelligunt de ijs qui ita ſpem ſalutis locant in pe-

dibus

dibus, vt Dei tutelam negligere videantur, tanquam non neceſſariam homini procul digreſſo. Cæterùm aliquando Deus, qui in peſte, ac per peſtē bellat, longas ſibi eſſe manus demōſtret; & omnes, etiamſi procul digreſſos, præſidij ſui ac tutelæ indigos eſſe teſtatum faciat; ijs quoque peſte ſublatis, qui arbitrabantur ſe in tuto locatos, & plagæ graſſanti ob longinquitatem impenetrabiles. Cuius rei luculentum exemplum recitat Petrus Giuſſani in rebus geſtis S. Caroli lib. 4. cap. 10. Nimirum vt puncto 6. præmittebam, aliqui in peſte, ex antecedente Dei decreto deſtinantur ad macellum: quibus ſanè fuga non poteſt, ad vitam retinendam commodare. Vndè cum vnuſquiſque graſſante peſte dubitare non iniuria poſſit, ſitne ex numero ouium occiſionis; nemo eſt qui ita poſſit in ſeceſſione confidere, vt non poſſit debeátque vltorem gladium extimeſcere. Alij verò qui abſque antecedente Dei decreto ſicam illis adigente in præcordia, per Satanam eo venabulo armatum, vt Dei carnificem agat; occumbunt tamen ex naturali cauſarum virulentarum tunc ſæuientium curſu, egent Dei præſidio, quo ſubducantur ingruenti exitio. Atque ita non ita debent de fuga inita confidere, vt Dei tutelam, timentes ac ſupplices, non ſatagant emereri. At iuxta ſententiam contra quam pugnamus, omnes planè tempore peſtis, vel debent ſalutem deſperare, ſi venit hora illis à Deo præfixa; vel debent vitam præfidenter prodigere, nihil planè à peſte timentes: quia ſi non venerit hora eorum, non cadent per vltorem gladium: ſi autem ea hora venerit ineuitabiliter cadent, Atque adeò fuga, quomodocunque res ſe habitura ſit, auerſanda eſſet omnibus tempore peſtis: quam tamen homini non aſtricto ratione officij aut charitatis, nemo vnquam dubitauit quin eſſet licita, vt rectè ſtatuit Gabriël q. de fuga peſtis, *in calce concluſionis nona.* Quamquam addit (de quo valdè dubito) maioris fore perfectionis, ſe totum Deo committere graſſante peſte: & neque adhibere præſeruantia pharmaca, neque deuitare contagij occaſiones, neque infectos excludere. Sed hanc ancipitis ac periculoſæ aleæ maiorem perfectionem, nunc non moror: contentus eo quod Gabriël vltrò dat; nempè quod fuga per ſe loquendo, honeſta ſit ac licita tempore peſtis; conſonetque prudentiæ legibus: quod patroni præfinitionum antecedentium ad mortis & vitæ terminos tendentium non poſſunt dicere, ſi conſequenter loquantur.

Fruſtra eſculenta & poculenta aſſumerentur

VII. TAndem ex eorundem præfinitorum ſententia, ſequitur id quod nemo, (niſi cui mens fuerit emota) admiſſum velit: nimirum abjiciendum cuique eſſe ciborum vſum. Hic quippè vſus aliud non ſpectat, quàm vitæ indiuidui conſeruationem, & interitus elongationem. Atqui hoc fruſtra quæritur, ſi hora hominis præfixa venit: & fruſtra quoque, ſi non venit. Vt quid ergo conſumerentur cibi? Aut quomodò non fruſtra Deus hæc nobis ſuſtentandæ vitæ præſidia prouidiſſet, addita etiam ſponte illecebra ad cibos cum voluptate percipiendos, ne tam neceſſaria functio faſtidiatur? Quorſum item inſeruiſſet nobis naturales ſtimulos ad eſculentorum & poculentorum captationem; famem dico, ac ſitim? Quia enim non ſemper adſunt homini cibus & potus, quibus tamen indiget; cum ad conſummationem fabricæ corporis initio imperfectæ, tum ad diſtinendum pabuli iniectione inteſtinum ignem, omnia alioqui vaſtaturum, & eliquaturum: propterea ne homo grauaretur cibum ac potum auide conquirere, ac ne comedendi actio ex ſe alioqui operoſa prætermitteretur, vt videmus ægris accidere, qui difficilè adducuntur vt velint cibos aſſumere; prouiſa ſunt vltra guſtatus illicem, irritamenta illa intrinſeca, quorum vno ad ſiccum, altero ad humidum ſtimulamur; vt natura etiam poſtquàm eius fabrica fuit conſummata, inſtauretur, & mors arceatur. At hoc totum fruſtra fit, & labor ille conquirendi cibos, & ſtomacho poſt commolitionem in ore factam immittendi, eſt planè caſſus & ſuper vacaneus; ſi doctrina de vitæ ac mortis termino antecedenter diuinitùs præfinito ſit rata.

VIII. Tædet plura abſurda addenſare, quod iſta quibus Antonius de Senis fere ſuccubuit, cæteri verò inexpedibiliter implicantur, ſatis ſupérque eſſe poſſe videntur homini cordato, vt antecedentem terminorum vitæ ac mortis præfinitionem, ex qua illæ abſurditates conſequuntur, exploſam velit. Attigit tamen Antonius de Senis vnam quandam diſtinctionem ad declinandas omnes illas difficultates: ſed minùs aptè eam euoluit. Explicatiùs eandem propoſuit Siluius in varijs reſolutionibus V. *vita terminus.* Ideóque ne per hoc latibulum pateat effugium, precludenda eſt ea diſtinctio, quod proximo puncto præſtabo.

PVNCTVM XII.

VANA DISTINCTIO ad propoſitas difficultates eludendas, eliditur.

AD declinandas conſecutiones propoſitas, & eneruandam fundamentarium rationem ſuperius tactam cui annectuntur; excogitata eſt ab Aduerſarijs diſtinctio, quam excutere neceſſe eſt, ne doctrina hactenus ſtabilita vacillet.

Vitæ terminum prout à Deo fixum, eſſe neceſſarium, ſed penes cauſas ſecundas manere contingentem, Syluij diſtinctio.

I. AIunt ergò Aduerſarij, quamuis terminus vitæ ac mortis humanæ, ſit immutabilis reſpectu diuinæ prædefinitionis; tamen abſolutè, ſeu habita ratione cauſarum ſecundarum; hominéſque ipſos ſecundùm ſe conſiderando; terminum vitæ ac mortis eorum, eſſe mutabilem; ita vt quilibet ſingularis homo, tum ſe-

cundùm ſe ſpectatus, tum ſecundùm cauſas proximas, poſſit plùs aut minùs viuere, quàm viuat? & tardiùs aut citiùs mori quàm moriatur: idque ſatis eſſe, vt non moriatur ea neceſſitate, in tempore prædefinito: nec inutiliter adhibeantur ad curationem ægritudinis pharmaca; ac vt ſtudium vitæ prorogandæ, non ſit cenſendum ſuperfluum; vel vt cura ſecedendi graſſante peſte, & precum ad Deum tranſmiſſio pro vitæ prorogatione, non habeatur inanis. Stabilit fusè hanc diſtinctionem, Syluius in varijs reſolutionibus V. *vitæ terminus, concluſ.* 3. Et videtur eam ex D. Thoma in c. 14. Iobi, lect. 1. ſi tamen ipſe autor, & non potiùs Thomas Angelicus, cuius pleræque lucubrationes Thomæ Angelico ſunt inſcriptæ. Autor ergo illius commentarij, ſic diſſerit. [Præmittit immutabilitatem diuinæ determinationis, cum dicit, *Conſtituiſti terminos eius qui præterire non poterunt*: diuina enim diſpoſitio non fallitur. Vnde hominem, vel diutiùs, vel minùs viuere, quàm diuina diſpoſitio habet, eſt impoſſibile: licet hunc hominem, nunc, vel priùs mori, ſit contingens ſi in ſe conſideretur. Sunt autem & termini humanæ vitæ præſtituti ex aliquibus corporalibus cauſis; puta ex complexione, vel ex aliquo huiuſmodi, vltra quos vita hominis protendi non poteſt; quamuis poſſit deficere ex aliqua accidentali cauſa. Sed terminos præſtitutos ſecundùm diuinam prouidentiam ſub qua omnia cadunt, nec in plus, nec in minus, vita hominis poteſt præterire.] Eadem habet Lyranus ibi, & Scotus in 3. d. 21. ac F. Angelus Elli, in ſpeculo ſpirituali principij ac finis vitæ humanæ diſſertat. 3. num. 8. & Condronchus l. 2. de Chriſtiana medendi ratione c. 1. ſub finem.

II. Reuerà tamen hi autores aliud tradunt quàm tradat Syluius. Nam aliud non aſſerunt hi autores, quàm terminum vitæ hominis prout ſubſtantem diuinæ determinationi, eſſe certum & immutabilem, nec præteriri poſſe ea ſuppoſitione futuritionis. Non enim agunt de diuina prædefinitione: ſed agunt de decreto conſequenti, quod ſupponit futuritionem rei ex cauſis proximis. Ex ſuppoſitione autem quod res ſit futura & talem Deus eſſe velit ac præſciat, quandoquidem ita fert curſus cauſarum inferiorum quas Deus non vult impedire, euentus eſt certus & infallibilis atque adeò immutabilis: ſed immutabilitate ex hypotheſi, qua rem quæ eſt, impoſſibile eſt non eſſe. Vnde cum ea immutabilitas & certitudo, ſupponat exitum euentus contingenter prodeuntem à cauſis ſuis proximis, non temerat contingentiam, ſed relinquit planè illæſam: ſicut eadem certitudo & immutabilitas, cadis in actum liberum hominis, abſque temeratione libertatis: quia ſupponitur homo liberè determinaſſe ſeipſum ad eam partem, nulla diuina prædeterminatione antegreſſa. Idipſum ergo tradunt autores prædicti de termino vitæ & mortis, ad quos per naturales & proximas cauſas ſit deuentum; contingentia enim & mutabilitas cernitur in eorum terminorum poſitione, ſpectatis cauſis proximis: quamuis ſpectato Dei decreto conſequente, quod ſupponit exiſtentiam euentus poſitam à cauſa ſecunda, cernatur in euentu immutabilitas hypothetica, rectè cohærens cum contingentia. At Syluius aliam immutabilitatem tribuit termino vitæ ac mortis humanæ: quia agit de immutabilitate oriunda à decreto Dei antecedente ac prædeterminante; cum quo decreto non cohæret contingentia euentus, prout à cauſis proximis prodeuntis. Hæc enim eſt Syluij ratiocinatio. Omne contingens eſt mutabile, poteſtque euenire & non euenire, terminus autem vitæ humanæ, eſt verè contingens, cum pendeat à cauſis proximis mutabilibus. Eſt igitur ipſe quoquè mutabilis. Nec refert quod cauſa remota, (nempè diuina prædefinitio) ſi aliquid ex neceſſitate inferens effectum prædefinitum, puta mortis illationem: nam contingentia effectus à proxima cauſa contingente oriundi, ſalua eſt, quamuis cauſa remota, (cuiuſmodi eſt diuina prædefinitio) non ſit contingens; ſed aſtringat ad vnum illud ad quod ipſa fertur. Quam Syluius putat eſſe doctrinam S. Thomæ 2. contra gen. c. 68. & l. 3. c. 12. & 1. p. q. 14. art. 13. & q. 25. art. 3. & q. 116. art. 1. ad 2. & 12. q. 175. art. 6. & opuſc. 3. c. 139. Additque Syluius, conſentire Alenſem 1. p. q. 66. membro 7. & Scotum, Durandum, ac Richardum, in 1. d. 39. & 46. Concludit ergo, mirum non eſſe, quod clauſula vitæ humanæ inducatur contingenter: quippè quæ eſt effectus pendens à varijs cauſis proximis contingentibus ac mutabilibus; nimirum ex tali vſu ciborum, pharmacorum, impreſſionum cœli & aëris, ac ſimilium quæ poſſunt euenire, & non euenire. Suprema tamen cauſa inductionis eiuſdem clauſulæ, (nempè Deus eam præfigens ac prædeterminans,) eſt cauſa neceſſariò inferens effectum ſuum; nec talis cauſæ operatio, poteſt vllo humano ſtudio caſſa reddi aut declinari. Et eatenùs mors hominis in puncto prædefinito, eſt immutabilis.

Probata Caluino ea diſtinctio.

III. HÆc Syluij doctrina de vitæ termino, explicatiſſimè à Caluino traditur lib. 1. Inſtit. cap. 16. vbi rejicit imprimis & Philoſophos & Sophiſtas; quo nomine pro ſua modeſtia donat Scholaſticos Theologos. Vtroſque ergò ait Caluinus, contentos agnoſcere in Deo vniuerſalem quandam & generalem prouidentiam, quâ regat vegeterque cauſas proximas: modum tamen regendi Deo dignum conſultò declinaſſe, vt effectuum à cauſis ſecundis prodeuntium contingentiam retinerent. Quod dum faciunt; inanem, otioſam, ac ſopitam, (vt n. 3. queritur) Dei omnipotentiam fingunt, cum deberent operoſam, & ad ſingula deſcendentem agnoſcere, ſicque omnia in orbe moderantem, vt nihil abſque eius moderatione, ordinatione, & mandato accidat; nihil vnquam contingat, niſi ab ipſo Deo ſciente ac volente decretum. Conclamat multis eodem capite Caluinus, in Scholaſticos, ſollicitos de retinenda rerum contingentia: quos in Dei omnipotentiam iniurios ſtatuit, quia eius definitæ ordinationi ſubducunt aliqua; nec aſſerunt omnia effici per diuinum decretum prædeterminans. Ipſe verò Caluinus omnia inde pendere contendit, & nominatim exitum hominis è vita; effertque nominatim exemplum mercatoris in ſylua confoſſi, cuius mortem non tantùm diuino oculo præuiſam, ſed etiam diuino decreto antecedenti ſtabilitam fuiſſe confirmat; atque adeò agnoſcit immutabilem fuiſſe ac neceſſariam. Quamuis enim

ſuapte

ſuapte natura eſſet fortuita & contingens, prout ſubeſt diuinæ præordinationi ac prouidentiæ. Qua ratione de omnibus futuris quæ intrinſecè ac in ſeipſis contingentia habentur, philoſophandum aſſent Caluinus; vt ſi ad Deum prædecernentem comparentur, ad eam vnam partem ſint aſtricta, quam diuina præfinitio delegerit. Vides cur dixerim, Syluij doctrinam eſſe ipſiſſimam Caluini doctrinam. Nam eadem vterque dicit; niſi quod Caluinus (vt patet ex citato capite, num. 8.) fatetur, contingentiam euentuum noſtratium, euerti per illud ineluctabile decretum; Syluius autem non obſtante eo decreto, quale & ab ipſo, & à Caluino ponitur, ait remanere contingentiam. Quanquam Caluinus, etſi mallet nomina *contingentia* ac *libertatis* abrogata; tamen dummodò deuinctio ad partem præfinitam, illata per decretum antecedens agnoſcatur, parum ſe curare conteſtatur, quæ voces vſurpentur in hoc negotio; vt videre eſt lib. 2. Inſtit. cap. 3. n. 8.

Abſolutè reijcitur.

IV. Siue autem doctrina de vitæ termino, prout ad Deum præfigentem refertur, planè immobili, & ad vnam illam partem quam præfixio tulit, aſtricto; ſit reipſa eadem cum doctrina Caluini, ſiue non ſit; (quam ſollicitudinem Syluio permitto;) non poteſt humanus intellectus aſſequi; quomodò euentus immutabiliter & antecedenter ad cauſæ ſecundæ exigentiam prædefinitus, & vi prædefinitionis ita ponendus vt non poſſit non poni, ſit nihilominus contingens: ita vt de eo ſimul dicere liceat *Hic euentus, vi cauſa, à qua ex neceſſitate & ineluctabiliter infertur; eſt ita determinatus vt non poſſit non accidere*: Simulque, *Hic ipſe euentus, vi cauſa alterius, ſubſtantis priori, eamque impedire non valentis, contingens eſt, & poteſt euenire ac non euenire*. Hæc dico eſſe inconciliabilia, & quæ nullo intellectu poſſint percipi. Ænigma eſt quod nullus OEdipus expediat. Abruptio vittæ aureæ, (vt Sapiens Eccleſiaſtis 12. appellauit;) abruptio inquam conſertionem animæ cum corpore, poteſt nunc non euenire; & tamen ita neceſſariò euenict nunc, vt nunc poſſit non euenire. Vrgent hîc manifeſtè omnia argumenta quibus alibi demonſtratum eſt, actum à Deo prædeterminatum, non manere liberum, etiamſi ex ſe liber ac contingens eſſet, taliſque reuera pronunciaretur, ſi cauſa libera illum profundens, non præpediretur ab extrinſeco. Sed ſuppoſita neceſſitate in actum deriuata à diuino decreto antecedenti, cuius tanta eſt efficacitas cauſatiua vt voluntas creata nequeat eius prædeterminationi ſe ſubducere; ipſe quoque actus caret contingentia, & eſt planè neceſſarius. Eſto foret liber ac contingens ad vtrumlibet, ſi prodiret à cauſa ſecunda, nullatenus à cauſa ſuperiore ineluctabili, ad vnam partem deuincta. Similiter ergò, quantumuis terminus humanæ vitæ, ex ſe foret contingens; & ſpectata complexione hominis, alijſque inferioribus cauſis, ita ſe haberet, vt poſſet nunc aduenire & non aduenire; tamen ſuppoſito quod ſit à Deo antecedenter fixus ac prædeterminatus, non manet reipſa contingens atque mutabilis; ſed ex neceſſitate irrefragabili, omnibuſque mortalium ſtudijs ineluctabili, eſt nunc euenturus. Quorſum ergò ſtudium vitæ prorogandæ? Quorſum applicatio pharmacorum, aut cœli mutatio, certorúmue ciborum aſſumptio ad eum finem? Quomodò denique non grauant Syluium omnia illa abſurda, quæ aduersùs Antonij Senenſis ſententiam, puncto ſuperiore intorquebamus?

Diſtinctio alia, voce tenus affinis, ſecernitur.

V. Longè abeſt à diſtinctione ex Syluio adhibita, diſtinctio aliquatenus affinis, ſi verborum cortex ſpectetur, reipſa autem prorſus alia, quam reperio aſſignatam à Fortunio Liceto tomo 1. de quæſitis per Epiſtolam cap. 5. vbi rogatus ſententiam de mutabilitate termini vitæ, reſpondet eum terminum prout à Deo fixus ac prædeſtinatus eſt, immutabilem, planeque fixum, & inimpedibilem eſſe; ita vt à nemine nulla arte præteriri poſſit, vlteriùs vitam diffundendo; (quis enim poteſt adijcere ad tempus conſtitutum, dieculam vnam?] Et eatenus terminum vitæ dici *fatalem*. Quatenus tamen refertur ad cauſas ſecundas Deo ſubjunctas, ſic variari, ideſt præueniri poſſe, non modò ab ipſomet Deo ſupra naturam operante, ſed etiam à cauſis ſecundis aduerſantibus, ipſóque homine, per improuidentiam malè conſulentem conſeruationi vitæ vſque ad tempus à Deo præſtitutum. Vndè qui ad eam æui menſuram pertingunt, dicuntur *fato ſuo* defungi; quia ſcilicet aſſequuntur vitæ terminum à Deo homini præfixum, cum fatum Dei voluntate ac determinatione contineatur, iuxta notionem *fati* traditam ab Ariſtotele lib. de mundo, cap. 7. & à Tullio Philipp. 1. (vt Agellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 1. obſeruauit) nec non à S. Auguſtino 5. ciuit. c. 1. Aſſignat quoque conceptis verbis D. Thomas eam fati notionem 1. p. q. 116. art. 1. & 2. Quum verò aduenit funus acerbum & mors immatura, dicitur homo non mori fato, iuxta illud 4. Æneidos de Didone ſe enecante:

....Nec fato, merita, nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore.

Hanc Albertus 1. de gener. tract. 3. cap. 4. vocat, ſuccisionem vitæ, factam per accidens: & à Plutarcho in Homeri vita agnoſcitur, necnon à grauiſſimis quibuſque Philoſophis; iuxta quos, & fatum ſiue terminus vitæ quatenus eſt à Deo, eſt prorſus immutabile: quatenus autem cauſarum ſecundarum ſeriem reſpicit, ſtatuitur mutabile; cum ob materiæ indiſpoſitionem, obſtantem poſitioni terminorum fatalium; tum ob pleraque contingentia contraria, ordinem cauſarum ſecundarum turbantia; & ne pertingatur ad terminum, quem Deus concedebat, impedientia. Sicut Deus vult omnes homines ſaluos fieri & omnes ad æternam beatitudinem deſtinat: à quo tamen fine ſibi præſtituto, multi culpa ſua volentes excidunt.

VI. Aiebat, hanc diſtinctionem longè abeſſe à diſtinctione Syluij. Hic enim de vitæ termino diuinitùs præſtituto loquitur in ſenſu Theologorum, qui illam præſtitutionem ac præfinitionem, accipiunt pro voluntate à Deo antecedenter cõcepta, nullo niſu humano eluctabili. At Licetus, præſtitutum à Deo finem dicit, quatenus autor naturæ, cuius ſpeciei certum temperamen-

tum

tum addicit, cui temperamento conſentaneus eſt talis vitæ terminus. Sicut autem in temperamento illo eſt latitudo, ita & in termino illum conſequente. Vndè longè aliam, termini vitæ prout Deum naturæ autorem reſpicientis, periodum ſtatuit Licetus, quam ſtatuat Syluius. Hic quippè indiuiſibilem ſtatuit eiuſmodi terminum, pro Dei voluntate addictum vni momento, quod antecedenter præfixerit, quodque nemo præuenire vel prætergredi poſſit. At Licetus pro temperamenti connaturalis latitudine, varium eſſe poſſe vitæ terminum, nec vni momento affixum, debet agnoſcere, & vltrò dat, eum terminum poſſe præueniri etiamſi non poſſit vlteriùs prorogari. Quorum primum, pugnat cum Dei voluntate antecedenter concepta, cui nulla vis creata poteſt obluctari, alterum verò pugnat cum vitæ prorogabilitate artificioſa, vltra terminum primigenitæ temperiei conſentaneum; (ſi quod poſſibile eſt) ars & diætetica vitæ ratio ita perficiat naturam, vt plus extendantur vitæ ſpatia, quàm fieret ſi nulla veluti cultura & expolitio temperiei ab induſtria acceſſiſſet. Itaque Licetus, & à ſenſu Theologorum illorum qui prædefinitum indiuiſibilem vitæ terminum inuehunt, procul abeſt; & à ſenſu Philoſophorum, admittentium fatum non Chriſtianè mollitum, ſed pro ineluctabili præfixione diuinitùs antecedenter inducta acceptum. Atque adeò non eſt quod à nobis reſcilatur, cum planè eat in ſententiam quam propugnamus, licet minus commodè loquatur, & præter vſum ſcholarum vſurpet voces in hoc negotio ſolemnes.

PVNCTVM XIII.

APERITVR QVOMODO nobis Deus vitæ ac mortis terminos conſtituat.

NEGARI non poteſt, quin Deus aliqua tandem ratione, vitæ ac mortis terminos homini conſtituat. Id enim diſertè tradit Scriptura Iob. 14. & Patres ſæpè confirmant. Vt ergò omnes difficultates huius negotij diſpellantur, exponendus eſt legitimus modus intelligendi eam terminorum conſtitutionem à Deo: quandoquidem præfixionem ſiue conſtitutionem factam ex antecedente Dei decreto, repudiamus tanquam ineluctabilem, & cum contingentia mortis aduenientis pugnantem.

Quomodò Deus vitæ terminos nobis ſtatuerit, iuxta Anaſtaſium.

I. AGgreſſus eam quam dico terminorum vitæ ac mortis conſtitutionem à Deo factam, exponere Anaſtaſius q. 96. noua in Scrip. ſic diſſerit ex doctrina (vt ait) SS. Patrum. [In principio quando Deus cœlum & terram, mare & vniuerſam hanc aſpectabilem creaturam condidit; ex quatuor elementis, eam mirificè coagmentauit; ex igne, aqua, terra, aëre, ex quibus etiam corpus noſtrum & animalium conſtat. Dedit igitur Deus his quatuor elementis veluti ducibus & aurigis, prout ipſius voluntas fert, poteſtatem adminiſtrandi, agendi & gubernandi corpoream naturam: ex ipſis velut ex Patribus quibuſdam progenitam & compactam. Hinc videre eſt, omnia terreſtria corpora, & plantas nimirum & animalia, & omnia tam animata quàm inanimata, ad ſëris, & elementorum mixturam & temperamentũ circumagi, tranſmutari, ſeneſcere, reuiuiſcere, corrumpi. Si de his dubitas, cedo vndè fit, vt ſæpè mortifera lues inuadat bruta, volatilia, & piſces maris, qui nullo peccato ſe obſtrinxerunt? Igitur & humanum corpus noſtrum ex terra ſumptum, eiuſdem cum illis ſubſtantiæ naturale & corruptibile, ex illis ipſis elementis compoſitum ex quibus etiam animalia conſtant, diuino quodam & primæuo mandato, (vt mihi videtur) ab his elementis velut à primogenitoribus quibuſdam, nutu Dei adminiſtratur, regitur, augeſcit, viuit, ægrotat, & tandem moritur.] Sic iuxta Anaſtaſium, Deus terminos vitæ ac mortis noſtræ conſtituit; extra raros euentus de quibus ſupra p. 2. quos ab hac diſputatione ſepoſitos vult Anaſtaſius; contentus ad modum prædictum ſtatuere, de modo quo vitæ ac mortis termini nobis à Deo conſtituuntur, agendo [de communi vitæ ac mortis curſu, cui corpora omnia ex elementis compacta ſubiacent] Nec præfinitionem vllam qualem hactenùs reiecimus, ad exponendam conſtitutionem terminorum hominis à Deo adhibitam, & in Scripturis expreſſam, agnoſcit.

Addenda ad plenam difficultatis expeditionem.

II. VIdetur tamen aliquid addendum, pluſque aliquid ferre Scripturas & Patres agentes de humanæ vitæ terminis à Deo conſtitutis. Quod enim Anaſtaſius profert, ſpectat tantùm conſtitutionem ordinis generalis naturæ, & ordinationem curſus naturalium cauſarumque, æquè in plantis ac brutis, imo etiam in rebus inanimatis valentem. At non eſt dubium, quin ſit in Deo, ſpecialis quædam prouidentia circa vitam ac mortem hominis, quod eſt ſanctius his animal, & præ quo non eſt Deo cura de bobus. Specialis ergò prouidentiæ ratione cuius Deus dici peculiariter poſſit conſtituere vitæ ac mortis humanæ terminos, communi illi ac generali prouidentiæ ab Anaſtaſio expoſitæ; addere videtur directionem peculiarem cauſarum vitæ ac mortis; tum ſiſtentem intra ordinem naturæ, tum etiam aliquando ſupra naturæ debitum ſe porrigentem; remouendo ex peculiari beneuolentia erga eos quibus vtile eſt vitam producere, quæ mortem poſſent celeriùs inferre; & è contrario, iis quibus expedit è vita excedere, non remouendo ea vitæ longioris impedimenta; vel etiam cum poteſt ſine peccato fieri, prouidendo cauſas naturales aut morales, quibus velociùs ſuccidantur. Omnis hæc peculiaris prouidentia ſiue naturalis tantùm, ſiue

etiam ſupernaturalis, obſignatur à Deo, decreto conſequenti, quo ratum habet curſum naturalem, ex ea, quam dixi ſpeciali vitæ ac mortis prouidentia temperatum ac directum à Deo in finem gloriæ ſuæ. Ex quo, ſuppoſito tali curſu & ordine cauſarum contingit hominis vitam tūc finiri, aut mortem aduenire. Idque eſt Deum terminos vitæ ac mortis humanis conſtituere abſque præfixione ineluctabili.

III. Nihil occurrit in conſtitutione terminorum vitæ mortis ſic explicata, quod difficultatem faciat, aut exigat illuſtrationem maiorem, præter fortè decretum illud; quod dixi eſſe conſequens: & cum ſit æternum atque diuinum, videri poterit alicui cum præfinitione recurrere. Eſt tamen inter huiuſmodi decretum & præfinitionem, latum diſcrimen. Id quod percipere licet ex decreto de actibus liberis; per proportionem ad quos, exponendum eſt decretum de vitæ humanæ termino. Actus quippè humanos liberos, ſiue ſupernaturales, Deus non præfinit antecedenter: quia ſic eſſent ineluctabiles; & per adiunctam præfinitioni mouenti adactionem, carerentur libertate. Eatenùs verò habet Deus de huiuſmodi liberis actibus prouidentiam perfectam, quatenus ſi boni ſunt, illos amat, & vt homo eos eliciat, ſubminiſtrat media accommodata: ideſt, pro actibus bonis merè naturalibus, congruas intra naturæ ordinem illuſtrationes: pro actibus autem ſupernaturalibus, ſapores vitales in vitæ æternæ verbis abditos, quibus homo ad actus de quibus agitur, ita fertur, vt poſſet non ferri. Nec ſi homo teneret, eos actus elicere, teneretur Deus vi decreti ex ſua nuda voluntate abſolutè & antecedenter lati, adigere potenter hominem ad ſic operandum, ne decretum illud ſuum caſſum euaderet: ſed ſi homo nollet actum ea ratione à Deo prouiſum elicere, aliud nihil fieret vi diuini illius decreti non prædeterminantis ad actum liberum. Si verò actus hominis liberè eliciendi, ſordeant malitia, eatenus Deus habet de eis prouidentiam perfectam, quatenus ſinens rapi ſuum ad eos concurſum, (vt loquitur D. Anſelmus lib. de caſu diabol. cap. vltimo, & benè exponit Maior in 2. diſt. 37. dubio vltimo) decernit cooperari ad eorum productionem per cauſam ſecundam, exigentem ad id influxum primæ. Deindè bonum aliquod ſiue electorum, ſiue ſuum inde captans, dirigens malitiam hominis ad bonum finem; in quo iuxta D. Auguſtinum cap. 11. Enchiridij cernitur ſumma bonitas Dei, legentis mel ex veneno. Tandem pœnam condignam decernit ei actui, retributurus mercedem prædictam in tempore. Ad hunc modū exponenda eſt perfecta Dei prouidentia de actibus humanis abſque prædeterminatione, quæ libertatis iura violaret, nec abſque ſanctitatis diuinæ clade induci poſſet circa actus malos. Haud aliter ergò ſe habet prouidentia Dei perfecta de terminis vitæ & mortis: quæ prouidentia, eſt terminorum illorum conſtitutio, non Scripturis & Patribus celebrata, abſque præfinitione vlla ineluctabili, per ſolam ſuauem ac congruam, tametſi certam & infallibilem cauſarum naturalium ordinationem; & approbationem curſus earum, & mediorum conſentaneorum aptationem.

IV. Neque tamen idcircò impeditur Deus, extra ordinem, vel mortem à cauſis naturalibus inferendam anteuertere, hominémque citiùs ſubducere è vita, quàm ferret curſus naturalium cauſarum, vel vitam prorogare vltra exigentiam earundem inferiorum cauſarum. Imo hæc eſt ſpecialis prouidentia, (ſed extraordinaria) terminorum vitæ ac mortis humanæ; qualem prouidentiam & extraordinariam terminorum illorum conſtitutionem quoad mortem, cernere eſt in pleriſque, ſucciſis à Deo ante tempus ipſorum, & priuſquàm dies plenos naniſcerentur; vt Scriptura loqui ſolet. Statius autem de Adraſto poëticè idem expreſſit, cum dixit, abſorptum Adraſtum periiſſe cum plenas colos, & nentes adhuc Parcas deprehendiſſet. Quoad adiectionem verò vitæ vlterioris, ſupra quam exigeret curſus naturalium cauſarum, res vacat difficultate: & benè his verbis expreſſa eſt ab Anaſtaſio q. illa 96. poſtquàm egit de communi & vulgata vita, naturaliter obueniente ex tali curſu naturalium cauſarum. [Altera eſt vita diuinitùs conceſſa, ſingulari munere Dei obueniens; qualis erat Ezechiæ 15. annorum vita poſt morbum cœlitùs impetrata: qualis Lazari poſt reſuſcitationem, & quorundam ſimilium. Scire enim oportet, Deum tanquam Dominum vitæ & mortis, naturæ, elementorum, & omnium; interdum quando & vbi etiam lubet, vitæ vitam adiicere; & vbi etiam lubet, mortem inferre; Iuſtis quoque: prout ad Moyſem ait, *apponatur Aaron ad patres ſuos*; & ad ipſum Moyſem, *Aſcende in montem & morere*, meo iudicio, quemadmodùm Nabuchodonoſori, Dauidi, & aliis quibuſdam populorum Patribus, & Gentium magnis Regibus, ad populi dignitatem & ſplendorem, acceſſiones & ſucceſſiones, incrementa, & decrementa à Deo obtigerunt; ita crebrò iuſtis additiones annorum obuenire. Nam Deus ſupra vitam naturalem, vitam corporis apponit. Verùm in præſenti non eſt nobis ſermo de raris iſtis additionibus & ſubtractionibus, quibus vitam vel producere vel contrahere poteſt: ſed diſputatio eſt, de communi vitæ & mortis curſu, cui corpora omnium, ex elementis compacta ſubiacent.] Optimè iſta Anaſtaſius, & ad vtramque de vitæ ac mortis noſtræ terminis prouidentiam, eorúmque ordinariam & extraordinariam conſtitutionem accommodatè.

Melos Auguſtini ex conſideratione prouidentiæ, in re propoſita.

V. VTrolibet autem modo, Dei de vitæ noſtræ ac mortis terminis prouidentia conſideretur, & longior vel breuior duratio quam cuiuis proſpicit, non oſcitanter attendatur; exquiſitus inde ſuauiſſimúſque concentus exiſtit, mulcens intentum ſpeculatorem; iuxta illud D. Auguſtini Epiſt. 28. [Deum ſcimus omnibus temporaliter tranſeuntibus rebus, (vbi ſunt etiam animalium ortus & obitus) curſum ornatiſſimum atque ordinatiſſimum dare: ſed nos iſta ſentire non poſſe, quæ ſi ſentiremus, delectatione ineffabili mulceremur. Non enim fruſtra per Prophetam, qui hæc diuinitùs inſpirata didicerat, dictum eſt de Deo, *qui profert numeroſè ſeculum*. Vndè Muſica, ideſt ſcientia, ſenſúſve benè modulādi, ad admonitionem magnæ rei etiam mortalibus rationales habentibus animas, Dei

largitate conceſſa eſt. Vndè ſi homo faciendi carminis artifex, nouit quas quibus moras vocibus tribuat, vt illud quod canitur decedentibus, ac ſuccedentibus ſonis pulcherrimè currat ac tranſeat; quantò magis Deus, cuius ſapientia per quam fecit omnia, longè omnibus artibus præferenda eſt, nulla in naturis naſcentibus & occidentibus temporum ſpatia, quæ tanquam ſyllabæ ac verba ad particulas huius ſæculi pertinent, in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico, vel breuiùs vel productiùs quàm modulatio præcognita & præfinita depoſcit, præterire permittit? Hoc cum etiam de arboris folio dixerim, & de noſtrorum numero capillorum, quantò magis de hominis ortu & occaſu, cuius temporalis vita breuiùs productiùſque non tenditur, quàm Deus diſpoſitor temporum, nouit vniuerſitatis moderamini conſonare? [Inſigniter & Auguſtino dignè. Quod verò *præfinitionis* hìc meminit, infra exponam.

PVNCTVM XIV.

PROLATA IN CONTRArium ex Scripturis, ac Patribus, & ratione, diluuntur.

SAtis ſtabilita veritate, & falſitate contraria hactenus reiecta, diſſoluendæ ſuperſunt difficultates ſuperiùs motæ contra ſententiam noſtram, qua negamus terminos vitæ ac mortis humanæ eſſe à Deo antecedenter fixos; ita vt ſint humano quocunque ſtudio ineluctabiles; nec fieri poſſit vt vel non attingantur vel prætereantur.

Scripturæ pro præfinita quorumuis hominum morte, expoſitæ.

I. INprimis ergo, opponebantur variæ Scripturæ, quarum quæ maximè ad rem faciunt, eæ ſunt quibus Deus dicitur conſtituiſſe terminos vitæ humanæ, & habere in manibus ſuis tempora noſtra, definiſſéque terminos habitationis hominum ſuper faciem terræ, nec citra eius voluntatem cadere paſſerem: quantò minùs hominem? Habere item in manu ſua fines terræ, & ferre, ac transferre omnia pro voluntate. Quæ omnia loca, ſufficienter abs ſe expedita cenſuit Anaſtaſius q.96. noua, ſi diceret. [Omnium adminiſtrator & prouiſor Deus, qui omnia potentiæ ſuæ nutu fert & gubernat, hominem ab initio condidit compoſitum. Nam ex anima immortali & rationali; tum etiam ex corpore ex elementis coagmentato, & materiali, conſtat: cui duas adminiſtrationes naturales & eſſentiales attribuit, animam ſcilicet vt ſit gubernatrix, & liberum arbitrium, quod animam, ſiue ad virtutem, ſiue ad vitium ducat, Deo huius rei nullam penitus culpam ſuſtinente. Corpus inſuper dedit, ad vitam per elementorum adminiſtrationem. Quemadmodùm autem Deus, à primo rerum ortu, Soli indidit vim calefaciendi; Lunæ ad illuminationem noctis vim illuſtrandi, terræ vim genitalem ſeu ſeminalem ad rerum incrementum, plantis vim fructus proferendi, animalibus vt maris & femellæ congreſſu progenerentur; & vt rem in compendium conferam, ſicut cuilibet naturæ, ſuam propriam agendi facultatem impertijt, ita quoquè mea ſententia, dedit corporum elementis, vt vitæ & adminiſtrationem & gubernationem ſub prouidentia ſua habeant.] Sic expeditas putat Anaſtaſius omnes Scripturas, quæ pro antecedente Dei decreto, de termino vitæ ac mortis humanæ, proferebantur. Reuera tamen omnia quæ attulit, ſpectant tantùm ad inſtitutum à Deo curſum naturæ & nexum naturalium cauſarum; ad quem certo tempore mors conſequitur, & vita finitur: Scripturæ autem aliquid plus inſinuant.

II. Addendum ergo eſt, habere Deum ſpecialem prouidentiam terminorum vitæ ac mortis humanæ, vt ſuperiùs eſt expoſitum. De ea igitur prouidentia proſpiciente homini circa eos terminos, iuncta prouidentiæ generali, de qua Anaſtaſius, accipienda ſunt omnia Scripturæ loca, quibus termini vitæ ac mortis noſtræ, conſtitui à Deo dicuntur; & quibus aſſeritur eſſe in eius manibus tempora noſtra, nec hominem abſque nutu Dei cadere, & in manu eius eſſe fines terræ, id eſt, omnia ad nos terræ incolas attinentia, præſertímque finem noſtrum, ſeu vitæ ac mortis terminum. Quædam item loca, ſonant, liberum eſſe Deo, ſi velit, hominis vitam, extra exigentiam cauſarum naturalium, earúmque curſu neglecto; vel abrumpere, vel protrahere: quod eſt extra controuerſiam, nec facit ad ſtabiliendam terminorum vitæ ac mortis præfinitionem.

Numeratio item dierum aut annorum vitę hominis, (v g. Baltaſaris) longè alia eſt à præfinitione. Nam etiamſi Deus nihil planè decreuiſſet de vita hominis, tamen eo ipſo præſciret quandiu homo eſſet duraturus, rectè diceretur numeraſſe eius dies & annos; neque Dauid qui Deum ſciſcitabatur quis eſſet numerus dierum ſuorum, & quot eſſent dies vitæ ſuæ, ſpectabat diuinam præfinitionem, ſed præſcientiam. Numerauerat ergò Deus annos Baltaſaris, & vt habet codex primogenius, *numerauerat numerauerat*, id eſt exactiſſimè perſpectum habebat eorum numerum, & completus eſſe videbat. Ea ſiquidem locutione, inſinuari breuitatem, rectè obſeruauit Fernandius viſione 22. ſect. 2. n. 3. Nihil igitur refert locus ille ad ſtabiliendam terminorum vitæ & mortis præfinitionem. Similiter locus Apoſtoli de ſtatutis temporibus, & terminis habitationis mortalium definitis, aliò videtur ſpectare quàm ad præfinitionem terminorum vitæ ac mortis cuiuſvis ſingularis hominis, de qua ſola præfinitione eſt hìc diſputatio. Quod ergo Gloſſa interlinearis & Lyranus notarunt, locus ille Apoſtoli videtur potiùs ſpectare ad varias migrationes populorum è regione vna in aliam; velut æſtuatija, vt Philo loquitur lib. de Dei immutabilitate *ad finem*) ſedes humanas agitantibus; quo de argumento ſpiſſum opus edidit VVolfangus Lazius.

III. Prætereà, locus Geneſeos quod luminaria magna, facta dicuntur *vt eſſent in tempora*, mirum eſt quomodò potuerit trahi ad præfinitiones terminorum vitæ ac mortis: ſed

aliquibus

aliquibus adeò infixæ ſunt præfinitiones, vt vbique eas cogitent; & ipſis, vbi nulla ratione continentur, occurrant. Agebat Moſes de creatione Solis ac Lunæ, vt eſſent in ſigna quatuor anni tempeſtatum, & eis adiunctarum operationum ruſticanarum; puta meſſis, vindemiæ, oliuitatis: Vel certè in ſigna dierum feſtorum populi Hebræi; Neomeniarum videlicet, Calendarum, *&c.* recurrentium ſtato tempore. Quid hæc ad præfinitiones vitæ ac mortis humanæ? Præterquam quod, (vt obſeruauit Martinengus in Gloſſa magna in cap. 1. Geneſeos *ad hunc locum*,) non videtur totum, ſubiicere Soli ac Lunæ dies noſtros, & ſtata durationis humanæ tempora, præſertim ſi agatur de prædefinitione & determinatione certæ temporis menſuræ, quam fas non ſit præterire, hærendo in corpore. Neque enim poteſt id eſſe munus aſtrorum, ſed Dei, ſi velimus huiuſmodi præfinitiones admittere. Eſto ſpectato naturali curſu cauſarum inferiorum, & morte inde homini obuentura; Sol & Luna ſuper omnia aſtra, aliquid, vt in generationem, ſic & in egreſſum è corpore poſſint conferre, modo multiplicitet impedibili, atque adeò longè alio à præfinitionis ineluctabili efficacia. Omninò igitur extra rem adducitur locus ille Geneſeos ad hoc negotium. Vt & ille alius quem adducit. Vielminus ibidem ex c. 3. Eccleſiaſtis, *Tempus naſcendi, & tempus moriendi*; quod accipit de tempore ſtato & præfinito; cum tamen Sapiens, non agat niſi de tempore quo & iſtæ & aliæ Syzygiæ quas ibi proponit, executioni mandantur, nihil cogitans de præfinitione diuina in eas cadēte. Prorſus verò ineptè adducebatur in hanc ipſam rē, locus ex c. 2. ſapientiæ quaſi nexus loco ex c. 1. Geneſ. proximè adducto: eo quòd ſicut aſtra dicebantur in eo c. 1. eſſe facta in ſigna temporum & annorum, ita in hoc ſecundo capite memoretur *conſignatio finis noſtri*. Nihil enim ea conſignatio, ad rem præſentem facit: Salomon enim eo loco intendit monſtrare ex perſona voluptariorum, mortem citò ingruere mortalibus; & poſtquàm illa hominem oppreſſerit, non dari regreſſum ad vitam. Itaquè dum vita durat, fruendum eſſe bonis. Ipſa verba illius loci, apertè hunc ſenſum ferunt. *Vmbra tranſitus eſt, tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt* (reuerſio) *& nemo reuertitur*. S. Paulinus Epiſtol. 33. legit *conſignatus eſt*. Et vt ad eum locū benè expendit Ducæus, poſt Vatablum; metaphora eſt ducta ab obſignatione eorum quæ firma & rata eſſe volumus. Voluptarij ergo illi, ſe deſperatione ſolantes, vt S. Paulinus ait, indulgendum ſibi eſſe genio dicunt dum tempus ſuppetit, eo quòd poſt tranſactam breuem vitam; non ſit danda facultas regrediendi ad vitam, quandoquidem irremeabile eſt inferni cubile ἀνέκβατος ἀΐδος εὐνὴ vt loquitur Oppianus 4 ἁλιευτ. & ἀνέξοδος Acheron iuxta Theocritum; & alios quos poſt Pelranum & Ludouicum à Cerda addenſat Lorinus cap. 2. ad verſ. 5. Hæc quid ad præfinitum antecedenter à Deo vitæ terminum?

Ad extremum, liber vitæ qui apud Deum conſcriptus habetur, & liber mortis quem aliqui quoque agnoſcunt, vt Sixtus Senenſis V. *mortis liber*, Vaſques 1. p. quæſt. 24. artic. 2. poſt SS. Baſilium & Nazianzenum quos adducit; non pertinent reuera ad vitam & mortem temporariam, vt aduerſarij gratis aſſumunt. Nam *liber vitæ* in Scripturis expreſſus, non alius propriè eſt, quàm *liber electionis prædeſtinatorum*, vt bene aſſerit Thyræus liber de glor. Chriſti apparit. ad iudic. cap. 17. & ex varijs Patribus oſtendit. Ribera ad cap. 3. Apocal. *verſu.* 6. & Sixtus Senenſis lib. 2. Bibl. V. *vitæ liber primus*, ac Suarez lib. 1. de prædeſt. cap. 20. Quod enim ex libro illo deletionem comminetur Deus Apocal. 3. quæ non eſt timenda circa ſcripturam electorum, quorum ſumma præcognita nullo detrimento minui poteſt, vt rectè dixit Proſper 2. de vocat. gentium, cap. 33. ac optimè quoquè tradit Fulgentius lib. 3. de veritat. prædeſt. hoc inquam facilè extricat D. Auguſtinus in Pſalmum 68. ad illud, *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*, dicens; neminem reuera deleri de libro vitæ qui in eo ſcriptus fuerit: aliquos tamen dici deleri ſecundùm humanam opinionem, aut ſecundùm ſuam cuiuſque ſpem vel ſententiam, qua ſe in eo libro ſcriptos putabant, in quo reuera ſcripti non erant. Nam & propterea ab aliquibus, (vt Pererius obſeruauit lib. 15. in Daniel) liber ille dicitur *ſcriptus intus & foris*, ſiuè, aut reuera, aut quoad apparentiam. Iuxta alios verò, *liber vitæ* eſt catalogus eorum qui ſecundùm præſentem iuſtitiam, habent ius ad vitam æternam; licèt defectu perſeuerantiæ non ſint omnes eam aſſecuturi. Ita D. Thomas 1. p. q. 24. art. 3. Dur. in 1. d. 40. q. 1. num. 9. Alcazar in c. 3. Apocal. & ibidem Pererius diſp. 7. 8. & 9. Iuxta huiuſmodi verò ſententias de libro vitæ, liber mortis ei oppoſitus, non eſt de ſtatuto tempore mortis temporariæ: ſed de damnatione æterna reprobis inferenda, Non deeſt qui vtrumque librum, de conſcientia vniuſcuiuſque accipiat, vt videre eſt apud Sancium in cap. 7. Daniel. num. 85. Quæ expoſitio ægrè accommodatur ad omnia Scripturæ loca in quibus mentio fit libri vitæ.

Tam varias libri vitæ, ac ſi lubet, etiam libri mortis interpretationes attigi, vt appareat, nihil in Scripturis, huiuſmodi libros memorantibus haberi, quod fixum antecedenter corporeæ vitæ terminum inſinuet: ac ne ea quidem diuina decreta quæ vel gloriam æternam vel præſens ius ad eam aut conſcientiam vniuſcuiuſque ſpectant; multò magis quæ ad reproborum æternam damnationem pertinent, fingenda ſunt antecedentia aut ineluctabilia: cum ſint admodùm mollia, nec niſi conſequenter fixa, vt ſuo loco eſt expoſitum. Id quod deniquè dicerem de decretis ſpectantibus terminum vitæ ac mortis temporalis, ſi liber vitæ aut mortis, de huiuſmodi decretis acciperetur; vt aliqui præſertim ſtatuunt de libro in quo omnes ſcribuntur, diéique formandi, omnes nemine præterito, exarantur in eo, vt habetur Pſalmo 138. ibique minutè & exactè verſat Caietanus. Ex his enodari nullo negotio poterunt, omnia Scripturæ loca de conſtitutione terminorum vitæ ac mortis à Deo facta, abſque eo quod inuehatur decretum vllum antecedens, vt aduerſarij obtendebant.

Expoſiti Patres, pro eadem præfinitione allegati.

IV. LOca Patrum quę poſtea adducebantur, facilè expediri poſſunt ex dictis cir-

ca Scripturas. Vix enim aliud habent quàm quod ex Scripturis adductum & expeditum eſt. Volunt ergo Patres duntaxat, Deo ſpecialem eſſe de terminis vitæ ac mortis noſtræ prouidentiam: & poſſe ſi lubeat poſthabita exigentia curſus naturalium cauſarum, extra ordinem vitam abrumpere vel protrahere: quod eſt potens incentiuum humiliationis ſub potenti manu Dei, intentæ à Patribus, dum incidit ſermo de his vitæ ac mortis terminis. Specialiter verò quoad S.Baſilium, dicendum eſt, eum non aliam innuexiſſe conſtitutionem terminorum prædictorum, quàm ſubſequentem ad curſum cauſarum naturalium; ſic diſpoſitarum, vt mors tali puncto ex eis conſequens, non fuerit euitatu impoſſibilis; qualis eſſet ſi manaret ex præfinitione: fuerit tamen conſecuta, quia non eſt tempori prouiſum, aut quia natura ita effœta erat, vt ſecluſo quouis extrinſeco occurſu, moriendum fuerit ex naturæ exhauſtæ vitio. Meritò autem Gennadius Epiſtola de prædeſtinatione, ſtomachatur in aliquos, qui falſi S.Baſilium docuiſſe mortis ac vitæ humanæ terminos eſſe à Deo antecedenter conſtitutos, addebant, S.Baſilium locutum eſſe accommodatè ad mores formandos, vt inter concionandum aſſolet. Hoc, iure reijcit Gennadius, tum quia S. Baſilius ita locutus eſt in eo opere didactico, non autem in homilia: tum etiam quia indignum eſt S.Baſilij ſpiritu, inter concionandum mentiri. An enim virtus ac pietas, inſinuenda eſt Auditoribus per mendacia? Abſit hoc à quocunque verbi diuini tractatore, nedum à S.Baſilio. Legendus in hanc indignitatem concionatoriè mentiendi, Ioſephus à Coſta lib. 3. de Chriſto reuel. cap. 3.

V. Obſeruandum quoquè ſpecialiter eſt, de S.Auguſtino, quum in actu ſignato agnoſcit terminorum vitæ ac mortis præfinitionem, eum vocem *præfinitionis* vſurpaſſe illo ſenſu, quo Scriptura ipſa interdum voces propinquas confundit; vnámque pro alia adhibet, iuxta eiuſdem S. Patris doctrinam Epiſtola 59. ad qu. 5. cum verbum *interpellandi*, poſitum aliquando diceret pro verbo, *poſtulandi*. [Veruntamen (inquit) verbum ex vicinitate vſurpatum, cui propinquitas ipſa impetrat intellectum, non eſt velut cenſoria notatione culpandum.] Quia ergo *præſtitutio* eluctabilis, & *præfinitio*, vicinæ voces ſunt, vna eſt ab ipſo vſurpata pro alia; dimiſſo rigore propriæ notionis, quo *præfinitio* ſonat decretum antecedens, contra quod nullum humanum ſtudium ſuffragetur; hic autem eo rigore mollito, vſurpata eſt pro conſtitutione ſeu ordinatione prouida terminorum vitæ & mortis, quamuis non antecedenter poſita, & ineluctabiliter inferente tales terminos. Ea enim poſitio, ſiuè prouida ordinatio finium, cum æterna ſit, & poſitionem terminorum illorum antecedat; attento vocis cortice, & mollito ſeu laxato eius vſu, poteſt *præfinitio* appellari. In hoc igitur ſenſo, ſemel duntaxat (quantum memini) vocata eſt à D. Auguſtino *præfinitio*, quæ non antecedens & ineluctabilis fuit definitio, ſed ſola æterna duratione anterior eſt, & futuritionem ex cauſarum naturali efficacitate ponendam ſupponit. Non eſt ergò cur aduerſarij, horum Patrum, ac multò minùs cæterorum facilìus expidibilium, ſuffragatione nitantur.

Ad Syluij rationes.

VI. NEque fortius illis præſidium eſt in ratione. Syluius multa addenſat, quibus confirmet Deum omnia futura certò præſcite; quæ quorsum ſpectent, non video; cum hic non quæratur de diuina prænotione, ſed de præfinitione, qui ſunt actus longè diuerſiſſimi, & in diuerſa obiecta cadentes, vt optimè præter cæteros attigit S. Maximus ſub initium collationis cum Theodoſio Cæſarienſi. Rogatus enim ab eo S. Maximus, quomodò in carcere haberet, reſpondit: [Sicut prædeſtinauit Deus ante omnia ſæcula, prouiſoriam fore circa me diſpenſationem, ſic habeo.] Subinferente autem Theodoſio; [Ergóne prædeſtinauit Deus ante omne ſæculum, quæ circa ſingulos fiunt? Reſpondet S.Maximus. [Præſcientia eſt cogitationum, & ſermonum, & operum quæ ex nobis ſunt: Prædeſtinatio verò eorum eſt quæ ex nobis non accidunt. Ex nobis ſunt, voluntaria omnia, id eſt virtutes & vitia. Non ex nobis autem ſunt, illationes accidentium nobis pœnalium modorum, vel his contrariorum. Neque enim ex nobis eſt, vel nocens languor, vel lætificans ſanitas; licet operatrices horum cauſæ, ex nobis exiſtant. Vt puta intemperantia, cauſa eſt languoris, quemadmodùm temperantia cauſa eſt ſanitatis. Et regni cœleſtis cauſa, mandatorum eſt cuſtodia; quemadmodùm & ignis æterni, horum tranſgreſſio.] Apertè igitur S. Maximus, aliud ſtatuit eſſe decreti prædeſtinantis obiectum, aliud præſcientiæ: in qua doctrina habet conſentientem Damaſcenum l. 2. fidei Orthod. cap. vltimo, & *ſub finem* Dialogi contra Manichæos, ac orat. 1. de imag. *ſub initium*. Et reipſa idem habent S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 10. & Proſper ad c. 15. Gallor. & l. 1. de vocat. Gent. cap. 30. & Fulgentius toto ferè l. 1. ad Monimum. Quarè etiamſi Deus præſciat vniuſcuiuſque obitum, non tamen illum prædefinit antecedenter, vel prædeſtinat, quoties eius incurſus vel declinatio ad aliquod tempus, pendet à noſtro arbitrio; eo quod poſſimus mortis differendæ vel inferendæ cauſas adhibere ſi lubeat: quod tamen præſtare non poſſemus, ſi diuinum decretum ineluctabile, de morte rato tempore ſubeunda, anteceſſiſſet. Itaque non rectè Syluius, ad probandam præfixionem terminorum vitæ noſtræ à Deo ex ſe poſitam, ducit argumentum ex præſcientia.

VII. Poſſet tamen pro Syluio peti argumentum, ex fundamento certitudinis, diuinæ præſcientiæ; quod fundamentum non videtur eſſe poſſe aliud, quàm decretum Dei præfiniens. Nam vt ea diuina prænotio futuræ tunc mortis, & finiendæ tunc vitæ, ſit infallibilis ac certa (qualem neceſſe eſt eſſe notitiam diuinam) aſſignandum ei eſt fundamentum adcò firmum & immutabile, vt non ſit periculum ne ſuccuti poſſit, alioqui enim diuina notitia ei veluti innixa, nutaret: cum ergo obiectum de quo agimus, ex ſe ſit fallibile, & contingens, nihilque in rebus creatis ſuperſit, quod firmitatem, certitudinis notitiæ fundatricem, conferre poſſit rei ex ſe fallibili & in alterutram partem vertibili; reſtat ſola firmitas & immutabilitas, quæ illi advenire poteſt ex eo quod ſubeſt diuino decreto

antecedenti

antecedenti & ineluctabili, quod proindè videtur admittendum. Hoc eſt vnicum fundamentum quod excogitari poteſt, ad fulciendam eam Syluij pro præfinitionibus ratiocinationem, ex præſcientia. At hoc argumentum, eſt telum imbelle ſine ictu. Nam euentus futurus, ex ſuppoſitione quod ſit futurus, (ſub qua ratione attingitur à præſcientia) adeò firmus eſt & immobilis, vt non ſit timendum nutationi actus, qui tali fundamento nitatur. Nam quod eſt, ex ſuppoſitione quod ſit, impoſſibile eſt vt non ſit; & ea veritas eſt immutabilis ac fundatiſſimè firmata. Cum igitur diuina præſcientia futuri termini vitæ aut mortis humanæ, terminetur ad eum terminum prout reipſa futurum, habeátque pro ratione formali cognoſcendi, veritatem illam obiectiuam, quam ex ſuppoſitione futuritionis eius impoſſibile eſt aliter ſe habere; nihil eſt neceſſe, recurrere ad diuinam prædefinitionem illorum terminorum vitæ ac mortis noſtræ, vt declinemus mutabilitatem ac fallibilitatem diuinæ præſcientiæ, ex eo quod verſetur circa obiectum contingens. Nam etiam obiectum abſolutè contingens, prout ſupponitur habiturum, eſſe, induit immutabilitatem ac firmitatem omnimodam; actus certiſſimi, obiectiuè, ac per modum termini fundatiuam, qua de re luculentiùs 1.p.q.14.tractando rationem formalem cognoſcend. futura per ſcientiam viſionis. Id quod etiam optimè expendit Suares lib.1. de ſcientia futur. Nihil præterea video in vniuerſa Syluij diſputatione, quod ex dictis non conciderit. Quæ verò adducit ex generali doctrina de prædeterminationibus, quas hic quoque vult locum habere, (& rectè, ſi alibi circa contingentia haberent locum;) euerſa manent, ex ijs quæ contra actuum liberorũ prędeterminationem, fusè alibi ſunt diſputata.

Extricata ratio, ex euocatione aliquorum, quaſi per errorem.

VIII. Ratio quæ petebatur ex euocatione animarum; & quarundam, quaſi per errorem euocatarum pro alijs, remiſſione in corpora; non iuuat vitæ & mortis humanæ præfinitionem antecedentem: cum tantùm ſpectet prouidentiam Dei ſpecialem, de hora obitus cuiuſcunque hominis, addito fauore ſingulari erga perſonam, cui Deus regreſſum à priuatione ad habitum concedit, vt deinceps vitam meliùs componat: vel vt de arcanis ſecretorum doceat mortales; ſitque omnibus in exemplum. Ad quæ omnia nullum exigitur decretum antecedens de conſtitutione terminorum vitæ ac mortis humanæ. Cauendum verò eſt, ne quis errorem attribuat Angelis animarum euocatoribus, quæcunque demum ſit ea euocatio. Non enim in alio conſiſtere videtur, quàm in deductione animæ ad iudicem, vel ad locum ex iudicis deſignatione debitum, vt Tertullianus ſignificat lib. de anima, cap.53. Euocatorem Angelum memorans; Mercurio (vt ait) Poëtarum affinem. At in illorum actuum nullo, poteſt obrepere Angelo error, qui loca illa habet perſpectiſſima. Antropopathos tamen, res ad eum modum deſcribitur, vt ſimplicibus commodiùs innoteſcat beneficium regreſſus ad vitam, conceſſi à Deo in raris quibuſdam euentibus.

Ad querelas Antonij Senenſis, de alliſa noſtra ſententia in diuina attributa.

IX. Querelæ deniquè quibus Antonius à Senis grauat reiectionem terminorum vitæ ac mortis poſitam à Deo ex decreto antecedenti adamantino ac ineluctabili, nihil reuera ſunt aliud, quàm calumniæ gratis confictæ. Quo enim alio nomine appellem, quod aduerſarius ait, per noſtram ſententiam excindi primum ſymboli articulum de Omnipotentia Dei? Nos enim citra quaſcunque ferreas præfinitiones ad vitæ ac mortis noſtræ horam terminatas agnoſcimus, Deum etiam ea in parte eſſe omnipotentem: quippè qui, & ad vitæ protogationem, & ad eius abruptionem ex naturalibus cauſis oriundam, interueniat; & extra ordinem exigentiámque naturalium cauſarum, vtramque pro ſua potentia (cui ſubeſt quodcunque voluerit) præſtare poſſit homini, ſi ita ferat eius beneplacitum. Sed neque diuinam prouidentiam vlla ex parte oblædit noſtra ſententia: cum poſſit Deus plenam atque perfectam de vitæ noſtræ termino prouidentiam habere, abſque vllis decretis pluſquàm adamantinis, quæ nullum humanum ſtudium poſſit perfringere. Sicut manifeſtum eſt de actibus humanis cuiuſvis ordinis, quos probatiſſima doctrina admittit perfectè ſubeſſe diuinæ prouidentiæ, etiamſi non ſint ita præfiniti, vt impoſſibile ſit eos non exerceri. Sufficit enim quod certò & infallibiliter ſint exercendi, quod rectè cum eorum contingentia, & poſſibili non poſitione, cohæret.

X. Sunt quidem aliqui adeò anxij ne voluntas libera alieunde elabatur, tantáque preſſi ſollicitudine pro firmanda actuum futurorum certitudine; vt non modò actus naturales atque morales honeſtos ordinis naturæ, ac etiam ſupernaturales quoſcunque; ſed etiam malos moraliter qui reipſa aliquando ſunt ponendi, contendant eſſe à Deo prædefinitos quoad ſuum materiale; idque putant ad diuinæ prouidentiæ perfectionem pertinere. Ita nominatim Aluares diſp.21.de aux.num.15. & diſp.24. num.10. & diſp.28.num.5. Sed contrariam ſententiam puto longè veriſſimam: eámque tradidit S. Damaſcenus lib.1.de fide, c.18.& lib 2.c.vltimo, aſſerens Deum omnia præſcire, & de omnibus habere prouidentiam: ea tamen duntaxat prædefinire quæ à noſtro arbitrio non pendent. Origenes quoque homil.3. in Geneſ. tradit nihil abſque Dei prouidentia geri, multa tamen fieri ſine Dei voluntate; atque adeò ſine præfinitione, quæ eſt voluntas efficaciſſima & abſoluta, inuehens effectum. Eodem ſenſu Plotinus lib.2. de prouid. cap.5. negat, noſtros actus bonos, eſſe ex Dei prouidentia; nempè prædefiniente; licet dicat eſſe ſecundùm prouidentiam, quia ab ea diriguntur in finem: quo eodem modo loquitur Nyſſenus. Accedit valida ratio ex eo ducta, quòd ad perfectionem diuinæ prouidentiæ requirantur tantùm; ſcientia, voluntas, atque potentia exequens. Ad nullum verò horum attributorum, vt perfectè obeat quod ad ipſum pertinet, exigitur prædefinitio; vt minutè confirmat Suares lib.7.

de concur. Dei, cap. 7. à num. 4. patétque ex malis actibus, quos Deus nec præfiniuit, nec præfinire poteſt: & tamen illos aliundè prodeuntes, ordinat ex certa ſcientia, & intentione, in optimum finem: & vt exerceri à creatura poſſint, præſto eſt concurſum exhibens in ratione primæ cauſæ, potentiam ſuam exequentem ad id applicantis. Actus itaquè noſtros liberos, debere à Deo præ-definiri, nihil eſt quod ſuadeat. Imo nullatenus eſſe antecedenter præfinitos, multa demonſtrant; præſertímque de actibus liberis malitia inquinatis, id puto certum. Idem ergo proportione eſt, de terminis vitæ ac mortis noſtræ; quorum dominium & prouidentiſſima diſpoſitio, abſque decretis vllis indeclinabilibus & pluſquàm aheneis, poteſt in Deo habere locum.

Labes Pelagiana ab eodem impacta, detergitur.

X I. NOta Pelagianiſmi, quam Antonius à Senis, noſtræ ſententiæ inurebat, ridiculè inuritur; cum neceſſitas gratiæ & diuini auxilij naturæ indebiti, in cuius inficiatione error Pelagij ſitus erat, nullum nexum habeat cum negatione præfinitionis terminorũ vitæ ac mortis noſtræ. Neque enim hi termini ſunt aliquid ſupernaturale, ad quod duntaxat, neceſſaria eſt gratia. Vt quid igitur huc infertur Pelagianiſmi mentio? Videtur tamen aduerſarius, ea eo quod doctrina Catholica contra Pelagium, ferat, Deum in ſalutis noſtræ æternæ negotio primas tenere; ita vt ipſe ſit qui nos præuenit, nec anteoccupatur à nobis; collegiſſe, Deum in omnibus, ac nominatim in negotio ſalutis, vel exitij corporis, antecedenter ad nos ſe habere; & exiſtimaſſe, inficiationem huiuſmodi anteceſſionis vniuerſalis, ad doctrinam Pelagij pertinere; quod eſt à veritate alieniſſimum: cum ea tantùm Dei præ nobis anteceſſio agnoſcenda ſit contra Pelagium, quæ obeundis æternæ ſalutis noſtræ operantibus, eſt neceſſaria. Reliquis verò anteceſſionibus negandis, nihil admittitur cum Pelagio commune. An enim vt excludatur Pelagius, agnoſcenda eſt antegreſſio Dei ad noſtros actus malos, ita vt Deus in illis procudendis nos antauertat, trahátque poſt ſe, deuinctos neceſſitate ad exequendum? Nihil ergo Pelagium ſeritur, aut meritur in abroganda fatali terminorum vitæ ac mortis humanæ præfixione; vt per non leuem rerum Pelagij ignorationem, objiciebat Antonius à Senis.

Eiuſdem ignorantiæ, poſt adeò illuſtratas hiſce temporibus Pelagij nebulas; multò iuſtiùs incuſandus eſt Ioannes VVeſterburgius Epiſtola 1. prælonga ad Beuertuuicum in Collectaneis Epiſtolicis ipſius Beuertouicij de vitæ termino. Ibi *pag.* 216. hic Caluinianus, proponens ſibi argumenta quibus eius ſententia de vitæ termino antecedenter fixo exſcinditur; quod nimirùm poſſit homo hærere compreſſis brachijs, & ſalutis ſuæ corporeæ planè negligens, ſpondere ſibi à Deo vi ſui decreti ad id aſtricto, vitæ prorogationem; hæc inquam, ſibi opponens ſectarius VVeſterburgius, reſpondet: [Hæc & huiuſmodi alia, vbi de æternæ vitæ hæreditate adeunda diſputatur, à Pelagianis emendicata ab IESVITARVM incude adhuc calentia, quaſi Circenſem in pompam circumduci à nouis quibuſdam hominibus, magno enim ſtrepitu.] Itáne noui homines, nos Catholici? Vos verò Caluiniſtæ, quàm antiqui eſtis? Mentior, ſi non his ipſis oculis vidi, quibus initia Caluini, noua planè fuerunt, & illum hilrato dorſo transfugam Nouiodunó, Allobrogum fines ad rebellionem ab Eccleſia & legitimo Principe excitantem viderunt. Hoc verè eſt nouos homines; qui velut fungi è terra, (vt Irenæus l. 5. cap. 33. de ſui æui Caluiniſtis dixit) ſubitò enati, religionis canitudinem oſtentare non poſſunt. Sed de huius probri in Nouatorem retorſione, aliàs, cum S. Hieronymo Epiſt. 65. num. 24. & Nazianzeno orat. 52. *ad finem.* Nunc dico, nos neque nouos homines circa fidem, annis iam mille ſexcentis continuatam, audire poſſe; niſi ab eo qui (vt ait Chryſoſtomus homil. de Petro & Elia) probrum quod ſibi inurendum meritò viderit: more meretricum anteoccupet; ac in aduerſarium intorqueat. Nec item audire poſſe Pelagianos, quia fatalem Dei, ſiue in ſalutis æternæ negotio, ſiue in horæ decretoriæ conſtitutione, antegreſſionem noſtra ſtudia prorsùs eneruantem, diffitemur. Non deniquè velut in Circenſi pompa agere ludiones, cum argumenta producimus, ad quæ aduerſarius non habens quod reponat, in iocos ac ſales conuertatur; vt ea riſus excitatione, cum nihil dixerit, aliquid dixiſſe videatur.

Vana eiuſdem Senenſis criminatio, quod noſtra ſententia ſit voluptariorum, depulſa.

X I I. QVod prætereà opponitur ab Antonio de Senis, ſententiam tollentem clauſtra adamantina vitæ noſtræ diuinitùs poſita, eſſe voluptariorum, quærentium ducere in bonis dies ſuos, calumnioſè opponitur, & abſque fundamento. Neque enim excludendo ferreos illos ac ineluctabiles vitæ ac mortis noſtræ terminos, diuinitùs præfixos, aſſerimus conceſſas eſſe nobis liberas habenas conſeruationis noſtræ. Quin potiùs, ſi admittantur termini illi ineluctabiles, multò maior anſa dari videtur voluptatijs, vt velint frui bonis; quandoquidem certi fiunt, ſe nulla vi exturbandos ea fruitione, priuſquàm aduenerit præfixus vitæ terminus: quam nocentiſſimam certitudinem, negatio præfixionis terminorum vitæ ac mortis, euertit. Itaquè in noſtra ſententia, multò magis valet ſtudium non faciendi carnis curam in deſiderijs, & operandi ſalutem ſuam cum tremore ob inſtantem ſemper iuſtum metum, mox conſecuturi ex curſu cauſarum naturalium vitæ termini. Quid quod neque nos negamus, quin quoad aliquos, termini vitæ ac mortis ſint antecedenter fixi, vt monſtratum eſt p. 2. Nemo autem ſi prudenter agat, poteſt ſibi certò perſuadere, quod ipſe non ſit fortaſſis ex eorum numero, quibus Deus præfixerit ſubitam mortem, non ex cauſarum naturalium curſu, ſed caſu fortuito (per comparationem ad cauſas ſecundas) mox conſecuturam. Qua cogitatione, amor indebitarum voluptatum apud homines micam iudicij retinentes, & æternæ ſalutis ſuæ non prorsùs incurios, marcet, ac euaneſcit.

Analogia præfinitionis mortis æternæ, cum præfinitione pœnæ æternæ, reijcitur.

XIII. ÆQuiparatio denique prædeſtinationis ad gloriam, aut æternam pœnam (liceat enim compendij gratia, præter receptiorem in ſchola vſum, ad reprobos quoque vocem *prædeſtinationis* extendere, cum Proſpero ad 14. & 15. propoſitionem Gallorum, Fulgentio l. 1. ad Monimũ ſæpè & Autore libri de prædeſt. Dei, c. 3. ac Concilio Valentino ſub Lothario, c. 4.) ea inquam æquiparatio minimè nos grauat. Quod vt intelligatur, & fabrica, quam ei æquiparationi ſuperſtruit Gennadius, diſijciatur, ac (quod ille malè contendit) non refragari D. Auguſtino intelligamur; libanda hîc ſunt aliqua ex pleniore & iuſta tractatione. Nego igitur, eam æquiparationem nos grauare. Imprimis, quia addictio ad pœnam æternam, ex decreto Dei antecedente, quæ impij Caluini deteſtanda aſſertio eſt, nulla ratione toleranda videtur, quippè Pognans cum Dei bonitate; eáque voluntatis ſuæ expreſſione, qua omnium ſe hominum ſalutem cupere ſignificauit in Scripturis. Atque ita claudicat prætenſa analogia terminorũ vitę ac mortis corporeæ, cum terminis vitæ vel mortis æternæ De potentia quidem abſoluta, poſſet Deus ex ſe & antecedenter lato decreto, addicere hominem qui nihil peccaſſet, cruciatibus æternis: quæ non haberent rationem pœnæ peccatorum, ſed eſſent nudi effectus omnipotentiæ diuinæ, monſtrantis ea ratione, ſuum in creaturas dominium, quod vnum voluit Fulgentius l. de prædeſt. & gratia, c. 16. malè ab aliquibus ſugillatus ea in parte: latè autem purgatus atque defenſus in cenſura inofficioſæ cenſuræ illius libri, à num. 17. ſic igitur res ſe habere poſſet, quoad potentiam abſolutam. De potentia autem ordinaria, Deus neminem antecedenter reprobat poſitiuè, æternis eum ſupplicijs, ante præuiſa eius demerita addicens. Et contrarium paucorum Catholicorum placitum, Catharinus diſceptatione 1. contra Sotum, appellat, *dirum & horribile, Scripturæ, Patribus, ac Scholaſticis repugnans.* Nimirùm; [Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt. [Verba ſunt D. Auguſtini l. 3. in Iulian. c. 18. Igitur analogia præfinitionis terminorum vitæ ac mortis corporeæ, cum præfinitione terminorum vitæ ac mortis æternæ, euertitur quoad mortem æternam, quia non eſt à Deo ex ſe præ-definita.

An, & quatenùs, admitti poſſit analogia præfinitionis termini vitæ noſtræ temporalis, & præfinitionis vitæ æternæ, electis præſtitutæ.

XIV. QVoad vitam verò æternam, certatur ſententiis, inter Theologos: quorum aliqui putantes eſſe perſpicuam D. Auguſtini doctrinam; admittunt Deum antecedenter ex ſuo mero beneplacito elegiſſe ad vitam æternam; quos ſpeciali benignitate proſequi voluit: ſic interpretantes *τὴν πρόθεσιν* illam ac propoſitum Dei circa electos, cuius mentio eſt apud Apoſtolum; omninò ex ſua mente loquentem, non autem ex mente Iudæorum, vt quidam ineptiuit apud Sotum in cap. 9. ad Rom digreſſ. de prædeſtinatione. Ea ergò electio gratuita, planè antecedens, Apoſtolo placuiſſe videtur eámque aſtruunt planè multi. Ita Bellarminus lib 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 11. exiſtimans huiuſmodi electionem eſſe fidem Eccleſiæ, à Cœleſtino I. & ab alijs Pontificibus in Auguſtino approbatam. Præterea planè multi quos ſignat Henriques lib. de fine hom. cap. 11. num. 3. *litera O*, eidem electioni tanquam ab Auguſtino traditæ ſubſcribunt; necnon Suares lib. 1. de prædeſt. cap. 8. numer. 32. & lib. 2. cap. 23. num. 20. Pererius in cap. 8. ad Rom. diſp. 23. & in cap 9. diſp. 5. Toletus in cap. 9. ad Rom. Iuſtinianus 2. Petri 1. ad verſum 10. num. 32. Trigoſius 1. p. S. Bonauentura q. 18. art. 6. dub. 2. & art. 10. dub. 1. *circa opinionem decimam*: Omnes poſt D. Thomam 1. part. quæſt. 23. art. 4. & qu. 6. de verit. art. 1. Et quanquam eam antecedenter à Deo decretam electionem, nullibi à D. Auguſtino, vel traditam, vel etiam leniter inſinuatam contendit Vaſques 1. part. diſp. 89. à cap. 4. ad 8. & 3. part. diſp. 23. cap. 7. tamen tumultus in D. Auguſtinum pridem hac ex cauſa excitati, quaſi fatalem aliquibus ſalutem inueheret, à qua, nec ſi vellent, poſſent excidere; perſuadent, non omnes hactenus præter Vaſquem, in percipienda D. Auguſtini ſententia hallucinatos eſſe: Veréque eſſe ſaltem probabile, D. Auguſtinũ ei doctrinæ inhæſiſſe. Qua admiſſa, præfinitio vitæ humanæ, antecedenter à Deo poſita, bellè reſpondet præfinitioni à Deo ex ſe formatæ, de vita æterna electis præordinata.

XV. Iuxta contrariam tamen ſententiam, cui potiùs inhæreo, ſubtrahitur præfinitoribus terminorum vitæ ac mortis humanæ; analogia cum præfinitione vitæ æternæ. Nam eam gloriæ præfinitionem, repudiant Vaſques 1. part. diſp. 89. à cap. 2. & 3. part. diſp. 23. per ſex poſteriora capita. Leſſius diſp. de prædeſt. ſect. 2 & 6. Valentia 1. part. diſp. 1. qu. 23. puncto 4. §. 6. Becanus tract. 1. cap. 14. qu. 4. à num. 9. & omninò multi annumerati ab Henrique lib. de fine hum. c. 11. n. 2. *litera N.* Videtúrque perſpicua D. Hieronymi ſententia qu. 10. ad Hedibiam, & S. Ambroſij lib. 5. de fide cap. 3. paſſimque Græcorum Patrum, Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophilacti, OEcumenij, & Euthymij Rom. 8. & 9. quibus pleriqueitem Latini adhæſerunt apud Sixtum 6. bibl. Antot. 251. Imo ipſe D. Auguſtinus, (vt Maſſilienſes ex Hilario Epiſtola ad Auguſtinum obſeruarunt;) idipſum aliàs tradiderat lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. quam ſuam quæſtionem, nihil ex ea retractans, refert 2. retract. cap. 1. & lib. de prædeſt. SS. cap. 4. ac lib. de dono perſeu. cap. 20. Eam item allegat & collaudat Proſper reſponſ. 1. ad excerpta Genuenſium. Vt videas, non rectè Bellarminum, cauſari, D. Auguſtinum ſeniorem factum, retractaſſe ſententiam, quam iunior in qu. illa ad Simplicianum docuerat, de gloria repenſa meritis præuiſis; quamuis electio ad gratiam, fuerit merè gratuita. Quod ſecundum à Cœleſtino, in Auguſtino approbatum eſt, contra Pelagianos &

Semipelagianos

Semipelagianos : Et ad hoc Cœleſtini decretum, alludit Ioannes Papæ, Epiſtola ad Auicnum; cum ait, ſecundum prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, Romanam Eccleſiam ſequi doctrinam D. Auguſtini. Quod autem attinet ad decretum antecedens de electione ad gloriam, quod multi vocabant *fatale decretum*, Cœleſtinus nihil videtur edixiſſe; cum in calce Epiſtolæ conteſtetur nihil ſibi eſſe neceſſe latebras profundiorum quæſtionum peruadere : quod non poteſt aliò pertinere, quàm ad hanc antecedentem gloriæ præfinitionem, apud Catholicos in opinione verſantem : cum neceſſitas gratiæ, eiuſque gratuita conceſſio, cui proſpectum volebat Cœleſtinus, ſit ex fide, prorsùs rata.

XVI. Fortaſſis autem ne Diuus quidem Auguſtinus, quamuis aliqua loca in ſpeciem aliud ſonent, abſolutam illam & antecedentem electionem ad gloriam innexit; ſed ita admiſit formalem intentionem gloriæ, meritis præuiſis præuiam, à qua originem ducat vocatio congrua; vt noluerit illam eſſe præfinitiuam gloriæ, ſed commenſam vocationi, quæ eſt eluctabilis. Nec enim plus adigimur agnoſcere efficacitatis in ea electione iuxta D. Auguſtinum. Vndè ſemper illam declarat per certam & infallibilem liberationem, eorum, in quos cadit intentio prædicta, & per efficaciores ſuppetias quæ illis prouidentur, ratione eiuſdem intentionis. Cum igitur ea auxilia non ſint ineluctabilia, ſed abſolutè loquendo poſſint non habere effectum; rectè ex medijs, coniectamus, efficacitatem quoque intentionis à D. Auguſtino traditam, non eſſe Ineluctabilem, qualis eſſet quæ ex præfinitione oritur. Admiſſa autem huiuſmodi diuina intentione conferendæ gloriæ æternæ, ſalua illa ſpecialis Beneuolentia Dei in electos & cura apud Apoſtolum toties celebrata : Sicque declinantur circa vitam & mortem æternam incommoda omnino gemina ijs quæ circa præfinitionem vitæ & mortis corporeæ vrgebamus : Nimirum quod fruſtra quis nitatur contra fluuij æterni ictum : atque adeò quod impoſſibile ſit, vt aſſequatur æternam gloriam, ſi non ſit ex puſillo illo grege, cui Deus antecedenter illam præbuit. Item quod non ſit ſollicitè laborandum vt proximi ſalutem conſequantur : quia ſi ſint è numero eorum quos Deus antecedenter præordinauit ad gloriam, non poterunt non ſaluari : Et fruſtra ſatagitur, vt ſalutem adipiſcantur, ſi non ſint ex eo numero. Quæ omnia euaneſcunt iuxta modum dicendi propoſitum. Nam & homo iuſtam cauſam habet ſatagendi, vt per bona opera certam faciat electionem ſuam, à qua abſolutè loquendo poteſt excidere : Et iuſtè item concitatur in proximorum auxilium, vt conſequenter gloriam quæ illis conſtituta eſt ex ſpeciali Dei beneuolentia eluctabili, ſi per bona opera gratiæ Dei cooperando, pertingant ad coronæ aſſecutionem : quod vt ſtrenuè faciant, locus eſt zelo, & incenſis adhortationibus eorum qui flagrant charitate.

XVII. Quamuis autem ad modum prædictum, non rectè extricaretur difficultas mota pro præfinitione terminorum vitæ ac mortis corporeæ, ducta ex æquiparatione præfinitionis diuinæ; ſin minùs ad mortem æternam, at ſaltem ad gloriam; eo quod hæc præfinitio ad gloriam, ſiue ex Scripturis, ſiue ex D. Auguſtini ſenſu, admittenda omnino eſſet; adhuc neganda eſſet æquiparatio propoſita. Non enim ſi ex Scripturis, vel ex Sanctorum autoritate, ſupponamus conſtare dari præfinitionem vitæ æternæ, inferre licet, dari quoquè vitæ temporalis præfinitionem, cuius inuehendæ, nullum ſuppetit idoneum ab autoritate vel ratione fundamentum.

PVNCTVM XV.

QVO PACTO DEVS METATOR vitarum, nonnullis diuturniores, alijs breuiores, viuendi moras concedat, difficultas protrita, minùs pungens in noſtra ſententia.

I. A CONDITO mundo, (ait Anaſtaſius quæſt. 96. noua in Script.) magno ſtudio agitata eſt difficultas propoſita. Nam iuxta diſtinctionem Iuliani lib. 1. prognoſt. cap. contingunt aliquibus *acerba funera*, alijs *immatura*, denique alijs *naturalia*. *Acerba* vocat quibus infantes occumbunt; *immatura*, iuuenum, *naturalia* ſenum. Apud Romanos, *acerba* eorum dicebantur funera, qui ante ſumptam virilem togam moriebantur, & cum immaturis confundebantur, vt videre eſt apud Iuuenalem Satyr. 1 x. & apud Senecam lib. de tranquil. animi cap. 1 s. & alijs locis notatis à Lipſio ad lib. 3. Taciti, & à Ludouico à Cerda ad illud 6. Æneid. *& funere merſit acerbo.* Mors omnia illa funera creat. Miſta ſenum ac iuuenum, denſantur funera, nullum ſæua caput Proſerpina fugit. Nyſſenus orat. in differ. Baptiſm. *initio*, optimè id tradit. Viſuntur in Cæſarum montis quibuſdam, ſepulchra duo, vnum ſenis capularis, alterum Ephebi perelegantis, aſſurgente inter vtrumque ficu, tegente fatali ſua vmbra, vtrumque ſepulchrum. Nam ficus *atra*, arbor funebris erat, & infœlix, vt eſt apud Macrobium lib. 3. ſatur. cap. vltimo, ex Veranio lib. de verbis Pontificalibus. Vndè qui lugubribus præerant ritibus, ſigno ficus, (arboris ſcilicet funereæ,) vtebantur. An id ortum habuerit ex perſuaſione quod mors ab arbore ficu in genus humanum ſit deriuata, (vt Theodoretus & Procopius cenſuerunt, fructum vetitum ab Adamo carptum, ipſi nobiſque lethiferum, fuiſſe ficum arbitrati;) alibi eſt excutiendum. Nunc ſatis eſt, ex eo emblemate perſpicere, inæquales eſſe vitæ terminos & funera quædam, acerba eſſe aut immatura; quædam naturalia; ſiue illis, poſt perbreuem, alijs poſt diuturnam vitam, accidere.

Scrupulus

Scrupulus contra prouidentiam, ex vitæ mortalium inæqualitate.

II. EX acerbis ergò & immaturis funeribus, (ſiue confundantur, ſiue cum rigore propoſito vſurpentur ;) enaſcitur ſcrupulus, qui ſanctos ipſos Patres, nedum plebeios homines, pridem habuit ſollicitos : cum perpenderent, plerumque ijs queis optandum videbatur diu viuere, ſuccidi vitam immaturo funere ; & plerumque in eo ſtatu qui ſaluti æternæ incommodaret : putà ante Baptiſmi ſuſceptionem, vel non obita confeſſione de peccatis ; quamuis conſtaret, multa ab eis, & grauia, fuiſſe admiſſa ; quæ per paulò productiorem vitam, potuiſſent expiari. Vbi crux Theologis fixa eſt quoad paruulos in matris vtero obeuntes ; qui ne ſufficientia quidem ad ſalutem media videntur accipere ; & in æternum pereunt, fœlices ſi vndis ſalutaribus tingi potuiſſent. Alijs è contrario, vita productior, fit exitij æterni occaſio. Nam ſi paulò anteriùs quàm in grauiter labendi occaſionem inciderent, mortem obijſſent, in ſanctitate exceſſiſſent : oblata autem per vitæ paulò longioris vſuram, opportunitate peccandi grauiter, ſubuerſi ſunt, & ſuperueniente morte infeliciter merſi in infernum. Quo in genere, defixus ſtupore hæreo, ad exemplum quod profert optimus P. Dominicus Ottonelli lib. de periculoſa Conuerſat. notatione nona, adoleſcentis nouitij in quadam ſacra familia, qui Deo & hominibus erat gratioſus. Adijciente autem oculos in adoleſcentem, ſpurca fœmina primaria, eius artibus per ſpeciem comitandi Sacerdotem lupæ illius confeſſionem excepturum, euocatus eſt in ſuburbanum, vbi illa diuertiabatur. Patre paulò poſt lautas epulas meridiante, nouitius qui item meridiabatur in alio continenti cubiculo, abſtractus & illectus ab ea lupa, non egit Ioſephum, nec dimiſſo pallio aufugit concitus : ſed conſenſit in fœdum commercium, eique illicò eſt immortuus ; horrente lupa, quæ illi miſero, Satan fuerat. Hic ſi paulò ante illecebroſum illum occurſum obijſſet, poterat videri illicò à morte iungendus Angelis. Per vitam verò diuturniorem, obijt in peccato mortali, & dæmonibus eſt aggregatus, deploraturus per totam æternitatem, breue illud vitæ ſpatium, quod ipſi ad patrandum ſcelus ; & in eo flagrante vumendam animam, obtigit.

III. Non minùs ſtupenda ſunt Dei conſilia, in productiore vita quorundam, qui alijs ſunt peſtilentiſſimi & exitioſiſſimi : aliorum verò qui deliciæ mortalium videri poterant ; ſucciſâ ante tempus ſuum. Ieremias lachrymis inconſolabilibus defleuit Ioſiam, Principem piæ egregijs naturæ & gratiæ dotibus, dignum qui ad aum regni clauum pereunaret ; & tamen in ætatis flore ſucciſus eſt. Cum è contrario, in eadem gente, varij Principes nequam, ſaturi dierum exceſſerint, magno publicæ rei incommodo. Quod ipſum inter Chriſtianos ſæpè eſt animaduerſum. Sed inſigne præter cætera eſt exemplum Copronymi, quem iure dixerim monſtrum ex omni fœditate concretum. Is tamen ad multam ætatem durauit, deiecto Artabaſdo riuali, qui omnia optimi & religioſiſſimi principis decora perferebat ; & naſcente in eo ſpe ſalutis publicæ, cum ſacræ, tum ciuilis, extinctus eſt, demirante Conſtantino Manaſſe in Annalibus num. 169. Similiter Gratiani Auguſti, & Germani eius Valentiniani decora, S. Ambroſius locuples teſtis retulit. Nec dubitauit Ruffinus 2. hiſtor. cap. 13. ſcribere, Gratianum religione omnes penè qui ante eum fuerant, Principes ſuperaſſe, cum multi fuiſſent religionis laude clariſſimi. Et tamen vterque præcoci fato defunctus eſt, malignitate proditorum ſucciſus in florenti ætate : cum multis qui ab eorum religione ac ornamentis procul aberant ; imo qui multis ac magnis ſordebant maculis, vita longa, & imperium diuturnum, in grauem ſubditorum calamitatem obtigerit.

IV. Siue ergo Deus præfiniat, & antecedenter cuique taxet vitæ terminum, ſiue abſque præfinitione prouideat, hunc immaturè mori magno aut ipſius aut publicæ rei damno ; illum quem intererat non naſci, aut mox ab vtero transferri ad tumulum, vita frui quàm diuturna, cum ſuo diſpendio quia plura peccabit, & duriùs punietur in inferno ; & plerumque etiam cum ruina multorum, quos præ munere quo fungitur, aut potentia qua pollet, opprimit exugitque ad imas vſque medullas, nec tondere contentus, deglubit : vtrolibet inquam modo Deus ſe habeat circa huiuſmodi homines diuerſa vitæ ſpatia nactos, quæ ſunt ea in re partes diuinæ prouidentiæ ? Aut quomodò Dei bonitas, nullam in eo agendi modo ſubit oblæſionem ? [Inſcrutabile eſt, (inquit Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 8.) valdéque ſecretum, cur tantis differentijs conditio humana variata ſit. Illum ab infantia, vſque in ſenectutem longæua carpit infirmitas ; nec inter perſeuerantes dolores, ſtaturæ deficit tempus ætatis. Illum integris valentem viribus, annoſiſſimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis eſt; illi in adoleſcentia. Huic vltra iuuentutem non licet progredi, illi impoſſibile eſt, vſque ad loquendi rudimenta grandeſcere. Quas vitæ metas multiformiter inæquales, minùs acerbas experiretur caduca mortalitas, ſi præſentis tantùm ſæculi detrimenta paterentur, & non in æternas miſerias caderent, qui hinc ſine lauacro regenerationis exijſſent. Sed cum inſcrutabilis ſit cauſa tam donorum quæ gratia tribuit, quàm miſeriarum quas natura promeruit ; ipſa nos intelligentiæ difficultas, ad noſtrum remittit autorem.]

V. Hic eſt ſcrupulus, quo dicebant, etiam Patres & Doctores angi, non ſatis perſpicientes in hac caligine, quomodò inæquales illi termini vitæ, à Deo ſiue præfiniti, (vt volebant ij quorum ſententiam improbauimus,) ſiue prouiſi, (vt admiſimus) cohæreant cum bonitate Dei, & iuſtè ac ſapienter præſidente omnibus prouidentia. Et verum ſanè eſt, hanc difficultatem, multò magis ſodicare animum in ſententia inuehente præfinitionem terminorum vitæ humanæ, vt benè vrget Anaſtaſius qu. 96. Et patet ; quia præfinitio concipitur à Deo ex ſe, nullo reſpectu habito ad curſum naturalium cauſarum. Atque adeò executio eius, eſt opus Deo Autori adſcribendum. In noſtra autem ſententia, qua ſublatis præfinitionibus, ſucciſio vitæ, vel productio, ferè refertur ad ordinem naturalium cauſarum, multò minores ſunt Dei partes, in humanæ vitæ metatio-

ne. Atque ita Dei prouidentia & bonitas, ferè ſubducitur importunæ criminationi. Quæ cauſa eſt, cur Anaſtaſius quæſt. illa 96. exploſis præfinitionibus quas putat diuinæ æquitati, ac bonitati, & iuſtitiæ, non ſatis congruere, enodat difficultates propoſitas, recurrens ad vitæ terminos, indoctos per curſum naturæ; quem ſemel conſtitutum generatim, Deus euertere non debuit in ſingulari. Hoc igitur verè admittebam, minùs pungere difficultates illas, abrogatis præfinitionibus antecedentibus. Negari tamen non poteſt, quin aliqua ex parte, vrgeant quoque ſententiam noſtram: quia cum Deus habeat de vitæ ac mortis termino prouidentiam ſpecialem; obſcuræ ſunt partes diuinæ prouidentiæ, in tam inæquali vitarum menſura: & quidem in adiunctis, quæ viderentur contrarium potiùs vitæ modulum depoſcere.

Incommodæ ſcrupuli infixi euulſiones.

VI. NOn poteſt conferre ad hanc difficultatem elidendam, & corporeæ huius vitæ in omnibus æqualitatem aſtruendam, ſtulta imaginatio quorundam apud Tertullianum lib. de anima, cap. 56. aſſerentium, omnium durationes æquari; quatenus animæ immatura morte præreptorum, vagantur hîc inter nos, donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum peruixiſſent, ſi non intempeſtiuè obijſſent. Hoc ibi Tertullianus fusè refellit, cum ſit potiùs deriſione dignum. Et quod ad rem præſentem attinet, eſt planè ludicrum; cum vagatio illa ſuper terram, non ſit vita hominis, ac proinde ea diſcurſatio, ad vitarum adæquationem nihil conferat. Et cum anima à corpore auulſa, non poſſit vltra mereri quippiam, quod poteſt quandiu cum vſu rationis corpori conſeritur; apparet, completionem illam reliquationis ætatis, non eſſe completionem durationis, cum ea qua adultus potitur. Itaquè non licet difficultatem ductam ex inæqualitate vitæ & ætatum in perſonis humanis, declinare ad eum modum.

Non item lenit hanc difficultatem, quod ait D. Auguſtinus 13. Ciuit. cap. 10. Ibi quærens quandonam homo dici poſſit viuere; agnoſcit quandam in omnibus æqualitatem curſus ad mortem, quem curſum *vitam* dicimus. Adſcribo partem perelegantis diſputationis ſancti viri, vt perſpicuum fiat, æqualitatem de qua ibi agit, non poſſe commodare leniendæ difficultati in qua verſamur. Sic igitur ibi habet S. Auguſtinus: [Ex quo quiſque in iſto corpore morituro eſſe cœperit, nunquam in eo non agitur, vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore huius vitæ; (ſi tamen vita dicenda eſt,) vt veniatur in mortem. Nemo quippè eſt, qui non ei poſt annum ſit, quàm ante annum fuit, & cras quàm hodiè, & hodiè quàm heri, & paulo poſt quàm nunc, nunc quàm paulò ante, propinquior: quoniam quicquid temporis viuitur, de ſpatio viuendi demitur, & quotidie fit minùs, minúſque quod reſtat: vt omnino nihil ſit aliud tempus vitæ huius, quàm curſus ad mortem; in quo nemo vel paululum ſtare, vel aliquanto tardiùs ire permittitur; ſed omnes vrgentur pari motu, nec diuerſo impelluntur acceſſu. Neque enim cui vita breuior fuit, celeriùs diem duxit, quàm ille cui longior: ſed cum æqualiter, & æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propiùs alter remotiùs, quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud eſt autem amplius viæ peregiſſe, aliud tardiùs ambulaſſe. Qui ergo vſque ad mortem productiora ſpatia temporis agit, non lentiùs pergit, ſed plus itineris conficit. Porrò ſi ex illo quiſque incipit mori, hoc eſt in morte eſſe, ex quo in illo agi cœperit ipſa mors, id eſt vitæ detractio; quia cum detrahendo finita fuerit, poſt mortem iam erit, non in morte; profectò ex quo eſſe incipit in hoc corpore, in morte eſt. Quid enim aliud diebus, horis, momentíſque ſingulis agitur, donec ea conſumpta, mors quæ agebatur, impleatur; & incipiat iam tempus eſſe poſt mortem, quod cum vita detrahetur, erat in morte?]

VII. Exoſculor, quod hîc ait D. Auguſtinus, de exordio mortis noſtræ iam à vitæ populariter dictæ principio. In quam rem eleganter quoquè diſſerunt, S. Hieronymus ad finem Epitaphij quod poſuit Nepotiano, & S. Proſper l. 2. de vocat. Gent. cap. 8. monſtrantes, quotidie nos mori, & vitæ huius principium, mortis exordium eſſe; nec priùs incipere augeri ætatem noſtram, quàm minui: cui ſi quid adijcitur ſpatij temporalis, non ad hoc accedit vt maneat, ſi in hoc tranſit vt pereat. Hoc igitur exoſculor; & hoc ipſum quod chartis committo, de vita mea tolli, & meorum damnum eſſe temporum, cum prædictis Patribus fateor. Quod tamen huic fundamento ſuperſtruit S. Auguſtinus, de æquali omnium ad mortem curſu; nec lentiore mora eius qui productiora vitæ ſpatia nactus eſt, nego lenire difficultatem propoſitam, quæ ducebatur ex inæqualibus vitæ ſpatijs diuinitùs prouiſis. Neque enim negari poteſt, quin is cui vita obtingit longior, inæqualem curſum ad mortem, atque ad terminum ſortiatur: non quidem inæqualem in currendi modo; (cum vterque pari velocitate ad mortem feſtinet; curſus initio facto à vitæ populariter dictæ primordio, vt rectè monſtratum eſt:) ſed inæqualem ratione ſpatij ab vtroque cum eadem velocitate tranſacti. Quæ inæqualitas in decurſu ſpatiorum inæqualium, inuehit neceſſariò pro aliquibus breuiores, pro alijs longiores moras in vita populariter dicta; quæ eſt ſcamma meriti ad brauium alterius vitæ comparandum adhibendi; vel demeriti ad ruendum in exitium æternum. Hæc autem inæqualitas morarum in vita iſta mortali, præſertim in quibuſdam adiunctis, omnino alia, (vt videretur ſi hominis bono plenè conſuleretur,) exigentibus; labem aliquam inferre videtur diuinæ prouidentiæ: quaſi non omnibus æquè proſpiciat, nec illi par ſit cura de omnibus. Quare in huius ſcrupuli euulſionem eſt incumbendum.

* * *

Perfugium

Perfugium ad iuſta, etiamſi abdita Dei iudicia, non erubeſcendum.

VIII. HIc ſi nos alia deficeret reuellendi ſcrupuli infixi, & elidendæ moræ difficultatis ratio; ea tamen ſemper præſto eſſet, quam ſubminiſtrat S. Chryſoſtomus homil. 8. in 2. ad Timoth. cum ait; [Nolle omnia curiosè inquirere, & non cupere omnia ſcire, magnum præclaræ ſcientiæ argumentum eſt. Placet exemplo vti. Sit flumen; imo ſint flumina. Non ſunt æqualis omnia profunditatis, ſed alia minus, alia maius habent profundum, & quod ſuffocare ignaros poſſit. Hic vndarum vortices ſunt, ibi non ſunt. Nolle omnia æquè tentare, prudentiæ fuerit: profundáque omnia ſcire nolle, ſcientiæ non paruum argumentum eſt. Sicut qui omnes fluuij partes æquè tranſire vult, hic maximè fluminum proprietates ignorat; ſæpè dum nimis præſumit ſecreta penetrare, omiſſis planioribus locis, perit temeritate ſua: ita & in Deo: qui ſcire omnia vult, & cuncta, improba temeritate rimari, hic qui ſit Deus, ignorat. Quemadmodùm igitur in fluminibus maior pars tuta ſunt, paucique ſunt fluctus atque profunda: ita in Deo, pars maior occulta eſt, neque inueſtigari poſſunt opera ipſius. Quid ergo teipſum præcipitare moliris? Hoc ſolùm ſcito, quod Deus omnia prouidet, *&c.* quod nihil ipſum latet, *&c.* quod incomprehenſibilia ſunt pleraque Dei opera, quod multùm inter nos & ipſum intereſt; tantúmque, quantum exprimi ſermone non poſſit. Si hæc omnia nobiſcum reputauerimus, nihil nos lædere poterit aut perturbare.] Nec minus commoda eſt S. Fulgentij clauſula, qua obſignat librum de prædeſtinatione & gratia. [Ille qui *vas electionis* meruit nominari, exclamat; *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* & inſcrutabiles vias eius, & inſcrutabilia confitens Dei eſſe iudicia. Cum illo ergò quando de talibus (de beneficiorum diuinorum inæqualitate,) quæritur, admiremur, & manente ſententia quod non ſit iniquitas apud Deum, ſi quid eſt illud quod quæritur quod modum noſtri ſenſus exceſſerit, & intellectus noſtri non dignatur anguſtias, in illa Iuſtitia, Miſericordiæ, Præſcientiæque diuinæ plenitudine permanere inconcuſſa æquitate fateamur: ne de ſuperioribus diuinæ voluntatis arcanis aliter, quàm modus conditionis noſtræ patitur, diſputantes, Dei iuſtitiam relinquamus, & noſtram ſtatuere cupientes, in imam contumaciæ voraginem decidamus.] Alia de non ſcrutandis Dei conſilijs, & coërcenda circa ea, curioſitate, dabit Ambroſius lib. 1. de interpellatione Iob. c. 5. ſi ergo alia reſponſio non ſuppeteret, poſſet iſta adhiberi.

Suſcipitur diuinæ prouidentiæ quoad inæquales vitæ terminos, apologia.

IX. QVia tamen Theologi eſt, difficultates quibus diuina conſilia iudiciáque apud luſcioſos laborant, ſeruata præſcripta ſo-

brietate diſpellere, & ſalebras quantum licet complanare, operæpretium videtur, non prorſus ſiſtere hac in parte. Iudicium eſt Gregorij Nyſſeni orat. de infantibus præmaturè abreptis; vbi ad exponendum eorum ſtatum aggreſſus, poſtquàm cum Apoſtolo exclamauit de inſcrutabilibus Dei iudicijs, ſubdit. [Sed quoniam rurſùs Apoſtolus ait, proprium ſpiritualis eſſe omnia ſcrutari, indagare, exquirere, & examinare; atque commendat eos qui à diuina gratia in omni ratione, omnique cognitione ditati ſunt; rectè me facturum eſſe cenſeo, ſi quoad eius fieri poterit, inquiſitionem & inueſtigationem non negligam: neque quod in his quæritur, ita deſpiciam atque contemnam, vt id abſque ſcrutatione atque contemplatione prætermittam.] Hoc viri ſapientiſſimi iudicium, volo eſſe meum. Vt autem ordinatè procedat diſputatio, ſecernenda ſunt quæ ſpectant ad vitæ terminos reſpectu piorum, & quæ ad eoſdem terminos pertinent reſpectu aliorum. Hi ſunt in duplici differentia. Nam aliqui nullis ſuis actualibus peccatis ſordent, ſed duntaxat labe à primo parente contracta, inquinantur: cuiuſmodi ſunt qui in maternis vteris obeunt; vel iam nati, priuſquàm Christo renaſcantur, demetuntur, nondum vllius perſonalis noxæ rei. Et de his non poteſt quæri quoad vitàm longam, quia immaturè obeunt, ſed tantùm quoad vitam breuem. Aliqui verò, etiam perſonaliter, ſiue ex propria voluntate, ſunt noxij; & aliquando obeunt iuuenes, aliquando prouecti ætate: de quibus & quoad mortem citam, ac breuem vitam, poteſt ſubire admiratio; & quoad mortem diu dilatam, ac valdè protractam vitam, quam videtur expediuiſſe ſuccidi anteriùs. Inter pios verò, ſunt qui moriuntur ante vſum rationis, iam tamen expiati per baptiſmum: alij verò obeunt iam vtentes ratione, ſiue diu, ſiue non multùm vitam protraxerint. Attingamus omnes has terminorum vitæ ac mortis differentias: ſed attingamus duntaxat ne propoſitos fines excedamus.

Præpropera adultorum impiorum mors, Deo innoxia.

X. MAlorum, quorum peccata præcedentia ſunt ad iudicium, aliquando breuiatur vita, aliquando in longum protrahitur. Priorum exemplum eſſe poteſt Iulianus Apoſtata, qui in flore ætatis ſucciſus eſt, annum natus trigeſimum primum; qua ipſa ætate obijt etiam alterum humanæ naturæ portentum, Nero. Saracenorum in Syria princeps Ezidus, amore longæuitatis pactus cum Sarantipichyte Hebræo, tricenarium principatus, ſi ſubuerteret ſacras imagines, (quod & perfecit) ante triennium vita & principatu excidit, vt referunt actione quinta ſeptimæ Synodi. Pſaltes hanc eſſe ſortem impiorum egregiè docuit Pſal. 57. *Priuſquam* (inquit) *intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum; ſicut viuentes, ſic in ira abſorbet eos.* Senſus eſt, priuſquàm impij dureſcant; dum adhuc ſunt in ætatis flore; delebis eos de terra. Apud Iobum nihil frequantiùs, quàm quod impiorum vita non admodùm protrahatur in longum, ſed citò

ersdicentur ac pereant. Quoad hos, ſi in ſceleribus ſemper hæſerint, nulla eſt difficultas. Vt enim tollantur è medio, & eorum nequitiæ debetur, & ipſiſmet commodum eſt. Nam vt benè ratiocinatur Euthymius in Pſal. 54. ad illud, *non dimidiabunt dies ſuos*, impediuntur plura & grauiora admittere, quibus ad pœnas atrociores in inferno tolerandas per totam æternitatem addicantur. Id quod etiam benè monuit Algerus l. 2. de Euchar. cap. 7. Intereſt verò etiam aliorum, vt iſti maturè pereant: Nimirum vt bonos, quibus ſunt oneri, quoſque per potentiam aut malitiam opprimunt, grauare deſiſtant; nec fiant illis in ruinam, extendendo ad iniquitatem manus ſuas, pertæſi virgæ peccatorum. Item ne diutiùs viuentes, benè agentibus noceant exemplo malo, ſiue conſilio, vt diſſerit S. Gregorius 6. moral. cap. 4. Non rarò tales qui iuuenes obeunt, ſunt filij familias. Et tunc ſæpè morte talium liberorum, parentes quoque plectuntur, erga eos indulgentiores ac conniuentes ad eorum flagitia ne contriſtentur, & ducant in bonis dies ſuos. Sic enim puniti ſunt in prole blaſphema quinquenni, Dæmoni in prædam conceſſa in qua malitia ſupplebat ætatem, malè ſui parentes, vt recitat S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 18. Imo S. Epiphanius propè initio Panarij, primum filium patri ſuo præmortuum, ait fuiſſe Aram, filium Thare, fabricatoris primi Idolorum. Ante eum enim, ait omnes patres, filijs eſſe præmortuos, agendo de morte naturali, ne quis Abelem in contrarium proferat. Ob peccatum autem Thare, ait mortuum eſſe Aram *in conſpectu patris*; id eſt patre ſuperſtite, contra inſolitum morem. Aliquando parentibus ſimul conſulitur, vt ſubducta eis prole, ob quam locupletandam iniquis compendijs dabant operam, & rei æternæ mortis fiebant, ſucciſo hærede cui laborabant, non fraudent animam ſuam bonis; ſed ſerò ad Deum redeant, cogitantes de poſteritate meritorum, vt dixit S. Ambroſius Epiſtola 30. Itaque vt expertes ſint auaritiæ, & affectum à liberis in Deum transferant, optimè Deus ijs conſulit ſucceſſione liberorum. S. Paulinus Epiſtola 10. ait, Melaniam matrem factam, non diu potitam eſſe ea felicitate mortalium, ne diu terrena diligeret. Quemadmodùm qui domeſticos ad multam noctem ludentes diu ex lecto monuit, nec aliquid profecit; exiliens extinguit lucernam; qua extincta, coguntur qui luſui obfirmatè inhærebant, recedere, & quieti ſe dare. Comparatio eſt S. Chryſoſtomi, alludentis ad loca Scripturæ, quibus liberi *ſcintilla* & *lucerna* ac *lumen parentum* appellantur. Sic igitur intereſt ipſorum improborum, ac eorum qui cum illis intimè nexi ſunt, & velut vnum cum eis computantur, vt vita eorum in longa tempora non protrahatur; ſed lædatur velut in flore borius illorum.

XI. Vniuersè verò S. Bernardus Epiſto. 253. confirmat? improbum, quantumcunque celeriter mori videatur, multa tamen malitiæ tempora expleuiſſe. [Ob hoc enim proculdubio Inflexibilis & obſtinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum; quia quod breue fuit tempore vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci voluntate: ita vt ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret: imo ſemper viuere vellet, vt ſemper peccare poſſet. Proinde poteſt & de iſto per contrarium itidem dici, *conſummatus in breui, expleuit tempora multa*: quod meritò multorum temporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem.] Adhibent eam rationem æternitatis pœnarum inferni, varij Patres quos notaui in natur. Theol. diſp. 8, num. 231. addendiſque eis eſt Fulgentius lib. 2. de remiſſ. peccator. cap. 21. & Algerus lib. 2. de Euchar. cap. 7. & Fulbertus Carnotenſis Epiſt. 99. Quanti tamen ſit ea ratio, ibidem excutio. Sed nunc ſatis eſt agnoſcere, ſic viſum grauibus illis Doctoribus. Et iuxta eos liquet, condignè retribui obduratis in nequitia peccatoribus, præcocem obitum, vt ſceleribus voluntate æternis, apponatur terminus. Imo conſequenter ad ratiocinationem propoſitam, talis obitus non eſt præcox; cum vita ei ſubnectitur, æquiualuerit æternitati, quantum fuit ex peruerſa eorum voluntate. Et ſic dici poſſunt *habere dies plenos*, vt habetur Pſalmo 72. non modò plenos nequitia, & ſceleribus cumulatos, vt eam vocem gloſſat Euthymius Pſal. 54. ad illud, *non dimidiabunt dies ſuos*; ſed etiam plenos quantum ad effectum illorum attinet, vt explicatum eſt.

XII. Præpropera itaque impiorum adultorum mors, cum in ſceleribus vitam continuarunt, ferè vacat implexitate peculiari. Nonnulla tamen difficultas eſt, quoad eos qui cum boni eſſent, & diu virtutem coluiſſent, cadunt, & illicò ſuccidunrur: qui ſi paulo ante obijſſent, annumerati fuiſſent filijs Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſſet. Talis fuit Hero apud Caſſianum collat. 2. cap. 5. Mouens hanc dubitationem S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, c. 8. ſiſtit in Dei iudicijs ſemper iuſtis, etiamſi occultis. Cur enim vrgentur cur perſeuerentia aliquibus obtingat à Deo, non alijs, reſpondet proponendo hanc difficultatem in qua verſamur. [De his (inquit) diſſerimus, qui perſeuerantiam bonitatis non habent, ſed ex bono in malum, deficiente bona voluntate, moriuntur. Reſpondeant ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Verum hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? Nempè nihil horum niſi peruerſiſſimè atque inſaniſſimè dicitur. Cur ergo non fecit? Reſpondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, *quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*. Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit: aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis iuſti ait; *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius*. Cur igitur hoc tam magnum beneficium, alijs dat, alijs non dat Deus, apud quem non eſt iniquitas, nec acceptio perſonarum; & in cuius poteſtate eſt, quamdiu quiſque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram? Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei eſſe vt finiat homo vitam iſtam, antequàm ex bono mutetur in malum; cur autem alijs donetur, alijs non detur, ignorant: ita donum Dei eſſe in bono perſeuerantiam, ſecundùm Scripturas, fateantur nobiſcum: & cur alijs non detur, ſine murmure aduersùs Deum

dignetur

dignetur ignorare nobiſcum.] Vides quo pacto nodum diſſoluat vel ſcindat S. Auguſtinus. Addi tamen poteſt, Deum ea cita ſubtractione hominis è iuſtitia lapſi, priuſquàm à peccato reſurgat, docere omnes, vt ſemper ſint parati, & ſtantes videant ne cadant; agnoſcentes, perſeuerantiam non cadere ſub meritum & idcircò ſupplices pro ea atque demiſſi, accidant Deo in quam rem ſapientiſſimè philoſophatur idem S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 14. attingens locum Ezechiëlis cap. 18. Vt plurimum huiuſmodi ruinas eſſe effectus ſuperbiæ, ſocordiam & malè fidã ſecuritatem gignentis egregiè præter cæteros tradit S. Nilus narratione 3. de Patribus in Sina cæſis, vbi recenſens Monachorum documenta, quæ prouectiores ſibi inuicem præberent, prænunciaſſe illos ait; vanum ſuperbi laborem fore eo quod ſuperbus mercedes congregans, mittat eas in ſaccum pertuſum, vt eſt apud Aggæum cap. 2. nec ſecùs illi accidat quàm nautis improuidis, qui mare tranſgreſſi feliciter, quia ſolliciti & attenti erant; vbi portum proſpectarunt, ſecuri ac ſocordes facti, ſæpenumerò in breuia impingunt, ac pereunt. Aut non ſecùs ac Athletæ finitimi coronæ, ob affectum certamen obrepente leuicula negligentia, proſternuntur caſu irreparabili. Hæc ibi diffusè & præclarè ex ſenſu veterum Monachorum S. Nilus. De adultorum peccatorum morte præpropera, ſatis; vt liqueat, Dei prouidentiam occaſione eius manere innoxiam.

Longa vita impiorum abſque Dei labe.

XIII. Operoſius eſt vitam longam improborum honeſtare. Nam hinc querelæ non rarò & obmurmurationes exiſtunt, ab ijs quern iugum oneris, & virga humerorum, ærumnas creat. Non dubitat Dauid palam edicere, hanc difficultatem viſam ſibi eſſe longè maximam; tantam, vt præ eius implexitate propè ſuccubuerit: Pſalmo igitur 72. faſſus ſe ea ijs fuiſſe, qui hanc murmurandi cauſam perſpexerunt, eo tandem reuoluitur, vt in tanta difficultate, quantam ſibi hinc ingeri profitetur, pronunciandum ſibi fuiſſe aſſerat, non liquere. *Mei* (inquit) *penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei*, hæſi animo & fluctuaui, & adeò conturbatus ſum, vt penè conſiderarim, *quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Corripuit me zelus amarus, cum viderem impijs hominibus omnia cedere ad arbitrium, & ſumma eos proſperitate potiri. *Quia non eſt reſpectus morti eorum*, neque ipſi de morte cogitant, neque Deus de illis è terra per mortem tollendis, videtur ſollicitus, ac ne de ijs quidem condignè caſtigandis. Nam ſi quando caſtigantur, & illata vltione feriuntur, via plaga introrsùm peruadit, ſed ſola cutis extima ſtringitur; *nec firmamentum eſt in plaga eorum.* Nihil illis cum calamitatibus iuſtos omnes aſſiduè vrgentibus. Non ſunt ſicut cæteri hominum; *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Tabernaculo eorum non appropinquat flagellum: omnia illis cedunt proſperrimè. *Ideò tenuit eos ſuperbia.* Intumeſcunt & efferuntur ſupra modum, recogitantes tam beatam ſortem ſuam; non plus curantes celare ſcelera ſua, quàm homo glorioſè amictus, veſtem pretioſam, quam potiùs oſtentat. Similiter *ipſi, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Origo tantæ eorum iniquitatis, euerſio eorum fuit, & vbertas deliciarum quibus pinguescunt perinde ac ſues. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum*: omne quod allubeſcebat, ſibi non negarunt, *tranſierunt in affectum cordis.* In Deum & homines bacchati ſunt verbo & opere. *Cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo loquuti ſunt: poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.* Deum improuidum, & ſupra cœli cardines otiantem ſibi confinxerunt, & verbis expreſſerunt. In homines verò, omne probri & fraudis genus ſunt Architectati, nec ore prodere ſenſa ſua abſtinuerunt. *Ideo* (addit Dauid *conuertetur populus meus hic*) Cœtus iuſtorum quibus annumerari me gaudeo, ſiſtet hic gradum; & ſtupebit, tam beatam impiorum ſortem admirans; præſertim quia *dies pleni, inuenientur in eis.* Moriuntur enim poſt exactam in tot nequitijs plenitudinem dierum, admodùm ſenes, & annoſi, ac ſaturi vitæ. Hoc verò eſt, quod maximè conturbat populum Sanctum, ſeruos Dei qui hæc attentiùs conſpicati, *dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Ingerit ſe ſubita & indeliberata cogitatio piorum animis, ne ſorte Deus noſtra ignoret, vel nulla ſit prouidentia de ſublunaribus. Hoe perſpexi ipſe quoquè, (addit Dauid), & attente conſideraui; ſub ijque animum peruerſus ſenſus, ne forte in vacuum hactenus cucurriſſem, in laboribus & ærumnis à iuuentute mea pro virtute & honeſtate verſatus; & tamen tam diſpari ab impijs ſorte, vitam viuens calamitoſiſſimam. Agnoui tamen quod ſi hunc ſenſum inducerem, futurum eſſet, vt nationem filiorum Dei abdicarem. Omnes enim electi, eadem mecum ſorte fuerunt; Omnes per multas hîc tribulationes & ærumnas, ingreſſi ſunt in regnum Dei, longè diſpari ab impijs ſorte. Hunc nodum putabam à me expediẽdum, ſed fruſtra; Nam manet difficultas, *exiſtimabã vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me.*

XIV. Hanc ſummam & verè in hac vita liquidò inexpedibilem difficultatem, cui Dauid ſe propè ſuccubuiſſe fatetur, illud primùm mollit, quod falsò ſupponitur & tanquam præcipua nodi inexpedibilitas vrgetur, vitam impiorum in tot nequitijs ac impietatibus longam eſſe: cum tamen ſit vapor ad modicum parens, & apud Deum extrema proſpectantem, non ſit niſi ſicut dies heſterna quæ præterijt, & cuſtodia in nocte, erecta in cucumerario; vel in vinea ad breue tempus, donec exportati ſint fructus, ac ſicut huiuſmodi alia quæ pro nihilo habentur. Planè non eſt longum, quod habet finem, vt S. Auguſtinus egregiè diſſerit 12. ciuit. c. item 12. ac optimè ſerm. 1. ex. de diuerſ. cap. 10. nec non Seneca Epiſt. 99. Videturque Dauid hinc præſertim leniuiſſe difficultatem propoſitam. Subdit enim illuſtratus à Deo pleniùs. *Quomodo facti ſunt in deſolationem? Subitò defecerunt; perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium.* Non ſecus euanuerunt quàm imago vana ſomniantis. *Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* In cœlo Domine, perſpicuum erit, imaginariam illam impiorum felicitatem, perbreui euanuiſſe, nec reuera fuiſſe diuturnam quæ mox euanuit.

X V. Hinc igitur cum Dauide expediri aliquatenus poteſt, difficultas contra prouidentiam, petita ex inæqualitate terminorum vitæ proborum & impiorum; quorum his diuturna, illis breuis eſſe vita videtur. Sed reuera non eſt longa apud Deum vita impiorum. Eam verò quantulamcunque moram, quæ nobis per errorem longa videtur, dicendum eſt, aliquando dari in pœnam, aliquando in qualecunque præmium temporale. Data eſt enim in pœnam Caïno, vt obſeruat Victor Cartennenſis libro de pœnis. cap. 4. [Differtur (inquit) interim ſeuerior pœna, vt tanti facinoris autorem diutiùs trucidaret lenta ſententia: nec celeritas irrogati ſuplicij, compendium magis videretur addicti; & fieret pœna diuturnitate longæuior, quoad lentitudine moriendi, extenuaret facinus parricidij.] Fuit ergo Caïno diuturna vita, mors diuturna; atque adeò longæuitas, Caïno ceſſit in pœnam. Aliàs autem hominibus improbis in qualemcunque compenſationem confertur. Eam quippè rependi neceſſe fuit aliquibus bonis operibus ordinis naturæ, aut etiam per gratiam elicitis, quæ aliquando elicuerint. In quam rem eſt inſigne exemplum apud Anaſtaſium qu. 57. in Script. Et ratio eſt perſpicua. Apud Deum namque, ſicut nihil malum abit inultum; ita nihil bonum, abit irremuneratum. Vix autem eſt vllus, in quo adeò natura rationalis obrutuerit, vt non aliquando ex rationis præſcripto operetur. Quandoquidem ergo propter grauia peccata inexpiata, non eſt impijs futura pars vlla in æterna remuneratione, iuſtum eſt ac Deo dignum, aliquid eis in hac vita rependere propter illa bona opera. Et quia nihil acceptius habent quàm vitam temporalem, conceditur illis paulo diuturnior eius vſura.

X V I. Gregorius Nyſſenus ſub finem orationis de infantibus præmaturè abreptis, multus eſt in hoc negotio. Et difficultate admodùm exaggerata, concludit; [Nihilominus etiam in his, Dei adminiſtrationem elucere. Nam quicunque diuinam quidem potentiam conſiderat, is planè animaduertit, quod etiam illum qui ad eum modum improbitatis progreſſus ſit, longi cuiuſdam temporis circuitu per æoniam purgationem atque expiationem, ordini eorum qui ſeruantur, reſtituere poſſit.] Hoc eſt quod Apoſtolus admonebat, benignitatem & longanimitatem Dei, impios in multa patientia ſuſtinentis, ſicque adducentis ad pœnitentiam, non fuiſſe ignorandam. Excurrit verò Nyſſenus poſt hæc, in veram peccati cauſam, quam non eſſe aliam à corrupta peccantis voluntate, confirmat. Vt quid igitur grauatur Deus, ob peccata quæ homo nequam, vitam viuens diuturnam, admittit? Ipſe ſibi ſolus eſt nequitiæ opifex. Eruet verò Deus ex ea diuturna impij vita in ſceleribus, eum fructum, quem Apoſtolus Rom 9. ex cap. 9. Exodi, eruit è pernicacia diuturna Pharaonis. Sic enim in eam rem diſſerit Apoſtolus. *Dicit Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.* Diuinum ergo conſilium, cum Apoſtolo ſuſpicit Nyſſenus, in longa Dei patientia erga impium annoſum; in quo erudit pium qui ab illo exercetur, factus Deo velut incus ad formandos alios: id quod S. Gregorius Magnus 6. Moral. cap. 9. pro huius improborum longæuitatis cauſa adducit; Inferens autem denique Deus, debitas impio nequitiæ pœnas, oſtendit in eo virtutem ſuam. Idque ſi minùs in hac vita contingat, ſaltem continget in alia, cum iuſtus lætabitur videns vindictam, manus ſuas lauans in ſanguine peccatoris. Apparebit enim eò potior, quò annoſus, peccator videbitur terrior. Tandem hanc totius de improbo annoſo diſputationis ſummam proponit Nyſſenus. [Si qui ad ſummum nequitiæ modum progreſſi ſunt Apoſtolica contemplatio, rem de qua quærimus, conſolatur; quod nimirùm is qui omnia cum ſapientia facit, etiam per malum, aliquid boni efficere ſciat. Quod ſi quis etiam in nequitia atque improbitate faſtigium & verticem tenet, & ad nullum vſum ab arte Dei fabricatus eſt; hoc lætitiæ eorum qui benè vixerunt, appendix & additamentum exiſtit; quemadmodùm prophetia intelligendum proponit: quod in bonis haud paruum qui exiſtimauerit, nec prouidentia Dei indignum.]

X V I I. Sed ſiue diu viuant impij, ſiue citò moriantur, ſemper dicendi ſunt atra die ablati, & acerbo funere merſi. vt S. Fulgentius egregiè expendit Epiſt. 2. cap. 3. [Quia his nec breuis vita poteſt prodeſſe, nec longa. Conſequenter de talibus in libro Sapientiæ cap. 3. dicitur. *Et ſi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur; & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celeriter defuncti, non habebunt ſpem, nec in die magnitudinis allocutionem.* Quæ eſt autem *dies magnitudinis*, niſi dies in qua non iudicandus, ſed iudicaturus veniet Dominus? Nunc enim cum venit, vt pro nobis iudicaretur, non fuit dies magnitudinis, in qua minoratus eſt paulò minus ab Angelis: tunc autem erit dies magnitudinis, quando ſecundum Ioannis atteſtationem, omnes mali abſcondi cupient in cauernis montium, dicentes montibus, & petris, *cadite ſuper nos, & abſcondite nos à conſpectu patris ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni quoniam venit dies magnus iræ illorum. Et quis poterit ſtare?* In hac die magnitudinis (vulgata habet *agnitionis*, quia videbunt in quem confixerunt;) mali non habebunt increpationem, ſed allocutionem, *&c.* Tales igitur quantumlibet longæui moriantur, acerbo funere demerguntur: & quamuis ætas eorum matura videatur, in corpore; mortifera tamen mundi dilectio, immaturæ mentis acerbitatem retentat in corde.] Vincit ergò Deus cum hac in parte iudicatur, & termini, quos vitæ impiorum conſtituit, ſiuè breues ſint, ſiuè prolixi, pro ſanctè & vſquequaque iuſtè conſtitutis ſunt agnoſcendi.

Paruuli obeuntes inexpiati, Prouidentiam non lædunt.

X V I I I. SEquuntur qui nullo actuali peccato inquinati ſunt, ſed tamen ſordent originali, quibus ſtamen vitæ ſuccíditur, priuſquam expientur, aut etiam expiari poſſint: cuiuſmodi ſunt abortiui, & qui abſconditi, non viderunt lucem. De his paucorum dierum hominibus, (vt Proſper appellauit lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. aliàs 8. (non poteſt eſſe querela niſi quoad vitæ, nimiam, (vt videri poteſt) breuitatem. Sed quoad hos quoquè, Dei prouidentia tam curtum aſſignans vitæ terminum, in-

noxia eſt, & labis pura. Imprimis, quia ea ratione demonſtratur, arbitrium de menſura vitæ noſtræ, penès Deum eſſe iure pleniſſimo; ita vt cum nemini ſit obnoxius, ſtatuat quoslibet fines voluerique. Item etiam ſi non peccarint, prænoſcuntur tamen peccaturi; ſi vita ſuppeteret, vt benè exponit Alfonſus Curiel Sap. 4. ad illud *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Non quod demerita conditionaliter præuiſa, moueant Deum, ad mortem his paruulis irrogandam in pœnam. Nam ſicut merita conditionata non mouent ad præmiandum, vt S. Augoſtinus rectè docet lib. de prædeſtin. SS. cap. 14. & Proſper Epiſt. ad Auguſt. ita neque demerita conditionatè præuiſa, mouent ad puniendum, vt idem rectè confirmat lib. de dono perſeu. c. 9. ac lib. 10. de Geneſi ad liter. c. 16. & lib. 1. de Orig. animæ c. 12. Proportio eſt manifeſta: & quod dixi de non repenſo meritis conditionatis præmio, eſt certiſſimum; nec niſi per calumniam, ea meritorum conditionatorum Deum mouentium impulſio ad conſerendam primam gratiam, Molinæ affingitur ab Aluare diſp. 36. & 37. de aux. cum explicatiſſimè Molina, illud virus doctrinæ reijciat 1. parte quæſt. 23. artic. 1. diſp. 1. & membro 6. & 11. cõcl. 5. 6. & 9. ac membro 12. & alibi infinities; tantùmque voluerit, bonum vſum primæ gratiæ futurum, poſita tali conditione, præuideri à Deo; quamuis non moueatur à bono illo vſu præuiſo, ad conſerendam gratiam cui ille ſubiungetur; ſed à ſola ſua bonitate motus, ex mera liberalitate conferat gratiam; cuius opportunitatem ad finem prædeſtinationis, agnoſcit per ſcientiam illam futurorum conditionatorum. Pleniùs id illuſtrat Suares lib. 1. de prædeſt. cap. 7. num. 20. & lib. 2. cap. 20. num. 16. & 25. & c. 23. à num. 21. ad Diotalleuius parte 2. cap. 15. ad 2. Non igitur demerita conditionaliter præuiſa mouerunt Deum ad vitæ breuiationem, in pœnam talium demeritorum. Sed motus ſola ſua bonitate, obſtare voluit ſceleribus in quæ præuidit ruituros, cum ſuo grauiore damno, & aliorum pernicie, ſi vitam ſortirentur longiorem.

X I X. Tantum ergo abeſt, vt iuſtitia Dei ac prouidentia, criminationi iure patere poſſit, ob breues vitæ terminos, his perſonis quæ nihil peccarunt conſtitutos; vt potiùs optimè de illis mereatur Deus, vitam ſuccidens, cuius vlterior prolongatio cum maiore corum damno coniungeretur. Deindè quamuis hæ perſonæ non peccauerint actualiter, tamen pleramque ſuccidantur in pœnam peccatorum admiſſorum à parentibus vt obſeruat D. Auguſtinus Epiſt. 28. hanc ipſam difficultatem excutiens, Eſtque ea parentum caſtigatio longè illis durior, quàm ſi ſuiſmet corporibus luerent quæ peruersè admiſerunt. Nam cum omnis liberorum vexatio, eis accidit acerbiſſima, (vt tradit Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſtol. 82. & Petrus Faber. latè proſequitur lib. 3. ſemeſtrium cap. 8.) tum ea maximè qua tolluntur è medio, ſuberla pleramque gloria ſtirpis, quam æternare totis viribus conniſi fuerant. Itaque quoad hos quoquè, Deus criminationi ſubducitur, quantum attinet ad non protractos diutiùs, fines ad quod præſtandum non tenebatur; & vt non præſtaret, rationes vrgentes occurrere potuerunt.

X X. Tandem difficultas ſupereſſe videtur quod prouidentia circa huiuſmodi perſonas, non appareat conueniens, cum non videatur eis prouiſum (ſaltem ſufficienter) de neceſſarijs ad ſalutem medijs: cum tamen D. Auguſtinus 4. contra Iulia. etiam ad hos paruulos velit pertinere illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Quod quanquam aliqui, & in his Fonſeca 6. Metaph. c. 2. qu. 5. ſect. 4. dicant ad ſolos adultos pertinere, tamen cum hi quoque paruulis ſint ad finem ſupernaturalem ordinati, diminuta videretur Dei prouidentia, ſi eos deſtinaſſet ad finem; pro quo obtinendo, ne ſufficientia quidem media prouidiſſet. Porrò Deum ne ſufficientia quidem media illis prouidiſſe, tradunt non pauci Theologi, vt Gregorius in 1. diſt. 46. qu. 1. & Vaſques 1. part. diſp. 96. c. 1. ac Becanus 1. part. tract. 1. c. 15. quæſt. 8. fauente in ſpeciem D. Auguſtino Epiſt. 107. *ſub finem.* Fulgentio lib. 1. de verit. prædeſt. *pag. mihi* 48. & Proſpero carm. aduersùs ingratos cap. 20. Res eſt ſine dubio implexa, & ad quam D. Auguſtinus lib. de correp. & grat. c. 8. fatetur admirationem ſuam, quæ vrget præſertim quoad abortiuos, de quorum ſtatu meritò cauſa ſubtilis dubiuſque tractatus eſt, vt ait Iunilius lib. 1. de partit. diuinæ legis, c. 13. Et idem exaggerat Proſper lib. 2. de vocat. Gent. c. 20. & 21. Non eſt negandum, vix in ea difficultate aliquid adeò liquidum tradi, vt non ſuperſit dubitationi & tergiuerſationi locus. Qui enim dicunt, prouiſa eſſe paruulis, etiam abortu electis, ſufficientia ad ſalutem media, quatenus induſtria parentum; aut eorum quos habent parentum loco, curari illis poteſt ſalus, (quod Proſper inſinuat libr. 2. de vocat. Gent. cap. 8. *alias* 23.) inde refelluntur (vt etiam idem Proſper vidit carm. de ingratis, cap. 31.) quod multi nulla parentum culpa aut negligentia pereant. Haſtam abiecíſſe videtur S. Gregorius 27. moral. cap. 2. agnoſcens fruſtra hic quæri, Vnde Deus in ſuis iudicijs iuſtificetur, cum tenera nihil poſſit occurrere quod animum quærentis expleat, etiamſi nemini poſſit eſſe dubium, quin iudicia Dei iuſta ſint, hac quoque in parte, & Deus liber à reprehenſione iuſta. Sed quod comprehendi non poteſt admiratione proſequendum admonet S. D. tractans illud; *Quis poterit ſcrutari vias eius, aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem?* [At ſi dicat (inquit S. Gregorius) cuius perſcrutari actio non poteſt, quo pacto reprehendi poteſt? Nemo enim benè iudicat, quod ignorat. Tanto ergo debemus ſub eius iudicijs ſilendo quieſcere, quanto & rationem iudiciorum illius, nos cernimus nõ videre. Vndè & benè ſubditur; *Memento quod ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri, &c.* De Domino igitur viri canunt, cum eius nobis potentiam, vel ſuperni ſpiritus, vel perfecti quique Doctores innoteſcunt. Sed tamen opus eius ignorant, qui nimirum iudicia illius ipſi etiam qui hunc prædicant, impenetrata venerantur &c. Vt enim vnum è multis loquar, quoad hanc lucem paruuli veniunt, ſed vni datur vt ad redemptionem per baptiſma redeat; alter ante ſubtrahitur, quàm hunc regenerans vnda perfundat. Et ſæpè fidelium filius ſine fide rapitur; ſæpè filius infidelium, conceſſo fidei Sacramento renouatur. Sed fortaſsè aliquis dicat, quod hunc Deus acturum pranè, etiam poſt Baptiſma nouerat, & idcircò cum ad Baptiſmatis gratiam

tiã non perducat Quod ſi ita eſt, peccata quorundam proculdubio, priuſquàm ſint perpetrata puniuntur. Et quis iſta, rectè ſentiens dixerit, quia omnipotens Deus qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in alijs, etiam non perpetrata condemnat? Occulta itaque ſunt eius iudicia, & quanta obſcuritate nequeunt conſpici, tanta debent humilitate venerari. Dicat ergo, *Memento quod ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri*; ac ſi apertè diceret; de quo fortes quique locuti ſunt, eius opera tuæ mentis oculis abſconduntur: quia menſuram tuæ notitiæ, eo ipſo quod humanitate circumſcriberis, tranſeunt.] Non relinquit S. Gregorius in cauſa propoſita alteri affectui locum quàm admiratione iuſtorum ſed inſcrutabilium Dei iudiciorum. Quod ipſum à Pſalte inſinuatum præmiſerat, cum de Deo diceret, *poſuit tenebras latibulum ſuum*. Et rurſum; *iudicia tua abyſſus multa*. Atque iterum; *abyſſus ſicut pallium amictus eius*. Et per Salomonem dicentem. *Sicut ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei qui fabricator eſt omnium.* Hoc manifeſtiſſimè vigere in cauſa paruulorum ſine baptiſmo excedentium, conteſtatur S. Gregorius.

XXI. Nihilominus reſpectu horum quoque, prouidentiam Dei eſſe perfectam, nec defeciſſe in cuſtodis ſubſidijs ad ſalutem neceſſarijs, etiamſi vitam illis non proroget, quouſque applicari humana diligentia poſſint, ſententia eſt grauium Doctorum; quos inter Bellarminus lib. 2. de grat. & libr. arbit. cap. 5. Vega libr. 5. In conc. cap. 6. Suarez libr. 4. de prædeſt. cap. 4. num. 4. Trigoſius 1. part. qu. 18 artic. 8. dub. 5. Nimirùm quamuis Deus non habeat abſolutam & efficacem voluntatem dandi reipſa his paruulis media omnia proximè ad ſalutem neceſſaria; habet tamen illam voluntatem, quantum eſt ex parte ſua, ac Chriſti: ita vt ſi quæ ſint prorsùs ad ſalutem horum paruulorum neceſſaria, quæ à Deo ſolo pendeant, illis prouideantur: & Chriſtus redemptionem horum paruulorum ſaluti neceſſariam, obtulerit patri, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro totius mundi peccatis*. Quæ verò neceſſaria, ſalutis media, non à Deo ſolo, ſed à cauſis quoque ſecundis pendent, ſaltem quoad applicationem; ea vi voluntatis à Deo circa horum paruulorum ſalusē conceptæ, applicãtur illis quantum eſt ex Deo: qui eam applicationem neque impedit ipſe, neque impediri per alios intendit; quamuis non idcircò vi huius ſuæ voluntatis, teneatur immutare ordinem cauſarum ſecundarum; & miraculo curare horum mediorum applicationem: ſed permittat eam deeſſe, quatenus ex alijs cauſis impedimentum inferentibus prænoſcit defuturam, ſuppoſito rerum curſu, quem prout generalis duntaxat prouiſor, non tenetur immutare vt illius inefficacis tantùm intentionis, quam habet de ſalute omnium, etiam abortiuorum. Itaque ex conſtitutione adeò breuium vitæ terminorum pro his paruulis, nihil in Deum labis redundat, nulláque ex parte læditur eius prouidentia.

Dei prouidentia abſque labe, in paruulorum iam expiatorum, ſucciſione ante vſum rationis.

XXII. BOnos & pios, diſtribuebam in duas claſſes. Aliqui enim moriuntur poſt baptiſmum, nondum potientes vſu rationis, de quorum longa vita non eſt quod agatur, ſed de morte tantùm immatura. Alij verò proprijs meritis inſtructi obeunt, interdum præproperè, aliquando in ſenectute bona, ſed non rarò in anguſtijs multis. Quod attinet ad bonos præpropera morte ante rationis lucem ſublatos, S. Hieronimus Epiſt. 25. fatetur inde motos quandoque pedes ſuos, & turbatam animæ pacem. [Nunquid (inquit) & in meam mentem non hîc ſæpiùs fluctus illiditur? Quare ſenes impij, ſæculi diuitijs perfruuntur? Quare adoleſcentia rudis, & ſine peccato pueritia, immaturo flore metitur? Quid cauſæ eſt, vt ſæpè bimuli trimulíque, & vbera materna lactentes, dæmonio corripiantur, repleantur lepra, morbo regio deuorentur; & è contrario impij, adulteri, homicidæ, ſacrilegi, vegeti atque ſecuri de ſua ſanitate, in Deum blaſphement? Præſertim cum iniuſtitia patris, non redundet ad filium, & anima quæ peccauerit, ipſa moriatur? Aut ſi manet vetus illa ſententia peccata patrum in filios oportere reſtitui, iniquum ſit, longæui patris innumera delicta in innocentem infantiam rependere.] Hanc difficultatem ſic enodat S. Hieronymus, vt poſt exclamationem ob altitudinem iudiciorum Dei, concludat. [Bonus eſt Deus, & omnia quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt, &c. vnicus raptus eſt filius. Durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille qui dederat.]

XXIII. Accommodari ad hanc rem poſſunt pleráque diſputata à S. Paulino in carmine de, obitu Celſi pueri, illudque præter cætera.

Tam modicum Patribus, tam dulci è pignore fructum
Defleo in exiguo temporis eſſe datum.
Rurſus vt æterna bona voluo perennia vitæ
Quæ Deus in cœlo præparat innocuis.
Lætor obiſſe, breui functum mortalia ſeclo.
Vt cito diuinas perfrueretur opes;
Ne terrena diu contagia miſtus iniquis,
Duceret in fragili corporis hoſpitio.
Sed nullo iſtius temeratus crimine mundi
Dignius æternum tenderet ad Dominum.

Hæc ibi à S. Paulino de morte pueri iam octennis diſputata, vt ad præſens inſtitutum, quo paruulorum ante rationis vſum in gratia obeuntium cauſam excutimus, accommodentur, aptanda ſunt exemplo alterius Celſi infantis, filij ipſiuſmet S. Paulini, acciti tempore quo datus eſt, vt vit ſanctus canit ad finem eiuſdem carminis, vocans exoptatam diu ſobolem nec præſtitam; quandoquidem tam breuis fuit eius vſura: cum mox poſt ſuſceptum baptiſmum obierit, & natiuitas morti propemodùm ſit coniuncta, vt de immaturè abreptis infantibus loquitur Gregorius Nyſſenus. Ad hunc ergò potiùs Celſum Paulini filium, aptentur omnia quæ de Celſo filio Pneumatij dixit S. Paulinus, vt Dei prouiden-

tiam

m in ea præcoci morte illuſtratam daret.

X X I V. Verſatur in hoc item argumento, ſusè & egregiè Gregorius Nyſſenus, cum co-tus ab Ierio eſſet, vt exponeret quid videre-r de ſtatu morientium in tantula ætate, nullo huc operis boni exercitio in alteram vitam æmiſſo. Et agit apertè de infante qui moritur m baptiſmo expiatus, cum dicat eum partici-em fore fruitionis Dei, tametſi minùs quàm eum ui adultus & meritis propriis inſtructus obijt. nſtanti igitur Ierio, quomodò Deus innoxium nfantem, nullo ſordentem peccato tollat è vi-a, magnum id eſſe diuinæ prouidentiæ argu-mentum confirmat Nyſſenus. [Quod perfectæ rouidentiæ ſit, non modo morbos contractos curare; verùm etiam ne ab initio quidem pror-sùs aliquis in rebus vetitis verſetur, prouidere. Veriſimile enim eſt, eum qui id quod futurum eſt, æquè ac præteritum cognouit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere; ne quod vi præſcia malum animaduerſum eſt in eo qui ita victurus fuiſſet, perficiatur: atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuiſſet; vitij, nequitiæque materia, vita fiat.] Illuſtrat hoc ſimilitudine prudentis Rectoris conuiuij, qui quem videt inebriandum ſi perſter accumbere, ſummonet maturè à conuiuio, priuſquam me-ro ſe ac cibis ingurgitauerit. Tum concludit, hoc eſt quod dico, perfectæ atque abſolutæ pro-uidentiæ opus eſſe, non ſolùm contractos curare morbos, verùm etiam prohibere antequàm con-trahantur. Quam adeò opinionem, etiam de morte infantium modò natorum habemus; quod is qui ratione omnia facit, humanitate adductus, vitij materiam auferat: ſpatium temporis volun-tati per vim præſciam notatæ & animaduerſæ, non dans, vt per opera, in nequitiæ vitiique ex-cellentia, oſtendatur qualis ſit, cum ad malum im-petum habeat & affectum.] Locus ipſis Solis ra-diis ſcriptus, pro præſcientia conditionatorum. Ea quippe à Deo, perindè ac præterita, atque adeò certò & euidenter præноſci, concedit Nyſſenus, ac ne infans adoleſcendo, in flagitia ſub condi-tione præuiſa ruat, ait maturè ſubduci ex bene-uolentiſſima Dei voluntate erga illum: qui mino-ribus quidem in cœlo bonis potietur, quia caret propriis meritis; tamen ne fortaſſis pereat, pro-uidetur, cum maturè auferatur ex ruinæ occaſio-nibus. Addit continenter Nyſſenus, conſuli quo-que ea ratione bono parentum; qui ad ditandam & euehendam prolem, multa admittunt indignè. Qui ſcelerum prætextus eis ſubducitur, euocata maturè prole. Plerumque item iuxta Nyſſenum, bona vita parentum hanc liberis exorat (obiecti-uè ſaltem & virtuali voto) gratiam à Deo, vt qui peiores prouidebantur ſi diu viuerent, ma-turè è vita tollantur. Ad extremum autem Nyſ-ſenus, vt Dei iuſta & ſancta conſilia, in hac præ-coci infantium morte, ſubducat criminationi, ſic diſſerit. [Nihil fieri ſine Deo, ex multis rebus diſcimus. Rurſum verò non fortuita eſſe, nec ra-tione carere ea quæ diuinitùs adminiſtrantur, nemo non conceſſerit; ſciens quod Deus, ratio ac ſapientia eſt, & omnis virtus ac veritas. Nihil autem rationis, ratione caret; neque ſapientis ali-quid, inſipiens eſt; neque tum virtus, tum ve-ritas admiſerit atque ſuſtinuerit id quod cum veritate coniunctum, ac veritatis particeps non fuerit. Siue igitur ſecundùm iam dictas cauſas, præmaturè & ante tempus aliqui abripiuntur; ſiue quid etiam aliud eſt, præter ea quæ dicta ſunt; aſſentiri conuenit, hæc intentione atque protsùs conſilio fieri meliora.] Sapienter hæc omnia in re propoſita Nyſſenus.

XXV. Petrus Damiani lib.8. Epiſt.4. ad Albericum & Ermilinam, quibus infans vnicus, mox ab expiatione per baptiſmum ſubductus fuerat; iubet eos mœrorem ponere. [Quid enim boni (inquit) veſtra deuotio in conſpectu Dei omnipotentis agere potuit, vt ipſe vobis tanti muneris beneficium mirò præſtitiſſet? Videlicet, vt de ſemine veſtro, ſobolem ad cœleſtia regna transferret? Inter Angelos conſtitueret, ſtola immortalitatis indueret, ac diademate perpetuæ gloriæ coronaret, propitijs inſuper vlnis aſtringeret, oſcula tanquam dulcis pater infigeret, & velut vternum filium in illo quietis æternæ thalamo, collocaret? Ecce nos infœlices & miſeri, (quod vtique de me meiſque ſimilibus & compeccatoribus loquor;) quod ieiunantes & aduersùs malignos ſpiritus, infœderabili concertatione iugiter obluctantes, ſperare vix poſſumus; iſte ſine vlla ſudoris & laboris inſtantia, gratis obtinuit, & ad illud Beatorum ciuium nuptiale conuiuium, ſine vllo certaminis ac faſtidij labore peruenit.] Matrem S Arnulphi, inconſolabiliter flentem ob immaturum obitū infantis primogeniti ſui, ſolatus eſt Angelus cum prænunciata et natiuitate felici ipſius S.Arnulphi, quem vtero gerebat; tum manifeſtato exitio æterno in quod incurſurus erat is qui infans obierat, ſi diu fuiſſet ſuper. Narratio extat apud Surium in S.Arnulphi, (aliàs Chriſtophori) Actis 15.Auguſti.

XX VI. Sed vix eſt opus rationes congerere, quibus monſtretur, quàm felici ſorte ſint hi infantes qui iam renati excedunt; cum in eorum obitu ac exequiis, nonniſi vox laudis inſonare iubeatur: nec aliò ſpectent preces quæ in eorum tumulatione offeruntur, vt ſuo loco dixi. Quod ſi perpenderent parentes, ex huiuſmodi infantium morte minùs mœrerent: nec tam Dei prouidentiam erga hos paruulos tam maturè ſubductos criminarentur, quàm ſuam frigidam fidem, & ad diuina conſilia cœcutiationem: quæ niſi obſtarent, perſpicerent quàm Deus his quos terris tantùm oſtendunt, ſata optimè conſulat, vt vt ipſis in ſuum commodum vel ſolatium ex ſucceſſione & nepotum gloria intenti, aliud videatur. Differit egregiè in hanc rem Ludouicus Viues lib.2. de fœminæ Chriſtianæ inſtitut.c.de liberis, *ad finem*. Apud ipſos Ethnicos, hi (vt vocabant) *Abori*, videntur habiti bona ſorte, vt innuit Tertullianus lib.de anima, c.57.

Præcox adultorum piorum obitus, quo modò colliди cum Prouidentia videatur.

XXVII. REſtant boni Adulti, proprio-rum meritorum capaces; quorum vita longa minùs ingerit difficultatis. Nam quamuis differantur à Dei fruitione, tamen ea dilatio cedit illis in meritorum incrementum, quorum nullus eſt extra hanc vitam prouentus. Et quanquam plerumque conflictantur cum grauibus malis, dulciúſque eis foret in ſomno pacis

requieſcere, cogunturque exclamare non rarò cum Pſalte, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt; habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea*: Tamen ſolari ſe poſſunt ac debent cum Apoſtolo, quia *momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Planè, omnes hîc ærumnæ, ſunt *momentaneum quid*, licet nobis prælongæ appareant, non intentis in præmij cuius feraces ſunt, æternitatem. Sunt etiam *leue quid*, etiamſi præ noſtra debilitate, appareant admodùm graues: vt contingeret homini exhauſto viribus præ morbo diuturno, cui modica ſarcina appareret importabilis: non ob ſarcinæ pondus, ſed ob baiuli debilitatem. Intereſt etiam plerumque aliorum, vitam iuſtorum protrahi, etiamſi in ærumnis: non modò quia verbo, & exemplo patientiæ ſuæ, aliarumque virtutum, proſunt alijs, vt S. Gregorius in hanc rem diſſerit 16. moral. cap. 4. ſed etiam quia obiectiuè mouent Deum, vt alijs quos inter viuunt, propter ipſorum merita benefaciat. Qua ex cauſa Stilico Comes, S. Ambroſium ægrum vrgebat, vt vitæ ſuæ inducias à Deo poſcere non grauaretur; ne tanta publicæ rei columna conuulſa, clades aliqua Italiam vniuerſam opprimeret. Huc ſpectant quæ habet Philo *ſub finem* libri de ſacrificio Abelis & Caïni. [Equidem (inquit) quando aliquem bonum virum, habitantem in aliqua domo, aut vrbe video; & domum & vrbem illam, beatam prædico: ratus tum præſentem fœlicitatem ei manſuram perpetuò; tum abſentem expectandam cumulatiorem; Deo vltra modum menſurámque diuitias ſuas in gratiam dignorum, etiam in indignos profundere ſolito: quibus quia ne ſeneſcant precari mihi non licet, precor vitam longiſſimam; exiſtimans tam diuturnam feliciratem fore hominibus, quàm longum illis vitæ tempus contigerit. Proindè audita morte alicuius eorum, magnóque dolore afficior; non tam ipſorum vicem dolens, quàm ſuperſtitum. Illos enim naturæ ordine, neceſſariò manet is exitus, vt poſt vitam fœliciter exactam, glorioſa mors eos excipiat. Iſtis verò deſtitutis magna potentíque manu, qua protecti antea fuerant, ſuorum malorum ſenſus imminet.] Haud aliter diſſerit *ſub medium* libri demigrat. Abrahæ; quæ S. Ambroſius demore expreſſit ex Philone, pereleganter in hanc rem diſputans lib. 2. de Caïn & Abel. cap. 3. & lib. 1. de Abrah. cap. 7.

XXVIII. Tanta cum ſint proborum ſuperſtitum in alios commoda, & pro ipſiſmet quoque lucra, vti ſtatuebam, nihil admodùm occurrere difficultatis in prolongatione vitæ bonorum, quamuis in ærumnis & anguſtijs quæ vix vnquam per huius vitæ tempus iuſtos deficiunt. Circa breuem autem piorum vitam, maximè pungit difficultas, inde apparenter enaſcens prouidentiam talium vitæ terminorum metatricem; ſiue qui ita moritur, ſit in humili ætate, pollens tamen vſu rationis, & capax meriti; ſiue adoleuerit, & florens ætate ſuccidatur. In quo argumento ſplendidè verſatus eſt Abulenſis 4. Regum cap. 21. qu. 50. & Titelmannus orat. de immatura morte piorum. In Scriptura ipſa Sap. 4. inſigniter diſcutitur hoc negotium, & in illud quoque Patres omninò multi incubuerunt, quos ſecundùm Salomonem audire iuuerit.

Nitet quoque hic Dei Prouidentia, ex Scripturis.

XXIX. SAlomon ergo Sap. 4. non de vno Enocho agens, (vt viſum eſt Ianſenio ibi, fauente non obſcurè S. Ambroſio orat. de obitu Satyri, & in Pſal. 40. ac 45.) ſed vniuerſè agens de quocunque adulto pio, immatura morte prærepto, ſic habet. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, ſi inquam vir pius citus è vita excedat, quàm ſperandum fuerat præ ætate florente, & conſtitutione corporis ſatis bona, nihil inde ei decedet; quia aſſequetur lucis & pacis ac refrigerij ſedem. Nec refert quod ætate florens, nec adhuc ſenex moriatur. *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata*. Planè quæ venerationem promeretur, ſenectus, eſt morum, non annorum. Et ſicut ſenes, moribus pueri, iure reprehenſioni patent; cum non ſemel apud Senecam, nominatim Epiſt. 3. & 33. tum apud Caſſianum ex perſona Abbatis Moyſi collat. 2. cap. 13. Ita adoleſcentes moribus ſenes, & ætatem moribus tranſeuntes, vt de S. Benedicto loquitur S. Gregorius lib. 2. dialog. in præfatione, meritò inter ſenes recenſentur. Non enim anni laudabilem ſenectutem conferunt; ſed cani, ſunt ſenſus hominis: prudentia inquam & maturitas in morum honeſtate relucens, habetur pro canitudine; & vita immaculata pro ſenectute. Itaque nihil perijt homini iuſto, ætate florenti, cum *placens Deo, factus dilectus, & viuens inter peccatores tranſlatus eſt*. Nihil inquam ei propterea perijt. Nam & reuera videri poteſt ſenex obijſſe, qui virtute decorabatur ſenili: & magnum erga Deum dilectionis argumentum prodidit Deus, cum voluit vt excederet è regione vmbræ mortis, in qua tot viuunt improbi, à quibus facillimum fit inquinari. Procliuiſſimum enim eſt vt picem tangens inquinetur ab ea; & qui cum peſtilentibus degit, contrahat peſtem. Sic & in moribus.

XXX. Magno itaquè Dei beneficio, iuſtus adhuc ætate florens, *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*. Præuidebat ſcilicet Deus certò & infallibiliter, quid futurum homine iuſto eſſet, ſi diutiùs ei vita protraheretur. Nempè pro lubrico conditionis, & illecebrarum efficaci pellacia, abducendus fuiſſet in ruinam, ſi diutius ſuper fuiſſet. Impoſitum illi fuiſſet per voluptatum præſtigias, & à virtutis tramite ſeductus, exerraſſet. *Faſcinatio enim nugacitatis, obſcurat bona, & in conſtantia concupiſcentiæ, tranſuertit ſenſum ſine malitia*. Hæc eſt euerſionis multorum ante proborum cauſa, quod mente corrupti, nugis pellaciarum ad bona ſenſibilia inuitantium ſcatentes intellectu, nec attendentes iuſtitiæ & ſanctitatis ſynceram ſpeciem, ſeducuntur & dedunt ſe improbitati quam priùs auerſabantur. Itémque quod ardor concupiſcentiæ nunc in illud ſenſibile bonum, nunc in aliud abreptæ, quatit & denique euertit iudicium, primò ſanum, & ab improbitate auerſum. Itaque dum adhuc iuſtus ſtaret, præreptus; magno beneficio affectus eſt. Et quamuis

conſummatus

conſummatus in breui, expleuit tempora multa. Multùm omninò & quàm diutiſſimè vixit, qui ſanctè vixit, quantumuis paucos temporales annos exegerit. Deus itaque illi conſulens è ſede adeò periculoſâ ipſum eduxit: *Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Sic iuſtus à facie malitiæ collectus eſt, iuxta Eſaiam cap. 57. Et granum in botro marcido ſanum repertum, non eſt conculcatum, quia benedictio Domini erat. Voluit iuſtum ſuum Deus in tuto ponere; ideò abſcondit eum à tempeſtate. Sic cogitauit de illo Deus. *Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia*; Vulgus inquam videns iuſtum immaturè ſubductum, cum adhuc ætate floreret; & tempus illi multum ad magna aggredienda ac perficienda ſupereſſe crederetur, alias à diuinis cogitationes habuit de præcoci obitu iuſti: nec intellexit, *quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in Sanctos eius, & reſpectus ſuper electos illius.* Firmauit ſanè Deus, pius & miſericors, pietatis ſuæ oculos ſuper hunc iuſtum; id eſt innocentes quosuis præproperè ſubductos: & ex magna miſericordia, ac optima voluntate ſua, benigniſſimè illis fecit, eum ſic properauit illos educere inituros ac æternùm perituros ſi tardaret educere. *Condemnat autem iuſtus mortuus, viuos impios; & iuuentus celeriùs conſummata, longam vitam iniuſti.* Erit vtique hic iuſtus, qui præcoci fato exceſſit, & breui quo vixit tempore vſus eſt quàm ſtudioſiſſimè, ita vt vberem meritorum meſſem collegerit; erit inquam hic feſtinato ſubductus iuſtus, in ſodem oculorum impijs longæuis, qui dierum longitudine abuſi ſunt ad turpitudinem, & exſaturationem concupiſcentiæ. Magna ſanè illos caligo mentium occupabit, iſta vſurpantes oculis. *Videbunt enim finem ſapientis.* Miſeratione tangentur ſuper præproperè mortuum, & velut infelicem, vel deplorabunt, vel etiam, ob conſumptos in laboribus & aſpera virtutis via, paucos annos qui obtigerunt, deridendum putabunt. *Et non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit*, tutúmque ac rectum ab ingruentibus periculis exemerit *illum Dominus. Videbunt & contemnent eum; illos autem Dominus irridebit.* Nam poſt aliquot voluptatiæ & in ſceleribus oblitæ vitæ annos, *diſrumpet illos inflatos ſine voce*, ne mutire quidem audentes, *& vſque ad ſupremum deſolabuntur.*

Patres ad eandem mentem.

XXXI. EXhibui cum paraphraſi non inutili, oraculum Spiritus ſancti Salomonem, de præcoci obitu hominis iuſti, & optima eius ſorte, quamuis aliquot vitæ annos videatur perdidiſſe. Pro huius loci autoritate, ſplendidè diſſerit S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 14. Patres quorum de hac re iudicium nunc ſubnectam, ferè ſemper quoties hoc argumentum, de pijs præcoci obitu ſublatis, & ſanctis ea in parte (vt ſemper vbiuis alibi) Dei conſilijs attingunt, ex hoc Salomonis loco diſputationem ſuam communiunt. Proferemus ſelectiora quorundam loca, dimiſſis innumeris vix aliud ferentibus; & ex Sanctorum ſenſu oſtendamus, quàm non ſit iuſtus damnoſus, ac Deum eorum curatorem & patrem dedecens iuſtorum immaturus ac præcoxè vita exceſſus.

XXXII. S. Cyprianus *ſub finem* libri de mortalitate, animans eos qui deficiebant & cadebant animis, ob vitæ contractionem per tonſuram generis humani à lue tunc immaniter graſſante, ſic loquitur. [Inuenimus & Enoch tranſlatum eſſe qui placuit, ſicut in Geneſi teſtatur & loquitur Scriptura diuina. *Et placuit Enoch Deo, & non eſt inuentus poſtmodùm, quia Deus illum tranſtulit.* Hoc fuit placuiſſe in conſpectu Dei, de hoc contagio ſeculi meru iſſe transferri. Sed & per Salomonem docet Spiritus ſanctus, eos qui Deo placeant, maturiùs hinc eximi, & citiùs liberari: ne dum in hoc mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus eſt* (inquit) *ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima eius. Propter hoc properauit educere eum de media iniquitate.* Sic & in Pſalmis ad Dominum properat ſpiritali fide, Deo ſuo anima deuota, dicens: *Quam dilectiſſima habitationes tua Deus virtutum: deſiderat & properat anima mea ad atria Dei.* Eius eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblactat, quem ſæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cum mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum qui te & redemit & diligit, &c. Luctum maximum computemus, ſi iſthinc velociùs recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta deſuper tremerent, domus iam fatigata, iam laſſa, ædificijs ſenectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nónne omni celeritate migrares? Si nauigante te, turbida & procelloſa tempeſtas, fluctibus violentiùs excitatis, prænunciaret futura naufragia, nónne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam ſui non iam ſenectute rerum, ſed fine teſtatur; & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore ſubtractus; ruinis, & naufragijs, & plagis imminentibus exuaris? Conſiderandum eſt fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos hîc interim degere. Amplectamur diem qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo; qui nos iſthinc ereptos, & laqueis ſecularibus exſolutos, paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis non peregrè conſtitutus, properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidiùs optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram, paradiſum computamus, parentes, Patriarchas habere iam cœpimus. Quid non properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes noſtros ſalutare poſſimus? &c. Ad hos, fratres dilectiſſimi, auida cupiditate properemus, vt cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus.] Libauit ex his aliqua ad præſens inſtitutum S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 14.

XXXIII. S. Ambroſius, præclara laudatione Valentinianum exornauit defunctum. [In quo (vt ait) duo acerbabant dolorem: annorum immaturitas & conſiliorum ſenectus.] Multus verò eſt in demonſtranda pietate &

ſanctimonia adoleſcentis Imperatoris, & quanto plus ſit iuuenem ſapuiſſe; & quidem cui labendi impunè poteſtas afforet; quàm ſi ſapiat priuatus, & ætate maturus. Nihil verò deceſſiſſe eius ſanctimoniæ, ex eo quod Baptiſmi auidiſſimè expetiti vacuus obijſſet, confirmat S. Ambroſius ex catechumenis martyribus; ex eo etiam quod Valentinianus baptiſmum, quia popoſcerat, acceperit. Vndè (inquit) illud eſt, *iuſtus quacunque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio, erit.* Ad querelam autem quod iuuenis obijſſet ſic reſpondet. [Eſto tamen dolendum ſit, quod primæua obierit ætate: gratulandum nihilominus eſt, quod virtutum ſtipendijs veteranus deceſſerit. Tanta enim fuit emendatio vitæ eius, in illo omnibus lubrico adoleſcentiæ tẽpore; tanta laus morum eius, vt omnem memoriam doloris obducat. Quod enim obijt fragilitatis eſt; quod talis fuit, admirationis. Quam beata fuiſſet Reſpublica, ſi eum diutiùs ſeruare potuiſſet? Sed quia vita Sanctorum non hic in terris eſt, ſed in cœlo (iuſtis enim viuere Chriſtus, & mori lucrum; quia & diſſolui, & cum Chriſto eſſe, multo melius:) & dolendum eſt quod nobis citò raptus ſit, conſolandum quod ad meliora tranſierit.] Et inferiùs iungens Valentiniano fratrem Gratianum, qui item immaturus obierat; vnus Lugduni, alter in vicinia Viennæ, vtrobique ad Rhodanum, gemit quidem quod rapidiora vtriuſque vitæ fuiſſent curricula, quàm ipſius Rhodani ſunt fluenta, & quod tam anguſto vitam fine clauſiſſent; præmittit tamen. [Nec putet aliquis, meritis eorum, obitus celeritate detractum. Raptus eſt Enoch ne malitia mutaret cor eius: Et Ioſias decimo octauo anno regni ſui; ita Domini Paſcha celebrauit, vt omnes retrò Principes deuotione ſuperaret; nec diutiùs fidei, ſuæ meritis ſuperuixit: Imo quia plebi Iudeæ graue immanebat exitium, Rex iuſtus ante ſublatus eſt. Metuo ergò ne & tu nobis aliquæ noſtri offenſione ſis raptus, vt octauo regni tui anno, imminentis mali acerbitatem quaſi iuſtus euaderes.] Haud diſſimiliter de fratre ſuo S. Satyro, qui item ætate florens obijt, philoſophatur S. Ambroſius in eius Monodia, allegato item Sapiente, raptum dicens, ne malitia intellectum eius mutaret.

XXXIV. Gregorius Nyſſenus in Pulcheriæ Monodia, cum eius præcox obitus, & ſucciſus in prima ætate flos, mœrorem cumularet, ſic leuat illum dolorem. [Non noſtrum verbum fratres dicemus, ſed dictum ex Euangelio nobis tecitatum in medium afferemus. Audiſtis Dominum dicentem, *Sinite paruos pueros, & ne prohibeatis eos venire ad me: Talium eſt enim regnum cœlorum.* Proinde etiamſi à te diſceſſit puer, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clauſit, ſed lumini æterno aperuit. A tua menſa remotus eſt, ſed angelicæ eſt adhibitus. Hinc planta reuulſa eſt, at in paradiſo ſata eſt. De regno ad regnum traducta eſt: purpuræ florem exuit: at ſuperi regni amictum induit. Dicam tibi materiam vnde confectum eſt diuinum indumentum. Non linum eſt neque lana, neque fila ſerica. Audi Dauidem, vnde Deo contexti indumenta dicat: *Confeſſionem & magnificentiam induiſti ſuper iniciens lumen quaſi pallium.* Vides, quæ quibus commutauerit? Angit te, atque moleſtum eſt tibi, quod corporis decor non ampliùs appareat: non enim vides eius veram animi pulchritudinem, quæ nunc in conuentu cœlitum exultat atque lætatur. Quàm ſpecioſus ille oculus qui Deum videt? Quàm ſuaue os, quod diuinarum laudum decantatione exornatur? *Ex ore enim* (inquit) *infantiũ & lactentium, perfeciſti laudem.* Quàm pulchræ manus, quæ nunquam malum operatæ ſunt? Quàm decori pedes, qui ad nequitiam atque malitiam non acceſſerunt; neque in via peccatorum veſtigium ſuum impreſſerunt. Quàm ſpecioſa tota animæ illius facies; non lapidum fulgoribus ornata, ſed ſimplicitate, integritate, & innocentia reſplendens. Sed forſitan angit te quod ad ſenectutem non peruenit. Quid verò, dic mihi, pulchri cernis in ſenectute? An pulchrum pruire, ac fricari oculos? Corrugari genas, ex ore deflorere decores, & linguæ balbutiem ingenerari? Manibus ſubtremiſcere, ad terram incuruari, titubare atque ſubclaudicare pedibus, ducibus iniri, decipere corde ac delirare, voce abſurdæ atque inepta pronunciare, qualia huic ætati neceſſariò accidunt incommoda? Et idcircò indignamur & ſtomachamur, quod ad huiuſmodi malorum experientiam non peruenerit? Atqui gratulari conuenit illis, quorum vita rerum acerbarum ac triſtium periculum non fecit, & cum hic nihil moleſtiæ ſenſerit, tum nihil acerbitatis illic experietur.] Non fecerat periculum triſtium rerum Pulcheria, non modò quia ſubducta erat incommodis ſenectutis; ſed quia cum rapta eſſet, malitia non erat mutatrix intellectum illius, nec niſi minuſcula, præ ætatis imbecillitate, peccare potuerat. Itaquè prouidentia in hoc præcoci Pulcheriæ puellæ obitu, nullatenus eſt oblæſa, (iuxta Nyſſenum) imò meliùs vndecunque ei conſuluit.

XXXV. S. Hieronymus Epiſt. 9. Nebridium Saluinæ coniugem, qui nutritus in palatio, contubernalis & condiſcipulus Auguſtorum, purpuratorum propinquus, ſocius, conſobrinus; Chriſtianis verò virtutibus longè illuſtrior, florens ætate ac iuuenis obierat, inſigni præconio exornans, ait, eum appoſitum eſſe ad patres ſuos; [Plenum dierum & luminis, & nutritum in ſenectute bona. *Cani enim hominis, ſunt ſapientia eius. In breui ætate, tempora multa compleuit.*] Idem Epiſt. 25. Matrem Paulam in Bleſillæ filiæ, quæ adoleſcens obierat morte conſolans. [Indignamur (inquit) aliquem exire de corpore, qui ad hoc forſitan *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius? Placita enim erat Deo illius: propter hoc properauit educere eam de media iniquitate*, ne longo vitæ itinere, deuijs oberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, ſed ille quem gehẽna ſuſcipit, quem Tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æſtuat. Nos, quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obuiam Chriſtus occurrit grauemus magis, ſi diutiùs in tabernaculo iſto mortis habitemus, quia quamdiu hic moramur, à Domino, illa nos cupido teneat; *Hei mihi quia peregrinatio mea prolongata eſt à me, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm peregrinata eſt anima mea.* Si *Cedar* tenebræ ſunt, & mundus iſte ſunt tenebræ, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, faueamus Bleſillæ noſtræ, quæ de tenebris migrauit ad lucem; & inter fidei incipientis ardorem, conſummati operis percepit coronam, Reuera

ſi

ſi ſæculare deſiderium, & (quod Deus à ſuis auertat) delicias vitæ huius cogitantem, mors immatura rapuiſſet, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò cum propitio Chriſto ante quatuor fermè menſes, ſecundo quodammodò propoſiti ſe baptiſmo lauerit; & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, ſemper Monaſterium cogitarit; non vereris ne tibi Saluator dicat, Iraſceris Paula, quia tua filia mea facta eſt filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis, facis iniuriam poſſidenti?] Idem Epiſt. 29. Theodoram, Lucinij Bœtici viduam, conſolans in morte mariti, qui ætate florens exceſſerat, ſic eam affatur. [Obſecro te & currentem (vt aiunt) impello, vt Lucinium tuum deſideres quidem vt fratrem, ſed gaudeas regnare cum Chriſto: quia *raptus eſt, ne malitia immutaret mentem eius: placita enim erat Deo anima illius; & in breui ſpatio tempora multa compleuit.* Nos dolendi magis, qui quotidie ſtamus in prælio peccatorum, vitijs ſordidamur, accipimus vulnera, & de otioſo verbo reddituri ſumus rationem. Ille iam ſecurus & victor, te aſpicit de excelſo, & fauet laboranti; & iuxta ſe, locum præparat.]

XXXVI. S. Paulinus Epiſt. 37. Pammachij lachrymas abſtergit, quibus Paulinæ vxoris Toxotij ac S. Paulæ filiæ mortem in ætatis flore obitam proſequebatur. Effuſus eſt in Paulinæ decora S. Hieronimus Epiſt. 26. vbi ait Pammachium ſanctam fauillam oſſaque veneranda eleemoſinæ Balſamis rigaſſe; his pigmentis atque odoribus fouiſſe cineres quieſcentis; non ſicut alios maritos dolorem pectoris conſolatum officiis ioanibus ſuper tumulos coniugum ſpargendi, violas, roſas, lilia, floréſque purpureos. Non diffitetur tamen in ipſo veſtibulo Epiſtolæ, vulnus pectoris Pammachij, ex eo maximè infixum, quod Paulina in flore ætatis obijſſet. [Quæ enim (inquit) aures tam duræ, quæ de ſilice exciſa præcordia, & Hyrcanarum Tigrium lacte nutrita, poſſunt ſine lachrymis, Paulinæ tuæ audire nomen. Quis parturientē roſam, & papillatū corymbum antequàm in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demeſſum, æquis oculis marceſſere videat? Fractum eſt pretioſiſſimum margaritum: virens ſmaragdi gemma contrita eſt.] Hunc ergò dolorem eidem Pammachio ſcribens S. Paulinus, ſic ſtudet lenire. [Ipſa meritorum illius reputatio, vt acerbum imperat mœrorem ſuperſtiti, quia iuſtus defunctus relinquet pœnitentiam; ita & conſolationem vberem præſtat fideli, quia immortalitas in memoria iuſti. Neque tibi ſanctè frater, hinc acrior doloris ſtimulus ingeratur, quod primæua deceſſit: quoniam huic ipſi caſui ſolatium præbet ſermo diuinus; *Iuſtus enim* (inquit) *ſi morte præuentus fuerit, in refrigerio erit.* Sed ne vel immatura tibi ad obitum fuiſſe videatur, eadem tibi ſapientia ſequentibus verbis probat, anum quoquè illam fuiſſe. *Senectus* (inquit) *venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt enim* (inquit) *ſenſus hominibus, & ætas ſenectutis, vita immaculata.* Quare gratulemur iuſto eius accitui, & fini maturo: quæ etſi adhuc flore annorum virebat, tamen morum ſanctitate canuerat; & ætatem puellæ, ſtipendijs ſenectutis ornabat. Vnde & ipſæ quæ acerbant vulnus animi cauſæ ſolatium maius afferre poſſunt, quod tam ſanctam fœminam, etſi non habes, habueris tamen commune enim tibi cum omnibus, amiſiſſe mortalem, paucis verò tecum, meruiſſe optimam. Quo minus miror, illam in hoc ſeculo non moratam, & ad Chriſtum citiùs accitam: *Placita enim erat Deo anima eius: & idcirco* (vt ſcriptum eſt) *properauit eam de medio iniquitatis reducere, ne intellectum eius, malitia noſtra mutaret.* Quia *totus hic mundus*, vt ſcriptum eſt, *in maligno iacet; & colloquia mala plerumque corrumpunt mores bonos, & qui picem tangit, inquinabitur ab ea.* Quo metu, quidam ſanctus moræ merens, & de tardo fine ſollicitus, orat Deum vt notum ſibi faciat finem ſuum, & numerum dierum ſuorum. Et quoniam reuelante ſpiritu quo prophetabat, agnouit prorogata ſibi tempora, ingemit dicens, *heu me quòd incolatus meus prolongatus eſt.* Cauſam verò gemitus & timoris ſui, hanc eſſe teſtatur *quod habitaret cum tabernaculis Cedar:* id eſt in tenebris iſtius mundi. Nam *Cedar* Hebræo, idem quod ore Romano vocatur *obſcuritas.* Denique ipſe Dauid in duobus filijs diuerſo merito ſibi amiſſis, myſterium eius veritatis exercuit: qui filium dilectiſſimum, quem fleuerat ægrotantem, non fleuit omiſſum; certus infantem ad pacis æternæ beatitudinem tranſlatum. At verò idem, Abeſſalon quem inimicum habuerat, mortuum lamentatus eſt, quia diuinæ iuſtitiæ, vt Propheta conſcius, deſperauit impio requiem: & reſurrectionis bonum, ſciuit indebitum parricidæ.]

XXXVII. S. Auguſtinus lib. de præd. SS. c. 14. ſententiam è libro Sapientiæ ſupra prolatam, de rapto ne malitia mutaret intellectum eius, ait eſſe *veram planè, & antiquitùs Chriſtianam*: miratorque fuiſſe è Semipelagianis à Proſpero & Hilario delatis, receſſiſſent ab vſu egregiorum tractatorum, etiam proximorum temporibus Apoſtolorum. Hi quippè egregij tractatores agnouerunt in iuſto homine, celeriori morte ſublato, magnum Dei beneficium, quod à peccatorum periculis eos eriperet; quandoquidem hanc vitam finierant, in qua peccari poteſt. Vndè ait quod ex libro Sapientiæ protuleras de rapto ne malitia mutaret intellectum eius; [Dictum eſſe ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat id eſt quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incertiuum non quod peccaturus eſſet qui manſurus in tentatione non eſſet. De hac quippè vita, legitur in libro Iob; *nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram?*] Non negat Diuus Auguſtinus, quin Deus certò & diſtinctè præuiderit; iuſtum quem rapuit, ſi ſuperuixiſſet, intellectu mutandum fuiſſe; quamuis affirmet, hoc dictum eſſe ſecundùm pericula vitæ huius: quod aliqui exponunt de non in veriſimili prænotione ruinæ attenta fragilitate noſtra in huius vitæ lubrico. Sed non id voluit S. Auguſtinus, quamuis iuſtum immatura morte ſublatum, ratione periculorum vitæ huius, ruiturum fuiſſe affirmet. Potuit enim nihilominùs prænoſci certò ruiturus, ſi diutiùs viueret, nec magno Dei beneficio morte præoccuparetur. Quanquam ad rem præſentem, Dei largitas in iuſtum præmaturè abreptum, æquè ſalua manet, etiamſi tantùm ob moraliter timendam ruinam, ſucciſa eſſet iuſti vita.

XXXVIII. Non eſt omittenda alia inſignis diſputatio eiuſdem D. Auguſtini lib. 1. ciuit. c. 11. vbi agens de cladibus & cædibus barbaricis quibus pleriqne pij Chriſtiani ante tempus ſnceiſi erant, ait breuiationem vitæ eorum, non eſſe ægrè ferendam. [Nam ſi hoc ægrè ferendum eſt, omnibus qui in hanc vitam procreati ſunt, vtiqoe commune eſt. Hoc tamen ſcio, neminem fuiſſe mortuum, qoi non fuerat aliquando moriturus. Finis aotem vitæ, tam longam quàm breuem vitam, hoc idem facit. Neque enim aliud melius & aliud deterius; aut aliud maius, & aliud breuius eſt, quod iam pa. titur non eſt, *&c.* Cum autem vnicuique mortalium ſub qootidianis vitæ huius caſibus, innumerabiles mortes quodammodò comminentur, quamdiu incertum eſt quænam earum ventura ſit; quæro vtrum ſatius ſit, vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo. Nec ignoro quàm inertiùs eligatur diu viuere ſob timore tot mortium, quàm ſemel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud eſt quod carnis ſenſus infirmiter pauidus refugit; aliud qood mentis ratio diligenter enucleata conuicit.]

Tandem idem D. Auguſtinus in Pſal. 54. affirmat, vitam plerumqoe prorogari reprobis, ob electorum per eos exercitationem ac purgationem. Id quod etiam fidus Auguſtini aſſecla Proſper, confirmat & illuſtrat ad 13. Gallorum Capitulum.

XXXIX. S. Fulgentios inter D. Auguſtini ſectatores præcellens, Epiſt. 2. quæ eſt ad Galliam, inſigniter hanc cauſam diſcuſſit, cap. 1. agens de defuncto eius marito, quem prædicat; [Religione ſyncera fidelem, corde humilem, moribus mitem, operibus miſericordem, conuerſatione penitùs innocentem, ætate iouenem.] Quomodò in ea iuuenis tam ſancti morte, diuina prouidentia, nihil labis contraxerit; ex duplici capite probat S. Fulgentius. Subdit enim alloquens Galliam iam viduam; [Deus eum de peregrinatione huius vitæ, ad æternam cœleſtis patriæ celeriter tranſtulit manſionem; niſi vt illi gaudia æterna conferret, & tibi melius viuendi facultatem concederet. Illi donauit vt corpore ſpoliatus, ſit cum Chriſto ſine fine victurus. Tibi donauit, vt quæ ſunt Domini ageres, & ſecundùm Apoſtoli ſermonem, ſis ſancta corpore & ſpiritu.] Subiungit cap. 2. caueàt ne mariti iouentutem, putet immaturè præciſam, quam videret interminabili æternitate firmatam. Plenius etiam, & ad hoc inſtitutum appoſitiſſimè cap. 3. [Abſit autem vt infidelium conſentientes erroribus, æſtimemus aut dicamus, qoia illum iuuenem Chriſtianum, *abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.* Illos namque *atra dies* aufert, qui ſecundùm Ioannis Apoſtoli dictum, in tenebris ſunt, & in tenebris ambulant, & neſciunt vbi ambulent, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eorum, *&c.* Chriſtianus autem qui in timore Dei vixerit, quacunque fuerit ætate defunctus, non acerbo funere mergitur: ſed placita Deo ſubnixus maturitate transfertur. Legimus namque in libro Sapientiæ; quia *ſenectus honorabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata: quia placita Deo facta, dilecta eſt.* Denique in ſubſequentibus benè viuentem quemdam Deóque placitum, ob hoc raptum celeriter dicit, vt nullam mutationem perferret malitiæ ſæcularis, nec anima eius, aliqua fuiſſet fictione decepta. Sic ergò dicitur, *Raptus eſt ne malitia mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius. Faſcinatio autē nugacitatis obſcurat bona, & incōſtantia concupiſcentiæ, tranſuertit ſenſum ſine malitia. Conſummatus autem in breui, repleuit tēpora longa. Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properauit de media iniquitate illā educere.* His nempè verbis ſancta Scriptura, nos docet, in hoc ſæculo, Chriſtianis fidelibus non vitam longam prodeſſe, ſed bonam. Et ad cognoſcendum quantum poſſibile eſt, cuiuſlibet defuncti meritum, non quantum vixerit, ſed qualiter quiſque vixerit, intuendum. Sicut enim vita mala quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: ſic vita bona, quamuis hîc breui tempore terminata, magnā ſempiternámque conquirit benè viuentibus gloriam. Vita igitur mala, immaturos acerbóſque ſenes demergit in Tartarum. Vita verò bona, defunctos iuuenes, maturos perducit ad regnum.]

XL. S. Gregorius 16. mor. c. 4. de tarda quandoque improbrorum vita, collata cum celeri iuſtorum morte, differens, ait; Iuſtum celeriter plerunque ſuccidi, ne ſi hic diu vixerit, eius innocentiam malitia corrumpat.

Ennodius lib. 2. Epiſt. 1. conſolans Armenium, cui filius vix pubes, & tamen pœnitentia expiatus, obierat, licet ætatem morum modeſtia vinceret, vltrò tamen, in ætatis naufragio, de portu animæ, (id eſt pœnitentia) excipiendo tractarat ſic ait. [Minùs peccauit quod immaturus abreptus eſt. Iunxit ad vitam perpetuam melioris ſæculi, quod in iſta ſeruauit. Pœnitentia quam eum egiſſe loqueris, etiamſi in ipſo non inueniſſet quod dilueret, inueniret quod ornaret quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat.]

XLI. S. Bernardus Epiſt. 253. tractans de iuſto morte præuento priuſquàm ad perfectionem conſummatam perueniat, ſic habet. [Eſt quod ſecuri de illo plena fide reſpondeamus. Dicemus nempè. *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa.* Benè *multa*, quia & vniuerſa complectitur. Quomodò enim expleuit omnia tempora, qui tranſit ad æternitatem? Quanta ſanè tempora non longæuitate, ſed longanimitate, hoc eſt non annorum ſerie vel dierum numero, ſed mentis deuotione & inextinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis non immeritò vindicauit. Retinet quippè virtute, quod amiſit in tempore. Porrò vera virtus, finem neſcit: tempore non clauditur. Vnde eſt illud, *Charitas nunquam excidit.* Et item. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Et, *Timor Domini ſanctus, permanet in ſæculum ſæculi.* Nunquam: iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe; nunquam dicit, *ſatis eſt*, ſed ſemper eſurit, ſititque Iuſtitiam: ita vt ſi ſemper viueret, ſemper quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet; ſemper de bono in meliùs, proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus, inſtar mercenarij; ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Audi denique vocem iuſti, *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me.* Et ruſùm. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, in æternum.* Non igitur ad tempus. Proinde iuſtitia eius manet, non aliquanto tempore

pore

pore, ſed in ſæculum ſæculi. Sempiterna itaque iuſti eſuries, ſempiternam meretur refectionem. Et licet in breui conſummetur pro tempore, iudicatur tamen expleſſe tépora multa, pro virtutis perpetuitate.] Iuxta hanc philoſophandi rationem, nemo iuſtus, obit morte immatura, & conſummatus in breui.

XLII. Algerus lib. 2. de Euchar. c. 7. [Ne bonos in mundi exilio tæderet viuere, ſi nimia foret eis dilatio ad patriam, breuiauit Deus humanæ vitæ dies propter electos; ne prauorum afflictione, vel nimio ſub labore deficerent. Sed & ne minutio temporalis laboris, aliquod æterni præmij videretur diſpendium, ipſius Præcurſoris vitam, quo nemo maior, (ipſo teſte) ſurrexit, triginta duorum & ſemis annorum, eſſe voluit. Sui etiam ipſius, qui ſuper omnes eſt, eodem numero conſummauit, vt quia Deus non curat ex quanto tempore, ſed ex quanto corde ſibi ſeruiatur, perfectionem metiri, non tempori adſcriberet, ſed virtuti. Ecce enim in tantillo tempore, plenam obedientiam Deo patri ſeruauit, quod nullus ab origine mundi facere potuit. Et quis diutiùs eo vixiſſet, ſi temporis diuturnitatem, & non virtutem, meritorum perfectioni ſufficere vidiſſet? Sed quomodò Ioanne nemo maior ſurrexiſſet, cum Abraham, Iſaac, Iacob, & cæteros quàmplures, in obſequiis diuinis laboraſſe conſtet? Sed euidens eſt pro certo, quia etſi plures, eo laborauerunt diutiùs & potiùs: qui tempore iuuentutis ſuæ, inuentus eſt in tentatione fidelis, & fortis, quo caro ſpiritui ſemper magis eſt rebellis; adeò vt occidendus, etiam Herodem increpare non metueret in carcere, quod fratri ſuo vxorem ſuam præſumpſiſſet tollere.

Senectutis incommoda in Scripturis & Patribus expreſſa; prouidentiam purgant in cito pij iuuenis obitu.

XLIII. AD has rationes tuendi diuinam prouidentiam in cita iuuenum ſubductione, illa addi poteſt, quam ſuperiùs ex Nyſſeno in Pulcheriæ monodia tetigimus, & multi noſtri æquè ac externi fusè proſequuntur. Ducitur autem ex ærumnis ætatis decreæ, non eorum modò, quorum ampliùs, (vt Dauid loquitur) eſt labor & dolor, ſed eorum quoque, qui ante eas quiſquilias æui, ſenectutem incurrunt. His enim ærumnis eripi hominem per citam mortem in iuuentute obitam, eximium beneficium videri debet. Et hoc eſt quod Menecrates lib. 3. Anthol. conteſtabatur de experita ab omnibus priuſquàm adueniat, exoſa autem cum affuerit, ſenectute; quanquam poteſt etiam ad mortis in ea viciniam pertinere.

Quilibet abſentem quæritque optátque ſenectam,
Illa tamen paucis ſæpè cupita venit.
Venerit hæc eadem; quis non incuſat & odit?
Sic melior ſemper, debita, crede mihi eſt.

Quanquam illud odium præſentis ſenectæ poteſt (vt dixi) ſpectare mortem quam ſiſtit vicinam, tamen ſpectat etiam ærumnas illius, veluti fæcis vitæ, de quibus diffusè apud Cardinalem Palæotum in opere de bono ſenectutis, parte tertia. Dixi de illis ſenectutis grauaminibus, multa in Morali diſt. 1. à num. 263. ex Autore conſolationis in filiæ obitu, quem pleríque eſſe Tullium volunt; itémque ex Iunco in opere de ſenectute Iuuenale Satyra 10. præter eos qui accenantur à Tiraquello ibidem adducto, ad l. 6. connub. à n. 7. quibus nunc adiungo ex recentioribus Conſtantinum Pulchrarellum, dialogo metrico de vitijs ſenectutis; ex antiquis verò S. Hieronymum, cùm in Epiſtola ad Nepotianum, in ſuæ ſenectutis deſcriptione; tum præfatione ad Commentarios in Amos: & S. Columbanum in Epiſtola metrica de auaritiæ deteſtatione: Cornelium Gallum, (aut vt alij volunt Maximianum,) carmine 1. Elegiatico, quod eſt in calce farraginis veterum Poëtarum; & S. Eugenium Iuniorem carmine 12. quod eſt de propriæ ſenectutis incommodis, vbi ſic in ſenectutem inuehitur.

Crudelis ætas, ô ſenectus improba;
Qua cuncta pulchra, famo ſaua deuoras;
Rictu voraci nigra pandis guttura,
Mortale germen vi nouerca ſaucias;
Et ſauciatum, mortis enſe perforas.
Te proximante, robur omne deficit,
Salus recedit, ægritudo prouenit,
Senſus hebeſcunt, pulchritudo deperit,
Tabeſcit ægrum pectus in ſuſpiriis.
Gaudere tædet, cinlura complaces.
Tu frangis oſſa, membra rugis aſperas,
Comas recidis, atque canos inſeris,
Dentes retundis, maculentos efficis,
Tremore fœdo corpus omne ſuccutis,
Febres minaris, & dolores ingeris.
Per te podagra, dura gignit tubera,
Anhela tuſſis expuit putreſiua;
Cutem perurit vulnerum profuſio,
Potus cibique nulla delectatio,
Lamenta ſola, conferunt ſolatium.

Sic ille, ſenectutis, (quam Seneca Epiſt. 108. rectè *morbum inſanabilem* appellauit) morboſitatem, & ægritudinem expreſſit: idque præter cætera eſt vectigal miſeriarum, quas hæc ætas exigenti refert naturæ, vt loquitur Bleſenſis ſerm. 14. Sed nemo concinniùs ægerrimum & ærumnoſiſſimum ſenectutis ſtatum expreſſit, quàm Salomon, Eccleſiaſtis 12. vbi adoleſcentem adhortatur, vt Dei meminerit in adoleſcentia, nec expectet, ætatem grauem, ac tempus ſenectutis quo omnes ſenſus propè marcent, & animi ac corporis vigor obtunditur: quæ ſub multiplici emblemate ibi propoſita, excutiunt accuratè Interpretes ibi; aliò alij auertentes ſapientis mentem. Sed in hanc rem præclarè Franciſcus Titelmanus ibi, Valeſius cap. 66. ſacræ Philoſophiæ, & Pineda lib. 8. de Salom. c. 3.

Cum ergò adeò horreat ſenectus, tórque homini aggerat ærumnas; quæ malùm ignauia mortalium eſt, tanto ſtudio optare in eas ærumnas deuolui; & ſi qui chari eas per obitum præcocem declinent, moleſtè ferre, aut etiam accuſare prouidentiam.

* * *

Etiam

Etiam Ethnici, Prouidentiæ nitorem, in præcoci piorum obitu, agnouerunt.

XLIV. VIdeor ſat multa monſtraſſe, ex Scriptura, & ex ſenſu Patrum, iuſtos qui ante plenam ætatem hinc excedunt, nullam ſubminiſtrare iuſtam occaſionem ſugillandi prouidentiam Dei, in ea terminorum vitæ conſtitutione. Eſtque ea veritas adeò perſpicua, vt etiam cæci illam viderint: Ethnicos dico, quos inter Menander, vulgatum illud protulit, *dilectus Dijs, in iuuentute moritur.* Porphyrius lib. 1. ad Nemertium, adductus à S. Cyrillo lib. 3. in Iulian. diſertè affirmat, Deum aliquos è vitæ ſtatione educere adhuc adoleſcentes, propter pietatem: non ignarum quid futurum eſſet ſi non præuenirer, & ad ætatis plenitudinem eos venire annueret. Addit & hunc alium eiuſdem Porphyrij locum, Chryſippi quoque autoritate fœtum. [Chryſippus, qui Socratem ſequebatur, nolebat ad ea quæ fiebant dici; quis ſciuit? ſed, hoc omnino erat meliùs. Nam cum nequeant res meliùs diſpenſari, quàm vt Deus diſpenſat; decet omnino, in his quæ fiunt, exiſtimare quod ſic erat melius, habere vt habet. Non enim tibi quidem ſortito à Rege, vt prouideas partem aliquam principatus humani ad vtilitatem Reipublicæ, obedientiæ legibus, aliter licuiſſet ſolidam Rempublicam conſeruare; quàm vt hi quidem priuatim agant, & ſubditi ſint; alij publicis officijs fungantur. Alij verò occidantur, neque omnibus vita ſeruetur, quia neque omnibus hoc prodeſt. Ei autem qui ſic diſpenſat; non permittemus quæ ſua ſunt abſque reprehenſione diſpenſare, quod benè habeant omnia, vt iuſtificata ſunt, & per mortes ac viciſſitudines, & per ætatem incertitudines?] Lucianus in Anthologia l. 3. eodem flecti poteſt, cum ſic loquitur in perſona Callimachi pueri, immaturè prærepti;

Quinquennem rapuit puerum immiſerabilis Orcus,
Curarum vacuum, nomine Callimachum.
Sed me flere caue. Nam paucos vt breuis annos
Vixi; ſic vita pauca ſiniſtra tuli.

Potuit quidem hic Autor, numerare inter ſiniſtra, huius vitæ temporalia incommoda, quorum addenſationem mors immatura præuenit. Tamen quæ præcipuè ſiniſtra forent, eſſent peccata & mala moralia, quæ vitæ protractionem conſequerentur. [Quæ enim mala, vel ſola vel maxima deputanda ſunt (ait D. Auguſtinus 4. ciuit. cap. 2.) ſunt mala morum, non ea quæ ſtulti ſola perpeti exhorrent, corporis videlicet, externarúmque rerum quæ patiuntur & boni. Illa verò mala, non dico patienter, ſed libenter habent, quibus ipſi fiunt mali.] Ab hoc corrupto iudicio multorum filiorum ſeculi, etiam aliqui ſapientes Ethnici abhorruerunt, quos inter nihil vetat Poëtam adductum numerare, bona ex cita morte Callimacho collata, recenſentem.

XLV. Seneca creber & multus eſt in eadem doctrina tradenda. Epiſt. 99. vbi demonſtrauit in longiſſima vita minimum eſſe quod viuitur: atque adeò, etiam eum qui perbreui viuere videtur, æquare ſenes capulares; addit vrgens amicum, ob immaturam Aberi mortem afflictiſſimum. [Sed quis tibi concedat, non melius ſe habere eum, cui citò reuerti licet, cui ante laſſitudinem peractum eſt iter? Vita, nec bonum nec malum eſt. Boni ac mali locus eſt. Ita nihil perdidit ille, niſi aleam in damnum certiorem. Potuit euadere modeſtus ac prudens; potuit ſub cura tua, in meliora formari; ſed quod iuſtius timetur; potuit fieri pluribus ſimilis. Aſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria proiecit: aſpice illos qui ſuam alienámque exercent, mutuo impudici, quorum nullus ſine ebrietate, nullus ſine aliquo inſigni flagitio, dies exit. Plus timeri, quàm ſperari potuiſſe, manifeſtum erit.] Hæc ille, de paruulo quidem celeriter ſucciſo dicit; ſed qui iam luce rationis potiretur: & tamen adhuc per ætatem non eſſet altè demerſus in ſcelera, ſed ex ſenſu Ethnicorum, probus & iuſtus eſſet. Itaque ad hunc locum ſpectat eius oratio. Rurſus lib. de conſol. ad Marc. mortem quam omnibus ætatibus commodam docet, de nullis meliùs meritam ait, quàm de his ad quos venit antequàm inuocaretur. Multis, diu vixiſſe nocumentum creauit: quod probat ex Pompeio, quem exigui temporis adiectio, faſtigio ſuo depulit. Idem de Catone tradit: concludens nihil mali immaturam mortem attuliſſe Metilio. Additque cap. 22. cogitandum eſſe, illi hac morte conſultum fuiſſe; nec expediuiſſe illi vt diutiùs viueret: interuerti plerunque ingenia recta, nec qualem in adoleſcentia ſpem ſui fecerat, vſque in ſenectutem perferre. Subijcit cap. 23. exquiſitam ideam iuuenis, ſenilis moribus compoſitiſſimi, quem proinde negat par fuiſſe diutiùs viuere, quia vltimum tempus non expectant, quæ in primo maturuerunt.

XLVI. Clauſula apponenda eſt, paulo diffuſiori diſputationi de inæqualibus vitæ terminis, mutuo ſumpto inſigni ſenſu Æneæ Gazæi in Theophraſto dialogo, *ante medium*: vbi confirmat, inæqualitatem terminorum vitæ, ad vtilitatem noſtram prouideri à Deo, non à natura; penes quam non eſt vitæ dominium, nec iuxta vtilitatem varijs variam, terminos vitæ varios conſtitueret. Eſt ergo Dei opus ea inæqualitas terminorum; non ob præfinitionem horæ decretoriæ; ſed ob ſpecialem prouidentiam qua cuique ſtatuit certos denique fines, & aliquos quidem in extrema ſenecta, vitæ finem accipere ſatius iudicat, & ſibi ipſis & alijs in eo annorum multorum tractu egregiè commodaturos. Alios maturè demetendos, congruentius ducit; vel ipſis, vt malis ſubducantur opportuno exitu: vel etiam ſimul alijs, qui in eorum gratiam multa peccarent, iuſto ſollicitiores pro eis fortunandis ac locupletandis. Multa alia profert, quibus ſuadeat eam terminorum vitæ varietatem multiplicem, quam toto hoc puncto conſiderauimus, inſigne prouidentiæ argumentum ſuppeditare.

***

PVNCTVM XVI.

ERECTIO ANIMI ADVERSVS *mortis diſcrimina, & æquanimis eiuſdem quandocunque aduenientis exceptio fructus æqualis vtriuſque de vitæ ac mortis termino ſententiæ.*

MORTEM omnium terribilium eſſe terribiliſſimum vulgatiſſimum eſt ex Philoſopho 3. Ethi. cap. 6. nec eius metum eſſe vitioſum, ſed à natura inſitum; ideoque ſi cum debita moderatione ſuſcipiatur, haudquaquam eſſe auerſandum, comprobauit exemplo ipſe ſuo, Chriſtus Dominus: qui ad mortis imminentis occurſum, *cœpit pauere & tædere.* Neque enim abſorptus eſt à metu, vt acutè perſpexit ad eum locum Origenes: ideoque dictus tantum eſt, *cœpiſſe pauere ac tædere*, vt naturalem homini eſſe mortis metum oſtenderet. Quia tamen nihil facilius eſt, quàm vt tanti mali moles opprimat minùs canſoltos, conquiſita & ſuggeſta ſunt à ſapientibus aduersùs neceſſarium illud malum quod nemo poteſt ſubterfugere, munimenta atque præſidia, quæ paſſim proſtant apud Patres, ac etiam apud Philoſophos. Videndi nominatim S. Cyprianus libr. de mortalit. & Ambroſius libr. de bono mortis, Cydonius de contemnenda morte, & eiuſdem tituli opus Gulielmi Lapidani, nec non aliud Martini Eiſengrenij, de firma ſpe ac fiducia, mortis tempore. Inter ea præſidia, eminere videtur quod petitur ex præſtituto diuinitùs vitæ termino. Nam ſiue mortis diſcrimen extra moralem eius incurrendæ certitudinem adeatur, quæ eſt fortitudinis aggredientis functio; ſiue mors certò imminens ſit excipienda æquanimiter, qui eſt alter fortitudinis ramus, ſpectans perpeſſionem; nullum videtur fortius & opportunius ſuppetere poſſe præſidium, quàm quod petitur ex conſideratione propoſita. Secernamus vtrumque illud caput, vt ad vtrumque æquè commodare ſententiam cui inhæſimus, de vitæ termino, perſpicuum fiat.

Audacia ex perſuaſione de præfinita mortis hora.

II. ADuersùs mortis diſcrimina, vt quis non cedat, ſed contra audentior eat, magnam animo erectionem conciliari à ſententia, decretoriam mortis horam & antecedens Dei decretum de vitæ ac mortis terminis admittente, docet exemplum Saracenorum: quos vidimus clauſis oculis irruere in omnia mortis pericula, ex ea perſuaſione quod fixam à Deo mortis horam, nec defugere liceat, nec anteuertere. Ac ne gentem brutam ac carneam, ſtupore potiùs aut effrænatione animi, quàm ratione agi quis cauſetur; videri poteſt eodem incentiuo vſus Iudas Machabæus, ducum generoſorum idea. Is enim in præſentiſſimis periculis ſemper impauidus, & interritus fuit; cum recogitaret, fixum eſſe à Deo vitæ terminum, quem nulla humana ſtudia facere poſſint ocyorem aut tardiorem. Inſinuant hoc illa eius verba 1. Machab. 3. cum magnum ingrueret mortis diſcrimen ex prælio, cum hoſtibus & numero & fortitudine timendis. *Melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & Sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Clarè verò ferre videtur agnitam à Iuda horam decretoriam, antecedenter cuique ſtatutam; indeque hauſiſſe erectionem animi aduersùs pericula; qui dixit 1. Machab. 9. ante extremum prælium, animans ſuos; quibus ſatius videbatur, cum eſſent perpauci, hoſtes autem valdè multi; recedere tantiſper, expectando opportuniora pugnandi tempora At Iudas è contrario. *Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis. Et ſi appropinquauit tempus noſtrum, moriamur in virtute, propter fratres noſtros.* Irruere in aperta mortis diſcrimina ex ea præconceptione, vt ſi voluntas Dei ferat, hominum tunc occumbere ſic fiat; item in virtute, hoc eſt, generosè ſe committere præſentiſſimo mortis periculo; perſuaſum non occubiturum, niſi appropinquauerit tempus eius; præfinitionem mortis ſtato tẽpore reſipit. Et inde ea tanta Iudæ in omnibus periculis fiducia, & animi erectio.

Negari non poteſt, quin homo ea occupatus perſuaſione, robur & æs triplex circa pectus habeat, aduersùs omnia mortis diſcrimina. Quidni enim intrepidus ruas in quodcunque discrimen, cui certum habeas te non ſuccubiturum, niſi hora illa aduenerit, ante quam perire non potes; ſi autem aduenerit, fruſtra diſcrimen defugias? Obtundit ea exiſtimatio, aciem periculi; illudque, ac ſi nullum reipſa eſſet, homini obijcit: qui eſt præcipuus ſous audaciæ.

Par fructus, abſque perſuaſione præfinitionis.

III. NIhilominus, vera ſententia quæ præfinitiones termini mortis diffitetur, non minùs aduersùs quæuis mortis diſcrimina inſtituitur, quam ea quæ horam decretoriam admittit. Supponitur enim mortem homini non obuenturam, niſi ex ſpeciali numinis prouidentia. Vndè fiducia & alacritas ingeneratur, & periculorum quantumcunque grauium contemptio Iudam Machabæum de præfinitionibus non cogitaſſe, ſed ex fiducia in Deum, ſi fortè mors ingrueret, monſtraſſe intrepiditatem, Serarius accuratè proſequitur David Pſal. 30. hunc ſibi fuiſſe ſenſum docuit, cum dixit in grauiſſimo mortis ab hoſtibus intatis diſcrimine: *In eo dum conuenirent ſimul aduersùm me, accipere animam meam conſiliati ſunt. Ego autem in te ſperaui Domine; dixi, Deus meus es tu in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua. Domine non confundar, quoniam inuocaui te.* En originem fiduciæ, & alacritatis Dauidis, in tanto diſcrimine. Agnouit Deum ſibi eſſe Deum: eius prouidentiæ ſe commiſit, gnarus in manibus Dei eſſe tempora ſua. Sic enim legunt alij, pro eo quod vulgatus *ſortes* dixit. Notauit ibi Theodoretus

retns, eam lectionis varietatem. Sunt autem propriè in Dei manibus tempora nostra; Id eſt, cum aliæ viciſſitudines temporariæ, quibus obnoxij ſumus; tum nominatim vita & mors. Ex eo igitur quod vitæ ſuæ interciſionem vel prorogationem, ſubeſſe Deo agnoſceret Dauid, eximiam concepit in ſummis diſcriminibus fiduciam, ita vt licet mortis pericula eum obuallarent, ſpe tamen ac fiducia in Deum munitus, ſciret ſe non confundendum. Eadem alacritas Suſannam innoxiam, cum ad necem iam traheretur, deiectione animi prohibuit. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, vt Scriptura ipſa notauit. Nihil ſanè erectius, aut viuidius ſpe prouidentter concepta, qualis eſt quæ Deo nititur. Clemens Ales. 1. pædag. eam ob cauſam, vocauit ſpem, *ſanguinem fidei*, ita vt quemadmodum abſque ſanguine corpus obſtipum iacet; habet autem à ſanguine alacritatem: ita fides abſque ſpe careat vigore. Eum verò interuentu ſpei conciliet homini, præſtetque illi inter grauiaquæque, etiam mortis pericula, erectionem animi ac firmitatem. S. Chryſoſtomus homil. 9. in 1. ad Theſſalon. Spem *animæ galeam*, ideircò nominat. Et poſſet profectò dici *Orci galea*, cuius eſt apud Nazianzenum mentio orat. 3. Aduerſus Orcina namque diſcrimina, optimè tegit atque communit; non vt illa Homerica Orci galea, caliginoſa, & ſubducens hoſtium viſui; ſed ſplendore ſuo, Orcina mortis diſcrimina diſcutiens, cum monſtrat quàm non ſit timenda, imò quàm reuera non debeat videri mala, præ bonis in quæ hominem infert, vt S. Cyprianus libr. de mortalit. præclarè diſſerit. Ex eo autem quod malum non iudicetur malum; naſcitur audacia aduersùs illud, ex Seneca Epiſt. 8. Eſt & alius fons audaciæ, qui hîc non deficit: nempè quod homo perſuadeatur, quod præ diuina protectione, ſi ita expediat, ſit declinãda mors. Hanc enim eſſe fiduciæ & audaciæ in grauibus diſcriminibus idoneam cauſam, Ariſtoteles admonuit 2. Rhetor. cap. 5. Eos enim animis erigi & audere ait, quibus benè cum Deo conuenit: quod ſperent ſe à Deo regendos, inter diſcrimina. Vel ſi hæc vna ſuppeteret erigendo animo ratio, ne mortis diſcriminibus terreretur, abactis licet præfinitionibus terminorum vitæ & mortis; videri deberet ſatis firmatus & vigore inſtructus Chriſtiani animus, aduersùs quæcunque mortis diſcrimina.

IV. Suppeditat verò inſuper aliud audaciæ, (vt ſic dicam) ignitabulum, charitas in Deum, ob quem aditur diſcrimen mortis: ſiue captando ipſius Dei bonum, quod fecere innumeri Martyres, vitam perdere certi: potiùs quam diuinas leges conuulſas vellent: ſiue conſulendo proximis propter Deum, non abſque præſenti mortis diſcrimine. Actus hac & Dei & proximi charitate Apoſtolus, adeò nullo loco habebat omnia pericula mortis vndecunque demum poſſent ingruere, ac ſi impenetrabilis omnibus telis fuiſſet; ita vt conteſtaretur, ſe certum eſſe quod neque mors, neque profundum, neque creatura vlla poſſet ipſum abſtrahere à charitate Dei. Præclarè eum locum librat Theodoretus orat. de de Charitate. Martyrum fortitudo & erectus aduersùs præſentiſſima mortis pericula animus, vt latè monſtro in opere de Martyrio. part. 4. cap. 3. non aliundè magis ortum habuit, quàm à charitate in Deum quâ flagrabant. Sanè ſi conſpectus Principis, (quod Dio orat. 3. & Syneſius orat. de regno obſeruarunt,) aptiſſimus eſt ad incendendos militum animos, ita vt nullo mortis diſcrimine auocentur ab alacri in hoſtes impetu; ideoque expedire vt princeps adſit prælantibus, idem Dio & Syneſius admonent; quis non videt, qui animi, ſacris Dei bellatoribus accedant, cum recogitant ſe pro eius gloria certare imò ipſũ eſſe; qui in eis certat, vt multi Patres loquuntur; ſignati in eodem opere p. 2. num. 21. Præliantes hæc prælia Domini Martyres, dici poſſunt ſanctificaſſe ritum profanum Spartiatarum, à Cretenſibus hauſtum, Athenæo teſte l. 13. Nimirum in procinctu belli, ſacrificabant amori; vt inde creſcerent animi, & audacia exurgeret. Imitati id quoque Thebani, apud quos erat ſacra militia ex amatoribus conflata, nullo exterrenda diſcrimine.

V. Habet itidem Chriſtiana Eccleſia, ſuos in pace Martyres, ac ſtrenuiſſimos bellatores, quos audentes in quæuis mortis pericula irruere facit, longè ſanctiùs, quàm Cretenſes illos; aut Spartiatas, vel Thebanos, amor de excelſo miſſus in oſſibus eorum, vt de ſe dicebat. Hieremias, *Parabolanos* Intelligo. Sic enim lib. 18. Cod. de Epiſc. & Cler. appellantur, qui graſſante peſte, interriti ad quodcunque mortis diſcrimen, ac ſanctè proiectæ audaciæ homines perinde ac ſi ex illis eſſent in vulnerabilibus Deorum filijs, quos Pindarus in. Iſthmijs Oda 3. celebrat, lethalia ſua ſpicula, & aggeſtas mortibus mortes, intrepidi deſpuunt. Id eſt eſſe quod *Parabolani* nomine ſignificatur liquet ex 11. Tripartitæ hiſtoriæ, vbi vulgus Conſtantinopoli inducta in Amphiteatrum crudeli beſtia, popoſcit parabolum, verbis illis: *Crudeli beſtia, artifex parabolus pugnet*. Fiduciam & erectum animum his Parabolanis, ſtrenuis planè bellatoribus, quos Dionyſius Alexandrinus, nihil à martirij ſplendore propter incredibilem charitatem abeſſe pronunciauit, non conciliat perſuaſio de vitæ ac mortis præfinitione æterna, vnicuique à Deo ex ſe poſita, ſed quæ fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus, æmulatio.

Quid verò Sanctorum, ex charitate Dei deriuatam animi erectionem aduersùs mortis pericula, abſque præfinitionum vitæ & mortis perſuaſione vrgemus, cum videamus quo impetu in venabula & haſtas ſe induant feræ, ex pignorum ſuorum amore, nullo à præfinitis vitæ terminis cogitationi earum obuerſantibus ſubſidio aduersùs diſcimina? Eſt verò adeò imperterritus earum ad pericula animus, vt mulieres quæ periculis cedunt, nec præ mollitudine, non ſicut brutæ femellæ, contrà audentiores eunt, magnam ignauiæ labem generi humano aſpergere dicat ex Platone Syneſius Epiſt. 131. Sit igitur flagrans & perfecta in Deum charitas, cum diſcrimina mortis Inter curandum aliquod Dei bonum ingruunt; nec erit opus à præfinita mortis hora, animi ignitabulum (vt ſic dicam) in diſcriminibus illis petere.

Æqua

Æquanimis perpeſſio mortis, fructus alius perſuaſionis de mortis perfinitione

VI. AD alteram fortitudinis functionem circa mortem, hoc eſt ad æquanimem eius perpeſſionem cum aduentat, videtur, multùm conferre præfinitiones terminorum, ac mortis. Quod enim fixum eſt à Deo, & ineuitabiliter homini ſubeundum, quis non iudicet eſſe æquanimiter ſubeundum? Adhibent hoc imperterriti in morte animi præſidium, ſapientes Ethnici, quos inter Hierocles ad Carmen 14. & 15. Pythagoræ. Præfatus enim prudentiæ munus eſſe, quod ibi mandat Pythagoras, noſſe fatum eſſe mori omnibus, ſubdit. [Conſiderat prudentia rerum naturam, videtque omnia neceſſariò quæ ex terra & aqua prodierunt in eadem rurſus diſſolui; nec aduersùs neceſſitatem exaſperatur immaniter: Nec habet pro ignomia, eorum quicquam quibus ſumus obnoxij: nec dubitat quod mortale eſt, interire. Nouit enim fatum eſſe mori omnibus, & quod ſit corporum noſtrorum durationi tempus definitum; quo inſtante, non decet ægrè ferre, ſed ipſum veluti legem diuinam amplecti, non repugnantes. Idipſum enim eſt quod *fati* nomen hoc loco ſignificat, vt terminis quibuſdam neceſſarijs vitam hanc mortalem nobis definiri demonſtret,] Eadem paſſim vox cæterorum, lenimen ad æquanimem mortis exceptionem petentium, ex ineluctabili neceſſitate fati à quo infertur.

VII. Non eſt operoſum, videre quàm perſuaſio præfiniti antecedenter à Deo termini vitæ noſtræ, conferre poſſit ad æquanimem mortis exceptionem. Vt quid enim obniti velit quis, contra ineluctabile decretum? Si ictum fluuij, id eſt dominatum potentis, ferendum eſſe, nec conari contra eum oportere, monebat Sapiens; cum tamen humanus dominatus tam multis rationibus poſſit euacuri; quantò iuſtiùs, non obniti aduersùs Dei decreta, quæ nullius induſtria declinare, nullius facultas impedire, aut remorari vel minimum poſſit? Quinetiam humana decreta, ab eo ipſo qui ſciuit, reſcindi poſſunt, mutata voluntate: quod (vt Balaam Magus apud Originem latè vrget homil. 16. in Numer. ad illud capitis 23. *Non eſt Deus, quaſi homo vt mutetur.* in diuina decreta antecedentia non cadit. Idque Ethnici quoque perſpexerunt.

Non enim Diuum, mens vertitur, Aſtricolarum.

vt habet Poëta Iliad. 6. Eamque ob cauſam, ne Deum quidem ipſum neceſſitati fatali repugnare poſſe, quia ſeipſum negare non poteſt, aut per inconſtantiam à ſemel abſolutè conſtitutis deficere, dixit Plato in Protagora; iteratque in conuiuio: & lib. 5. ac 7. de leg. Specialiterque à morte per neceſſitatem Parcarum Matrem, (ſic vocabant diuinum de morte decretum antecedens) alicui conſtituta, ne Deum quidem liberare poſſe, eodem libro dixit Poëta ita canens.

Ad vero mortem communiter omnibus æquam.
A dilecto homine neque Dij depellere poſſunt,
Quam funeſta dies fati iam iam vrget acerbi

Nimirum non poteſt Deus, ſecum pugnare, & quæ abſolutè velle ſupponitur, ſimul nolle.

Conſilium ergò ſapientiſſimum eſt, quod in hanc rem Publius Mimus referente Gellio ſuggerebat. Feras, non culpes, quod vitari non poteſt. Æquanimiter excipiendum eſt, quod diuina lex abſoluta & antecedens, decretum indeclinabile & ineluctabile efficit. Hunc fructum à ſententia de præfinito vitæ ac mortis termino, eruere licet. Quinetiam hæc cogitatio, Ethnicos pleroſque non modò liberabat angore ex timore impendentis mortis ſed etiam vrgebat; vt in omnem licentiam ſoluerentur, dum per tempus licebat, aberatque hora decretoria: cuius cogitatus meminiſſe Iſaiam, notaui lib. 6. de virtut. num. 86. Eum exhibebat quoque Martial. lib 4. Epigr. 41. aliàs 54.

Si ſapis, vtaris totis Coline diebus,
Extremumque tibi ſemper adeſſe putes.
Lanificas, nulli tres exorare puellas
Contigit; obſeruant quem ſtatuere diem.
Diuitior Criſpo, Thraſea conſtantior ipſo;
Lautior & nitido ſis meliore licet.
Nil adicit penſo Lacheſis; fuſoſque ſororum
Explicat; & ſemper de tribus vna ſecat.

Et contemptionem igitur mortis ingenerabat his Ethnicis perſuaſio præfinitæ mortis, & acuebat voluntatem fruendi bonis, dum per tempus liceret, quo per aduentum horæ decretoriæ, priuandos ſe eſſe fixum habebant.

Idem fructus, excluſa falſa perſuaſione mortis præfinitæ.

VIII. NOn tamen deficiunt veram ſententiam præfinitiones terminorum vitæ ac mortis abnegantem, idonea æquanimitatis ad excipiendam mortem incentiua; cum ex alijs pleriſque capitibus, quæ expendunt qui de bono mortis, aut de ea non timenda, ſed contemnenda diſſerunt; tum nominatim ex neceſſaria cuiuis homini conſenſione cum Dei voluntate. Hoc enim æquanimitatis ſubſidium, quod ad ſubeundas imperturbatè perpeſſiones damnorum in externis bonis, Seneca, Antoninus, Epictetus, & alij ſapientes Ethnici adducti lib. 5. de virtut. à num. 72. ſubminiſtrant, æquè, ac etiam fortiùs vrget circa mortis exceptionem: cuius tam ſpecialior eſt cura Deo & prouidentia, quàm eſt vita, homini intimior quibuſuis externis bonis. Itaque nulla, cum de morte excipienda agitur, frequentiùs audita à ſanctis viris vox, quàm conſenſionis cum Dei voluntate. Hinc illis fluctum mentis inter procellas ac turbines, fatiſcentis à morbo corporis. Nec refert quod aliquando mors inferatur per peccatum, quod Deus approbare non poteſt. Menti tamen ritè compoſitæ, & pendere à Dei nutibus aſſuetæ, diuina permiſſio; (quæ numquam deeſt, & ſine qua mors non fuiſſet per peccatum illata;) pro lege eſt, iuxta ſenſum Dauidis, tanquam ex diuino præcepto intortam æquanimiter excipientis maledictionem, quæ reuera non præcepto Dei, ſed permiſſu tantùm obtingeret. Et tamen quia Deus, cum poſſet prohibere maledicentem, non prohibuerat, ſed ei ſic furere permiſerat, armat ſe Dauid, æquanimitatem, eo effato, *Dominus præcepit ei vt malediceret mihi.*

IX. Igitur fructus ille æquanimiter excipiendæ mortis, qui ex hac ſententia euitis à Deo antecedenter conſtituta, colligi poſſe videbatur, æquè colligitur ex ſententia præfinitiones terminorum vitæ ac mortis ablegante, & ſiſtente in diuino decreto conſequente, aut etiam in diuina permiſſione. Quæ magna ſemper fuit ſementis ſecuritatis animi, bonis animabus; ac nominatim in morte, cum recogitarent, Deum cui ſetæ porcorum ſunt in numerato, vt dixit Tertullianus lib. de fuga in perſ.c.2. & ſine cuius nutu, ne poſſet quidem aut arboris ſolium cadit in terram; prouidiſſe, vt homo tunc temporis, & eo loci, ac tali mortis genere, caderet: Et qua eſt in nos paterna voluntate, non niſi quod condocibiliùs nobis; & ad finem gloriæ ſuæ opportuniùs eſſe perſpexerit, curaturum, aut permiſſurum fuiſſe. [Hæcque eſt vera ratio placandi numen admodùm accepto ſacrificio, vt optimè perſpexit Origenes hom. 8. in Geneſ. tractans Abrahami vnicum filium immolare deſtinantis, magnanimitatem & conformitatem eum diuina voluntate. Peroptans ſiquidem Origenes, fideles omnes quibus charos præmori contigerit, Abrahamum hac in parte imitari, etiamſi filios chariſſimos eſſe quem ſibi præreptum mœrerent, ſic philoſophatur, poſt heroicam Abrahami virtutem in hoc facto præmiſſam. [Multi eſtis Patres in Eccleſia Dei qui hæc audiſtis. Putas aliquis veſtrô, ex ipſa Hiſtoriæ narratione, tantum conſtantiæ, tantum animi robur acquirit, vt cum fortè amiſerint filius morte communi & omnibus debita, etiamſi ſit vnicus, etiamſi ſit dilectus, adducat ſibi in exemplum Abraham, & magnanimitatem eius ante oculos ponat. Et quidem à te non exigitur, iſtud animi magnitudinis, vt ipſe alliges filium, ipſe conſtringas, ipſe gladium pares, ipſe vnicum iugules. Hæc omnia à te myſteria non quæruntur. Propoſito ſaltem, & mente conſtans eſto. Fide lætus offer filium Deo. Eſto Sacerdos animæ filij tui. Sacerdotem autem immolantem Deo, non decet flere. Vis videre quia exigitur hoc à te? In Euangelio Dominus dicit, *ſi filij Abraham eſſetis, opera vtique Abrahæ faceretis*. Ecce iſtud eſt opus Abrahæ. Facite opera quæ fecit Abraham, ſed non cum triſtitia. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quod ſi & vos tam prompti fueritis, à Deo dicetur vobis, *Aſcende in terram excelſam, & in montem quem oſtendero tibi, & ibi offer mihi filium tuum*. Non in profundis terræ, nec in conualle fletus, ſed in altis & excelſis montibus offer filium tuum. Oſtende quia fides in Dominum, fortior eſt quàm carnis affectus. Amabat enim (inquit) Abraham, Iſaac filium ſuum. Sed amori carnis prætulit amorem Dei. Et inuentus eſt non in viſceribus carnis ſed in viſceribus Chriſti, id eſt in viſceribus verbi Dei & veritatis, & ſapientiæ.] Sunt æquè in his viſceribus quotquot Dei voluntatem qualem deſcripſimus, ad mortem charorum interueniſſe conſiderantes, ei ſe æquanimiter conformant, refugientes contra ſtimulum calcitrare.

PVNCTVM XVII.

LENIMEN IN MORTE charorum ex diuina præfinitione illegitimum. Contraria ſententia, idoneis eiuſdem doloris malagmatibus abundat.

I. SVBVNDVS deuique eſt portus, poſt longam agitationem eo conſilio ſuſceptam, vt appareret quanti reuera eſſe debeat, conſolatio quam Fatarij ſapientes, parenti ob dulciſſimi filij præcocem mortem mœrenti, petebant ex diuino decreto antecedente, cuiuis certos vitæ terminos nobis ineluctabiles, figente. Eſſe verò hanc conſolationem malè ſubnixam & inanem, ſufficienter (quantum exiſtimo) eſt demonſtratum. Neque recta eam adhibent vnquam Chriſtiani ſapientes. Patres dico; ſed ſi quandoque acquieſcendum monent diuinæ voluntati, in quam referre videantur mortem eorum, pro qua adhibent afflicto conſolationem; accipiendi ſunt de voluntate conſequente curſum cauſarum inferiorum, cáſue moderante ac diſponente, conſentaneè cuiuſque maius bonum: ita vt in illis adiunctis, mors conſequatur. Quæ voluntas diuina, in ſpeciali prouidentia quam Deus habet de cuiuſuis hominis morte, continetur. Et quia par eſt, voluntatem, Dei etiamſi conſequentem tantùm, nec à Deo ea ſe conceptam, homini benè compoſito, & erga Deum ritè animato, eſſe pro lege, cui acquieſcat, nec obſtrepere irreuerenter audeat: idcircò Patres, à diuina voluntate ſolatium in morte charorum ijs admonent, quorum lenire dolorem ſatagunt. Sic S. Hieronymus Epiſt. 25. conſolans S. Paulam in obitu filiæ eius Bleſillæ. S. Paulinus Epiſt. 37. cum ex modo quo Dauid pater, erga paruulum filium vita functum ſe geſſit, captat Pammachio conſolationem in morte Paulinæ ſororis Bleſillæ. Ennodius l.2. Epiſt. 1. ſolans Armenium in morte filij, & ſi qui alij in ſimilibus occaſionibus, à diuina voluntate lenimentum mœroris in morte charorum, petendum cenſuerunt.

Exploſa mortis præfinitione, apta mœroris lenimenta in morte charorum, tripertitò digeſta.

II. ABactis ergò terminorum vitæ & mortis præfinitionibus ineluctabilibus, vnde ſolatium mœſtis morte liberorum parentibus, vel alijs aliorum charorum obitu afflictis, ſoli ſapientes Ethnici fato addicti petierunt; attingenda ſunt idonea eiuſdem mœroris lenimenta. Acerrauit varia luctus in morte charorum leuamina Nauarrus digreſſione ſubiecta c. 19. Deo ratione

recenſens

recenſens Chriſtiana in eo euentu ſolamina ad viginti & octo. Inter vulgo viuipara, & paſſim obuia quorum primum & valdè tritum, iam indicatum eſt, ductum ex diuina voluntate conſequente curſum cauſarum mortem inferentium, nec hunc eius effectum impediente, cum poſſet, ſi pro ſumma ſua ſapientia ſic expedire iudicaſſet. At Deus qua eſt viſus intellectualis perſpicacia, penitiſſimè introſpiciens, etiam quæ ſequerentur, ſi homo diutiùs viueret, bono eius conſulens, ſtamen vitæ ſuccidit præſtabilius cenſet, ne per vlteriorum paucorum dierum vſuram, homo in æternum ruat exitium. De hoc diuino conſilio, dictum diffusè eſt puncto præcedenti. Vbi etiam actum eſt, de bono eorum qui cum obeunte ſunt nexi; quod bonum plerunque à Deo capturus, permiſſa morte eius qui cum nimium conciſcerata intercedebat neceſſitudo ſuperſtitum. Hæc tamen vniuerſalia non ſunt, nec inde poteſt peti lenimentum doloris ex obitu quorumcunque charorum: quia poſſet contingere, vt in aliquo, nulla rationum propoſitarum abſtergendi mœrorem, haberet locum. Sunt autem alia quædam lenimenta adeò vniuerſalia, vt ſemper poſſint adhiberi. Eiuſmodi ſunt, quæ petuntur ex huius migrationis termino à quo, & termino ad quem, & ipſa deniquè migratione. Percurramus hæc ſingillatim, & ferè verbis ſapientum, vt amœnior, & fructuoſior, grauiorque diſputatio.

Morientium receſſus: à quantis fluctibus ac motibus.

III. Terminus à quo recedit qui migrat vita, eiuſmodi eſt, vt poſſit vberi conſolatione perfundere eos quibus charus eſt qui migrauit; ſi verè eum ac ſyncerè diligunt, & non ſeipſos in illo: quod multis contingit, dolentibus migraſſe eum, à quo fructum aliquem ſibi aut familiæ ſperebant, Cæteroqui, quæ amicitia eſt, expetere ei qui abceſſit quod nemo ſi ſapiat, expetat ſibi? Petrus Cellenſis Epiſtola 81. præ noſtro hîc ſtatu fluxo & irrequieto id ita ſuadet [Varius rerum curſus, ſæculorum volubiliteri irremediabiliter innexus, nihil ſtabile, nihil æternum ſibi ineſſe, euidenti ratione approbat. Currit, fluit, fugit, labitur, euaneſcit quidquid vnquam habere poteſt mundanus vſus. Præcurrit defectu ſatietatem; prætetfluit adeptio appetitum, effugit inſtantiam deſiderij fumna gloriæ; elabitur vtenti imago fœlicitatis; euaneſcit à viuentibus vita; quia dum ordiret, ſuccidit me. Summa itaque dementia eſt, currere poſt defectum, appetere non apprehenſibile, inſtare fumo, vel imagini pro veritate: velle diu ea vita viuere, quæ iuxta Gregorium vitæ æternæ comparata; mors potiùs dicenda eſt, quàm vita.] Hæc argumentatio ducta ex præſentis vitæ ſtatu, à quo per mortem receditur, non modò probat, nemini graue eſſe debere hinc emigrare; ſed etiam patienter ferri oportere ab vnoquoque, migrationem eorum quos charos, habet: quippè qui ſtatum adeò inſtabilem ac fluxum mutarint meliore.

. IV. Nec tantùm ſtatus eſt fluxus ac inſtabilis ſed etiam calamitoſus ac ſcatens miſerijs. Migrauit ergò qui mortuus eſt, è lacu miſeriæ, & è luto fæcis? migrauit è vita ærumnoſiſſima, quam ſubijt lachrymans, & miſerias ſuas prophetans; vt de naſcentium fletu philoſophatur Tertullianus lib. de anima, cap. 19. & S. Auguſtinus ſerm. 26. de verb. Apoſt. Ethnici ipſi. (quod S. Ambroſius lib. de fide reſurr. obſeruauit) naſcentes deflebant, conſcij quanta mala eos manerent: In morte verò obeuntium, lætabantur; videntes è quantis calamitatibus ac ærumnis eſſent abſtracti. Ærumnæ præſentia vitæ; tot & tantæ ſunt, vt expoſitore ac interprete non egeant, cum quiſque eas paſſim alieno experimento velut attrectet. Fuſus tamen eſt in eis recenſendis S. Cyprianus Epiſtola ad Donatum, & lib. de mortal. nec non S. Auguſtinus, refellens eos qui poſſe hic hominem frui beatitudine ſomniabant lib. 19. ciuit. à cap. 4. & lib. 21. cap. 14. & lib. 22. cap. item 22. & nos fusè in morali diſtinct. 1. excludendo à ſtatu præſentis vitæ, fœlicitatem. Tot ſanè & tantæ ſunt huius vitæ mala, à quibus morte abducitur qui moritur vt cum Hegeſias de eis in ſcholis diſputaret, plerique mortem ſibi conſciſcerent. Quæ cauſa fuit, cur à Ptolomæo prohibendus fuerit Hegeſias, verſare deinceps illud argumentum, vt Tullius 1. Tuſc. commemorat. Sunt hic perpetui fluctus, & indeficientes procellæ, mare noſtrum agitantes; & quidem etiam in fluſtro, vt S. Auguſtinus notauit ſerm. 13. de verb. Dom. Sunt perpetua certamina, vt S. Chryſoſtomus homil. 3. in 1. ad Theſſalon. & S. Cyprianus lib. de mortal. *ferè initio*, conſiderant. Dimicamus iugiter contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, hoc eſt cum Satana, eiuſque copijs per hunc aërem ſparſis, propè immenſo numero, iuxta Auguſtinum lib. de agone Chriſtiano, cap. 5. Nec tantùm foris pugnæ, ſed etiam inteſtinum eſt bellum. Videndus Richardus Victorinus tract. 1. de ſtatu. inter. hom. à cap. 8. inferens ibidem & cap. 34. ſummam hic miſeriam hominis, ex iugi fluctuatione animi, per varios affectuum turbines, & ex pugna ſecum ac colliſione cum ſeipſo per totam vitam. Mentis & voluntatis vertigo, & inconſtantia, ac fluctuatio perpetua, neminem latet. S. Eugenius iunior, iugem hanc mentis noſtræ vertiginem, irrequietam ſemper mobilitatem, ſic deplorat.

Neſcia mens noſtra fixum ſeruare tenorem,
Nolumus, & volumus; non vnum ſemper amamus;
Diſplicet ante placens, atque olim complacet horrens.
Nunc rectum ſequimur, nunc prauum corde tenemus.
Nunc ſancti caſtique ſumus, nunc ſcorta fouemus,
Nunc pollens ſobria, & nunc marcent ebria corda.
Semper in ambiguo voluuntur pectora curſu.
Quid iam plura loquar? quod lucent ſydera cœlo,
Quot punctis hora, quot currunt ſæcla momentis
Tot noſtram faciem mutat ſententia formis.

Quod mare, per plures fluctuum motus ſuſ deque voluitur, & agitatur aſſiduè?

V. Ab his fluctibus & certaminibus, qui moritur, tranſit in pacem & requiem. Idque agnoſcens Eccleſia, in exequijs mortuorum illud Pſaltis vſurpat in perſona defunctis. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, vt obſeruauit S. Chryſoſtomus homilia 32. in Matthæum. Qui inde ſic ratiocinatur, alloquens

eum qui immoderatè deflet defunctum. [Rem iſtam Deus *beneficium* nuncupat ; & tu leges ? Quid feciſſes amplius, ſi defuncti hoſtis & inimicus fuiſſes ? Nam ſi lugendum eſt, Diabolum, oportet lugere. Ipſe plangat, ingemat ipſe, quoniam ad maiora tendimus bona. Ipſius eſt digna nequitia, huiuſmodi deploratio ; non tibi conueniens qui coronam & requiem expectas. Tranquillus enim eſt portus, mors. Itaque conſidera, quot plena malis eſt vita præſens. Cogita quoties & ipſe præſentem execratus es vitã. Res etenim in deteriora prolabuntur. Quin & ab initio non paruam ſortitus es damnationem. *In doloribus enim* (ait) *paries filios. Et in ſudore vultus tui, veſceris pane tuo.* Et *In mundo tribulationem habebitis.* De illic verò poſitis, nihil huiuſmodi dictum eſt, ſed omne contrarium ; quia fugit dolor & gemitus, & triſtitia ; Et quod ab Oriente venient & Occidente, & recumbent in ſinibus Abraham, Iſaac, & Iacob. Et quod illic ſpiritalis ſponſi thalamus ardenteſque lampades, & in cœlum tranſitus. Quid itaque defunctum confundis ? *&c.* Itaque planum eſt, quod non ex charitate, tuæ ſunt lachrymæ, ſed ex irrationali motu : quoniam ſi defunctum diligeres, gaudere oporteret atque lætari, quod ex præſentibus procellis eſſet abſolutus. Quid enim amplius ſupereſt, quæſo ? Quid verò peregrinum & nouum ? Nùnne per ſingulos dies, eadem cernimus retorqueri ? Dies & nox, nox & dies ; hyems & æſtas, æſtas & hyems ; & amplius nihil. Et hæc quidem, ſemper eadem : mala verò peregrina & recentiora. Hæc igitur ipſum ſuſtinere per ſingulos dies ; & hic manere volebas ; & ægrotare, flere, formidare, & contremiſcere ? Et has quidem pati moleſtias, has verò ne patiatur timere ? Nec enim illud dicere poſſis, quod hoc vaſtum nauigans mare, poſſit mœrore, & curis, & alijs huiuſmodi liberari.] De ſubitione portus per mortem & conſolatione inde petenda in charorum obitu, inſigniter Nazianzenus orat. 19. *ferè initio.*

Idem morientium receſſus, à quàm tetro carcere.

VI. GRegorius Nyſſenus orat. de mortuis propoſita alia imagine, idem doloris, quem abſtergere ſatagimus, lenimentum adhibet. Conſiderat enim hominem in hac vita eſſe velut in carcere. Nam etiam Tertullianus lib. ad Martyres, cap. 2. concluſos carcere Martyres admonebat, vt recogitarent ipſum magis mundum, carcerem eſſe. [Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremò mundus reos continet, ſcilicet vniuerſum hominum genus. Iudicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet.] Eadem cogitatione, Thomas Morus, ſuam in carcere concluſionem, pro Iuſtitia & fide Catholica leniebat, referente Sandero lib. 1. de ſchiſm. Anglic. ad annum 1534. Eiuſdem Mori eſt illud ex Pallada in Anthologia expreſſum.

Damnati ac morituri in terra claudimur omnes
Carcere; in hoc mortem carcere nemo fugit.
Carceris in mutas deſcribitur area partes,
Inque alijs alij partibus ædificant.
Non aliter quàm de regno, de carcere certant:
In cæco cupidus carcere condit opes.
Carcere obambulat hic vagus: hic vincitur in antro,
Hic ſeruit, regit hic, hic canit, ille gemit.
Iam quoque dum carcer, nõ tanquam carcer amatur,
Hinc alij alij mortibus extrahimur.

Nec mundus duntaxat quantuſcunque eſt, reuera eſt carcer communis omnium hic viuentium, ſed ſunt multi intra eam maiorem & vniuerſalem carcerem, minores ac interiores carceres ; vt ille intra carcerem carcer interior, de quo Lucas Actor. 16. *Cuſtodiarũ in quod de carcere tranſitur,* appellat Tertullianus lib. ad Martyres cap. 2. At Prudentius Hymno de S. Cypriano, vocat *antra altiùs repoſta, cõſcia Tartareæ caliginis, abdita ſoli.* Sũt priuati ac proprij carceres de quibus vana eſt Gigantis quæſtio lib. 1. de crim. læſæ maieſt. q. 35. diſputantis, ſitne licitus carcer priuatus. Nam hic carcer priuatus, non modò eſt licitus ſed etiam neceſſarius : ita vt declinari nequeat, quamdiu hic vita exigitur. Et cum alios carceres effugere data opportunitate liceat abſque noxa, ex iſto nemo abſque ſcelere iniuſtus fugit. Eſt enim cuique animæ, carcer corpus. In quam ſententiam egregiè philoſophatur S. Gregorius 4. moral. cap. 40. & 41. ad illud *vincti quondam pariter ſine moleſtia;* qui obſeruat, propterea Paulum vocaſſe mortem *diſſolutionem;* & Dauidem *libertatem gloriæ præſagientem, per anticipationem dixiſſe, Dirupiſti Domine vincula mea.* Idemque firmat 8. moral. c. 16. & 17. tractans illud, *numquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere.* Ibi colligati & coniuncti ſunt, vt olim reus & carnifex, ex Seneca Epiſt. 5. & ex S. Auguſtino ad illud Pſalmi 128. *prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Pluribus id illuſtrat Lipſius ad 3. Taciti Annalem. Liceat planè ad hunc cuique domeſticum & priuatum carcerem, aptare illud Caſſiodori 11. formula 40. *Carcer cella gemituum, triſtitiæ domus, apud ſuperos Plutonis hoſpitium, locus perpetua nocte cæcatus.* Mortem non vitam, eſſe vitam in carcere, confirmat Scipio Carterochamus Epiſt. ad Politianum, inter huius Epiſtolas lib. 12.

Ex hac ergò conſideratione infert Nyſſenus, ſi is qui defunctus eſt, capax eſſet luctus atque gemituum, multò maiorem ei futuram cauſam lugendi ſuperſtites, pro ipſius obitu lugentes : [quibus idem vſu venit quod in carcere degentibus, quibus rerum triſtium conſuetudo atque aſſiduus vſus caliginis, efficit, vt placida atque non iniucunda, præſentia videantur. Ac forſitan etiam ignorantia ſplendoribus ac nitoris, tenebris exemptos excipientis, miſerantur ac dolent eorum vicem qui ex carcere ejiciuntur. Nam ſi nouiſſent eã ſpectacula, quæ ſub dio ſunt ; æthеream pulchritudinem, & altitudinem cœli, luminarium ſplendorem, ſtellarumque choream, & ambitus ſoli, & lunæ curſum, & multiformem ex terra germinantium pulchritudinem atque decorem, iucundum item aſpectum maris, læui & æquabili ſplendore, per lenem ac lucidum afflatum inhorreſcentem, & ſeſe ſcitè ac iucundè erigentẽ; præterea tum priuatorum, tum publicorum in vrbibus ædificiorum pulchritudines, quibus ſplendidæ illuſtres, magnificæque ciuitates ornantur; ſi hæc igitur & eiuſmodi cognouiſſent, illi qui

carcere

in carcere deſtituti eſſent;non eos qui ex cuſtodia producerentur, tanquam eos qui bono aliquo priuarentur, deflerent ac deplorarent. Quemadmodùm ergò veriſimile eſt, eos qui ex carcere euaſiſſent, de ijs qui adhuc inibi cœrcerentur atque detenti eſſent, cogitaturos atque ſenſuros eſſe, quaſi miſerabili vita conflictantibus: Ita mihi videntur etiam illi qui ea huius vitæ cuſtodia emittuntur, ſiquidem omninò fieri poſſet, vt lachrymis oſtenderent erga miſeros & afflictos condolentiam, lamentaturi ac defleturi eos qui in doloribus huius vitæ diutiùs detinerentur.]

VII. Hæc vitæ noſtræ corporeæ cum carcere detentis comparatio, non eſt ſumendo in ſenſu quo Origenes poſt Platonicos, corpus *δεσμὸν* ob animæ in eo vinculationem & alligationem, vt in cuſtodia, nominabat. In quam rem Macrobius libr. 1. in Somn. cap. 11. & Stobæus ſerm. 19. ex Themiſtio, & alijs habent pauca. Eo item Carpocrates apud Tertullianum cap. 35 de anima, trahebat illud, *mittat te in carcerem*. Falſum eſt, animas ob delicta ante conſertionem cum corpore admiſſa, detectas eſſe in corpus, velut in ergaſtulum: Falſum quoque eſt corpus eſſe carcerem animæ. Conclamantque eo nomine in Origenem S. Cyrillus, (viginti argumentis cùm eo confligens libr. 1. in Ioan. cap. 9.) Iſidorus Peluſ. lib. 4 Epiſt. 163. Methodius ſerm. de Reſurrect. contra Aglaophontem apud Epiph. hær. 64. Hieronymus libr. 5. in Ierem. ad illud capitis 28. *faciam pro eis furcas*. Sixtus libr. 5. Bibliop. annot. 183. ac Bellarminus libr. 4. de amiſſione gratiæ, cap. 11. Non eſt hoc ſenſu corpus carcer animæ, nec idcircò comprobatur in corpore allegoria carceris, cui eo quod emendatorius ſit, inditum eſt à platonicis nomen *Sophronoſterij*, de qua voce videſis Lælium tomo 1. libr. 6. cap. 7. Potiùs enim vt Arnobius iunior rectè ſtatuit in Pſalmum 141. agnoſcendum erat, corpus eſſe templum Dei. Aliter tamen ſpectata corporis cum carcere comparatio; idonea eſt, & à Chriſtianis quoque ſapientibus admittitur. Nimirùm, quatenus per aliquam analogiam, dicitur anima eſſe vincta, & detineri in corpore captiua, expers lucis & libertatis prodeundi præ aſtrictione pœnalium vinculorum, & tenebricoſitate à carnea craſſitie qua anima obſepitur dum viuimus. Sanè D. Hieronymus in Apologia aduersùs Ruffinum, circa locum quartum ſugillatum in commentario Epiſtolæ ad Epheſios; cum argueretur quod vinctam dixiſſet animam in corpore vt in carcere, etiamſi depellit calumniam ſibi impactam, quod ſententiam Origenis de minæ intra corpus carceratione amplexus eſſet: tamen admittit, eam phaſim poſſe bono ſenſu donari, eſſéque non abſurdæ intelligentiæ: quia poteſt accipi illo ipſo ſenſu, quo corpus mortale, ab Apoſtolo dictum eſt, *corpus mortis eius*. Diſtinctiùs Tertullianus libr. de anima cap. 53. verbis illis. Si corpus iſtud Platonica ſententia, carcer, (cæterum Apoſtolica, Dei templum, cum in Chriſto eſt;) ſed interim animam conſepto ſuo obſtruit & obſcurat, & concretione carnis infœcat. Vnde illi velut per corneum ſpeculat, obſoletior lux rerum eſt. Proculdubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, & ipſa expreſſione colatur, certè de oppanſo corporis, erumpit in apertum, ad meram & puram, & ſuam lucem, ſtatim ſemetipſam in expeditione ſubſtantiæ recognoſcit, & in diuinitatem ipſa libertate reſipiſcit: vt de ſumno emergens, ab imaginibus ad veritates.] Non diſſimiliter loquuntur, & corpus tanquam animæ carcerem habent, Sanct. Baſilius orat. de legendis cum fruct. libris Gentilium, & S. Ambroſius libr. 2 in Lucam;

Aliquatenùs igitur corpus eſt animæ carcer, & quidem teter; ita vt affinis videatur ſtatus noſter; miſerorum illorum conditioni, qui in carcere Ciciꝫeno, cui nomen *profundum maris*, detinebantur. Dixit de eo carcere Apoſtolus, *nocte & die in profundo maris fui*, vt Baronius anno Chriſti 58. ex Beda & Theodoro opinatur. Vel quia non eſt de ſenſu Apoſtoli eo loco vna omnium mens; dicamus, haud abſimilem eſſe conditionem hîc noſtram, conditioni vinctorum in Latumijs Syracuſanis, de quarum horrore videndi Alex. Neapol. 3. Genial. cap. 5. & Ludouic. Cœlius libr. 1. cap. 9. Vel certè vinctorum in Tulliano, quod barathrum fuiſſe Romani carceris, monſtrat Petrus Faber 2. ſemeſtr. cap. 7. Cum vinctis in huiuſmodi barathro, vbi lux & libera ſe mouendi facultas deficit; omnia verò incommoda abundant, componere viſus eſt noſtram, in hac vita conditionem Plato, in præclaro Apologo de ſpecu ſubterranea. Quæ igitur malum, dementia, vel cœca erga charos inuidentia eſt, dolere quod exſoluti vinculis, tenebras, & offuſam à corpore caliginem relinquentes, eò migrent, vbi tot incommodis exſoluti, pura luce & libertate potiantur, neque vltra conflictentur cum miſeria?

VIII. Neque verò exiſtimandum eſt, potiorem eſſe aliquorum in hac vita ſortem quam aliorum; vt proinde non valeat quoad eos analogia carceris & incommodorum quæ in illo ſunt ſubeunda. Aberrat à vero ea exiſtimatio; & pij & impij, & ſummi & infimi, hic ſuum quique carcerem habent. Religioſos, quorum eſt, Inter pios eminere, habet carcer inata Brachatium Epiſt. ad Ianuarium pro lapſis, vbi catenas non rigentis ferri, ſed durioris conſuetudinis, quibus ſub imagine Martyrij aſtringuntur qui Deo ſatisfactum volunt, egregiè deſcribit. Eſt & apud Climacum gradu 4. mentio Monaſterij ſeparati pro pœnitentibus, quod *carcer* dicebatur. Impium quemque, ſibi eſſe carcerem Sanct. Gregorius benè demonſtrat. Nec ſummates aut magnates etiam qui inter eos eminent, carcere hîc eximuntur. Eſto vinciantur hîc aliqui catenis aureis, vt ille Artauaſdes Armenius libr. 2. annal. Vinciuntur tamen, Omnium quippè, (etiam Magnatum ac Regum) par eſt ratio. Benè id tradit Siracides cap. 40. *Occupatio magna, creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam; a die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, Cogitationes eorum & timores cordis, adinuentio expectationis & dies finis omnis reſidentes ſuper ſedem glorioſam vſque ad humiliatum in terra & cinere, ab eo qui vtitur Hyacintho, & portat coronam, vſque ad eum qui operitur ligno crudo. Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſcientiam eius.* Hunc ait Siracides, eſſe ſtatum vitæ, tam inopum quàm Regum atque Magnatum. Ad

hos

hos quoque pertinere illud maledictum, *in ſudore vultus tui, veſceris pane tuo*, confirmat S. Auguſtinus l. 2. de Geneſi contra Manich. c. 20. Idcircò autem Deus, omnium planè hominum vias his ſpinis obſepſit, iuxta S. Chryſoſtomum homil. 6. ad pop. vt pertæſi commorationis in corpore, eò lubentiùs hinc emigrarent; & faſtidientes carcerem, alacriùs ſuſpirarent ad libertatem filiorum Dei. Collætandum itaque potiùs eſt, & tam calamitoſa omnibus planè communi ſorte excedentibus, quàm eorum cauſa lugendum.

Idem denique receſſus, à quali Noſodochio.

IX. AD extremum, ſtatus huius vitæ, & omnium qui ea fruuntur, poteſt conferri cum ſtatu eorum qui iacent in Noſocomio, cuiuſmodi reuera eſt mundus, in quo tot iacent ægroti, quot peccatores: cum tamen non ſit homo qui non peccet, atque adeò qui non diſtineatur infirmitate. Certè omne vitium eſſe animæ ægritudinem, docet S. Baſilius homil. 9. Hexam. & S. Gregorius 8. moral. cap. 22. ac Richardus Victorinus tract. 1. de ſtatu inter. hom. præſertim c. 34. nec nō Origenes hom. 11. in Hieremiam, (idcircò conſciens Prophetas cum Medicis) & alij adducti in morali diſt. 4. num. 403. vbi n. 404. ex Prudentio perpulchrè ex perſona S Laurentij, varia genera morborum occupantium corpora, componuntur cum varijs generibus ægritudinum animi. Sed quia non omnes ijs vitijs ſordent, ſuppetit alia ratio, communis omnibus planè hominibus hîc in corpore morbos, aſſignandi, cum S. Auguſtino ſerm. 74. de tempor. Ibi S. D. vitam in corpore, ait eſſe longam ægritudinem, & morbum qui neceſſe eſt vt hominem ad mortem perducat; quamuis quia quotidianis medicamentis fulcitur vita, aliquandiu protrahatur. Vnde lib. 1. de Geneſ. ad lit. cap. 10. exponens quod Apoſtolus ait, *de corpore mortis huius*, ſic habet. [Quid enim aliud, non dicam nati, ſed omninò concepti, niſi ægritudinem quandam inchoamus, qua ſumus ſine dubio morituri? Neque enim tam neceſſe eſt eum ipſo morbo mori, qui hydropicus, vel dyſentericus, vel elephantioſus factus fuerit, quàm eum qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura filij iræ.] Exponit hunc morbum multiplicem, & medicamenta quibus fulcitur, diſtinctiùs homil. 38. ex 50. his præter cætera: [Ægritudo perpetua eſt in iſta fragilitate carnis. Putatis enim tunc hominem ægrotare, quando febricitat; & ſanum eſſe quando eſurit? Sanus eſt, dicitur. Vis videre quantum malum eſt eſurire? Dimitte illum ſine medicamento; ſeptem diebus occiditur. Sed quia ponis quotidie medicamentum; viuit. Medicamentum autem famis, cibus eſt: medicamentum ſitis, potus eſt: medicamentum laſſitudinis, ſomnus eſt: medicamentum ſeſſionis, deambulatio eſt: medicamentum fatigationis, dormitio eſt: medicamentum dormitionis, vigilatio eſt. Et vide quàm imbecille ſit corpus humanum. Hoc ipſum adiutorium quod dixi, qui aſſumit, ſi in eo perſeuerauerit, deficit. Eſuriendo, tibi quærebas adiutorium. Ecce adeſt adiutorium tibi. Manducas, reficeris. Si plus feceris, plus deficis. Adiutorium ſitis quærebas, potum. Multùm bibendo effocaris qui ſitiendo vegebaris. Laſſaſti ambulando, ſedere vis. Sede perpetuò, vide ſi non laſſabis. Quicquid ergò aſſumpſerit vt aliud pellat, in eo ipſo ſi perſeuerauerit, deficit. Qualis eſt ergò iſta ſalus, Fratres, tranſitura, fragilis, peritura, vana? Verè quomodo dictum eſt; *Quæ enim eſt vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens.*] Voce nouata ſerm. 34. ex 40. nouis, ſanitatem qua hic fruimur, vocat, *ſanitatem vapoream*, perpetuæ ægritudini inſeparabiliter nexam. Simili ratione Nyſſenus orat. de mortuis, cum monſtraſſet vniuerſam noſtram in corpore vitam, repletione & euacuatione contineri, hæc ipſa niſi certa menſura & viciſſitudine adhibeantur, verti in corporis exitium confirmat.

Terminus à quo receſſus morientium, teter, ac iure auerſandus

X. HIc eſt ſtatus noſter in corpore, planè ærumnoſus, & repletus multis miſerijs quas vtcunque adumbrauimus, per analogiam, ad agitatum in fluctibus, ad captiuum in carcere, ad ægrotum in valetudinario iacentem. Nec deeſſent aliæ analogiæ, penes quas noſtrarum hîc miſeriarum grauitas & multitudo illuſtrari poſſet; niſi ad rem ex ſe claram & omnibus euidentem, ſupervacaneum videretur facem expoſitionis admouere. Legeſis Raymundum Iordani, nomine tenus *idiotam* toto opere deplorationum miſerabilis curſus vitæ præſentis; & opus vel Tullij, vel Tullio adſcriptum, de conſolatione: nec non perelegantes Epiſtolas duas Nicolai Clarauallenſis 49. & 51. & Nancelium lib. 13. analogiæ problem. 14. parte priore. Hic ergo eſt terminus, à quo migrat qui defungitur, gratulatione potiùs; quàm lamentationibus proſequendus. An etiam deteſtatione, quod factum à Iulio Scaligero cum ſic hanc vitam proſcidit?

Incerta, caduca, peruſta ignibus furorum;
Immunda, inhoneſta, rigens horridis pruinis;
In falſa patria hoſpes, & exul à te ipſa;
Sentina malorum, miſerabilis cloaca;
Infida, rebellis tibi, ſerua prauitatis;
Tardis laqueus, ſubitis flamma, foſſa cæcis;
Tu delicium carceris, & carceris illex;
Deſultoria fabula, ſomnium ebrioſum;
Non vita. Quid auſim, fera, te dicere vitam
Quid me hîc fallis inepta? Quid & teipſa ludis?
Tu mors potius, mors potiùs vocanda nempe
Nos mors liberat. At facis eſſe morte dignos

Quàm affines hæ diræ, illis à Iobo in natalem ſuum diem intortis? *Pereat dies in qua natus ſum.* Quæ non hominis voces ſunt qui ſuſtinentiam perdiderit; (Abſit.) Sed qui expromat ſenſum ſuum, de huius vitæ ærumnis propè importabilibus, omnem ſtatum & conditionem hic aſſectantibus. Poſidippus in Anthologia optimè id expreſſit, quem adduco & excedo.

Quem teneas vitæ callem, rogo. Iuxta tribunal
Iurgia, & anxius eſt quaſtus. At in domibus,
Cura. Durus agris labor. Imminet vndique Ponto
Terror. Opes peregre qui gerit; vſque pauet
Pauperies grauior. Connubia mente quietem
Excutiunt. Cælebs, heu, malè ſolus eris.

Pro

Proles faſtidium. Genus hac ſine concidis omne.
Menſe caret iuuenis, viribus inde ſenex.
Virum igitur malis optandum; vel neque naſci.
Vnquam, vel fato perniciere rapi?

Ad quantam fœlicitatem tranſit qui moritur, omni deinceps hic vrgente, cura ſolutus.

XI. TErminus ad quem pertingit, qui hinc purus animo & nitēs migrat, inſigniter repreſētatur à Nyſſeno orat. de mortuis, quem idcircò iuuat adſcribere. Cum ergò monſtraſſet, vitam hominis in mortali corpore, aliud non eſſe quàm ingem repletionem, & exinanitionem ſeu depletionem, indeque intuliſſet, qui neceſſitate implendi aut euacuandi liberantur, nullo reuera bono priuari; cum non ſit ſimpliciter bonum, quod niſi per vices & certa menſura adhibeatur, nocumento eſt; ſed illud duntaxat ſit ſimpliciter bonum, quod omni tempore, & cuilibet, & per omnia, bonum eſt, neque iuxta temporum vices neque ad aliquid eſt, neque in aliquibus, neque propter aliud, ſed ſemper itidem, iiſdemque modis ſeſe habens: hæc inquam cum præmiſiſſet Nyſſenus, ſubdit. Neque ampliùs anima craſſitudini corporeæ, implicita, neque in æquippollentia ſibiinuicem oppoſitorum viuet elementorum; (quorum æqua & par inter ſe pugna, tum conſtitutionem noſtri, tum ſanitatem efficit. Nam contrariorum alicuius, vel diminutio, morbum & infirmitatem efficit.) In qua nihil vel contrahitur, dum euacuatur, vel grauatur & moleſtè fert dum oneratur. Quin etiam his moleſtijs prorsùs eximitur quæ ex aëre accidunt; (de frigore loquor & æſtu;) & omnibus quæ ex contrario intelliguntur, defungitur ac liberatur: atque ibi conſtituitur, vbi ab omnibus neceſſarijs laboribus libera, vacua, atque ſoluta vita. eſt. Non in agris colēndis affligitur, labores maritimos non ſuſtinet, per mercatoriam cauponationem nihil indecorè agit: & ab ædificatoriæ textoriæ, atque ab illiberalium & ad ignem exerceri ſolitarum artium ærumnis & miſerijs remota atque, exempta, placidam & quietam vitam degit, quemadmodùm Paulus ait; non equeſtri, non nauali prælio decertans; non pedeſtri acie ſtatariaque pugna, & collatis ſignis manus conſerens & confligens; non in apparato armorum occupata, non tributa exigens, non foſſas ducens, non mœnia extruens; ſed ab omnibus eiuſmodi libera & immunis eſt, neque negotium habens, neque faceſſens: in qua vel ſeruitus & dominatus, vel paupertas, vel nobilitas & ignobilitas, vel priuatorum humilitas & magiſtratuum, principum, optimatumque ac præfectorum dignitas, & omnis talis inæqualitas, locum non habet. Eximitur enim ab omnium harum & talium rerum neceſſitate, vita illa immaterialis & incorporea, quæ nulla re ampliùs opus habet. In qua id quod continet atque conſeruat animæ ſubſtantiam, non humidi & ſicci nutrimenti vſus, ſed diuinæ naturæ contemplatio eſt. Pro eo autem quem ex aëre haurimus & ducimus ſpiritu, veri ac ſancti Spiritus eſſe communionem non ambigimus: quarum rerum fruitio atque delectatio, non ad ſimilitudinem huius vitæ, viciſſitudine variata per habitum & priuationem, cum ingerendo fit, tum excernando, ſed ſemper implendo, ac nunquam ſatietate impletionem circumſcribendo atque definiendo. Non enim graues, ſed inexplebiles ſunt intellectuales deliciæ, omni tempore, participantium cupiditatibus inſatiabiliter affluentes & abundantes. Idcircò beata quædam, integra, ac immortalis eſt illa vita, quæ iam non amplius errore inducta in voluptatibus, quas ſenſuum vaſis & inſtrumentis percipimus, bonum ineſſe indicet.]

Omnibus corporis & animæ neceſſitatibus, liberatur.

XII. LIberatur ea vita, omnibus neceſſitatibus quæ præſentem grauant, ſunt autem innumeræ, & grauiſſimæ, vt inſigniter diſſerit S. Auguſtinus in Pſal. 30. ad illud *de neceſſitatibus meis erue me Domine.* Cibus, potus, indumenta, domus, horti, ſepulchra, ob neceſſitatem adhibentur, vixque ac ne vix quidem, aliquid aſſignari poteſt, ad vſum vitæ præſentis pertinens, quod à neceſſitate non ſit inductum. Et verum quidem eſt, quod per portam neceſſitatis ſubingreſſus eſt luxus, vt optimè conſiderauit Philo altero libro de ſomnijs, ac Gregorius Nyſſenus hom. 3. in Eccleſ. & S. Gregorius Magnus 20. Moral. c. 12 vnde in cibis, tot iam non neceſſariæ lauitiæ; in potibus tanta ſuperfluitas varietatis vinorum; tam multiplex pompa & pretioſitas in veſtibus; domuum tanta magnificentia; hortorum penſilium ſumptuoſitas; etiam in ſepulchris, ſuperſtes defunctua vanitas. Tamen reuera fundamentum luxuriei ſupernacaneo ſubſtratum, eſt neceſſitas, vel cibandi aut tegendi corporis, vel declinandi aëris iniurias, vel refocillandi feſſi ex contentione animi, vel putorem cadauerum arcendi. Planè dura neceſſitas, quamvis, quæ multorum cæcitas eſt) dulcè videatur ea obſtringi. Nyſſenus è contrario, in Flaccillæ Imperatricis monodia, duriſſimum ſtatuit ſic ſeruire neceſſitati. [Quod verò (inquit) ſupplicium eſt æquè graue, atque omni tempore, miniſterio ventris obnoxium eſſe? Videte enim hunc perpetuum tributi exactorem, ventrem dico, quantam quotidie neceſſitatem afferat exactionis? Cui etiamſi aliquando amplius quàm ſtatutum & ordinatum ſit ante dependerimus; nihil de inſequenti debito ante ſoluendo deduximus: quemadmodùm animalia quæ in piſtrino labore conficiuntur, tectis oculis vitæ molam circuimus, ſemper per ſimilia obambulantes, & ad eadem reuertentes. Dicā tibi hunc ambitum circularem. Appetitus, ſatietas: ſomnus, vigilia: euacuatio, repletio: ſemper ab illis hęc, & ab his illa, & rurſus hæc. Ac nunquam in orbem obambulare deſinimus, donec extra molitrinum euaſerimus.] Eximitur hac. aliſque omnibus neceſſitatibus corporis, qui in alterā vitā tranſijt; vt proinde iure concludat Nyſſenus, nō eſſe iuſtū, dolere ob eū pro quo ceſſauit tributū, quieuit exactor.

XIII. Præter has verò neceſſitates corpus vrgentes, ſunt aliæ duriores animæ neceſſitates, quibus non quod vult bonum hoc agit; & malum quod non vult, operatur. Præter neceſſitates quæ inducuntur, dum conſuetudini non reſiſtitur, & quibus homo præ fragilitate quantumcunque vigilet, & contranitatur, labitur. Mœrere, timere, adulari, & alijs affectibus (vt ibidem mox ait Nyſſenus) ſubeſſe cogitur. Omnibus his neceſſitatibus, libera eſt altera vita; ad quam ſuſpirant

cum Pſalte pij omnes, cum de neceſſitatibus ſuis ετυi poſtulant, vt transferantur in ſtatum perfectæ libertatis, omni prorſus, omni inquam neceſſitate exſolutum. Rectè S. Augustinus ſerm. de diu. cap. 2. [Quando inhærebimus puriſſimæ illi & perfectiſſimæ bonitati, non erit quærere ſeruire neceſſitati. Beati erimus nullo indigentes, multùm habentes nihil quærentes.] Idem habet Aug. S. 1. de V. D. & S. 11 a de diuerſ. & Naz. or. 40.

Quāta alterius vita quies, libertas, & ſanitas, præ noſtris hic fluctibus & præliis, vinculiſque ac mortibus

XIV. COmponebamus vitam mortalem cum fluctuatione, in mari proceloſo, vbi perpetua agitatio cum detentione in carcere; cum ægritudine perpetua. Alterius vitæ ſtatus eſt planè alius. Nam ibi ceſſat fluctuatio, quia ſimus immutabiles. Sicut mali in altera vita, contrahunt immutabilitatem. Quod S. Chryſoſtomus in Pſal. 38. *in fine ſecundæ expoſitionis*, expreſſum putat illis verbis, *priuſquàm abeam, & ampliùs non ero*. Hoc eſt, non amplius de me dici poterit, quod non ero quod eram; qui fiam immutabilis. Hîc ſi peccaui, poſſum non eſſe peccator, & tranſire ad ſanctitatem; qua recuperata, non ero quod eram. Ibi non ita; ſed ſi excedam in peccato, ſemper ero quod ſemel fuero hinc excedens. Idem ergò eſt de beatis, quia tranſgreſſi ſunt Lunam, quæ (vt ait Ocellus Lucanus) iſthmus eſt mutabilitatis; & ſupra eam participatio beatæ Ieruſalem, eſt in idipſum; hoc eſt (iuxta S. Auguſtinum ad illud Pſalmi 121. *Cuius participatio eius in idipſum*;) hærebimus ſemper ibi defixi in vno, quod eſt verè vnum: contra quàm hic accidit, vt benè diſſerit S. Gregorius 10. Moral. cap. 15. & vt inſigniter diſſerit S. Bernardus 5. de conſid. *circa finem*, ipſa de Deo cognitio; non erit niſi vt de perfectiſſimè vno? ita vt etiam pluralitas rationum Dei obiectiuarum excludatur, iuxta illud Zachariæ vltimo. *In illo die, erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*. Conformabitur ergo voluntas intellectui ſic fixo; & in vno quod verè vnum eſt, defixa hærebit. Ibi adipiſcemur perfectam libertatem filiorum Dei: atque adeò exſoluemur vinculis & carcere. Apoſtolus ad hanc gloriæ libertatem ſuſpirabat, cum diceret Rom. 8. & ipſam creaturam ibi liberandam eſſe à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. S. Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. *non multum ab initio*, hanc libertatem inſigniter veſtigans, & ſecernans à cæteris, vocat *libertatem à miſeria*. Non turbabit in cœlo libertatem noſtram, Satan, aut occurſus malus, quia in cœlum non ſubibit Satan; & flagellum non appropinquabit tabernaculo iuſtorum. Itaquè omnis iniquitas (ideſt, Interprete Gregorio Nyſſeno tractatu priore in titulos Pſalmorum cap. 8. *in fine*) omnis iniquitatis incentor Satanas, non vltra ſollicitabit ad malum. Sublato autem ſatore turbarum & incentore præliorum conſequetur turbulentam hanc vitam, & bellis perpetuò horrentem, pax tranquilliſſima.

Conſcij quietis mortuorum, & plenæ exſolutionis ab incommodis quibuſcum ſunt hîc conflictati, paciſque poſt tot prælia plenæ ac perfectæ, veteres; mortuos coronabant. Quo ſpectant illa Clementis Alexandrini lib. de pæpag. c. 8. [A turba & negotio remotæ ſecuritatis ſignum, eſt corona. Quare ea, & mortuos coronant.] Omnino multis, hunc vſum illuſtrant Kirchmannus lib. 1. de funer. Rom. cap. 11. & Carolus Paſcalius lib. 4. de coronis cap. 5. & 6. Fateor Patres aliquando vſum coronandi mortuos improbaſſe. Sic Clemens Alexandrinus loco notato, [Mortuos coronant, quo nomine teipſa ſuo teſtimonio, idola, mortua eſſe aſſerunt, *&c.* Sed nec viua Dei imago, mortuorum ſimulacrorum ritu eſt coronanda. Pulchra enim amaranthi corona, ei eſt repoſita qui rectè ſe geſſerit. [Tertullianus item lib. de coron. milit. cap. 10. Quid tam dignum idolo quàm quod & mortuo? Nam & mortuorum eſt? ita coronari, vel quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt, & habitu & cultu conſecrationis, quæ apud nos ſecunda idololatria eſt, &c. Indignum eſt, vt imago Dei viui, imago idoli & mortui fiat.] Alia habet in eandem ſententiam Minut. in Octauio *ad finem*. [Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodùm tribuatis exanimi; aut ſentienti facem, aut non ſentienti coronam? cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exequias adoramus. Eadem tranquillitate qua viuimus: nec adnectimus areſcentem coronam, ſed à Deo æternis floribus viuidam ſuſtinemus.] Fateor inquam, hos Patres, coronationem mortuorum improbare viſos: ſed contaminatam ſuperſtitionis Ethnicæ ritibus. Conſecrabantur enim Dijs coronæ, quo tempore Patres allegati ſcribebant; erantque coronæ honos Deorum, & Larium publicorum priuatorumque, ac Manium iuxta Plinium lib. 29. cap. 3. Abſolutè tamen, Patres vſum coronæ mortuis impoſitæ non eſſent auerſati; ſi videlicet eo tantùm fine impoſita eſſet, ex quo Epictetus ad quæſitum Adriani, cur mortui coronarentur, dixit; idcirco coronari mortuos, *quia agonem vitæ ſe tranſegiſſe teſtantur*. Ceſſabunt deinceps agones, ceſſabunt certamina ac prælia; itaque meritò victoribus impoſita corona. Nec ſi quod vetus Poëta apud Stobæum ſerm. 120. voluit, coronatio mortuorum ſymbolum eſſe dicatur celebrationis conuiuij ad quod defuncti proficiſcebantur, deerit analogia cum æterna Chriſtianis defunctis conſtituta fœlicitate cœleſtium epularū; non præliatibus huius vitæ diebus accommodata, ſed quieti æternæ, ac inconturbatæ in perpetuum paci, hanc tumultuoſam vitam conſecuturæ, proportionata.

Non abhorruiſſe ab huiuſmodi coronatione mortuorum, deterſis omnibus Ethniciſmi fœculentijs Chriſtianos; coronata martyrum ſepulchra docent, vt videre eſt apud Paulinum natal. 3. S. Felicis, ac apud alterum Paulinum lib. 6. de vita S. Martini, nec nō apud Autorē Romæ ſubterraneæ, in varijs Sanctorum monumentis. Nec dubium quin vt notauit Henricus Spondanus in Introductione ad Tractationem de ſacris cœmeterijs n. 10. eodem recidat, quod Chriſtiani non cupreſſum funebrem arborem, mortuis apponebant; ſed laurum victorialem, & coronariam, propriéque triumphis dicatam, iuxta Plinium lib. 15. c. 30. Ex quo vſu, Valerius Epiſcopus ex Gregorio Turonenſi lib. de gloria Confeſſor. c. 84. incorruptus in Sarcophago deprehenſus eſt, ſtrata ſub ſe habens lauri folia Et ſub capitibus SS Simonis ac Iudæ, anno 1605. reperta ſunt lauri folia, cum diruto veteri ædificio Baſilicæ S. Petri in qua iacebant, mouenda ſuo loco fuiſſent Sanctorum illorum Apoſtolorum corpora. Conſimilis ſors proportione ſeruata, omnea in

Chriſto

Chriſtu dormientes manet. Victores omnes, ac laureati, deinceps à bellis ac tumultibus præliorum ſecuri æterna pace perfruentur. Ad hunc ſtatum emigrare, quam ſuaue erit, pertæſis, tot tamque diuturnarum vniuerſo vitæ tempore conflictationum, atque certaminum?

X V. Iam ægritudines quibuſcum hic ſemper conflictamur, diſpellentur; ſuccederque plena ſanitas; quod vt ſignificaret Theodoſius IV. Imperator Conſtantinopolitanus, ſepulchro ſuo illud vnum inſcribi voluit, *ſanitas*. Eam item ob cauſam S. Vigilantius, conſolans matrem S. Aſpionis, ex eius immaturo obitu mœrentem, dixit; eum ſeceſſiſſe in regionem optimam: Cuius nomen cum quæreret eadem Aſpionis mater, reſponſum tulit, vocari *regionem ſanorum atque valentium*. Idipſum ſignificatur, cum Deus clarè viſus, quo ſtatus alterius vitæ conſtituitur, vocatur *ſalutare noſtrum*, quia plenam & veram ſalutem confert. Inde Deum, *magnam ſalutem*, vocat Chryſoſtomus in Pſalm. 126. ad illud, *Dominus ſalus mea*. Hic æger eſt intellectus, in tanta luſcioſitate; voluntas itē ægra eſt in tot peccatis quæ ſunt morbi animæ, item in tot affectibus deprauatis atque morboſis; ideò enim Græca voce dicuntur πάθη, vt S. Aug. obſeruauit 9. ciuit. c. 4. Corpus deniq; luteum, innumeris ægritudinibus ſubiacet. Omnes hæ ægritudines, abſtergentur. Nam intellectui erit lux plena, vt optimè aduertit Theodoretus ſerm. 10. de prou. Voluntati erit firma adhæſio cum virtute. Appetitus rebellio planè ſedabitur. Quæ erit ſanitas carnis, oſſium, & colli, de qua prouerb. 13. iuxta Turrian. ad c. 126. S. Nili de orat. Corpori deniquec ōferetur ſanitas omnimoda; quā S. Aug. ſerm. 101. de diuerſ. c. 5. coniectat ex ſanitate huius vitæ; diſſeritque atiā præclarè de ea S. Anſelmus ſerm. de beatitud.

Analogia alterius vitæ, cum ſtatu pueri naſcentis

XVI. Fælicem hunc ſtatum, quem migrans hinc defunctus aſſequitur; deprehendo perpulchra analogia expreſſum pueri è latebris materni vteri prodeuntis ad hanc lucem. Eo enim pertinet quod Seneca Epiſt. 102. diem mortis, vocat natalem æterni diei, quo velamenta iam ſuperuacua quibus hîc operimur, abolentur; & reuelati; ex contubernio fœdi atque olidi ventris educimur. Itaque iuxta Senecam, ſumus hîc velut in matris vtero. Eſt autem ſtatus puelli in materno vtero, admodùm miſerandus. Nam & loci illuuies, & occluſio intra illas latebras in occulto ac in inferioribus terræ, vt Pſaltes dixit, & obuolutio per tot ſecundinas, ac in vnum veluti glomum conuolutio, appreſſis ad genua oculis, & cibatio ex ſanguine plerumque fæculento hauſto per vmbilicum, miſeriam illius ſtatus ſatis aperiunt. Ex eo autem ſtatu, per natiuitatem eductus puellus, *venire in lucem* dicitur; & tot vinculis, quibus aſtringebatur; exſoluitur, ac euolutam membrorum ſtaturam accipit, ore deinceps cibandus, puriſſimo & ſapidiſſimo lactis nectare adhibito. Ita planè, qui obſtetricante morte (inquit Nyſſenus orat. de Mortuis,) ex anguſtis & humentibus, putoreque ac pædore obſitis huius vitæ latebris, educitur in lucem æternæ vitæ, aperto ore hauriit purum ſpiritum; & guſtatum conſequitur diuinum, quo percipit quàm bonus & ſuauis ſit Dominus; & gratiſſimum Chriſti percipit odorem. Et vt loquitur S. Aug. ſerm. 113. de diuerſ. non prodit è faſtidioſæ matris vtero in illam lucem quæ oculis carnis illecebrat: ſed ex occultiſſimo naturæ ſinu, illa diſcedit in lucem, quæ viſum mentis feliciter & beatè illuſtrat. Bonum eſſe hîc latere, velut fœtus dum formatur in vtero; & qui hîc ad lucem venire geſtiunt; nec expectant alteram vitam, perita vt abortiuos, ait S. Macarius hom. 45.

XVII. Firmat egregiè hanc cogitationem, ritus antiquus in defūctorum ſepultura præferens natiuitatem morientis Nemo neſcit, ſicut nunc, ita & olim, infantibus, (vt Plin. lib. 7. proëm. loquitur,) manus pedeſque deuinciri ſolita; & ab hoc lucis rudimento, hominem vincula excipere, & omnium membrorum nexus. Vt ergò appareret, hominem morientem ad natiuitatem nouam deuenire; tulit vſus perantiquus, vt inſtitæ cadaueri adhiberentur, faſcijs infantibus conſimillimæ, quibus ad infantium modū religatus mortuus, in ſepulchro velut in cunis reponeretur. σπάργανά τινα ἐντετυλιγμένα, vocat Heſychius. Eſt harum tæniarum ſepulchralium mentio apud Her. in Eut. & apud Radziu. Epiſt. 3. quos allegat Iac. Chifflet. Op. de lint. Chriſti ſepulc. c. 28. addens, viſa abs ſe Venetijs, allata è vicinis Caïro ſepulchretis cadauera, ſimilibus tænijs infantilem in modum circumligata; & Romæ in binis cœmeterijs cerni imaginem Lazari ſepulchro illati, veluti infantilibus tænijs deuincti. Eſſe enim in Catacumbis Chriſtianis, imaginem Lazari, in ſpem reſurrectionis illic propoſitam, rectè coniecit Ioan. Macarius in Hagioglyptis. Et ſanè Baſilius Seleuciæ orat. in Public. & Phariſ. Lazarum in monumento, cunabulis inuolutum dixit. [Erat in inſtitis (inquit) velut è ſepulchro partus, & poſt partionem faſciatus.] Et Iuuencus Lazarum deſcribens, ſic habet.

Et totum gracilis connectit faſcia corpus.

Faſciam gracilem appellat, inſtitas lineas quibus totū corpus alligabatur. Vnde S. Aug. l. 3. de conſi. Euang. c. 4. Concilians Euangeliſtas reliquos qui vna ſindone linea inuolutum Chriſtum dixerunt cum Ioanne qui ligatum linteis dixit, *lintea* quibus ſacrum Chriſti corpus eſt inuolutū, accipit, *de inſtitis quibus totum corpus alligatum eſt*. Hæc enim erat faſcia gracilis è lino, qua vnâ cū ſindone & ſudario inuolutū eſt Chriſtus demortuus, ſed inſtitis propriè fuit ligatus toto corpore, qui mos ab Ægyptijs, Herodoto teſte obſeruabatur.

XVIII. Reſpexerunt eodem, omnino multi Patres quos produxi in SS Lugdunenſium indiculo *cum de S. Iuſto*, & in opere de Martyrio p. 4. c. 6. n. 52. addenduſq; eſt S. Ambroſ. ſerm. 70. *initio*, & Chryſol. ſerm. 122. cum mortem, eſſe eorum natiuitatem affirmant. Id quod Eccleſia ipſa ratum habet, quæ diem obitus Sanctorum vocat eorum *natalitium diem*, vel *natales*. Neque enim audiendus eſt Binarius ad Dextrum anno Chriſti 324. qui id nomen, à Natalio Epiſcopo Toletano, qui Martyrum indices ad Conſtantinum Magnum tranſmiſerit, ductum putanit. Non eſt inquam hoc admittendum, cum Smyrnenſis Eccleſia apud Euſebiū 4. hiſtor. c. 14. longè ante illius Natalis ætatem *natalē diem*, τὴν γενέθλιον ἡμέραν appellarit diem B. Polycarpi obitu cōſecratū. Sed & Concilium Laodicænum antiquius Nicæno, atque adeò Natalio illo Toletano, can. 51. vetat. *Natales Martyrum* per quadrageſimum feſtiuos recoli. Ac proinde vſurpabatur in Eccleſia vox *Natalis diei*, pro *diei obitus*, ante Natalium, qua vocis notio, hodieq; viget in officijs Eccleſiaſticis.

CLAVSVLA OPERIS
AD MOESTOS PARENTES, ET ALIOS.

Quàm abſonum, deflere cui ſit tam benè.

I. HIc eſt ſtatus eorum qui in Domino moriuntur: ideóque non ſunt lugendi. De ijs autem qui non moriuntur morte iuſtorum, alia eſt ratio. Tales enim, ſi Iobum audimus, Interprete Origene, ad calcem libri tertij; [Erunt tanquam aborſum, exiens de ventre matris ſuæ, ſicut infantes qui non viderunt lucem. Nam ſicut abortiua, de ventre matris ſuæ exeuntia, non viderunt lucem, ſed ex tenebris in tenebras eunt, ex tenebris atque anguſtia vteri materni, in tenebras & anguſtias terræ atque ſepulchri: ſic impij, de tenebris in tenebras eunt, ex anguſtia in anguſtiam expelluntur, atque in iudicij damnationem, & in tenebras exteriores, vbi non eſt lux; neque videbunt vitam hominem.] Hos itaque abortiuos, verum eſt non naſci, nec educi ad lucem: & idcircò deflendi ſunt, tametſi cum ea menſura, quam præfixit S. Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſt. ad Philipp. de illis autem, qui in ſpe bona exceſſerunt, valent quæ dixi. Verè enim ex anguſtia & tenebris, ad latitudinem, ac lucem, & ad omnimodam veræ vitæ amœnitatem.

II. Ex hac ergò conſideratione felicis ſtatus ac termini ad quem defunctus pertingit per mortem, eruit Gregorius Niſſenus, quàm indignum ſit eius obitum deflere. Reddo partem grauiſſimæ ac vernantiſſimæ orationis [Quid igitur ineſt in re triſte, cur nos animo vehementiùs ob demigrationem neceſſariam demittamus; Niſi fortè quis hoc moleſtum & acerbum ducit, quod ad eam quæ paſſionibus, calamitatibus, & commodis vacat, à turbis & moleſtijs immunis eſt, vitam traducuntur: quæ neque plagarum & ictuum dolores admittit, non minas ignis horret, non vulnera ferro illata metuit, non ex terræ motibus, naufragiis, captiuitatibus, calamitates pertimeſcit; non crudis veſci; ſolitarum beſtiarum impetus & incurſus, non ſerpentium venenatorúmque morſus, & aculeos, perhorreſcit: in qua neque faſtu quiſquam inflatur, neque humilitate peſſundatur & obteritur; neque audacia efferatur, neque timiditate trepidat atque conſternatur; neque ira intumeſcit, animi excandeſcentia feruens & furens; neque terrore concutitur, dum reſiſtere & ſuſtinere impetum validioris ac potentioris non poteſt: in qua neque cura, neque ſollicitudo ineſt, quibus rebus animi Regum affici & angi ſolent; nimirum qua ratione leges ferantur, latæue ſint, quibus moribus ſint ij quibus Magiſtratus mandati ſunt, qualia decreta & edicta proponantur, quantum annuum tributum ac vectigal cogatur. Neque curat, ſi multi continentes imbres fuerint, qui immoderata ac nimia ſua effuſione, labores Agricolarum obruant atque demergant: Neque ſi grando ſpem Agricolarum feſellerit atque fruſtrata ſit: neque ſi ſiccitas & vredo inualeſcens, exareſacit quicquid germinat, & enaſcitur, ad ſe quicquam pertinere putat. Quinetiam ab reliquis vitæ incommodis, omnino ſecura eſt. Nam & orbitatis triſtitia, atque demiſſione, non angitur illa vita; nec viduitatis incommoda locum in ea habent. Ceſſant item variæ corporis infirmitates: tum inuidia aduersùs eos qui proſpera fortuna vtuntur, tum contemptus

temptus & deſpectus infortunatorum, & huiuſmodi omnia, ex illa vita, eiecta & exterminata ſunt. Æquabilis autem quædam, tum in cæteris rebus tributio, per omnem libertatem pacificam vna cum populo animarum verſatur & exercetur; illud vnoquoque tenente quod ex libera animi voluntate & arbitrio ſibi parauerit, *&c.* Qua ergò de cauſa anguntur & indignantur, qui excedentem è vita lugent ac deflent? Arqui niſi ab omni perturbatione atque affectu purus, vacuus, & prorſus exemptus eſſet is qui vnâ cum corpore & voluptatem & dolorem exuit, iuſtiore de cauſa ille ipſe, ſuperſtites lugeret.] Ex hoc item termino ad quem, migrationis defuncti, præclarè parentes ſuos, ad finem orationis decimæ, ſolatur in defuncti Cæſaris obitu Nazianzenus.

Mors non niſi migratio, atque adeò non lugenda abſque modo.

III. Reliqua eſt è tribus conſiderationibus propoſitis, quæ ſpectat migrationem ipſam. Ex ea lenimentū doloris in morte charorum petitur, cùm attenditur, eos qui migrarunt, ſupereſſe. *Dormire* enim dicuntur mortui, vt ſignificetur mortem non eſſe abolitionem, à qua non detur regreſſus; mors ipſa eam ob cauſam *ſomnus* appellatur, quod D. Auguſtinus in Pſal. 3. *innumerabiliter* in Scripturis traditum docet, confirmatque Tertullianus lib. de reſurr. car. cap. 23. & 24. Item eadem ex cauſa ſepulchrum dicitur *Coemeterium.* Quæ vox ſonat *conclaue dormitorium*, vt pulchrè notat S. Chryſoſtomus orat. de Cœmeterio, & Cruce. Et idem ſonat vox *ἱναςήριον* qua deſignatur ſepulchrum apud Lycophronem in Caſſand. Non abolitos, ſed veluti ſomno quieſcentes, atque adeò ſuperſtites eſſe defunctos, tradit pereleganter Baſilius Seleuciæ orat. 32. Significatum, id eſt, in retributione facta Iobo. Nam cum priùs eſſent ei ſeptem filij & tres filiæ, quibus clades illata eſt, euerſa domo in qua epulabantur; Deus autem poſt tempeſtatem ſerenum faciens, omnia quæcunque fuerant Iob, duplicia reſtituiſſet; de filijs tamen & filiabus non ſic actum eſt, ſed duntaxat ſeptem filios & tres filias accepit poſt procellam, quot priùs habuerat liberos; cujus rei cauſam S. Gregorius & Rupertus ad vltimum Iobi caput, & Gregorius Nyſſenus in calce orationis de Pulcheria, repetunt ex eo quod priores liberi, etiamſi mortui, ſupereſſent: ac proinde ex capite quoque liberorum, omnia quæ fuerant Iob, facta ſunt ei duplicia. Origenes verò ad calcem libri tertij in Iobum, conſiderat quod qui moriuntur, non pereant, ſed veram vitam viuant. Et idcircò ait, non ſicut olim, celebrari nunc diem natiuitatis, ſed diem mortis, quia eſt malorum finis. [Diem mortis (inquit) celebramus, quia non moriuntur hi qui mori videntur: Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium. Deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes.] Sic habet res in apparenti morte Sanctorum, reuera tranſitu ad veram vitam; & migratione à corpore mortis huius, ad ſtatum in quo abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Aliud ergò eſt migraſſe, aliud planè perijſſe. Nam qui migrat, poteſt remigrare, & ita eueniet in re de qua agimus; quod eſt non exiguum doloris leuamen, ob abſentiam defuncti. Sic enim vult ſpectari mortem S. Ambroſius lib. de fide reſurr. vt meram abſentiam hominis aliò profecti.

IV. Vix aliud, eſt lenimen eiuſdem doloris, quod plerique ſubminiſtrant, monentes miteſcere hanc plagam, cum attenditur hanc eſſe non migrationem perpetuam, ſed præceſſionem, cui poſtmodùm nos quoque ſubjungemur; reuiſuri non ita multo poſt rediuiuum qui præceſſit regreſſurus per reſurrectionem Vnde *Abitionem* Latini dicere quàm vulgo *mortem* denominamus, vt Feſtus notauit V. *Abitio* Conſonatque illud Tertulliani cap. 4. libri de teſtimonio animæ. [Si de aliquo iampridem defuncto tanquam viuo quis requirat, præ manu occurrit dicere, *abijt iam, & reuerti debet.*] Qui ergò præceſſit tantùm, & abijt, ac reuerti debet, non eſt vehementiùs deflendus. Complexus eſt non adeò multis hoc leuamentum mœroris huius idem Tertullianus lib. de patientia, cap. 9.] Ne illa quidem (inquit) impatientiæ ſpecies excuſatur, in amiſſione noſtrorum vbi aliqua doloris patrocinatur aſſertio. Præponendus eſt enim reſpectus denunciationis Apoſtoli qui ait, *ne contriſtemini dormitione cuiuſquam, ſicut nationes quæ ſpe carent.* Et meritò. Credentes enim reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos ille & obijt & reſurrexit. Ergo cum conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, ſi perijſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum interim, quem credis reuerſurum? Profectio eſt, quam putas mortem. Non eſt lugendus qui antecedit, ſed planè deſiderandus. Id quoque deſiderium, patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras abiiſſe, quem mox ſubſequeris? Cæterum impatientia in huiuſmodi, & ſpei noſtræ malè ominatur, & fidem præuaricatur. Et Chriſtum lædimus, cum euocatos quoſque ab illo, quaſi miſerandos, non æquanimiter accipimus. *Cupio*, (inquit Apoſtolus) *recipi iam, & eſſe cum Chriſto.* Quantò meliùs oſtendit votum Chriſtianorum? Ergo votum ſi alios conſecutos impatienter dolemus, ipſi conſequi nolumus.]

V. Dicerem S. Cyprianum, de morte ex Tertulliano profeciſſe, vrgentem hæc ipſa argumenta, ſub finem libri de Mortalitate, niſi ipſe ſpeciali reuelatione admonitum ſe ad hæc proponenda profiteretur. Retulerat ibi, factam cuidam Conſacerdoti ſuo reuelationem; ſubdit verò [Nobis quoque ipſis, minimis & extremis, quoties reuelatum eſt, quàm frequenter atque manifeſtè, de Dei dignatione præceptum eſt, vt conteſtarer aſſiduè & publicè prædicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos acceſſitione Dominica de ſæculo liberatos; cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere: vt proficiſcentes, vt nauigantes ſolent. Deſiderari eos non plangi: nec accipiendas eſſe hîc atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba, iam ſumpſerint. Occaſionem dandam non eſſe Gentilibus, vt nos meritò aciure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus; & fidem quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus. Spei noſtræ ac fidei præuaricatores ſumus: ſimulata, ficta, fucata, videntur eſſe quæ dicimus. Nehil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem.] Subnectit monitum Apoſtoli 1. Theſſal. 4. *vt non contriſtemur pro dormientibus, ſicut qui ſpem non habent.* Indeque infert, quàm languida ſit fides eorum qui in Chriſtum credunt; regnum, & immortalitatem

ſuis

ſuis hinc excedentibus ſpondentem : & tamen dolent tam felicem ſortem ijs quos charos habent, obringere; cum tamen non poſſit, [vita æterna ſuccidere, niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus; & temporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? Quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem venire, citiùs exoptet?] Quis non eadem eſſe ſorte, quos charos habet, medullitùs cupiat? Quomodò ita cum illis actum dolet, in fidem ſuam perfidus, & ſanctarum materiam præbens his qui foris ſunt, à quibus verba & facta Chriſtianorum diſſentire, per hæc lamenta deprehendentibus, res noſtræ vertentur in riſum? quod premit Chryſoſt. hom. 61. in Ioan.

VI. Itaque ſaluberrimum erat conſilium, quod Pammachio ſuggerebat S. Paulinus Epiſt. 37. vt quando reuerſuros credimus qui nos præceſſerunt, & ſpem qua Ethnici reſurrectionem non credentes carent, ex Dei promiſſis habemus; [De noſtro potiùs itinere quo ſequimur, quàm de illorum qui iam prægreſſi peruenirent, laboremus. Pium eſt contriſtari de auulſione charorum; ſed ſanctum, lætificari ſpe & fide promiſſionum Dei; & dicere animæ laboranti, quare triſtis es, & quare conturbas me; Numquid qui dormit, non adjiciet vt reſurgat? *&c.* Deſideremus noſtros vt præmiſſos, ſed non deſperemus recipiendos. Deus enim noſter, viuorum eſt, non mortuorum: & in Chriſto mortuos dormire; Apoſtolus dicit, vt ex ſomno intelligas temporalem eſſe mortem. Dormienti enim, conſequens eſt excitari & ſurgere. Quod cum ita ſit, geramus in charitate noſtrorum, familiaris conſuetudinis deſiderium; ſed à fide noſtra ſolatium, de fiducia reſurrectionis habeamus.]

VII Eadem conſolatione; parentes ſuos, ob Cæſarij fratris obitum præcocem afflictos, ſolatur Nazianzenus orat. 10 [Quantum adhuc temporis viuemus, (inquit) quamdiu hîc afflictabimur. Ne tota quidem hominum vita longa eſt, ſi eum diuina & ſempiterna comparetur; nedum hæ vitæ reliquiæ, atque (vt ita dicam) ſpirationis humanæ ſolutio, ac fluxæ & caducæ vitæ finis. Quantum nos anteuertit Cæſarius? Quamdiu adhuc eius diſceſſu angemur? Nónne ad eandem ſedem properamus? Nónne eundem lapidem ſubibimus? Nónne idem puluis, paulò poſterius? Nónne ex paucis his diebus qui reſtant, hoc ſolùm lucri faciemus, vt plura mala partim videamus, partim patiamur, partim etiam fortaſsè faciamus; atque ita tandem ipſi quoque, naturæ legi commune ac firmum & ſtabile tributum pendamus, atque alios præcedamus, alios lugeamus, ab alijs lugeamur, munuſque lachrimarum, quod alijs contulimus, ab alijs recipiamur? Eiuſmodi eſt vita noſtra, fratres qui fluxam vitam ducimus. Eiuſmodi in terra ludus, vt cùm non ſimus, naſcamur; cùm nati ſumus; rursùs diſſoluamur. Inſomnium ſumus minimè conſiſtens, ſpectrum quoddam quod teneri non poteſt; auis prætereuntis volatus; nauis in mari veſtigium non habens; puluis, vapor, ros matutinus, flos ſuo tempore naſcens, & ſuo tempore marceſcens. *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit.* Pulchrè Dauid his verbis de noſtra imbecillitate philoſophatus eſt: quemadmodùm & in illis, *paucitatem dierum meorum nuncia mihi.* Quinetiam dies humanos, *palmi menſuram* eſſe definit, *&c.* Quocirca ne Cæſarium lugeamus, quibus malis ereptus ſit non ignorantes; ſed nos ipſos ob ea mala quibus relicti ſumus, & quæ nobis aggeremus, niſi ſynceris animis

Deo nos addicamus; ac præteritis ijs quæ nos prætereunt, ad ſupernam vitam properemus;terrámque etiam adhuc in terra verſantes, relinquamus;ac ſpiritum in cœlum ferentem,bona ſpe ſequamur.

Syllabus ſapientum qui hæc lenimenta ſuggeſſerunt.

VIII. NOn eſt quod de pluribus ideonis atque legitimis lenimentis,mœroris ex morte charorum hîc addenſandis ſim ſollicitus: cum eo facilè reducantur innumera alia, quæ ſuppeditantur ab Autoribus quos produxi lib. 5. de virtut. à nu. 128. Vbi etiam præter lenimenta huius doloris vniuerſalia,ſignaui PP.ac ſapientes,qui in obitu quorumcunque charorum ſigillatim,conſolationes in ſimili euentu conmodaturas admouerunt, quibus nunc aliquos iuuat adiungere. *In morte parentum* Nazianz. orat. 19. Hieron. Epiſt. 27. Gerſo parte 4 tract. de hoc argumento. *In morte vxoris.* S.Paulin. Epiſt. 37. Iulian. Epiſt ad Amerium Phalaris Epiſt.ad Nicer.*inter Græcan.In morte mariti.* Chryſoſt. hom. 6.in 1.ad Theſſal.& l.ad viduam iuniorem.Nazianz.orat 19.Hieron.Epiſt. 29. Fulgent. Epiſt.ad Gallam. *In morte liberorum.* Hieron. Epiſt. 25. Paulinus Epiſt.37 Ennod.lib.2.Epiſt.1. Chryſoſt.hom.32. in Mat.& hom.41. in 1.Cor.& hom 1.in 2.Cor.& homil.3 in 1.ad Theſſal. & Epiſt. 71. Naz orar. 10.Hildeb.Epiſt. 56. Bleſenſ. Epiſt.2. Commodian. lib. 2. inſtructionum, in ea quæ inſcribitur,*filios non lugendos.* Seneca Epiſt. 99. & in conſol. ad Marciam Plutar.in conſol.ad Appol. & alia ad vxorem.Apollon.Epiſt ad Valerium *inter Græcanicas.*Petrus Hædus libris quinque de miſeria hominis.*In morte filij adhuc infantis,* Pet. Dam. lib. 8. Epiſt.4.*In morte filiæ.* Ruric. l 2.Epiſt.4.*In morte fratris,*Iſid Peluſ l.2. Epiſt. 151. Theodulf. Aurel. lib. 5. carm. 1. S. Ambroſ.orat. de Satyr.Chryſoſt.Epiſt.197.S. Bern.ſ.26.in Cant. Theophilact Simocat. in Epiſt. nomine Soſipatri ad Axiocbum.*In morte ſororis.*Ambroſ.Epiſt ad Fauſtin.*In morte Patrui,* Pet. Bleſ. Epiſt.12.*In morte cuiuſuis conſanguinei,* Hieron. Epiſt. 3. Suggerunt hi ſapientes, ad omnem plagam ex talium charorum morte,potentia & admodùm congrua lenimenta:quibus perſpectis, non erit cur cum Fatarijs Ethnicis, ſolatium ex præfinitis antecedenter à Deo vitæ ac mortis terminis,neceſſarium arbitremur: ſed falſis abiectis remedijs quæ (vt Innocentius III.dixit) veris ſunt periculis grauiora,hærebimus in veris,tanquam filij veritatis.

IX. Clauſulam totius diſputationis peto ex Theologo,in calce orat.vbi ob fratris mortem ſolatus parentes, & omnes ad congruè ſequendum qui præiuerat, adhortatus, concludit,alloquens vitarum metarorem Deum! *O omnium Domine & effector,ac præcipue huius figmenti!O Deus tuorum hominum & Pater ac Gubernator!O vitæ & mortis arbiter ! O noſtrarum animarum cuſtos & gubernator.O qui omnia facis,& tempeſtiuè, atque vt ipſe pro ſapientia tua & adminiſtrationis tuæ altitudine noſti, artifice ſermone tranſmutas:nunc quidem Cæſarium, diſceſſus noſtri primitias quæſo ſuſcipe. Quòd ſi poſtremum natu, primum ſuis rationibus quibus omnia reguntur,cedimus;nos verò poſt quoque opportuno tempore ſuſcipe, tamdiu in carne vitam noſtram moderatus, quandiu conducibile fuerit Et quidem ſuſcipe,ob metum tuum paratos,& non turbatos,neque in extremo die terga vertentes: atque inuito animo, quemadmodùm ſolent qui mundo & carni addicti ſunt, hinc abſtractos & auulſos; ſed promptè & alacriter ad beatam illam & longæuam vitam proficiſcentes, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen*]

FINIS.

DE BONO

DE BONO
REGIMINE
SACRORVM COETVVM,

Ad diuinum, ſuaue ſimul ac forte, per mixturam lenitatis & accurationis, exigendo;

DISSERTATIO

R. P. Theophili Raynavdi, ex Societate IESV.

COMMONITORIVM.

Vt ſit Moderatio quod dicitur, & agger aduerſus iſtum fluuij.

REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO P.

P. STEPHANO GIRIN

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,

VERBI DIVINI PRÆCONI EXIMIO;

Ac Conuentûs Lugdunenſis D. Bonauenturæ, Ordinis Obſeru. S. Franciſci, Guardiano meritiſſimo.

THEOPHILVS RAYNAVDVS è Societate IESV

QVÆ duo admirabilitatem, ac amorem omnium conciliare ſolent, fama ſcilicet fauor publicus, morúmque integritas illibata, cùm in te cumulata ſuſpexiſſem (SAPIENTISSIME PATER) *committere certè non potui, quin tanta mihi virtutis & ſuffragium, & patrocinium accerſerem. Auditor interfueram non ſemel Dictionibus tuis ſacris, quas in primario Lugdunenſis Ciuitatis, Sanctæ ſcilicet Crucis Templo, tanto vulgi plauſu, támque celebri lectiſſimorum hominum affluente coronâ habuiſti, per Aduentus Dominici, ac quadragintadialis ieiunij decurſum; nec miraculo mihi dumtaxat fuerat mellea tua ac Chriſtiano Oratore digna facundia, ſed ſolida illa etiam recondita ac penitioris eruditionis tractatio, quâ quidquid in Theologia myſteriis abſtruſum eſt, quidquid in Philologorum lectionibus exquiſitum & varium, mira cogitationum felicitate, verborúmque elegantia ſingulari auribus omnium ac mentibus ſubijcere ſolitus es. Quin etiam non dubiis teſtibus acceperam, aliquo apud te numero eſſe res noſtras; quippe qui, conquiſitis vndique lucubrationibus meis, librariam tuam ſupellectilem, quam habes curioſam & ſelectam, non tam ornare voluiſti quàm meipſum, nullum faciens mea laudandi ac vulgò commendandi modum. Hæc tùm tibi priuatim, non ſine grati animi ſignificatione conteſtatus eſſem, acquieſcere nunquam potui, niſi extaret aliquod publicum meæ in te voluntatis & obſeruantiæ monumentum. Nec cogitanti mihi occurrere poterat liber; præclaris animi tui dotibus conuenientior, quàm quem olim Romæ* de Bono Regimine Humanorum Cœtuum *ſcripſeram. Quem enim fugiunt eximia illa regendi artes tibi de cœlo larga manu collata. Nempe moderatus es cœtum tot Religioſorum hominum, quos habet domus, S. Bonauenturæ obitu reliquiíſque conſecrata, tantâ prudentiæ laude, támque diffuſâ late ſubditorum tuorum tota vrbe virtutum fragrantia; vt Superioribus ſacrarum familiarum, velut abſolutiſſimum diuinæ Politiæ exemplum propoſitus fueris. Expreſſiſti ſuprema ipſius Dei rectionis ornamenta* attingentis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponentis omnia ſuauiter. *Temperaſti ſuauitate fortitudinem, ſcientia zelum, imperium charitate. Prodeat igitur* (AMANTISSIME PATER) *tuo inſcripta nomini, de argumento in te adeo luculenter emicante diſſertatio, quam ex Scripturarum ferè Oraculis, & Patrum doctrina contextam euulgo; vt qui vocabulo tuo inſignem Operis frontem viderint, viuum & expreſſum in moribus tuis ſapientiæ quam hic trado ſimulacrum habeant, quod erit omni rationum pondere argumentum validius, vnde colligatur, nec deeſſe ſæculo noſtro heredes primæui Seraphici ſpiritûs locupletes, nec germanos in Ordine ſanctiſſimo Parentis ſui filios, ac imitatores. Vale Lugduni 15. Kalend. Iunias. 1662.*

DE

DE BONO REGIMINE SACRORVM COETVVM.

PROTHYRON.

a Epiſt. ad Coſmam Maium.

SApienter, vt omnia, S. Ioannes Damaſcenus, *a* exprimi à ſe Gregorium Theologū profeſſus, prouidi Chriſtiani eſſe docet; non è noſtris tãtùm, ſiue diuinis, ſiue SS. Patrū diuinitùs afflatorum ſcriptis, proficere; ſed & ab exteris quæcunque apud eos bona occurrerint, ſtudiosè ſublegere. Deum enim, vt in deſertis auiis fontes educit, beneficentiſſima largitate quam Philo meritò ſuſpicit; ita nonnullam cœleſtis roris aſperginem, vtiliter libandam, plantis quoque infrugiferis ac infelicibus nō negare; eum verò vtilem ſuccum ex ſeculi ſapientia prudenter exſurgere, de Damaſceni ſententia eſt, *ſalutem ex inimicis fructificare.* Monitum, ſapientiæ refertum, nec aliis Patribus præteritum, Iuſtino, *b* præſertim, atque Auguſtino, *c* quos tradere memini, quæcunque bona & labis pura apud Ethnicos occurrerint, ſecurè à nobis & abſque iniuriæ periculo reperi, tanquam noſtra ab iniuſtis poſſeſſoribus vendicata. Vix porrò eſt exterorum quiſpiam, in quo illa cœleſtis roris ſtillicidia, vel vt Auguſtini *d* verbis vtar, illa à Magno Abrahamo ſecundariis liberis collata loco hæreditatis munera, deprehendere frequentiùs liceat, quàm Epictetus ille. *ſeruus quidem, corpore incuruus, paupertate Irus, at amicus immortaliū.* Quod ipſius de Epicteti, (Gelliò teſte, *e*) elogiolū, S. Chryſoſtomus *f* cum Chriſtianam modeſtiam ſtudiosè inſigeret, orationi ſuæ intexens, veluti ſanctificauit, vt de Arati plagulis à Paulo allegatis, dixerunt, Tertullianus & Origenes.

b Apol 1.
c de doctrina Chriſt. cap. 40.
d l. de patientia c. 17.
e l. 2. c. 18.
f hom. 15. in acta.

Huius ego claudi, pro Ethnico rectipedis, qui Origene *g* teſte, Ethnicos omnes ſuæ ſapientiæ ſtupore defixit, cùm alia præclarè dicta ſuſpicio, tum illud imprimis, quod identidem inculcat, & veluti expediſſimum ad omnem virtutem medium proponit, eius repetitionem nunquā faſtidiens; interroget quiſque nomē ſuum, & eius notionem ritè peruadat. *b Quodcunque enim vocabulum officij, ſi eius rationem perſpexeris, deſcribit proprij operis functionem.* Negat iniri poſſe expeditius iter, ad Deum imitatione exprimendum, quod eſt virtutis probatæ faſtigium, quàm ſi vis vocabulorum obſeruetur. Nec dubitat pronunciare, qui notiones vocibus munerū queis diſtinentur, ſubiectas non penetrant, perinde ſe habere ad virtutis exercitationem, ac ignari artis Grammaticæ & rudes notionū vocabulis inditarū, ſe habeant ad rerum latentem medullam. Audaciùs etiam, ſed tamen intrepidè, conteſtatur, qui cum profeſſionis ſuæ perſona nomine officij delineata non loquitur, nec quid nuncupetur aduertit,

g lib. 6. c. Celſum.
b Apud Arrianum. l. 2. diſſert. cap. 10.

aduertit, non ſecus in rebus gerendis verſari, quàm muta pecora circa res obiectas, quas introrſum nõ peruadunt, ſed cortice tenus externis ſenſibus hauriunt, hærentia in accidentium cute, obducto intus abditæ ſubſtantiæ tectorio. Frequens eſt in hoc monito Epictetus, nec eius inculcandi & vrgendi illum vnquam capit ſatietas, vt Arrianus, *nouus Xenophon*, (id illi à Photio *i* nomen) diligenter notauit.

i cod. 58.

Id verò eſt, quod noſtros paſſim ſapientes Euſebium, *l* Chryſoſtomũ, *m* Chryſologũ, *n* monere video; cum tradũt, auri maſſas nominibus infoſſas ſtudioſè ſerutãdas eſſe, educẽdaſque in apertũ, quod lateant in eis vnde affluere veris opibus liceat, labore vix vllo, pretio autũ opere, ac fructu planè inſigni. Quin etiã Claudianus Mamertus, *a* agens cũ Sidonio Apollinari, nomina rebus obtendi ait, vt earum ingerant notitiam; & idcirco NOMEN, dixiſſe priores, quod rem notam faciat, eiuſque intelligentiam pariat. Hæc ſi de quibuſuis nominib' dicuntur ad veritatẽ, multò liquidiora profectò ſunt de officiorum nũcupationibus, iiſque vocabulis quæ à munere cui addici aliquem cõtigerit ductam præferunt appellationẽ. Docent enim quid factũ, quid declinatũ, in gerẽdo eo munere oporteat; ita vt ea ſit totius muneris rectè obeũdi, compendiaria doctrina, vno nomine inſinuata.

l 11. præp. cap. 4.
m homil. 42. in ad Rom.
a ſer. 344.

EAPROPTER, *b* aggerẽ ſtructurus aduerſus ictum fluuij, (ſic enim Spiritus ſanctus, rectionem rapidam violẽtámque, & impetu nõ ratione actã, deſignare voluit;) Eos inquam qui in ſacris cœtibus, ſuper aliorũ capita ſũt impoſiti, ad conſentaneam ei muneri temperationem, nec tumore elatam & ferocientem, nec languida remiſſione iacẽtem componere ſolicitus; Cõmonitorium à *Moderatoris* nomine petitũ, propono. Eſt enim *Moderatoris* vox, præfectorum quorumcunque, atque adeò etiam ſacrorum, communis, Iuſtinianus *c* quidem, arctans pro libito notionem vocabuli, rectoribus prouinciarum Hollenoponti & Arabiæ, propriam fecit *Moderatoris* nuncupationem. Tamẽ vniuerſale eſt vocabulum; æquè ac *Moderationis* vox ad rectionem quamcunque modo (iuxta Cleobulum vbiuis optimo, hic autem prorſus neceſſario,) ritè temperandam diffunditur. Id ergo habui hac ſcriptione propoſitum, moderatores ſacros, ſuarum partium, ex ipſo *Moderatorum* nomine admonere. Negotium ad cœruum trãquillitatem, ſumni prorſus momenti, & quo nihil poſſit occurrere opportunius ad conuenientem cohæſionem, ſuperiores inter atque inferiores ſtabiliẽdam, cui Deus ordinis autor, fœlicitatẽ myſticorum corporum alligauit, vt Christianus Chryſorthoas *d* ex materiali orbis ſyſtemate ſapienter notauit. Firmandum itaque ac demonſtrandum ſuſcipio, ex oraculis ſcripturarum, ac doctrina Patrum, rationis fulta præſidio; hoc debere MODERATIONEM eſſe *quod dicitur*, & MODERATOREM qui nomen vacuum præferre abſurdè nolit, ea ipſa appellatione, de omnibus officij ſui partibus admoneri.

b in fine operis de ſtatu animæ.
f Eccleſiaſtici 4.
c Nouella 28. & 102.
d l. 2. de fide orthod. c. 7.

SECTIO I.

SECTIO I.

Paraſceuaſtica.

Paucas præſuppoſitiones quibus ad negocium propoſitum ritè exequendum via muniatur, præmittere neceſſe eſt; attingendo videlicet, ſacræ præfecturæ cuiuſcumque, ac nominatim Religioſæ difficultates, earumque originem, & vndè illis apta, & valida adhiberi poſſit medela.

PVNCTVM I.

Non Epiſcopatum dumtaxat, ſed etiam præfecturam quamcunque Sacram, eſſe, opus bonum, *ideſt innumeris cum periculis, tum difficultatibus obſeptum.*

MVNVS Eccleſiaſtici cuiuſvis Rectoris, iis implicitum difficultatibus, preſſumque oneribus, attentiùs conſideranti apparet, vt quantumuis firmos, & toroſos humeros, ne tantæ moli impares fatiſcant, terrere poſſe videatur. Itaque non ad ſolum Epiſcopatum, pertinet illud de Epiſcopali munere maximè verum, *bonum opus deſiderat*, qui talem præfecturam deſiderat, Quo Apoſtolico effato pleriqne iuxta S. Auitum, * propriæ ambitionis incendium, veluti refrigerio temperant, quod iam ex libertate permiſſa, res boni operis concupiſcatur. Cum tamen certum ſit, eo loco Apoſtolum immenſo pondere & humanis humeris ægrè portabil. grauare Epiſcopum, dicendo, Epiſcopatum eſſe opus bonum; non tam quia eſt opus honeſtum, & vtile, ac iucundum; ſed potiùs quod ad hoc poſtremum boni caput attinet, quia eſt prorſus eius expers, & tædij refertiſſimum. Eſt enim bonum opus; quæ voces aliud præferunt, quàm externus cortex ſonet. Nam *bonum opus*, idem eſt, atque maximè ærumnoſum & admodum graue, *ἔργον* quippè in Scripturis, non rarò idem ſonat quod *arduum & operoſum*: eó que ſenſu alicubi dicitur, *virum fidelem, opus inuenire*, Proinde idem Apoſtolo eſt *bonum opus*, ac *arduum & graue*; non ſecus ac vulgo, *bona febre correptum* dicimus, qui febre in ſuo genere perfecta, atque adeò æſtuoſiſſima proſtratus tacet. Vndè Apoſtolus, conſequenter ad ſuum illud pronunciatum de bono opere Epiſcopatus, vt S. Auitus mirabiliter expendit, cuiuſcumque labis defectum in Epiſcopo exigens ſubiungit, *Oportet ergo Epiſcopum, irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, &c.* quas, & alias dotes Epiſcopo neceſſitas, per illatiuam particulam cum præcedente ſententia nectit, vt liqueat verè dictum eſſe, deſiderium Epiſcopatus, eſſe deſiderium *boni operis*, ideſt, *ardui, & operoſi negotii*. Tradit hanc vocis illius notionem, Franciſcus Turrianus, *a* præiueratque Iſidorus Peluſiota, *b* qui hanc votis *opus* ſignificationem, ex peritis Ethnicis & Scripturis Sacris confirmat. Nec multum abeſt Aluarus Pelagius, *c* qui poſt SS. Hieronymum *d* ac Gregorium, *e bonum opus* in eo Apoſtoli effato exponit *martyrium*. Et ſanè ea erat primis illis Eccleſiæ temporibus Epiſcopatuum conditio, vt qui in Epiſcopum promouebatur, paratus eſſe deberet, abripi primus ad martyrium: ac proinde, tunc Epiſcopatum deſiderare, idem planè eſſe videbatur quod deſiderare martyrium; cui nemo, *boni operis*, ideſt, *ardui*, & vt Iacobi 1. dicitur, *operis perfecti*, titulum vnquam negauit, iuxta dicta in tractatione de martyrio. *f* Reuera non minus in Epiſcopatum quadrat nomen *martyrij*, quàm in Sanctificationem illam, quæ principatus inſigne erat apud Hæbræos; quam 70. voce *martyrii* expreſſere, vt notauit Procopius. *g*

2. Hanc bonitatem operis, verè imbonitatem, & ærumnoſitatem magnam, periculis, ac diſcriminibus innumeris vallatam, & obſeptam, in Epiſcopali munere cerni, extra controuerſiam eſt. Quam in rem fruſtra paucas ſpicas appenderem, cum extent paſſim apud Patres, plenæ meſſes. Videndus præſertim Nazianzenus *h* cuius imitatione de eodem argumento conſcriptum à ſe *Opus Paſtorale*, profitetur S. Gregorius. *i* Multus item, & potens in ea materia eſt S. Chryſoſtomus, cum aliis pleriſque locis, *l* tum maximè *in Opere de Sacerdotio*; cui luculentum, (ſed non ſupra merita,) elogium pangit Iſidorus Peluſiota, qui & ipſe in *m* eodem argumento collocauit operam: vt & S. Gregorius non modò in Paſtorali, *n* ſed alibi quoque. *o* Itemque B. Ambroſius, vel quiſquis apud eum autor Operis de dignitate Sacerdotali: Fulbertus ſcribens ad Leuthericum Senonenſem, *p* conferens onus Epiſcopale cum rectione nauigij in mari procelloſo; *q* S. Bernardus Epiſtola ad Henricum Senonenſem. *r* necnon Petrus Damiani, *ſ* ac Laurentius Iuſtinianus, & crebrò ac inſigniter D. Auguſtinus *t* cuius illa eſt tam ſubſtricta verbis, quàm diffuſa ſenſu ſententia. *u* *Epiſcopus nomen periculi*. Nimirum ob aſſidua, in tanta muneris Epiſcopalis arduitate, grauiter tuendi diſcrimina, & diuinis ſæpè oraculis prodita, & viſis cœleſtibus firmata: quale illud quod

* in fragm. ſermonis de ordinat. Epiſcopi.

a l. 2. Conſt. Apoſt. c. 25. num. 6.
b l. 3. Epiſt. 216
c l. de planctu Eccl. ar. 18.
d in c. 3. Sophon.
e 1. p paſtor. cap. 8.
f 1. p. cap. 2. num. 4.
g in l. 4. reg. cap. 12.
h in Apolog.
i in paſtor.
l hom 2. in 2. ad Timot. hom. 1. in Epiſt. ad Titum in morali hom. 14. in ad Hebr. ſub finem hom 10. in 1. ad Theſſaloa. & hom. 4 in 2. ad. Theſſalon.
m l. 1. Epiſt. 156.
n l. 4. epiſt. 219.
o præſertim. par. 1. & 2.
p lib. 6. regiſt indict. 15. epiſt. 4.
q Epiſt. 27.
r Epiſt 41.
ſ Opuſc. 19. c. 5. & opuſc. 20. c 7. & l. 1. epiſt. 5.
t l. de regim. Prælat c. 1.
u lib. de Paſtor. cap. 1. hom. 7. & 15 ex 50. Ser. 19. ex 40. nouiſ.

redux ad ſuperos diuino permiſſu anima fudiſſe proditur apud Hieronymo adſcriptam regulam Monachorum, *a* & (apud Cantipratanum.) *b* *Si fuiſſem de numero Epiſcoporum, eſſem de numero damnatorum.* De Gaufrido à Perona Priore Claræuallenſi in Epiſcopum Tornaceo-ſem electo, ſed inaugurationi præmortuo, id produnt Petrus Bleſenſis, *c* & Menologium Ciſterciense. *d* Nomine ſuppreſſo; idem referunt Cæſarius, *e* & Adelagus Bremenſis, ſcribens ad Frodoardum. *f* Belli aduerſùs innumeros, & truculentos hoſtes ductorem, multis æquè, ac magnis diſcriminibus fieri obnoxium, nemo eat inficias; quam in rem S. Chryſoſtomus, *g* horrificam belli ſpeciem, & ducis in primo agmine ſiti, cuneoſque hoſtium perrumpentis imaginem, viuis coloribus exprimit, vt demonſtret, non eſſe pauciora aut minora Epiſcopi in bello contra ſpiritualia nequitiæ ducis, diſcrimina. Quod ſi paſtores temporales populorum, tot & tanta obſepiunt pericula æterni exitij, quanta proponunt plerique in eo argumento exſpatiati, & benè Lactantius, *h* Petrus Damiani, *i* ac Robertus Olchot: *l* (Quæ enim præterea temporalis regiminis onera vrget ex Ariſtotele Iulianus Apoſtata ad Themiſtium ſcribens, miſſa facio in præſentia:) dubium eſſe nec poteſt, nec debet, quin multo maiora, & plura Epiſcopis animarum moderatoribus impendeant æternæ ſalutis diſcrimina: cum & eorum præfectura ſit magis lubrica, & ſpiritualia ſpectet non temporalia. Vt propterea à Viris Sanctis, non ambitus modo Epiſcopalis muneris, ſed etiam vltronea, & non adacta admiſſio, ingentis audaciæ, ac penè dementiæ damnetur, quod alio loco plenè proſequor. *m* Eſt igitur Epiſcopalis muneris diſcriminum moles immenſa, deque eo maxime præfecturarum ſacrarum apice valet, quod ſit *opus bonum* nec deſiderari extra grauem diuinæ gloriæ cauſam prudenter, vel vltrò admitti ingeſtum, poſſit.

a cap. 15. *b* l. 1. Apum cap. 20 n. 4. *c* epiſt. 102. *d* 15. Ianu. *e* l 2. c. 29. *f* epiſt. præfixa hiſtoriæ Rhemenſi Frodoardi. *g* lib. 4. de Sacerd. c. 12. *h* l. 5. c. 24. *i* Opuſ. *l* lect. 77. in Sap. *m* in heter. ſpirit. diatr. de votis ſim.

3. Tamen ſicut eſt cuiuis Sacro præfecto, communis cum Epiſcopo rectio animorum; ita communes eſſe difficultates, & diſcriminum occaſiones, neceſſe eſt. Non enim aliam ob cauſam, de ſapientum ſententia, grauis eſt, & obnoxius periculis Epiſcopatus, quàm quia circa regendas, & tractandas animas occupatur, iuxta illud S. Auguſtini *n* in Cathedræ ſuæ natali oneris quod ſubibat, magnitudinem exponentis apud plebem ſibi concreditam? [Corripiendi ſunt inquieti, puſillanimes conſolandi, infirmi ſuſcipiendi, contradicentes redarguendi, inſidiantes cauendi, imperiti docendi, deſidioſi excitandi, contentioſi cohibendi, ſuperbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adiuuandi, oppreſſi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi.] At exercitatio huiuſmodi functionum, ex quibus exiſtit Epiſcopalis muneris grauitas, paſtori cuiuis Eccleſiaſtico, iuxta gradum ſuum, æque incumbit. Vt proinde de omnibus plane animarum curatoribus atque rectoribus, proportione ſaltem valeat, quod Apoſtolus de Epiſcopo pronuntiauit, iuréque pronunciatur, diſtineri eos quoque bono opere, ideſt perdifficili, veréque operoſo.

n Ser. 39 ex 40. nouiſ.

Omnibus item communia æquè ſunt, (pro munerum tamen proportione,) grauia illa pereundi diſcrimina, quæ primariis animarum paſtoribus impendere monſtrauimus. Vnde Origenes, *o* vniuerſaliter, & ſine reſtrictione ad Epiſcopos, quorumuis Sacrorum præfectorum, vt celſius culmen, ſic lubricum magis, & longe plus extimeſcendum eſſe quam gradum ſimplicium fidelium, ſic demonſtrat. [Omnes qui in Eccleſia peccatores ſunt, qui ſermonem Dei guſtauerunt, & tranſgrediuntur eum, merentur quidem ſupplicia, verùm pro modo graduum vnuſquiſque torquebitur: maiorem pœnam habet, qui Eccleſiæ præſidet, & delinquit. Annon magis miſericordiam promeretur ad comparationem fidelis, Cathecumenus? Non magis venia dignus & laicus, ſi ad Diaconum conferatur? Et rurſum comparatione Presbyteri, Diaconus nonne veniam plus meretur? Quæ autem ſequantur, me tacente cognoſcitis. Idcircò formidans Iudicium Dei, & ante oculos mihi proponens illum Iudicij ordinem qui in Scripturis continetur, recordor dicti illius, *Pondus vltra te ne leues.* Sed & illud *noli quærere fieri Iudex, ne non valeas auferre iniquitates.* Quid mihi prodeſt quia prior ſedeo in Cathedra reſupinus, honorem maioris accipio, nec poſſum dignitati meæ habere opera condigna, nonne maiori pœna cruciabor, quia honor iuſti mihi, ab omnibus defertur, cum peccator ſim?] Optimè item S. Gregorius. *p* [Penſet qui ad ſatisfaciendum diſtricto Iudici de ſua tantummodo Anima fortaſſe vix ſufficit: quia quot regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, vt ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ nimirum cogitatio ſi aſſiduè mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem perimit. Et rector prouidus, tanto iam neque Rex Apoſtata, neque Dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione ſollicita, poteſtas quæ accepta eſt, non honor, ſed onus æſtimatur. Nam cui eſſe nunc Iudicem libet, huic videre tunc Iudicem non libet.] Hæc Sancti Pontificis ratio, æque vrget pro quocumque ſacro Paſtore, & animarum præfecto, ac pro Epiſcopo.

o hom. 5. in Ezech. ad medium. *p* 24 moral. cap. vltimo.

5. Nec erat ſane ſermo de Epiſcopo, ſed de infimi (vt ſic dicam) ſubſellij, rectore Eccleſiaſtico, apud Cantipratanum. *q* Refert ibi inſignia ornamenta Conradi primùm Villarienſis, tum Ciſtercienſis Abbatis, ac denique S. R. E. Cardinalis, viri plane eximij, & diuinis operibus clari. Is à Pontifice in Germaniam legatus, cùm Synodo præeſſet apud Coloniam Agrippinam, interpellatus eſt à Parocho, vt FF. Prædicatores, inſtituti tunc fere naſcentis, cohiberet. Expoſtulabat enim Parochus, Fratres illos falcem mittere in meſſem alienam, & captando hominum fauori, Confeſſiones ſubditorum ſibi fidelium excipere, ac ſacris miniſteriis ad ipſum Parochum, quippe Paſtorem attinentibus, operam nauare, ſpecie iuuandi animas, reuera (vt criminabatur) ad colligendam popularem gratiam, & quæſtum ex pietate faciendum. Audiuit criminatorem Conradus Legatus, moxque de Parocho ſciſcitatur, quot numeraret curæ ſuæ concreditos, in parœcia cui præerat, fideles. Ad nouem millia excurrere, reſpondit. Subjicit his relatis Cantipratanus. [Tunc conſignans ſe cruce, legatus dixit; Quis es tu miſerrime, qui tot millibus ſolus ſufficis debitam gubernationis curam impendere? Neſcis hominum perditiſſime, quia in illo debes tremendo iudicio, ante tribunal Chriſti,

q l. 1. cap. 9. num 6.

de his omnibus reſpondere? Et tu querularis, ſi tales habes Vicarios qui onus tuum gratis releuent, ſub cuius pondere neſcius conquaſſaris? Quia igitur, ex hac querelâ, indignum te cura omnimodè iudicaſti, ideò priuo te omni beneficio paſtorali.] Proſpiciebat vtique vir optimus, & è cœlo illuſtratiſſimus, non Epiſcopos dumtaxat, ſed alios quoque omnes animarum Rectores, obnoxios eſſe reddendæ pro eis rationi, atque adeò diſcrimen ſalutis æternæ adire, niſi impleant nomen quod præferunt.

6. Mirabilis profectò eſt diſputatio quā Autor
a homil. 38. imperfecti operis in Matthæum a hanc veritatem confirmat, tractans aditionem templi per Chriſtum, quem reuera bonum Medicum, ait admouiſſe primùm curationem parti in qua erat origo morbi totum corpus infeſtantis, hoc eſt templo, deſignans metonymicè ea voce quoſcumque Sacerdotes; quo nomine iuxta vſum Græcanicum intelligit rectores Eccleſiæ, quorum rectio ſi bene obeatur, optimè habet vniuerſum corpus Eccleſiæ, ſin minùs, omnia peruertuntur. Quid autem magis lubricum, magiſque ruinæ obnoxium, quam ex debita muneris tui impletione, pendere Eccleſiæ ſalutem, ruinam verò ex indebita? Sic ergo ratiocinatur in hanc ſententiam Autor prædictus. [Sicut de templo omne bonum egreditur, ſic, & de templo omne malum procedit. Quemadmodùm Medicus, quando primùm ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat & eum componere primùm feſtinat, quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum eſt, ſi autem diſſipatus fuerit, totum corpus infirmum eſt; ita ſi Sacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida eſt. Cor autem & ſtomachus, Sacerdotes intelliguntur, quia in rebus ſpiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et ſicut cor; ſapientiæ locus eſt, ita Sacerdotes ſunt receptacula ſapientiæ ſpiritualis, Eſaïa dicente; de Regibus quidem, *omne caput in dolore*; de Sacerdotio autem, *omne cor in triſtitia.* Sicut enim ſtomachus accipiens cibum, coquit eum in ſeipſo, & per totum corpus diſpergit; ſic & Sacerdotes accipiunt ſcientiam ſermonis per Scripturas ex Deo, & excoquentes eam in ſe, ideſt tractantes & meditantes apud ſe, vniuerſo populo ſubminiſtrant. Et ſicut ſtomacho ſubminiſtrante, vnumquodque membrum, ſuſcipit nutrimentum, & conuertit ipſum in ſe ſecundùm ſuam naturam; vt puta, quod ſuſcipit iecur, totum fit ſanguis; quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum, quod verò aſcendit in pulmonem, phlegmata fiunt; quod autem in mammillas, totum efficitur lac: ſic Sacerdotibus in Eccleſia loquentibus, verbum omnes ſuſcipiunt, vnuſquiſque autem conuertit illud ſecundùm proprium cor, ita vt vnum idipſum verbum, in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruerſis ſuſcitet iracundiam quaſi bilis; in alijs autem operetur dilectionem dulciſſimam quaſi lac; in alijs autem odia, quaſi phlegma nocuum & expuendum. Videte ergo Sacerdotes, quomodò vos componatis in verbo & in opere. Quoniam ſicut in corpore, ſi aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & ſtomachus, ſi autem ſtomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: ſic ſi aliquis Chriſtianorum peccauerit, non omnino peccant & Sacerdotes: ſi autem & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideò vnuſquiſque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem: Sacerdotes autem non ſolùm pro ſuis, ſed & pro omnium peccatis, reddituri ſunt rationem. Vidit arborem pallentibus folijs marcidam, & intellexit ſtudioſus agricola, quia læſuram in radicibus haberet. Nam vere quemadmodùm cum videris arborem pallentibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia Sacerdotium eius non eſt ſanum.] Eſt cur ad hanc conſiderationem, omnes ſiue maiores ſiue minores gregis Chriſti rectores expalleſcant, ſeque agnoſcant collocatos in ſtatu diſcriminis immenſi refertiſſimo, quandoquidem reddituri ſunt rationem non pro ſeipſis tantùm, ſed etiam pro omnibus ſuæ curæ commiſſis.

7. Ad eandem mentem, itemque vniuerſaliter, ac ſine reſtrictione ad ſummos Antiſtites, ſic
S. Chryſoſtomus, b ambitum cuiuſuis Eccle- b homil. 34.
ſiaſtici muneris, hinc coercens;] Papæ quantum, in ad Hebr.
quantum eſt periculum? Quid miſeris illis dixeris, qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium quos regis mulierum, & virorum; & puerorum, à te reddenda eſt ratio. Tanto igni caput tuum ſubjicis? Miror an fieri poſſit, vt aliquis ex Rectoribus ſit ſaluus. Cum videam poſt minas, & præſentem ſocordiam, aliquos adhuc accurrentes & ſe conjicientes in tantam molem rectionis, & adminiſtrationis. Nam ſi ij qui neceſſitate trahuntur, non habent quò confugiant, & quo ſe excuſent, ſi rem male adminiſtrent, & ſi negligenter; nam & Aaron tractus eſt neceſſitate, & venit in periculum; & Moyſes rurſus venit in periculum, cum ſupra recuſaſſet: Saül cui fuerat creditum aliud Imperium, poſtquàm recuſauit, vocatus eſt in periculum, quoniam ipſum male adminiſtrarat, quanto magis iis qui in hoc ſuum ſtudium ponunt, & in id irruunt? Qui eſt autem talis, longè magis ſe priuabit omni venia. Timere enim oportet, & contremiſcere, & propter conſcientiam, & propter molem imperij; & neque ſi ſemel trahamur, recuſare, neque ſi non trahantur, in ipſum ſtruere; Imo verè etiam fugere, præuidentes magnitudinem dignitatis. Rurſus autem eos qui fuerint comprehenſi, oportet eſſe cautos, & reuerentes. Si priuſquàm factus ſis, nullum modum non præſenſeris, ſecede, tibi perſuade, te ea re eſſe indignum. Si rurſus fueris comprehenſus, ſimiliter cautionem adhibe, & reuerentiam.] Egregiè quoque in hanc ſententiam diſſerit exponens apprecationes, cœleſtium ſuppetiarum ab Apoſtolo factas diſcipulo amantiſſimo Tito, in priore ad eum Epiſtola.

8. Vides quàm verè de quouis ſacro principatu dixerit S. Gregorius. c [Quid aliud eſt po- c t. p. pa-
teſtas culminis, quàm tempeſtas mentis?] Tem- ſtor. cap. 9.
peſtas planè, non modo agitans, ſed plerumque etiam in ſummum diſcrimen adducens, ac
ſubuertens funditus quos percellit. Verè igitur d lib. de
non honor eſt ſed onus, ſpecies læſura ferentem, contra Cle-
vt ex Poëta ait Philippus Abbas d addens id eſſe ricor c. 94.
allidi ab eleuante. Et propterea conteſtatur S. e homil. 1.
Chryſoſtomus, e magna ſe teneri admiratione, in priorem
quod reperiantur qui huiuſmodi onera captent. ad Titum.

non

non conſiderantes ſi impares ſint reddendæ rationi pro ſingulari ipſorum anima, quanto grauius ſit, & importabilius futurum, tot animarum onere grauari quot ſunt ſubditi curæ eorum concrediti. Argumentatio eſt ei conſimilis quam de ponderis honorato (ſic vxorem nominat Gregorius Nazienzenus) *a* adhibuit apud Stobæum *b* Ethnicus Philoſophus; cum conſideraret hominem ſingularem qui ſibi ipſi ſatis eſſet oneri, multo magis grauari ducendo vxorem cuius ei cura incumbit. Nam ea quo ei adiunctus eſt, fit bicorpor, & ſtatim atque fructus è coniugio legerit, cuius item cura in eum reuoluetur, tricorpor euadet, & quot accedent liberi tot augeſcet corporibus. Qui igitur grauari ſe exiſtimabat ſua vnius cura, quanto magis onerabitur, acceſſu tot aliorum quibus ſtudium æquè, ac ſibi debeat impendere? Non eſt igitur ſacra quæcumque præfectura, honor, ſed onus & graue onus, quo facillimum ſit opprimi qui humeros illi ſuppoſuerit, cum de aliorum quoque culpis redditurus ſit rationem.

a carm. ad Nicobul.
b ſerm. 73.

Obſigno hanc conſiderationem quibuſuis animarum rectoribus nunquam ſatis inculcandam, aureo Origenis *c* monito, vbi conteſtatus, liberè ſe elocuturum quod non nemini graue futurũ non ambigeret, ſubdit. [Peccauit Iſraël, & dixit Dominus ad Moyſen, vt aſſumat omnes principes, & oſtentet eos Domino contra ſolem. Populus peccat, & principes oſtentantur contra ſolem. Iidem ad examinandum producuntur, vt arguantur à luce. Vides quæ ſit conditio principum populi. Non ſolùm pro ſuis proprijs arguuntur delictis, ſed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipſorum ſit culpa quod populus deliquit: ne fortè non docuerint, ne fortè non monuerint, neque ſolliciti fuerint arguere eos qui initium culpæ dederint, vti ne contagio diſpergeretur in plures. Hæc enim omnia facere, principibus imminet ac Doctoribus. Si enim illis hæc non agentibus, nec ſollicitudinem gerentibus circa plebem, peccauerit populus, ipſi oſtentantur, & ipſi ad iudicium producuntur. Arguit enim eos Moyſes, id eſt lex Dei, velut negligentes, & deſides, & in ipſos conuertetur iracundia Dei, & ceſſabit à populo. Hæc ſi cogitarent homines, nunquam caperent nec ambirent ad populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis proprijs argui delictis, ſufficit mihi pro memetipſo, & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi neceſſe eſt, etiam pro Populi peccatis oſtentari, & oſtentari contra ſolem, ante quem nihil poteſt abſcondi, vel obſcurari?]

c Homil. 20. in num.

PVNCTVM II.

Difficultates, & pericula prædicta, æquè in Religioſæ familiæ præfectura locum habere.

1. QVÆ vniuersè de difficultatibus, & diſcriminibus ſacræ cuiuſuis rectionis ſunt cõſtituta, ſpeciatim in præfectura regulari habere locum, conſtans eſt ſapientum omnium aſſenſo. Multus eſt ac in parte Antiochus, *d* qui cam ob cauſam confirmat; præfectum regularem debere eſſe totum mentem, & totum oculum. [Is (inquit) cuius fidei tutela animarum à Deo concredita eſt, non mediocri ſtudio aduigilare debet pro ſalute ſubditorum: quippè qui certò ſciat ſe pro illis aditurum eſſe animæ propriæ periculum: & quidem pro ſe nec minimam habiturum eſſe excuſationem. Ab eo enim cui multa oppoſita ſunt, abundantiùs repetent. Debet igitur paſtor, totus eſſe mens, & oculus, vt ne vna quidem concreditarum ſibi pecudum reiicula fiat, & indigna quæ recipiatur à Domino per oſcitantiam, aut decolor ſit impetigine cogitationum, aut per ſuam paſtoris indulgentiam laboret ac prurijat pecus fœda ſcabie, ne claudicet per irreligioſum, ac minus grauem inceſſum, aut defecta ſit aure per inobedientiam, nec cæca eſſe comperiatur per vitioſum aſpectum, aut capta à beſtijs ſiue morticina per improbam operationem.] Tota homilia in hoc negotio conſumitur, nec ſpectat ad Epiſcopos, vt ſerunt quæ aliquis minùs attentè marginibus illinit, ſed ad Præfectos, duntaxat regulares. Sicut & cœteræ eiuſdem Autoris homiliæ, ad religioſos tantùm pertinent.

d homil. 121.

2. Præclarè quoque in eandem ſententiam S. Ephrem. *e* [Frater, (inquit) creditæ tibi ſunt animæ; cingere contende, ſicut vir lumbos tuos; certamen quippè immoret non exiguum; ſiquidem perſectorum eſt virorum, animas ſuſcipere. Quare ſobrium te præbe vehementer, ac vigilantem, quoniam multam res exigit attentionem, & non deſperaris] Sapientiſſimum præterea, Diſcipulum B. Pachomij Orſieſim, in monaſticis inſtitutionibus, *f* optimè de hac re diſſerentem, iuuerit audire in hæc verba. [Omnes quibus fratrum cura commiſſa eſt, parent ſe aduentui Saluatoris, & formidoloſo tribunali eius. Si enim pro ſe ipſo reddere rationem, plenum eſt diſcriminis, ac timoris, quanto magis pro alterius culpa ſubire cruciatum, & incidere in manus Dei viuentis?] Et inferiùs *g* [Si quid mortale, aut aliquid turpitudinis, ob negligentiam præpoſitorum in domibus commiſſum fuerit; poſt illorum propria ſupplicia, Præpoſitus quoque reus tenebitur criminis. Quod ſemper nobis Sanctæ memoriæ Pater noſter; (*S. Pachomium intelligit*) ſolebat ingerere Quamobrem, cum omni cautione, & ſollicitudine, ſinguli commiſſum ſibi gregem cuſtodiant, & imitentur paſtores de Euangelio, ad quos non dormientes, ſed vigilantes venit Angelus Dei.] Idem admonebat cœnobiarcham quemcumque S. Ferreolus adductus in Concor. Regul. docens magnum per honorem onus imponi, & magna ei eſſe opus ſollicitudine, qui cum inter monachos dignitate ſit primus, deſudat omnium onere faſcinatus.]

e tom. 1. paræn. 15.
f ſub init.
g ante med.

3. In eandem ſententiam benè omnino diſſerit S. Nilus, *h* bis præter cætera. [Neque verò putent id munus ſuaue atque iucundum. Hominibus enim præeſſe, res eſt omnium maximè laborioſa. Nam qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia: ideòque ferè ſemper illis proſperè cedit imperium. Qui verò homines gubernant, & regunt propter morum diuerſitatem, rationiſque ſolertiam, prouinciam difficilem experiuntur: quam qui ſuſcipiunt, neceſſe eſt vt ſe

h c. 5. §. 53. In libello Aſcetico.

tanquam

tanquam ad laborioſum certamen inſtituant: vt & omnium infirmitates magna cum patientia ferant, & quæ illos propter ignorantiam latent, æquo animo doceant. Idcircò boues in templo peluim ſuſtinent: Candelabrum verò ſolidum, atque tornatile eſt. Ac Candelabrum quidem Indicat, qui cæteros illuminare profitetur, omnibus eſſe partibus ſolidum, & nihil, nihil inquam prorsùs inane habere, aut vacuum oportere; omniàque ſuperuacanea atque inutilia, (vt inculpatæ vitæ exemplum intuentibus præbeat) circumcidere, & amputare. Boues autem ſub pelui, declarant eos qui ſubeunt onus eiuſmodi, nihil reſpuere aut auerſari debere, ſed & onera, & ſordes inferiorum perferre, quoad ſine periculo fieri poſſit. Qui enim aliorum actiones, puras eſt effecturus, is quin aliquam ipſe ſordem, contrahat, vix fieri poteſt. Siquidem & peluis, emundans eorum qui lauantur manus, ſordes illorum ipſa ſuſcipit.]

4. Grauiter ac plenè, de eodem religioſorum præſidum labore ac periculo, Petrus Damiani, a adducto S. Benedicto, qui in eam rem egregiè diſputat. b Vrget verò præſertim Damiani, quod Præfecto regulari neceſſarium propè videatur, non eſſe mortuum mundo. Quomodò enim mortuus mundo haberi poſſit, qui negotiis ſæcularibus propè immergitur qui fora frequentare, lites verſare, aulas adire, amplificando domeſtico cenſui ardentiſſime inuigilare, volens nolens adigitur? Cui quidquid eſt, nihil eſt, niſi & hoc ſtuduerit inuenire quod deeſt? Cui monaſterium, fit hoſpitium, equinum verò dorſum, quotidianum eſt habitaculum; Chirotecæ, calcaria, ſentica, pidrifigulæ, & ſi quæ alia, equitanti ſunt neceſſaria, nunquam otioſo ſitu neglecta marceſcunt; Cum Sacerdotalia ornamenta, quibus ſacris altaribus deſeruitur, ſæpè à tineis comeſta reperiantur? Quæ enim fora, quæ tribunalia inueniri poſſunt Abbatibus vacua? quæ cubilia, quæ curia Principum, ferratis Abbatum virgis non aſpiciuntur effoſa? Aulicum limen, iugiter Abbatum veſtigiis teritur, & eorum querelæ, vel iurgia importunè Regum auribus ingeruntur. Non eos effugiunt caſtra bellantium, ſed ſub ſequeſtræ pacis ſpecie, inter ipſos galeatorum cuneos, diſcerpi & comprimi videas ſæpè cucullatos. Qui vult noſſe quid actū ſit apud forenſe negotium, non Prætoria Iudicum, ſed diuerſoria potiùs perquirat Abbatum. Quidquid in ſæculo agitur, ab eis, vel à magiſtris negotiorum ſecularium requiratur.] Vniuerſa Philippi Abbatis epiſt. 13. in hoc negotio conſumitur, vt quemdam ſibi dilectum terreat à ſuſceptione muneris, non Epiſcopi tantùm, ſed etiam Abbatis religioſæ familiæ Præfecti, quod eſſe pleniſſimum periculi, diligentiſſimè perſequitur.

Petrus Bleſenſis c agens cum Vvillelmo Abbate S. Mariæ, viuis coloribus depingit onus, & pericula religioſæ præfecturæ, ſic eum alloquens. Electus es a tuis fratribus in Abbatem: Propterea in vobis magnifico miſericordiam Saluatoris, ſi tamen miſericordia eſt, & non potius quædam probatio, & quæſtus honoris quandoque tranſeat in querelam. Erat longè ſecurius ſubeſſe, quàm præeſſe. Meritorium tamen valdè eſt ſi ſic præſis, vt proſis. Cariſſimè mi pater, dum in minore officio miniſtrabas, ſæpe fuiſti tibi ipſi ſcandalo, frequenter tædio, ſemper periculo: Nunc autem ſuper Candelabrum conſtitutus, incurriſti æternam euentus ancipitis. Nam ſi poſſeſſionum ſollicitudines, ſi animarum diſcrimina penſes, foris ſunt pugnæ, intus timores. Iuxta Verbum Salomonis, *immiſiſti te in turbam, & alligaſti tibi peccata duplicia.* Ideò plerique volunt latere ſub modio, & intra conſcientiæ fines claudunt interioris gloriæ bonum, fouentes in ſinu memoriæ, verbum illud propheticum, *ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Et nunc pater amantiſſime, in varia diſtrahi te oportet, pro aliis molere, ſollicitari cum Martha, poſtponere vnum illud neceſſarium; & tranſire de Mariæ otio ad quemdam animæ labyrinthum.]

5. Quod ſi pericula Ductoris militiæ in prælio ſeculari, non ſunt exilia, aut vulgaria, indéque ſuperiùs cum S. Chryſoſtomo, difficultatem muneris Epiſcopalis rectè inferebamus, non eſt quod hoc quoquè horroris argumentum ab hac præfectura abeſſe exiſtimemus, cum hæc quoque ſint Dei caſtra: quod è recentioribus benè, ac plenè proſecutus eſt Delrio. d Idem inter antiquos pulchrè proſecutus eſt Petrus Damiani, e & benè Ordo Tuſculanus quem quod libet ſit minus notus, iuuerit adducere, piè admodum expendentem illud Geneſ. 32. *caſtra Dei ſunt hæc.* [Si quid agatur in caſtris militantium conſideremus attentiùs, inueniemus procul dubio in caſtris noſtris multa ſimilia actitari. In caſtris nihil otioſum, nihil luxurioſum, nihil ſuperfluum, nihil inordinatum. Hæc omnia in caſtris ſanctæ Congregationis manifeſtum eſt inueniri. Procul ab eis eſt otioſitas, de qua dicitur, *Inimica eſt animæ otioſitas*, quæ etiam legitur extitiſſe iniquitas Sodomæ, & Gomorrhæ. Nihil in eis luxurioſum, quoniam omnibus amica eſt caſtitas, quam etiam profeſſi eſtis. Vnde hæc caſtra? Caſtra non immeritò à caſtrando dicuntur, in quibus nemo dignè militare poteſt, niſi ſeipſum caſtrauerit propter cœlorum regnum: nihil ſuperfluum quoniam nobis multa neceſſaria deſunt. Nihil inordinatum: quoniam iuxta Apoſtolum, *omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiunt in nobis.* Hunc ordinem ſeruari in Caſtris iubebat legiſlator cum diceret. *Homo ſecundùm ordinem, incedat in Caſtris.* Omnia quidem Deus fecit in pondere, & numero, & menſura, nec aliquid inordinatum reliquit, ſiue in cœlo, ſiue in mundo. Vnde & Beati illi Angelici ſpiritus, *ordines* appellantur. Solus Infernus ſine ordine eſt, vbi vmbra mortis, & nullus ordo. In caſtris vniuerſalis Eccleſiæ, ordinem Spiritus ſanctus, in Canticis admiratus ait. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Et iterum *quid videbis in Sunamite, niſi Choros Caſtrorum?* Non ſunt hæc caſtra Philiſtinorum, ſed filiorum Iſraël. Et ſicut de caſtris præcepit Moyſes, vt hæc ponerentur ad Orientem, & hæc ad Occidentem, hæc ad Aquilonem, & hæc ad meridiem; ſic & noſtra poſſumus ordinare. Sunt ergo nouitij, & nouiter profeſſi ad orientem, quibus de nouo incipit oriri Sol Iuſtitiæ, in quibus rutilare incipit initium quoddam conuerſationis honeſtæ. Vel ideò ad Orientem, quia ortum ſolis, & Iuſtitiæ, & veri Orientis de quo dicitur, *vobis timentibus nomen meum orietur Sol Iuſtitiæ. Et ecce vir, oriens nomen illi*, in memoria habent: Affectiones enim nouiter conuerſorum, præ-

a Opuſc. 13. cap. 1.
b cod. reg.
c Epiſt. 134. initio.
d par. 3 lect. ſacra Opuſc. 13 c. 17.
e in c. 32. Geneſ apud Tumanū in Allegoriis.

cipuè circa Chriſti Incarnationem verſentur. Ad occidentem vbi dies clauditur, ſint infirmi, quibus iam iamque imminet dies mortis. Ad Aquilonem ſint conuerſi, & obedientiales. Hi ſunt ſaga Cilicina, quæ pluuias, & tempeſtates arcent à Tabernaculo. Ipſi enim impetus mundi, & tempeſtates ſuſtinent, vt alij libera mente Deo vacare poſſint. Ad meridiem vbi clarior, & feruentior dies, ſint prælati & clauſtrales, in quibus amplior fidei calor eſſe debet, qui & præ cæteris maiore cognitione Dei replentur.] En caſtra Dei, vbi dubitare profectò non liceat, quin præfectu aciei religioſæ, ſtrategi nomen, atque adeò etiam difficultates, & pericula competant.

6. Eruunt hinc Sancti, quanta ſit cœcitas, ac ſtultitia illorum Aſcetarum, qui præfici aliis deſiderant, aut curant. Egregiè S. Nilus, *a* his præter cætera. [Si ſcirent quantus ſit labor aliis ſe ducem ad Religionem capeſſendam, præbere, & quantum inde periculum conſequatur; onus illud vti grauius, quàm ipſi ſuſtinere poſſint, profectò detrectaſſent? Verùm quoniam hæc ignorant, & aliis præeſſe præclarum exiſtimant, idcirco in barathrum ſe demergunt, & in caminum ardentem deſilire nullum eſſe negotium arbitrantur.] Nec ita multo poſt ex apologo Iudic. 9. Quod vanorum hominum ſit, & nullam domi vtilitatem habentium, alios gubernandi munus appetere vel exeo patet; quod nemo, qui quietis, & contemplationis bona guſtarit, facile illud ſuſcipiat, vt terrenis ſeſe occupationibus implicet, animúmque cœleſtia meditantem ad mundi negotia reuocet. Quod etiam ex illa ſimilitudine clariùs perſpici poteſt quam Ioathan viris Sichimitis propoſuit. *Ierunt* (inquiens) *ligna ſiluæ, vt vngerent ſibi Regem, dixerúntque Oliuæ, Impera nobis. Quæ reſpondit; nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad ficum: Veni & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis. Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructúſque ſuauiſſimos, & ire, vt inter ligna promouear? Locutáque ſunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit. Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum atque homines, & inter ligna cætera promoueri?* Rhamnus verò arbor infructifera, & ſpinoſa, ſuſcepit imperium, quæ nec propriam nec ſubiectorum lignorum pinguedinē habet. Neque enim paradiſi, ſed ſiluæ ligna, tectoris indigere dixit ſimilitudo. Quemadmodùm enim oliua, ficus, & vitis, lignorum ſiluæ recuſarunt imperium, quòd magis ſuis fructibus lætarentur, quàm eiuſmodi dignitate: ita qui fructum aliquem in ſe virtutis aſpiciunt, vtilitatémque ſentiunt, licet vocentur ad multorum imperium, illi commoda ſua ſemper anteponent.

7. Petrus Damiani *b* exſolutionem à præfectura gratulatus cuidam Abbati, non ſecus ac ſi e ſeruitute & ſecularium & domeſticorum eſſet ereptus, ſic eum affatur. [Dic pater, dic inquam videlicet vt expertus; quis poteſt hoc ferreo ſeculo, monaſterium ſine ſui capitis periculo regere; imò quis poteſt cum Abbate ſimul, & monachum poſſidere? mox enim vt quis fieri Abbas incipit, monachus eſſe deſiſtit; & quicumque abbatizandi culmen efflagitat, nihil eſt aliud niſi quod monachum velut importabile pondus quærit abijcere; & ne Apoſtata videatur, ſub fucato ſe vult colore regiminis palliare. Videlicet vt poſſit latere peccatum, Prælationis quærit ſibi argumentum; & ... luſa cutis paſtoralis officij ſuperadditur, vt peruerſæ mentis plaga, cum virtoſi putris fœtoribus occulteretur. Quibus nimirum aptè congruit illud Euangelicum, *væ vobis* (inquit) *quia ſimiles eſtis ſepulchra dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.*] Subdit permulta de implicatione Præfectorum in ſecularia negotia, contra Apoſtoli edictum. *c* Tum concludit. [Quiſquis vt terrenis actionibus plenum monaſterij regimen vltroneus appetit quid aliud creditur agere, niſi quod, velut iam laſſus, Chriſti militiam execretur vlteriùs baiulare; & dum iugum Chriſti, quod vtique ſuaue eſt, tenera ceruice portare detrectat, ad refectionis eius conuiuium non aſpirat. Ruſuſque paulò poſt; de eodem. [Vt laborem militiæ fugiat, ad eiuſdem militiæ ducatū hianter anhelat, dúmque dux belli eſſe humanis oculis cernitur; in conſpectu occulti arbitri maleficijs transfuga iudicatur. Fugit qui vt tenera pugnandi valeat vitare periculum, ſimulat ſe anteſignani vice, ſpecie tenus portare vexillum, & qui inter catervas militum non poterat ire vel vltimus, principandi deſiderio iam in præcedenti cornu cernitur primipulus. Infœlix nō illud ad memoriam reuocans, quod per os B. Benedicti Spiritus ſanctus terribiliter clamat. *Qui ſuſcipit animas regendas, preparet ſe ad rationem reddendam.* Qui etiam alibi dicit; *ſciat* (inquit) *Abbas de omnibus æquiſſimo iudici Deo, ſe rationem redditurum.* Ac etiam alibi dicit. *Sciat Abbas, culpæ paſtoris incumbere, quidquid minùs vtilitatis in ouibus paterfamilias poterit inuenire.* Qui enim Iudex vult fieri animarum, neſcit quàm diſtrictum cogatur expectare iudicium? vt enim ſcriptura dicit, *duriſſimum iudicium ijs qui præſunt fiet.* Mirabiliter in hanc ipſam rem philoſophatum Origenem tractando principum populi crucifixionem, & oſtentationem ad Solem peccante populo *d* ſupra retuli.

8. Oſtendunt iſta profectò, de Sanctiſſimorum virorū ſententia, quantus ſit ſtupor ambientium, & captantiū religioſæ familiæ præfecturam. Verū S. Baſilius, *e* quo vix agnoſcit Eccleſia rei Aſceticæ peritiorem, non aliter ſtatuit de eo qui intra religioſā domū huiuſmodi morbo laboraret, quā de dæmone quopiam: ſic enim ſcribit. [Inter fratres, principatum nullo modo appetere monachus debet. Si quidē diabolica iſta peſtis eſt, & libidinis dominandi labes, quæ res inſigne eſt illius primæ diabolicæ prauitatis indicium: etenim ex hac ille quoque imperandi libidine, præceps in ſinguli illo ſuperbiæ lapſu corruit. Et ſine dubio qui in huius vitij poteſtate eſt, is eodem planè cū diabolo malo laborat; qui autem ab eo captiui tenētur, eos inuidos, cōtentioſos, inſimulatores, impudentes calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcentis denique alijs huiuſmodi morbis refertos exiſtere neceſſe eſt.] Similiter planè pronunciat de eo ambitu Aëlredus, *f* monſtrans, Monachum qui præfecturam Luciferi exemplo captauit, laborare morbo Luciferi, nec alium à Lucifero exitum expectare debere; deiectionem ſcilicet in Infernū, in profundum laci. Ex eodem Ciſtercienſi inſtituto Guerricus Abbas *g* illuſtriſſimè de huius culpæ atrocitate diſſerit, docens hanc eſſe idolorū ſeruitutē, ad Dei negationē peſſime pertrahentē; hāc illam eſſe auaritiā, quæ Iudā Dei diſcipulum,

primùm

a In libello Aſcetico.
b Opuſc. 21. initio.
c 1. Tim. 2.
d hom. 1 in Num. ſub finem.
e in conſt. monaſt. c. 10.
f in or. 4. Iſaiæ.
g Serm. de Purif.

primùm ad mandatorum Dei obliuionem, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.]

9. Non eorum dumtaxat qui captant religioſam præfecturam, ſed & eorum qui oblatam admittunt lubenter, magnam eſſe cæcitatem, diſcimus ex oratione grauis ſcriptoris, cuius extant inter S. Cypriani opera diſſertationes de Cardinalibus Chriſti operibus. a Tractans enim Chriſti tentationem, ex oblato ei per Satanam dominatu vniuerſorum, ſubdit. [Solent vitia virtutum, huiuſmodi præſtigia ſe offerre, & teſtimonium Religionis conſcientia perhibente, cum ab aliis digni honoribus iudicantur, facilè acquieſcunt, & tam proprio quàm alieno faſcinati Iudicio, à rectitudine, corruunt; euerſáque Cathedra mentis, homo fractis ceruicibus colliduntur, repentéque & ſubitò quod multis erat partum ſudoribus, ambitione irruente, obliteratum eſt, & turbinis huius impulſu, auulſum eſt quidquid antiquæ religionis labor meruerat.] Et mox illuſtriſſimè. [Pateat nobis, quod ſicut peremptoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſſima eſt oblata. Non quòd poteſtas, quæ ex Deo eſt ſit damnabilis, aut ordinatio diuina ſit obſtetrix peccatorum, ſed quod excellentiam, cuius Spiritus Sanctus autor eſt, ita debet complecti humilitas, vt qui vocatus eſt ſuper ius; neſciat ſe ſublimem; & per omnia agnoſcat conditio, conditorem; & gratia, largitorem.] Non ita aliqui induentes ſe libenter in has pedicas, nec grauatè ſuſtinentes, ſe in ſpeciem adigi, aut occaſionem præſentes meditato & artificioſè promotioni ſuæ, quales qui priùs infirmi, illico ſunt valentiſſimi. Verba do Aluari Pelagij in opere de planctu Eccleſiæ. b [Vidi Romæ fratrem, multis menſibus iacentem in grabato, & dormitorium clamoribus infirmitatis concutientem; factum Guardianum, ſtatim ſtantem & exilientem, & dolorem non ſentientem. Claudam ouem vel capram, cum tintinnabolo præcedere facit gregem hic morbus, quod eſt mirabile in pecode bruta.]

a Serm. de ieiunio.

b Ibi. art. 77.

PVNCTVM III.

Vnde præſertim tantæ illæ religioſi, & cuiuſuis ſacri regiminis difficultates.

1. SVnt igitur ſacræ quæuis præfecturæ, à maxima quæ ſummorum Antiſtitum ſiue Epiſcoporum eſt, ad religioſam omnium minimam, plenæ diſcriminibus, & difficultatibus obſeptæ. Porrò graues illas difficultates quibus vallatum ac oppreſſum rectoris animorum munus oſtendimus; Nazianzenus, c citante & approbante S. Gregorio, d ducit partim ex ſubditorum vario ac multiformi ingenio; partim ex neceſſaria rectori ſanctitate eximia.

Conſiderat ergo imprimis, ſummam in ſubditis varietatem propenſionum, affectuum, ac morum certi, quæ magnam omnino rectoris dexteritatem prudentiámque depoſcit. Vnde non dubitat certò confirmare, quantauis aliquis polleat eruditione, & quibuſcumque colluceat virtutibus, trepidè tamen ac cunctanter ad huiuſmodi ſarcinam colla ſubmittere oportere. [Nam profectò (inquit) ars quædam artium, & ſcientia ſcientiarum mihi eſſe videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex.] De eodem difficultatum harum capite, egregiè diſſerit Iſidorus Peluſiota. e Argueos, enim captatores ſacræ præfecturæ; támve non illubenter nec grauatè admittentes, quam vocat dementiam atque vecordiam; miratur Theodoſium eiuſdem cum ipſo Iſidoro ea in parte ſententiæ, cum alias cauſas eius vecordiæ ſignaſſet, hanc prætermiſiſſe, quæ omnium præcipuè adducenda fuerat: nimirum quod in cœtu per ſacram præfecturam dirigendo, non omnes iiſdem laborent morbis, neque omnes eidem cedant curationi. Hinc exiſtere ſummam regendi difficultatem ſtatuit S. Iſidorus. [Cum enim (inquit) multi ac varij ſint morbi, primùm quidem homini nato perdifficile atque arduum eſt, eos perſpectos, & cognitos habere; deinde etiamſi eos cognitos habeat, noſſe quale eis conueniat remedium: non enim omnibus eadem apta conuenientiáque ſunt auxilia, neque omnes iiſdem curantur remediis: nam quod hunc iuuit, alteri nocuit, & quod alteri benè ſucceſſit, hoc alterum euertit. Ac ne tibi fortè paradoxa & abſurda quædam proferre videar, quod dictum eſt, latiùs explicabo. Non qui oratione docentur, iidem & exemplo emendantur, & ad modeſtiam flectuntur: ſed alios hoc, alius illo, in meliorem ſtatum traducuntur. Neque illi qui ſtimulis indigent, iidem etiam fræna patiuntur: ſed pigri quidem atque ignaui qui ad honeſtatem capeſſendam difficulter permouentur, orationis piſga excitantur: qui autem iuſto feruentiores ſunt, nec facilè retinentur, ac tanquam pulli laſciuientes procul à linea feruntur, ij conſtringendo retinendóque iuuantur. Alij laudibus, alij reprehenſionibus corriguntur, ſi vtraque tempeſtiuè adhibeantur. In contrariam verò eadem partem, ſi extra iuſta, & conuenientia tempora exagentur: alij námque cohortationi cedunt, alij objurgationi, alij quidem in conuenientibus ac cœtibus hominum reprehenſi, alij verò in penetrali domus admoniti, ſuos næuos detergent: ſolent enim alij quidem cum alioqui contemnerent eos qui ad ipſos verba faciunt, publica increpatione corrigi: alij autem cum ad publicas reprehenſiones, potiùs impudentiores fiant, vnoquemque pudorem excutiant, priuata & arcana obiurgatione remotis arbitris facta, necnon ſi oſtendamus nos ipſorum vicem dolore, ad obedientiam inſtituuntur, & aſſueſiunt. Porrò alios quidem per omnia obſeruare conuenit, quos nimirum illa opinio quod putant ſe latere dum id moliuntur, tanquàm ſapientiores inflauerit; aliorum verò nonnullæ ſunt actiones vitioſæ, quas etiam diſſimulare oporteat, ne ad indolentiam irritentur, tandémque per omnia tales euadant qui nulla ratione in officio queant contineri, quippè qui pudorem ac verecundiam, maximum illud obedientiæ remedium detriuerint atque abſterſerint. Præterea etiam iraſci nonnullis in ſpeciem oportet, quamuis tenera irati non ſimus; & negligere aliqua, tametſi non negligamus. Et alios quidem, moderatione & æquitate animi ſanare, alios verò ſeparatione; & alios quidem timere, ab aliis autem vinci quoque videri, quibus videlicet hoc expedit. Cum igitur tot támque multiplicia ſint genera, & morborum & auxiliorum,

c Orat. 1. à num. 57.

d in prologo 3. partis paſtor. & c. 2. initio.

e lib. 4. epiſt. 143.

Theoph. Rayn. Philologica.

Oo 2 neque

neque om̃nes iiſdem cedant, ſed etiam contra, ad deteriora nonnunquam peccata admittenda irretiuntur, quis quæſo aut omnia ſcire, aut huic tanto muneri par eſſe queat, niſi diuinus ſpiritus animum ipſius illuſtrarit? Sed quia imperium ſibi probè conuenire exiſtimant, ideo tantum ſumunt audaciæ; neque eius difficultatem muneris apud animum perpendentes, neque vocem Domini audientes, quæ adeò durum negotium eſſe demonſtrat vt quis benè ei præſit, vt etiam dubitabunda oratione vſus fuerit, dicens; quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis demenſum?] Hanc B. Iſidori diſputationem Ruhenuſius interpres ad Epiſcopatum gratis reſtrinxit, contra fidem Græci contextus, in qua ea reſtrictio non comparet. Itaque primum illud caput originis difficultatum ſacræ cuiuſvis præfecturæ, ſufficienter eſt illuſtratum.

2. Iam verò ſummum nitorem, & eximiam Sanctimoniam quam in rectore animorum poſcebat Nazianzenus, æquè depoſcunt Patres omnes & optimè S. Gregorius. *a* Nec immeritò. Ridiculum enim, imo luctuoſum eſt, eum qui interiùs omni ſpurcitia ſordeat, & quantumuis exteriùs alborem præferat ac nitorem, intus tamen putentibus cadauerum reliquiis fœdè ſcateat, ad aliorum purgationem accingi, quod profitentur, rectores quilibet animorum. Iſta igitur attentè recogitans Nazianzenus, cum ad animorum rectionem abriperetur, ſuſpirans aiebat. *b* [Hæc medullas etiam meas eliquant, & carnes conficiunt, nec me audacem eſſe ſinunt, ac ſublata facie incedere. Hæc animum meum deijciunt, & mentem contrahunt, & linguæ vinculum iniciunt, faciúntque vt non de præfectura, nec de corrigendis, & gubernandis aliis cogitem, id quod exuberantis cuiuſdam facultatis eſt: ſed quomodò ipſe venientem iram effugere, atque à vitij rubigine nonnihil meipſum abſtrahere primùm queam: purgarique priùs deindè purgare, ſapientia inſtrui, atque ita demum alios inſtruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & alios adducere, ſanctificari, & poſtea ſanctificare, cum manibus ducere, cum prudentis conſilium dare.

a par. 1. Paſtor. c. 1. & 2. & lib. 1. regiſt. epiſt. 24. indict. 9.

b orat. 1. n. 52 1.

3. Non diffiteor, difficultates rectionis animarum, quas timorem ſibi feciſſe affirmat Theologus, peridoneas ex aliquo capite eſſe, & ſublimi illo ingenio dignas. Videntur tamen aut remotiores eſſe, aut adiacere potiùs negotio de quo agimus, quàm ad illius penetralia, & quaſi viſcera pertinere. Diſpoſitio namque illa rectoris, ita ſe gerentis, vt iuxta Tertullianum dicta factis deficientibus non erubeſcant, quotcúmque verbis, & oratione ædificat, tantum mala vitæ conformatione minimè euertat, aliquid eſt merè adiunctum muneri præfecti: & cum extrinſecus planè ſe habeat ad rectionem, poteſt eam quamuis deſit non perturbare, vel ignoratione eorum qui reguntur, vel eorundem virtute, bonum cibum de ſordenti paropſide non dedignata; vel arte rectoris probra ſua callidè tegentis, ac eo externo probitatis tectorio obducentis internum vitium, vt non prodatur, nec in viſum hominum incurrat. Iam verò varietas illa quæ cernitur in materiis rectioni obiectis, in animis inquam circa quos occupanda eſt rectoris induſtria, ad inferendam eis culturam; tametſi radix eſt ac regula obiectiua ad quam neceſſe eſt vniuerſam rectionem admetiri; ad ipſam tamen rectionem, formaliter (vt loquuntur) ac conſtitutiuè non pertinet.

4. Quare ea potiùs difficultas in hoc negotio habenda eſt proxima, imo intima, quæ ex primariis bonæ rectionis dotibus, ſuauitate & efficacitate ritè temperatis & aptè coniunctis ducitur: ſine illis namque ritè nexis ornamentis, tantùm abeſt vt bona eſſe, vt potius ne conſiſtere quidem rectio poſſit. At in eo nexu ſuauitatis ſimul & efficacitatis, ſumma plane eſt difficultas, quam qui peruincere & ſuperare potuerit, næ ille dignus rectoris munere ac nomine haberi debeat. Hoc eſſe fundamentum totius pacis ac perfectionis quæ poteſt religioſæ familiæ obtingere, & præſidem qui hanc induſtriam ſit nactus, omne punctum ferre, Ioannes Gerſo, *c* egregie admonuit. Nec dubito, quin hanc maximè ob cauſam, ſummum quoddam donum ſoli ſapienti obtingens, ſit bona & idonea rectio, quod de ſententia Aſcetarum peritiſſimorum vniuerſæ Ægypti pronunciauit Caſſianus. *d* Eodémque reſpexiſſe puto, qui dixerunt, regendi animas peritiam, eſſe artem artium & ſcientiarum ſcientiam, quod habent præter S. Gregorium Magnum ſupra adductum, Gregorius Nazianzenus, *e* ac Chryſoſtomus, *f* & Nilus, *g* atque Gelbertus. *h* Verè enim præcipua difficultas rectionis animorum, in hac ſuauitatis & efficacitatis conſociatione reperitur: & qui eam ſic temperatam adhibere norunt, ij demum vtiles, ac eo quod præferunt *rectorum* nomine digni, & deprehenduntur, & ſunt reipſa.

c par. 3. in Opuſculo epiſt. de relig. perfect. & moderam. conſid. 11.

d l. 2. de inſtit. c. 3.

e In Apol.

f hom. 15. in 2. Cor.

g lib. aſcet.

h epiſt. 66.

5. E contrario, non pauci animarum præfecti, dum alterutri dumtaxat è prædictis rectionis dotibus, ſuauitati inquam vel efficacitati addicunt operam, reprehenſioni patent: ac cœnobiorum bono ſtatui, & religioſæ vitæ cladem inferunt, quæ vix vnquam niſi ex regiminis inordinatione deriuatur, vt ratiocinatur S. Gregorius, *i* & pleniùs infra aperiam.

i l. 9. regiſt. epiſt. 42. indict. 4.

Quidam ergo melliti adeo ac ſuaues ſunt, vt omnia prolabi ac peſſum ire, improuidi ſinant: ſiue enim benigni ac mites audire affectant, ſiue ex naturæ mollitie abſque forti & maſculo animo langueant, eoſdem ſe erga præfractos & contumaces, ac erga bonos & tractabiles exhibent, hoc eſt lenes & cereos: Vndè efferatio exiſtit eorum quos fortitudo rectionis contundere, & ad ſanam mentem reducere potuiſſet. Efferationem autem in dies auctiorem, perbreui ſtatus communis perturbatio, & cum ſubordinationis debitæ clade, boni cuiuſvis euerſio conſequitur. Vix dici poteſt, quaniam elumbis illa & eneruis procuratio concreditæ præfecturæ inferat perniciem, quantumque laxamentis aperiat oſtium. Alij dum efficaciam ſolam ſpectant, & ſuauitatem iuſto fortiores abijciunt, breui perturbant, & euertunt omnia, próque animorum rectoribus, in procuſtas, & ruptores perronéive degenerant. Audi eos graphicè expingentem Petrum Damiani, *l* dum nouellum Abbatem in quo ferè hæc dominatiua impotentia prodi ſolet apertiùs, verbis illis repræſentat. [Ipſo die quo in prælatione conſtituitur, præſidentiſque induit ſpeciem, ita dominantis exprimit maieſtatem; vt non nuper electum, ſed natum dicas Abbatem. Fit repentè ſeuerus in vultu, imperioſus in voce, ad

l Opuſc. 25. cap. 2.

corripien

corripiendum acer, ad iudicandum promptus. Ipſe ſi offenderit, iam omnino ſatisfactionis eſt ignarus: dedignatur accumbere, niſi in octogona ſella, ita præparata, ac ſi ſenatoria curulis ſo curia. Pro ſuæ voluntatis arbitrio, hæc præcipit fieri, illa conteſtatoriè interdicit, ligat, ſoluit, amouet, remouet: & in iis omnibus nequaquam à nobis ſenioribus, conſilium quærit, ſed ſibi ipſi ſufficiens, velut propriæ poteſtatis iura diſponit. Deuotis quidem, & ſubditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem Phalarica ſpirat animaduerſione vindictam: vt potiùs videatur in præfectoriis faſcibus agere, quàm Eccleſiaſticæ humanitatis officio deſeruire. Nauſeant fauces eius communia nobiſcum alimenta percipere; neceſſe eſt coquis plura atque diuerſa vni ventri edulia præparare. Nam groſſus cibus qui ex communi fratrum lebete depromitur, indignum pituitæ teneri & delicatiſſimi hominis iudicatur. Nuper egreſſus dormitorium, quieſcere non poteſt, niſi ſecretum, & ſingulare habeat cubiculum. Licet iuuenculus, licet validus corpore, neſcit incedere, ſi deſit baculus quo ſe debeat ſuſtentare. In his itaque & aliis pluribus, quæ perſequi longum eſſet, ita ſubitò magiſter efficitur, vt in tota præſidendi regula, veluti antiquus quidam pater, nihilo offendere ſe videatur. Quàm doctè, quàm imperiosè, nouit cuncta velut quadam maieſtatis auctoritate præcipere, qui diuturniſſimè ſubditus nunquam ſapuit ſuis præceptoribus obedire?]

6. Delinquunt ergo, qui vel ſola ſuauitate, vel ſola efficacitate, ornandam cenſent præfecturam animorum. Vtri grauiùs & pernicioſiùs, ægrè diiudices, nec admodùm intereſt ſcire, dummodò conſtet, vtrinque magnum rectioni probrum, magnum ſubditis damnum inferri. S. Gregorius

a 3. par. Paſtor. admonit. 17. initio.

a ab vtriſque talibus rectoribus abeſſe Spiritum Sanctum, grauiter conteſtatur, his præter cætera. [Nonnunquam manſueti, quando præſunt, vicinum, & quaſi iuxta poſitum torporem deſidiæ patiuntur. Et plerumque nimia reſolutione lenitatis, vltra quam neceſſe eſt vigorem diſtrictionis emolliunt. At contra iracundi, cum regiminum loca percipiunt, quò impellente ira in mentis veſaniam deuoluuntur, eo etiam ſubditorum vitam, diſſipata quietis tranquillitate confundunt. Quos cum furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant quidquid patiuntur irati à ſemetipſis. Nonnunquam, quod eſt grauius, iræ ſuæ ſtimulum, iuſtitiæ zelum putant. Et cum vitium, virtus creditur, ſine metu culpa cumulatur. Sæpè ergo manſueti diſſolutionis torpeſcunt tædio. Sæpè iracundi rectitudinis falluntur zelo. Illorum itaque virtuti, vitium latenter adiungitur: his autem ſuum vitium, quaſi virtus feruens videtur. Admonendi ſunt igitur illi, vt fugiant quod iuxta ipſos eſt, iſti quod in ipſis eſt. Attendant illi quod non habent, diſcernant iſti quod habent. Amplectantur manſueti ſollicitudinem, damnent iracundi perturbationem. Admonendi ſunt manſueti, vt habere etiam æmulationem iuſtitiæ audeant. Admonendi ſunt iracundi, vt æmulationi, quam ſe habere exiſtimant, manſuetudinem ſubiungant. Idcirco namque Spiritus Sanctus in Columba, & in igne monſtratur; quia videlicet omnes quos implet, & Columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne ardentes zeli exhibet. Nequaquam ergo Sancto Spiritu plenus eſt, qui aut in tranquillitate manſuetudinis, feruorem æmulationis deſerit, aut rurſum in æmulationis ardore, virtutem manſuetudinis amittit.]

PVNCTVM IV.

Optimum medium aduersùs difficultates propoſitas, æmulatio diuinæ rectionis, ſuauis ſimul & efficacis.

1. VEriſſimè conſtitutum eſt, non alio magis ex capite perturbari præfecturam ſacram, quàm ex eo quod non concurrant in eam duo illa veluti attributa, ſuauitatis ac efficacitatis, quorum admixtione optimè è contrario ac feliciſſimè ceſſura ſit rectio. Ea verò mixtura, in diuina gubernatione, quippe perfectiſſima, apertiſſime cernitur. Quare nulla ratione aptius meliúſve conſuli poſſit humano regimini, quàm ſi ad diuinum conformetur. Quam porrò aliam luculentiorem ac perfectiorem ideam præfigere ſibi poſſit humana rectio, quàm diuinam? Nam humana quidem omnia, quantumuis plena atque perfecta appareant, nunquam prorſus carent næuo, ſed rectio maximè. Virtus quæcumque noſtra, iuxta Philonem, b nunquam rectipes eſt, ſed ſemper claudicat, quo homo ille ingenio ſupra modum allegorico, Iacobi poſt luctam cum Angelo claudicationem accommodat. Solæ diuinæ perfectiones, plenæ ac perfectæ ſunt, & nullis defectibus ſordent. Alibi, c virtutes quaſvis noſtras, fœminino nomine efferri docet; idcircò quod, ſicut ſexus fœmininus præ virili eſt valde mancus & imperfectus, ita virtutes, & perfectiones quæcumque noſtrates, præ diuinis plenis ac perfectis, ſint admodum deficientes ac infirmæ. Concinitque Cyrillus Alexandrinus, d rationem veſtigans cur Deus in lege Moſis ſola ſibi primogenita maſculina vellet ſacra fieri, non item fœminina. Rationem enim huius præcepti inde petit, quod quæ maſculina ſunt, diuinas perfectiones redoleant, & ad eas accedant propiùs.

b lib. de nomin. mutat.

c Variis locis quæ ſigno in Naturali Theol. d. 8. n 92.

d Epiſt. 10. paſch.

2. Cum igitur quæcumque virtutes noſtrates, fœmininæ ſint appellationis, imperfectionem profectò ſuam, vel ipſo nomine præferunt, nec vlli ad imitandum proponi securè poſſunt, ob adiunctum defectum. Præterquàm quod vbiuis in nobis perfectioni ac bono vnius generis, probra & mala alterius rationis ſemper comitantur, ita vt confirmet S. Chryſoſtomus, e ſicut nemo hic eſt inter nos adeò peruerſus, quin aliqua honeſtatis, & probitatis particula in eo micet; ita neminem reperiri adeò perfectum ac nitentem, quin alicunde deformetur ac ſordeat. Nihil igitur facilius, quàm vt cui propoſitum eſt imitatione exprimere virtutem ac perfectionem quæ in humano quopiam exemplari deprehenditur; cum perfectione, in quam fertur, imperfectionem quoque ad ſe trahat, & fæces ſimul cum vino ebibat: quod improuidè pleroſque feciſſe legimus, qui in iis quos imitatione exprimendos delegerant, quæ verè auerſanda & improbanda fuerant, ſunt imitati. Eiuſmodi eſt, quod Plu-

e homil. 12. in Acta.

a in Pyrrho. tarchus de nonnullis Regibus narrat : *a* qui ad Alexandri Magni normam fingentes ſeſe, cum alia in eo non probanda, tum nominatim abſurdam colli obtorſionem, & indecorè elatam vocem æmulabantur. Nunquam ab huiuſmodi periculo immunis eſt, qui hominem ſuſcepit imitatione exprimendum. At is qui in Deum dirigit oculum, rubrica vtitur infallibili.

3. [Itaque impoſſibile eſt aptiorem ac perfectiorem humanæ rectionis ideam proponere, quàm diuinam ; nec alia meliùs ratione ſapiens rector numeros omnes explebit muneris ſui, quàm ſi Dei Optimi Maximi æmulum ſe in regendo præſtet, vt quemadmodum humana poteſtas gubernatiua, ſtillicidium eſt diuinæ illius pleniſſimæ & abundantiſſimæ poteſtatis cui omnia ſubiacent, ita humana gubernatio ad diuinam conformata, duas illas præcellentiſſimas gubernationis diuinæ dotes complectatur, & in ſeipſa repræſentet, ſuauitatem ac efficacitatem. Ad huius rei illuſtrationem perfectam, operæpretium eſt de vtraque illa rectionis prærogatiua ſeorſim agere, & quantum in diuina gubernatione micet, animaduertere. Inde ad vtriuſque copulationem fiet progreſſus, & quanto iure Deum hac in parte exprimere obſtringatur fidelis quilibet, ac prudens animorum præfectus, demonſtrabitur nullo negotio.

SECTIO II.

De exprimenda moderatoribus, ſuauitate Dei in regendo.

Vt edulem herbarum ſatûram oleo acetóque condiri neceſſe eſt, præmiſſa olei affuſione, ad meliorem, & exquiſitiorem mixturam : Ita quandoquidem iuxta proximè conſtituta, optimam rectionis humanæ formam, ex oleoſa (vt ita dicam) ſuauitate ; & veluti aciditate fortitudinis, in diuina rectione commixtis, reperere conſilium eſt ; ab expoſitione, & debita expreſſione ſuauitatis diuinæ rectionis, auſpicabor.

PVNCTVM I.

Sigillatim, de diuinæ rectionis ſuauitate.

SIGILLATIM inquam, quia de ſuauitate prout fortitudini admiſta, poſtea ſeorſim erit differendum. Rectionem Dei leuiſſimam ac ſuauiſſimam, manifeſtè ferunt illa de
b Sap. 8. diuina ſapientia cuncta regente, *b diſponit omnia ſuauiter.* Hoc quid ſit, non poſſum meliùs ex-
c homil. 11. in Eccleſ. *ſub finem.* ponere, quàm verbis Hugonis Victorini, *c* qui in hæc verba ſic philoſophatur. [Nihil excipitur à ſuauitate eius ; omnia diſponit ſuauiter. Quæ omnia ? praua & recta, bona, & mala, obnoxia, & aduerſa. Omnia diſponit ſuauiter : non ſolùm bona, ſed etiam mala : non ſolùm recta, ſed etiam praua ; non ſolùm obnoxia, ſed etiam aduerſa. Omnia diſponit ſuauiter. Quàm ſuauiter? Vultis ſcire quàm ſuauiter diſponit omnia ? ſine violentia aduerſa ſubijcit : ſine tumultuatione, praua dirigit, & in pacatiſſimo regno ſuo quod iuſtitia intus tenet, mala quoque, & aduerſantium vitiorum motus, ſine coactione, ſecreto ordine, ſapientiſſimáque diſpoſitione ſeruire facit. Tam ſuauiter enim omnia, etiam non ſuauia diſponit, vt omnia quæ contra eius voluntatem ſe erigunt, neque potenter extinguat vt nihil ſint, neque violenter compellat, vt nihil poſſint : ſed eſſe ſinens, & poſſe annuens, currentia contra ſuam voluntatem manifeſtè permittit, & occultè conducit, ad implendam ſuam voluntatem, & cum mali volunt illa contra ipſum, ſine ipſo volunt ; cum autem poſſunt quod volunt, ab ipſo poſſunt : cum verò faciunt quod poſſunt ; putant quidem, & volunt facere ſe quod ipſe non vult : tamen & non aliud faciunt, nec facere queunt quàm quod ipſe vult. Manifeſtè enim permittuntur, & occultè conducuntur, & ſuauiter diſponuntur : & pertingit vſque ad eos ſapientia ita fortiter, vt ipſos ad ſuam diſpoſitionem reſtringat : & diſponit ſuauiter, ne eos ipſos contra eorum voluntatem compellat, ſed & ſi quando exteriùs violentiam prauis voluntatibus adhibendis, ſine plectendis adhibet, nunquam tamen ſuauitatem ſuæ diſpoſitionis deſerit : quia in ſe tranquilla permanens, vnde aduerſantium pacem malè quietam turbat, inde regnum Iuſtitiæ ſuæ ſolidiùs ad pacem componit. Propterea ergo pertingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.] En quantus ſapor diuinæ in regendo ſuauitatis, paucis illis verbis Sapientis quæ retuli, continetur.

2. Eſt alius in eodem libro *d* locus planè in- d cap. 12.
ſignis, de diuinæ rectionis mollitudine ac ſuauitate. Sic enim Deum affatur Autor. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos. Subeſt enim tibi, cum volueris, poſſe.* Non exiſtimo eſſe mel vllum Hymettium, ſapidius aut dulcius. Quantum enim eſt, vt Deus maieſtatis & Rex gloriæ, eò demittat ſeſe, vt opificium ſuum & quidem deſpicatiſſimum, tractare velit reuerenter?

reuerentem? Non æquo, verborum ab ipſo Spiritu ſancto dictatorum, emphaſin. Multo plus enim eſt, quod habet ſapiens diuinitùs afflatus, Deum nos cum magna reuerentia diſponere. Et quidem vt hominem Deus reuereri ſe profiteatur, creator creaturam, ſanctus opifex vile lutum, mirabile ſanè eſt, ac tale vt in ſtuporem vertere æquum æſtimatorem poſſit. Quo ergo ſe verteret, ſi aduertat, non qualicunque reuerentia, ſed magna, diſponi hominem à Deo, cui ſubeſt, cum voluerit, poſſe; hoc eſt, qui omnipotentiſſimus eſt, ac cum libebit, abripiet quò placuerit creatam voluntatem?

3. Expreſſam ſymbolo ſibili auræ tenuis diuinam hanc regendi & agendi rationem, legere licet 3. Reg. 19. Ibi Elias iuſſus ab Angelo, prodire e ſpelunca in qua latebat, ſtans in monte, percipit ſpiritum grandem & fortem, ſubuertentem montes & conterentem petras præ vehementia. Et non in eo vehementi ſpiritu Dominus, neque in ea quam ſpiritus ille concinit, commotione. Objectus eſt poſtea Eliæ ignis volans. Sed neque in igne Dominus. Tandem ſubſecuta tertiò eſt, ſpecies ſibili auræ tenuis, in quo leni ac ſuaui ſibilo obuerſatum Eliæ Deum, inde apparet, quod Elias Dei præſentiam reueritus, vultum ſuum pallio operuit, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ. Non dubito quin ad hanc tertiò objectam ſpeciem, reſpexerit Tertullianus, *a* deſcribens patientiæ thronum. [Sedet *a l. de patient. c. 15.*
(inquit) in throno Spiritus eius mitiſſimi & manſuetiſſimi, qui nō turbine glomeratur, nō nubilo liuet, ſed eſt tenoræ ſerenitatis apertus & ſimplex, quem tertiò vidit Elias.] Quod enim eo loco Pamelius, nauus cæteroqui, & accuratus interpres commentator, minus arridet. Exiſtimat quippè ſignificari eo teneræ ſerenitatis throno, nubem lucidam, quæ obumbrauit cum Chriſto, ac Moyſe, ipſum Eliam. Dicta autem ſit viſa tertiò talis nubes, quia primùm vidit Elias nubeculam paruam aſcendentem de mari, quaſi veſtigium hominis: deindè per turbinem in nube ignea raptus eſt in cœlum: tertiò denique Chriſtum Dominum in nube lucida ſerena, & aperta conſpexit. Hæc cur quadrare Tertulliano negem, non eſt obſcurum. Nihil ſanè turbini & igni cum nube lucida, & throno teneræ ſerenitatis: alioqui non tertiò, ſed quartò dicendus eſſet Elias vidiſſe eam ſpeciem; quandoquidem poſt commotionem ſpiritui vehementi commixtam, apparuit ignis.

4. Itaque ſimpliciùs & commodiùs, non è variis illis viſis tanto temporum & locorum interuallo diſiunctis, ſed ex vnius ac eiuſdem apparitionis variis partibus, tertiam illam imaginem in qua Dominus apparuit petere licet, vt nos fecimus. Nec eſt quod quia commotionem à ſpiritu vehementi præuio diſſociana, ſibilum auræ tenuis, non tertiò ſed quarto loco recenſeat. Reuera enim commotio illa & concuſſio montis, ſubſecuta cauſam ſuam immediatam, ſpiritum magnum vehementem; pro vnico ſymbolo ſpeciéque eadem numeratur à Tertulliano, ob nexum qui cauſam inter hac effectum proximum intercedit. Quamuis autem varij Doctores variè hæc ſymbola interpretantur, tamen admodum veriſſimilis ea expoſitio videtur, quæ affirmat, ſignificaſſe ijs Deum, ſuam agendi & regendi rationem, non duram, ſeueram, impotentem, ſed lenem ac ſuauem eſſe. Quod enim lariſſimè verſat ac frequenter S. Chryſoſtomus, *b* bonus Elias, præ zelo quo flagrabat, auſteri ac duri ſpiritus erat eúmque Deus, ſatagebat traducere ad lenitatem erga populum, in quem ob numinis violationem concitatior erat, qua de re inferiùs plura. Itaque exhibuit ſe illi Deus, ſpecie tenuiſſima ac leniſſima: nec conterens petras, ſed molliter perflans ac ſibilans. Aſtipulatur planè Theodoretus, *c* & concinnè Petrus Bleſenſis, *d* cuius, præter cætera, hæc eſt oratio, dum informat nouum prælatum. [Turpe quidem & abſurdum eſt in prælato cum ira & auſteritate corripere, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait, *Dei ſeruum* (inquit) *non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe, & patientem ad omnes, & cum lenitate corripere eos, qui reſiſtunt veritati, &c.* Cùm Propheta diceret, *ecce ſpiritus grandis conterens petras, & non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio, non in commotione Dominus, & poſt commotionem, ignis, non in igne Dominus.* Et adjungit. *Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis, & in eo Dominus.* Nam cum ſpiritus iræ & commotionis, ignisque iracundiæ Deo diſpliceant, ipſi accepta eſt lenis & blanda correctio.] Similia habet Epiſt. 24. Videndus quoquè qui de hoc ſibilo Eliæ objecto, & vniuerſè de diuino ſibilo, præclarè diſſerit Philippus Abbas. *e*

b t. 1. homil. de Petro, & Elia, & t. 6. alia homilia de Elia.

c q. 57. ad 3. Reg.

d epiſt. 100.

e lib. de ſilentio Clericorum c. 39.

Non fuit ſingularis, hæc Dei ſub ſpecie ſibili, & auræ tenuis apparitio, facta Eliæ. Eum quippè ſibilum, & in eo apparentem Dominum, legimus quoque 1. Paral. 14. vbi quod nos legimus, *Sonitus in cacumine pyrorum*, idipſum ſignificat, quod *auram tenuem & ſibilum*. Hebræi ex ambigua voce *bacha*, quæ *pyrum* ſignificat, & exigua mutatione *luctum* ſonat accipiunt eum textum de luctu; eámque eſſe volunt *vallem lachrymarum*, de qua Pſalmo 83. vt ibi benè expendit Agellius. Dictam autem putant *vallem lachrymarum*, aut *locum flentium*, quia ibi ſita erant idola, quibus ſacrificabatur humanis lachrymis, vt S. Hieronymus notauit in traditionibus ad eum locum 1. Paral. 14. Quanquam Lyranus aliter ibi accipit *flentes*. Inſiſtendo autem lectioni editionis vulgatæ quæ authentica eſt, idcircò in cacumine pyrorum, ſentitur ventus in quo Deus auxiliator apparet, quia non erat ventus turbidus, qui concuſſiſſet totam arborem; ſed præ tenuitate, ſolùm ſtringebat & ſuccutiebat leniter, arborum cacumen. Eóque ſymbolo bellè inſinuatur, Deum leniter agere, & abſque violento impetu.

PVNCTVM II.

Specimina diuinæ in regendo ſuauitatis, per ſatyram.

1. NIhil eſt neceſſe, teſtimonia ſacra conquirere, quibus appareat, quantoperè Deus regendi ſuauitatem adamet, cùm id ex ipſa praxi ſit mani feſtiſſimum. Monſtratu facillimum id eſt, & in ordine naturæ, & in ordine gratiæ. Nam in ordine naturæ, Deus, vt S. *f 7. ciuit.*
Auguſtinus ſapienter ratiocinatur, *f* omnia mo- *c. 30.*

tus

tus ſuos agere ſinit, quæ eſt ſumma omnino, agendi ac regendi ſuauitas. Diſſero in eam tem plenè aliis locis, *a* demonſtrans quanta condeſcenſione ac benignitate, Deus motiones naturales quibus nos ad morale bonum ſollicitat, attemperet nutibus noſtris. Nunc idem confirmare breuiter placet, illud præterea recolendo, malle Deum cum honoris ſui, ac ſupremæ ſuæ maieſtatis iniuria, non temerare naturalia iura quæ humanæ libertati in ſeipſam conceſſit, quam eum eatemeratione, quæ illi eſſet planè ad manum, impedire innumera & atrocia ſcelera, quibus in momenta ſingula à mortalibus violantur. Nihil quippè eſſet faciliùs Deo, quam ſe tot & tantis iniuriis præſtare indemnem ſiue abſumpendo conſeruationem naturaliter debitam, & hominem præter diſpoſitionum exigentiam redigendo in nihilum, ſiue negando illi concurſum ad operationem illicitam, vel extorquendo ab eo operationem, ſi agatur de culpa per mandati prætermiſſionem. Neutrum tamen præſtare, ex vſu Dei eſt, tantam habet libertatis humanæ rationem, quæ eſt inſignis planè in ea regenda ſuauitas. Imo quod benè perpendenti, non leuem iniicit admirationem; cum aliquando per miraculum, agentia merè naturalia prohibeat operatione, humanam tamen libertatem vix vnquam inhibuiſſe deprehenditur. Vt enim in actis SS. Martyrum frequentiſſimum eſt, non rarò ignes, feræ, alia agentia merè naturalia, ſeruis Dei nocere prohibita ſunt per miraculum, quod vix vnquam legitur de gladio humana mano vibrato: quia noluit Deus temerare iura humanæ libertatis, cuius propriè eſt ea actio, vt cum S. Bonauentura notatum eſt in tractatione de martyrio. *b* Nihil puto poſſe ad plenam & vndecumque perfectam diuinæ rectionis erga hominem, in ordine naturæ deſiderari: cum videatur maluiſſe Deum de potentia, quàm de ſuauitate ſua ambigi.

a in opere de nota liber part. 1. cap. 1. & in Natu. Theo. d. 8 à num 304 & n. 317 & in Mor. diſtin. n. 316.

b part. 2. c. 1. mem. 6.

2. Sed nulla profectò, vniuerſa diuina ſuauitas ordinis naturæ videri debebit, ſi eius cum ſuauitate quæ in ordine gratiæ proditur, fiat contentio. Veriſſimè quippè S. Chryſoſtomus, *c* diuinam erga nos ſuauitatem in ordine gratiæ expreſſit, docens, Deum ne noſtram temeret libertatem, & vt ſuauiter magnáque cum condeſcenſione omnis violentiæ experte nobiſcũ agat, nequaquam nos præuenire: non quod non exigatur ſemper gratuita Dei præuentio, vt ſupernaturalis boni quippiam moliamur, ſed quod diuinæ gratiæ præuentio non ſit eiuſmodi, quæ libertatem noſtram peſſundet, eive violentiam inferat. Quem eſſe legitimum Chryſoſtomi eo loco ſenſum, diſcimus ex ipſo Chryſoſtomo, cum aliis prope innumeris locis, tum in eiuſdem epiſtolæ expoſitione non ſemel. *d* Aliquando enim tradit, obſeruationem mandatorum Chriſti, & executionem ſupernaturalium actuum, poſt donum Dei, eſſe ſtudij noſtri ac curæ; apertè profitens, diuinam præuentionem eſſe neceſſariam ad ſupernaturales actus: Alias verò, *e* ex Scriptura ipſa id eruit. Tractans enim illud ex cap. 12. *aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum*, dictum id ab Apoſtolo affirmat, [vt diſcamus currere. Sicut enim in omnibus artibus, & certaminibus, ad magiſtros aſpicientes, in mente artem imprimimus, per videndi facultatem quaſdam ſumentes regulas: ita quoque,

c homil. 12. in ad Hebr.

d homil. 24 in mor.

e homil. 28.

ſi velimus currere, & diſcere rectè currere, aſpiciamus ad auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum. Quid eſt hoc? Id eſt ipſe nobis fidem indidit. Dicebat enim diſcipulis ſuis, *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Porrò autem Paulus quoque dicit. *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Ipſe nobis impoſuit principium, ipſe quoque nobis finem imponet.] Apertiſſimè agnoſcit eo loco Chryſoſtomus, initium ipſum fidei, à Deo eſſe: ac proinde procul abeſt a Semipelagianiſmo, quem aliqui tanto Patri indignè impingunt, cum quibus alibi fortiùs actum, *f* probatis benè multis teſtimoniis ex variis Chryſoſtomi locis, quibus vndecunque nitens ac pura in hoc negotio Sancti Patris doctrina, demonſtratur. Indubitatum itaque eſſe debet, eam negationem præuentionis ne noſtra libertas temeretur, aliud non excludere, quàm violentam voluntatis humanæ adactionem, cum libero vſu poteſtatis vtrolibet flexilis incompoſſibilem. Talem enim præuentionem, voluntatibus humanis aduenire per diuinam prouidentiam ſupernaturalem, eámque rectionem qua benignus Pater per vitæ ſemitas nos ducit ad gloriam, meritò inficiatus eſt S. Chryſoſtomus, quem hoc ipſo modo accipiendum fuiſſe, Hieremias Conſtantinopolitanos, *g* rectè admonuit.

f in Apolog. pro Valeriano cap. n. 10.

3. Suſpexere eandem diuinæ ſupernaturalis prouidentiæ, rectricis voluntatum humanarum, ſuauitatem violentiæ omnis expertem, Patres cæteri paſſim. Varios protoli purgans autorem libri de prædeſtinatione & gratia: quem librum viri graues, benè ex Auguſtini operibus loco motum, & malè in angulum inter quiſquilias conjectum, Pelagiani fermenti valdè ſuſpectum, vel etiam compertum ſtatuebant, eo maximè argumento, quod affirmet, *h* Deum voluntatis noſtræ quaſi reuerentem, præmiſſo locis ſuæ tadio & vnguine benedictionum dulcedinis; vias cœleſtes eligere aut relinquere, in libero noſtro arbitrio, ſitum eſſe voluiſſe. Doctrinam eo loco ab autore illo traditam, nullo modo poſſe videri morboſam, quanquam ſatis ſupérque euincitur demonſtratione veri parentis illius operis, quem eſſe S. Fulgentium, conſcripta inofficioſæ illius cenſuræ cenſura manifeſtum feci: tamen inſuper in ea lucubratione apertiſſimè probaui, addoctus planè geminis SS. Auguſtini, Proſperi, Anſelmi, Laurentij Iuſtiniani, *i* teſtimoniis, aliorúmque multorum, quos nemo notare auſit, vel ſuſpectos habere. Inde igitur liquere poteſt, quantam Patres agnoſcant eſſe diuinæ ſupernaturalis rectionis ſuauiter omnia diſponẽtis lenitatem, cuiuſvis violentiæ & adactionis expertem. Id enim vnum duntaxat nunc confirmo, de quo inter omnes Catholicos nulla eſt cõtrouerſia, quomodocunque poſtea de natura auxiliorum gratiæ philoſophentur. Sed mihi in præſentia ſatis eſt, quod ab omnibus Catholicis admittitur, nempe ea auxilia cohærere cum libertate noſtra, & quamuis eam præmoueant atque præueniant ſollicitantia ad bonum, tamen nullam illi inferre violentiam aut neceſſitationem. Id quippè ſufficit, vt intelligamus diuinæ ſupernaturalis rectionis non neceſſitantis, non adigentis, ſuauitatem; quam exponere, habemus hoc loco propoſitum.

g in cenſura Orient. Eccleſ. c. 18. reſponſionis primæ & re ponſ. 2. cap. 2.

h cap. 10.

i num. 9.

An verò adigit, aut neceſſitatem vel violentiam infert, & non potiùs diſponit omnia ſuaniter -

ter, qui attemperat ſe genio operantis, ea proponens quæ nouit illi arridere, & in quæ libenter ac lubenter fertur is à quo procuſſenda eſt operatio? At hoc plane modò regit nos Deus, cum per ſupernaturalem prouidentiam, aliquem actum à nobis eliciendum proponit. Explorat enim voluntatis humanæ latebras, & quo perſpicit propendere hominis genium, eò ſollicitat vt feratur & ea ex parte hominem adoritur. Non enim omnibus omnia æquè placent, vt Cornelius Gallus, *a* ſcitè tradit, & apud Laërtium, *b* Pyrrho, ac luculenter de more Philo, *c* ad illud *petauerunt patrem vino*: Ex noſtris S. Gregorius, *d* informans Paſtores. Induſtria itaque, & prudentia eius qui alteri vult perſuadere, eúmque inducere vt aliquid efficiat, in eo præſertim ſita eſt, vt genium eius obſeruet, eíque loquatur placentia, accommodans ſe eius inclinationi & affectibus, vt Ariſtoteles in Rhetoricis admonuit. Quia enim anima noſtra, eſt corporis forma, æſtúque perpetuo paſſionum, & variorum affectuum fluctibus agitatur, nec corpus in temperamento eodem hæret ſtabiliter, ſed nunc abundat humor quiſpiam certo affectui congruens, nunc exuberat alius cui eſt maior cum alio affectu conſenſio: propterea pro viciſſitudine ſtatuum corporis, & affectuum animam agitantium, varia objecta ei corporis diſpoſitioni, ei affectui magis vel minùs proportionata, magis vel minùs homini arrident: atque ita experimur aliis nos rebus delectari lætos, aliis affici triſtes, aliis iratos, pacatos aliis. Et propoſitio objecti quæ me hilarem, aut certæ rei cupidum mouerat, nihil afficeret aliter me habentem. Et idem cernere licet in aliis perſonis, quas qui vult ad aliquid inducere, ea ſtudet illis exhibere, ad quæ viderit eas cupidiùs affici, & propenſiùs inclinari; eaque ratione non difficilè perſonas illas flectit ad propoſitum ſibi ſcopum.

a Eleg. 1. &
b lib. 9.
c l. de temul.
d 1. paſtor. in prolog.

Actus Conſtantini Magni deſcriptus à Codino, *e* hæc perbellè facit. Optabat ardenter Conſtantinus, nouam Romam abs ſe exornatam, à primoribus veteris Romæ incoli, tranſlatis in eam ſedibus nec exorabat ab illis Magnatibus eam migrationem, eo quòd ipſi domibus ſuis affixi, ægrè auellerentur à dulci præ diuturno vſu, inhabitatarum pridem ædium commoratione. Duodecim ergo ex illis magnatibus per ſpeciem belli Perſici vocatos, acceptis eorum annulis, miſit aduersùs Perſas. Vbi dum moram trahunt per menſes ſexdecim, cum ex antè expreſſa Domorum vniuſcuiuſque ichnographia, & poſitura, curaſſet ſingulis quàm ſimillima palatia ædificari Conſtantinopoli, miſſis Romam nunciis cum annulis, quaſi ex maritorum voluntate, vxores eorum, & familias euocauit Conſtantinopolim; aſſignato cuique familiæ, palatio quod ei bellè reſponderet cuius Romæ habitatione vſæ fuerant. Reduces denique è Perſico bello magnates, appulſi Conſtantinopolim, primùm via oculis ſuis credere, & arbitrari grata ſe imagine per ſomnum deludi. Tandem eo benè comperto, demirati prudentiam Imperatoris, lubentes hæſere Conſtantinopoli, quod priùs pernegarant. In hoc actu, micat quod dicebam, de facili perſuaſione; proponendo quæ arrident ei quem volueris ad aliquid efficiendum inducere. Id quod Dæmon, vt infra ex Lactantio & aliis Patribus dicam, ſtudioſè ſeruata, cum non ſuſcipit implanandos.

e in ſua Cõſtantinopoli pag. mihi 33.

Deus ergo qui multo meliùs penetrat renes, & corda, cum alicui opus quodpiam ſupernaturale vult perſuadere, & efficere vt homo illud opus exequatur; ita blandè ſe inſinuat in voluntatem, obſeruatis circunſtantiis quibus homo conſenſionem habet cum certa quadam cogitatione & affectu, vt effectus infallibiliter conſequatur. Seminat enim in intellectu cogitationem, & immittit voluntati affectum ſimplicem, ſeu boni prægustationem, qualem videt debere eſſe illam quæ hominem ſecura eſt conſentaneè ad eius affectum & conſtitutionem. In quo cernitur mirabilis illa prouidentia, quam à Siracide expreſſam obſeruauit Paulus de Palacio; *f* deſcribit enim Siracides, artes & aſtutias ſanctas quibus cœlitùs capimur, & diuinam ſapientiam hominum mentibus illabentem, verbis illis. *Aſtutias illius quis cognouit! Diſciplina ſapientiæ cui reuelata eſt! Multiplicationem ingreſſus eius, quis intellexit?* Hoc verò non eſt adigere, aut vi propellere, ſed ſuauiſſimè & leniſſimè regere, interpoſita vt D. Auguſtinus, *g* appellat delectatione victrice & ſuauitate ac voluptate palliciente, quæ certè non eſt tractio violenta aut neceſſitatem inferens ſed blanda, amica, voluptaria vt idem B. Auguſtinus egregiè diſputat exponens illud apud Ioannem. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, ac frequenter alibi, *h* ex quo liquet de leniſſima ſimul ac certiſſima Dei rectione ſupernaturali iuxta D. Auguſtinum.

f c. 1. Eccleſ.
g tract. 26. in Ioan.
h l. 2. de peccat. mer. c. 17 & 19. & ſer 2. de verb & poſt & l. 29. ad ſimpl. c. 2.

Non poſſum luculenta quædam aliorum quorumdam Patrum, de eadem ſuauitate voluntatis noſtræ rectrice, ſenſum præterire abſque noxa. Itaquè vt huic negotio vberior lux affundatur, pauca adhuc in eam rem teſtimonia Patrum, citra expenſionem, nuda recitatione contentus profero.

4. Origenes circa illud Apoſtoli Rom. 9. *in ſeruum ex in bonam electam*, ita diſputat, *i*. [Sicut omnis materia corporalis cum ſine dubio vnius naturæ ſit, per accidentes ſibi qualitates, diuerſas ſpecies profert, vel corporum, vel arborum, vel herbarum: ita & cum omnium rationabilium vna natura, arbitrij æqualiter libertate donata, vniuſcuiuſque proprij motus, ex arbitrij poteſtate prolati, vel ad virtutem, vel ad libidinem ſubjectam ſibi animam perducentes, vel in bonæ eam, vel in malæ arboris formant ſpeciē. vt aut bona dicatur arbor, ſi per arbitrij poteſtatem delegerit bona, aut mala dicatur, ſi elegerit mala, & ſic vnuſquiſque ſecundùm propoſita ſui motus, aut dicetur bona oliua, ſi iter virtutis incedat: aut ſi contraria ſectetur, oleaſter nominabitur. Inde denique & Dominus in Euangelio dicebat. *Aut facite arborem malam, & fructum eius malum; aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum.* Vt oſtenderet arborem bonam, vel malam, non naſci, ſed fieri. Iam verò ſi accidit aliquid ad arbitrij libertatem, quod extrinſecùs vel ad mala prouocet, vel hortetur ad bona, per infallibiles quaſdam diuinæ prouidentiæ diſpenſationes, in nullo conſequentiam propoſitæ abſolutionis offendit. Habet enim in ſemetipſo natura rationalis, vigentem arbitrij libertatem, quæ vel obedire ſi velit prouocanti, vel ſi nolit, ſpernere poſſit hortantem.]

i l. 8. in ad Rom.

z Orat. 28. Baſilius ſeleuciæ, z præclarè ac concinnè de more. [Dominus Deus dum varia hominum ingenia, multiformi oratione tractat, multas ad ſalutem vias aperit hominum generi. Et quemadmodum Medicorum optimi varias texunt rationes quibus morbos expugnent; ſic bonus hominum fictor, multiplices, eáſque voluntariè admiſſas conſpicatus animorum ægritudines, plurima, & ipſe benignitatis ſuæ medicamenta promit; per vnumquodque, cuiuſque ſalutem perficiens.] Deſcribit ſigillatim varia pietatis ſtudia, quæ Deus variis, varia conſentaneè ad eorum propenſionem inſpirat, non adigens, non inuitus propellens, ac violenter trudens; ſed leniſſimè ac ſuauiſſimè omnes ſuomet nutu ad felicitatem æternam ineffabili prouidentia dirigens.

5. Philo Carpathius verſans illud Cant. 6. *terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*, cum præmiſiſſet neceſſitatem diuinæ circa nos ſollicitationis, quæ inuitationem tantùm & pellectionem ferat, violentia autem & neceſſitatione careat, ſubdit. [Duo ad ſalutem ſunt nobis maximè neceſſaria, quorum vnum ſupra nos, alterum nobis ineſt ex munificentia Conditoris. Diuina gratia ſcilicet nos præueniens, & liberum de voluntate Iudicium. Gratia alliciendo incipit, admiſſa conſequitur, benè retenta ac fota perficit. Vt enim ouiculæ, vel alij cuivis è cicuribus animanti præmonſtratum, aliquid, eam propiùs allicit, ac mouet, nec tamen cogit; ita menti humanæ, diuinæ gratiæ lumen infuſum, voluntatem noſtri animi, ſeu rationis (quem appetitum appellant) illicit, ac trahit, nec vlla vi cogit; ſed ſola charitate benigniſſimè inuitat. Tunc Deo noſtro acceptabile eſt ac perjucundum, quicquid agimus, cum ad cœleſtes nuptias inuitati, nihil (vt illi reprobi, malæ voluntatis ac vitæ) cauſamur, nihil opponimus: ſed libenter oblatum gratiæ munus accipimus. Nam vnde quæſo, tot & tanta, illa diuina præcepta, vnde tot iuſtitiæ merita ac pœna, ſi nihil homo, de ſe conferre poteſt ad ſalutem?] Id eſt ſi non conſentit liberè Deo vocanti, ſed vi adducitur.

Eucherius, aut quiuis alius ſub illud tem-
a homil. 9. ſub initium. pus, ex auctoribus homiliarum de Paſchate. a [Iuſto ergo ordine qui per calliditatem maleuoli, non impulſus, ſed ſeductus fuerat ad perditionem, rurſum per ſapientiam beneuoli Redemptoris, non compellatur, ſed ducatur ad ſalutem. Et qui cum ſua voluntate corruiſſe videbatur, cum ſua rurſus voluntate repararetur, vt eſſet virtuti ac remunerationi locus. Non ergo eum præcipit per violentiam, ſed potiùs per iuſtam beneuolentiam ſollicitat, & erudit in vitam: quia benignitas prouocantis, etiam meritum deſiderat acquieſcentis, & dignantiſſimi medici ſtudium infirmi ſui requirit adſenſum.]

b l. 2. epiſto. 19. 6. Eunodius Ticinenſis ſapidiſſimè. b [Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præſtante, & ipſe æquitatis hominibus callis aperitur. Dux bonorum, & præceſſor eſt gratia quando Cœlitus multiplici ad requiem inuitamur hortatu; quando nobis dicitur, *Venite filij audite me, Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum: vbi ego ſum, ibi erit, & miniſter meus.* Sed niſi talibus monitis & voluntas noſtra quæ libera eſt, & labor præſtet obſequium, periculum & gehennam non imperio aliquo, ſed ſponte deuoluimur. Itaquè aut præmium deuotio, aut pœnam contemptus operatur. Alioqui non erit iuſta retributio, quæ aut per ſupplicia refertur neceſſitate peccantibus, aut bonam mercedem affert operi, ad quod trahuntur inuiti. Ergo debemus gratiæ, quod vocamur; debemus gratiæ, quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur. Noſtræ tamen electionis eſt; quod beneficia demonſtrata ſectamur. Via enim ſcelerum, non imperatrix noſtra eſſe legitur, ſed famula.]

Saporis illius vitalis, per quem Eunodius ſupernaturalem voluntatis noſtræ à Deo rectionem expoſuit, rationem ac modum, non vi iniecta rapientem, ſed mulcentem ſuauiter & ab-
blandientem, expreſſit egregiè S. Bernardus c his c Serm. 85. in Cant. ſub med.
præter cœtera. [Si quis ſapientiam, virtutis amorem definierit, non à vero deuiare videbitur, vbi autem amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. Et fortè ſapientia à ſapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimentum, ſapida reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodò, & aſpera ſentiebantur. Nec duxerim reprahendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definiat. Hunc ſaporem perdidimus ab ipſo penè exortu generis noſtri. Ex quo cordis palatum ſenſu carnis præualente, infecit virus ſerpentis antiqui, cœpit animæ non ſapere bonum, ac ſapor noxius ſubintrare. Denique proni ſunt ſenſus hominis, & cogitationes in malum, ab adoleſcentia, hoc eſt ab inſipientia primæ mulieris. Ita inſipientia mulieris, ſaporem boni excluſit: quia ſerpentis malitia, mulieris inſipientiam circumuenit. Sed vnde malitia viſa eſt viciſſe ad tempus, inde ſe victam dolet in æternum. Nam ecce denuò ſapientia, mulieris cor & corpus impleuit, vt qui per fœminam deformati, in inſipientiam ſumus, per fœminam reformemur ad ſapientiam. Et nunc aſſiduè ſapientia vincit malitiam; in mentibus ad quas intrauerit, ſaporem mali quam illa inuexit, ſapore exterminans meliori. Intrans ſapientia dum ſenſum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum ſanat & reparat. Sano palato, iam bonum, ſapit ipſa ſapientia, qua in bonis nullum melius. Quàm multa fiunt bona, & non ſapiunt facientibus, ſiquidem non ſapore boni ad illa, ſed ratione, aut qualicunque occaſione, ſeu neceſſitate impelluntur: Et è contrario multis quæ faciunt, non ſapiunt mala, ſed ad hæc inducuntur, aut metu, aut cupiditate cuiuſpiam rei, potiùs quàm ſapore mali. Qui autem tranſierunt in affectum cordis, ſapientes ſunt, & ipſo delectantur ſapore boni; aut maligni ſunt, & ipſa complacet ſibi malitia, etiam nulla ſpe alterius commodi blandiente. Malitia verò, quid niſi ſapor eſt mali? Beata mens, quàm ſibi totam vindicauit ſapor boni, & odium mali. Hoc reformari ad ſapientiam eſt, hoc ſapientiæ victoriam fœliciter experiri. Nam in quo euidentiùs ſapientia vincere malitiam comprobatur, quàm cum excluſo ſapore mali, qui non aliud quàm ipſa malitia eſt, boni quidam intimus ſapor, mentis intima occupare tota ſuauitate ſentitur?] Liquet ex hoc D. Bernardi loco, quis ſit ſapor ille, quo Eunondius regi à Deo ac flecti voluntatem humanam per diuinæ ſupernaturalis prouidentiæ

prudentiæ doctum, aſſerit : aſtipulante D. Gregorio VI. Mor. cap. 9. qui manna diuini ſermonis congruentis, in voluntatum ſaporem verti ab vno quoque decet : conſtátque ſaporem illum, a violentiæ iniectione, abeſſe quàm longiſſimè : continetur autem blanda & pellectrice ſuauitate, qua benignus Dominus mulcet, & quò vult, attrahit ſequacem ad congruum boni obiectum, voluntatem.

a homil. 14. 7. Sic ſe nobiſcùm gerit Deus, (ait autor imperfecti operis in Matthæum, a ad illud, *adueniat regnum tuum*,) quia Rex eſt, non Tyrannus. Idcirco enim neminem per violentiam adigit, quia rex legitimus eſt. Quare iuxta prædictum autorem, poſcere à Deo vt regnum eius adueniat, idem eſt atque poſcere gratiam, qua ſuauiter præueniamur, eíque nos vltrò ac lubentes dedamus : quod egregiè repetit, tractans illud, *quoniam tuum eſt regnum ac virtus*, in calce homiliæ [Item (inquit) quoniam dixerat ſupra, *Sanctificetur nomen tuum*, *Adueniat Regnum tuum* : ac ſi dicat aliquis ; ergo non habet Deus regnum in terra, quia oratis vt veniat? Is reſpondet ad illud, quoniam tuum eſt regnum. Item quoniam dixerat, *fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*, ac ſi dicat aliquis, ergo Deus non poteſt facere quod vult in terris ; quia oratis vt fiat voluntas eius ? Ad hoc reſpondet. *Quia tua virtus eſt* : tanquam ſi dicat. Non ideò optamus regnum tuum in nobis, aut fieri voluntatem tuam in terris, quia non eſt regnum tuum in mundo, nec potes facere quod vis in terris : ſed quoniam regnum tuum vita æterna eſt, voluntas tua, iuſtitia eſt ; propterea non redigis aliquem ſub regno tuo, niſi ipſe voluerit ; nec operaris in aliquo voluntates tuas, niſi ipſe conſenſerit. Propterea oramus, vt illuminati à te, volumus ſuſcipere Regnum tuum in nobis, & optemus facere voluntatem tuam.]

8. Habemus in prædictis luculentum ſpecimen diuinæ in regendo ſuauitatis ? Nimirum quod cum poſſet Deus voluntates noſtras, etiam renitentes, & ad rebellendum obfirmatas trahere ad eam partem quam approbat, & ad ſupernaturalem conſenſum excudendum abripere ; tamen nihil vnquam per vim facit : ac ne iuxta eos quidem, qui præfiniri à Deo humanas operationes liberas ſtatuunt. Nam ita intelligunt diuinum decretum immanenter præfiniens, inconſulta hominis libertate latum, vt tamen ſi ad decreti illius executionem veniendum ſit, remoueatur adactio, protſuſque exulet violentia, ſed ſolius pellectricis ſuaſionis interpoſitione quæ lenis ac ſuauis impulſio eſt, ad diuini conſilij effectum perueniatur. Mauult enim Deus, à peccatoribus gloriæ ſuæ diſpendium & legum ſanctiſſimarum conuulſionem ad tempus pati, quàm iura humanæ libertatis per violentiam & neceſſitantem rectionem quæ Deo ad manum eſt temerare.

Itaque grauiſſimi Patres, expoſtulantibus inſcitè quibuſdam, quare Deus cum ſit ſummè bonus & omnipotens, vim peccantibus non inferat vt eos ſcelere prohibeat, cum alia in illam ſententiam præclarè diſputant, tum illud imprimis vrgent alienum eſſe à diuina bonitate rectrice voluntatum humanarum, agere per vim cum creaturis, quas iuris ſui eſſe voluerit. Ita, breuiter quidem, ſed planè luculenter S. Dionyſius, b illam multorum ſiue querimoniam, ſiue crimi-

b cap. 4. di. nom. ferè in fine.

nationem, quod Deus nos ad virtutem per prouidentiam neceſſitantem, ac vim inferentem non trahat, vocans *inconſideratum vanúmque multorum verbum*, quod negat approbandum eſſe, cum deſtruat naturam, cui diuina ſuauis gubernatio ſapientiſſimè ſe accommodat. Arnobius, c inſulſam illam aduerſus Deum criminationem fusè & refert & refellit ; necnon Lactantius, d itémque Baſilius, e Nyſſenus, f Chryſoſtomus, g Cyrillus, h Titus Boſtrenus, i Nemeſius, k Æneas Gazæus, l Ex hæreticis, idem luculenter tradit Pelagius, ea ad Demetriadem virginem Epiſtola, quam aliqui abſurdè S. Hieronymo, alij Beato Ambroſio adſcripſerunt, cum manifeſtè ſpiret Pelagium, & ab ipſo Diuo Auguſtino tanquam fœtus Pelagij agnoſcatur & confutetur. m Idem quoque hac in parte rectè cum Pelagio confirmat, eiuſdem furfuris autor Poëmatis de prouidentia conſertus Proſpero, ac ex Ethnicis Simplicius, n diſputans de cauſa mali. Quod enim Simplicium, quidam, a non ita pridem Aſcetica tractans, & varios Patres ac Magiſtros ſpiritus producens, iiſdem adjunxit ; quippè (vt ait) *Philoſophum quidem, ſed Chriſtianum, & dignum qui veniat in cœtum* talium *Magiſtrorum*, ſimpliciter admodùm eſt factum. Hoſtem enim Chriſtianorum fuiſſe Simplicium, ſatis norunt qui diſputationes eius contra Philoſophum ad creationis impoſſibilitatem aſtruendam, nec in frequentes Chriſtianorum per eum allatrationes, habent perſpectas. Multos propterea Ethnicorum, in diſputationibus de prouidentia idem argumentum verſaſſe, oſtendiſſéque non eſſe vitio vertendum Deo, quod nos ad bonum nequaquam neceſſitet, tradit Origenes, p addens ſe quoque id ſæpè ventilaſſe aduersùs cogitationes, imperitis (vt ait) facilè obrepentes.

c lib. 2.
d inſtit. c. 3.
e homil. quòd Deus nō ſit autor malorum.
f orat. de mortuis, & in dial. cath. c. 7.
g in Pſal. 2.
h homil. 14. in 1. Cor. & 83. in Matth.
i lib. 1 Glaphyr. in Gē. §. de Adam.
k l. 2. contra Manich.
l c. 45 libri de homine.
m in Theophraſt.
n l. de grat. Chriſti cap. 12.
o ad c. 34. Ench. Epict. Nigron. de cura Minim.
p l. 4. contra Celſum ferè init.

9. Ego tanta nube teſtium dimiſſa, ex vnius Fauſti Rhegienſis, q venuſtiſſima diſputatione, decerptum floſculum porrigóque per proſopopeiam diuinas quatuor perfectiones, Deo de hominis formatione quaſi deliberanti, aſtitiſſe commentatur, vt diſpici queat eſſétne conſultius hominem diuina rectione valida, & ineluctabili compelli ad bonum, & malo prohiberi, an verò quod reipſa factum eſt, poteſtati ſuæ permitti, & diuinam rectionem lenem ac repudiabilem experiri : Ait ergo Fauſtus. [Autori ſummo cum hominem plaſmatè diſponeret, autori inquam ſummo, in miniſterium & conſilium hominis fabricandi quatuor aſtitere virtutes. Quæ quatuor ? Potentia vtique, Bonitas, Sapientia, atque Iuſtitia. Tu vide quam Deo ex his quatuor defuiſſe, præſumas aſſerere. Itaque ad intellectum euidentiùs colligendum, proferant ſi placet, ſingulæ iſtæ virtutes, quaſi tractatus & allocutiones ſuas : Potentia dicat. Faciamus poſt cœli regnum, in ſecundis mirabilem creaturam, ne in imperij noſtri poſſeſſione, quæ prima ſunt, hæc etiam videantur extrema. Iſtam ſpecioſam mundi machinam conſummemus, vt in eam hominem faciamus & præficiamus per quem mundus ordinetur, poſſideatur, ornetur. Bonitas dicat, fas non eſt vt ſola beneficiis noſtris cœleſtia perfruantur. Faciamus & in terra hominem, circa quem abundantiam gratiæ noſtræ exerceamus, circa quem beneuolentiæ munera dilatemus,

q l. 2. de grat. & lib. arbit. c. 10.

in quem pietatis ingenitæ diuitias profundamus, Sapientia dicat, non ſolùm faciamus, ſed etiam ſenſu rationis, ac diſcretionis honoremus, prudentiæ lumine repleamus, faciamus ſimplicem, faciamus aſtutum: ſimplicem, ne malum callidus, aſtutum, ne incautus incurrat. Inſinuemus ei affectum boni, intellectum mali, & iuxta gubernationem noſtram permittamus eum in manu conſilij ſui, ac proprij in libertate iudicij. Tractat inter hæc ſecum potentia, cui eſt, & præſcientia. Quid agimus, quod eum arbitrio ſuo permittimus liberum? In peccati denia prænoſcimus tranſiturum, & precioſæ dona ſalutæ, conuerſurum eſſe præuidemus ad inſtrumenta nequitiæ. Et, ideò ſi opus in eo noſtrum volumus eſſe perpetuum, tollamus ei de poteſtate peccatum, dicit iuſtitia; non ita eſt, Non competit legibus noſtris, vt is, quem à contrariis oportet probari, de viribus ſuis non poſſit agnoſci. Non competit, inquam, hoc legibus noſtris, vt ei quem glorificari etiam ex officio ſuo volumus, materiam, & cauſam gloriæ denegemus: vt eum quem cupimus munerari, per nudam gratiam faciamus de labore proprio nihil mereri. Exerant potiùs in eo ſingillatim ſociæ iſtæ, germanæque virtutes, exerant partes ſuas. Potentiæ ſit, inter cuncta viſibilia (præſertim inter hoſtes habiturum) creare ſublimem, Sapientiæ ordinare præſentem, Bonitatis adiuuare certantem, Iuſtitia coronare vincentem. Talem ergo hominem pro vtilitate ſui, ac pro noſtri dignitate faciamus, quem in dexteram partem non trahat neceſſitas, ſed voluntas: qui malum ratione intelligat, bonum virtute perficiat; talem faciamus cui bonitas in natura, malitia verò extra naturam ſit, qui bonum in voluntate, malum in poteſtate habeat, qui bonum naturaliter velit, malum actualiter poſſit, qui mandata noſtra cuſtodiat voluntarius, & periclitari non poſſit inuitus.]

10. Vides rectionis diuinæ ſuauiſſimæ, argumentum planè luculentum, ratione cuius Deus quod profano quondam Ioui fuiſſe cognomentum, Plutarchus & Libanius in legat. ad Iulianum eſt autor, *melleus* ſiue *millichius* audire meritiſſimò debeat. Quod ſi eiuſmodi eſt in illos à quibus violatur, (eos enim ferè duntaxat ſpectant, quæcunque hactenus protulimus:) quantò auctiùs bonus & ſuauis eſt rectis corde. Sanè dulcedinem quam in filios demonſtrat, Scripturæ infinities produnt: nec abs re Sap. 16. *ſubſtantia Dei* dicta videtur: quaſi Deus ſit ipſa filiorum ſuorum dulcedo, quod notauit Nazianze-
a orat. 39. nus. a Eam tamen nunquam deprehendemus quantum par eſt, niſi cum in lumine Dei videbimus lumen, cum, inquam, reducto ſipario, contuebimur cor Dei in electos. Sic enim ſcitè S.
b l. 5. de cõſid. c. 4. Bernardus, b appellat prouidentiſſimam ſimul ac ſuauiſſimam Dei in electis regendis, & ad optatum portum deducendis curam. Innatant cordi illi bono & optimo, defectus quilibet noſtri. Quæ ratio eſt, cur nobiſcum Deus tam benignè, agat tamque tranquillè. Et è contra, cauſa, cur commoueantur Præfecti noſtrates in ſubditos occaſione defectuum, & inter ſe commouendum transgrediantur æqui rectique fines; ea ab ipſomet Deo aſſignata eſt per viſum, magno Aſ-
c in vita Baltax. Aluarez. cetæ Martino Gutierrez, vt ſcribit Ludouicus Pontanus, c quod non ſit hominum ſuperiorum cor, quale cor Dei; ſed arctum, & à diuini cordis benignitate procul poſitum.

11. Exhibet præterea diuinam in regendo lenitatem violentiæ expertem, argumentum quod ſubminiſtrat Nazianzenus, d eum exponit cur d orat. 37. n. 57.
Deus myſteria ſenſim aperuerit, & lentè non feſtinatò ac præpropere, Eccleſiam prouexerit ad perfectionem. [Duæ (inquit) ex omni æuo illuſtres vitarum mutationes extiterunt, quæ etiam duo teſtamenta, atque ob rei celebritatem, terræ motus appellantur; altera à ſimulachrorum cultu, ad legem, altera à lege ad Euangelium. Ac tertium etiam terræ motum, nobis ſcriptura annunciat, nempe migrationem ab hac vita, ad alteram illam motus omnis & iactationis expertem. Idem porrò duobus teſtamentis accidit. Quod tandem? non repente, nec ad primam aggreſſionis impulſionem commutata ſunt. Quamobrem? (Id enim ſcire operæ pretium eſt:) vt ne vi pertraheremur, ſed perſuaſione adduceremur. Quod enim voluntarium non eſt, ne diuturnum quidem eſt: quemadmodum nec fluenta, aut ſtirpes, quæ per vim retinentur. Quod autem voluntarium eſt, tum diuturnius, tum certius. Atque alterum eius eſt, qui vim intulit, alterum noſtrum. Alterum diuinæ benignitatis: alterum tyrannicæ poteſtatis. Quocirca Deus minimè ſibi faciendum duxit, vt inuitos beneficiis afficeret, ſed vt de volentibus benè mereretur. Ac proinde Pædagogi cuiuſdam, & medici more, patrios ritus partim ſubtraxit, partim conceſſit, nonnihil videlicet eorum voluptati indulgens: quemadmodùm medici ægrotantibus vt medicamentum ſuauibus rebus arte temperatum, & edulcatum admittant. Neque enim facile eſt, ab iis quæ longo tempore diuturno in honore ac pretio fuerunt, ad alia tranſilire. Ergo primùm, ſublatis ſimulachris, ſacrificia permiſit. Deindè ſubmotis ſacrificiis, circumciſionem minimè prohibuit, ac poſteà vt ſemel ſubtrahi ſibi aliquid æquo animo tolerunt homines, tunc quoque ſibi conceſſo, hoc eſt illi ſacrificiis, hi circumciſione, ceſſerunt. Atque vt ex Ethnicis Iudæi, ita ex Iudæis Chriſtiani facti ſunt, permutationes paulatim ad Euangelium pellecti.]

12. Eandem ſuauem ac lenem, non ſubitam atque adeò violentam agendi rationem teneri à Deo cum hominibus, maximè in gratiæ ordine, declarat Tertullianus, e exemplo natu- e l. de vel. virg. c. 1.
ræ. [Nihil (inquit) ſine ætate eſt, omnis tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes; Tempus (loquit) omni rei. Aſpice ipſam creaturam, paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur; deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic eſt iuſtitia, (nam idem Deus iuſtitiæ & creaturæ;) primò fuit in rudimentis natura Deum metuens, de hinc per legem & Prophetas promouit in infantiam; de hinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem; nunc per Paracletum componitur in maturitatem.] Hoc poſtremum pertinet ad nugas Montani, itaque recidendum eſt, vel contra mentem licet Tertulliani, accipiendum de vero Paracleto, expoliente in dies ac perficiente

quæ

quæ expoliri vlteriùs poterant, vt inſigniter exponit Vincentius Lyrinenſis. *a* Eodémque referendum eſt, quod alio loco idem Tertullianus *b* profert de regno Dei, [quod etſi in agnitione Sacramenti ſtatutum erat, ſed in Domini repræſentatione floreſcit atque frugeſcit.] Quam in rem docet Chriſtum cum dixiſſet, appropinquare non adeſſe iam regnum Dei; ſubtexuiſſe parabolam, [tenereſcentium arborum in caulem floris. & dehinc florem frugis antecurſorem.] Quæ omnia ad eum modum in gratiæ ordine præſtat Deus, vt lento rerum proceſſui aſtipulari ſe doceat, & celerem ac feſtinatam progreſſionem, quæ ferè violentiæ conjuncta eſt, à diuinis moribus abhorrere. Nihil potuit accommodatius proferri, ad demonſtrandum, & exemplo diuino firmandum debere à rectione abeſſe animi impotentiam ac violentiam. Nec diſſimilem huic in moralibus ſuaui rectioni prouidentiam, quoad naturalia abſque violentiæ interuentu moderanda, legere licet apud Theodoretum, cum tempeſtatum viciſſitudines conſiderat. *c* Sed vt ſiſtam in conſideratione à Nazianzeno propoſita, tecidit eodem quod Petrus Damiani, *d* negat ſuſcitatum virgæ appoſitu filium Sunamitidis, qui benigna Eliſæi acclinatione reuixit.

a in comm. i cap. 18.
b Lib. de carne Chriſti c. 22.
c orat. de prou.
d opuſc. 1. cap. 18.

13. Eſt & illud eximium, diuinæ prudentiæ lenis, ac ſuauitatem in rectione adamantis argumentum, quod S. Chryſoſtomus, *e* ducit ex diuina inſtitutione hominem in Paſtores. Homines enim, cum & peccabiles ſint, & circumdati infirmitate, poteus incentiuum lenitatis, & condolentiæ habent, erga eos quos habent ſubjectos, ſi præoccupentur in aliquo delicto: quo præſertim tempore, æſtuat in præfecto impotentia animi. [Propterea (inquit S. Chryſoſtomus) non Angelo, non Archangelo Sacerdotij munus demandatum eſt; (ſunt enim illi eiuſmodi, qui peccare non poſſint,) ne nimia ſeueritate incitati, ſubitò in peccantes fulmina iacerent, ſed homo ex homine natus, ſolum hoc accepit, & ipſe etiam peccato ſubjectus, vt ſi quem peccaſſe deprehenderit, ſuis delictis admonitus, ſit in eum clementior. Nam ſi Sacerdos Angelus eſſet, cum homo qui peccaſſet, non peccanti occurreret, illicò eum occideret, cum is morbo non ſit obnoxius. Si acciperet adminiſtrandi Sacerdotij poteſtatem, non ille doceret, ſed ſtatim interficeret ac propterea, quod ipſe talis non eſt, in iram aduerſùs eum qui talis eſt, exardeſceret. Eam ob cauſam homini hoc munus commiſſum eſt, qui ſuorum ſibi delictorum conſcius eſſet, experimentóque ſua didiciſſet, vt ingredientibus ignoſcat, non ita commotus Eccleſiam inanem reddat.]

e homil. de Petro & Elia.

14. Illuſtrat id eo loco Chryſoſtomus, exemplo S. Petri ac Eliæ. Et vtrumque etiam ad hoc demonſtrandum conjungit Petrus Damiani. *f* Sed de Petro poſtea. Nunc Eliam cum Chryſoſtomo conſiderare placet. [Illum terreſtrem Angelum, cœleſtem hominem, qui cum per humum ingrederetur cœlum claudebat; illum tricubitalem hominem, & ad ipſum vſque cœli fornicem euolantem; illum aquarum cuſtodem, cuius lingua theſaurus erat aquarum, & clauis, ille pauper ac diues; ille imperitus ac ſapiens, pauper quia nihil poſſidebat; diues rurſus, quia cœli nubes lingua continebat, etiam ipſe aduerſùs peccatores erat inexorabilis, adeo vt precaretur Deum ne daret pluuias.] Proſequitur mox fuſiſſimè ac elegantiſſimè. Os aureum, qua ratione Elias zelo ebrius febrem in terræ viſcera immiſerit, omniáque ſiccauerit cœlo æneo facto, & fame ac vaſtitate omnia occupantibus, vniuerſale naufragium terris induxerit; non aquarum copia ſed inopia pluuiarum: cúmque immenſa clades Eliæ ſpiritus non minueret, ſiuit Deus Eliam fieri calamitatis participem; non aliunde illi prouidens, quàm primò per coruum, impurum animal: deindè ſiccato torrente ad quem coruus potus cauſa ventitabat, voluit Eliæ proſpici calamitatem omnium ſummam, ait S. Chryſoſtomus: hoc eſt per viduam procul poſitam, vt ad eam longa viarum ſpatia diuertens, & vniuerſorum gemitus excipiens, flecteretur, & ad benignitatem accommodaret durum animum. Sed cum neque hac ratione flexus eſſet Elias, permiſit Deus virum ſanctiſſimum labi, & leuiculæ culpæ ſubjacere, territum minis à Iezabele intentatis. Cum enim eſſet tunc maximè danda Deo gloria, tamen [abſcedente gratia, (verba ſunt Chryſoſtomi,) *g* victa eſt natura. Fugit Elias viam dierum quadraginta. O nimium metum ô ingentem formidinem! Non vno die fugit, non altero, non tertio, ſed quadraginta, & ad loca deſerta horrentia peruenit, non cibos habens, non viaticũ ferens, metu námque perculſus, nihil de iis cogitauit, ſed tantummodò deſerta loca ſequebatur. Verba mulieris ad Prophetam peruenerunt, atque vt zephyrus vehemens ad velum appulſus, nauim impetu rapit, ita verba mulieris, cum in Prophetam irruiſſent impetu maximo, illum in deſertum eiecerunt: vbi eſt Elia, magna illa dicendi libertas? vbi os tuum formidabile? vbi illa lingua moderatrix elementorum, imbrium? tua lingua quæ elementis in vtramque partem imperia dabat, nunc cœlum claudens, nunc ignem euocans, & in terram deducens? ſed & illa efficiebat vt proximè dixi cum Dei gratia effectrix adeſſet, itaque à Deo coarguitur. Vide vt in exiguum peccatum labi permiſſus ſit, vt integram humanæ benignitatis veſtem indueret. Poſt hæc in Elia, doctus es imitari Domini tui benignitatem, ex eo quod edoctus es, ex eo quod à Domino tuo didiciſti. Hæc citra expenſionem omnem, perſpicuè demonſtrant quod propoſueram; nempe Deum ſummoperè adamare rectionis ſuauitatem; eóque conſilio permittere præfectorum quandoque lapſus, vt exemplo Dei addiſcant ſuauiter ac leniter præeſſe; nec moderationem quâ ſunt donati, immoderantia dehoneſtant.

f ſerm. 18.
g ſub finem homiliæ citatæ.

15. Inſigne prætereà diuinæ in regendo ſuauitatis argumentum petere licet, ex eo quod ſi quandò iuſtitiæ ratio Deum adigat ad plectendos noxios, temperatiſſima ſemper infertur vltio, & quæ non furorem ſpiritus exacerbati, ſed placiditatem, & moderationem ſingularem redoleat. Adducit in hanc rem S. Chryſoſtomus, *b* quod circa Adamum mox à lapſu ſeruatum eſt. Imprimis enim vocauit Deus Adamum, iis eum alloquens verbis quæ eximiam præ ſe ferebant temperationem. Interrogauit enim reum dicens, *vbi es?* Vel ex ipſa interrogatione hac, (ait S. Chryſoſtomus,) dignum eſt vt obſtupeſcamus ad eminentem Dei miſericordiam; iam ſolùm quòd vocauit, ſed quod per ſeipſum vocauit: id quod homines facere nunquam ferrent inter ſe,

b homil. 17. in Geneſ.

licet eandem naturam ſortiti ſint. Scitis enim cum Iudices in alto ſolio ſedent, ſuppliciiſque malefactores afficiunt, nec ſuo eos reſponſo dignantur: Hoc ipſo oſtendentes illis, quanta ignominia ſeſe aſperſerint ſuis flagitiis. Et Iudex quidem reſpondet, ſed alius quiſpiam à Iudice hæc excipiens, reo annunciat, & Iudici quoque, quæ reus dixerit. Et hic, fermè vbique iudicantium mos eſt. Verùm Deus non ſic agit. Sed quo modo? Ipſe per ſe vocat. *Et vocauit* (inquit) *Dominus Deus Adam & dixit illi, Adam vbi es?* Vide in breui hac dictione, quanta vis recondita ſit. Nam & ipſum vocare, magnæ & ineffabilis miſericordiæ eſt; tum ob benignam interrogationem quæ erubeſcentem, & neque os aperire, neque linguam mouere audentem animabat: Tum quod ipſum dicere, *Vbi es?* plurimam habet miſericordiæ vim.] Vt enim fusè proſequitur S.Chryſoſtomus, fuit hæc nuda & lenis expreſſio miſeri ſtatus in quem Adam culpa ſua ſe immiſerat, nec fuit refecta conuitiis ob ſummam ingratitudinem exprobratio & efferatio, qualem homo aduersùs hominem in ſimilibus adjunctis adhiberet, ſed leniſſima ad reſipiſcendum commonitio. Itaque ſubinfert S. Chryſoſtomus. [Vide excellentem miſericordiam & patientiam Domini. Nam cum poterat ne reſponſo quidem dignari eum qui peccauerat, ſed ſtatim pœnam infligere quam priùs ſtatuerat præuaricatori, longanimis tamen eſt, & ſuffert, & interrogat, & reſponſum accipit, & iterum interrogat, quaſi ad defenſionem eum prouocans, vt arrepta occaſione, etiam poſt tantam præuaricationem, ſuam erga illum miſericordiam declaret. Quo etiam nos docet, vt quando & nos, reos condemnamus, non tam crudeliter illis loquamur, neque ferina in illos vtamur ſæuitia, ſed longanimiter, & miſericorditer agamus, vtpotè noſtra ipſorum membra condemnaturi, & cogitantes, illos nobis ſecundùm naturam cognatos ſupplicium miſericordiâ temperemus. Non enim fruſtra, tanta verborum humilitate, noſtræ tenuitati congrua vtitur Diuina Scriptura, ſed verbis craſſis, æmulari nos debere Dei miſericordiam docet.]

Iam ipſa Dei vltio in noxios, ipſa inquam pœnæ irrogatio, quàm mitis, & Patri miſericordiarum conſentanea. Aduertit id præclarè Saluianus, *a* expendens quod refertur Exod. 32. de pœna ob vituli conflationem & adorationem irrogata. [Cum omnis populus (inquit) reus fuerit cur non eſt in omnes miſſa damnatio? Quia pius ſcilicet Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, vt partem corrigeret exemplo, præberétque omnibus ſimul, & coërcendo cenſuram, & indulgendo pietatem. Cenſura enim fuit quod caſtigauit; pietas quod pepercit, quamvis vtrumque impari modo, plus ſiquidem tunc pietati datum eſt, quàm ſeueritati. Ideò vtique cum indulgentiſſimus Dominus propenſiorem ſe ſemper miſerationi præſtet, quàm vltioni, licet in coërcenda tunc Iudaïci exercitus parte, iudicio & ſeueritati cenſura diuina aliquid attribuerit, maiorem tamen ſibi populi portionem pietas vindicauit, ſpecialiter quidem hoc, & peculiari tunc innumeræ plebis miſericordia, ne omnes ſcilicet quos reatus complectebatur, pœna conſumeret.]

a ſub finem libri primi de prouid.

Philoſophatur in hanc rem egregiè S.Paulinus agens de diuinis in Melaniam, *b* flagellis, docénſque eam percuſſam eſſe vt ſanaretur. [Tanta eſt enim ſummi Patris pietas, vt etiam ira eius, miſericordia ſit, & ideò caſtiget vt parcat. Denique B.Apoſtolus, ideò cæcatus eſt vt illuminaretur; cecidit perſecutor vt Apoſtolus ſurgeret, in itinere iter reperit, & in impietatis via viam pacis agnouit.] Facit ad hunc locum quod S.Ambroſius, *c* conſiderat à Pſalte dictum, *Miſericors & iuſtus Dominus, & Deus noſter miſeretur.* Iuſtitiam námque in medio poſitam, & gemino ſepto miſericordiæ vtrinque concluſam obſeruat: vt liqueret, ſemper ſuauitatem & miſericordiam in diuino iudicio ſuperabundare, ac in Dei regimine potiores partes ſemper eſſe lenitatis: Meritò igitur Ricoldus, *d* antiquus & grauis Mahumetiſmi oppugnator, inde confirmat, legem Mahumeticam à Deo non eſſe, quod ſit lex violentiæ: cum è contrario diuina lex & rectio, leniſſima ſit & ſuauiſſima.

b Epiſt.10. ad Seuerum.

c in Th. mond.

d l. contra Alcoran. c. 10

PVNCTVM III.

Quantoperè Deus ſuæ in regendo ſuauitatis imitationem, hominibus hominum rectoribus commendet.

1. EX eo diuino genio, & hactenus demonſtrata adamatione lenitatis in regendo, exſtant illæ Dei querelæ in præfectos, impotentis animi, & vt ſapiens appellat, *ictus fluuij*, hoc eſt violentos, vehementes, ac incitatiſſimi impetus & ferociæ. Eas querelas apud Ezechielem cap.34. his verbis legimus. *Gregem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia*, ideſt, *aſperè ac dominando*, vt exponit S.Gregorius. *e* Idem typhus in regendo, *potentiæ* nomine exprimitur apud eundem Prophetam cap.22. iuxta 70. quos Nazianzenus expreſſit. *f* Vbi enim lectio noſtra habet, *Fili hominis dic ei, Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris, Coniuratio Prophetarum in medio eius. ſicut leo rugiens rapiénſque prædam, animas deuorauerunt*: apud Nazianzenum ſic legitur; *Fili hominis dic ei. Tu es terra non compluta, nec pluuia venit ſuper te in die iræ: cuius præfecti in medio eius velut leones rugientes, rapientes rapinas, deuorantes animas in potentia.* Quos ſimpliciter hæc poſterior lectio vocat *præfectos*, vulgata editio appellat *coniurationem prophetarum*, quia ſolent qui eiuſmodi ſunt, Imperatores veriùs quàm Præfecti, ad prorogandum vel etiam perpetuandum poteſtatis exercitium, fœderati, & conſertis manibus ſtringere ſe mutuo. Damnantur ergo à Deo, quod *cum potentia*, id eſt, durè ac dominantes, non cum lenitate & ſuauitate regerent.

e 13. mor. cap. 11.

f orat. 1. num 133.

2. Sub alio Schemate Spiritus ſanctus, per Siracidem cap.32. lenem ac ſuauem humanæ rectionis rationem, inſtar diuinæ, commendatum

voluit,

voluit, verbis illis. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis: Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicata recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignitatem conſequaris corrogationis.* Rectè monuit Ianſenius, *a* & fusè confirmat Andreas Cydonius, *b* *rectorem* de quo ibi agit ſapiens, iuxta maximè literalem intelligentiam, non alium eſſe quàm quem Græci *Sympoſiarcham*, Tullius, *c* *ſummum Magiſtrum* vel *modi Imperatorem*, quidam *Regem conuiuij* nominabant. Olim enim præſertim apud Orientales, quia conuiuia ſummo apparatu celebrabantur, eligebatur à conuiuis, vel ſorte conſtituebatur, vnus qui conuiuio præeſſet, & modum in eo ſeruandum indiceret. Qui ergo ad huiuſmodi munus fuerit delectus, eum ſapiens admonet, ne efferatur, nimiámve aſſumat majeſtatem; ſed ſit inter conuiuas quibus præeſt, quaſi vnus ex illis: nec prior ſedeat memor ſe tam ad honorem fuiſſe præfectum cœteris, quàm vt neceſſaria conuiuio curaret, non priùs recumbat, quàm exprompta omni cura, cum magna charitate prouiderit conuiuis quibus eſt præpoſitus, vndè conſequetur vt ex eo typhi experte conuiuij magiſterio, (ſic vocat Tullius,) gratiam & gloriam apud cœtum illum qui collatis ſymbolis epulatur ipſi ſubjectus, meritò adipiſcatur.

a ad eum locum.
b l. 2. pro Baronio cap. 11.
c lib. de Senectu.

3. [Eſt quidem hic propoſitæ ſapientis ſententiæ ſenſus, maximè literalis. Sed rectè fatetur Ianſenius, quod rectoribus conuiuiorum ſeruandum eſt, multo magis dictum eſſe rectoribus cœtuum quorumcumque; non ad horam vt in conuiuiis, ſed ad longa tempora conſtitutis. Itaque eos quoque per ſapientem admonet Spiritus ſanctus, ne ſpiritus magnos aſſumant, occaſione concreditæ præfecturæ, ſed ſe perinde ac ſi ex aliis eſſent, modeſtè ac demiſsè gerant, memores, ad labores ſe ac onera, non ad honores & dominia vocatos. Moderatè ergo & abſque typho, quid cuique agendum ſit præſcribant, curam habentes inuitatores ad nuptiale Christi conuiuium, ſeriòque prouidentes, ne quid cuiquam deſit quod ei ad ſalutem vel conſolationem ſit neceſſarium. Sic enim futurum, vt munere ſapienter obito, magna ſint voluptate perfundendi & exornandi magna gloria. Aptant hunc locum ad præſens inſtitutum, ſicut nos fecimus, varij Patres. S. Ephrem, *d* Antiochus, *e* S. Gregorius, *f* S. Iſidorus, *g* Petrus Bleſenſis. *h* Sed concinnè S. Bernardus, cum ſcribens, ad Brunonem Colonienſem, *i* tum ad Henricum Senonenſem: *l* quo poſteriore loco ſic diſſerit, poſtquàm non pauca præfatus eſt in religioſorum ſuperiores elati animi, ac de ſpiritu Luciferiano ſurgentes. [Quomodò illud implebitur, *Principem te conſtituerunt, eſto inter illos, tanquam vnus ex illis?* Quomodò *tanquam vnus ex illis* manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis, immitis inter manſuetos? vt te putemus tanquam vnum ex illis, videamus tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam. Videamus tam libenter præpoſitis obtemperare ſubjectum, quàm imperare ſubjectis. Quod ſi ſemper vis obedienter haberi, & nunquam eſſe, probas te non eſſe tanquam vnum ex illis, dum eſſe ex obedientibus rennis, à quibus te ſuperbiendo ſegregas, quorum aggregeris conſortio patenter aduertimus, & ſi tu vel impudenter contemnis, vel impudenter diſſimulas, reputari profectò inter illos te noueris, de quibus ſcriptum eſt, *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.*]

d Ser. ad inuitatio. Prouerb.
e hom. 121.
f 2. par. paſtor. c. 6.
g lib. 3 de ſummo bono c. 48.
h epiſt. 134. ſubmiſsiám.
i epiſt. 9.
l epiſt. 42.

4. Origenes quoque, *m* circa *iniquitas Sodomæ, ſuperbia*, pereleganter ex loco ſapientis in quo verſamur, vrget rectores ad demiſſionem & humilitatem, & cuius germen poſtea eſt lenitas regendi. Sic enim Guerricus Abbas Igniacenſis ea ad ſuos oratione quam habuit electus in Abbatem, & nuper in Ciſtercienſi Menologio, *n* eſt repræſentata, locum hunc ſapientis conſiderans & expendens; ad humilitatem ex qua benignitas progerminatura eſſet, vrgeret ſeipſum. Grauiſſimè denique ex eodem ſapientis loco, iunctis aliis quæ addacit, ſpiritum dominatiuum præfectorum ſpiritualium comprimit, Concilium Pariſienſe, *o* Nimirum rector ille conuiuij, & qui in eo adumbratus eſt ſpiritualis moderator, agnoſcere ſe debet imaginem Dei, rectoris conuiuij illius cui terra & mare eſcas ſuppeditant, vt diſſerit S. Chryſoſtomus, *p* & pereleganter Petrus Cellenſis. *q* Vnde ſicut Deus ſumma lenitate illud conuiuium regit in quo accumbunt omnes homines, ita & ipſe partem eius quam accipit regendam, leniter ac ſuauiter adminiſtret.

m hom. 9. Ezech.
n 19. Aug.
o lib. 1. c. 23.
p hom. 8. ad pop.
q lib. de pan. c. 2.

5. Id ni ſeruet, agnoſcat quantopere à prototypo ſuo aberret: putétque ſibi occini, quod S. Dionyſius, *r* Demophilo hominis præferuido ac impotentis zeli. Non enim habuit vnde eum premeret magis, quam proponenda ſuauitate diuinæ rectionis qua etiam in impios & iram multis modis commeritos, benigniſſimè & leniſſimè ſe gerit, ac vt ſimiliter ſe gerant quibus vices ſuas commiſit, præiens exemplo eſt autor. Idque intelligentem Moyſem, fuiſſe in regendo mitiſſimum, obſeruat in eiuſdem epiſtolæ fronte S. Dionyſius, vbi quanta eſſet Moſis in regendo temperatio, præfatus, ſubdit. [Intelligebat enim eum qui cum Deo, qui bonus eſſet verſaretur, ad maximam ſimilitudinē quoad eius fieri poſſit, expreſſum effictúmque eſſe oportere, & conſcium eſſe earum quæ bono gratæ ſunt actionum.] Hoc eſt boni & ſuauis rectionis, de quo diſputat eo loco S. Dionyſius. Quare rector ſacræ familiæ, cuius expreſſam imaginem fuiſſe Moſem, latè perſequitur S. Climacus, *s* agnoſcat exemplo Moſis in Deum rectorem primarium intendentis, ad quantam rectionis lenitatem obſtringatur, vt Deum imitatione exprimat, habeátque approbatorem.

r epiſt. 8.
s ad Paſtor. toto c. 15.

PVNCTVM IV.

Expreſſa à Chriſto, diuina in regendo ſuauitas.

1. AD diuinam rectionem conformata & expreſſa Chriſti Domini humana rectio, & ipſa benigniſſima ac mitiſſima celebratur in ſcripturis & Patribus. Fuit enim Chriſtus Dominus in humanitate per diuinam eſſentiam delibuta, quod Patres ſæpè admonent, *facies Dei*

Nimirum.

Nimirum præter cæteras cauſas alibi expoſitas, quia ſicut in facie cernitur perſona, ita in Chriſto diuinæ omnes perfectiones exhibentur, in eoque vt in ſpeculo nitentiſſimo, diſtinctè & perſpicuè manifeſtantur. Exquiſitam ergo rectionis diuinæ ſuauitatem, expreſſit Chriſti rectio cámque exprimere ex Chriſto debent, omnes eo nomine digni Prælati, vt valeat in eis quod ſcriptum eſt, *oculi ſapientis in capite eius*, iuxta egregiam Hugonis à Folieto interpretationem, *a* quæ ita eum locum accipit, vt ſenſus ſit, Prælatum bonum, contueri Chriſtum & eius gubernationem; vt ſe talem ſuis exhibeat, qualem ſe Chriſtus rector exhibuit ſuis. De Chriſto item à ſapiente conſiderando, & vita ſua ac agendi ratione ad Chriſti vitam & agendi rationem conformanda, eum locum acciperem memini Gregorium Nyſſenum, *b* ac Gregorium magnum, *c* Chriſti igitur rectionem conſideremus, lenem & placidam. Ac ne repetam quæ alibi latè adduco, tractans de Chriſto pacis Principe, ſufficit dicere Chriſtum tanta ſemper lenitate & violentiæ abſtinentia rexiſſe concreditum ſibi à Patre gregem, vt liceat huc aptare quod ſe ipſemet Paſtorem bonum indigitauit. Lyranus, *d* hoc eſſe ait, quod de Chriſto prænunciatum à Pſalte erat, *deſcendet ſicut pluuia in vellus*: cenſet enim his verbis deſignari, ſimul lenem ac vtilem rectionem. Nec abludit Theodoreti, *e* interpretatio de pluuia voluntaria ſegregata diuinæ hæreditati. Nam pluuiam illam voluntariam, Theodoretus, ſuauem cui obſiſti poſſit, interpretatur.

a lib 2. de clauſtro animæ c. 12.

b hom 5. in Eccl.

c 17. mor, c. 4. & l. 20. c. 3.

d in Pſ. 71.

e in Pſ. 67.

2. Et hoc maximè nomine gloriam diuinam promouit Chriſtus, quòd homines quorum animos ad Deum conuerſurus venerat, non dominantis autoritate ſubegit, vt philoſophatur Origenes: *f* ſed ſubiectorum ſpontanea deditione, quam obtinuit lenitate & manſuetudine, mirabiliter dexteram eius deducente, vt habet Pſalmus 44. Quæ in eam ſententiam diſputat eo loco Origenes, deſloratus ab autore operis de incarnatione apud Auguſtinum, *g* audire ex patre, iuuerit. Tractat eo loco Origenes quod Sap. 7. habetur, verbum Dei eſſe *puriſſimam aporrhœam omnipotentis gloriæ, & vaporem mundiſſimum virtutis Dei.* Monſtrat ergo, virtutem quidem Dei dici, qua omnia creata inſtituit, & continet ac gubernat, quæ ad omnia ſufficit quorum prouidentiam gerit, quibus velut vnita, omnibus adeſt. Huius tam immenſæ virtutis vapor quidam, & veluti vigor Chriſtus eſt, quem *virtutem Dei* vocat Apoſtolus. Idémque eſt *aporrhœa puriſſima gloriæ omnipotentis*, quia cum Deus omnia fecerit, in ſapientia ſua quæ Chriſtus eſt, pérque eum omnia teneat & regat, non dominantis auctoritate, ſed leni & placida rectione quæ ſpontaneum peperit ſubjectorum famulatum, meritò Chriſtus eo ex capite ſuauis rectionis, *diuinæ gloriæ puriſſima defluxio*, nominatur. [Deus Pater, (inquit Origenes) omnipotens eſt, eo quod potentatum omnium tenet, id eſt cœli, & terræ, ſolis & lunæ, ſtellarum, omniúmque, quæ in ipſis ſunt. Horum autem potentatum gerit per verbum ſuum, quoniam in nomine Ieſu, omne genu flectitur & cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum: Et ſi omne genu flectitur Ieſu, ſine dubio Ieſus eſt, cui ſubjecta ſunt omnia. Per ſapientiam námque id eſt verbo, & ratione, non vi ac neceſſitate cuncta ſubjecta ſunt. Et ideò in eo ipſo quod obtinet omnia, gloria ſua eſt. Et hæc eſt omnipotentiæ puriſſima, & limpidiſſima gloria cum ratione & ſapientia, non vi ac neceſſitate, cuncta ſubiecta ſunt. Puriſſima verò ac limpidiſſima gloria ſapientiæ, ſatis conuenienter dictum eſt ad diſtinctionem eius gloriæ, quæ non purè nec ſincerè gloria dicitur.]

f l. 1. Periar. cap. 2.

g cap 13.

3. Declarauit hoc Chriſti decus Rupertus, eo *h* nominatim ex capite, quod cum maximè cuperet, non vi ſed ſuadela negotium procurandæ ſalutis gentium exequi, noluit quod omni iure poterat, iugum Iudaïcæ legis & ſeruile circumciſionis ſtigma reſpuere, conſcius Iudæos familiariùs & ſuauiùs attrahendos, ſi à gentis ritu tametſi acerbiſſimo, non abſtinuiſſet. Itaquè leniter & ſuauiter cum aliis acturus, ſibi incommodauit. Seruatum planè à Chriſto videtur, quod S. Baſilius ad Iulittam, *i* ſcribens retulit de cicurantibus ſylueſtres columbas, ſuauitate vnguenti quod vni columbæ illinunt. Iudæos itaquè vt cicuraret Chriſtus, vberi ſe ſuauitate perfudit, & ad eum modum delibutus, attraxit ex ea gente, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Non clamauit inter eos, nec exaudita eſt ab vllo vox eius, calamum quaſſatum non contriuit, & linum fumigans non extinxit, vt Iſaias cap. 42. prænunciatat interprete S. Matthæo cap. 12. Et vniuersè quidem, his verbis Propheta, violentum ac ſtrepferum Chriſti dominatum excluſit, docuitque tam temperatè inceſſurum Chriſtum, vt vel ſi calamum quaſſatum calcari ab eo contingeret, non eſſet illum planè contriturus: eo quod non firmiter preſſurus & fixurus pedem, ſed gradu ſuſpenſo eſſet ambulaturus. Nec ſi linum, ideſt ellychnium, (fiebant enim olim ex lino ellychnia, priuſquam, laniger æ arbores Arabiæ, ſuppeditaſſent goſſypium vt eſt apud Plinium:) *l* non inquam ſi ellychnium ſemi extinctum preſſiſſet pede, omninò extincturus illud eſſet; tanta eius in calcando & figendo greſſu, futura erat temperatio. Hoc igitur vniuersè voluiſſe videtur Iſaias, ea de Chriſto prænunciatione quam cadere in Chriſtum agnoſcit S. Matthæus. Nominatim tamen S. Gregorius, *m* cum calamum præter cæteras ſignificationes regnum Iudaïcum denotare docuiſſet; linum autem in notam Iudaici Sacerdotij, ob vſum linearum veſtium Sacerdotibus præſcriptum, aſſumi conuenienter potuiſſe, ſubdit: idcircò prænunciatum eſſe, Chriſtum non quaſſatum calamū contritum, nec extinctum linum fumigans, quia ſumma futura erat eius ſuauitas ac lenitas erga Iudaïcū populū & eius ſacerdotes, tametſi ad apicē nequitię & improbitatis prouectos.

h lib. 1. in libros Reg. c. 5.

i Epiſt. 174.

l l. 19. c. 1.

m 11. mor. cap. 4.

4. Verùm dimiſſis minutioribus exemplis, lenitatem ac benignitatem ſummam rectionis obſeruarunt plerique Patres in exemplo ſanè mirantiſſimo, hoc eſt Iudæ gubernatione. Quærentibus enim nonnullis, quibus graue videbatur, Chriſtum Iudæ malitiam non inhibuiſſe, quidni Chriſtus hominem quem cooptauerat in collegium domeſticorum, firmatum in bono voluerit, vel ſi violentia ei inferenda fuiſſet; reſpondent Patres, qui hoc quærunt, neſcire cuius ſpiritus ſint. Neque enim lenem Chriſti ſpiritum, de quo prænunciatum erat non fore turbulentum, & quaſſato calamo non illaturum contritionem extremam, aut extinctionem lino fumiganti, ferre violentas illas adactiones, ſed ſua-

uiter

uiter ac benignè perficere omnia. Itaque cum quibuſvis aliis in vita mortalibus proſpexiſſe ſemper intra lenitatis ſummæ fines, tum Iudæ nominatim, prouidentiſſimo ſtudio ſuppeditaſſe omnia ad ſalutem neceſſaria: vim tamen inferre, nec voluiſſe, nec conſentaneè ad Patris ſtatuta, & ad genium ſuum potuiſſe. Verſat hoc planè

a homil. de prod. Iudæ. S. Chryſoſtomus. a Nec pauca alij Patres, prolati tractatione de Iuda. b

b cap. 10. à n. 19. c. 17. §. 1.

5. Hac ratione renocauit Chriſtus ad praxim, quod paſſim vſurpabat in ſermone ac doctrina. Notauit enim S. Chryſoſtomus, c Chriſtum paſſim de lenitate ac benignitate verba facere ſolitum, quod eam flagrantiſſimè adamaret. Hæc eſt illa Chriſti in regendo lenitas, per quam Apoſtolus, vt Theophylactus, d rectè expendit, Corinthios obteſtabatur. *Obſecro vos* (inquit) *per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti.* Quam Interpres vertit *modeſtiam*, non eſt quod quis referat ad vulgatam inter nos vocis notionem, hoc eſt ad externam compoſitionem, ex virtute externos motus moderante. Græca habent ἐπιείκειαν, hoc eſt lenitatem, & comitatem à vi inferenda abhorrentem. Qua ipſa ratione, vſurpatur, eadem Latina vox, alio Græco nomine (nempe πραότητα) expreſſa 2. Tim. 2. vbi dicitur *ſeruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.* Vbi *modeſtia* non ſpectat ad externam compoſitionem, ſed idem ſonat ac moderationem in corripiendo. Proponit enim ibi Apoſtolus, dotes boni Præſulis ac Doctores: Ipſéque eſt quem vult eſſe διδακτικόν, hoc eſt idoneum docere: vocabulo quod in communi apud nos vſu, paſſionem fert, ſumpto actiuè: vt videmus etiam fieri, cum ſpecies impreſſæ vocantur *intelligibiles*, non ab aptitudine terminandi intellectionem in eas tendentem, ſed à vi exprimendi & cudendi intellectionem tendentem in objectum: quod eſt ad actiuè, non paſſiuè ſe habere. Eóque ipſo ſenſu, Salomon petebat *cor docile*, id eſt, aptum docere multitudinem propè innumeram cui præerat. Itaque Doctor Euangelicus, qui idem Præſul ac rector eſt, ſi de primario doctore agatur, (vt ſanè de eo agebat Apoſtolus) debet abſtinere contentionibus, & violentiæ illatione: ſed eius eſt, cum lenitate, & temperatione regere, imitando Chriſtum rectorum & paſtorum principem, cuius tanta fuit in regendo lenitas atque moderatio, ſiue modeſtia, vt Apoſtolus ex Interprete loquitur.

c homil. 60. in Ioan. ini.

d 2. Cor. 2.

6. Neque eſt quod quis, pugnare cum ea tanta Chriſti rectionis lenitate exiſtimet, virgam ferream, in qua recturum Chriſtum prænunciat Pſalm. 2. Dauid. Occurram enim cum S. Hilario. e [Ne quis temerariæ huic, & impiæ præſumptioni, locus pateat, proprietatis ipſæ Verborum in Romanam linguam tranſlatorum cognoſcendæ ſunt. Namque id quod nobiſcũ eſt, *Reges eos in virga ferrea*, quanquam ipſum *reges*, non tyrannicum, neque iniuſtum ſit, ſed ex æquitatis ac moderationis arbitrio, regimen rationale demonſtret: tamen molliorem adhuc regentis affectum, proprietas Græca ſignificat. Quod enim nobiſcum eſt *reges eos*, cum illis eſt, ποιμανεῖς αὐτούς, id eſt, *paſtoraliter reges*, regendi ſcilicet eos curam, affectu Paſtoris habiturus. Ipſe eſt enim paſtor bonus, cuius oues

e ad eum Pſalmum.

nos ſumus, pro quibus animam ſuam poſuit. Ne autem ius tyrannicum ſignificari arbitremur in virga, quæ in virgæ nuncupatione proprietas ſit, ex nouo & veteri teſtamento noſcendum eſt.] Aſtipulantur huic S. Hilarij interpretationi de virga ferrea, hoc eſt inflexibili & recta, ſed nonniſi paſtorali rectione S. Auguſtinus, Theodoretus & alij in Pſal. 2. necnon Primaſius, Beda, & Rupertus in cap. 2. Apoc. vbi Ioannes ſicut etiam cap. 12. & 19. conſentaneè ad Hebræum & Græcum Pſaltis contextum è quo apertè profecit, *virgam ferream*, appellationem paſtoralem, quæ cum ſita ſit in paſcendo, caret amaritudine éſtque leniſſima: In eiuſdem expoſitione multus eſt Bellarminus, f ac multo etiam copioſius ei inſiſtit Martinus à Roa. g Ne verò hæc expoſitio, ſingularis videretur, S. Hilarius addenſat pleraſque ſcripturas, quibus oſtendat, virgam, & quidem ferream, nonniſi validam & firmam, tyrannidis tamen & violentiæ expertem poteſtatem ſignare; qualis ſanè fuit Chriſti poteſtas & rectio, quæ eſt etiam Chryſoſtomi de eo loco ſententia, dum Catecheſi illuminandos imbuit, vt inſra referam agens de rectionis fortitudine: & tam Hilarius, quàm Chryſoſtomus, negant contritionem tanquam vaſis figuli per eam ferream Chriſti virgam, pertinere ad cladem eorum qui regimini Chriſti ſubſunt. [Non enim ait, *tanquam vas confringes eos*; ne per teſtæ fragmentum, irreformabile vas poſſet intelligi, ſed ait, *vas figuli*, quod in ipſa artificis molitione vas fieri; vt ſecundùm prælatum exemplum, prompta eſſet confracti eiuſdem vaſis, ea artificis voluntate reparatio.] Sic exprimit S. Hilarius, refictionem vaſis terrei, non excocti ſed recentis, cui ſi quid in eius fabrica diſpliceat, facile ſit affuſa denuò aqua mederi, & in formam figulo acceptam, vas componere. Similiter enim Chriſtus, (quod explicatè tradit S. Chryſoſtomus,) incompoſitos ſubditos, affuſa Baptiſmi aqua refingit in homines nouos: quod Pſaltes dixit, eos conteri vt vaſa figuli; non vt perdantur, ſed vt refingantur. Qua ratione, virga ferrea confringes, bellè cohæret cum ſuaui Chriſti regimine.

f l. 1. de SS. Beatitudine, c. 8.

g lib. 2. ſing. c. 5. & 6.

7. Quam porrò ipſe Chriſtus Dei imitatione ſeruauit regendi temperationẽ, eandem illis quos ſuos in Eccleſiæ regimine conſtituebat vicarios, (vt loquitur S. Bernardus,) h imo miniſtros ſuo loco, præſcripſit. Obſerua & expende humilem *miniſtri* vocem, omnis typhi in regendo expurgatiuam, vt S. Bernardus optimè aduertit. i Ait ergo Chriſtus Matthæi 20. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos; non ita erit inter vos ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis.*] Petrus Abelardus in Sãctimonialis inſtitutione, hinc infert prælationẽ auſteram & rigidam, non eſſe eius prælati qui Chriſtum imitetur, ſed eius qui ſe Regibus gentium conformet. Hoc ille verè dixit. Peruersè autem Hæretici, vt mente ſunt in omnibus auerſa à recto, collegerunt ex propoſitis Chriſti verbis, interdici Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus dominatione temporali. Ita Caluinus, l hoc abeſt à Chriſti mente [illegible] longiſſimè. Senſus enim verborum Chriſti, non eſt, reges gentium dominari,

h ſerm. in illud Audiã quid loquatur.

i Epiſt. 42.

l 4. diſt. c. 18. §. 8.

ideſt, temporalem iuriſdictionem habere in populos, ea autem excludi Apoſtolos, illorúmque ſucceſſores; quod falſum eſſe, latè confirmat Bellarminus, *a* ſed ſenſus verborum Chriſti eſt quem Græca Matthæi verba propriè ferunt, *κατακυριεύουσιν αὐτῶν* id eſt, *violenter dominantur*, ac vt tyranni non vt principes. Quemadmodum 1. Petri 5. vbi Apoſtolus vetat dominationem in cleris, idem Græcorum verbum eſt vſurpatum; quod etiam græcè habetur Io ue 15. vbi Caleb ſpondet præmium ei qui Cariathſepher percuſſerit, & vi oppreſſerit græcè *Κατακυριεύσῃ αὐτῆς*. Eo ergo quo pacto Chriſtus præfectos Eccleſiaſticos vetet dominari, ideſt, violenter, & tyrannicè ſuos opprimere, id quod Origenes in ea Matthæi verba egregiè docet. *b*

a lib. 5. de Pont. c. 6. & 10.

b tract. 12. in Matth. ſub finem.

c hom. 6. in Iſaiam.

8. Alibi verò, *c* ex eodem Chriſti monito Apoſtolis dato, colligit, Epiſcopum, (& idem eſt de quouis rectore Eccleſiaſtico,) ſeruum ſtatui eorum quibus præeſt: [Non ad principatum (inquit) Eccleſiæ venit, qui ſaluari vult & ſi præeſt, ſed ad ſeruitutem Eccleſiæ, ſi oportet, & de Euangelio *Principes quidem gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in illis, magiſtratus vocantur: non ſic autem erit in vobis;* nec enim dominantur principes in vobis, ſed qui vult veſtrum eſſe maior, erit omnium minimus. Qui vult eſſe primus, erit omnium nouiſſimus, qui vocatur ergo ad Epiſcopatum, non ad principatum vocatur, ſed ad ſeruitutem totius Eccleſiæ. Si vis credere de ſcripturis, quia in Eccleſia ſeruus ſit, omnium qui præeſt, ſuadeat tibi ipſe Saluator & Dominus, qui talis tantúſque factus eſt in medio diſcipulorum, non quaſi diſcumbens, ſed quaſi miniſtrans. Accipiens enim linteum, poſtquàm exutus eſt veſtimentis, præcinxit ſe, & mittens aquam in peluim cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Et docens qualis oportet eſſe principes tanquam ſeruos, ait *vos vocatis me magiſtrum & Dominum, & benè dicitis ſum etenim, ſi ergo Dominus & magiſter, laui vobis pedes, & vos debetis alterutrum lauare pedes.* In ſeruitutem ergo vocatur Eccleſiæ princeps, vt poſſit ex ſeruitute iſta ire ad ſolium cœleſte, ſicut ſcriptum eſt, *ſedebitis ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Audi verò & Paulum, tam præclarum virum, dicentem quia ſeruus fuerit omnium credentium; *ego ſum* (ait) *minimus Apoſtolorum, non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Portò ſi hoc non videtur approbare ſeruitutem eius, ſed tantùm humilitatem, audi eum dicentem *quaſi ſi nutrix foueat filios ſuos facti ſumus paruuli in medio veſtrum cum poſſemus graues eſſe, vt Chriſti Apoſtoli.* Imitatores ergo nos eſſe expedit humilium ipſius Domini ſermonum, atque factorum, & Apoſtoli eius.] Similia iterat tract. 31.

9. [Hanc ſummam Chriſti in regendo modeſtiam, eo nominatim acto proditam, vt Origenes admonuit, quo diſcipulorum pedes lauit, ſuperbiam & Satanæ Regis ſuper filios ſuperbiæ, & omnium typho tumentium rectorum iugulaſſe, ſignificabant Græci peculiari amictu quo Pontificem, genuinam Chriſti rectorum principis imaginem, ad altare procedentem, amiciebant. Is amictus dicebatur *ἐπιγονάτιον* corruptè nonatur quidam legit *ἐπιγονάτιον* & ad barbam retulit, nullo prorſus fundamento. Nuſquam enim Græcorum rituum libri, eorúmve interpretes, memorant aliquid ad barbam pertinens, in negotio de quo agitur. Itaque alij item Sectarij, aliter accipiunt illud *ἐπιγονάτιον*, vel *ὑπογονάτιον*, vt Henricus Stephanus in Theſauro appellat, putans eſſe ceruical genuale. At Franciſcus Iunius, *d* *ἐπιγονάτιον* appellat, cenſétque eſſe cubitalis precarij tapetem: vera autem notio illius epigonatij eſt, quam ſuppeditat Simeon Theſſalonicenſis, & *e* Balſamon, *f* atque Menardus, *g* quibus viſum eſt, tegmen id eſſe quo rei culinariæ dutores operam præcinguntur, ne veſtes inquinent. Itaque referre perizoma quo Chriſtus pedes diſcipulorum ablaturus, præcinctus aſt. Referebat autem imaginem frameæ, quæ in haſtæ, vel cultri ſutorij, ſpeciem eſt conformata: haud inſuper talis lintei in eam formam compoſitione, vt inſinuaretur Chriſtum eo actu quo ſe Magiſtrum, & Dominum humilitatis ſpecimen omnibus animarum rectoribus præferentem conteſtabatur, iugulaſſe ac transfodiſſe ſuperbiam, & Satanæ, & eorum qui ex Satanæ ſpiritu typhi ac tumoris pleno aliis præſunt. Id quod & facto lauans pedes diſcipulorum, & verbis in ſermone ſub cœnam habito abundè præſtitit informans rectores ſacros ne ſicut principes gentium dominarentur, ſed cum omni lenitate ac benignitate ſuum ipſius ſecuti exemplum præeſſent.

d ad c. 16. Codin.

e l. de Hapio.

f reſp. 37.

g diſp. de int. Epiſc. pa. 66.

10. Nimirum & Chriſtus perſpectiſſimum haberi volebat, præfecturam quamcunque Eccleſiaſticam, etiamſi ſummam, qualis fuit Apoſtolorum, qua nulla fuit vnquam ſublimior, non ad dominandum & comprimendum ſubiectum, ſed ad ſeruitudinem eis vniuerſam referri. Itaque non vt honorem perſonæ, ſed vt eius miniſterium cenſet ſcriptura, præfecturam. Idque circa Matthæi locum in quo verſamur egregiè docuit Autor operis imperfecti, verbis illis. *h* [Ipſi honores, in Chriſto, in prima quidem facie videntur honores & tenera autem non ſunt honores diuerſi, ſed ſunt diuerſa miniſteria, vt puta honor oculi videtur, quia illuminat corpus, ſed ipſa honor illuminandi, non eſt ei honor, ſed miniſterium eius. Et pedum humilitas eſſe videtur quia bajulant corpus, ſed ipſa humilitas bajulationis, non eſt eorum contemptio, ſed miniſterium eorum. Propterea Dominus corporis, ſcilicet homo, nec oculum ſuum ampliùs honorat quàm pedem, nec pedem magis contemnit quàm oculum; quia nec oculus pro ſuo aliquo merito honoratus eſt, vt ſit oculus, ſed ad hoc miniſterium creatus, nec pes pro ſua culpa contemptus eſt, vt ſi pes, ſed ad hoc miniſterium eſt creatus. Propterea vnumquodque membrorum, nihil ſe habere minùs intelligens, ſecundùm miniſterium ad quod creatum eſt, nec amplius; non inuidet alteri membro quaſi plus habenti, nec ſpernit alterum membrum quaſi minus habens: ſic eſt inter ſanctos. Vniuſcuiuſque ſancti honor, non eſt honor eius, ſed actus ipſius. Vt puta Apoſtolis; Apoſtolatus, à nobis putatur honor eſſe ipſius Apoſtoli, verè autem non eſt honor eius, ſed miniſterium eius. Vnde Apoſtolus de Apoſtolatu ſuo dicebat; *Nam ſi euangelizem, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago mercedem habeo. Si autem inuitus, diſpenſatio* mihi

h hom. 35. ſub finem.

mihi credita eſt. Similiter & Diaconatus, Diaconi contemptibilitas videtur à nobis: verè autem non eſt contemptibilitas eius, ſed actus ipſius, propter quod Deus; nec Apoſtolum amplius diligit, quàm Diaconum quia Apoſtolus eſt; nec Diaconum minus quàm Apoſtolum; quia Diaconus eſt: quia Apoſtolus pro aliquo ſuo merito antecedenti honoratus eſt vt eſſet Apoſtolus: ſed ad hoc miniſterium aptus iudicatur, ſecundum motum animæ ſuæ: nec Diaconus pro merito ſuo antecedenti contemptus eſt, vt eſſet Diaconus, ſed ad hoc miniſterium aptus eſt iudicatus ſecundum motum animæ ſuæ, propter quod nec Apoſtolus laudem habebit apud Deum quia Apoſtolus fuit, ſed ſi opus Apoſtolatus ſui benè impleuit: neque Diaconus exprobrandus eſt, quia Diaconus fuit, ſed ſi opus ſuum neglexit.] *Illud ſecundum motum animæ ſuæ*, quomodo acidum Pelagianiſmi fermentum non contineat, ſed purum ſit, & labis expers, trado in tractatione de Iuda agens de merito Apoſtolatus. Hactenus de ſuaui Chriſti regimine ex propoſito Matthæi loco quem in hanc rem benè verſat Molanus.

a l. 3. de canon. cap. 11. 11. Adiungit in hanc rem S. Gregorius, *a* ex eodem Matthæi cap. 24. Alium locum, quo ſeruus ex ſuſcepto regimine elatus, & percutiens conſeruos ſuos, dicitur diuidendus, id eſt interprete S. Baſilio, damnandus, & pars eius ponenda cum hypocritis. [Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex ſimulatione diſciplinæ, miniſterium regiminis vertit in vſum dominationis.] Ad eandem quoque mentem, locum illum proponit adhortans ſuperiores Orſieſis, *b* & egregiè Origenes, *c* tractans illud, *clero eorum non proderunt eis*, quam expoſitionem ſe ex antiquiore quodam accepiſſe profitetur. Denique Chriſtus Apoſtolos idcirco miſit abſque virga, vt meminiſſent quod præclarè obſeruat S. Ambroſius, *d* non tam curare vt vim poteſtatis exprimerent ac dominarentur præferentes inſigne poteſtatis, quàm vt ſuauiter ac moderatè regerent; ſicut ipſe Chriſtus leniſſimè & moderatiſſimè regebat, propterea enim in eius typo dictum eſſe de Dauide, *memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*, notauit S. Hieronymus. *e* Nimirum Chriſtus, genus mortalium non fulminando ac tonando, ſed in ſpiritu lenitatis, ſummaque manſuetudine gubernauit: ac proinde idem meritò ſuis ſubpræfectis voluit eſſe commendatiſſimum. Approbauit quidem Chriſtus Dominus violentiam aliquam, ſed non illam quæ ſubiecto à præſide aut cuipiam alteri ab homine infertur, ſed quam quiſque ſibi proprio motu intulerit, vt notauit S. Baſilius *f* tractans ea Chriſti verba, *& violenti rapiunt illud.* Alter item Baſilius *g* Chriſtum ſpecie Medici exhibet, leniſſimè cum ægro agentis. Neque enim vt optimè ibi expendit, fulminibus ac procellis ſonantibus orbem euertit, ſed omni benignitate *h* & ſuauitate adhibita curauit & rexit mortales, per totam vitam, quam tantæ etiam benignitatis ſpecimine obſignauit, vt habeant præpoſiti omnes vnde rectionis normam repetant, iuxta illud Climaci [Paſtorem verum, oſtendit charitas, quæ Principem Paſtorem in crucem egit.]

b 2. par paſtoral. cap. 6.
c in monaſt. inſtante medium.
d hom. 7. in Lucam.
e hom. 7. in Luc c. 10.
f ſermo. de abdic. ſub finem.
g orat. 30. initio.
h 4. inſtit. cap. 7.
i epiſt. 8. in fine.

12. Velificatus eſt Chriſtus Patris voluntati, quem verbum ſuum miſiſſe ad homines vt carne amictus in ſumma lenitate eos tegeret, factus rectoribus animarum idea regiminis violentiæ expertis, tradit præclarè Iuſtinus ſcribens ad Diognetum, his præter cætera. [Deus qui eſt omnipotens & omnium conditor ac inuiſibilis, è cœlis veritatem & verbum ſanctum ac incomprehenſibile inter homines locauit, & in cordibus eorum firmam habere ſedem voluit; non quemadmodum aliquis conjicere poſſit, miſſo hominibus miniſtro aliquo, aut Angelo, aut principe, aut aliquo eorum qui terrena gubernant, aut quopiam eorum quibus commiſſa eſt rerum in cœlis adminiſtrandarum cura, ſed ipſo opifice & creatore omnium, quo cœlos condidit, &c. Hunc ad eos miſit. An vt aliquis hominum cogitare poſſit tyrannidis exercendæ, & terrorem incutiendi cauſa? minimè verò, ſed in clementia, in lenitate, tanquam Rex mittens filium Regem miſit; tanquam Deum miſit, tanquam ad homines miſit, tanquam ſeruans miſit, tanquam cum obſequentibus agens, non tanquam violentiam adhibens. Violentia enim Deo non ineſt; miſit vt vocans, non perſequens, miſit vt amans.] Eumdem igitur cum Patre affectum induens Chriſtus, rectionem adhibuit violentiæ expertem, & omni ſuauitate perſuſam, penè vt dicere liceat, inde Ethnicos rerum noſtrarum rudes vocaſſe eum *Chreſtum*, quod nomen à benignitate & ſuauitate ducitur. Ita enim nomen Chriſti luxaſſe Ethnicos habetur ex Suetonio in Claudio, & ex Lactantio, *l* eodemque reſpexit Tertullianus objiciens Ethnicis, quod Chriſtum ne de nomine quidem haberent verè compertum; quippè, qui non χρῆςος à bonitate ſcilicet ducto nomine quo eum denotabant Ethnici, ſed χριςὸς ab vnctione eſſet appellandus. At (vt dixi) penè videbuntur Ethnici oblæſionem illam nominis Chriſti induxiſſe, præ tanta eius in regendo benignitate quã *Chriſti* nomẽ præfert, vt S. Hieronymus ſcribẽs ad Suniam atq; Fretellam obſeruauit. l 4. Inſtit. cap. 7.

13. Nec quem regendi tenorem ſuauem ac benignum, Chriſtus apud nos docuit ac vſurpauit mutauit cœlo illatus, ſedenſque ad Patris dexteram. Proditum id luculenter eſt, in cœleſti viſo de quo S. Dionyſius, *m* ea epiſtola qua Demophilum monachum laïcum ſacratio propoſitum, increpat ob barbariem in hominem pœnitentem. m Epiſt. 8. in fine. Scribit eo loco S. Dionyſius, B. Carpum virum eximia vitæ Sanctimonia & exquiſitæ planè familiaritatis cum Deo narraſſe ſibi in Creta inſula cum apud eum fortè diuertiſſet, magno ſe dolore aliquando fuiſſe confectum, & diuinam ſeueritatẽ expetiiſſe in Chriſtianum Apoſtatam, & in quendam Ethnicum, qui Chriſtiano Satan factus erat, eumque fallacibus pellectionibus à fide abduxerat. Vtrique ergo, diuinæ manus vltricis robur & auſteritatem apprecatum B. Carpum, vidiſſe per ſomnum ædem quam inhabitabat agitari primùm, deinde à vertice ad ima vſque fundamenta diſcedere; in medio autem hiatu, ingentem flammam ad cœlos vſque ac ſydera pertingentem, excitari: ſubtus verò ad ima Tartara, patere tenebricoſum & maximè horrificum ſerpentibus immanibus ſcatentem hiatum, ad cuius os ſtarent duo illi quibus malè erat apprecatus. Vrgenti porrò per viſum illud nocturnum Beato Carpo; vt noxij illi quàm primùm abſorberentur, obiectam Chriſti

Domini in aperto cœlo ſpeciem, ſurgentis è ſolio, manumque miſeris vt euaderent benignè porrigentis, & aduocantis Sanctos ad opitulandum; ac inter eam pro miſeris ſollicitudinem, ſic affantem ipſum B. Carpum. *Tu verò feri me, paratus ſum enim ſalutis hominum cauſa, iterato mortem opetere, idque mihi accideret gratiſſimum ſi ita ferret neceſſitas mortalium.* Quid huic ſuauitati rectionis comparandum? Emolliuit non dubiè (tametſi à S. Dionyſio non eſt expreſſum) tanta Domini benignitas, durum præferuidi famuli pectus, & non grauatè perpulit, vt Chriſti imitatione ſpiritum lenem aſpero depoſito indueret, æſtumque ac impetum flagrantis animi, temperaret lenitate & manſuetudine, qua ſpecialiter Chriſti rectionem exornauit Apoſtolus. Erga Paulum, tunc Saulum ſeruatam eſſe à Chriſto rectore hanc lenitatem, tametſi aliqua ſeueritate condiri neceſſitas tulit, egregiè tradit Thomas Cantipratanus. *a*

a l. 2. Apum c. 4. nu. 2.

PVNCTVM V.

Imitantur diuinæ rectionis ſuauitatem, SS. Angeli rectores noſtri, ac etiam mali dæmones rectores tenebrarum harum.

1. PRoximè adductus S. Dionyſij locus quo bonos Angelos à Chriſto ad lenem peccatorũ curam adhibitos, ait ex S. Carpi narratione; ſuggerit aliam luculentam expreſſionem diuini regiminis, nempe rectionem Sanctorum Angelorum. Fateor SS. Angelos, nulla erga nos iuriſdictione poſiti, iuxta illud Hebr. 2. *non ſubiecit Angelis Deus orbem terræ futurum*, proindeque eorum rectio accedit potiùs ad curam quam pædagogus à parentibus adhibitus puello impendit: quæ cauſa eſt, cur à Patribus non rarò pædagogi hominum nominentur, vt à S. Baſilio, *b* & optimè à S. Bernardo. *c* Nec aliud ſonat ille Papatis famulatus, cui addictos eſſe Angelos cuſtodes ait Petrus Damiani. *d* Vocem quippè Papatis vel Papantis pædagogum ac præfectum puerorum ſonare monſtrat Ioannes Carcaſius *e* tranctans notationem nominis *Papa*.

b l. b. Exaë.[°] & l. de Spir. Sancto c. 13. *c* ſerm. 12. in Pſal. 90. *d* Opuſc. 23. cap. 4. *e* l. 5. miſcell. cap. 15.

2. Optimè planè eam Sanctorum Angelorum, tanquam pædagogorum noſtrorum erga nos curam, exhibent illa crediti Auguſtini *f* in Soliloquiis. [Facis Angelos tuos Spiritus propter me, quibus mandaſti vt cuſtodiant me, in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum, hi enim ſunt cuſtodes ſuper muros Ciuitatis tuæ nouæ Hieruſalem, vt montes in circuitu eius, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum; ne quando rapiat vt leo animas noſtras, dum non eſſet qui eriperet, ille antiquus ſerpens aduerſarius noſter Diabolus, qui quaſi leo rugiens ſemper circumit, quærens quem deuoret. Hi ſunt Ciues beatæ ciuitatis ſupernæ Hieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, in miniſterium miſſi propter nos qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus viis ſuis, conforten quoque & moneant, vt orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu gloriæ maieſtatis tuæ. Diligunt nempe conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant: Ideoque magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis, omnibus horis, & locis, ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciti diſcurrentes inter nos & te Domine, gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiſcum in omnibus viis noſtris, intrant vt exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes, quàm pie, quâmque honeſtè in medio prauæ nationis conuerſemur quantoque ſtudio & deſiderio, quæramus Regnum tuum, & iuſtitiam eius, quantoque timore, & tremore ſeruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adjuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus Grandis eſt eis, cura de nobis.[

f cap. 25.

3. Hæc quamuìs ita ſe habeant veréque Angeli, curatores tantùm ſalutis noſtræ, & pædagogi ſint, non rectores, tamen negari non poteſt quin ex Dei mandato, etiamſi abſque iuriſdictione, iiſdem nos proſequantur officiis, quæ ab illis prodeuntia, qui Iuriſdictionem obtinent, veram & propriam rectionem conſtituunt. Quare non immeritò, ipſi quoque præfecti, & rectores noſtri, ſiue præpoſiti vt Origenes loquitur *g* audire poſſunt. Eaque poſtrema appellatione, donatur S. Michaël apud Danielem. *h* Dicuntur item mitti in miniſterium, & eſſe Spiritus adminiſtratorij, quod eſt in ſcripturis nomen rectionis iuxta Origenem. *i* [Ipſi velut procurationem animarum noſtrarum tenent, quibus dum adhuc paruuli ſumus, velut tutoribus committitur, vſque ad præfinitum tempus à Patre.] Quæ omnia præfecturam & rectionem ſonant. Et fortaſſis hoc reſpiciens Petrus Damiani in Epiſtolarum inſcriptione, rectorem Caſſinenſis cœnobij, non ſemel vocauit *Archangelum monachorum*: quod hauſit ex Fulberto Carnotenſi, qui *l* S. Odilonem Abbatem, tanquam Angelum monachis Angelis terreſtribus præfectum, vocauit Archangelum Monachorum. Sanctus item Bernardus *m* ſic de religioſo præfecto loquitur. [Cæleſte tenet officium. Angelus Domini exercituum factus eſt; Tanquam Angelus, aut eligitur, aut reprobatur.] Alibi verò, *n* Angelos agnoſcit prælatos, humanis prælatis ſuperpoſitos diuina benignitate. Locus eſt mellitus. [Illa Hieruſalem nec viciſſitudines patitur, nec cuſtodibus eget. Noſtris potiùs cuſtodes, neceſſe & diebus & noctibus deputari. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes Benignus, es Domine, nec noſtrorum hac fragili protectione murorum potes eſſe contentus, ſed ipſis hominum prælatis hominibus, Angelicam quoque cuſtodiam ſuperponis, vt muros defenſent, & eos qui murorum ambitu continentur. Ita Pater quoniam ſic eſt placitum ante te, ſic neceſſarium nobis. Inſufficiens eſt enim miniſtratio noſtra, niſi & nobiſcum, vt pro nobis adminiſtratorios Spiritus, in miniſterium mittas, vt hæreditatem capiamus ſalutis. Quid enim ſi non videmus obſequium, cum expatiamur

g tract. 5. Matth. *h* cap. 10. *i* hom. 8. in Geneſ. *l* Epiſt. 66. *m* ſerm. in Eæe. nos reliquimus omnia. *n* ſerm. 4. in dedic. Eccleſ.

periamur auxilium? Quid ſi non meremur aſpectum, cum ſentiamus effectum.]

4. Angeli ergo, noſtri ad modum prædictum rectores, ea lenitate ac manſuetudine homines dirigunt, quam nemo vnquam ſatis ſuſpexit. Ideoque Petrus Bleſenſis *a* Angelos abſolutè mites appellat [In tribus ſiquidem manſuetudo conſideratur; ſi quis ſcilicet, ſocialis eſt, vt cum quibuſcumque viuat, gratioſus ſit eis. Sic Paulus omnibus omnia factus. Si quis, etiam lædentem non lædit. Poſtremò, etiam, ſi lædenti benefaciat. Hæc præcipuè in Angelis eminent. Cum enim ille imprudens, & impudens Lucifer, ſe à Deo, & ſocialibus, diſſociaret Angelis, ipſi in ſocietate perſtiterunt, in manſuetudine ſua roborati. Iniurias quas eis quotidie inferimus, dum cuſtodiæ eorum refragamur, patienter ſuſtinent nec læſi nos lædunt, immò mitiùs compatiuntur nobis, & quod veriſimile eſt, tanquam medici maiorem ſollicitudinem, infirmis impendunt, quam ſanis, & magis gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitencia.]

a ſerm. 3.

5. Et eſt tamen Angelorum poteſtas maxima, vt præter cæteros copioſè proſequitur Sophronius Hieroſolimitanus, eo encomio quod panxit Sanctis Angelis: nihilque facilius foret Angelis Sanctis, quàm hominem minimo niſu conterere: non ſecus ac nos vermiculum obterimus, inliſa ſolea. Id quod manifeſtiſſimum fuit, in clade quam vnicus Angelus perbreui tempore ſine ſtrepitu intulit copiis numeroſiſſimis, & inſtructiſſimis Sennacheribi. Quare non foret vni cuius Angelo operoſum, hominem cui præeſt, vi adigere quò vellet. Non poteſt quidem Angelus, ſiue intellectum, ſiue voluntatem hominis implere, vt loquuntur Patres Baſilius *b* Fulgentius *c* Paſchaſius, *d* Bernardus, *e* Rupertus. *f* Ideſt, non poteſt quidem Angelus per ſeipſum directè ac immediatè hominem ſiue intellectuare, (verbum eſt D. Auguſti,) *g* eiuſque intellectui immittere cogitationem; ſiue voluntati eius, talem aut talem actum imprimere. Tamen indirectè, & interuentu inferiorum potentiarum ſubordinatarum in quas per externos ſenſus ac temperiem corpoream multum iuris habet, ita afficere eas quoque ſuperiores facultates poteſt, vt non difficilè illas abducat quo libuerit. Quoad cætera verò omnia cum intra tum extra hominem, de magna omnino Angelorum potentia dubitare non licet. Habuit ſanè eam pro compertiſſima D. Auguſtinus, qui expendens illa Pſaltis verba Pſal. 95. *confeſſio, & pulchritudo*, affirmat, homines potentiam amantes, optare ſibi potentiam Angelorum, eo quod tanta ſit in eis potentia, vt ſi faciant Angeli quicquid poſſunt, ſuſtineri non poſſit.

b initio l. 3. contra Eunom. *c* de fide ac Inſtr. c. 3. *d* lib. 2. de Spiritu Sancto in fine. *e* l. 5. de conſid. c. 1. *f* lib. 1. de oper. Spir. Sancti c. 16. *g* ſerm. 18. in Pſal. 118.

6. Tanta, tamque robuſta ac valida cum ſit Angelorum poteſtas in eos quos dirigunt, tamen nihil per vim ac imperium, ſed omnia ſuauiter ac moderatè ſuſcipiunt. Eſt huius temperatiſſimi regiminis exemplum omnino ſingulare Iudic. 2. *Aſcendit* (inquit) *Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait. Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus veſtris, & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum vobiſcum, in ſempiternum: Ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum ſubuerteretis, & noluiſtis audire vocem meam. Cur hoc feciſtis?* Quid ea lenitate admirabilius? Suberat iuſtiſſima cauſa Angelo Domini, vt in populum ingratiſſimum ſæuiret, idque ipſe populus in lacrymas ſolutus agnouit; cum perpendi, poteſtas non deerat. Et tamen leniſſimè agens Angelus, mitem correptionem & temperatiſſimam immanium ſcelerum expoſitionem, veriùs, quàm exprobationem, non eſt tranſgreſſus. Hi ſunt amici auſcultantes, vt habetur Cant. 8. interprete Richardo Victorino. *h* Attente namque ſancti Angeli deſideriis noſtris ac voluntatibus, tanquam internis vocibus excipiendis, & ad Deum perferendis incumbunt, cum primùm à bonis diuinitùs præuentis excudantur, velut ex attrito ſilice ſcintillæ. Non igitur internas illas voces noſtras vi extorquent, nec aliter nobiſcum ſe gerunt quàm probos miniſtros & reuerentes curatores decet, ab omni dominatrice potentia, & typho in alumnos prorſus alieni.

h ſuo c. 4. in Cant.

7. Et decuit huiuſmodi ſuauis rectio amorem erga nos Angelorum, noſtri viciſſim in eos amoris conciliatorem, iuxta ſcopum Dei propoſitum in præficiendis curæ ac tutelæ noſtræ ſanctis Angelis, vt piè obſeruatum eſt à S. Bernardo *i* verbis illis. [Angelorum cum ad ſalutem humani generis miniſterio vtitur, nonne facit, vt ab Hominibus Angeli diligantur? Nam quia ab Angelis homines diliguntur, inde vel maxime adnecti poteſt, quod antiqua ſuæ Ciuitatis damna, ex hominibus reſarcitum iri, Angeli non ignorant. Nec aliis profectò legibus, Regnum Charitatis regi decebat, quàm piis ipſorum, qui pariter regnaturi ſunt, mutuiſque amoribus, & paris affectionibus in inuicem, & in Deum.]

i ſerm 78. in Cant.

8. Non pigebit vtilitatem quoque ex hoſtibus petere, quandoquidem id perfectæ eſſe ſapientiæ, & in acerbius hoſtium cordolium cedere, obſeruatum iam olim eſt Satanam Dei mimum eſſe, docuerunt, Iuſtinus, *l* Tertullianus, *m* Niſſenus. *n* Neque verò eſt dumtaxat Satan Dei mimus in ritibus ac cultibus diuinitùs præſcriptis, ſed & in modo regendi ac tractandi eos quos ſubiectos deditione voluntaria accepit, rector factus tenebrarum harum. Obſeruarunt hoc græci Patres, Athanaſius, *o* Cyrillus Alexandrinus, *p* Lactantius, *q* & S. Auguſtinus. *r* Docent hi Patres, Satanam in iis quos aliquò dirigit, obſeruare genium ac natiuam propenſionem, eique ſe accommodando efficere, vt quò deſtinauit abducat improuidum hominem. Neque enim eo illum abſtrahere per violentiam poteſt, cum libertas humana, arx ſit nullo creato iuſſo & oppugnatione expugnabilis. & quamuis ſupponeretur, poſſe nos vi illata ad malum adigere, nollet tamen: quia cum exitium noſtrum quærat, idque ſolis liberis actibus noſtris creatur, alienum ab eius ſcopo eſſet, vim inferre. Itaque quod Deum facere obſeruat, blanda nos pellectione ſollicitat, & diuinam regendi ſuauitatem æmulatur: Ideoque vt ait S. Leo *s* [non deſinit hoſtis transfigurans ſe in Angelum lucis deceptionum laqueos vbique prætendere, & vt quoquomodo fidem credentium corrumpat, inſtare Nouit cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem

l in calce prioris Apologiæ. *m* l. de coro. mil. c. 14. l. de præſcr. cap. 40. *n* homil. 14. in Cant. *o* orat. 1. c6tra Arrica initio. *p* l. 9 in Ioſ. cap. 16. *q* 6. inſt. l. c. 4 & 7. *r* l. 4. doctr. Chriſt. c. 24. *s* Ser. 7. de Nat. Dom. cap. 3.

metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus. Et ibi quærit cauſas nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſiùs occupari.] Non diſſimiliter, Giſelbertum incluſum commonens Petrus Cluniacenſis. *a* Sed perpulchrè S. Ephrem. [Variæ (inquit) in omnibus hominibus ſparſæ ſunt cupiditates, vt aliquod vnuſquiſque certamen habeat, in quo mentem ſuam aſſiduè exerceat. Sunt qui gula delectentur, ab adulterio abhorreant. Quidam arrogantia tument, à furto ſunt alieni. Alius auaritia detinetur, corporis ſpernit voluptates. Nonnulli luxuria diffluunt, elegantiam negligunt veſtimentorum. Sunt alij vino dediti, à ſuperbia remoti. Quidam à libidine procul abſunt, ſed conditam in animo ſimulationem gerunt. Delicias aliqui ſpernunt, ſed obtrectatione capiuntur. Eſt qui vitio aliquo ſuperior exiſtit, cum in alio miſerè voluetur. Hic ab vna eſt reprehenſione remotiſſimus, in alia autem turpiter verſatur. Qui laqueum vnum euadit, in alium ſeſe penitus induit, &c. Cum in ſeruitutem redigere ſtudet aliquem inimicus, conſiderat in quod vitium pronior inclinet natura ipſius; vt cum vinculis proprijs oblectetur, perpetuò maneat in ſeruitute. Scit enim verſutus & callidus aduerſarius, ſi nos ingratis vinculis obſtrinxerit, fore vt illis celeriter confractis, in libertatem nos vindicemus. Quamobrem iocunda cuique inijcit vincula, vt in illis libentiùs conquieſcat.]

a l. 1. epiſt. 20.

9. Hoc verò eſt agere leniſſimè, & trahere quemque ſua voluptate, non adamantina neceſſitate. Eundem Satanæ ſuauem ac blandum agendi modum, obſeruauit & expoſuit perpulchrè Victor Cartennenſis *b* verbis illis. [Per ludum quendam huc atque illuc te circumducent Angeli deceptores: fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubeſcet. Tenebit te Diabolus ſuæ libertati addictum, vt ſit tibi liberum peccare, non viuere. Nec ſinet te reſipiſcere ante qui fueras, cum blandimento peccandi, dulcedine te criminum fallaciſſimus aduocauerit. Et vt ſemel dixerim, ita te pereundi ſuauitate decipiet, vt delectabilius tibimet videatur, perire potiùs quàm redire. Omne namque peccatum, abſque ſui delectatione non geritur. Nec aliàs ineſcare animam poterit, niſi ſuauitate deſiderij illiciat quem deceperit. Dulcis enim mixtura, & ſuauis ſit neceſſe eſt faucibus, lethalis poculi funeſta confectio, ne amaritudinis prima libatio reuocet haurientem.] An alludit ad viſum B. Macario obiectum, quo Satanas varijs phialis tanquam locuples Seplaſiarius, inſtructus apparuit; vt accommodatè ad vniuſcuiuſque genium, inſtillaret quod ei congrueret, eſſetque contemperatum? Sed pergit Victor. [Mulieri primitùs ſic viſum eſt bonum eſſe ad aſpectum, & dulce ad cibum arboris illius venenum, cuius poſtquàm mentita eſt ſuauitas labris comedentis; infecit morientis hauſtus violenta ſubtilitas; quod vigens ac viuidum manebat, extinxit, & in contrarium per intemperantiam, recidentibus votis, ad exilium mundi, & ſpectaculum ſæculi, de Paradiſo beatitudinis, & prædio ſecuritatis eiecit.] Suauis pellacia, quæ Satanæ in ea prima mortalium appetitione & oppugnatione, ceſſit ad votum, perpetua eidem eſt, ad creandum poſteris per ipſoſmet certum exitium. Præclarè in hanc ſententiam D. Gregorius *c* ad illud, *abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.*

b l. de pœnit. cap. 2.

c 14. Mor. cap. 6.

PVNCTVM VI.

Vox Apoſtolorum de neceſſitate exprimendæ diuinæ in regendo ſuauitatis.

1. AB Angelis, vt ita dicam, cœleſtibus, progredior ad terreſtres; hoc eſt ad Apoſtolos, de quibus non nemo accepit verba illa Chriſti Ioan. 1. *Videbitis Angelos Dei, aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis.* Quod enim illis verbis Chriſtus Dominus, alluſerit apertè ad ſcalam Iacobo per viſum exhibitam; in ea autem apparuerint Angeli aſcendentes & deſcendentes; idque totum æquè ac ſcala illa vniuerſa, iuxta pleroſque Doctores, nominatim verò ex antiquis Theodoretum, *d* ex recentioribus autem Fernandium, ad expreſſionem diuinæ de electis per ſe ac ſuos prouidentiæ, referatur; commodè nonnulli, Angelos aſcendentes interpretati ſunt Apoſtolos & Apoſtolicos viros, Eccleſiarum præpoſitos cum perfectis perfectè ac ſublimiter verſantes; Angelos verò deſcendentes, reſpondere dixerunt iiſdem perfectis, cum ad infirmorum captum ſe demittunt. Vtriuſque ſuauis rectio ex Dei & Chriſti ſpiritu quo abundarunt, placuit ſemper. Apoſtolos gregis noſtri duces primarios, exhibeamus priore loco, nec vniuerſos ſed primores duntaxat; duos inquam mundi oculos, Petrum & Paulum: tum Apoſtolicos viros, qui pro Patribus nati ſunt filij, ſubiiciemus, ſed parcè, ne in immenſum excreſcere cogatur oratio.

d in expoſ. viſionis ſcalæ Iacob. ſectio. 4.

2. S. Petrus planè inſigniter, Epiſtolæ primæ cap. 5. Chriſtianos rectores informans, ſic ſcribit. *Seniores, qui in vobis ſunt obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda, eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes, non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum. Neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris ſed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.*] Seniores non ætate, ſed dignitate ac munere, ideſt præpoſitos, ſpectat hæc oratio, vt ſequentia manifeſtè oſtendunt, quibus Apoſtolus docet, huiuſmodi ſeniorum eſſe, paſcere & prouidere: ἐπισκοπεῖν. His ergo probatis & eo nomine dignis paſtoribus ac rectoribus, præſcribit ſummus ſecundùm Chriſtum Paſtor, qui non potuit aliter docere quàm vixit, vt non dominentur in cleris, ſed forma fiant gregis ex animo, ſecuri ac certi, paſtorum Principem Chriſtum ex cuius ſpiritu rexerint, ſi dominationem illam quam reprehendit abegerint; faſtuoſam inquam, & turgidam, tyrannico ſpiritu plenam rectionem, cumulaturum illis præmium, & coronam gloriæ repenſurum: Diſertè ac perſpicuè, hunc Apoſtoli ſenſum ferunt poſteriora illa, quibus interdicit dominatione in cleris.

3. At

a orat. 1. num. 1. 3. At Nazianzenus, *a* eundem ſenſum agnoſcit in prioribus illis verbis, quibus rectores greges Chriſti iubentur ab Apoſtolo, prouidere *non coactè ſed ſpontaneè, ſecundum Deum.* Putat enim Theologus, ſenſum Apoſtoli eſſe, paſcendum ac regendum eſſe gregem, non vi illata, & ita vt cogantur & adigantur oues à rectoribus genij imperioſi ac præfracti: ſed perſuaſione, & ſuaui ac miti rectione duci oportere. Hic ſenſus à literæ ſimplicitate, & capitis textura videtur abhorrere: ſubditur enim, idipſum explicatiùs tradendo, regendum eſſe populum Dei, *non turpis lucri gratia, ſed voluntariè*: quod manifeſtè ſpectat ad Paſtorum lubentem, & non cunctabundum acceſſum, ad capeſſendum munus ſuum, in eo obeundo perſeuerantiam: proindéque verba immediatè apud Apoſtolum antecedentia item ſunt de ſpontanea, & non coacta ſuſceptione functione muneris ac prouidentiæ in plebem Chriſti. Quamuis autem verius videatur, eum quem Nazianzenus proponit priorum illorum Apoſtoli verborum ſenſum, eſſe minus genuinum; tamen quod tanti viri doctrina ſit in hanc rem planè inſignis; non videtur prætereunda. [Animorum (inquit) rector, priuati quidem hominis vitium eſſe exiſtimet, turpia ſupplicióque digna, & quorum lex dura & grauis domina eſt, perpetrare: Præfecti autem vel Antiſtitis, non quàm eſſe, nec nouas ſubinde virtutum acceſſiones facere: ſi quidem virtutis ſuæ præſtantia multitudinem ad mediocritatem tracturus, ac non per vim cohibiturus, ſed perſuaſione allecturus. Nam quod vi ac neceſſitate exprimitur, præterquàm quod tyrannicum eſt, miniméque laudandum, ne firmum quidem, ac ſtabile eſt. Solet enim id, cui vis adhibita eſt, non ſecùs ac planta per vim manibus inflexa ſimul vt dimiſſum fuerit, ad ſe rurſum redire. Quod autem à libera voluntate proficiſcitur, æquiſſimum ſimul, ac firmiſſimum eſſe ſolet, vtpotè beneuolentiæ vinculis adſtrictum atque conſeruatum. Ac proinde, vel maximè id lex noſtra & legiſlator noſter ſanxit, vt grex non coactè, ſed ſpontè, ac libenti animo paſcatur.]

4. Non eſt hæc loci Apoſtoli interpretatio, Nazianzeno ſingularis; eodem quippè modo Apoſtolum intellexit S. Cyrillus, *b* exponens quod Propheta dixerat de exploratoribus & exactoribus populi. Sic enim ſcribit. [Belliſſimè, & aptè, non præceptores non magiſtros, non aliquid aliud eiuſmodi eſſe dicit; ſed exactores, ſed extortores nominat, docétque eos dominari illis, non vt doctores, diſcipulos leniter tractantes, ſed vt rigidi, ac ſæui Domini, quod ipſi velint ſentire cogentes, & ad quidvis nonnumquam impellentes. Cæterùm ij qui in Chriſto ſunt, eum ſcopum, non ſibi proponunt. Scribit itaque Diuinus Petrus. Vocatis ad Epiſcopatum, adſcitis ad functionem docendi oues ratione præditas, *non vt dominarentur Clero*, id eſt, populo qui ſors Domini eſt, *at vt ſint gregis exemplaria.*]
b lib. 1. in Iſaiam orat. 3.

5. Mirum portò videri non debet, S. Petrum, ſuauem temperatámque rectionem adeò probare. Quod enim SS. Optatus; *c* Chryſoſt. *d* & Petrus Damiani, egregiè obſeruarunt, prouiderat Deus nobis, proſpiciens, vt ſeuerior auſteriórque, & rigidior Petri animus miteſceret atque molleſceret. Erat ſanè Petrus, vt ratiocinantur S. Chryſoſtomus, *e* vertex Apoſtolorum, baſis immobilis, petra firmiſſima, princeps Eccleſiæ, portus inexpugnabilis, turris ſtabilis.] Nunc tamen talem & tantum, in Eccleſiæ Paſtorem electum, impingere ac in teterrimum abnegati Chriſti peccatum ruere, permiſit Deus. Rationem illius prouidentiæ, ſic aperit S. Chryſoſtomus. [Si Doctores & Sacerdotes minimè peccarent, neque affectibus huius vitæ eſſent obnoxij, aduerſus alios inhumani eſſent, & implacabiles. Ob eam igitur cauſam, etiam Sacerdotes ipſos Eccleſiæ, affectibus eſſe ſubjectos permiſit; vt ex eo quod in ſeipſis ſentiunt, faciliores ad veniam aliis dandam fiant. Hac prouidentiæ ratione, non hoc modò tempore, ſed olim quoque vſus eſt Deus. Itaquè quorum fidei Eccleſiam ac populum commiſſurus erat, ij vt peccato ſuccumberent permiſit, vt ex ſuo lapſu humaniores aduerſus cæteros fierent. Nam ſi ipſi nihil peccaſſent, nunquam peccantibus ignoſcerent, ſed ſæuitia elati, omnes de Eccleſiæ campo demeſſuri fuiſſent. Idque ita eſſe, non me ductum conjectura dicere, age, iam propoſitis exemplis rem ſpectemus: Ita enim vos ad credendum adducemus. Petro Eccleſiæ claues erant committendæ immo verò etiam claues regni cælorum commiſſæ ſunt. Quid enim illi Dominus dixit? *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Erat Petrus ſeuerus, & rigidus. Quod ſi idem, immunis à peccato fuiſſet, quam veniam qui ſub illo magiſtro erant, ſperare potuiſſent? Ob id igitur Dei gratia vt in peccatum quoddam incideret, vt ex eo quod ipſe paſſus erat, benignior in alios fieret.]
c l. 7. in Parmen. orat. in Petr. & Eliam. d Serm 27.

6. Quod ait olim quoque Deum hac erga Rectores animorum prouidentia vſum, ſpectat ad Moſem & Aaronem, quorum hic, tametſi Pontifex Maximus in populo Dei, quàm fœdè impegerit, neminem latet. De Moyſe extra ordinem ſummo quomodolibet eiuſdem populi præfecto, quomodo impegerit ad ſilicem, & rupes immota illuc vſque, ſuccuti tam leui flabro permiſſus ſit, ſuſpicit meritiſſimò rem diligenter expendens, Gillebertus. *e* Sed pergamus cum Chryſoſtomo, permiſſum Apoſtolorum Principis lapſum expendente, vt dediſceret ſæuire, & natiuitam auſteritatem deponeret. Rurſus ergo infra, poſt expenſam ſuis numeris grauitatem negationis Petri. [Ideo (inquit) Petrus lapſus, quia eius fidei Populus multus committendus erat, ne ſi cum ſeuerus eſſet, etiam à peccatis abeſſet, in fratres, implacabilis fieret. Prolapſus eſt igitur in peccatum, vt ſuum ipſe peccatum, ac Domini benignitatem cogitans, clemens erga conſeruos fieret. Sic namque ex diuina quadam diſpenſatione permiſſum eſt, vt ille peccaret, cui erat gubernatio Eccleſiæ credenda. Columna illa Eccleſiarum, fidei portus, Petrus; ille magiſter orbis terrarum, vt peccaret, permiſſum eſt, vt huius permiſſu, clementiæ erga alios exhibendæ fieret occaſio.] Dimitto cætera quæ apud Chryſoſtomum in hanc ipſam ſententiam, eo loco, & alibi leguntur.
e in alt. Synag. & Eccl. c. 13.

7. Sed nolo omittere Rupertum. *f* Nam inſigniter planè in rem noſtram philoſophatur ex permiſſio
f l. 2. oper. Spirit. ſanct. cap. 18.

permiſſo B. Petri lapſu. Sic igitur habet. [Princeps Apoſtolorum, Petrus deſtinatus fuerat, & huic ſpecialiter magna poſt Chriſtum poteſtas danda, vel iam data erat, dicente Chriſto filio Dei viui, quem confeſſus fuerat, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum.* Item, *Simon Ioannis diligis me plus his? paſce agnos meos, paſce oues meas.* Tali & tanta præeunte Euangelicæ veritatis auctoritate, Chriſtianiſſimi Imperatores poſt multa tempora, omneſque Eccleſiarum principes hoc cenſuerunt, & lege perpetua firmauerunt, vt ſicut Imperatori omnes præfecti, vel iudices, ſic Beato Petro, & ſecundum dignitatem eius excellenti Romano Pontifici, cœteri ſubjecti ſint Eccleſiarum Pontifices. Magnus honor, grandis celſitudo. Ait autem ipſe eiuſdem honoris, & celſitudinis auctor. *Qui maior eſt veſtrum, erit ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Item maiores illos ſiue miniſtros magno ad clementiam informat ſtudio, quod manifeſtè colligas, ex factis eius humillimis, & dictis eius parabolicis. Quando autem, vel quomodo, ſciret homo poſitus in celſitudine honoris in magna conſcientia ſanctitatis, condeſcendere paruis, condolere miſeris? ſolus quippè Deus natura humilis, natura miſericos, & miſerator eſt; imò ipſa humilitas, & ipſa miſericordia eſt. Homo quilibet, humilis ſiue miſericors, nonniſi ex accidente eſt. Optabat igitur prædeſtinato, atque vocato ad tantam celſitudinem Petro Apoſtolo, cauſam ſubeſſe, & magnitudinem eius honoris præire, vnde illi humilitatis, atque compaſſionis ſcientia iugiter poſſet accedere. Idcirco labi permiſſus eſt, idcirco vſque ad triplicandam negationem derelictus eſt, pulchro & ſpectabili ordine ſapientiæ: vt rectè mirentur omnes eiuſdem ſapientiæ periti ſpectatores, omnes apertos diſcretionis oculos habentes. Et hoc animaduertentes omnino expedire credimus eis qui præſunt, tam propter ſemetipſos, quos propter eos quibus præſunt, quatenus ad humilitatem, & compaſſionem eruditi ſint, per magnum & memorabile infirmitatis experimentum. Aliter quippè infirmitates ſubditorum, aut vix, aut nullo modo ſupportare ſciunt. Idcirco quondam per os Annæ Propheteſſæ cecinit hic idem ſanctus ſapientiæ Spiritus dicens, *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Vbi autem nos dicimus, *ſuper cardines terræ*: Hebraïci ſermonis proprietas (vt ait Beatus Hieronymus) habet, *ſuper afflictos terræ.* Et afflicti terræ qui ſunt, niſi humiles & contriti corde? Super illos planè, qui huiuſmodi ſunt, Dominus orbem poſuit, quia ſuper eos qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes humilis apud ſe conſcientiæ ſunt, Dominus Eccleſiam ſuam collocauit, qui videlicet tanto clementiùs, tanto compatientiùs eundem orbem portare poſſunt, quanto ampliùs clementis atque compatientis Dei gratia, ſe indiguiſſe meminerunt.] Habemus vnde S. Petrus, lenitatis ſpiritum in regendo hauſerit; nec mirum videri oportere, ſi eodem ſpiritu imbuere alios animorum rectores conatus ſit, vt monſtrant documenta Chriſtianis paſtoribus ab eo tradita, quæ retulimus.

8. Eundem Dei ac Chriſti in regendo ſpiritum, obtinuit cum Petro Paulus, nec ex diſſimili origine. Nam Paulum quoque, (vt Petrus Damiani notauit.) *a* idcirco Deus multipliciter olim *a* ſer. 27.
inquinari permiſit, vt tantus rector animorum, ſuauitatem rectionis addiſceret. Itaque aliis rectoribus metuens ad Galat. 6. diſertè denunciat verendum eſſe iis qui in alios ſeueriùs ac inclementiùs ſe gerunt, ne finantur ipſi quoque cadere. *Si præoccupatus* (inquit) *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum ne & tu tenteris.* Præoccupatũ hominem, hoc eſt non ex adulta iniquitate prolapſum, ſed præuentum, & ferè antequàm lapſum ſuum perfectè aduerteret, in præceps actum, admonet B. Paulus oportere leniter inſtrui, aut vt verbi Græci emphaſis retineatur, *reſtitui cum manſuetudine*, per rectores ſpirituales aliis dirigendis ac iuuandis præpoſitos, qui non imperio ſubditis præſideant, ſed miniſterio, vt loquitur Tertullianus. *b* Quod *b* L. de pudic. c. 21.
ſi intemperantiùs ſe gerant zelum Dei obtendentes, iubet memores eſſe communis naturæ, in omnibus prolapſioni obnoxiæ; oſtendens nihil eſſe procliuius, quàm vt qui in alios ferrei & immites ſunt, cum ceciderint, (id enim præſertim eſt colorati tyrannici ſpiritus, & impotentiæ animi obtendiculum,) egeant ipſi aliquando commiſeratione aliena, iuſto Dei iudicio & æquiſſimo permiſſu prolapſi. Inſignem planè in hæc Apoſtoli verba commentationem, petere licet ex Chryſoſtomo, *c* atque Bernardo. *d* *c* homil. de nom. Abraham.

9. Non videtur autem caret a myſterio, quod Apoſtolus cum legum Grãmatices iniuria participium ſingularis numeri iunxerit verbo multitudinis, dicens, *inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans*, Græcè σκοπῶν cum dicendum fuiſſet *conſiderantes*, continuando ſermonem in numero plurali, vt auſpicatus fuerat. Quamuis enim verum eſt quod ad eum locum notat Gagneius, Apoſtolum vt ipſemet de ſe dixit, imperitum eſſe ſermone; nec hoc duntaxat loco, ſed & aliis pleriſque, turpaſſe orationem ſuam ſolæciſmis, quod obſeruarunt quoque de aliis ſcriptoribus ſacris Iſidorus Peluſiota, *e* & ad eum Ritterhuſius, ac refellens Magdeburgenſes Franciſcus Turrianus: *f* tamen non immeritò Theophilactus, ac Guillaudus, exiſtimarunt Apoſtolum Grammaticæ negligentem, ſubitò mutaſſe numerum; & motiuum tantoperè neceſſarium, maluiſſe verbo ſingulari exprimere quàm plurali, quod oratio quæ ad plures dirigitur, minùs afficiat. Hac enim de cauſa præter cœteras (vt Philo egregiè admonuit) *g* decalogum Deus de induſtria verbo ſingulari præſcripſit. Neque enim dixit, *non occidetis, non furabimini*, ſed *non occides, non furaberis.* [Quod quiſque, eo præſcribendi modo redditur obſequentior, ſibi dictum exiſtimans: qui verò cum cœtera turba comprehenditur eodem alloquio, ſurdeſcit, turbam ipſam prætexens ſuæ contumaciæ.]

d ſer. 44. in Cant. ſub medium.
e l. 4 epiſt. 28.
f l. 2. c. 2.
g in decal.

10. Non fuit Pauli Philoſophis, philologis, qualis antiquorum inter Ethnicos ſapientiæ Magiſtrorum apud Senecam. Sed quod verbis docuit, factis præſtitit. Nam & Corinthium reſipiſcentem, benigniſſimè habuit, & generaliter,

calitet,

taliter, 1. Theſſalo. 2. comparauit ſe nutrici alumnum quem lactat & teneriſſimè diligit, non aſperè & durè, ſed ſuauiter ac benignè tractanti. Pulchrè id expendit Philippus Abbas, *a* qui Rectorem ſacræ familiæ ad lenem & ſuauem gubernationem, ipſorum quoque Ethnicorum exemplo adhortatus, ac Senecæ nominatim, quem ait præpoſita Deorum lenitate, præfectos ad benignitatem adducere ſtuduiſſe, ſubdit. [Quo forſitan lecto, amicus Senecæ Paulus, huiuſmodi lenitatem ſeſe oſtendit habuiſſe, & eius quaſi vnco Theſſalonicenſium ſibi animos attraxiſſe: prudenter intelligens, ſubiectos ad obediendum non poſſe efficaciter inuitari, ſi ab eis timeri ſolùm appeteret, non amari. *Facti ſumus* (inquit) *paruuli in medio veſtrum, ſi nutrix foueat filios ſuos.* Nutrix quæ fouere filios ſuos diligenter intendit, ſuam vel ætatem corporis, vel granditatem generis non attendit: ſed illorum infantiæ, affectu beneuolo condeſcendit, & quibus infundere vitale ſatagit alimentum, ne fortè reſpuatur, apponit manſuetudinis condimentum. Sic is qui præficitur ad nutriendum animas ſubiectorum, allicere ſibi debet rudes & varios affectus animorum: & ab eius ſectatu ſi quos preſſos faſtidio viderit elongare, debet illos vnco manſuetudinis reuocare; reuocatos manſuetis ſibi amplexibus colligare.]

a epiſt. 13.

11. Plus aliquid in eo Pauli loco quem produximus deprehendit Guerricus Abbas, *b* Paulum quippè non vt nutricem modò, ſed vt mammillam ac vber, occaſione horum eius verborum, ſic repræſentat. [Vbera Paulus præbuerat, quibus dicebat, *lac vobis potum dedi.* Et illud *factus ſum in medio veſtri ſicut nutrix ſedens, & nutriens filios ſuos.* Quam plenus autem, lacte redundauerit ſpirituali, pulchrè ſignificatum eſt, vmbra illius lactis viſibilis, quod de corpore ipſius fertur exiſſe loco ſanguinis, cum decollatus hodierna die, pro illis quibus dabat mammillam, dedit & animam. Planè nihil in illo ſanguinem, ſed totum lacteum; qui nihil carnale, nihil ſuum cogitabat, ſed tantùm quod aliis vtile erat. Nec tam habebat vbera, quam ipſe totus vber erat, qui ita miſericordia vberi affluebat, vt non modò ſpiritum ſuum deſideraret totum filiis immulgere, ſed & corpus impendere.] En ingens vber ſpiritale. Mirandam ille, *c* negabat.

b ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo.

c Iuuen. ſatyr. 13.

In Meroe, craſſo maiorem infante mammillam.

Nec illud quod Syneſij, *d* id ſummæ calamitatis deſcriptione, temperaſſe mœſtitiam ipſemet refert, reticeamus. [Mammæ fœminis ſupra modum aſſurgunt, nec pro pectoris ratione, adeò vt infantes non per axillam, ſed ex humeris ſublatam papillam exugant.] Cauſam tantæ inibi capacitatis vberum, veſtiget, vt poteſt, Syneſius. Vber habuit in Paulo Eccleſia longè capacius, & amplius, quippè qui totus vber fuit. Vt non iam ſatis implere Apoſtoli decus videatur nutricis nomen, quo ſeipſe inſigniuit eo quem promebam ad Theſſalonicenſes loco, quem proinde meritò S. Iſidorus, *e* Abbati conſiderandum ſtatuit, vt lenis ac ſuauis ſit, ab ira que feritatem, & in imperando potentiam.

d epiſt. 4.

e in regu. Monachi cap. 8.

12. Ab ea abfuiſſe longiſſimè Apoſtolum, egregiè eruit S. Gregorius, *f* ex illis aliis verbis quæ ibidem continenter habet Apoſtolus, *facti ſumus paruuli in medio veſtrum.* Sic enim ſcribit de arrogantibus præfectis. [Cum docent; quaſi in quodam ſibi videntur ſublimitatis culmine reſidere, eóſque quos docent, vt longè infra ſe poſitos, veluti in imo reſpiciunt, quibus non conſulendo loqui, ſed vix dominando dignantur. Rectè autem his per Prophetam Dominus dicit, *Vos autem cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Cum auſteritate enim & potentia imperant, qui ſubditos ſuos non tranquillè ratiocinando corrigere, ſed aſperè inflectere dominando feſtinant. At contra, vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitium fugit per cogitationem quanto ardentiùs verborum ſuorum iaculis ipſum Magiſtrum elationis inſequitur. Cauet enim ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in corde audientium ſacris ſermonibus inſectatur. Humilitatem namque, quæ Magiſtra eſt omnium materque virtutum, & loquendo dicere, & viuendo conatur oſtendere, vt eam apud diſcipulos veritatis, plus moribus, quam ſermonibus eloquatur. Vnde Paulus Theſſalonicenſibus loquens, quaſi culminis proprij Apoſtolatus oblitus, ait, *facti ſumus paruuli in medio veſtrum.* Æquè ſuauem, ac lenem S. Pauli animum ſpirant illa 2. Cor. 12. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Item illa ex eiuſdem epiſtolæ cap. 1. quæ ſæpè S. Gregorius ad hoc inſtitutum vſurpat. *Non dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri*: vbi per proſopopœiam rebus inanimatis perſonas inducentem ei proſopopœiæ ſimilem qua dicimus *ſaluto charitatem veſtram*; fides inducitur quaſi eſſet perſona quædam: éſtque ſenſus; *non dominamur fidei veſtræ*, ideſt non ſumus in vos fideles imperioſi; quin potius gerimus nos vt erga ſocios & ex æquo ſitos; non ſupra vos elati, ſed bonis veſtris congaudentes. Præclarum & illud, quod ex modo loquendi per obſecrationem interpoſitam quem vſurpat frequenter Apoſtolus, à S. Hieronymo in rem noſtram eſt obſeruatum, circa illud ea c. 4. ad Galatas *fratres obſecro vos.* Vnde egregiè colligit, ſuauem ac lenem Pauli erga ſubditos animum, aduerſantem tumori ſacrorum illorum præfectorum, quorum verba non habent niſi vnum coniugationis modum, hoc eſt imperatiuum. Porrò quod S. Hieronymus de Epiſcopis ait, æquè in alios animarum rectores, atque adeò in rem noſtram perbellè cadit ac repræſentandum videtur. Sic igitur ea Apoſtoli verba gloſſat. *Obſecro vos fratres, eſtote ſicut & ego quia & ego ſicut vos.* Simile eſt huic illud: *Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Necnon & alibi. *Obſecro primum omnium fieri deprecationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.* Petri quoque verba dicentis: *Seniores in vobis rogo conſenior ipſe, & teſtis paſſionum Chriſti.* Quæ quidem & nos ad humilitatem prouocant, & ſupercilium decutiunt Epiſcoporum: qui velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtituti, vix dignantur videre mortales, & alioqui conſeruos ſuos. Diſcant ab Apoſtolo, errantes & inſipienſes Galatas, fratres vocari. Diſcant poſt increpationem, blanda verba dicentis Obſecro vos.]

f lib. 25. moral. c. 15.

13. Effectus hic erat demiſſimæ ſimul humilitatis, & charitatis Pauli. Nam quia humilli-

mus erat, non efferebatur aut intumeſcebat, vnde amaritudo in ſubditos progignitur. Quod verò plenus erat charitate blanda, liquet ex iis quæ de S. Pauli in omnes incenſiſſima charitate, tradit S. Chryſoſtomus. [Quaſi enim vniuerſum mundum ipſe genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic curabat, ſic omnes in regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, orando pro ipſis, terrendo dæmones, fugando corruptores animarum; aliquando epiſtolis, aliquando præſentia, nunc ſermone, nunc rebus; per diſcipulos, per ſemetipſum; erigere labentes, ſtantes confirmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos, omnes animare. Et vt miſſum in ignem ferrum, ignis efficitur, ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas, qui quaſi communis totius mundi eſſet parens, ita amore hominum, ipſos etiam imitabatur parentes; ita cunctos non carnales modò, ſed etiam ſpirituales Patres ſollicitudine ſuperabat, & pecunias, & verba, & animam, pro his quos diligebat, impendens.] Non poterat non lenis ac ſuauis eſſe rectio eius qui totus in affectum charitatis tranſierat, ita vt totus charitas eſſe videretur. Id quod libratis pleriſque regiminis Paulini operibus, accuratè demonſtrat eodem loco Chryſoſtomus: expendens, etiam eum corripiendi & multandi erant noxij non vulgares, quantam manſuetudinem & lenitatem, veluti riuulum ex fonte charitatis deductum, in eam quam pro munere adhibebat, animaduerſionem, corriuaret.

hom. 9. de laud. Pauli.

14. Alia quædam ex Apoſtolo, quibus lenis eius ac ſuauis in regendo animus apertè proditur, expendit ſplendidiſſimè Origenes, *b* in hunc modum. [Cum ſint multi diſpenſatores, difficile eſt inuenire fidelem, & prudentem. Propter quod & ait Apoſtolus. *Ita nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Peccat autem in Deum, quicunque Epiſcopus, qui non quaſi conſeruis, ſeruus miniſtrat, ſed quaſi Dominus. Frequenter autem & quaſi amarus Dominus dominans, ſimilis conſtitutus Ægyptiis qui affligebant vitam filiorum Iſraël cum vi. Ergo memores eſſe debent verborum Chriſti dicentis, *Vos vocatis me magiſtrum & dominum, & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo laui pedes veſtros, & vos debetis alterutrum lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt ſicut ego feci, ſic faciatis.* Et illud. *Principes gentium dominantur eorum, & maiores eorum poteſtatem exercent in eis. Inter vos autem non ſic erit: ſed qui vult inter vos eſſe primus, erit nouiſſimus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Audire autem oportet & Paulum dicentem. *Cum poſſemus eſſe oneri, vt Chriſti Apoſtoli, facti ſumus paruuli in medio veſtrum. Quemadmodum ſi nutrix foueat natos ſuos, ſic deſiderantes cupimus participare vobiſcum, non ſolùm Euangelium, ſed etiam animas noſtras. Et non oportet percutere conſeruos, ſed corripere inquietos; conſolari puſillanimes, ſuſtinere infirmos, & patientes eſſe ad omnes:* quoniam *ſeruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes: cum modeſtia docentem eos qui reſiſtunt.* Quaſi recedens autem ipſe à mala inductione conſeruorum Paulus, culpat eos qui non erant tales; qui ſuperbis quidem erant ſubjecti, contemnebant autem manſuetos: hoc modo dicens, *Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit, quaſi non infirmi fuerimus in hac parte.* Conſidera autem in iſtis, quomodò eos qui in ſeruitutem redigunt, & in faciem cædunt, propter quod amariùs principentur, reprehenderit ipſe, dicens, ſe abſtinere ab eis: non quia infirmus erat, quod minùs faceret ea, ſed vt faciat ipſa quæ docet. Docet autem cum modeſtia docere eos qui reſiſtunt. Propter quod, & definiens quales debeant eſſe Epiſcopi, ſic dicit. *Non litigioſi, non percuſſores: ſed manſueti, ornati,* & quæcunque inter fideles, & ſapientes ſeruos inueniuntur, & diſpenſatores quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ſicut dicit Lucas. Ex iſtis autem cognoſcere eſt, quòd non ſolùm qui fideles ſunt, & ſapientes, illos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ſed etiam malos ſeruos, dicentes in cordibus ſuis ſemper, *moram facit Dominus meus venire.* Propterea percutiunt ſeruos ſuos, manducant & bibunt cum ebriis vel ebrioſis & inebriantur. Si quando ergo arbitrantur ſe eſſe in magno faſtigio qui præſunt Eccleſiis Chriſti, propterea quod conſtituit eos Dominus ſuper familiam ſuam; cognoſcant quod non hoc eos ſaluat quod conſtituti ſunt ſuper familiam eius à Domino, ſed illud, vt dent in tempore cibos, & vt abſtineant ſe à percuſſionibus, & à comeſſationibus, & potationibus cum ebrioſis. Si autem non ſe abſtinuerint ab huiuſmodi, & magnum ſapuerint, propterea quod conſtituit eos Dominus ſuper familiam ſuam, ſciant, quod veniet Dominus eorum in die qua non putant, & hora qua neſciunt, & diuidet eos, & partem eorum cum hypocritis, & infidelibus ponet: & cum fuerint inter hypocritas & infideles poſiti, nihil eis proderit quod cõſtituti ſunt à Domino ſuper familiam ſuam.]

b tract. 31. in Matth.

15. Spiritus lenitatis ac benignitatis, qui duos Apoſtolorum principes ad ſuauem ac lenem rectionem impulit, æquè cæteros Apoſtolos ad ſimilem regendi formam induxit. Quare non eſt quod ſigillatim de benigna & leni cæterorum Apoſtolorum gubernatione, plura dicamus, illud dumtaxat de ſuaui vniuerſorum Apoſtolorum imperio attexuiſſe contenti, quod S. Chryſoſtomus obſeruauit, *c* verbis illis. [Audi quemadmodum Apoſtolorum tempeſtate, ipſi perſæpè eos quibus præerant conſilij ſocios adhibebant. Nam & cum ſeptem Diaconos crearent, ad plebem priùs retulerunt: & cum Petrus Matthiam, de ea re, cum omnibus, qui tum aderant, tam viris quam mulieribus agitauit. Neque enim hoc imperium, in eorum qui præſunt, faſtidio atq; arrogantia, & in eorum qui ſubſunt ſeruili quadam demiſſione ſitum eſt. Verum ſpirituale eſt, hoc præſertim nomine ſuperiores partes obtinens, quod pro veſtræ ſalutis cura, plures labores ſuſcipiat, non autem quod plures honores requirat. Etenim omnes tanquam domum vnam, ſic Eccleſiam habitare, omnes, vt vnum corpus ita affectos eſſe conuenit, quemadmodum videlicet & baptiſma vnum eſt, & menſa vna, & fons vnus, & creatio vna, & denique, pater vnus.] Hæc, Apoſtolorum omnium in regendo lenitatem perſpicuè præferunt. Nec ſanè dubitare licet quin quæ laus fuit duorum Principum

c hom. 18. in 2. Cor. in morali.

Apoſtolorum,

Apoſtolorum, vt iure dicerentur vbera Eccleſiæ præ lenitate præſertim ac benignitate, quod ex inſtituto confirmat Guerricus Abbas, *a* in alios item Apoſtolos omnes ceciderit. Scitè námque S. Athanaſius, *b* laudem vni cuipiam Apoſtolorum tributam, in omnes æquè redundare confirmat: eo quod plus omnes inter ſe nexi fuerint, quàm annuli varij eiuſdem torquis, quorum nullus ſeorſim ab alio laudem reportat; aut quàm varij lapilli eandem coronam diſtinguentes, quorum vnum eſt totale decus, vna concinnitas & gratia Apoſtolos ſimiliter vniuerſos, quia gratia coniunxit, locus non ſeparat. Ità ferè eo loco S. Athanaſius, quem ex parte expreſſit S. Chryſoſtomus, *c* ſic ſcribens. [Cum Paulum dico, non hunc ſolum intelligo, ſed & Petrum, & Iacobum, & Ioannem, atque omnem ipſorum chorum. Quemadmodum enim in lyra cum diuerſæ ſint chordæ, vnus tamen concentus eſt, ſic etiam in Apoſtolorum choro, quamuis ſint diuerſæ perſonæ, vna tamen doctrina eſt, quandoquidem & vnus artifex eſt Spiritus ſanctus, qui ipſorum animus mouet: idque Paulus oſtendens, *ſiue igitur* (inquit) 1. Cor. 15. *illi, ſiue ego, ſic prædicamus.*] Similia Petrus Damiani ſerm. 2. de S. Bartholomæo initio. Quare quam rectionis lenitatem duo Apoſtolorum principes & factis, & verbis prætulerunt, facti ſuorum alumnorum nutrices & vbera, eandem vniuerſi quoque Apoſtoli exhibuerunt, & docuerunt.

a ſerm. 2. de Ss. Petro & Paulo.
b initio hom. de S. Andrea.
c orat. de S. Ignatio.

PVNCTVM VII.

Apoſtolicorum virorum de neceſſaria imitatione diuinæ in regendo lenitatis, iudicium.

AB Apoſtolis, progredior ad Apoſtolicos viros: hoc eſt ad eos qui Eccleſiæ floribus, nimirum religioſis ordinibus, per certas perfectæ vitæ regulas adhibuere culturam; vel conſentaneè ad Apoſtolicam doctrinam & vitæ formam ab Apoſtolis ſeruatam, documenta ſanctimoniæ tradiderunt. Vix eſt, apud quem hic modeſtus, & ad Dei ac Chriſti mores temperatus regendi ſpiritus, non celebretur apertiſſimè. Paucos de illuſtrioribus proferre, operæ pretium videtur.

2. S. Athanaſius, *d* informans magiſtros monachorum, & docens quàm ſatius ſit leniter ac benignè, quàm durè & aſperè ſe gerere, ſic loquitur. [Magis benignitatis adhortationibus & illiciente blandimento viâ veritatis oſtensâ, nubem erroris aperire, vt non trahi incipiat vnuſquiſque, ſed ſequi præcedentem. Semper durioſa flectenda ſunt, ne viribus incluſis curuatio, priuſquam in circulum veniat fatiſcens, fragmen, effundat. Hinc enim ſæpiùs ſcandala volgi dicaciter gignuntur, dum ad Religionis iugum, cenſorium arrogant imperium, vita noſtes iubeat, lingua perſuadeat; quis plus auctoritatis geſtat exemplum, & ingerit appetentiam ſui, morum lenis formatio. Quod alios docebat, præſtabat ipſemet, & monſtrant illa ex diſſertationis initio. [Præcedentes duco, & vltra menſuram meæ poſſibilitatis extenſus, quos ſequi cupio, ducere compellor. Pergam igitur per tramitem vitæ veſtræ. Vt quaſi qui primis litterarum imbuatur elementis depictis, adumbratis prærogationibus, notas ſtylo imitatore calcabo, accidentibus ad ſperata beati inſtituti præmia, quæ ſequenda ſunt.]

d in exhortat.

3. S. Baſilius, *e* cui autore Nyſſeno, *f* ſecundas poſt Apoſtolos partes, ſolum tempus dedit, ſic loquitur de cœnobij præfecto. *g* [Morum manſuetudo & humilitas cordis, hæc præcipua antiſtitis veluti inſignia ſunto. Si enim Dominus diſcipulis ſuis miniſtrare non erubuit, ſed terræ ac luti quod ipſe finxerat, & hominis forma figurauerat, miniſter eſſe non recuſauit; *Ego enim in medio veſtrum ſum* (inquit) *ſicut, qui miniſtrat*, quid eſt tandem, quod erga æquales noſtros præſtando, illius imitationem aſſecutos nos, exiſtimare poſſumus? Hoc igitur eſt, quod primum, & eo vſque magnum, in Antiſtite requiritur. Tum clementem eſſe ipſum oportet, ac eiuſmodi, qui per rerum inexperientiam in officio delinquentes, leniter ſufferat. Non tamen qui obticeſcat ad peccata, ſed immorigeros, ac detrectantes imperium clementer toleret, & ipſis cum quanta maxima poſſit lenitate moderationéque medicinam adhibeat; idoneúmque prætereà, qui accommodata eorum morbis remedia comminiſcatur, & excogitet, non atrociter obiurgantem, ſed in manſuetudine monentem, clementérque corripientem, ſicut ſcriptum eſt.] Locus eſt ex 2. Tim. 2. quem ſuperiùs expendimus tractantes Chriſti modeſtiam, & egregiè quoque eum libetat ipſe B. Baſilius alio loco. *h* Optimè prætereà illud de leni ac ſuaui, qualis eſt nutricis vel patris beneuolentiſſimi, animo rectoris, diſſerit idem B. Baſilius, *i* in breuioribus regulis.

e in exhortat.
f in Monod.
g reg. fuſ. in 43.
h ibid. ad interrog. 5.
i ad reg. 98. & 184.

Nolo prætermiſſa, quæ habet de neceſſaria rectori humilitate dominatiuum ſpiritum arcente. Sic enim præſcribit. *l* [Antiſtes ipſe neutiquam dignitate illa extolli debet, ne ipſe quoque à beatitudine illa excidat, quæ promiſſa eſt humilibus, vel etiam inflatus incidat in iudicium Diaboli. Siquidem illud ſibi perſuaſum habere debet, vt quo præſit pluribus, hoc neceſſe ſit, pluribus vt miniſtret. Vt igitur, qui ſauciis multis miniſtrat, & ſaniem de eorum ſingulis vulneribus abſtergit, & pro natura vniuſcuiuſque mali, remedia ei adhibet accommodata, munere illo neutiquam ad animorum elationem vti conſueuit, ſed ad demiſſionem potius, & ſollicitudinem, ac maiorem quandam curam: itidem ac multo etiam magis, is cui totius fratrum ſocietatis ſanandæ prouincia eſt delegata, perinde vt qui omnium miniſter ſit, & rationem de vnoquoque illorum redditurus, ſic ſecum agitare animo, & contendere anxiè debet. Hoc enim modo, & illud aſſequitur, quod propoſitum eſt à Domino ſic dicente. *Si quis vult eſſe inter vos primus, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter.*

l reg. fuſ. q. 30.

4. In Regula S. Pachomij, (ſeu potiùs in additamentis ad eam per Theodorum & Orſieſiũ ex viri Sancti doctrina,) *m* præpoſito domus mandatur ne fremat & irruat ſuper humiliores. Laudat, & egregiè illuſtrat hanc Sancti ſui Patris doctrinam, Orſieſis eius ſucceſſor, *n* verbis illis. [Et vos ergo Monaſteriorum principes, eſtote ſolliciti, & adhibete omnem curam pro

m & colligitur ex n. 83.
n in monaſt. inſtitut. ante med.

patribus cum iuſtitia & timore Dei, ne abutamini poteſtate in ſuperbia, ſed exemplum præbete vos cunctis, & ſubdito gregi ſicut & Dominus noſter in omnibus ſe exemplum præbuit qui poſuit quaſi oues familias, vt miſereamini gregi vobis credito, & memineritis Apoſtolicæ ſententiæ in qua ait; *nihil ſubtraxi vt non annunciarem vobis voluntatem Dei.* Et iterum: *non ceſſaui deprecando vnumquemque veſtrum, & docendo publicè.* Videte quanta viſcera, & quantæ miſericordia fuerit in homine Dei: qui non ſolùm ſollicitus eſt pro omnibus Eccleſiis, ſed languet cum languentibus, & omnium ſuſtinet paſſiones. Caueamus ne per noſtram negligentiam aliquis ſcandalizetur, & corruat, & obliuiſcamur verborum Domini Saluatoris, qui in Euangelio loquitur; *Pater quos dediſti mihi, non perdidi ex eis aliquem.* Nullam animam contemnamus, ne quiſquam per noſtram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima noſtra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem & pater noſter indeſinenter ſolebat nobis inculcare, & monebat ne illud eloquium impleretur in nobis: *Singuli opprimunt proximum ſuum.* Et iterum, *ſi inuicem mordetis, & deuoratis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Ex quo apparet, quod qui alterius ſeruat animum, cuſtos animæ ſuæ ſit.]

a paræn.47 5. S. Ephrem, a [Miniſtrum, ſiue œconomum, vel præfectum aliorum te conſtituerunt? dicentem cogita: *ſeniores ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator; paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei; prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque dominantes in clero, ſed forma facti Gregis. Et cum apparuerit princeps paſtorum Chriſtus, percipietis, immarceſſibilem gloriæ coronam.*]

b ſerm. in 1. ad Cor. initio. S. Chryſoſtomus. b [Nihil eum, qui Imperium gerit, æquè indicat, vt amor, atque indulgentia, erga eos quibus præeſt. Nam, & patrem, non modò ſubolis creatio facit, ſed etiam poſt creationem, amor. Quod ſi vbi natura eſt, tantus amor requiritur; quanto magis vbi gratia? Ita veteres omnes exſplenduerunt. Hinc quippè omnes qui apud Hebræos in gloria fuerunt, nominis ſplendorem aſſecuti ſunt. Sic Samuel magnum ſe præbuit, cum diceret. *Abſit à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis.* Sic Dauid, ſic Abraham, ſic Elias, ſic Iuſti omnes, tam in veteri, quàm in nouo teſtamento.]

6. S. Hieronymus. [Non quæris Monachus tibi eſſe ſubiectos, & ideò magis ſubiectus habes. Tu offers oſculum, illi colla ſubmittunt; exhibes militem, & ducem impetras; quaſi vnus in pluribus es, vt ſis vnus ex pluribus. Citò indignatur libertas, ſi opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui ſeruire non cogit. Nouimus Canones Eccleſiaſticos, non ignoramus ordines ſingulorum. Et lectione, & quotidianis exemplis vſque ad hanc ætatem multa didicimus, multa experti ſumus. Qui ſcorpionibus cædit, & lumbis patris habere ſe putat digitos groſſiores, cito regnum Dauid manſueti, diſſipat. Certè Romanus Populus, ne in Rege quidem ſuperbiam tulit, Dux ille Iſraëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cœlum, & terra, & maria ſeruiebant, inter cunctos homines quos tunc terra generauit, manſuetiſſimus prædicatur; & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum, quia poteſtatis ſuperbiam, lenitate & manſuetudine, temperabat. Lapidabatur à Populo, & pro lapidantibus rogabat. Quia ipſe potiùs deleri vult de libro Dei, ne commiſſus ſibi grex pereat. Cupiebat enim illum imitari paſtorem, quem ſciebat, etiam errantes oues ſuis humeris portaturum. *Paſtor* (inquit) *bonus, ponit animam ſuam pro ouibus ſuis.* Boni quippè Paſtoris diſcipulus, optat anathema eſſe pro fratribus ſuis, atque cognatis qui ſunt Iſraëlitæ ſecundùm carnem. Et ſi ille perire cupit, ne perditi pereant, quanto magis bonis parentibus prouidendum eſt, ne ad iracundiam prouocent filios ſuos, & nimietate duritiæ, etiam leniſſimos, aſperos eſſe compellant?]

7. S. Auguſtinus informans Præpoſitum, c ſic breuiter habet, [Ipſe qui vobis præeſt, non ſe c in reg. 11. aliàs 43.
exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem.] Addit pleraque in eam ſententiam, quæ in commentario pulchrè expendit Hugo Victorinus. Et inſignia quoque ſunt quæ habet in eiuſdem regulæ expenſione Philippus Abbas, d demonſtrans quod S. Auguſtinus d lib. de
mandat vt ſuperior plus ſe amari ac diligi quàm obedientia
timeri velit, eo pertinere, vt omni cum ſuaui- c.41. in fine.
tate & benignitate quantum fas eſt, regat ſubditos; nec (vt Philippus loquitur,) per odioſam iuſtitiam, reddat regimen inutile iis in quorum ſolum vtilitatem eſt inſtitutum. Non quod non ſit iuſtitiæ fortitudo, cum res fert, exerenda, ſed quod vt idem D. Auguſtinus, e præclarè e ſerm. 94.
alibi diſſerit, perſequendum ſit peccatum, non de tempore
peccans. [Duo enim nomina ſunt, homo, & peccator. Hominem Deus fecit, peccatorem ſe ipſe homo fecit. Pereat quod fecit homo, liberetur quod fecit Deus. Noli ergo vſque ad mortem, *punire*: ne cum perſequeris peccatum, perdas hominem. Noli vſque ad mortem, vt ſit quem pœniteat: homo non necetur, vt ſit qui emendetur. Hanc in corde retinens homo in homines dilectionem, eſto iudex terræ, & ama non terrere, ſed diligere. Si ſuperbis, ſuperbi in peccata, non in hominem. In illud ſæui, quod tibi diſplicet, & in te; non in eum qui factus eſt ſicut tu. De vna officina exiſtis, vnum artificem habuiſtis, vnus limus eſt veſtra materia. Quid perdis non amando quem iudicas? Quoniam iuſtitiam perdis, perdis non amando quem iudicas. Adhibeantur pœnæ, non recuſo, non interdico, ſed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis. Num enim filium tuum non erudis? Et priùs agis, vt ſi fieri poteſt, pudore & liberalitate erudiatur, & erubeſcat Patrem offendere, non tanquam ſeueriſſimum iudicem timeat. Gaudes ad talem filium. Sed ſi fuerit fortè iſta contemnens, adhibebis & verbera. Incutis pœnam, ingeris dolorem, ſed quæris ſalutem. Multi amore, multi timore correcti ſunt; ſed per tremorem timoris, ad amorem peruenerunt. Erudimini qui iudicatis terram. Diligite & iudicate. Non enim ſic quæritur innocentia, vt pereat diſciplina.] Addit alia de paterna miſericordia, ſæuiendo ex prompta, perſequente implexum filio vitium, non filium. Vt ille quondam fecit, qui

Vidit vt implicitum puero Pater anxius anguem;

Intendit

Intendit dubia, cornua flexa, manu.
Inque fera fauces calamum ſic verſit, vt audax
Horruerit natum, non minùs angue ſenex.
Sed nunquam plus certa manu; puer angue perempto,
Saluus erat; ſtupuit morte diremptа ſalus.

a lib. 6. Sic Latinè exprimebat Politianus, Græcum Poëtam in Anthologia adductum. Benè ergo ſimiliter S. Auguſtinus feriri impleantem filio vitium volebat, ſaluo filij amore.

b epiſt. 84. cap. 1. S. Leo, *b* [ſic eſt adhibenda correctio, vt ſemper ſit ſalua dilectio. Vnde & Beatus Apoſtolus Paulus, ad Eccleſiaſticum regimen Timotheum imbuens, dicit, *ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt patres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores, in omni caſtitate.* Quæ moderatio ſi quibuſcumque inferioribus membris ex Apoſtolica inſtitutione debetur, quanto magis patribus & coepiſcopis noſtris ſine offenſione reddenda eſt: Et licet nonnunquam accidunt, quæ in Sacerdotalibus ſint reprehendenda perſonis, plus tamen ergo corrigenda agat beneuolentia quàm ſeueritas, plus cohortatio, quàm commotio, plus charitas quàm poteſtas. Sed qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, facile ab lege diſcedunt, & dum dominari magis quàm conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam.]

c in libello Aſcetico. 8. S. Nilus, *c* agens contra ambientes munus religioſæ præfecturæ.] Suam tantum vtilitatem reſpiciunt, & tanquam emptis argento, ſeruilia miniſteria fratribus imponunt. In hoc illis gloriæ ſumma conſiſtit, vt multis præſint, Hoc habent certamen, vt in congreſſibus, pauciores quàm reliqui, veluti ſeruos ſecum ducant. Itaque mercatores potiùs, quàm præceptores videntur. Cum enim verbis quidem facilè putant imperare, quamuis grauia ſint imperata; factis autem docere nihil volunt; perſpicuè indicant ſibi non eſſe propoſitum, vt adeuntibus proſint, ſed imperando ſuæ ſatisfaciant voluptati.] Et mox. [Reprehenduntur à Propheta, quod gladium ſuper brachium ferant. Quamobrem ſuper brachium, dexter ipſorum oculus excæcatur. Neglecta enim per ignauiam actio dexteræ, ſecum ſimul extinguit etiam contemplationis ſplendorem. Quod illis accidit, qui crudeliter, & inhumanè paſcunt. Quando enim puniendi poteſtatem promptam habent, ſtatim contemplandi vim amittunt. Actio rurſum expers contemplationis, exaceſcit. Etenim nec facere, nec videre quicquam poſſunt, qui gladium non ſuper femor, ſed ſuper brachium alligant, ſuper femur gladium gerunt, qui aduerſus propria vitia rationis aciem ſtringunt, ſuper brachium verò qui ad punienda aliorum peccata ſunt promptiores. Sic enim & Naas Ammanites quod ſi interpreteris, *ſerpentem* ſignificat, Iſraële perſpicaci, omnem oculum effoſſurum ſe minitatur, vt nulla dextera cogitatio, ad vllam dexteram actionem dirigat.]

d doc. 17. n. 2. 9. S. Dorotheus, *d* agens cum Præfecto cœnobij. [Ne nimiùm indigneris, ſed abſque animi perturbatione, illius erroris & delicti deformitatem, & damnum oſtende. Increpa quidem ſi opus fuerit, ſeruata tamen vtriuſque perſonæ, qualitate, & dignitate, tempore opportuno. Noli verò in paruis erratis, minimiſque delictis, nimius exactor, & ſeuerus indagator exiſtere, tanquam & tu, nimium fueris iuſtus, & perfectus iuris interpres. Noli etiam, frequenter & aſſiduè increpare, & arguere. Hoc enim graue admodùm eſt ac durum, & aſſiduitate vileſcit, minimèque ſentitur. Neque ſuperbè, & cum imperio quodam præſis & imperes, ſed cum animi humilitate, & manſuetudine conſulta cum fratre tuo. Huiuſmodi enim ſermo inſtructiuus eſt, exhortatiuus magis, atque etiam ad perſuadendum, & ad ſedandum animos, efficacior.] Et alio loco. *e* [Quis ita abominatur, & odio proſequitur peccata, vt ſancti viri? Et tamen peccatorem non abominantur, neque odio proſequuntur omnino. Neque item dijudicant, aut illius facta diſquirunt, ſed condoleſcunt potiùs, admonent, hortantur, medentur, & vt debile membrum atque infirmum curant ac fouent. Nihil denique omittunt aut negligunt, quo ſalutem ille conſequi valeat. Quemadmodum enim piſcatores, cum iacto hamo in mare, piſcem aliquem prægrandem ceperint, ſi miſcere illum turbas, ac magna vi concuti ſenſerint non temere illum ac ſtatim trahunt, quandoquidem filum abrumperet, & demum amitterent, ſed molliter ingenioſéque, ac ſcitè remittunt filum, ſinúntque illum abire quo voluerit: cum verò defectis viribus, iam laſſum agnouerint, tunc ſenſim illum extrahere incipiunt: pari modo viri ſancti, lenitate charitatéque allicere fratrem pro viribus conantur, nec ita facilè à ſe illum abdicant, nec odio aut amarulentia proſequuntur. Sed veluti mater quædam deformem habens filium, non auerſatur eum ſtatim, nec faſtidit, aut abominatur: verùm eum benignè fouet, comit, gratiorem, ornatioremque illum reddere ſtudet: itidem, & viri ſancti, peccatorem protegunt ornant, adiuuant, atque tuentur, cadentem erigunt, & in ſalutis viam dirigunt.] e doc. 6. n. 12.

10. S. Benedictus, *f* vt Abbas erga ſubditos pium Patris affectum oſtendat, ſeriò & grauiter præcipit. Optimè item alio loco. *g* [Ordinatus autem Abbas, cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ. Sciátque ſibi oportere, prodeſſe magis quàm præeſſe. Oportet ergo eum eſſe doctum lege diuina, vt ſciat vnde proferat noua & vetera; caſtum, ſobrium, miſericordem, humilem, & ſuperexaltantem miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequatur: oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autem correctione prudenter agat; ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas, ſuámque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamum quaſſatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia; ſed prudenter & cum charitate ea amputet, proùt viderit cuique expedire, ſicut iam diximus; & ſtudeat plus amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus, & ſuſpicioſus, qui nunquam requieſcit. In ipſis Imperiis ſuis, ſit prouidus & conſideratus.] f in regul. cap. 2. g c. 64.

11. S. Gregorius, *h* dominatiuam poteſtatem de incutiendo timore ſollicitam, amandat ad præfectos pecorum atque ferarum. [Sancti viri (inquit) cum præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt, nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe. h 21. mor. cap. 11.

Sciunt enim quod antiqui patres noſtri, non tam Reges hominum, quàm Paſtores pecorum fuiſſe memorantur. Et cum Noë, Dominus, filiiſque eius diceret, *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram*, ſubdit. *Et terror veſter ac tremor, ſit ſuper omnia animalia terræ.* Non enim ait, *ſit ſuper homines qui futuri ſunt*: ſed *ſit ſuper cuncta animalia terra.* Homo quippè animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus eſt, & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri.] Et alio loco, tractans illud *qui dicit Regi Apoſtata*, cò effert hunc fluuij ictum, & dominantium typhum, vt non poſſit altiùs. [Sæpè nouimus, inquit, quod plerique qui præſunt, inordinatum ſibi metum, à ſubditis exigunt, & non tam propter Dominum, quàm pro Domino venerari volunt. Intus enim ſe tumore cordis extollunt, cunctóſque ſubditos, in ſui comparatione deſpiciunt, nec conſulunt, ſed dominando premunt: quia videlicet alta cogitatione ſe erigunt, & æquales ſe illis quibus præeſſe contingit, non agnoſcunt. Contra hunc tumorem Dominus per prophetam in Paſtoribus increpans ait: *Vos autem cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Ipſa enim bona quæ ſubditis dicunt, dominando potiùs quàm conſulendo proferunt, quia videlicet quicquam eis, quaſi ex æquo dicere, ſemetipſos exiſtimant deieciſſe. Singularitate enim gaudent culminis, & non æqualitate conditionis. Sed quia hæc tumentia corda Rectorum ſubtiliter Dominus penſat, benè contra eos dicitur: *Qui dicit Regi, Apoſtata.*]

a l.3. ſenten. c.48. 12. S.Iſidorus, a [Quidam iſtud nomen regiminis ad immanitatem tranſuertunt crudelitatis, dúmque ad culmen proſperitatis venerint, in Apoſtaſiam confeſtim labuntur; tantóque ſe tumore cordis extollunt, vt cunctos ſubditos in ſui comparatione diſpiciant; eóſque quibus præeſſe contingit, non agnoſcant. Quibus congruè per Eccleſiaſtem dicitur, *Ducem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis; quaſi vnus ex ipſis.*]

hom 121. 13. Antiochus inſtruens præfectum cœnobiticum. [Oportet ad omnia vſu diſcretionis, ſolers vt ſit & induſtrius; ſed & quæ iuſſerit pro poteſtate facienda: ex æquo, & bono coordinet, nec neceſſitate adigat, ſed ſpontaneos ſibi auctionetur diſcipulos; cum proinde, qui minùs paret dicto, longanimiter ferat, vt ne interim, in ſe detorqueri illud Dauidis, promereatur audire. *Qui fingis laborem in præcepto.* Illud item ex Salomone. *Viſcera impiorum crudelia.* Quin potiùs adnitatur vt audiat, *Intelligentes agnoſces animas gregis tui, & appones cor tuum tuis armentis, paſcet iuſtus animas iumentorum ſuorum.*]

14. Philo Carpathius ad illud 7. Cantic. *Naſus tuus vt turris Libani*, ſic diſſerit in rem præſentem. [*Naſus tuus vt turris Libani, proſpiciens faciem Damaſci.* Libanus, *dealbatio* dicitur, vt noſtris. Damaſcus verò *ſanguinem bibens vel potans ſanguinem* interpretatur. Naſus ſponſæ, vel ſponſi; acutiſſimi ſenſus iudicium ſalutare bonorum, atque malorum diſcrimen, moraliter indicat. Per naſum enim fœtulenta atque corrupta, à benè olentibus ſynceriſque, diſcernimus; per húncque odores omnes, & rerum habitus mixturum dignoſcuntur. Quæ quidem vaſi ſignificata omnia, ad Paſtores animarum pertinent, & eos omnes, qui cæteris regendis, & gubernandis præficiuntur, ne ſint immanes ac fatui ſanguinum ſubditorum appetentes, ne auctoritate abutantur, & illud Ezechielis incidant: *Sed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Sunt enim permulti nomine, ſed valde quam pauci re, Paſtores: qui cum ipſi malè viuant, & turpiter agant; ſimulantes bonos mores & probitatem, à nemine reprehendi volunt: ſed cum arguuntur, excandeſcunt ac fulminant, iidémque audaces facti atque inſolentes, ſubditis imperant vt taceant, moliuntur vt ſileant; & ni illicò paruerint vincula & carcerem minitantur, & mortem. Væ Paſtoribus eiuſmodi, (ſi hoc nomine digni ſunt,) qui ſemetipſos ad gehennam miſerrimè paſcunt, & oues crudeliter lacerant ac mactant. At qui veri Paſtores, ſunt à Domino electi, mites ſunt, & perhumani; miſericordiáque, & pietate ornati, conſtantia quadam & grauitate condita, edocti ab eo qui dixit. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Hæc duo certiſſima ſigna ſunt Spiritus ſancti; iuſta manſuetudo animi in proximum, & vera humilitas cordis in Deum. Debent ergo Paſtores omnes & Rectores, miſericordes eſſe atque benigni, cum grauitate quadam conſtantiáque referti & temperati. Ob id enim in Leuitico, tanquam minùs idonei reſpuuntur à Sacerdotio, qui paruo vel grandi vel torto naſo fuerint, quod illa iudicandi atque cenſendi temperantia careant, & virtute, quam diſcretionem appellant: quæ quidem gubernatoribus, maxima virtus eſt, maximéque neceſſaria.]

15. Petrus Damiani, b ſcribens ad Alexandrum Papam, & Hildebrandum Archidiaconum, b lib. 1. ep. 11.
cum ab Alexandro leniter, ab Hildebrando autem, quem ſuum *ſanctum Satanam* nominat, duriùs ſecum agi præmiſiſſet, ſubdit. [Satis vterque inter vos inæqualiter diuiſiſtis. Nimirum vt vnus mihi videatur paterni fauoris affabilitate blanditus; alter hoſtilibus iurgiis terribiliter comminatus. Vnus veſtrum, me tanquam, ſol coruſco feruidi ſplendoris irradiat; alter verò velut furens Aquilo, violentis impetus ſui flabris exufflat. Vnde illud ad mentem redit, quod refertur in fabulis. Dicitur enim quia dum quidam indutus chlamyde viator incederet, Sol, & Eurus eum quaſi materiam ſibi propoſuere certaminis; quis videlicet è duobus ei chlamydem potuiſſet auferre: hoc itaque inter eos fœdere conſtituto, vt eum qui victor exiſteret, virens laurea coronaret; cœpit Eurus violenter infremere, nubium volumina; & contra, Viator chlamydem ſtringere, ſeſéque ne veſtem perderet, vndique conſtipare. Cúmque diſcipulus Æoli caſſo labore deficeret, ſeſéque cœptum poſſe perficere funditus deſperaret; Illico Sol aurea cœpit ora detegere, micantibus terram feruoribus illuſtrare. Mox Viator, cum iam æſtibus nimij feruoris terra areſceret, vbérque ſudor humefactis viſceribus ebulliret, proiecit Chlamydem, vt nimij caumatis temperaret ardorem. Illic ergo condicti certaminis promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo, & violentiam irrogando tentauit. Sed vt è Scripturis ſacris honeſtius proferatur exemplum, ſi Roboam ſenum conſiliis

filiis acquieſcens, populo mitia reſpondiſſet, totum Iſraël ſui iuris imperio ſubdidiſſet: ſed quia cognatorum ſuorum ſuperbiæ credidit, diuiſis è ſe decem tribubus, ſublimem Regni potentiam, humilem fecit. Rhinoceros etiam, qui rabida perſequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capi ſe gremio blandæ virginis, non pauescit.]

a Li. vitæ 5. quodam igitur.

16. S. Anſelmus, referentes Edinero, a inſigniter in hac re philoſophatus eſt. Et quanquam agit tantùm de pueris religionis oblatis, leniter tractandis, tamen rationes ferè ſunt vniuerſales. [Quodam tempore (inquit Edinerus,) cum quidam Abbas qui admodum religioſus habebatur ſecum de his quæ monaſticæ religionis erant loqueretur ac inter alia de pueris in clauſtro nutritis verba conferret, adiecit. Quid obſecro fiet de iſtis? Peruerſi ſunt & incorrigibiles. Die ac nocte non ceſſamus eos verberantes, & ſemper fiunt ſibi ipſis deteriores. Ad quæ miratus Anſelmus, non ceſſatis (inquit) eos verberare? Et cum adulti ſunt, quales ſunt? hebetes (inquit) & beſtiales. At ille, quo bono, omne nutrimentum veſtrum expendiſtis, qui de hominibus beſtias nutriuiſtis? Et nos (ait) quid poſſumus inde? modis omnibus conſtringimus eos vt proficiant, & nihil proficimus. Conſtringitis? dic mihi quæſo, Domine Abba; ſi plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte ita concluderes, vt ramos ſuos nullatenus extendere poſſet, cum eam poſt annum excluderes, qualis arbor inde prodiret? profectò inutilis, incuruis ramis & perplexis. Et hoc ex cuius culpa procederet, niſi tua, qui eam immoderatè concluſiſti? Certè hoc facitis de pueris veſtris, plantatis per oblationem in horto Eccleſiæ vt creſcant & fructificent Deo. Vos autem in omnium terroribus, minis, verberibus, vndique illos coarctatis, vt nulla ſibi penitus liceat libertate potiri. Itaque indiſcretè oppreſſi, prauas, & ſpinarum more perplexas intra ſe cogitationes congerunt, fouent, nutriunt; tantéque eas vi, nutriendo ſuffulciunt, vt omnia quæ illarum correctioni poſſent adminiculari obſtinata mente ſubterfugiant. Vnde fit vt quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil beneuolentiæ ſiue dulcedinis circa ſe in vobis ſentiunt, nec illi alicuius in vobis boni poſtea fidem habeant; ſed omnia veſtra ex odio, & inuidia contra ſe procedere credant. Contingit modo miſerabili, vt ſicut deinceps corpore creſcunt, ſic in eis odium, & ſuſpicio omnis mali creſcat, ſemper proni, & incurui ad vitia. Cum ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum niſi depreſſis ſuperciliis, oculóve obliquo valent intueri. Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid cauſæ ſit quod eis tantum infeſti eſtis? Nónne homines, nónne eiuſdem naturæ ſunt, cuius vos eſtis? Velletiſne vobis fieri, quod illis facitis, ſiquidem quod ſunt, vos eſſetis? Sed eſto, ſolis eos percuſſionibus, flagellis, ad mores bonos vultis informare. Vidiſtis vnquam Aurificem in lamina auri vel argenti, percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam, ex lamina aptet, nunc eam ſuo inſtrumento leniter premit, & percutit, nunc diſcreto leuamine lenius leuat, & format. Sic & vos ſi pueros veſtros cupitis ornatis moribus eſſe, neceſſe eſt, vt cum depreſſionibus verberum, impendatis eis Paternæ pietatis & manſuetudinis leuamen atque ſubſidium.] Agnouit errorem Abbas ille, teſte Edinero; & ad S. Anſelmi pedes accidens, interiorem ſæuitiam eſt deprecatus. Ipſe S. Anſelmus quàm lenis ac bonus doctor eſſet ſacræ familiæ luculenter expreſſit vitæ ſcriptor Edinerus, & ſubſecuta Osberni nominatim, poſt licentiam eximia morum compoſitio, comprobauit.

Conſtabilis, Abbas Cauenſis, ſanctè exceſſit è viuis, anno 1138. Proditum de eo eſt, rectionem ipſis mirabiliter ſuauem fuiſſe; eo nominatim ex capite, quod fratrum culpas tegeret, & quanta poſſet accuratione, ob læſione famæ eorum qui deliquerant abſtineret, nec ſecus ac matres faciunt, filiarum næuos obducentes pigmentis, ſola pulchra propalantes, & ipſe quoque ſuorum culpas, quantis poterat artificiis occultabat. Itaque ab adeò mirabili affectu charitatis in eos qui peccaſſent, OPERIMENTVM FRATRVM appellabatur. Quid eiuſmodi rectione ſuauius? Quid ſubditos ad amorem fortiùs prouocans? *Operimentum* item *Fratrum*, meritò dici poteſt Ammonas, cuius in facto probroſiſſimo Monachi deprehenſi, eximia lenitas, mirum quantum momenti habuit ad correctionem eius qui deliquerat, vt S. Dorotheus, b hoc factum collaudans, deſcribit, præclarè in huius negotij illuſtratione, collocans operam.

b Doct. 6.

17. S. Bernardus, egregiè ſua praxi firmauit quod hîc intendimus, vt ſcribit in Viri ſancti rebus geſtis Goffridus, c de ſumma eius ſuauitate & redundante dulciſſimis affectibus pectora referens præclare. d Hæc quidem in actu exercito S. Bernardus; in actu autem ſignato, frequens eſt in ea doctrina. Nominatim verò audiendus explanans illud Cant. *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Aptans enim hæc verba ad ſubditos, addit. [Audiant hoc Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati raò. Erudimini qui iudicatis terram. Diſcite ſubditorum vos matres eſſe debere, non Dominos. ſtudete magis amari, quàm metui. Et ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica. Matres fouendo, Patres corripiendo, vos exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. Quid iugum veſtrum ſuper eos aggrauatis, quorum potiùs onera portare debetis? cur morſus à ſerpente paruulus, fugit conſcientiam Sacerdotis; ad quem cum magis oportuerat tanquam ad ſinum recurrere matris? *Si ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſideret vnuſquiſque ſeipſum, ne & ipſe tentetur.* Alioquin *ille in peccato morietur, ſanguinem autem eius,* (ait) *de manu tua requiram.*] Breuiter ſed benè, agens cum Clericis. e [Non miramur fratres, quicunque præſentem ſtatum Eccleſiæ miſeratur, non miramur, de radice colubri regulum orientem. Non miramur ſi vindemiat vineam Domini, qui inſtitutam à Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum, & filij Dei vices occupat homo, qui nec primam adhuc vocem Domini ad cor reuocantis audiuit: aut ſi quando forſitan cœperit adire, reſiliens fugit ad folia vt abſconderetur in eis. Propterea nec dum peccare quieuit, ſed longam adhuc trahit veſtem nec dum factus eſt vir videns paupertatem

c lib. 3. c. 6.
d ſer. 23. in Cant. *ſub init.*

e ſer. ad Clericos c. 17.

pertatem

ſperitatem ſuam, ſed dicit, *quia diues ſum, & nullius egeo, cum ſit pauper & nudus & miſer, & miſerabilis.* Nihil illi de ſpiritu manſuetudinis, quæ præoccupatos in delicto poſſit inſtruere, cōſiderans ſeipſum ne & ipſe tentetur. Compunctionis lacrymas neſciens, lætatur magis cum malefecerit, & in rebus peſſimis exultat, nimirum vnus eorum de quibus Dominus ait: *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam flebitis*, pecuniam non iuſtitiam concupiſcunt oculi eius, & omne ſublime videt, miſerabiliter eſurit dignitates, gloriam ſitit humanam, procul ab eo miſericordiæ viſcera & ſæuire potiùs & tyrannum exhibere lætatur, quæſtum æſtimat pietatem. Egregiè denique ſcribens ad Henricum Senonenſem,

a epiſt. 42. a notat præfecturam Eccleſiaſticam vocari ab Apoſtolo *miniſterium*, vt cum Rom. 11. ait, *honorificabo miniſterium meum*; qua *miniſterij* voce, docet excludi dominatum, & typhum impotentis animi Præfectorum, bacchantium in ſubditos, quorum deberent eſſe miniſtri.

b epiſt. 110. 18. Petrus Bleſenſis b [In hac lenitate, nec Deus, nec homo offenditur, in qua fides à prælato, tam Deo, quàm homini exhibetur. De hac lenitate, & de hac fide ſcriptum eſt; *In fide, & lenitate ipſius, ſanctum fecit illum.* Turpe quidem & abſurdum eſt in Prælato, cum ira & auſteritate corripere, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, ait; *Seruum* (inquit) *Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe & patientem ad omnes & cum lenitate corripere eos, qui reſiſtunt veritati.* Legitur quoniam cum aquæ Siloea cum ſilentio currunt, aquæ verò Raſin tranſeunt cum tumultu; cúmque ſponſa in Canticis dicat, *Amicus meus bibit vinum cum lacte*, id eſt rigorem exercet cum lenitate; ipſa conuerſa ad ſponſum, & ſeueritati manſuetudinem præferens, *meliora ſunt* (inquit) *vbera tua vino.* Addit argumentum ex ſibilo auræ tenuis in quo Dominus exhiberi voluit, non in commotione, vt iam retuli.

19. Thomas Cantipratanus, ea tractatione qua ſub apum allegoria, & rectorum & ſubditorum dotes eſt perſecutus, multa habet in rem noſtram. Decerpo aliquid, c ex eo §. cuius titulus eſt, *Prælati non agant imperiosè.* Ibi ſic ſcribit

c lib. 1. Apum c. 21. num. 2.

[In libro Iudith, Syri, & Lybij dixerunt Holoferni; *Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro ſicut placuerit tibi.* Nihil enim grauius, quàm ſeruire ingratis, & importunum ſemper Dominum, inſiſtere ſeruienti. Olim Nembroth robuſtus, & venator, exercere tyrannidem inchoauit, & in perditis ſine lege hominibus perſeuerauit inſania. Nunc autem in lege Chriſti, in lege inquam gratiæ, atque clementiæ, crudelitas finem accepiſſe debebat, & ecce contumacior pullulat, quàm vnquam ante, eóque periculoſius, quo magis graſſatur interiùs. Sanum enim vulnus in ſcapulis, ſed intolerabiliter viſcera dolent, nec ſine vitæ periculo vulnera patiuntur. Sic in ſæcularibus quidem perſecutio dura perpetitur, ſed in clauſtralibus, ſine vitæ diſpendio, & graui iactura virtutum, non exercetur tyrannis vllo modo. Et vide quare. Sæcularis quis patitur à maiore, ſed cum voluerit locum mutat. Clauſtralis verò per Prælatum paſſus iniuriam, fugere nequaquam poteſt, ſed quaſi obicem oportet in oſtio ſemper æmulum habere præſentem, nec reſtat aliud, niſi ſolùm, Deum inuocare precibus adiutorem.]

20. Laurentius Iuſtinianus Informans moderatores & rectores. d [Paſtores qui præſunt do- d lib. de inſtitut. & regim. Prælato c. 9.
minico gregi, ipſum Dominum imitantes, non vt Principes, neque ſicut Domini, ſed tanquam Patres, & Paſtores veri, ſe habere debent, compatiendo cadentibus, & firmos æquanimiter ſupportando, conſiderantes vtique infirmitatem propriam, quoniam & ipſi vicini ſunt caſui, & ad omne perpetrandum facinus proni. Sic & Apoſtolus admonet dicens. *Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite, in ſpiritu lenitatis. Conſidera temetipſum, ne & tu tenteris.* Nempe ſi ipſe Dominus cuius vniuerſæ ſunt oues, compatitur delinquentibus, & ad ſe per pœnitentiam redeuntibus, nunquam miſericordiæ claudit viſcera; poteritnè ſubſtitutus & ſeruus, cum auſteritate, humanitate poſtpoſita, gregem ſibi creditum diſperdere, opprimere, dilaniare, atque necare? Talibus quippè comminatur Dominus per Prophetam, dicens: *Nónne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis?* Reprehenſibile prorſus eſt, vt ſub pio patre, & domino, dominari debeat durus ſeruus, ſceleribúſque repletus. Non enim pariformiter; paſtores animarum; & Reges gentium, ac ſæculares Principes, ſubditos gubernare oportet. Sanè Principibus, cum terrore licet regere; Eccleſiaſticis verò Præſulibus, cum charitate & lenitate: illis tanquam dominis, ipſis autem & patribus. Illis cum ſeueritate punire, iſtis verò cum moderatione, & mentis compaſſione corrigere. Illis iugulare & perimere; iſtis autem omni crudelitate ſemota, delinquentes reuocare ad vitam, non vt liberiùs peccent, ſed vt emendentur, & viuant in ſpiritu, ſaluique fiant.]

21. Ioannes Gerſo, ſub ſæculari perſona omnes religioſi viri numeros perfectè implens, cum alibi ſæpè lenitatem rectionis inculcat paſtoribus atque præfectis, tum nominatim quodam loco, e in dubio probabili de periculo religioſi, vel e 3. p. opuſc. de relig. perfect. conſid. 21.
relaxationis ordinis, autor eſt ſuperiori; vt potiùs captet ſuauitatem, & fragilitati humanæ ſe attemperet, quàm robuſtam nimis gubernationem, vt ordini conſulat: eo quod iuxta prouerbium, *melius ſit de nimia pietate, quàm de nimia ſeueritate damnari.*

PVNCTVM VIII.

Argumentum ex Patris ſiue Abbatis appellatione, Deo & ſub præfectis eius communi, præſe ferente ſuauitatem.

1. HActenus ſingulatim appendi paucos ſapientes, quorum iudiciis conſtaret, diuinæ rectionis ſuauitatem, imitatione eſſe exprimendam rectoribus animorum. Quid tamen in nonnullis capitatim recenſendis operam colloco, cum liceat vniuerſorum ſimul ſuffragium promere? Neminem profectò latet, præfectos cœnobiorum, ex antiquiſſimo vſu, *Abbates* ſeu *Patres* appellari, quod eſt nomen principaliter Deo proprium, & ſuauitatem diuinæ rectionis præ ſe ferens; ad rectores autem Dei vicarios, (vt alia pleraque nomina) accommodatum ex vſu perantiquo. Et omne quidem ſpirituale

regi

regimen eſt, *paternitas ſiue Abbatia*, vt S.Chryſoſtomus ſcitè tradit: *a* quia paterna ſuauitate & manſuetudine conſtare debet, vt ipſemet Chryſoſtomus ſe exponit; tamen valet id maximè circa eos rectores atque præfectos, quos ſpecialiter patres dici, vſus perantiquus tulit, hoc eſt circa rectores cœnobiorum.

a vt hõ.15. in 2. Cor.

2. Teſtatur de eo vſu iam olim percelebri, S.Hieronymus, *b* cum ait. [Macarius; Pambo, Iſidorus, quos Patres vocant.] Alibi, *c* verò idem Hieronymus, ad alios quoque quàm ad Præfectos extenſam patriæ appellationem docet honore ætati delato. [Vulgari ſermone (inquit) maximè in Paleſtina, & Ægypti monaſterijs, ſe inuicem patres vocant.] Quod quomodò cum illo Chriſti interdicto conſentiat, quo vetamur patrem vocare nobis ſuper terram, ibidem enucleat. Pérque eum locum, iuxta Franciſcum à Meſſana, *d* exponendus eſt alius in ſpeciem contrarius eiuſdem Hieronymi locus, in c.4. ad Galatas, circa illa verba, *clamantem Abba Pater*: vbi S. Hieronymus, expoſtulat [de licentia qua in monaſterijs, vocamus patris nomine alios, vel vocari nos acquieſcimus.] Hic inquam Sancti Hieronymi locus, iuxta prædictum Auctorem, exponendus eſt per illum alium quem præmiſi; ita nimirum vt neget duntaxat S. Hieronymus, fas eſſe quempiam nominare patrem, eo modo quo Deus vocatur pater; quamuis non neget S. D. fas eſſe vocare patrem creatum, eo vulgari & recepto modo quo prout illo priore loco tradit, indulgentia patres dicimus abſque Dei iniuria, quos veneramur ob ætatem, vel ſanctitatem. Cui expoſitioni loci S. Hieronymi, illud repugnat, quod non ignorauit S.Hieronymus, monachos nequaquam ſe inuicem patres appellaſſe eo ſenſu quo nomen patris Deo debetur, ſed in ſenſu longè inferiori; eo videlicet, quem ipſemet S. Hieronymus non abhorrere à veritate profitetur. Vt quid ergo eam inter monachos appellationem improbat? Nodum abſcidit veriùs quàm expediuit Sixtus Senenſis, *e* pronuncians; locum qui difficultatem facit, éſtque depromptus ex commentario in Epiſtolam ad Galatas, eſſe ſuppoſititium. Annuit Veloſillus, *f* refragante tamen Franciſco à Meſſana, qui ita exponere Hieronymum, ait eſſe *reuera enomere virus Eraſmicum*, hoc eſt pro arbitrio reſecare è ſcriptis Patrum, quæ nobis non arrident, quod Eraſmus admodùm licenter fecit.

b Epiſt.25. cum cap.23. Matth.

d in difficilibus Hieronymi V. Pater.

e lib.6. Biblio annot. 279.

f in aduertentij ad t. 6.Hieron. 9.q.14.

3. Fortaſſis commodiùs dicetur, non ipſam abſolutè *Patris* appellationem, reſpectu aliquorum poteſtate vel ætate aut ſanctimonia præcellentium, diſplicuiſſe Hieronymo; ſed vſum tunc primùm gliſcentem, vt veriſimile eſt: vſum inquam illum tam frequentem, támque promiſcuum, paſſim quoſcunque in monaſterijs *Patris* nomine inſigniendi. Videri namque ei potuit, talem denominationem parcè, ac ſobriè, & infrequentiùs eſſe vſurpandam: ſicut de iuramento, (cuius proportionem aſſumit,) paſſim traditur: ita vt nonnullis quidem, vel ætate meritis diuite, vel gradu Presbyteri claris, vel præfectura in cæteros pollentibus, non negaretur *Patris* appellatio, vt ſanè eam talibus concedunt S. Auguſtinus *g* & S.Cyrillus. *h* Non tamen quotquot in Monaſterio erant, Patrum titulo eſſent decorandi. Habuítque ea expoſtulatio multo magis locum tempore S. Hieronymi, quo pauciſſimi erant in monaſterijs ſacerdotes, ſed omnes propè erant laïci: quibus nomen *Patris* deferre, ſecluſa præfecturæ, vel ætatis, aut eminentis ſanctimoniæ prærogatiua, nonnullum nominis illius dehoneſtamentum, aut profanatio haberi potuit. Quæ caſtigatio in hæc quoque tempora perbellè caderet, quandoquidem alienos à condignitate huius nominis reperire etiamnum licet, qui ſe inuicem patres vocare, & audire amant.

g collat. Carthag.3. c.242.

h in Epiſt. ad Presbyt. Concilij Epheſ.p.s. c.12.

4. Vt vt ſit Monaſterij Præfectum S. Hieronymus, *Patris* nomine nunquam ſpoliaret. Et à plurimis ſæculis nihil eſt vulgatius, quàm vt cœnobiorum rectores, nominentur *Abbates*, ſiue expreſſa latinè eadem voce, *Patres*. Concinique illud ex profana ſapientia. [Animaduerti ſæpiùs, nihil inter principem bonum, & patrem bonum intereſſe.] Chryſantæ verbum eſt apud Xenophontẽ. *i* Eodem recidit nomen *Nonni*, quo priores & ſubordinatos ſuperiores appellari ſolitos, conſtat ex illis S. Benedicti verbis. [Iuniores, priores ſuos, Nonnos vocant, quòd intelligitur *paterna reuerentia*.] Ex qua gloſſa, oritur difficultas. Nam non aliud inter mares ſonare videtur *Nonni* vocabulum, quàm nomen *Nonna* in ſexu infirmiore. Atqui *Nonna* idem eſt quod *ſanctimonialis*, vel quæ caſtitatem, ſaltem vidualem profitetur, iuxta illud S.Hieronymi, *l* [quia maritorum expertæ ſunt dominatum, viduitatis præferunt libertatem, caſtæ vocantur & Nonnæ.] Maſculinè ſimiliter, aliquos ab adulantibus *Sanctos & Nonnos* audiuiſſe, ſcribit idem S. Hieronymus & Arnobius, *m* Quomodò igitur aſſerit S.Benedictus, *Nonni* nomen *paternam reuerentiam*, ſiue, *reuerendum Patrem*, ſonare?

i l.8. Cyrip. 6. in reg. 63.

l epiſt.47.

m in pſal. 105. & 120.

Verùm dicendum eſt, inter Bettas quoquè, nomen *Nonna* eandem proportione ſignificationem continere, ita vt non aliud ſonet *Nonna*, quàm *reuerendam Matrem*. Ita enim nominatæ habentur Religioſæ fœminæ, *n* S. Bonifacio, & aliis quos ſignat in Onomaſtico, Heribertus Roſuedius, *o* itémque S.Aldelmus, inſcribendo ſacris virginibus opus ſuum de Virginitate, eodem titulo vtitur, necnon Syneſius, ſalutem dicens in epiſtulæ quartæ clauſula. Non ſiſtit in *reuerenda* titulo S.Bonifacius. Nam Eadbergam Abbatiſſam, appellat *reuerendiſſimam*. *p* Et alio loco ancillam, *q* quandam Chriſti, meritis ornatiſſimam eodem *reuerendiſſima* titulo honeſtat. Nec ſemel Iuſtinianus, abbatiſſas & monachas illomet titulo inſignit authent. de monach. & aſcetr. *r* Non aliud ſignificare voces *Nonni*, & *Nonna*, tradit Iacobus Sirmondus ad tit.26. Capitulat. Caroli Calui obſeruans eſſe voces Italicas ſonantes auum & auiam aptatas monachis, & monialibus ad ſignum reuerentiæ, ſicut Græcis voces *Calogeri* & *Calogera*. Nomen ergo *Patris* de religioſæ familiæ præfecto vſurpari, eſto extra dubium.

n epiſt.19.

o V. Nonna.

p epiſt.7.

q epiſt.16.

r collat.10.

5. Atqui *Patris* nomen, tametſi ſonat poteſtatem in eos qui filij dicuntur, & quidem in bono ſenſu, dominatiuam, à iuriſdictionis poteſtate ſeiunctam, veréque habentem ſubiectos filios non emancipatos, quod totum rectoribus ac præfectis cœnobiorum, reſpectu eorum quos habent regimini ſuo obnoxios, vltrò damus: non tamen ſonat poteſtatem dominatiuam eiuſ-

dem rationis cuius eſt poteſtas Domini in ſeruum mancipium, ſed ſicut *Patris* nomen præfert dulcedinem, ita eo nomine ſuauitas ac benignitas in regendo, optimè inſinuatur. [Patris appellatio, (ait Tertullianus,) *a* & pietatis & poteſtatis eſt.] Eodem facit illud Senecæ, *b* Imperatores idcirco dictos eſſe *patriæ patres*, vt ſcirent datam ſibi eſſe poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima. S. item Ambroſius, *c* inde vrget Dominum ſeruorum vt temperatè cum eis agat, quod nominetur *paterfamilias*; proindéque paternam ſuauitatem debeat in eos quos regit expromere. [Quoniam & ipſe ſeruus Dei eſt, & patrem appellat Dominum cœli, moderatorem poteſtatum omnium.] Habet quoque ſeruata proportione locum circa paternam poteſtatem, quod S. Paulinus Celantiam monebant de materna. [Familiam tuam (inquit) ita rege, & confoue, vt te matrem magis tuorum, quam dominam videri velis: à quibus benignitate potiùs, quam ſeueritate, exige reuerentiam. Fidelius, & gratius ſemper obſequium eſt, quod ab amore, quam quod à metu proficiſcitur.] Portò quæcumque in hac re de patre carnis noſtræ, (vt cum Apoſtolo loquar) tradi poſſunt, multo magis valent de patre ſpiritus. Nam huius in prolem multo propenſiorem eſſe affectum, demonſtrat optimè S. Chryſoſtomus, *d* agens de S. Babyla, eiuſque amore erga Philippum Imperatorem.

a l. de orat. cap. 2.
b lib. 1. de clem. c. 14.
c Epiſt. ad Horontia.
d l. ad Gentil de S. Babyla.

6. Argumentatio in rem noſtram, petita ex Abbatis & Patris nomine quam hactenus expoſuimus; non modò continet ſuffragium omnium à tam multis ſeculis ſapientum, imo veluti publicam vocem omni literatura notiorem, ſed etiam optimam viam aperit, ad intelligendam qua ratione ſubiectio cœnobitarum, non debeat eſſe oppreſſio per dominationem in cleris, ſed paterna filij atque adeò ſuauis & benigna tractatio à qua longè abeſt moderator qui mauult eſſe *Barrabas quàm Abbas*, vt loquitur Petrus Cellenſis. *e* Vt autem hæc cœnobitarum ſubiectio quam vltrò agnoſcimus, percipiatur, recolendum eſt; traditione votis religioſis adiuncta, vt rectè ſtatuit Suares, *f* religioſum poteſtati præfectorum eam traditionem acceptantium, mancipari: poteſtati, inquam quæ ſecernatur quidem à poteſtate iuriſdictionis, in proximo ſaltem rectore, vt idem Suares benè confirmat, *g* cõtra Vaſquez de nomine litigantem, *h* poſſitque vocari *dominatiua*, in eo ſenſu quo poteſtas patris familias in ſuos, dici poteſt dominatiua: non tamen ſit dominatiua, eo ſenſu quo poteſtas Domini in mancipia, vocatur dominatiua, habétque correſpondentem ſubiectionem ſeruilem. Vnde religioſus reſpectu ſuperioris non eſt ſeruus vel mancipium, ſed filius & homo liber. Idque non eſt inficiatus Eucherius, aut quiuis alius autor decadis homiliarum ad monachos, *i* cum refellens vocem illam, monachi ad cenſuram ſuperiorum impatientis, & exclamantis, *ingenuus homo ſum*, reponit è contrario. [Qui ante præpoſitum vel Abbatem, ingenuum eſſe ſe iactitat, puto quod adhuc emptum ſe eſſe neſciat: qui Chriſtianæ militiæ mancipatus, dicere ſe præſumit ingenuum, penè eſt, vt neget ſe Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt aliud, liber ſum, quàm ipſi Domino clamare, nihil debeo? De talibus dicebat Apoſtolus: *Cum enim ſerui eſſetis inobedientiæ, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Non benè ingenuus approbatur, qui vitiorum ſeruitute deprimitur.] Non inquã iſta reponens autor ille, inficiatur religioſum eſſe ciuiliter liberum, & à ſerui mancipij conditione alienum: ſed tantum contendit, libertum Chriſti debere huiuſmodi vocibus efferentibus, & iugi impatientiam præferentibus, abſtinere; nec eſſe refugiendam illi ſubiectionem pro Deo hominibus exhibitam; quippe quæ non ſit vera ſeruitus, ſed libertas, & regia dignitas à conditione mancipij alieniſſima. Imo S. Theodorus Studita, teſtamento cauit, ne rector cœnobij vllum aut domi, aut in agris monaſterij, ſeruum mancipium haberet, quod id tantùm ſit ſecularium æquè ac nuptiæ, tantum verò abeſt vt religioſos habeat pro ſeruis, vt potiùs addat, ſuperiorem ita debere externa ſpecie præeſſe ſuis, vt meminerit ſe eſſe ſeruum eorum quos habet ſubditos: quod item ſuperioribus ſui ordinis, ingerit S. Franciſcus.

e Epiſt. 22.
f tract. 7. de relig. l. 2. c. 4. n. 9.
g ibid. c. 18.
h d. 1. 2. d. 165. c. 4.
i humil. 3. num. 3.

7. Fatent fuiſſe qui aſſererent, religioſum reſpectu ſui Præfecti, eſſe ſeruum mancipium, (vt Suarez refert,) *l* qui nixi præſertim ſunt, traditione illa adiuncta religioſæ votorum emiſſioni, quam vrgent eſſe veram donationem, atque adeò conferre preſsè ſumptum Dominum, *l* addúntque cum ea traditio veram religioſi ſubiectionem conferat, non mixam iuriſdictione, vt fert communis ſententia quoad moniales, nec item pertinentem ad ſubiectionem vxoris reſpectu mariti, vel filij, ſiue naturalis vt notum eſt, ſiue adoptiui reſpectu patris; (vbi enim hic adoptio.) Cum inquam ea traditio nullam talem ſubiectionem inuehat, (& inuehere aliquam neceſſe eſt.) concludunt, inferre ſubiectionem ſeruilem, proindéque aſſerunt religioſum eſſe verè ſeruum, reſpectu præfecti tanquam Domini. Videri poteſt fauiſſe ei ſententiæ S. Thomas, qui ſtatum religioſi ait eſſe ſtatum ſeruitutis. *m* In iure quoque, religioſum ſolere ſeruo comparari, obſeruant Nauarrus, *n* & Molina. *o* Sed apertè tradere eam ſententiam videtur Petrus Cluniacenſis, *p* ſcribens ad Petrum Pictauienſem, monachum ſuum, quem multis affecerat beneficiis, nec habebat dicto audientem; ſic enim poſt multa, eum affatur. [Tu pactum cœleſte reſcidiſti: quando amicum amicus, intimus, & vt iam pro imperio loquar, Prælatum ſubditus, magiſtrum diſcipulus, Abbatem monachus ne dicam, Dominum ſeruus reliquiſti. Sed, & ſeruum vocarem, in quo excederem? Regula enim præcipit, *vt omni obedientia Monachus ſe ſubdat maiori*, ſi *omni* tunc & ſeruili; ſed *omni*. Igitur ſeruili, ſeruus ego meus, es. Conqueror itaque, ſeruum meum Dominum fugientem, latibula quærentem, ſequi renuentem, ſeruire nolentem. Imitando certè Dominum, & Deum tuum, obedientiam vſque ad mortem promiſiſti: ſed hanc, neque vſque ad modicum ſeruaſti.] Non videtur Petrus apertiùs tradere potuiſſe, religioſum eſſe ſeruum Abbatis. Quæ opinio ſi vera eſſet, vix vlla vſurparetur à cœnobiorum rectoribus ſeueritas, quæ grauis religioſis hominibus videri poſſet, cum ſerui mancipij cõditio multò teriorem ferat tractationem, quàm legamus, vel experiamur à religioſis cœnobiorum moderatoribus exhiberi iis quos regunt, diſertè enim Plato ſub finem Dialogi ſexti de legibus, exponens tractationem ſeruorum ab

l in reg. c. 10.
l de relig. tract. 7. l. 6. c. 2. n. 18.
m 22. q. 184 art. 4. & 5.
n comment. de regul. 3. q. 33. c. 42.
o tract. 1. de Iuſt. diſp. 140.
p lib. 4. epiſt. 28.

beto;

hero ; quamuis verè vllam eis inferri iniuriam, vult tamen ſemper durè tractari, ita vt omnis ad eos allocutio quodammodò imperium ſit, nec facies hilaris aut iocoſa eis oſtendatur, quod ſtultè ab aliquibus factum in obedientiæ debitæ cladem vertiſſe conteſtatur.

8. Verùm quamuis religioſus, reſpectu Dei ſit propriiſſimè ſeruus, non tantum vi creationis, ſed etiam quia Deo ſe mancipauit in eius obſequium: tamen reſpectu ſuperioris, cui religioſus propter Deum ſe addicit ac tradit, falſum eſt, religioſum eſſe verè ſeruum, vt Suarez rectè docet, *a* & benè quoque Thomas à Ieſu. *b* nec non Andreas Tiraquellus, *c* tractans religioſi nobilitatem: alioqui poſſet à ſuperiore vendi ac manumitti, ſicut poſſunt ſerui. Ipſe quoque religioſus, quamuis affulgente ſpe maioris boni ſpiritualis, non poſſet alteri religioni ſe tradere, ſicut ſeruus non poteſt abiecto Domino, ad alterum à quo meliùs habendus ſit, ſe conferre. Neque verò (quod maximè intrinſecum eſt ſeruituti propriè dictæ,) ſubjectio religioſi ſpectat ipſius ſuperioris bonum: quia potiùs tota refertur ad religioſi vtilitatem, proindéque religioſus nullo modo dicendus eſt ſeruus reſpectu præfecti ſui, ſi ſermo ſit de ſeruitute propriè dicta, qualis eſt mancipiorum. Eſt nanque Chriſti libertus quem ne fieret ſeruus hominum Paulus dehortabatur. Eſſe porrò Religioſum, Chriſti libertum, inde nominatiui confirmat Petrus Nannius, quod *d* Monachi radant capita. Siquidem non modò captiua Deuteron. 2. cum libertate donabatur & aſſumebatur in ſponſam, ſed etiam ex vſu Romano, qui manumittebantur, radebantur capita, iuxta illud ex Plauto protritum; Quid ſupereſt, niſi vt raſo capite accipiam pileum? Et è contrario qui in moribus ſeruile quippiam habent, nec homines benè moratos, ſed ſeruiles & vitiis mancipatos redolent, dicuntur pilos ſeruiles retinere. Putat verò Nannius ad huius manumiſſionis expreſſionem reſpexiſſe, *e* S. Ambroſium, cum dixit de aſſertore ac diligente animas ſponſo cœleſti; Emundans eam ab omnibus pulchritudinis eius impedimentis, & exuens veſtimentis captiuitatis, vt depoſitis omnibus capitis ſui capillis, id eſt peccatorum criniculis, qui quaſi ſuperflui noſtro in corpore videntur; (quoniam ſi vir comam nutriat, ignominia eſt illi) in vnitate fidei; in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti ſtudeat occurrere.] Eſt hæc non inelegans expreſſio Religioſi nouæ legis. Nam typus eius Nazaræus è contrario, quia ſub ſeruili lege gemebat, & iuxta S. Epiphanium deſiderata Patrum ad Chriſti aduentum ſuſpirantium promiſſo capillitio exprimebat, meritò non radebatur. Quamuis autem ſunt aliæ nonnullæ raſi Monachorum capitis probabiles cauſæ de quibus actum alio loco, tamen quæ à Nannio, *f* propoſita eſt, magna probabilitate nititur, & ex ea planè apparet, ſubiectionem Religioſi, verè liberti Chriſti, non eſſe reſpectu ſuperioris ſubiectionem mancipij ad herum, ſed reſpondere ſubiectioni filij ad patrem: ita vt quamuis hæ duæ ſubiectiones diſcrepent ratione titulorum ex quibus progerminant, nimirum vna ex generatione, altera ex traditione voluntaria; quamuis item quoad concomitantia & adiuncta vtriuſque ſit inter eas diſparitas; v. g. religioſa ſubiectio, habet adiunctam incapacitatem habendi aliquid proprium, quam incapacitatem non habet ſubiectio filialis: Quamuis inquam quoad hæc aliaque nonnulla, poſſit intercedere diſcrimen inter filij ac religioſi ſubiectionem: tamen ſubiectio religioſi reſpectu ſuperioris, multo magis accedit ad filialem, quàm ad ſeruilem, à qua velut ratione formali & conſtitutiua, ſecernitur. Cum filiali autem eſt maximè affinis, quatenus religioſus tradens ſe propter Deum ſuperiori dominationem acceptatur quadantenus ab eo, & illius poteſtati dominatiuæ nonniſi paternæ ſe ſubijcit; vnde & eum vocat *Patrem*, ac proinde vt filius tractandus eſt.

a tract. 7. de relig. l. 6. c. 2. à n. 19.
b in cap. non *dicatis*, p. 2. cap. 6.
c l. de nobil. cap. 26.
d ad epiſtolam 25. S. Ambr.
e Epiſt. 35.
f in Hipparcho.

9. Hæc eſt illa potentiſſima ratio ſuauis regiminis, quàm aiebam inſinuari ab omnibus, cum præfectum cœnobij, *Abbatem* aut *Patrem* vocat. Vt ergo D. Hieronymi verbis, *g* concludam, [Patres ſe ſciant eſſe non dominos, maximè apud eos qui ſpretis ambitionibus ſæculi nihil quieti & otio præferunt.] Similitérque Philippus Abbas ex nomine *Abbatis*, quod *Patrem* ſonare latinè ait, præpoſitum religioſæ familiæ vrget ad lenem & benignam rectionem, *h* his præter cætera. [Dignitatis ordine principantur qui aſſumpto baculo paſtorali, vel Abbates vel Epiſcopi nominantur; quorum illi regularem ſuis clauſtralibus diſciplinam, iſti verò tam clauſtralibus quàm cæteris omnibus viuendi debent exemplum & doctrinam. Grandis honor, ſed honori iniungitur grauis cura, & eius ſpecies ferentem non mediocriter eſt læſura, ſi is quem diuina diſpoſitio cæteris gradu honorifico vult præeſſe, ſummo eiſdem ſtudio non diligit & prodeſſe. Ob hoc enim à Deo quidam in Eccleſia præponuntur, & iiſdem præpoſitis diuino alij ordine ſupponuntur, vt fidelem curam digniores inferioribus impertire, & inferiores dignioribus humilitate debita ſtudeant obedire. Ille paterna ſollicitudine miniſtrent inferioribus doctrinam ſpiritualem, iſti ſuperioribus exhibeant obedientiam filialem; eóſque tanquã patres & filios (quorum nomina ſunt inuicem relatiua,) non carnis propagatio, ſed quod eſt validius, efficiat charitas coniunctiua. Denique & *Abbas* à paternitate nomen accepit, *Abba* enim Hebraïcè, *Patre* latinè.] Denique S. Benedictus, *i* informãs Abbatem vt rectè muneri ſuo ſatisfaciat, hoc ei aliquoties inculcat, *vt meminerit eſſe quod dicitur.* [Chriſti enim vices agere in monaſterio creditur, quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo, *accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Quæ totidem propè verbis repetuntur, & Abbati ingeruntur in 2. Concilio Aquiſgranenſi. Et rectè illuſtrantur ab Antonio Peres. *l* Sed ad hoc inſtitutum appoſitiſſimè à Smaragdo; ſi tamen Smaragdo, & non Rabano cuius nomine vulgatam alibi lego, adſcriptam Smaragdo, Regulæ S. Benedicti interpretationem.

10. Roborat hanc rationem, ſimúlque contra humanam ipſam naturam, dominatum regendi armat egregiè S. Gregorius, *m* cum ait. [Cuncti qui præſunt non in ſe poteſtatem debẽt ordinis, ſed æqualitatem penſare conditionũ; nec præeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe. Antiqui etenim patres noſtri, non reges hominum, ſed paſtores pecorum fuiſſe memorantur. Et cum Noë Dominus filiiſque eius benedice-

g Epiſt. 62. *in fine.*
h Epiſt. 21.
i in regula c. 2. aliàs 5
l ad c. 2. reg. S. Bened. p. 2.
m 2 p. paſtor. c. 6. initio.

ret dicens creſcite & multiplicamini, & replete terram, protinus adiunxit: & terror veſter ac tremor, ſit ſuper cuncta animantia terræ: quorum videlicet terror ac tremor, quia eſſe ſuper animantia terræ præcipitur; profectò eſſe ſuper homines prohibetur. Homo quippè brutis animalibus, non autem hominibus cœteris natura prælatus eſt, & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur; quia contra naturam ſuperbire eſt ab æquali velle timeri.] Affinia, imo eadem, alibi quoque habet, vt referre ſupra memini tractans ſenſum virorum Apoſtolicorum, de neceſſaria religioſis præfectis ſuauitate. Verùm non plus deliquiſſe videri potero iſta iterans ex duobus eiuſdem Sancti Pontificis locis hauſta, quam ipſemet eandem rationem pluribus illis locis vſurpans: hanc ergo eius rationem, eatenus dixi roborare ratiocinationem ex *patris* nomine proximè propoſitam; quia ſupplementum illud rationis propriæ & directionis, quam ab homine homo accipit; & maximè proprium eſt patris erga liberos officium, & paternitatem inferre cenſetur; quandoquidem etiam Philoſophi, vt eſt apud Clementem A-
a lib. 5. ſtrom c. 2. lexandrinum, *a* generari hominem ab eo per quem eruditur ac regitur tradiderunt: Videſis quæ ſunt adducta, tractando obſeruantiam magiſtris à diſcipulis exhibendam. Et quamquam
b dicto c. in fine. S. Gregorius, *b* lenitatem materno potiùs officio tribuit, ſeueritatem verò curæ paternæ, eo quod pater præ matre, durior ac minùs teneri affectus eſſe ſoleat; tamen ſi non patris cum matre, ſed cum externis fiat contentio, optimè quoquè lenitas & ſuauitas inter paterna officia recenſetur: vt alebam, & idcirco idem S. Gre-
c lib. 2. ep. 34. indiſt. 10 gorius, *c* Iannarium ad lenitatem inflectens, admonet; vt ſicut pater in nomine, ita affectu probaretur in opere. Neque verò minor eſt neceſſitudo Patris ſpiritualis cum filio item ſpirituali, quàm Patris corporei cum filio carnali, vt
d 1. offic. c. 7. ſcitè diſſerit S. Ambroſius. *d*

PVNCTVM VIII.

Origo aſperitatis ac violentiæ, à diuina in regendo ſuauitate, abhorrentis.

1. DOminationis huius in cleris quam exagitamus, origo prima à præfecti malis moribus repetenda eſt, tametſi alicubi adminiculantem habet naturam, malè (vt ita dicam,) materiatam, & ſcabrum genium à leni rectione abhorrentem. Eſt enim peculiare Dei donum, vt quis ea ſit placiditate temperata, eáque non prorſus fluxa mollitudine, qua ab aſperitate rectionis abhorreat, faciléque ſibi ſubditorum animos deuinciat atque conciliet. [Quidam
e ſerm. 3. de S. Bened. (inquit Guerricus Abbas,) *e* proprium donum habent ex Deo, qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioſo; omnia tam dicta quàm facta ipſorum, gratificans in oculis omnium, cùm multi qui forſitan non minùs, imo & ampllus amant, non facilè eandem gratiam inueniant.] E contrario autem aliqui, adeò agreſti ſunt ingenio, vt im-
f hom. 21. quæ eſt in poſſibile videatur, benè cuiquam cum eis conuenire, locutiones eorum ſunt continui latratus, vt ait S. Baſilius. *f* Gratius ſit chamnos vel vrticas contrectare, quàm negotij quippiam cum illis habere. Diceres eſſe ex iis vnum, queis cibus & potus ſimul eſt; nam ſanguinem equinum & lac concretum per guttura barbara ſorbent, vt eſt apud Sextum Auienum. *g* Qui eiuſmodi ſunt, niſi oleum gratiæ religioſo cœtui tantopere profuturum de quo Climacus, *h* prece ſibi aut pretio comparent, exorato numine, ſibi optimè conſuluerint auerſando munus ad quod non ſunt à natura facti. Vel ſi illud improuidè capeſſant, mirum non erit, ſi rectionis aſperitate, omnes auertant, & abalienent. Sed hanc naturæ ad regendum infelicitatem, dimittamus. aliquos Scripturæ locos. g in orbis deſcript. h gradu 8. num 11.

2. In malis moribus, prima aſperè ac durè regendi origo, non eſt proferenda alia, quam Deo odibile nobiſque ſemper infeſtũ virus ſuperbiæ, iuxta illud Valeriani Cemelienſis. *i* [Superbia i hom. 14. vilitatis eſt vitium, & indiciũ ignobilitatis. Neſcit autem extolli nobilitas mentis. Semper accreſcit apud indignos mores, cum poteſtate ſupercilium. Verùm vbi eſt vitæ ſplendor, humilitas orioſa blanditur. [Nec diſſimiliter Origines. *l* Materia l ſerm 9. in Ezech. ſuperbiæ diuitiæ, dignitas, gloriæ ſæcularis frequenter cauſa ſuperbiæ eſt ei, qui ignorat habere Eccleſiaſticam dignitatem, ſacerdotalis ordo & leuiticus gradus. Quanti Presbyteri conſtituti, obliti ſunt humilitatis? quaſi idcirco fuerint ordinati, vt humiles eſſe deſiſterent: quin potius humilitatem ſequi debuerunt, quia dignitatem fuerant conſequuti, dicente Scriptura, *quanto magnus fueris, tanto humilia te ipſum.* Et *dilectum ſynagoga te facit, nobilius ſummitte caput tuum. Ducem te conſtituerant noli eleuari, noli fieri in eis quaſi non vnus ex ipſis.* Oportet humilem; oportet eſſe deiectum, oportet fugere ſuperbiam malorum omnium caput.]

3. Horum natalium aſperitatis in regendo, probè conſcius S. Gregorius, *m* immitem rectorem prouocat ad ſuæ cum aliis æqualitatis naturalis conſiderationem, vt deſidente typho quo tumebat, meminiſſet homines non pro pecudibus, ſed quod reuera ſunt, pro hominibus habere. [Omnes homines (inquit) natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta poſtponit. Ipſa autem diuerſitas quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudiciis ordinata; & quia omnis homo, iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri, cum præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt; nec præeſſe hominibus gaudent, ſed prodeſſe. Sciunt enim quod antiqui patres noſtri, non tam Reges hominum, quàm Paſtores pecorum memorantur.] Æquales igitur reuera ſunt cœteris, quoad naturam, qui aduentitio titulo præſunt cœteris. Nec quæ in communi multitudine cœteris eminent, habent ſemper ſolidæ auctioris gloriationis materiam, iuxta illud S. Cypriani, ad Demetrianum, *n* quod iſtis n 21. mor. c. 11. quoque cum quibus agimus, meritò occinatur. [Non vos delectet in ſæculo, inter iuſtos & mites, impuneus iſta & vana dominatio; quando, & in agro, inter cultas & fertiles ſegetes, lolium & auena dominatur.]

4. Pertinet etiam ad naturæ communis conſiderationem potens ac validum lenis rectionis incentiuum quod adhibet Guillelmus Pariſienſis l. de moribus c. 8. luculenter & more ſuo exquiſitè in hanc rem diſ-

ſerens,

ſ.teſis, & inter cætera admonens vt qui congruam lenitatem adhibere in regendo velit, propriam infirmitatem attentè perpendat [vt in ſeipſo diſcat quid alij portare poſſint, quid eis & quantum imponendum. Nemo enim ita efferatur & excandeſcit in alios niſi qui propriæ infirmitatis aut fragilitatis oblitus eſt. Propter huiuſmodi homines dictum eſt ; *ſciant gentes quoniam homines ſunt.* Iſti enim videntur ſe ignorare homines eſſe, aut ſaltem aliquando fuiſſe, &c. Hi ſunt homines qui non addidicerunt pati diſciplinam, aut correctionem propriam, & quia agendi & patiendi tanquam contrariorum eadem eſt diſciplina, neſciunt eam in alios exercere. Propter hoc expoſuimus verbum illud in principio ſapientiæ, *diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* Diligite inquam pati & facere : pati priùs vt de vobis fiat, & deinde facere, vt vos illam aliis faciatis. Quidam enim in alios iuſtiſſimi ſunt, in ſeipſos autem miſericordiſſimi, & tamen in nullo aliis parcunt, ſibi ipſis parcunt per omnia ſicut faciebat Mænius, qui cum aliorum vitia ipſe vitioſus atrociter perſequeretur, ſua diligebat ac nutriebat, ſuper quo cum interrogaretur, *mihi ignoſco Mænius inquit.* Hi enim homines impatientiſſimi ſunt obiurgationum, increpationum, redargutionum ; & quod eſt deterius, monitionum & exhortationum ; quantò fortiùs ergo diſciplinalium flagellorum ? Propter quod nec ſciunt, nec ſentiunt, nec ſapiunt diſciplinam, vt omnino inexperti ? Ideò morbus eorum eſt, *Noli me tangere*, & ſola diuina manu curabilis, cum humanæ manus attactum omnem, non ſolùm refugiant, ſed tota repugnatione repellant. Attentauerunt autem quidam religioſi mederi morbo huiuſmodi in abbate ſuo temporibus noſtris, quoniam cum eſſet in omnes illos carnifex crudeliſſimus, videntes quod omnino ignarus eſſet, & inexpertus diſciplinæ, quam tamen exercere putabat in eos, coëgerunt eum ſedere per menſem integrum inter fratres, & ſe gerere tanquam ſimplicem canonicum, quem quotidie proclamantes & egregiè verberantes, tandem reſtituerunt ſedi ſuæ, dicentes, ecce per menſem iſtũ fuiſti in ſchola diſciplinæ, ſed etiam ſenſiſti: Non eſt mirum ſi eam exercere neſciebas in ſubditos, qui eam non addidiceras. Recordare eorum quæ didiciſti, alioqui rememorationem tibi faciemus ipſorum. Et credimus nos, quia inſtructus & eruditus, didicit ex his quæ paſſus eſt diſciplinam. Credimus etiam quod memoriter eam retinuit, nec rememorationem eius eidem poſtea fieri oportuit, ad quod paratiſſimi eſſent fratres ſi viderent quod opus eſſet.] Simili arte qua oblitum infirmitatis propriæ præpoſitum hi Religioſi compreſſerunt, S. Maiolus, vt eſt in eius Actis inexpertum quemdam & idcirco ferocientem Monaſterij Præfectũ, de gradu ad tempus deiectum, & ad communium onerum experientiam adactum, reuocauit ad lenitatem. Qua ipſa ratione Apoſtolus vt ſupra expendimus, vt Rectori ſpiritum lenitatis immitteret, admonebat, vt conſideraret ſeipſum, & communem infirmitatem ac vbiuis miſericordiæ indigam naturam attendens, ad humanitatem flecteretur. Inſigit præclarè ac diffusè hoc monitum Abbas Chæremon. *a* Et præter cætera allegat in hanc rem illud ſapientis, *b Rex rigidus incurret in mala*, Et illud. *Qui obturat*

a collat. 11. cem. 10.
b Prouerb. 15. iuxta 70. prou. 21. iuxta 70.

aures ſuas ne audiat infirmum, & ipſe inuocabit, & non erit qui exaudiat eum : quia oblitus infirmitatis propriæ, & fragilitatem alienæ lenitatis egentem ſuæ ipſius naturæ conſertam non recogitans, lenitatem aliis impendendam ſubtraxit.

5. A conſideratione einſdem naturæ, ſuſtollendus eſt qui ob præfecturam concreditam tumet, ad exemplum Chriſti, quod illi ingerit S. Baſilius, *c* his præter cætera. [Prælatus es aliis, & concomitantur te homines, ac glorificant, par eſto ſubiectis, non tanquam Dominum exercens, aduerſus cleros vt Apoſtolus inquit, neque ſecularibus te principibus conformes. Qui námque primus eſſe cupit, omnium hominum ſeruum eſſe, iubet Chriſtus ; vt ſummatim dicam, ita perſequitur animi humilitatem vt decet humilitatis amatorem. Hoc pacto ritè ad veram gloriam pertinges, quæ eſt coram Angelis, quæ eſt apud Deum. Agnoſcet te Chriſtus tanquam diſcipulum ſuum coram Angelis, & glorificabit te ſi humilitatis ipſius fueris imitator, qui dicit, *diſcite à me quoniam mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.*] Affina eſt, quod Origenes, *d* vult ab Eccleſiaſtico præfecto conſiderari, ne tumore efferatur ob prælationem, nempe quod à Ioſepho cum Chriſtum ſibi ſubditum videbat, conſiderabatur. [Puto (inquit) quod intelligebat Ioſeph, quandoquidem maior ſe erat Ieſus, qui ſubijciebatur ſibi, & ſciens maiorem eſſe ſubiectum, trepidus moderabatur imperium videat ergo vnuſquiſque, quandoquidem ſæpè melioribus præpoſitus ſit inferior, & nonnunquam accidat, vt ille qui ſubiectus eſt, melior ſit eo qui ſibi videtur eſſe præpoſitus. Quod cum intellexerit dignitate ſublimior, non eleuabitur ſuperbia ex eo quod maior eſt : ſed ſciet ita ſibi meliorem eſſe ſubiectum, quomodo & Ieſus ſubjectus fuit Ioſepho.]

c homil. de humilit. in fine.
d hom. 20. in Lucam.

6. Hæc quia leniora, ſi minùs à præfecto diſpellunt ſuperbiam, aſperitatis regendi fontem, non deſunt alia fortiora & aſperiora : quale illud ex S. Gregorio, *e* Nabuchodonoſorem, quod ferina mente truculentam dominatũ exercuiſſet in ſubjectos præ ſuperbia, iuſto Dei iudicio in feram fuiſſe commutatum, quæcunque tandem fuerit ea commutatio. Qui enim ſimiliter ac feræ beſtiæ, truculentiam in ſubditos, factis, verbiſque, & tota oris & corporis conformatione produnt, videri poſſunt degeneraſſe in feras, quarum mores repræſentant. Quis verò brutum animi habitum, & ferinum tumorem non agnoſcat, in ea acerba tractatione filiorum Dei, quos Dominus vniuerſorum tractat vt filios ? [Quia ad impietatem tam ferox, támque præceps fuerit, vt filios Dei opprimat ? ait S. Chryſoſtomus. *f* Item Theodorus Studita in ſuo Teſtamento informans Rectorem, lenem ac mitem animum in eo depoſcit: qualem habere par eſt, qui regit filios Dei, qui longè diuerſiſſimus eſt à ferino illo ac truculento ſpiritu, quo filij Dei opprimuntur.

e 5. moral. cap. 8.
f homil. 5. de pœnit.

7. Scitè Richardus Victorinus, *g* deſcribit huiuſmodi bruta & beſtialia corda vrſorum ac leonum, qui in altum ſuſpenſi ſunt, vt eleuati allidérentur : queriturque, tales feras occupare ſedem auium cœli, quæ ibi reſidere deberent. [Quid quæſo (inquit) hoc genus monſtri eſt,

g lib. 2. de erudit. intio. hom. c. 17.

quod noſtri temporis arbores, vrſos & leones, vel alias huiuſmodi quaſlibet beſtiales mentes, portant in ramis, volucres verò cœli, & quælibet volatilia pennata, contra conditionis iura, creatoriſque inſtituta, premunt in imis? Quoties ego ipſe vidi, vidénſque ingemui, impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſuper cedros Libani? Quid quæſo eſt quod facitis, qui eiuſmodi bruta & beſtialia corda in ſublime attollitis, & velut in aëre ſuſpenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? Quid quæſo eis aliud quàm ruinam paratis, dum eos ad alta ſuſpenditis, & quaſi in ramis portatis? Quid aliud quiſque ſuo ſublimatori vel potius ſubuerſori dicturus eſt in fine, in ipſo confinio ruinæ, niſi quia eleuans alliſiſti me? Conuerſentur volucres cœli in ramis, locúmque teneant in ſummis, quos ſubleuat penna ſanctitatis. Beſtiæ ſub ramis locum teneant in imis, & qui pronos vultus habent per appetitum carnis, diſtrictionem ſentiant piæ ſeueritatis, & iuſtæ humiliationis.] Quod Richardus de ſui temporis beſtiis, monſtroſè elatis in ſublime & locum auium occupantibus queritur, vtinam illi tempori peculiare fuerit. Quotquot certè ferinis moribus rectionem dehoneſtant, & oues Dei truculento agendi & gubernandi modo diuexant, eidem expoſtulationi obnoxiam faciunt ætatem ſuam. Leonina hæc ſunt imperia, quæ omni ratione in ſacro Præfectu auerſanda eſſe, Antonius Meliſſa adducto Chryſoſtomo, tradit. Et pulchrè item Climacus informans Paſtorem cœnobij. [Non eſt par, (inquit) vt leo paſcat oues, & vitioſus imperet non vitioſis. Spectaculum ingratum, vulpem ſpectare inter gallinas. Quid autem importunius Paſtore iracundo? Vulpes mactat gallinas, bilioſus Paſtor plenas rationis animas perturbat & occidit.] En quàm verè præmiſi, huiuſmodi regimen aſperum, eſſe ferinum, non humanum. Ferinum & ſerpentinum vocat Iſidorus Peluſiota. *a*

a l. 5. ep. 462.
b ſer. 14.

8. Caueant ergo qui ſpeculatores dati domui Iſraël, fiunt in ea ſpiculatores, vt ait Bleſenſis, *b* caueant inquam, Nabuchodonoſoris ſuperbiſſimi dominatoris exitum, qui eius inſiſtunt viis; Qui in domo humilitatis Reges aut potius Nabuchodonoſores agunt: paſtoralem amorem in tyrannicum imperium conuertentes, vt expoſtulat Iſidorus Peluſiota, *c* non Patres ſed dominatores. De talibus quibuſdam aiebat S. Bernardus. *d* [Dicas ſi videas eos tranſeuntes, non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum; non rectores animarum, ſed principes prouinciarum.] Imo prouinciarum principes, cum rectè ſapiunt, & adiuncta ſiunt, ſuauitate potiùs & beneuolentiæ captatione, quàm vi & impetu ſubditos regunt. [Malè vim ſuam (ait Plinius,) *e* poteſtas, aliorum contumeliis experitur; malè terrore veneratio acquiritur; longè valentior amor ad hoc, ac ſic vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur.] Quæ in hanc ſententiam ſcripſit Seneca, *f* monſtrans terrenum moderatorem debere eſſe verè patrem, atque adeò quorum in ipſo eſt mitem ac lenem, ſunt planè eximia, ſed nimia multa quàm vt adſcribi hoc loco queant. Eum ſi audiſſet Nero, æternum à ſe probrum auertiſſet. De Iuliano Apoſtata, humanæ adminiſtrationis ex ſæculi ſcitis peritiſſimo, ſic Libanius. *g* [Non eo tum ſe meliorem quàm alij viſum iri autumabat cum magis quàm

c l. 5. ep. 255
d in Apol. ad Gul. Abbatem.
e l. 8. ep. 24.
f lib. 8. de Clement. c. 16. & 17.
g in Baſilico.

cæteri ſeruiret; ſed ſi magis quàm alij, clementiam cordi habens, omnes nihilominùs ſuperaret. Neque verò regium eſſe exiſtimabat aſpectū trucem, ſed maniaco potiùs furori congruere, vt eum inter morbos acutos & graues cenſeret: aſperitatem verò morum in cœtu, & concilio, tyrannicæ dominationi attribuens, affabilitatem & comitatem Principis fœlici ſtatui adiungebat.] Ipſe Iulianus, *h* eadem inſigniter proſequitur. Nec pauca vndecunque in hanc rem collegit Petrus Faber. *i* En quem animum induant ſeculares rectores. Id enim nomen, Imperatoribus ac Regibus fuiſſe proprium multis teſtatum dedit Barthius: *l* eos ergo æmulentur rectores animorum.

h primo ad Conſtantiũ panegyr.
i l. 3. ſemeſtr. c. 16.
l ad l. 1. Rutilij v. 553.

9. Diſcant eum erga ſubjectos habere affectum, quem ipſi ſi ſubjacerent, in præpoſitis erga ſe expeterent. Quæ eſt inſignis S. Gregorij doctrina, *m* cum ait. [Tales erga ſubiectos noſtros debemus exiſtere, quales nobis ſi ſubjectis fuiſſemus, noſtros volueramus eſſe præpoſitos.] Præclarè quoque his verbis Petrus Damiani, *n* deſcribens præfecturæ incommoda. [Ducem te conſtituerunt, & data eſt tibi facultas, vt miſer ſis, & ampliùs non quieſcas. Cumulatur materia ſollicitudinum, & inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt vultum induere gaudiorum. Nunquid in honore ſine dolore, in prælatione ſine tribulatione, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poteſt? Miſeri iuxta Philoſophum, mercedem miſeriarum amamus, ipſas execramur. Regum nobis animos induimus, & quidquid nobis ex voluntate non reſpondet, ſtatim euocat iram, nec communis recogitatur humanitas, & tamen eſt vermis arrodens, qui conſcientiam iugiter torqueat, timor potentiæ ſuperioris. Hæc eſt iuſtiſſima lex, vt ſic viuas cum inferiori, quemadmodùm ſuperiorem vis viuere tecum.] Conſiderandum iis qui præſunt, quod ex Bernardi quibuſdam ſententiis tanquam effatum recitatur. *o* [Humilitas in honore, honor eſt ipſius honoris, & dignitas dignitatis.] Sic impleri omnem iuſtitiam, affirmat alio loco. *p* Superiorum eſſe, agnoſcere ſacram familiam ſibi ſubjectam vt æqualem in omnibus (dempta prærogatiua ampliorem laborum & ſollicitudinum, quibus liberantur ſubditi, grauantur prælatus) diuinè expendit S. Chryſoſtomus, *q* quo nihil ad tumoris depreſſionem accommodatius.

m l. 12. ep. 36. indic. 5.
n ſerm. de S. Nicolao.
o lib. 5. florum c.
p ſerm. 4. de Ep. 1.
q hom. 5. in 2. ad Theſſ. in fine.

10. Liquet de virulenta amaritudinis in regendo radice, & quomodo ſit extirpanda. Eſt verò id multo attentiùs conſiderandum ab illis in quibus rhamni iſti ac paliuri facilius & lætius ſurgunt, ſicut enim quibuſdam plantis certum ſolum eſt accommodatius, ibique felicius meliuſque progerminant, atque fouentur, ita labes quam inſequimur, in quibuſdam ingeniis promptius gignitur, & vberius adoleſcit. Eiuſmodi ſunt, ruſticana & à domeſtica puerili inſtitutione minus expolita. Tenacitatem enim incompoſitæ inſtitutionis puerilis, nemo non experitur, vt egregiè expoſuit Pelagius. *r* Qui ergo illiberalius educati fuerint, iis ſi quando ius in alios obtingat, perfacilè eſt vt ſicut in reliquis, ita & in regendo, eo quod ſunt, id eſt rupices ac petrones prodant, de quo videndus S. Bernardus, *s* & Iſidorus Peluſiota. *t* Nominatim verò frequenti experimento deprehenſum ferunt, quos

r epiſt. ad Demetria.
s ſerm. 4. ſuper miſ eſt

in

in ſæculo res domeſtics anguſtior ad pædagogicum munus adegerit, poſtea in Dei familiâ, ſi illis præfectura ſacta credatur; homines multi ac duri imperij eſſe ſolere: authoritatem videlicet quam in minuſculam ætatem nacti aliquando ſunt, retinentes. Et eſſe profectò nexum aliquem pædagogici muneris ac tyrannidis, audiui aliquando qui approbaret, exemplo Dionyſij, qui ſceptrum ferula commutauit, ne prorſus deijceretur occupata tyrannide.

11. Illud exploratius & nemine refragante competium, hanc animi impotentiam in iis ferè Rectoribus immane creſcere, qui diuturnitate rectionis, parendi & iugum alienum ferendi, partes dedidicerint. Certum quippe eſt, non poſſe alterius idoneum rectorem eſſe, qui in ſeipſum non ſit nactus imperium, quod obedientiæ maximè exercitatione conſequi datur. Tradit hoc veluti pronunciatum, & bonum præfectum debere eſſe ſubditum bonum; optimè

a homil. 15. in 1. Cor. in mor.

aſſerit S. Chryſoſtomus, a & Iſidorus Peluſiota, b in quem quoque Andreas Schotthus, c ex Solone, Ariſtotele, Climaco, aliis. Qui igitur imperandi diuturnitate, obediendi habitum amiſerunt, facilè iis quos regunt, duros ſe & aſperos præbent. Idque proſpicientes ſummi Antiſtites, præfecturas religioſas non vltra certos terminos protogari voluerunt: & dignum eſſet, vt illius decreti obſeruatio, vbique pari accuratione vigeret. Præſtans in paucis gubernandi cœtus Religioſi magiſter S. Bonauentura, hanc cauſam mutationis frequentis Superiorum in Ordine Minorum aſſignat.

b lib. 4. ep. 26. & l. 5. ep. 255. & 275. & 55.
c ad eam epiſt. 455.

PVNCTVM X.

Depulſa quæ ferociæ Præfectorum obtendi ſolent.

Nihil proclinius, quàm vt homo ſibi in peccato abblandiatur. [Nulli vnquam peccatori, deeſt impudens prætextus;] ait S. Chryſoſtomus. d Eſt ea labes, velut natius homini; ideóque inter mortales frequentiſſima, & plus quàm quotidiana, vt prolato primorum parentum facto, deplorat egregiè S. Gregorius. e Et fingi planè ad illorum exemplum poſteros quoties peccant, præclarè in hunc modum tradit S. Ambroſius. f Quicumque præuaricatur mandatum Dei, ſpoliatur atque nudatur, & fit ipſe ſibi turpis; vult ſe operire quibuſdam ficus foliis, fortaſſe quibuſdam inanibus vel vmbratilibus ſermonibus, quos compoſitis mendaciis aſſuens, & verbum de verbo ſtruens, ad operiendam conſcientiam ſuæ mentis, factíque velamen, peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Iacit enim ſupra ſe folia, qui culpam ſuam velare conſiderans, aut diabolum delicti memorat autorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris.] Idem eſt de quocumque alio peccati obtendiculo, & verbis malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.

d in pſal. 140.
e lib. 22. Moral c. 13.
f lib. de Parad. c. 15.

2. In re ergo propoſita, Præfecti impotentes animi, cum de lenitate rectionis, & aſperitatis declinatione admonentur, verbis excuſatoriis, velùti quibuſdam (vt cum S. Bernardo, g loquar) frondium ſuccinctoriis, regendi impetum contegunt. Sunt qui obtendant, inferiores non aliter eſſe continendos in officio, quàm ſi Superior rigidè ac pro imperio agat. Cauſantur quippè enigeſcere rectionem, & ſuperioris autoritatem facilè eneruari ſubſequenti contemptu, ſi molliter & remiſsè agatur. Sic enim interpretantur rectionem blandam ac lenem, vt non alia ſit quàm remiſſa & eneruis; cui ſapientes omnes maximè ſemper timuerunt tanquàm exitiali, & per breui eum ſubditorum duritie ac ceruicoſitate, laxitatem, & vniuerſæ religioſæ diſciplinæ diſſolutionem inuehenti. Aliis in eo leni ac ſuaui regimine diſplicet, quod ſubditorum virtus atque perfectio, fraudatur eo accremento, quod illis ex forti & maſcula gubernatione poſſet accedere. Vnde iniici videtur ſuperiori, neceſſitas abſtinendi ea rectionis mollitudine. Tenetur quippè ſuperior, ſuorum profectui, & progreſſioni in ſanctitate & iuſtitia deſeruire. At nemo non videt, blandam, & mollem rectionem, multo minùs accommodatam eſſe promouendæ ſubditorum virtuti & perfectioni, quàm maſculam, & vegetam, quæ illis merendi materiam copioſam, & augendæ virtutis exercitium ſubminiſtrat.

g ſer. 82. in cant.

3. Vterque hic violentiæ præfectorum prætextus, ex eo ordine eſt, quem proponit S. Gregorius, h ad illud. "De Amalec adduxerunt ea. Obſeruat enim ibi Sanctus Pontifex, morem excuſantium excuſationes in peccatis, ferre, vt peccata quæ negando tegere non poſſunt, in alios refundant, ſiue vt in autores, ſiue vt in occaſionem præbentes, eáque veluti extorquentes ab autoribus, quod hic liquet vſurpari. Hi ſiquidem cum quibus agimus, indignitatem aſperi duríque regiminis quam inficiari non poſſunt, transfundunt in ſubditos, eorúmque neceſſitatem; ſiue vt exerceantur, ſiue vt frangantur. Sed reuera hoc aliud non eſt, quàm multiplicare defectus, & cumulare peccata, quod proprium eſt excuſantium excuſationes in peccatis, vt propterea Oſeas cap. 10. arari dicat impietatem; idest vt 70. interpretes expreſſerunt, excuſando augeri, ad eum modum; quo ſemen terræ immiſſum & per arationem contectum, ſurgit multiplicatum & fœneratum. Breuiter igitur, vtrumque obtendiculum propoſitum, diſiiciamus.

h lib. 6. in 1. Reg. c. 15

4. Non eſſe molliter ac remiſsè agendum, quod primo loco obtendebatur, vt ſarta tecta teneatur Præfecti auctoritas, iis inſtius ac congruentius occineretur, qui ſunt natura & ingenio facillimi ac elumbes. Idcirco enim S. Gregorius, i obſeruat Apoſtolum Tito mandaſſe, vt omne imperium expromeret, nimirum quod lenior natura eſſet, & magna ingenij facilitate, & placiditate; quæ facilè in mollitiem & ignauam remiſſionem, cum ſubditorum exitio & autoritatis conculcatione eſſet degeneratura, niſi Titus animos ſumeret, & acueretur eius fortitudo. E contrario tamen idem Apoſtolus. Timotheum cui non erat ea genij & naturæ facilitas propè accedens ad mollitiem, admonuit, regere ſubditos *cum omni patientia.* Nimirum non latebat Apoſtolum, quod diſtinctius expreſſit S. Bernardus, l bonorum præfectorum eſſe, agnoſcere ſe ſubditorum Medicos, non dominos: nec iam intendendum illis eſſe pompam, vt D. Bernardus ibidem loquitur; hoc

i homil. 11. in Ezech.
l ſerm. 25. in Cant.

hoc eſt in autoritatis indemnitatem, quàm in curam, & in debitam conſolationem ſubditorum. Eſt autem pluſquàm falſum quod aſſumitur, deteri autoritatem, ſi abſit arrogantia imperantis. Quinimo nihil eſt quod adeò religioſam autoritatem cum veneratione & amore coniunctam imminuat, nihil quod odium & exacerbationem magis conciliet, quàm faſtus & ſupercilium eius qui cum aliarum virtutum omnium, tum præſertim humilitatis, & demiſſionis prælucere exemplo debet, vt munere concredito dignus habeatur. Debet enim de quouis paſtore, illud verè dici poſſe, quod in Patris ſui laudibus poſuit Gregorius Nazianzenus. [Velut ſpiritualem quandam ſtatuam, ad optimæ cuiuſque actionis pulchritudinem expolitam, ſe ad imitandum proponebat.] At humilitatem & à faſtu elongationem quam in Patre, maximè celebrat Theologus, captandis ſubditorum animis, & ad omnem virtutem, perfectíque ſtudium perurgendis eſſe opportuniſſimam, dubitare non licet. [Mihi verò, ea captatio autoritatis à faſtu & arrogantia, non ab humilitate & demiſſione animi, quam ille olim ſapientes *dignitatem dignitatis* appellabat, ſapere videtur ſpiritum illum, qui vt eſt apud Tertullianum, *a* arcanis idolorum, de ſuggeſtu, & apparatu, ac ſumptu, fidem & auctoritatem extruebat. Acriter in huiuſmodi deceptionem agit Philippus Abbas, *b* exemplo Dauidis, qui cum ad Regiam euectus eſſet dignitatem, & aliis imperaret, autoritatem tamen quâ potiebatur, ab humilitate præſertim extimatam voluit, probè gnarus non augeſcere vel retineri faſtu auctoritatem. Idque ſignificatum puto à S. Baſilio cum ſcribens ad Gregorium Theologum, *c* malè quidem, (quantum video,) edoctus facti veritatem, tamen optimè ac veriſſimè quantum attinet ad id in quo verſamur, ſic ait de Occidentalium faſtu & ſupercilio. [Ego ipſe abſque communi literarum figura, volebam ad eorum anteſignanum ſcribere. De Eccleſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata, quoniam nec intelligunt noſtratium veritatem, neque viam qua poſſint addiſcere amplectuntur. In vniuerſum hoc literis volebam ſignificare, non per afflictiones oppreſſis, humiliariſque pœnam eſſe irrogandam, NEQVE DIGNITATEM ÆSTIMANDAM SVPERBIAM; quod etiam ſolum peccatum, Deum inimicum reddere ſufficit.] *Anteſignanum* Occidentalium, dicit, Damaſum Romanum Pontificem, in quem paulo commotiorem fuiſſe S. Baſilium, malè comperta facti veritate, fatetur de aliis ſimilibus eius literis agens Card. Baronius. *d* Itaque vt poſſimus hic quoque cum Facundo, *e* dicere, contentiones iſtas ad tempus ob facti ignorationem inter ſanctos quandoque deprehenſas, non ſecus ſe habere, quàm in cœleſtibus luminibus ſe habeant temporariæ eclypſes, quibus interpoſitis non deſunt luminaria eſſe quod ſunt. Vt vt ergo ſtatuendum ſit de S. Baſilij querela aduerſus Occidentalium (Damaſique imprimis) prætenſum faſtum, veriſſimè tamen ſtatuit S. Baſilius, dignitatem non eſſe æſtimandam ſuperbiam: neque ſi Occidentales per Apoſtolicam ſedem potiuntur dignitate, & autoritate ſumma ſuper omnes Eccleſias, ita vt eam ob cauſam Pontifex abſolutè denominetur *dignitas*, vt in Onomaſtico Pontificio retuli;

a l. de bapt. cap. 8.

b l. de dignit. Cleric. cap. 17.

c Epiſt. 10.

d ad ann. num. 372.

e l. 6. pro tribus capit. cap. 5.

idcircò debuiſſe eos faſtu intumeſcere; & dignitatem, ſuperbiam, id eſt ſuperbiæ cauſam idoneam arbitrari, cum potius ſit humilitatis occaſio; nec vllo modo meliùs roboretur augeaturve dignitatis autoritas, quàm omnis typhi repoſitione, & abigendo malè conſultam captationem autoritatis ex elatione, & intemperata proſcriptione modeſtiæ. Quod ipſum ſimiliter occinendum eſt Præfectis ſacrorum cœtuum, ſi quando in eos verè cadere querela à D. Baſilio Rectori totius Eccleſiæ intentata, deprehenderetur.

5. Neque hoc dico, non eſſe contundendam (ſi deprehendi contingat,) ſubditorum ceruicoſitatem; aut adeò remiſsè & ignauè agendum eſſe, vt gliſcat per eam occaſionem cœpta diſciplinæ laxatio. Hoc S. Gregorius, *f* meritò improbat ex Apoſtolo, admonente honorificandum cuique eſſe miniſterium ſuum; & ita in corde tenendum Præfecto demiſſionem, vt tamen exteriùs ſeruetur dignitas, nec feratur effrenatio atque licentia extollentium ſe ſuper eos quibus reuerentiam & obedientiam debent. Idque conſiderans S. Bonauentura, ſapientiſſimus planè ſacræ familiæ moderator, cum ea S. Franciſci verba expenderet, quibus mandat tales eſſe ſuperiores, vt ſubditi omnia eis dicere & facere poſſint tanquam ſeruis, quales reuera vult ſe agnoſcere ſuperiores reſpectu ſubditorum; ſubiungit, cauendum tamen eſſe, ne ſi maior fiat vt minor; è contrario, minor fiat vt maior. Hoc impediri vult S. Bonauentura, exerta in eo euentu per ſuperiorem autoritate. Non igitur hoc diffiteor: ſed illud dumtaxat dico, non eſſe anteoccupandam per ſuperiores inferiorum ægritudinem, prætextu tuendæ ac retinendæ autoritatis, nec priùs vtendum eſſe acritudine & aſperitate remediorum, quàm eam expoſcat & veluti extorqueat neceſſitas. Quæ enim iſta efferatio? graſſari in planè ſubiectos & placidos, ne fortè contingat ſurrigi eorum colla, & depretiari ac vileſcere poteſtatem? Quò euadet hæc truculentia, ſi contingat à ſubditis admitti, quæ rigorem aliquem rectionis depoſcant?

f l. 4. epiſt. 80.

g c. 10. reg.

6. Tantum certè abeſt, vt Præfectus paterno & diuino ſpiritu actus, nec niſi in ſubditorum commodum dirigens autoritatem qua pollet, durum ſe & aſperum erga quietos & placidos præbeat, autoritatis ſuæ retinendæ prætextu; vt potiùs humanitatis ſemper, & benignitatis Chriſti ſit memor, nec concitari ſe vehementiùs ſinat, etiam cum eius commotionem aliquam extorquet ſubditorum indocilitas, ita vt quamuis tunc non rigeat vel torpeat, paternam tamen lenitatem non dediſcat, in æſtu præſertim illo concitationis ſubditorum; in quo S. Bernardum placiditatem ſuam, maximè exhibere ſolitum, ſcribit Gaufridus. *h* Idem præclarè docet S. Gregorius, *i* ad illud, *ſine furore conſurgens, in turba clamaui.* [Sæpè namque (inquit,) ſeditioſorum tumultus hominum, præpoſitorum ſuorum mentem laceſſunt, ſuíque ordinis limitem inordinatis motibus excedunt. Et plerunque qui præſunt, niſi in ore cordis, Spiritus ſancti fræno teneantur, in iratæ retributionis atrocitatem proſiliunt, quantumque præualent agere, tantum in ſibi ſubditos æſtimant licere. Amica etenim poteſtati penè ſemper impatientia eſt; eíque malè ſubiectæ imperat, quia quod ipſa ſentit, poteſtas

h l. 3. vitæ c. 6.

i l. 20. mor. c. 28.

teſtas exequitur. Sed Sancti viri plus ſe interiùs patientiæ iugo ſubijciunt, quàm foris hominibus præſunt; & eo veriorem principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinſecus famulatum tenent: atque idcirco ſæpè plus quoſdam tolerant, quàm ſe de eis vlciſci ampliùs poſſunt; ac ne vnquam ad illicita tranſeant, plerumque nolunt prorſus exequi, etiam quod licet; ſubjectorum ſtrepitus ſufferunt, per amorem increpant quos per manſuetudinem portant. Vnde nunc rectè dicitur, *ſine furore conſurgens, in turba clamaui.*] Hunc animum, etiam erga indociles, quando per commune & priuatum ipſorum bonum licet, induunt boni præfecti, tantum abeſt, vt retinendæ autoritatis ſuæ ſtudio, gratis & vltrò efferentur, infigentes animo

a 2. p. paſtor. c. 6. inſignem eiuſdem S. Gregorij doctrinam, *a* inter diſputandum de cauenda depreciatione autoritatis ſuperiorum. [Teneant ergo Rectores exteriùs, quod pro aliorum vtilitate ſuſcipiunt; ſeruent interiùs quod de ſua æſtimatione pertimeſcunt. Sed tamen quibuſdam ſignis decenter erumpentibus, eos apud ſe humiles, etiam ſubjecti deprehendant, quatenùs & in autoritate eorum, quod formident videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoſcant.] Neque verò deceſſiſſe quippiam autoritati ſuæ arbitretur moderator ſacri cœtus, ſi ſe agnoſcat & prudenter profiteatur lapſibus obnoxium; nihilque à ſe humani alienum putans, expetat abſque hypocriſi indulgeri ſibi ſicubi deliquerit. Vetabat

b c. quando d. 86. quidem D. Auguſtinus, *b* deijci Antiſtitam ad veniæ vſque petitionem; ne dum nimiùm ſeruatur humilitas, regendi frangatur autoritas; ſed hoc intelligitur de nimia & immoderata dejectione, quæ cum gradu ſuperioris non cohæreat, vt inſinuatur verbis illis *nimium ſeruatur humilitas.* Moderatè autem & prudenter, poſſe ſuperiorem agnoſcere prolapſionem ſuam, exem-

c homil. 24. ex 50. plo ipſe ſuo D. Auguſtinus, *c* monſtrauit, cum in die ſolemni, ſiue anniuerſario Epiſcopatus ſui, agens ad populum, ſéque profeſſus debitorem omnibus, ſubdit. [De his debitis loquor, quæ mihi dimitti, non à me exigi cupio. Neque enim ſic rumore vanæ mentis extollor, vt audeam dicere ex quo huius muneris ſarcinas porto, nullum à me hominem perperam læſum. Hoc cuilibet homini tam multis & moleſtis actibus occupato atque diſtento, ne dicam impoſſibile, certè difficile eſt: quanto magis mihi qui noui infirmitatem meam, quam cum meis, & pro me, veſtris orationibus, diebus ac noctibus offero ſanandam Domino Deo meo. Diuerſarum ergo curarum æſtibus ac difficultatibus conturbatus, ſi quem fortè, non vt poſcebat, audiui; ſi quem triſtiùs quàm opus erat, aſpexi; ſi in quem, verbum durius quàm oportebat, emiſi; ſi quem corde contribulatum & opis indigum, reſponſione incongrua conturbaui; ſi quem pauperem, mihi in aliud intento importunius inſiſtentem, vel prætermiſi, vel diſtuli, vel etiam nutu aſpero contriſtaui; ſi cui de me falſi aliquid tanquam homini de homine ſuſpicanti, iuſto acerbius indignatus ſum; ſi quis in ſua conſcientia non agnouit quod de illo humanitus ſuſpicatus ſum, vos quibus pro his atque huiuſmodi offenſis eſſe me fateor debitorem, ſimul me veſtrum credite debitorem. Nam pullos quos fouet ſæpè in anguſtiis, ſed non toto pedis pondere calcat & mater, nec ideò deſinit eſſe mater. Dimittite, vt dimittatur vobis. Dimittite amanti vos, debita difficultatis qui nec contra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Ad ſummam, omnes obſecro, commendate vos Domino, curam pro vobis meam. Hanc enim iuſtè expeto pro me veſtram, vt quicquid mearum eſt in præterito offenſionum, propitius ignoſcat, non ſeuerus agnoſcat.] Non putauit ergo D. Auguſtinus è dignitate ſua eſſe, profiteri ſe impeccabilem; quod aliqui ſtultè ſuperioribus vendicant: nec putauit vileſcere autoritatem ſuam, depoſcendo à ſubditis veniam: ac proinde non eſt quod ſacri præfecti ſupra Auguſtinum ſapere velint, & quod ille religioſè præſtitit, refugiant præſtare, ſtudio retinendæ autoritatis.

7. Alter ad ferociendum prætextus, ſpecioſior eſt, & non iam à ſtudio propriæ Præfecti excellentiæ ac dignitatis tuendæ petitus, ſed à neceſſaria cura profectus ſubditorum. Non eſt dubium, quin poſſit debeátque Præfectus, exercere ſuos & perfectionem promouere, cum aliis modis, tum etiam aliquo interdum imperij vigore. Sed inconſultiſſimum præfectò fuerit, quod aliquando ex vſu eſt, facere perpetuum. Et impetit ſanè ea agendi ratio, non obſcurè, Deum ipſum. Quis enim adeò vecors fuerit Præfectus, vt ſe Deo ſitientiorem profectus ſuorum, audeat ſentire? At Deus, tametſi cupidiſſimè in prouehendam perfectionem noſtram feratur; abſtinet tamen ferocia rectionis, nec ei iugiter adhibendæ, prætexit vtilitatem ſubditis acceſſuram; ex ſubminiſtrata illis per rectionem aſperam, exercitatione patientiæ. Nec rarò quod zelus præferuidus ferocis Præfecti fruſtra tentat, præſtat mulcens benignitas, & condeſcendens inferioribus, etiam indocilibus, prudens charitas. [Sciendum eſt, (inquit S. Gregorius;) *d* quod nonnunquam cum inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci ſunt admonitione mulcendi. Quos enim cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenia blandimenta compeſcunt. Quia & plerumque, ægros quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad ſalutem priſtinam tepens aqua reuocauit; & nonnulla vulnera quæ curari inciſione nequeũt, fomentis olei ſanantur. Et durus adamas inciſionem ferri minimè recipit; ſed leni hircorum ſanguine molleſcit.] Quid quod Præfectus ipſe, ſibi primum proſpicere, & in profectum ſuum inuigilare ante omnia tenetur. At hæc expeditiſſima eſt & ſanctis omnibus trita proficiendi via, vt infirmos quamdiu per diſciplinæ incolumitatem licet, benignè ferendo, & cum manſuetudine ac charitate iuuando, aliena damna in lucrum ſuum vertant, exercendo ipſimet patientiam; ſéque ea ratione ad omnem virtutem magis in dies promouendo; quod debere eſſe optimi Præfecti ſtudium, etiam cum eos habet ſuæ curæ concreditos, qui alicuius commotionis iuſtam cauſam præbent, optimè notauit Anonymus Climaci ad Paſtorem Scholiaſtes. *e* *d 3. p. paſt. admon. 14.* *e ad c. 11. Schol. 1.*

8. Quare faceſſant excuſationes iſtæ in peccatis; nec qui lupi ſunt, veniant ad agnos in veſtimentis hiſce ouium, prætendentes iniectam ea munere neceſſitatem exercendi, ideſt vexandi & opprimendi ſubditos: ſed lupinum hunc agendi modum abijciant, humanum aſſumant. [Nonnulli (inquit Petrus Damiani;) *f* cum regiminis *f ſerm. 5.*

curam ſuſcipiunt, ad lacerandos ſubditos protinus inardeſcunt: Terrorem proſtratis exhibent, & quibus prodeſſe debuerant magis nocent, & quia charitatis viſcera non habent, domini videri appetunt, patres ſe eſſe minimè recognoſcunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant, & ſemetipſos quaſi quidam tyranni, in ſuperbiæ cornibus exaltant: & ſi quandò extrinſecus blandiuntur, intrinſecus ſæuiũt. De quibus per ſemetipſam veritas dicit; *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* In veſtimentis quippè ouium veniunt, quia vellus quidem innocentiæ in ſuperficie prætendunt: ſed lupi rapaces ſunt, quia malitiæ morſus in occulto cordis exacuũt, non attendentes illud, quod Dominus diſcipulis ſuis dixit; *Ecce* (inquit) *ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Qui enim locum prælationis ſuſcipit, mala inferre non debet ſed tolerare; vt ex ipſa ſua manſuetudine, iram ſæuientium mitiget, & peccatorum vulnera in aliis, ipſe afflictionibus vulneratus ſanet. Quin & ſi quando zelus rectitudinis exigit vt erga ſubiectos ſæuiat, furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate; quatenus vt iura diſciplinæ exhibeat; & intus paterna pietate diligat, quos foris quaſi inſequendo caſtigat. Mali autem paſtores non ſunt agni inter lupos, ſed potiùs ſicut lupi inter agnos ſunt, quia dum à ſubditis ſibi nullum plerumque morſum læſionis excipiunt, ipſi in eos rapinæ ſuæ dentes crudeliter figunt.]

a homil 17. in Euang.

Exſcripſit magna ex parte, verbatim S. Gregorij.a

9. Hinc deprehenditur, fruſtra ſibi ferocem præfectum de zelo quo flagrat abblandiri. Non enim tenera zelus eſt, ſed furor ſi Guillelmum Pariſienſem b audimus, qui in hoc campo excurrit, & in has (vt appellat) *ſimias zeli*, concitatur & potenter & copioſè, & inducens per proſopopeiam, zelum, à quo mentitio impingitur, his qui ferociam ſuam zeli ſipario obducunt. Paucas plagulas ex eius prolixa diſputatione decerpere, maximè conferet ad præſens negotium. Nec eſt faſtidienda, nonnulla in eius ratiocinatione prolixitas aut elocutionis ſimplicitas rationem robore penſanda. Sic igitur præter cætera in feroces zeli ſpecie præfectos, concitatur. [Viri qui creduntur *zelatores*, homines inſenſati ſunt; hoc eſt ſine capite, & homines furibundi, belluina rabie ſæuientes in peccatores faucibus & dentibus, dum probris, contumeliis, conuitiis, eos immoderatè, & inſaniſſimè deprauant ac dehoneſtant; & in facie hominum confundunt confuſione quæ ſolùm adducit peccatum, de qua legitur Eccleſ. 4. Deindè velut vnguibus cattorum vel pardorum graſſantur & debacchantur in eos; vt non correctores aut medicos ſpirituales erga eos ſe exhibeant, ſed hoſtes atrociſſimos & perſecutores implacabiliſſimos. Huiuſmodi homines inexorabiles ſunt, & quantum in eis eſt, iudicium Dei futurum euacuant, dum omnia ſic vindicare, totis viribus, enituũtur. Si enim vt ait Auguſtinus, omnia hic vindicarentur, locum diuina iudicia non haberent. Non haberet ergo Deus aliquid facere in futuro iudicio, ſi poteſtas tanta daretur hic huiuſmodi hominibus. Ipſa etiam officia Dæmonum, quæ ſunt torquere & cruciare, officioſiſſimè implent hic huiuſmodi homines. Vnde & in ore eorum ſemper ſonat vox diabolica, *crucifigatur, confundatur, deponatur, deiiciatur, eruatur.* Poteſtas in manibus hominum

b l. de moribus cap. 8.

huiuſmodi, gladius eſt procul dubio in manu furentis. Vix aut nunquam de ore eorum auditur, *emendetur, corrigatur.*

10. Hi cum Medicinam ſpiritualem, videlicet animarum, profiteantur, non pro varietate vulnerum aut morborum ſpiritualium, varietatem adhibent medicamentorum. Vrere norunt ſolummodò & ſecare. Quacumque enim ægritudine ſpirituali laborat quis, ferrum & ignem ſtatim adhibere conantur, cum dicat eis Auguſtinus, non ſanat oculum quod ſanat calcaneum, vel manum. Nihil de vnctionibus, nihil de fomentationibus nihil de cataplaſmatibus curant; nihil de potionibus, niſi fortè de potione abſynthij amariſſimi, aut alterius cuius ſumptio tormentum ſit & non medicina &c. Medicandi ſunt autem, qui vulnerati ſunt, non nouo vulnere transfigendi. Quid autem aliud facere poteſt quàm vulnerare, qui venit ad infirmum in ſolo igne & gladio; in igne quidem iracundiæ, in gladio autem acuto linguæ? Huiuſmodi homines refectoribus ſimiles ſunt veterum ac putridarum patellarum, qui dum foramen vnum nituntur obſtruere vno ictu mallei fabrilis, quinque vel ſex alia faciunt; vel illud adaugent in duplo, aut ipſam patellam totaliter diſſipant & cõfringunt. Huiuſmodi homines omnia vaſa ex quacumque materia ſint, malleabilia eſſe opinari videntur. Omnia enim malleando reficere velle videntur, non attendentes inſaniſſimi, quod fictilia aut vitrea malleationibus potius confringuntur & diſſipantur, quàm reficiantur. Correctio autem quam ſolam intendere debent, non eſt niſi refectio vaſorum ſpiritualium confractorum: hæc ſunt corda peccatorum, ex eo quod legitur Eccleſ. 21. *Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non tenebit.* In domo autem Dei magna, id eſt Eccleſia, ſunt vaſa non ſolùm aurea & argentea ſed etiam lignea & fictilia ſicut dicit Apoſtolus 2. Timot. 2. Manifeſtum autem eſt, quod aurea vaſa & argentea, & ignem fortiſſimum & malleum ſuſtinent. Propter hæc intolerabilis eſt inſania huiuſmodi fabrorum ſeu refectorum, qui nec diuerſitatem vaſorum, nec fortitudinem aut debilitatem ipſorum attendunt, vno ſolo artificio in omnium refectione vtentes vel priùs abutentes. Hi omnium peccatorum correctionem & ſalutem facilè deſperant, & vtinam non frequentius ad malè ſentiendum de hominibus faciliſſimi eſſent; ad benè ſentiendum difficiles & tardi. Ianitorem peſſimum ac peruerſiſſimum cordibus ſuis præfecerunt, qui mala de fratribus tam facilè ingredi patitur, (imo paſſim ea recipit) bona verò vix intrare. Hi ſemel conceptam de fratre malam opinionem vix aut nunquam deponunt. Benè, niſi de ſuis familiaribus, rarò vel nunquam ſentiunt: de aliis vel ſemper, vel frequentiùs malè. Hi contra muſcas vel pulices leuium peccatorum, in gladio duro & forti plerumque pugnare volentes, ipſos peccatores occidunt. Quemadmodum quidam cum muſculam videret ſuper caput alterius volitantem aut inſidentem; dum eam ſecuri tentaret percutere, excerebrauit illum. Sic & iſti, dum leuia peccata in fratribus, gladio verbi Dei intendunt percutere, tanto conatu & impetu percutiunt ea, quod ipſos fratres huiuſmodi percuſſione occidunt, vulnus eis iræ mortalis, vel odij infigentes.]

11. Sed hoc quidem æſtuoſi iſti zelatores,

erga

erga eos dumtaxat ſeruant, à quibus non mulcentur, aut laudibus indignis aut adulatorio blandiloquio: erga eos verò quos habent aſſentatores, aut decorum buccinatores, non ſic. Ex quo manifeſtè liquet, non ex vero zelo, qui vniformis eſſet, & vbicumque legitimum virtutis motiuum reperitet, pari vigore exerceretur, ſed ex zelo ſimulato nec niſi falſi nominis eſſe operatos.
artic.128. Ideóque in Regula S. Pachomij diligenter cauetur, ne [Præpoſitus reſoluatur riſu ſtultorum & ioco, & ne capiatur cor eius ab eis qui inepta loquuntur & dulcia, neuè paruulorum ſermone ducatur,] à quibus ſcilicet applaudentibus delinitus, indulgeat blandiloquis, in cæteros durus & ſeuerus exactor: qua nullam eſſe teriorem in Monaſterijs peſtem certò vaſtaturam omnia pronunciat ad ea verba Hugo Menardus, ſcribens in
c.28.§.8. concordiam Regularum à S. Benedicto Anianenſi concinnatam, in quam illud caput regulæ S. Pachomij illatum eſt. Nullum ergo poſſe eſſe præſentius Monaſterijs malũ affirmat Menardus, quàm ſi Præpoſitus, aliquorum lenocinio incapiſtratus quo illi voluerint feratur, diſſimulans eorum culpas non propter pœnitentiam, ſed propter gratiam qua iſti apud illũ valeant, rigidus cæteroqui in cæteros, & vniuerſum debitum exigens vſque ad nouiſſimum quadrantem. Quare rectè quoque S. Cæſarius Epiſtola ad Oratoriam Abbatiſſam in Concilij Aquiſgranenſis collectaneis exſcriptam, & ab eodem S. Benedicto Anianenſi commutato fœminino genere in maſculinum ex parte relatam, ſic admonebat. [Inter cætera, cum magna tibi cautela cuſtodiendum eſt, vt omnes in Monaſterio quorum gubernacula tuis æqualiter impoſuiſti ceruicibus, diligas: nõ vnum plus, minúſve ames, ſed cuncta quæ ſunt, in quo poſſibilitas extat, æquo moderamine diſponas, parique moderatione diſpenſes, ac parem eis charitatem impertias: & non quibuſlibet per priuatum amorem, ſed cunctis ſecundum merita ſingulorum, quæ ſunt neceſſaria largiaris. Non qui tibi vultu intuitúque placuerit non quem tibi ad oculum ſeruire cognoueris, vel à cuius blandiori fueris obſequio delinitus, ſed quem amor Chriſti, & religioſior commendauerit vita, præponas.] Idem grauiter commendat differens
a c.2. reg. de Abbatis dotibus S. Benedictus. a

12. Rectè ergo Guillelmus Pariſienſis, damnabat in Zelatoribus (vt vocat) & furorem ſuum zelo tegentibus quod inæqualiter ſæuirent, & ſibi blandis lenes, cæteris immites eſſent. quem negat eſſe zelum verum & ſanctum, qui charitatis flos eſt, & neminem vrget ad furendum & inſaniendum, quod facit iſtorum præferuidus æſtus zeli pallio obductus, à quo quanta mala exiſtant in ſacris cœtibus, demõſtrat exemplo cuiuſdam fatui magnatis qui diuinum præceptum de rectè incedendo diſtorquens, prætextu ſeruandi diuini mandati & à recto non declinandi, viam ſemper inire volebat per lineam rectam; ita vt vel ſuper arbores proceras aſcenderet excenſionem indidem recta facturus, ne vel tantillum à recto tramite deflecteret; vel muros pertunderet vt rectus illi eſſet progreſſus nec viam ſuam quoquomodo obliquaret. Quod iſte per inſaniam ſpecie ſeruandi diuini mandati præſtabat magno cum damno multorum quorum rebus incommodabat, hoc præfecti zelo incondito & æſtuoſo acti magna cũ pernicie Religioſorũ cœtuum præſtant, ita vt neget Guillelmus, poſſe tot & tanta damna narratione vel ſcriptione cõprehendi, cum plerumque aliquos ſuorum ad grauia ruinas ſcandali teterrimas vrgeãt. Et vt per patientiam ſubditorum eò non deueniretur vt euerterentur & proteruiam facerent; tamen vt minimùm, pacem domorum, eamque tranquillitatem ſilentioſam quam Deus ſibi in ſedem delegit, miſerè exterminant. Si quidem in tempeſtate & turbine ſunt viæ eorũ, ſicut legitur in textu Nahum. Et quocunque conuertantur, ſunt quaſi tempeſtas tranſiens. Quemadmodum enim poſt tranſitum tempeſtatis, alius luget ſegetem ſuam degrandinatam, alius vineam, alius domum ſuam concuſſam & dirutam, alius nauem confractam, alius mercium periculum: ſic vides in vnoquoque collegio vel Congregatione, alium lugere detrimentum lectionis, alium orationis, alium meditationis, alium diſciplinæ, alium pſalmodiæ, & ita de aliis. Propter hoc dictum eſt Prou. 10. *quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius.* Similes ſunt quoquè iſti tempeſtuoſi homines pugilibus ſiue propugnatoribus, qui mole corporis & viribus præualentes, in medio preſſuræ aliorum hominum, recti & rigidi incedentes, alios deijciunt, alios impellunt, alios conculcant, alios pede calcantes grauiter lædunt, alios cõprimunt, alios à greſſu impediũt, clamorémque mirabilem & maledictionem multitudinis poſt ſe relinquũt. Sic pauciſſimos videbis in quacumque congregatione, vbi tales conuerſati aliquandiu fuerint, quin poſt receſſum ſuum ſiue deceſſum, querelas ſimiles & maledictiones pro læſionibus impedimentiſque ſpiritualibus reliquerint, & quia eis cum ibi conuerſarentur, fuerint communicatæ. Cum iſtis non eſt ambulandum inter ventres prægnãtium. Quis enim enarrare ſufficiat quos & quantos abortus ſanctorum conceptuum ſiue propoſitorum fieri faciant huiuſmodi homines? Quot partus teneros inſipientium, conculcando vel cõprimendo ſuffocent? quot adultos gladio ſuo vulnerent? quot omni generi bonorum impedimenta præſtent? Omittimus alia quæ vidimus, & ex teſtimonio fide dignorum accepimus, quia penè innumera ſunt, propterea autem omnia hæc diximus, vt nemo ſibi ſupplaudat de zelo ſancto, cum iſta rabies illum exagitauerit. Nemo huiuſmodi rabiem excuſet in huiuſmodi hominibus.]

13 Excitari viciſſim ab huiuſmodi (vt vocat) Præfecti animo impotentis, rabie, quandoque rabiem ſubditorum perdentium ſuſtinentiam, & ad enormia quædam, & propudioſa deueniri quæ violentiam zeli amari in Præfecto occaſionem ſaltem tot malis præbente demonſtrent, ſic proſequitur inferiùs idem Guillelmus. [Huiuſmodi zelatores, in Beelzebub eijciunt dæmonia, & in Satana Satanam expellunt, ſi non potiùs introducunt vel magis impellunt. In ſpiritu enim furoris, ſpiritum luxuriæ interdũ credentes eijcere, non eijciunt, ſed ipſum latitare compellunt. Plerumque ſpiritum iræ, ſpiritum odij, ſpiritum ſimulationis, & ſpiritum mendacij, in eos quos corripiunt introducunt, dum eos ad iram mortalẽ & odium contra ſe concitant & irritant; ſimulatores eoſdem & mendaces efficientes, interdũ etiam perjuros, dum ſimulare eos compellunt terroribus ſuis deſeruiſſe vitia quibus adhuc laborant, & mẽtiri de hoc, inſuper & peierare. Et hoc multis experimentis didicimus. Vndè & poſtquàm exierit tempeſtas eorum apparet manifeſtè non extirpata fuiſſe vitia per eorum furorem, ſed magis ad tempus latuiſſe quædam, quæ non ſolùm

vt priùs erumpunt quaſi beſtiæ de cauernis, ſed cum multitudine nouorum quæ ſicut diximus per huiuſmodi hominum inſaniam generata ſunt, & ita factus eſt error nouiſſimus peior priore, dum adauctus eſt vterque exercitus diabolicus tam vitiorum quàm hominum malorum, & propter hoc procurantur impedimenta atque repagula, non quibus compeſcatur iſta inſania, ſed quibus impediatur correctio ſalutaria. Aut enim appellant ſic oppreſſi, ſaoſ congregata ſibi multitudine ſimilem debacchationem timentium, reſiſtunt in faciem peſtiferis huiuſmodi hominibus, obedire etiam in modico denegantes, vel procurant ſua aſtutia, ſæuiendi eis ſubtrahi poteſtatem. Interdum etiam & in mortem ipſorum armantur, & clam niſia totis machinantur, vel palam ipſimet eoſdem occidunt, qualia temporibus præteritis fuiſſe facta iam dubium non eſt. Nec mirum eſt, cum ipſi medicinam ſalutaris correctionis, vertant in gladium perſecutionis. Sed ægros interdum, non tam freneticos ſentiant, quàm etiam ſeipſos, à furentium gladiis defendentes.] Non eſt quo vlteriùs prouehatur, zeli inconſulti cuius nomen præfectorum ferociæ obtendebatur, vbulentia atque malignitas.

14. Niſi iam faſtidirem adeò prolixam bruti ac hirci zeli impotentiam, & vaſtitatis quam ſitero acerbi infert, expreſſionem, adderem quæ præſtans in paideia Religioſæ perfectionis Magiſter Humbertus Ordinis Prædicatorum iam olim Generalis Magiſter, aduersùs effrenem hunc & exlegem zelum egregiè diſſerit, obſeruans nominatim abſurditatem aliquorum Præfectorum, qui ex hoc præferuido æſtu zeli nomine obducto, admodum abſurdè arripiunt machæram ad muſcam occidendam, & bipennem, vel ſecurim ad ouum confringendam.

SECTIO III.

De exprimenda moderatoribus Diuinæ rectionis fortitudine.

Ratio ordinis perſpicua eſt ex præmiſſis initio ſectionis ſecundæ. Quia ergo diuina rectio omnibus completa numeris ex concurſu ſuauitatis & fortitudinis integratur; iamque ſigillatim diſputatum eſt pro exprimenda diuinæ rectionis ſuauitate; ſequitur vt ſigillatim diuinæ rectionis fortitudinem demonſtremus, vt eam quoque humanis moderatoribus exprimendam eſſe ſuadeamus.

PVNCTVM I.

Sigillatim de diuinæ rectionis efficacia.

1 QVÆ hactenùs tradidimus de ſuaui & leni gubernatione ad diuini regiminis normam expreſſa, & in humilitate præſidis radicata, non eò pertinent, vt humana rectio deſtituatur fortitudine. Vndè S. Gregorius *a* cum negaſſet, ſuperioris eſſe, velle timeri, addit. [Et tamen neceſſe eſt; vt rectores à ſubditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt. Vt humana ſaltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquam namque præpoſiti ex hoc quæſito timore ſuperbiant, in quo non ſuam gloriam, ſed ſubditorum iuſtitiam quærunt. In eo enim quod metum ſibi à peruersè viuentibus exigunt, quaſi non hominibus ſed animalibus dominantur; quia videlicet ex qua parte beſtiales ſunt ſubditi, ex ea debent etiam, formidine ſubiacere proſtrati.] Addit alia, quibus fortitudinem eſſe rectionis nervum, nec abeſſe à probata gubernatione debere, ſapienter demonſtrat. Hoc itaque ſuppoſito, oſtendendum ſequitur, diuinam rectionem, quam humanæ veluti ideam ſtatuimus, quamuis diſponat omnia ſuauiter, elumbem tamen non eſſe, attingere à fine vſque ad finem fortiter, vt eſt apud Sapientem. Ex quo inferrè ſolidè licebit, probatam rectionem humanam, non debere fortitudinis laude deſtitui, quamuis à ſuauitate commendetur, qui eſt hoc loco ſcopus noſter.

a p. paſtor. cap. 6.

2. Quid porrò ſit, diuinam rectionem attingere à fine vſque ad finem fortiter, non erit obſcurum, ſi perpendamus, Deum rectorem, omnia ad propoſitum diuinæ gloriæ ſcopum conſtanter dirigere, & infallibiliter perducere: nec contentum tenuiſſe initio curſum ſuum, ſenſim enigeſcere ac molleſcere, vt nobis paſſim accidit; ſed eodem ſemper vigore, non feſſum non languentem, ab initio ad metam vſque progredi in conſilij ſui executione; eámque promouere per media, tametſi eluctabilia, tamen proportionata & valida, certoque paritura effectum. Quod in naturalibus eſt perſpicuum, vbi tanta ſeriei rerum, & curſus cauſarum conſtantia cernitur. Eſt autem euidentiſſimum quoque in ordine gratiæ, & deductione certa electorum ad finem illis præſtitutum, quam non Satan, non mundus, non creatura vlla fruſtra, & quantæcunque ad eam impediendam vel abrumpendam fœderentur aduerſariæ acies; tamen quos Deus prædeſtinauit ad beatam ſortem Sanctorum, illuc certò per ſummas licet difficultates & quantoſuis

ſtricum aggeres ſunt peruenturi. Idque erat quod Chriſtus de ſuis ouibus, hoc eſt de electis affirmabat, neminem poſſe eas rapere de manu Patris. Renitantur enim quantum volent ac poterunt Satanas & eius emiſſarij. Omnes ipſorum conatus erunt caſſi. At ne ea quidem exceptio admitti poteſt, quam Iſidorus Peluſiota adhibuit, reſpondens Paulo cuidam interroganti, quomodò pereant tam multi, ſi nemo rapit de manu Patris. Ait enim S. Iſidorus, neminem quidem ex inuicta & ſuperabili manu Dei eripi poſſe per vim & tyrannidem; poſſe tamen vnumquemque inde excidere voluntate ſua, ob arbitrij libertatem, quam Deus vult eſſe cuique intemeratam vnde fit multi pereant. Hoc dico non eſſe admittendum. Nam quamuis veriſſimum ſit, libertatem ſemper ſupereſſe, tamen electi benigna Dei manu prehenſi ac cuſtoditi, ne ſua quidem voluntate inde abſtrahentur, quamuis aſtrahi poſſent. Voluntas enim conſtanter adhærebit Deo, neque inde volet excidere in ſuum exitium, ſed regente ac fouente Dei manu, indiuulſa vſque in finem perſtabit, non modò extrinſecis niſibus illabefactata, ſed etiam aduerſus vertibilitatem firma, præ diuino præſidio, quo roboratur ne in ruinam ſuam velit excidere è Dei fouentis manu, tametſi exciſura ſi liberet.

3. Quæ mihi videtur omnino maxima diuinæ gubernationis fortitudo, optimè his verbis expreſſa ab Hugone Victorino, *a* cum tractat quid ſit, ſapientiam fortiter à fine vſque ad finem attingere [Propterea ſapientia militiam vincit, & ſtultitiam præcedit, quia *attingit à fine vſque ad finem*; id eſt ab exortu omnis boni, vt malitiam tranſcendat, vltra defectum cuiuſdam boni, vt malitiam concludat. In quo enim omne bonum aliquando ſine corruptione extitit, prior ſapientia agnoſcitur. In quo autem etiam bono quod corrumpitur, poſt corruptionem aliquid ſupereſt boni, quod omnino corrumpi non poteſt poſterior ſapientia inuenitur. Vincit ergo ſapientia malitiam; quia attingit à fine, in quo omne bonum initium accepit: vſque ad finem, in quo etiam corruptum bonum poſt defectum boni in aliquo bono ſubſiſtit. *Attingit autem à fine vſque ad finem fortiter*, vt ipſam malitiam poteſtate, ad menſuram cohibeat, & ratione ad ordinem reſtringat: ne vel in finem ſe porrigat totum perimens corruptio; vel ad extrema ſe diffundat, totum deformans confuſio. Propterea, ergo fortiter vbique pertingit ſubijciens malitiam dominationi ſuæ: Et quidquid illa corruptionis, ad confuſionem ingerit, hæc lege mirabili, ſecretaque diſpoſitione, ad decorem operum ſuorum conuertit: ex non pulchro, efficiens vt pulcherrimum fiat quod pulchrum eſt, & quod bonum per ſe non conſtat, ex eo quod bonum non eſt, in commutationem bonitatis conſurgat.] Vides in quo ſita ſit, iuxta Hugonem, diuinæ rectionis efficacitas, & fortitudo Nimirùm in aptatione mediorum ad aſſecutionem finis propoſiti, infracta proſecutione. Eodem reſoluitur S. Bernardi interpretatio. Hoc eſt ſapientiam attingere à fine ad finem, ait S. Bernardus *b* [quod attingit ab ortu creaturæ, vſque ad finem deſtinatum à Creatore, ſiue in quem vrget natura, ſiue quem accelerat cauſa, ſiue quem concedit gratia. Attingit fortiter dum nihil eorum euenit, quod non prout vult, potentia, prædordinet prouidentia.] Non eſt autem neceſſe, prouidentiam vt ſit fortis & potens eſſe violentiam & adigentem. Imo tum demum fortiſſima erit, cum ſola perſuaſione nitetur: Sanè D. Chryſoſtomus, *c* nullam fortitudinem ei parem eſſe quæ humanam voluntatem perſuaſione ſola domat, egregiè confirmat. Et diſertè Iuriſconſultus *d* tradit [perſuadere fortius eſſe quàm compellere.] Huiuſmodi fortitudinem adhibebat in regendo S. Honoratus, vt monſtrant illa Hilarij Arelatenſis de eo, in laudatione. [Ad omnia quæ agenda erant, cogebat: Cogebat autem, blando illo (ſicut ſemper ſolebat,) imperio.]

a homil. 11. in Eccl. *ſub finem.*

b l. de grat. & lib. arb. *poſt med.*

c homil. 6. ad Epheſ.

d l. 1. ff. de ſeruo corrupto.

3. Quis verò paſſim, fortem & robuſtam rectoris manum, frangendis, mulctandiſque contumacibus, prodi arbitrantur; (& aſt ſanè vigor ille in coërcendis præfractis ingenijs, efficaciæ huius ac fortitudinis portio quædam;) neque hæc fortitudo rectioni diuinæ deeſt, aut deficit vnquam. Quæ enim & quanta diuinæ Iuſtitiæ vltricis argumenta in rebelles, & diſcolos pertinaces, habemus ab omni æuo. Hanc ob cauſam, Deum ab Eſaia *lucis* & *ignis* nomine deſcriptum, obſeruat S. Ambroſius, *e* quod qui lucem ſequi diuinam reſpuent, ignis quem mox admouebit obnoxij eſſe moneantur. An ea Philone, vt ſæpè aliàs, profeciſſe dixerim S Ambroſium, an ex Origene? Apud vtrumque certè idem habetur. Nam Philo exponens quorſum Deus legem dederit in monte Sinai, loquens ex igne, cauſam repetit ex vi duplici ignis, illuminatrice ſcilicet, & vltrice: quarum priore, commodum piorum legi auſcultantium; poſteriore vitio in præuaricatores exhibetur, præſertim quæ grauior & tetrior eſt, ac turpibus flammis animi quas malus quiſque ſibi excitat, continetur, Origenes verò *f* diſſerens de baptiſmo in Spiritu ſancto & igne, ſic loquitur. [Forſitan, & IESVS baptizat in Spiritu ſancto, & igne non quia eundem in Spiritu ſancto atque igne baptizet, ſed quo Sanctus baptizetur Spiritu ſancto: & is qui poſt fidem, & magiſterium Dei rurſum ad ſcelera reuerſus eſt, cruciatu purgetur incendij. Beatus qui lauacrum accepit Spiritus ſancti, & ignis lauacro non indiget. Miſerabilis autem, & omni fletu dignus, qui poſt lauacrum Spiritus, baptizandus eſt igni. Vtrumque ſiquidem habet baptiſma IESV. Exiit namque virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit. Virga peccatoribus, flos iuſtis: ſic Deus & ignis conſumens, & lumen in ſcripturis dicitur ignis peccatoribus, lumen ſanctis.]

e ſerm. 8. Pſal 118. v. 2.

f hom. 13. in Ieremi. ſi ne

5. Optimè quoque in eandem ſententiam Cyrillus Alexandrinus. *g* [Non id natura Dei erat quod in monte Sina cernebatur, ſed ignis tantùm ſpecies. Auditæ ſunt tubarum quoq; voces. Quin & fumi quoque, ſupra montem ſuccenſi ſunt; hæ futuræ veritatis typum, gerebant, quam etiam adumbrabant. Deſcendit ergo vniuerſorum Deus ſupra montem Sinai in ſpecie ignis. Et cur quæſo in ſpecie ignis? Sanè quando illis promulgaturus erat legem, tum ſalubriter admodum in ignis ſpecie deſcendiſſe viſus eſt; nempe quo hinc tranſgreſſores illius, intelligerent rem ſibi cum igne fore. Quare Beatus quoque Moyſes, quo metu peccantes ad reſipiſcentiam impelleret, ſubinde clamare ſolitus erat,

g in homil. Epheſ. habita t. 6 Côc. Epheſ c. 5.

Deus noſter, ignis conſumens eſt. Oborti ſunt etiam fumi,& tenebræ: per tenebras Dei cognitionem ſenſu noſtro comprehendi non poſſe, appoſitè inſinuatur. Per fumum verò lachrymas omnino illis, qui Dei legem ſtudio contemnerent olim non defuturas, ænigmaticè docebatur; neque enim corporeus oculus, in fumo lachrymari non poteſt] lacrymati profectò ſunt Hebræi, & ignem conſumentem ſunt experti, per legis à Deo ſuſceptæ, contemptionem. Quem enim latent diuinæ rectricis fortitudinis in plebem Iudaicam ſpecimina?

6. Commenſa & proportionata, bonitati, & ſuauitati in populum, ad faſtidium vſque exprompte, robuſta vltio, & fortis caſtigatio fuit. Innumeris eum imbribus beneficiorum perfuderat Deus & vt apud Saluianum *a* [Ingreditur eremum victrix gens Hæbreorum Agit iter ſine itinere, viatrix ſine via, primò Dei diuino conſilio honorabilis, ductu cœleſti potens, ſequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diuerſitates pro temporum diuerſitate ſomentem: ſcilicet vt diei lumen luteá obſcuritate diſtingueret, & caliginem noctis flammeo ſplendore claritatis irradiaret. Adde huc fontes repente natos, adde medicatas aquas, vel datas vel immutatas, ſpeciem ſeruantes, naturam relinquentes. Adde aperta erumpentibus viis, montium capita, adde ſcaturientia nouis pulucrulenta arua torrentibus, adde illos itinerantium caſtris altum greges Dei pietate indulgentiſſima non vſibus tantùm hominum, ſed etiam illecebris ſeruientes: datum per quadraginta annos, aſtris quotidie famulantibus cibum; torantes iugiter eſcis dulcibus polos, non ad victum tantùm ſed etiam, ad delicias perfluentes. Adde homines in nullis membrorum ſuorum partibus acceſſus & deceſſus humanorum corporum neſcientes; vngues non auctos, dentes non imminutos, capillos ſemper æquales, non attritos pedes, non ſciſſas veſtes, calceamenta non rupta, redundantem hominum honorem vſque ad induuiarum vilium dignitatem. Adde huc erudiendæ gentis officio, deſcendentem ad terras Deum, accommodantem ſe terrenis vſibus Dei filium, innumeratæ multitudinis plebem, in conſortium diuinæ familiaritatis admiſſam, ſacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum cœleſtium ſonos, tremendum totius vndique aëris fragorem: polos ſacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas, Deo plenas; loquentem cum Moſe Dominum, legem diuino ore reſonantem, inciſas Dei digito litteras, rupices paginas, ſaxeum volumen, diſcentem populum, & docentem Deum, ac mixtis penè hominibus atque Angelis, vnam cœli, ac terræ ſcholam.] His tantis bonis, cum flexa non fuiſſet Iſraëlis malitia, iuſtum ſe Deus æquè ac bonum probauit, iis fortiter immiſſis flagellis, quæ vniuersè & ſigillatim ad finem vſque libri proſequitur eodem loco Saluianus. Et quod in eam vnam gentem obſeruatum à Deo eſt; æquè, ſerius ocius, circa alios, & circa ſingulos peccantes obſeruatur.

a lib. 1. de prouid. ſub finem.

7. Falsò autem cenſeret quis, obledi inde bonitatem & clementiam diuinam In quam rem amœniſſimè de more diſſerit S. Ambroſius. *b* [Semper (inquit) Deus bonus eſt; idcóque, & Paulus ait, *vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei* Bonitas enim in omnes eſt, ſeueritas in paucos. Deniquè ſubdidit idem Apoſtolus. *In eos qui ceciderunt ſeueritatem quidem, in te autem bonitatem.* Si enim non cecidiſſent, vtique vterentur & ipſi bonitate Dei. Nam tibi ideo bonus eſt, quia permanes: quod ſi non permanſeris in bonitate, & tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus eſſe deſiſtet, quia tu lapſus es,& indiges ſeueritate. Siquidem, & ſeueritas Dei in bonitate, vt recurrat vnuſquiſque caſtigatus, pedem referat à peccatis & ad virturū tramitem; bonitatem, bonamque conuerſationem recurrat. Denique docet de illis qui ceciderunt Apoſtolus *Quia ſi non permanſerint in incredulitate, & inſerentur. Poteſt enim Deus inſerere illos.* Vt quemadmodum deſerta virgulta, ita & homines velut caudicibus quibuſdam virtutis inſerti, bonorum fructus poſſint ferre meritorum. Accuſes neceſſe eſt medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras putauerit exſecandas, quia noxia & ſerpentia vlcera igni adusſerit, virus in vlteriora proſerperit; vel quia magiſter diſcipulum verberauerit negligentem. Caſtigare enim amantis eſt, non execrantis: & Ideò bonitatis eſt, non crudelitatis. Rectè ergo & Dominus vbique eſt bonus, & cum remittit flagitia & cum peccata caſtigat. Caſtigat enim Dominus quem diligit. Caſtigatus eſt etiam Dauid. Denique ait; *Et fui flagellatus tota die.* Sed vir ſapiens, qui intellexit caſtigationem illam ſibi Domini profuiſſe, ait: *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum.* Hoc eſt, & ſi ad tēpus amara viſa eſt mihi caſtigatio ſecundum carnem, ſecundum mœſtitiam corporis, tamen ſecundum verbum tuum caſtigatio illa fructus bonitatis attulit.] Huc ſpectant diſputationes multorum Patrum alibi adductorum, *a* quibus oſtendunt, bonum eſſe Deum quia noxij hominis bonitatem, plectendo curat & promouet, Addendus iiſdem Origenes, *b* & Syneſius, *c* ac Philippus Abbas. *d*

b ſerm. 9. in pſalm. 118. o. 2.

a In Nou. Theol. diſt. 7. à n. 15.
b hom. 9 in Ierem.
c epiſt. 44.
d l. de ſilent. cap. 10.

8. Imo tametſi per obfirmationem hominis in ſcelere, caſtigatio diuinitus illata, fructum bonitatis non afferret ei qui corripitur; ſalua tamen maneret Dei bonitas & clementia; tum quia numquam hîc Deus plectit niſi citra condignum, diuidens dolores furoris ſui, vt præclarè Iobum expoſuit S. Gregorius; *e* tum quia ſemper inuitus venit ad caſtigandum, ita vt cum plectit, dicatur alienum opus eius ab eo. Exponit id præclara ſimilitudine idem S. Gregorius, tractans illud, *vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periſſe.* Ait ergo. [Hoc quod flare Deus dicitur, eget vt ſubtiliùs diſcernatur. Nos quippe cum flamus, aërem ab exterioribus cauſis introrſum trahimus, & introrſus tractum, hunc exteriùs reddimus, flare ergo Deus in vindictæ retributione dicitur, quia ab exterioribus cauſis introrſùs iudicij conſilium concipit, & ab interno cōſilio, extrorsùs ſententiam emittit. Quaſi flante Deo ab exterioribus aliquid introrſum trahitur, quando foris mala noſtra conſpicit, & intus iudicium diſponit: Extorſum, quaſi flante Deo, ab interioribus, ſpiritus extrorsùs remittitur, quando ab interno concepto conſilij, exteriùs iudicium damnationis infertur. Benè, Itaque dicitur, quod qui dolores ſeminant, flante Deo pereunt: quia,

e l. 15. mor. cap. 22.

vnde

vnde foris peruerſe faciunt, inde ab intimis rectè feriuntur. [Hoc aliter dixit Saluianus. *a* [Exacerbamus Deum impuritatibus noſtris, & ad puniendos nos, trahimus inuitum, cumque eius naturæ ſit mens Dei atque maieſtas, vt nulla iracundiæ paſſione moueatur; tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio eſt, vt per nos cogatur iraſci. Vim, vt ita dicerim, facimus pietati ſuæ, ac manus quodammodò afferimus miſericordiæ ſuæ. Cumque eius benignitatis ſit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis noſtris, ſcelera quæ admittimus vindicare.] Haurit ergo Deus à nobis ſupplicia quæ per res adigitur rependere delictis; & eatenus fortitudo diuinæ rectionis, aptè conciliatur cum bonitate, & clementia Dei irrogantes ſupplicium. At cum Deus ſibi (vt ita dicam) finitur, nec per nos ad plectendum vrgetur, fortitudo diuinæ rectionis ſita eſt in ea quam diui prouidæ & maturæ mediorum ad finem debitum aptationis executione firma, quoſuis interpoſitos obices perrumpente; non per impetum ineluctabilem, aut per vim neceſſitantem, ſed per certam & infallibiliter operantem perſuaſionem, cuius eſſe ſummam fortitudinem, ſupra præmiſi.

a lib. 4. de prouid.

PVNCTVM II.

Horrifica præfectorum fortitudo, ictum fluuii, ac procellam, & ſi quid huiuſmodi truculentum ac ferox ſimilitudine referens, alieniſſima à diuinæ rectionis fortitudine.

1. QVi rationem fortitudinis quam diuinæ rectioni adſcripſimus ritè perpenderit, nō difficile pronunciabit, quàm craſſus ſit multorum error, qui tum demum fortes ſe præfectos arbitrantur, aut cum affectata vel natiua vultuoſitate, eique reſpondente truculentia verborum, eum ſui terrorum incuſſerint ſubditis, vt coram illis hiſcere prorſus non audeant, vel facies attollere: aut cum duritie & ceruicoſitate indomabili, inexpugnabiliter perſtiterint in ſemel ſuſcepta ſententia: aut denique cum maieſtate præcipiendi, & grauis obligationis paſſim ac ſine cauſa injiciendæ, omne imperium exprompſerint.

2. Vt ab hoc poſtremo initium ducam, non eſt reuera ea fortitudo, quæ ad diuinæ rectionis imitationem in humana præfectura depoſcitur; meritóque Alfonſus de Caſtro, *b* in tali modo agendi ac regendi, inſignem arrogantiam cum ſumma ignorantia coniunctam deprehendit. Neque enim Præfectus humilis & peritus, licitum ſibi vnquam cenſuerit, omnia in virtute S. Obedientiæ mandare: quaſi ſit in hominis poteſtate, pro libidine, tantam neceſſitatem cuiuis materiæ annectere. Carthuſianus quoque *c* grauiter fert, eſſe quoſdam ſuperiores, qui confeſtim ac cum ſubditis agendum & aliquid præcipiendum eſt, illicò exerunt gladium ſuæ autoritatis. Quæ cum Alexandro II. diſputat Petrus Damiani, vt ſuadeat ab ipſis Pontificiis mandatis eum rigorem amoueri, quo paſſim ac ferè ſemper, ſubditi iniecta grauis culpæ & incurrendi anathematis ne-

b lib. 1. de poteſ. leg. pœn. c. 3.

c 1. par. lib. cap. 13.

d lib. 1. epi. 12.

ceſſitate, vrgebantur parere: hic multo magis locum habent. Nam ſi in Paſtorum Paſtoribus, nimius viro ſancto viſus eſt vigor ille præcipiendi; quis ferat minores præfectos, pro exilibus ac tenuibus cauſis audere talia? Improbauit valdè S. Leo *d* zelum ac æſtum præferuidum Epiſcopi Theſſalonicenſis, qui quod ſedis Apoſtolicæ per Orientem Vicarius eſſet, Antiſtitem quendam, iuſſione præcipiti & nimiæ plena autoritatis illigauerat: E contrario enim docet S. Pontifex, quanta etiam cum iis qui deliquerint manſuetudine, ſit agendum Rectori Eccleſiaſtico: quamque ea fortitudo brutiorum, dedeceat Eccleſiaſticos moderatores, quantauis præfulgeant autoritate.

d epiſt. 84.

3. Habent proinde minorum gentium Præfecti, vnde diſcant aliter fortes eſſe, quàm ea imperandi arrogata maieſtate, quam nuper in vnius cuiuſdam ſacræ familiæ moderatoris edicto ſcriptis comprehenſo legere contigit: mandabat enim, neſcio quid à ſe præſcriptum executioni mandari, addita illa ſolemni ex Romanorum Pontificum Chriſti Vicariorum edictis formula, *ſi quis contra aliquid attentauerit aut præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.* Ex eodem fonte plerumque oriri, vt religioſorum Prælati inſano & impotente zelo ducti, ius naturale violent, & ferantur ad audendum ſupra quàm per ius naturale liceat, notarunt Panormitanus, *e* & Gutierres. *f* Non eſt hæc fortitudo, cui diuini regiminis fortitudo prælucear, ſed effrænatio & impotentia animi, digniſſima quæ coerceatur.

e ad cap. cum in ineunt. de purgat. Can.

f l. 1. qq. Cano. c. 12. num. 46.

4. Nec Apoſtolus, cum Tito præcepit vt ageret cum omni imperio, huiuſmodi tumorem animi in præfecto animorum ſemper ac vbiuis ratum habuit. Sed vt ibi D. Chryſoſtomus *g* cenſuit, cum ij quibuſcum Titus agebat, pinguiore & obtuſiore ſenſu eſſent; ideoque egerent increpatione dura, vt cap. 1. illius epiſtolæ præmiſſum erat; admonuit Apoſtolus Titum, non eſſe quod cum eis molliter ageret, lenitati genij ſui velificans; ſed qui tales ſubditi eſſent, meritò fodicari debere vehementiùs, & vrgeri ſeueriore imperio. Erat enim Titus natura mollior; Cretenſes autem quibus præerat, indociles & præfracti, quibus proinde ne petulantia augeſceret rectoris mollitudine & quaſi languiditate, fortior rectio conſentanea videbatur, vt S. quoque Gregorius adnotauit. *h* Id quod erga quoſcunque attritæ & ferreæ frontis ſubditos, æquè eſſe ſeruandum, traditur in Lauſiaca. *i* Quod igitur neceſſitas in eo euentu extorſit, & poteſt aliquando in ſimilibus cauſis extorquere, non eſt trahendum ad imperij petulantiam ſemper ac vbiuis prodendam; nec eſt cenſendum factam præfectis ab Apoſtolo poteſtatem, vt patris in prolem, mariti in vxorem, Magiſtratus Principiſve in ſubditos, Tyranni in oppreſſos imperio vtendum ſibi putent, vt omne imperium de Apoſtoli concilio expromant. Quanquam creditus Anſelmus, *l* ita illud *omne imperium*, eſt interpretatus, vt non ſonet dominationem potentiæ, ſed autoritatem ſuadeat vitæ. Cum omni quippe imperio docetur, quod priùs agitur quàm dicatur. Itaque exiſtimat Apoſtolum, Tito non poteſtatem claræ locutionis, vel maieſtatem regiminis; ferocem inquam aut petulantem, vel typhi

g hom. 5.

h hom. 11. in Ezech.

i cap. 117.

l ad eum locum.

typhi ac maieſtatis plenam imperandi formam præſcribere, ſed vitæ ſanctimoniam, qua conſiſus Chriſtus dominus docebat quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ ac Phariſæi, quibus probroſa vita totos dictionis ſubneruauerat, vt Matthæi 7. & Marci 1. eſt proditum. Tradit hunc propoſitorum Apoſtoli verborum ſenſum, S. Gregorius, *a* quem creditus Anſelmus apertè expilauit.

a 23. mor. cap. 13.

5. Labes altera quam craſſo errore, fortitudinis nomine in præfecto donari admonebam, eſt capitoſitas & obfirmatio iudicij in ſententia ſemel concepta, præſertim quam ipſe excogitauerit. Notauit, & cauendum in præſide hunc næuum admonuit, Petrus Bleſenſis, *b* dicens. [Eſt qui ſibi ſoli credit, quod peſſimum eſt; & hoc dumtaxat reputat, quod obdurata adinuentione concepit.] Iugulat hanc iudicij duritiem, (non enim laudabilem fortitudinem,) & nihil eſſe in eo qui cæteros regat pernicioſius, docet conſequenter Bleſenſis. Sanè qui ad eum modum rigent in ſuſcepto ſemel conſilio, dum Angelicam iudicij tenacitatem, & ei ſubiunctam voluntatis inflexibilitatem malè æmulantur, non conſiderant quantum ab Angelici luminis plenitudine abſint. Nam Angelis quidem conueniens eſt ea tenacitas & inflexibilitas, ſeu veriùs difficilior mobilitas, vt expreſsè tradit Nazianzenus, *c* & Damaſcenus, *d* ac apud Photium *e* Iobius Monachus, quia cum Angelus magno intellectuali lumine colluſtretur, ferè ſemper videt ab initio quicquid vnquam poſtea eſt perſpecturus: vnde mirum non eſt, quod firmiter adhæreat iis quæ ſemel ſuſcepit: quanquam etiam interdum variatis circumſtantiis, & nouo affuſo lumine, dimouetur de priore ſententia. At homo cui ſpiculum eſt intellectuale lumen, nec ab initio omnia perſpicit, manifeſtè prodit quàm cœcutiat, & malè ſe norit, cum obrigeſcit in concepta ſemel ſententia, nec de anteriore voluntate dejici ſe ſinit, malè cum imperio creuiſſe ſibi ſapientiam exiſtimans, reuera autem per imperium de ſtatu mentis deturbatus; vt Nazianzenus *f* in arrogantis Antiſtitis deſcriptione animaduertit. Itaque Cathvlphus Epiſtola ad Carolum Magnum, inter octo columnas fulcientes optimum Regem, numerat perſuaſibilitatem; quo nomine denotat rationabilem ſententiæ præconceptæ mutationem, abſque obfirmatione in anteriore iudicio.

b lib. de Inſtruct. Epiſcopi.
c orat. de Chriſti Natiuit.
d 2. fid. 3.
e Cod. 2 2. c. 4.
f orat. 20. num. 50.

6. Ipſi Ethnici, quàm ſit hæc obfirmatio & capitoſitas improbanda, cum in quouis homine, tum maximè in præfecto, disertè docuerunt. Pulchrè Antonius Imperator, *g* nec infrequenter Ariſtoteles, *h* ſed optimè omnino Epictetus apud Arrianum, *i* à quo illud nominatim euertitur quod aliqui capitoſitati & indomabili ceruicoſitati prætendant; nempe quod indecorum ſit, capita cæterorum, mobilia eſſe, & leuiter decedere de anteriore propoſito. Itaque cum ſibi obieciſſet illud pertinacis hominis reſponſum [Sed manendum in his conſtanter, quæ ſemel ſtatueris.] Reponit è contrario Epictetus. [Quid agis bone vir? non perſiſtendum in omnibus, ſed in his dumtaxat quæ conuenienter ſunt conſtituta ſi ita animo nunc affectus, pronunties noctem eſſe, tibique ita diceris videri, mutares ſcilicet nunquam ſententiam tuam, ſed in ea perſiſteres hanc ob cauſam, quod mutandam non videatur, ſi quid ſemel ſit conſtitutum? Quid agis bone vir? Nonnè omnibus tanquam principium, & fundamentum prælocandum, conſideratio videlicet decreti, verum rectè an ſecus habeat, quo poſito, cætera deinde ſuperſtruere, robur videlicet animi, & confidentiam in ſuſcipiendo cenſes? Quod ſi putridum illud ſit, aut ruinoſum, ab ædificatione abſtinendum. Nam quo plura, & ponderoſiora impoſueris, tanto ociùs ſubuertetur ædificium] Meritò igitur confirmat Epictetus, hoc non eſſe robur animi, ſed veram eius imbecillitatem & in iis qui huiuſmodi ſunt deprehendi quid ſit quod vulgo dici ſolet, ſtultum nec perſuadendo nec tundendo mutari poſſe. Verè enim amentiam cerni in eo agendi modo, quo quis idcirco tantum obfirmatur in ſenſu ac voluntate anteriore, quia anterius ſic ſenſit, & voluit timetque notari leuitatis, ſi de conſtantia ſua & fortitudine dimoueri videatur. [Hæ ſunt furioſorum vires, non ſanorum.]

g lib. 6. de vita ſua n. 20.
h 7. Ethic. cap. 9.
i lib. 2. c. 15.

7. Ea denique præfecti truculentia, quam fortitudinis nomine à nonnullis donari referebam, ſpuria omninò eſt fortitudo, qualis cernitur in ictu fluuij, cum quo à Siracide componitur c. 4. verbis illis. *Noli reſiſtere contra faciem potentis, & ne coneris contra ictum fluuii.* Corruptè nonnulli codices legunt, *ictum fulminis.* Quanquam eſſet quoque ea lectio accommodata ad præſens inſtitutum; ſenſus enim eſſet, non eſſe obluctandum aduerſus ſuperiorem fulminantem, & impotentem animi, nec ratione ſuos regentem, ſed duro & acerbo dominatu prementem: cuius voces & iuſſa, totidem ſunt in ſubiectos vibrata fulmina. Sed genuina lectio habet, *ictum fluuii*, ita vt ſenſus ſit, quemadmodum fluuij decidentis impetum remorari, aut contra eum niti, ſapientis non eſſet; ita inconſulti hominis fore, conari aduerſus impetum & impotentiam animi, conuoluentem & ſecum abripientem omnia, ſicut facit ictus fluuij, cui idcirco licentius eo carmine quod extat apud Diuũ Auguſtinum, *l* in quaternario furentum tribuit locum, cum ait. *l* ep. 19.

Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, ſibilat anguis.

Cum impetu ergo fluentis vndæ, ſiue cum ictu fluuij omnia in quæ incurrit abripientis, componit trucem Præfectum Spiritus Sanctus per Eccleſiaſticum; ſatis indicans cum furorem quo emota ac ſui impotens præfecti mens in ſubditos graſſatur, non eſſe fortitudinem rectore homine dignam, ſed impotentiam fluuio rapidiſſimo conſentaneam. Et puto Siracidem eſſe ſapientem illum quem Narbodus Epiſtola apud Hildebertum epiſt. 80. allegat, cum ait; [Flumen eſt, ſecundum cuiuſdam Sapientis ſententiam, vbi cum poteſtate habitat iracundia Eam notionem fluminis pro poteſtate violenta illuſtrat ex variis ſcripturis Ribera Apocal. 12. num. 41.]

8. Affinis eſt ei comparationi alia quam Philippus Abbas pereleganter proſequitur, nimirum ſonantis procellæ, quæ non excitetur à mari turbato quod ſæcularium fluctus ſignificat, ſed è ſuperiore loco demittatur, & multo operoſiorem patientiam, ac conſtantiam ſubditorum ne frangantur, habet neceſſariam. Contulerat ergo ibi Philippus, religionem cum inſula, ſæculum cum mari, ex quo intulerat; non eſſe quod nouũ videatur religioſis, ſi fremant in eos ſæculares,

nte

nec rarò haud grauatè & patienter excipi quæ inde ingruunt tempeſtates : ſubnectit verò. [Et fortè religioſi quilibet graues ſecularium impetus vtcumque poſſunt ferre, & æquo ſatis animo, iniuriis eorum iniurias non referre; cum & ſtare in ſoliditati eminenti, ſe perpendunt, & illis inferioribus ſimiles effici non contendunt. Verum cum deſuper aër turbidus intumeſcit; cum nix, grando, tonitruum, fulgur igneum ingraueſcit; cum cœli cataractæ videntur minaciter aperiri, cum tota protſus inſula ſupernis tempeſtatibus operiri, quis huius habitator non vehementiùs contremiſcat : immo quis non ſub tanto pondere, omni priuatus refugio, defatiſcat? Cum enim circumquaque mare ſæuiens, proſperum nihil promittat, & cœlum multo grauiùs pluat, tonet, fulguret, mortémque repromittat; cum à lateribus nō ſit refugium inuenire, & tempeſtas aëris non ceſſet inſulam deſæuire; miror ſi quiſpiam tam inuicti roboris habeatur, vt non more arboris cum fragore nimio radicitùs euellatur. Sic autem mare fremens turbatam ſecularium nequitiam videtur figurare, quæ Religionis viros, non ceſſat malis operibus vel ſaltem moribus impugnare. Sic cœli vel aëris nomine doctorum gradus ſublimior deſignatur, quorum magiſterio, inferior noſtra humilitas, velut terra ſubjacens gubernatur. Cuius cœli facies cum veſpertino tempore ſerenatur, cum rore matutino tenuiter humectatur, cum ſolis radio terris clarior illuceſcit, cum imbre temporaneo, gratis vicibus impingueſcit. Homo natus ad laborem non mediocriter iucundatur, quia terra quam incolit, tali beneficio fœcundatur.] *Doctoris Eccleſiaſtici* nomine, non eos quos paſſim vocamus Doctores, ſiue Magiſtros in ſcholis ſiue diuini Verbi tractatores intelligit Philippus : ſed præſides animorum, quorum reuera primarium munus eſt, docere; iuxta illud Apoſtoli Epheſ. 4. *quoſdam dedit Deus in Eccleſia paſtores & doctores* : quæ duo nomina D. Auguſtinus vnum, & idem ſonare exiſtimat, ideſt vnicam paſtorum perſonam deſignare, addito doctoris titulo, [vt intelligerent paſtores, ad officium ſuum pertinere doctrinam.] Antecedentia igitur, & conſequentia, in Philippi Abbatis diſcurſu, omnino ferunt, vt nomine Eccleſiaſtici Doctoris intelligatur præfectus ſiue ſuperior.

9. Pergit Philippus, & addit apodoſim. [Pari modo cum Doctor Eccleſiaſticus recumbit velut in humili tecto ſerenæ voluntatis, cum aſſurgit, & irrorat profundæ ſcientiis veritatis, cum velut ſolis meridiani radiis, operum meritis æſtuat & clareſcit, cum doctrina & ſermone irrigare ſubditos non pigreſcit : nimirum terſa mentis fuligine humo ſubditus hilareſcit, quia eius Religio tali fortè magiſterio fœcundiùs enitreſcit. Si verò is qui eſſe debebat fructuoſiùs prædictorum munerum diſtributor, damnoſus è contrario inuenitur perſecutor; ſi grauem in ſubditos potentiam diligit exercere; ſi pro ordine dignitatis, ius tyrannicum obtinere; ſi tonat & fulminat; ſi morum intemperie debacchatur; ſi ſuam malitiam in ſubditorum verti miſeriam gratulatur; nimirum puſillus grex, non eſt ſub cuius vmbraculo protegatur, cum is quem ſpectauerat protectorem, hoſtis grauior habeatur. Cum quis in mari poſitus, venturam timet, vel iam ſuſtinet tempeſtatem, toto deſiderio feſtinat obtinere terræ ſtabilis firmitatem, vt qui videtur ſibi marino diſcrimine periturus, tandem optato littore ſit ſecurus. Si verò terram obtinens ſupremis fulminibus appetatur, iam nec fugit, nec ſpe reſidua confortatur, quia falsò vitam ſibi quiſquam mortalium repromittit. Et cum illi ſatis graue maris periculum videretur, in quo tamen ſpes manebat, vt ad terram tendere niteretur, ipſum quidem terræ periculum multo grauius aſſeuerat. In quo miſer, & fortè plus quàm miſer, quaſi de miſericordia iam deſperat. Experimento comperi. Nulla perſecutio magis ſæuit, nulla magis premere, vel opprimere conſueuit, nullo faſce miſer animus ſic grauatur, nullo grauamine ſpes languidiùs infirmatur, quam cum ille ſe ingerit ruptis miſericordiæ legibus oppreſſurem, quem ordo naturalis vel fortè ſpiritalis, promiſerat defenſorem.]

10. Subjungit Philippus, hoc verò eſſe quod Iſaiæ 9. habetur virum fratri ſuo non parciturum, & vnumquemque voraturum carnem brachij ſui. Itémq; quod eſt apud Michæam c. 7. virum fratrem ſuum venari ad mortem : ac etiam quod Chriſtus Matth. 10. prænunciauit, nempe fore, vt frater fratrem in mortem, & pater filium tradat. Quid enim traditionis & nequiſſimæ proditionis nomine dignius poſſit occurrere, quàm fremere, & furere in eum quem fouere ſinu, & omnibus fraternis ac paternis officiis proſequi obſtringebare? Non ambigit idem Autor, germanos Iudæ agnoſcere qui ſic ſe gerunt, ideóq; infelici ſubdito per huiuſmodi procelloſum ac turbulentum præſidem oppreſſo, ingerit eas Chriſti de Iuda per Pſaltem querelas : *ſi inimicus meus maledixiſſet mihi*, ideſt me vexaſſet, omnique aſperitate verborum, & factorum acerbitate malè habuiſſet, *ſuſtinuiſſem vtique*. *Tu verò homo vnanimis*, qui ſcilicet vnanimis eſſe debueras, & ad id vi muneris obligabaris; *dux meus & notus meus*, qui inquam mihi præpoſitus & doctor eras. Hiat oratio. Nimirum ſignificare voluit Spiritus ſanctus, tetram ac perfidam agendi rationem, inter res carere nomine, ideóque abrupit ibi orationis filum, & hiare ſiuit periodum. En quo progrediatur ſpuria illa fortitudo turbulenti rectoris quam per tempeſtatem ſonoram ſuperne demiſſam diximus expreſſam à Philippo Abbate, ſicut eam Siracides per violentiam præcipitem ictus fluuij, & fluentis vndæ furentem impetum adumbrauit.

11. Aliam mox ibidem ſubdit in hanc rem comparationem, idem IESVS Sirach. *Noli* (inquit) *eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi*. Quid ſit *eſſe leonem in domo ſua*, apertè exprimitur in poſteriore ſententiæ parte; nempe ita vt idem ſit quod euertere, & opprimere ſubjectos, per rectionem intolerandam, qualem Seneca, *a* per leonis regnum expreſſit. Et verè ſonat quid horrificum leonina rectio, ſicut ipſe leo, [animal eſt horrendum, & intolerandum, ac vel ſolo rugitu montes percellens,] ait Iſidorus Peluſiota. *b* Qui igitur fortis eſt in euertendis & opprimẽdis domeſticis, eſt ſicut leo in domo ſua, nec humanam ſed belluinam ac ferinam exercet rectionem, tantum à laude fortitudinis illius quæ vera rectoris virtus eſt, elongatus, quantū robur leonis à virtute morali fortitudinis. *a* lib. 1. de Clem. *b* l. 2. ep. 284.

Collatio adhibita à Salomone, *c* ad truculenti, & duri imperij incõmoda aperienda, inſignis eſt, tametſi admodum implexa. *Quando* (inquit,) *ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorũ*. Euoluit accuratè, præter cæteros, hunc *c* Prou. 26.

a t.2.l.1.c.6.

locum Martinus de Roa. *a* Obſeruat verò imprimis, *naſci ſpinam*, idem eſt quod *aſcendere*. Originale quippè verbum, ſonat *aſcendere*. Et quia idem verbum, ſignificat quoque *Dominari*, confunduntur interdum *aſcenſus* & *Dominatio*, & Eccleſiaſtis decimo. *Si ſpiritus poteſtatem habentis, aſcenderis ſuper te*; ideſt, ſi tibi obtigerit ſors Dominandi; ſi promotus fueris ſuper alios. Senſus igitur prouerbij eſt, quemadmodùm ſi ebrius inſtructa ſpinis manu, capeſſat regni habenas, ſceptrum tractans quod verè ſpina eſt; & manum ſibi ipſe cruentabit, & aliis vt rhamnus ac ſpina pungens & lacerans erit: Sic docta ſententia ab imprudente emiſſa, oberit potiùs quàm proderit. Iuxta 70. illud, *Sic parabola in ore ſtultorum*, alium ſenſum ſed huic item cauſæ commodum facit. Sic enim verterunt; *Spinæ naſcuntur in manu temulenti; ſeruitus verò in manu imprudentium*. Cui lectioni aſtipulatus S. Ambroſius, *b* decere imprudentem ſeruire, non ſpinam regendo aſperè, agere, ſic demonſtrat. [Libertas ſapienti conuenit, quoniam qui illigat lapidem in fundiculo, ſimilis eſt ei qui dat imprudenti claritatem; ſeipſum vulnerat; ſibique priùs dum intorquet iaculum, affert periculum. Certè ſicut tormento acerbatur, & geminatur malum ſaxi ruina, ſic inſipienti, in libertate, ruina vehementior eſt. Recidenda igitur inſipienti poteſtas, non adjicienda libertas eſt; Seruitus enim ei conuenit. Ideóque addidit, *ſpinæ naſcuntur in manu inebrioſi, ſeruitus autem in manu imprudentis*: quia ſicut ille ſuis vulneratur poculis, ita inſipiens ſuis factis. Ille bibendo ſe peccato inſerit; iſte operando ſe culpæ adjudicat, & factis ſuis trahitur in ſeruitutem.] Hunc ſenſum poſterioris partis prouerbij ex Sapiente propoſiti aiebam commodare quoque huic cauſæ, quatenus ſicut temulentus ſua ebrietate ſe euertit, & ſuppliciis ac punctionibus ſe obnoxium facit, ſic ebrius poteſtate & typho rectionis turgidus, præſes imprudens, nec humano ſe metiens modulo, ſed ferociens in ſubditos, ſeruit ſuis inconditis affectibus, atque adeò conſentaneum illis potiùs eſt, ſubijci quàm regere; & ſubeſſe quàm præeſſe. Adhuc tamen opportunior erit huic loco, accommodatio verſionis 70. Interpretum, ad vulgatam noſtram verſionem, facta à Martino Delrio, *c* & Martino à Roa, *d* iuxta quos *ſeruitus* ſumitur pro *ſeruo*, vſitata Italis notione, qua *ſeruitutem* appellant domeſticos famulos. Indicarunt ergo 70. iuxta hos autores, tam grauem & acerbam noxiámque eſſe inſipientis præſidis Dominationem, quàm noxia eſt atque moleſta, ſpina, ſiue paliurus, aut rhamnus ſpinoſus in manu temulenti non à vino; ideſt ferocis & inconditi ſuperioris. Non incommodè item liceat dicere; exprimere voluiſſe Sapientem 70. Interpretes quod exiſtimarunt ſignificare eo adagio. Quomodò ſi ebrius ſpinis vepribúſve inſtructa manu, impetat aſtantes, ita ſi ſtultus, & ferox exerceat poteſtatem, vtrinſque aſpera & noxia Dominatio erit. Vt enim malus ſuperior *ſpina* appelletur, non eſt nouum in Scriptura. Notus enim rhamni principantis apologus, *e* quo Rex imprudens Abimelech, in ſuum & ſuorum exitium factus, confertur à Ioathama cum rhamno. Eſt item qui illud Iſaiæ 27. *erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus eius in flamma, & ſuccendetur, & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna*; interpretatur de impotenti efferóque dominatu Aſſyriorum, in populum Dei. Necnon illud Ezechielis 28. *Et non erit vltra Domus Iſrael offendiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inferens per circuitum eorum qui aduerſantur eis*, eſt qui accipiat de Tyriis, Moabitis, Ammonitis, iugo tyrannico prementibus populum Domini, nomine *ſpinarum* ob aculeatam & cruentantem rectionem expreſſis. Itaque comparatio à ſapiente propoſita, concinnè cadit in rem noſtram; indéque apparet, quàm ferocia & impotentia regendi, Spiritui ſancto non probetur.

b in Pſ.104. ad finem.

c t.2.adag. 246.

d t.2.l.1.c.6.

e Iudic.9.

12. Satis ſupérque, hanc fortitudinis larnam dejeciſſe videmur, monſtrantes non eſſe reuera fortitudinem humanam & virtutis titulo dignam, ſed belluinum ac ferinum impetum, niſi quod iſte à natura eſt inſitus belluæ & vitio vacat, quod de immanitate quam exagitamus, dici non poteſt. Bleſenſis, *f* vſque eò illius truculentiam extollit, vt per eam Præfectum dicat *ſpiculatorem* conſtitui. *Tortorem* dicere S. Chryſoſtomus, vt perſpicitur ex fronte homiliæ de nomine Abraham. Sanè religioſos martyrium excipere, conſtans Patrum doctrina eſt, de quo plenè in tractatione de Martyrio, & addi ibi adductis poſſunt S. Columbanus, *g* Dorotheus, *h* Petrus Damiani, *i* Bracharius, *l* Philippus Abbas, *m* & Anonymus Climaci Scholiaſtes Græcus. *n* Ex quibus aliiſque Doctoribus ratum habetur, magnam illius Martyrij partem, in obedientiæ tolerantia ſitam eſſe; præſertim cum præfectura eſt gladius in manu impotentis Præfecti habentis propoſitam exſaturationem violentis ſuæ; ac effrænationis, & miſeri ſubditi vexationem. *o*

f ſerm.4.

g p.1.c.3.

h in reg.c.9

i expoſ. ſac. 2.num.6.

l ſerm.1. de Natiu. S. Ioan. & ſer. 2. de dic.

m epiſt. ad Iane.

n epiſt.44.

o ad grad.4

At tametſi martyrium huiuſmodi excipere, & pati pro Deo, glorioſum eſt ei qui patitur; eum tamen qui martyrium ſic infert, nemo fortitudinis nomine commendarit, ſi ſapiat, ſed omni potiùs auerſatione proſequendum decernat niſi alia in eo perſona ſpectaretur. Tali inſipienti omnia turbaturo & euerſuro, tribuere honorem, hoc eſt, eum in cathedram honoris efferre, Ioannes Sariſberienſis, *p* ait tenera eſſe (iuxta ſapientem,) mittere lapidem in aceruum Mercurij. [Sicut enim mittere lapidem in aceruum quo ratio regitur calculandi, eſt totam turbare calculi rationem; ſic honorem conferre inſipienti, eſt Reipublicæ ſubuertere vitam.] Hoc facit præfectus truculentus, iuxta Sariſberienſem; qui ex Platone, talem moderatorem confert cum tutore iugulante, adacto gladio, concreditum ſibi pupillum. Itémque eum capite adeò intumeſcente, vt à membris vel nullo modo, vel non abſque grauiſſima moleſtia ferri poſſit. Quod ſi huiuſmodi moderator adeò obfirmetur in vehementia ſpiritus ſui, vt deſperanda ſit remiſſio impetus, tunc Sariſberienſis præſtare cenſet miſeris ſubditis, vita excedere, quàm perpetuò mori ſub eiuſmodi impotente Præfecto.

p Polycr. cap.7.

PVNCTVM III.

Chriſtus, Sancti Angeli, & pij, ac ſapientes quique homines, diuinæ rectricis prouidentiæ fortitudinem, æmulati.

1. PRopoſuimus deflexionem monſtroſam ab exemplari perfectæ fortitudinis in regendo. Subijciendæ nunc ſunt expreſſiones eiuſdem in rectionibus probatis, cuiuſmodi imprimis fuit Chriſti rectio, deinde Sanctorum Angelorum, & Apoſtolorum, ac virorum Apoſtolicorum; qua ratione impreſſa ſuperiùs circa ſuauitatem veſtigia, relegimus circa fortitudinem.

Chriſtus ergo, qui ad amuſſim diuinæ gubernationis, confirmauit & direxit ſuam, nequaquam paſſus eſt deſiderari in rectione ſua fortitudinem. Quinimo Pſaltes disertè pſalmo 2. prænunciauit Chriſtum in virga ferrea rectorum, [non graui (inquit Chryſoſtomus,) *a* ſed forti. Et rectè Chryſoſtomus, ferream rectionem fortem exponit. Nam etiam Micheæ V. vbi Chriſti rectio dicitur futura in fortitudine, eædem Hebreæ voces habentur quæ pſalmo 2. ſubſunt Latinis vocibus virgæ ferreæ. Sed de ea virga, veróque eius ſenſu, plura in tractatione de Chriſto pacis principe. Eo igitur pertinet illa rectio in virga ferrea, vt ſignificetur Chriſtum forti & inflexibili conſtantia, & nunquam abrumpendo prouidentiæ tenore, recturum Eccleſiam.

a homil. ad baptizãdos.

Quod ſi placeat extimo vocum cortici adhærere, & virgam ferream pro dura, & rigida adminiſtratione vſurpare; habebimus eam fortitudinis partem quæ in conterendis iniquis & plectendis pro iniquitate ſontibus proditur; cuiuſmodi efficacem fortémque rectionem, Chriſtus Dominus in profanos trapezitas, & nummularios templi ſanctitatem contaminantes exercuit ſemel & iterum. Ac illuſtriſſimè quoque in Iudam, quem per patientiæ & benignitatis miraculum, cum diu tolerasſet: tandem in nequitia obfirmatum, infremens, & in ſemetipſo turbatus, expulit è cœtu ſuorum; præclara ſuæ in regendo fortitudinis teſtificatione. Eandem ne ignoraremus, areſactam fuiſſe à Chriſto ficulneam, graues Doctores obſeruarunt. Quamquam Iſidorus Pelusiota, *b* paulo aliter accipit, & inſinuatum à Chriſto cenſet, quid poſſet in homines impios, ſi iuberet non bonitati, ſed iuſtitiæ vltrici præbere locum. Verùm cum aſperitas in rationali creatura; illud ipſum exercitium poteſtatis vltricis in ficum, Chriſti in regendis hominibus fortitudinem, ad plectendum ſi res ferat accinctam, ſatis inſinuauit. Egregiè quoque Guerricus, *c* huc accommodat flagellationem profanorum in templo. Datam enim cenſet à Chriſto Superioribus, exemplum fortitudinis, ne torpeant, cum vident agi cauſam Dei, & bonum ſubditorum, cuius cauſa ad clauum ſedent.

b lib. 1. ep. 51.

c ſerm. 3. in ram. palm.

2. Eumque reuera fuiſſe Pſaltis ſenſum, cum Chriſti rectionem nominauit *virgam ferream*

S. Auguſtinus his verbis tradit, *d* [Acutè animaduerſum eſt Matthæum, qui regiam in Chriſto inſtituerat inſinuare perſonam, excepto ipſo Chriſto, quadraginta homines in generationum ſerie nominaſſe. Numerus autem iſte, illud tempus ſignificat, quo, & in hoc ſeculo, & in hac terra regi nos oportet à Chriſto ſecundùm diſciplinam laborioſam, qua *flagellat Deus*, vt ſcriptum eſt, *omnem filium quem recipit*. De qua dicit Apoſtolus. *Per tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*, quam ſignificat etiam illa virga ferrea, de qua in Pſalmo legitur; *reges eos in virga ferrea*, cum ſuperiùs dixiſſet; *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius*. Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur. *Tempus eſt vt Iudicium incipiat à Domo Domini. Et ſi initium à nobis qualis erit finis eis qui non credunt Dei Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluus erit, peccator & impij vbi parebunt?* Ad quos pertinet quod ſequitur. *Tanquam Vas figuli conteres eos.* Reguntur enim boni per hanc diſciplinam, mali verò comminuntur, qui tanquam ijdem ipſi commemorantur propter vna atque eadem ſacramenta, quæ habent communia mali cum bonis. Quia ergo numerus iſte, laborioſi huius temporis ſacramentum eſt, quo ſub diſciplina Regis Chriſti aduerſus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium; hoc eſt humiliationem animæ conſecrauit, vt lex & Prophetæ, per Moyſem, & Heliam.]

d lib. 2. de conſ. Euang. c. 4.

3. Eodem modo, virgam hanc ferream Chriſto à Pſalte tributam, accipit Clemens Alexandrinus. *e* Conteſtatus enim, Chriſtum eſſe perfectum pædagogum, conſiderari vult, conceſſam ei fuiſſe [virgam diſciplinæ, imperij, ac poteſtatis, vt quibus verbum ſuadens & admonens, non medetur, eis minæ medeantur; quibus autem non medentur minæ, eis virga medebitur. Quibus verò virga non medetur, eos ignis depaſcit.] Subdit in eam rem multa Clemens, ſed nominatim locum in quo verſamur, quo ſcilicet Spiritus ſanctus per os Dauid, paſcendum à Chriſto in virga ferrea populum, denunciauit.

e 1. pædag. c. 7. in fine.

Ambroſius Ansbertus (is enim verus parens Commentarij S. Ambroſio adſcripti in Apocalypſim,) virgam ferream qua Chriſti poteſtas regia à Pſalte exprimitur, dictam cenſet legem Euangelicam ex cuius formula Chriſtus rexit, ad diſtinctionem à lege veteri, adumbrata per virgam ligneam, quæ fuit in Moſis manu. Verè enim iuxta Ansbertum, lignea videri potuit lex vetus, præ noua ferrea; quia lex antiqua, & rectio quæ per eam vtebatur, mollior erat. Indulgebat quippè Hebræis pleraque quorum ſub Chriſti lege vſus excluditur: vt propterea non dubitet Autor ille profiteri, auſteriora eſſe noui quàm veteris teſtamenti præcepta. Cum enim in lege veteri dictum eſſet, *Comedetis vetuſtiſſima veterum & vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis*, & multa talia ad carnales delectationes pertinentia proponerentur; in lege noua è contrario, cauendum denunciatur, ne corda fidelium grauentur in crapula & ebrietate. Et Paulus innumera de carnis caſtigatione & maceratione conſtituit. Item cum antiquis dictum eſſet, *diliges amicum tuum & odio habebis ini-*

in cap. 2. Apocal.

micum tuum; Vel ſi hoc ſecundum, fuit additamentum Leuiathan à Phariſæis ex ſuo carneo ſenſu ad præſcriptum Domini oppoſitum; illud ſaltem conſtat non edixiſſe Deum in ea lege, vt cæde inimici abſtineretur; cum Chriſtus in lege noua, etiam iram indebitam in fratrem excludat, & diligi inimicos præcipiat. Alia pleraque præcepta Iudæis impoſita, iis quæ Chriſtianis impoſita ſunt, longè molliora, adduci poſſent; quia cum lex, teſte Apoſtolo, nihil ad perfectum adduxerit, quod autem perfectum eſt, plus operæ depoſcat; & plus inferat difficultatis; mirum videri non debet, quod præ lege qua Hebræi dirigebantur, lignea & molliore, lex ex qua Chriſtus gentes ſuſcepit *ferrea* nuncupetur, tanquam durior & operoſior ac maioris indiga fortitudinis vt executioni mandetur: quam tametſi ſpiritus gratiæ qui ſpiritus robuſtorum ab Iſaïa dicitur, tanta perfundit benignitate, vt vix plerumque deprehendatur fortitudinis ad ſubjacendum neceſſitas; tamen ex natura rei præ operum indictorum difficultate, res ſecus haberet.

Hæc fateor ab Ansberto non incommodè partim tradi, partim inſinuari. Sed germana notio virgæ ferreæ, ea eſſe debet quæ ferat ex parte legiſlatoris atque rectoris, interuenire ferream firmitatem, præ virgæ ligneæ, legem veterem ac Moſaycam rectionem adumbrantis mollitudine. Conſideranda enim eſt laxatio primæui vſus, ob duritiam cordis permiſſa à Moſe, dimittendi dato repudij libello vxorem; ocenon facultas data ſuperinducendi primæ legitimæ coniugi, aliam coniugem; nec vnam tantum ſed etiam plures; quamuis ab initio non fuiſſet ſic, vt Chriſtus ipſe eſt conteſtatus. Qui proinde in lege noua; ea Moſaïca remiſſione abrogata, inflexibiliter adhæſit vnitati ſimultaneæ vxorum, & coniugij ſemel conſummati indiſruptioni, dum coniuges ſuperessent. Neque vllo ſiue moroſitatis coniugum, ſiue incontinentiæ prætexto, paſſus eſt Chriſtus, remitti quicquam de ſancta ſeueritate rectionis, qua omnia recapitulabantur (vt loquitur Tertullianus) & inſtaurabantur ad primum ſtatum à Deo poſitum. Quare lex & rectio Chriſti pręiens fortitudine & inflexibilitate à ritè & perfectè conſtitutis, meritò denominata eſt virga ferrea; quod erat decus regiminis Chriſti cuius illuſtratio captabatur.

4. SS. Angelorum eximiam in nobis regendis dirigendiſque fortitudinem, diuinæ rectricis fortitudinis æmulam, illuſtriſſimè prodi cenſeo, ea regendi conſtantia qua hominem ſibi diuinitus concreditum, nunquam ab initio ad finem vſque vitæ, abijciunt. Quamuis enim Angelus cuſtos non ſemper ſit ſubſtantialiter præſens vbi eſt alumnus quem curat, vt rectè ſenſit Guillelmus Couentrienſis, *a* vetus parens Elucidarij S. Anſelmo perperam adſcripti; tamen vt idem Autor ſubdit, & cum primum neceſſitas fert, illico adeſt; & quamuis non adſit ſecundum ſubſtantiam ſuam inuigilat nihilominus & excubat ſuper alumnum, vt S. Baſilius etiam admonuit. *b* Vnde ſemper dici poteſt, eum intueri; quod eſſe potens frœnum ad auocandum à culpa, egregiè docuit S. Ambroſius. *c* Perſtat ergo conſtanter in eo miniſterio ab ortu hominis ad extremum vſque ſpiritum Angelus Cuſtos, quæ eſt inſignis omnino fortitudo rectionis.

a ſub finem libri.

b in pſal. 37.

c ſerm. 2. in pſal. 118. in ſecunda expoſitione verſus primus.

5. Scio fuiſſe quibus viſum ſit, aliquando ob contumacem indocilitatem alumni, ſecedere Angelum nec vltra regere aut curare ingratum; quo non pauci, accommodant illud Ierem. 51. *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Vnde colligunt, Sanctos Angelos pertæſos ſcelerum, alumnos curationem omnem reſpuentes abijcere, etiam priuſquàm plenè ſtamma decurrerint, & vita ſit prorſus exacta. Ita Hieronymus, & Gloſſa, *d* poſt Origenem. *e* Verùm ſi textura capitis attendatur, dubitare non licebit, quin ſit Ieremiæ ſermo, non de Angelis, ſed de hominibus. Statim enim addit propheta. *Et eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad nubes. Protulit Dominus iuſtitias noſtras. Venite, & narremus in Sion, opus Domini Dei noſtri.* Hæc manifeſtè cadunt non in Angelos ſed in homines, priùs commiſſos Babyloniis, vt eos docerent bona, & exemplis ac monitis perſuaderent: ac proinde quæ immediatè præcedunt & cum his apertè nectuntur, eodem pertinent. Itaque ex eo loco nihil colligi poteſt pro faſtidio & labefactatione conſtantiæ ac fortitudinis in præſidibus Angelis noſtra curantibus, nóſque regentibus dum peregrinamur.

d ad eum locum.

e homil. 2. in Ierem.

6. Alij ad idem SS. Angelorum faſtidium probandum, allegant ablationem ſepis in pœnam ſcelerum, Iſaiæ 5. intentatam. Eam quippe ſepem, de SS. Angelorum tutela interpretantur. Sed re vera ille locus aliter accipi poteſt, & quamuis de Angelica protectione & ſepimento accipiatur, tamen non debet accipi de abiectione & deſertione omnimoda alumni indocilis, ſed prudenti receſſu ad tempus, donec opportunitas, efficaciter & cum fructu opitulandi interueniat. Cœteroqui nunquam Angelus fatigatur ob improbitatem alumni, nec eum vnquam ita abijcit quin pro capacitate eius, iuuet illum & regat. Eſtque id adeò ratum apud Doctores Scholaſticos, *f* vt ne hominem quidem peccati; Antichriſtum inquam, etiamſi ex omnium ſcelerum colluuione concretum, à ſuo Angelo prorſus deſerendum affirment; vt videre eſt apud Suarem, *g* & Becanum, *h* à quibus nominatim reijcitur Vigorius, *i* qui eam Antichriſti ab Angelo ſuo abrectionem omnimodam inuexit, & affinxit Sancto Thomæ.

f in 2. d. 1. & 1. p. q. 113. art.

g l. 2. 3. p. 14. & 3.

h opuſc. 14. c. 10.

i in inſtit. c. 12.

7. Quod ſi fortitudinem iuſtè vlciſcentem & caſtigantem quærimus, certum eſt, non rarò Sanctos Angelos efficaciam & fortitudinem regiminis prodidiſſe contundendo contumaces. § 3 v. 5. Nec id abhorrere ab eorum munere, inde conſtat, quod ſupra vidimus datos nobis eſſe Angelos quaſi pædagogos. At boni, & eo nomine digni pædagogi patres ſunt, coërcere ac plectere, cum res fert, alumnum ſuum, quod Clemens Alexandrinus frequenter iterat. *l* Non defuerunt, qui Angelos bonos vltorum perſonam aliquando erga concreditos ſibi homines aſſumere negarent, non modo ſi ſermo ſit de alterius vitæ vltione æterna, quod certum eſt ac indubitatum, ſed etiam agendo de pœnis huius vitæ; quod congruentius videatur, tales vltiones committi potius carnifici in diuina politia ad id conſtituto. Hoc enim nomine Satanam nominat S. Chryſoſtomus, *m* probat ex pſalmo 77. & 1. Cor. 5. Tamen dubitare vix licet, quin Angeli quoque ſancti, fortitudinem plerumque ſuam prodant plectendo; non modo ſi ſermo ſit de iis pœnis

l in pædag.

m hom. 3. de patientia Iob.

quæ

quæ ad medendum inferuntur; quod agnoſcit Andreas Cæſarienſis, *a* eſtque multo facilius perſuaſu, ſed etiamſi agatur de mera vltione, vt docet clades Pentapolitana, & deletio exercitus Sennacheribi, aliaque exempla paſſim occurrunt. Ipſos verò Angelos Cuſtodes, & noſtros ſuo modo rectores fortitudinem rectionis interdum prodere caſtigando, exempla docent. Illuſtre eſt quod de Natali confeſſore ſcribit Euſebius. *b* Cum enim deceptus aliquando ab Aſclepiodoto & Theodoto, annuiſſet nominari, ac eſſe Epiſcopus illius hæreſeos quam inuexerat Theodotus Coriarius, à Victore Pontifice pulſo idcirco ab Eccleſia; non ſiuit Deus, Natalem qui priùs in perſecutione Gentilium multa paſſus erat, & nobilem obierat confeſſionem, hærere diu in eo cœno. Quare multis fruſtra excitatum admonitionibus, & turpis lucri illecebra in lapſu permanentem; (nam ex centum quinquaginta denariorum menſtruæ præſtationis ſumma, cum hæreticis pepigerat, quam eſcam granate dimittebat:) Angelus ſanctus, (quis niſi cuſtos?) ad extremum per totam noctem malè excruciatum, & grauiter mulctatum, adegit ad pœnitentiam: quàm benè manè per multas vberéſque lacrymas, cilicio opertus ac perfuſus cinere, omnium lambens veſtigia, tandem exorauit.

a in c. 18. & 61. Apoc.

b l. 5. hiſt. Eccleſ. c.

8. Apoſtoli, qui dij fortes terræ à Pſalte ſunt nuncupati; iuxta Hieronymi, Ruffini, Remigij & communiorem aliorum complurium interpretationem, *c* quantam regendi efficacitatem ac fortitudinem prodiderint, nihil eſt neceſſe aperire dicendo, cum res ſit notiſſima. Quàm fortis enim Petrus, in Ananiam atque Saphyram? Paulus in Elymam, rurſúſque in Corinthios, quibus virgam oſtentat? Ipſemet, literas ſuas quibus Eccleſiam in tanta locorum capedine adminiſtrabat, fortes dictas profitetur, & verè profitetur. Sed hæc quæ ad illam fortitudinis partem pertinent qua contumaces contunduntur, minus vrgeo. Illa potiùs conſiderata attentè velim, quæ ſpectant ad tanti viri infractam ſemper conſtantiam, ac excelſum animi robur in promouendo fidei bono, Deíque gloria adaugenda. Singulariſſima verò, planéque eximia efficacitas in promouendis infatigabiliter mortalium animis, & perducendis per idonea media ad ſcopum præfixum iis quos Deus extraordinariè illi ſubiecerat & dirigendos commiſerat, quæ eſt præcipua fortis regiminis prærogatiua, cum à S. Ioanne Chryſoſtomo, *d* luculenter eſt expreſſa, tum multo illuſtrius factis ipſis eſt prodita, per conſecutam orbis conuerſionem, quæ huic *pennato agricolæ*, vt Iſidorus Peluſiota *e* vocauit, præcipuè debetur. Eius quippè indefeſſo ſtudio, & conſtantiſſimæ in ſuſcepta animorum procuratione voluntati, orbis conuerſionem eſſe tribuendam ſecundum Deum, plenis elogiis paſſim celebrant Patres, ipſaque Eccleſia profitetur. Fortitudinem & efficacitatem regiminis horum Chriſtiani gregis arietum, S. Gregorius, *f* repræſentauit non vno loco.

c in pſ. 46.

d paſſim ac nominatim in homiliis de Pauli.

e lib. 1. ep. 176.

9. Viri denique Apoſtolici, fortitudine & efficacitate, rectricem præfectorum prouidentiam exornari voluerunt: imo mollitiem gubernationis & ſupinam remiſſionem vitio verterunt ſemper, ac ne obreperet in Eccleſiaſticum regimen, ſtudiosè cauerunt, conteſtati ignauum ac mollem rectorem, omnium malorum quibus oſtium aperuerit, reum futurum. Adduxi pleroſque in tractatione de Clementia. *g* Egregiè verò præter cæteros id perſecutus eſt Hildebertus, cum primùm aduertit ſe erga diſcolum quemdam nihil lenitate profeciſſe. Induitus enim fortitudinem, ſéque præcingens, ſic eum affatur. *h* [Confundor quoties proximus, quod ei ad confuſionem cedit, operatur. Siquidem etiam perfectum præſul de ſua erubeſcet offenſa, niſi ad offenſam erubeſcat alienam. Eius eſt eiſdem iaculis vulnerari quibus proximum cognoſcit vulneratum. Hinc eſt quod Apoſtolus ait. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non vror?* Fortaſſis illud Corinthiorum dices mihi: *Epiſtolæ tuæ graues ſunt & fortes?* Ad quod ego Vulneratus eras à latronibus, in quos incidit homo deſcendens à Ieruſalem in Hierico. Cum igitur te ſemiuiuum offendiſſem, vulneribus tuis cum Samaritano priùs oleum infudi, dehinc & vinum. Vt enim vino cenſoriæ correctionis vulnus inobedientiæ curaretur; quod curari paternæ commonitionis oleo non poterit, epiſtolas (quas graues dicis) ad te dedi. Væ mihi, cui nihil eſt quo poſſim meam purgare tarditatem. Legerem enim *Væ, his qui ponunt pulvillos, ſub omni cubito hominum, & faciunt ceruicalia, ad capiendas animas?* legerem *Verba ſapientis; Claui ſunt in altum defixi.* Porrò dum blandis & leuibus, quibus te tibi redderem indulſi; cubito tuo quaſi puluillum ſuppoſui, quaſi ceruical, quo capta eſt anima tua, feci. Tali puluillo talique ceruicali, circa filios delinquentes vſus eſt Heli, cum diceret; *Non eſt bona fama filij mei quam audio de vobis.* De huiuſmodi correctione Gregorius Nazianzenus in libro de Epiphaniis, his loquitur verbis. Heli Sacerdos pro filiorum indignitate damnatur, quod eos diuina ſacrificia temerantes, minus ſeuera animaduerſione plectebat, & quidem corripuis, ſed lenitate & manſuetudine Patris, non ſeueritate & autoritate Pontificis. Ne igitur eodem plectar exceſſu, clauis epiſtolæ præſentis confortamur; quos in altum confixos, ex vlceribus elicere putredinem pauci ignorant. Siquidem in ea patrem exuens, induі Pontificem: blanditias increpationibus mutaui, pro leuibus ſum aſpera moratus: Vt ſi contemnis tibi me proximum effici, ego ipſe mihi proximus efficiar.]

g lib. 4. de virtut. n. 139.

h epiſt. 74.

Non agit molliùs in molles Præfectos Petrus Cellenſis, *i* conclamans in ignauum ſilentium, & vrgens amicos iuſtitiæ ac zelatores domus Dei, vt monendo exleges, tranſeant de porta ad portam gladio potenter accincti, nemini parcentes, & diſperdentes de terra memoriam eorum qui ad cor redire diſtulerint. Alioqui & cœtui vaſtitatem, & ipſis præfectis certum exitij periculum denunciat. Sed de hoc periculo rectorum mollium infra dicendum ex inſtituto; vbi, & paſſim in conſequentibus de ſenſu Sanctorum hac in parte, proferentur multa.

i epiſt. 68.

f in p. paſt. c. 6. & l. 1. ep. 24. & l. 26. mor. c. 19.

PVNCTVM IV.

Depelluntur prætextus varij, qui ignauæ remiſſioni à diuinæ rectionis fortitudine abhorrenti obtenduntur.

1. QVod ſpecies quædam, veriùs vmbra lenitatis & manſuetudinis, illi ignauæ remiſſioni, præſertim ſi frangenda ſit infruniti alicuius durities, facilè obtendi ſoleat, admonent ſæpè & grauiter Patres, non eſſe probandam in præfecto ac rectore gregis Chriſti eam remiſſionem, qua ne lenitatis laude ſpolietur & immitis audiat, omnia retrò ſublabi, & peſſum ire permittit.

a pſal. 131. initio. Fortiſſimè id proſequitur S. Chryſoſtomus, a demonſtrans quomodò Moyſes, etiamſi aſperiùs interdum atque ſeueriùs cùm aliquibus egit, dictus tamen ſit Numer. 12. mitiſſimus omnium hominum qui erant ſuper terram; contra quam affirmabant nonnulli hæretici, qui cauſabantur demerſionem Ægyptiorum à Moyſe patratam; itémque Core & Dathan cladem, necnon cognatorum à cognatis iubente Moſe trucidationem, aliaque huiuſmodi in ſpeciem ſeuera, vel etiam crudelia. Atqui his ipſis patrandis, aut mandandis, inſignem manſuetudinem fuiſſe à Moyſe proditam, fuiſséque eam itam omni manſuetudine potiorem, affirmat S. Iſidorus Peluſiota: ídque perſpicuum fore pronunciat S. Chryſoſtomus, [ſi priùs diſtinxerimus ac definierimus quid ſit manſuetudo & quid atrocitas. Neq; enim ferire, eſt abſolutè atrocitatis, neque parcere, manſuetudinis: ſed mitis ille eſt, qui ferre poteſt, in quæ ſeipſum peccata ſunt, qui in aliis factam iniuriam propulſat, & eis fert opem, & eſt vehemens vltor eorum qui probra ingerunt. Qui autem non eſt eiuſmodi, ſed eſt hebes, deſes, & ſomnolentus; & mortuo nihilo meliùs affectus; non eſt mitis nec manſuetus. Deſpicere eos quibus fit iniuria; non dolere vicem eorum qui iniuria afficiuntur, nec iis iraſci qui probris, & contumeliis afficiunt, non eſt virtutis, ſed vitij; non eſt manſuetudinis, ſed ignauiæ. Quare hoc ipſum oſtendit eius manſuetudinem, qui erat adeò ardens, vt proſiliret cum videret alios iniuria affici, pro iuſto iram non valens cohibere. At quando ipſe malo aliquo affectus eſt, nec vltus eſt, nec pœnam ſumpſit, nec à philoſophiæ inſtituto vnquam receſſit. Si autem fuiſſet adeò ſæuus & iracundus, qui pro aliis adeò inflammabatur, & excandeſcebat, nunquam in animum induxiſſet, vt pro iis quæ ad ſeipſum pertinebant quieſceret: ſed tunc magis irritatus & efferatus fuiſſet. Scitis enim nos ægriùs ferre noſtra, quàm aliena. Ille autem, cum alij quidem malè patiebantur, non minùs quàm ipſis quibus malè fiebat, vlciſcebatur: delicta autem quæ in ipſum admiſſa fuerant, cum maxima prætermittebat tolerantia: in vtroque extremo conſiſtens, illo quidem, ſe eſſe malis infeſtum; hoc verò, ſe eſſe lenem, & patientem oſtendens. Sed dic quæſo, quid eum facere oportuit? Num deſpicere quæ inſerebatur iniquitas, & malum quod pertinebat ad populum? Sed id non erat eius qui regebat populum, nec patientis alicuius & mitis, ſed deſidis & ignaui. Tu autem Medicum quidem non reprehendis, qui putredinem totum corpus permeantem ſectione reprimit: illum autem dicis atrociſſimum, qui morbum longè putredine grauiorem per totum populum permanantem ictu paulo grauiori voluerit coercere. Atqui hæc ſunt iudicis non ſatis conſiderati. Tanti enim populi Præfectum, & qui ducebat gentem adeò aſperam, duram, & intractabilem, oportebat ſtatim à principio reprimere, & in ipſo veſtibulo reſcindere, ne malum longiùs ſerperet.]

2. Sigillatim præterea demonſtrat ibidem S. Chryſoſtomus, quod Moyſes Dathanum & Abironem perdidit, quod cognatos per cognatos proſtrauit, ad ſingularem eius humanitatem eſſe referendum: tantum abeſt vt inde poſſit inſimulari ſæuitiæ. Nam Moyſes non deſpiciens malum quod per impunitatem & remiſſionem creuiſſet, dum paucis pœnam omnino promeritis non pepercit, ſeruauit innumeros, quod atrocitatis vel inhumanitatis nemo prudens damnarit. Videndi inſuper in eam rem S. Baſilius, b S. Gregorius, c atque Rupertus. d [b in conſt. monaſt. c. 14. c 21. mor. cap. 8.]

3. Affinis eſt perelegans S. Ambroſij ratiocinatio ad illud pſalmi 118. e, *miſerere mei ſecundùm eloquium tuum.* Adſcribo partem. [Eſt ergo iuſta miſericordia, eſt etiam iniuſta miſericordia, denique in lege ſcriptum eſt de quodam. *Non miſeraberis illius.* Et in libris Regnorum legis, quia Saül poſtea contraxit offenſam quia miſeratus eſt Agag hoſtium Regem, quem prohibuerat ſententia diuina ſeruari. At ſi quis latronis filiis deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus, abſoluendum putet, cui adhuc latrocinandi aſpirat affectus; nónne innocentes tradit exitio, qui multorum liberat exitia cogitantem? Certè ſi gladium reprimit, vincula diſſoluit. Cur laxat exilio? Cur latrocinandi qua poteſt clementiore via, non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit: Denique inter duos, hoc eſt accuſatorem, & reum, pari periculo de capite decernentes, alterum ſi non probaſſet, alterum ſi eſſet ab accuſatore conuictus. Non id quod iuſtitiæ eſt iudex ſequatur, ſed dum miſeretur Rei, damnet probantem: aut dum accuſatori fauet, qui probare non poſſit, addicat innoxium. Non poteſt igitur hæc dici iuſta miſericordia. In ipſa Eccleſia, vbi maximè miſereri decet, teneri quam maximè debet forma iuſtitiæ, ne quis à communionis conſortio abſtentus, breui lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus, communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate ſacerdotis extorqueat. Nonne cum vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium prouocari? facilitas enim veniæ, incentiuum tribuit delinquendi. Hoc ideò dictum eſt, vt ſciamus, ſecundum verbum Dei, ſecundum rationem diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus ipſe, ſi ſerpentis interiùs inueniat vulneris cicatricem, cum debeat reſecare vlceris vitium ne latiùs ſerpat, tamen à ſecandi vtendique propoſito, lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit; nonne inutilis iſta miſericordia eſt; ſi propter breuem inciſionis, vel [d lib. 4. in Exod. c. 27. e ſerm. 8. ad v. 2.]

vel exuſtionis dolorem, corpus omne tabeſcat, vitæ vſus intereat? Rectè ergo & ſacerdos vulnus ne latiùs ſerpat, à toto corpore Eccleſiæ, quaſi bonus medicus debet abſcindere, & prodere virus criminis quod latet, non fouere. Ne dum vnum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Eccleſia.

4. Sapientiſſimè quoque idem D. Ambro-
a epiſt.18. fere initio. ſius, ſcribens ad Marcellinam. a [in libro prophetico ſcriptum eſt, *ſume tibi baculum nucinum*; & qua ratione hoc dixerit Dominus Prophetæ, debemus conſiderare: non otioſè etenim ſcriptum eſt. Quandoquidem & in heptateucho legimus, quod virga nucina Aaron Sacerdotis, cum diu repoſita fuiſſet, effloruit. Nam videtur per virgam ſignificari, quod directa eſſe debeat prophetica vel ſacerdotalis autoritas, vt non tam delectabilia, quàm vtilia perſuadeat. Ideò verò nucinum baculum ſumere iubetur Propheta, quia memoratæ pomum arboris, amarum in cortice, durum in teſta, intus eſt fructuoſum: vt ad eius ſimilitudinem, Propheta quoque, amara vt dura prætendat, & denuntiare triſtia non formidet. Similiter etiam ſacerdos, quia præceptio eius, etſi ad tempus aliquibus amara videatur, & tanquam virga Aaron repoſita diu in auribus diſſimulantium, tamen aliquando cum æſtimatur aruiſſe, floreſcat; vnde, & Apoſtolus ait. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate ſpirituque manſuetudinis?* Prius enim virgam dixit, & tanquam virga nucina percuſſit errantes, vt poſtea conſolaretur eos ſpiritu manſuetudinis. Itaque quem virga ſacramentis abdicauit cœleſtibus, eundem manſuetudo reſtituit. Diſcipulo quoque talia præcepta dedit, dicens; *Argue, obſecra, increpa*, duo dura, vnum mite. Sed ideò dura, vt etiam ipſa molliret: quia ſicut ægris redundanti felle corporibus, ciborum aut potus amaritudo dulceſcit, & è contra epularum ſuauitas amaritudini eſt: ita vbi animus eſt ſaucius, voluptariæ fotu adulationis ægreſcit, & rurſum correptionis temperatur amaritudine.]

5. S. Baſilius, conteſtatus nihil quo Deus violetur, & perfectio oblædatur, debere cenſeri minutum & leue, concludit. [Si ſtimulus mortis, non hoc eſt aut illud, ſed indefinitè quodcumque peccatum, inclemens ille habendus eſt, qui obticet, non autem qui arguit: quemadmodum, qui in corpore alicuius, qui à venenata aliqua beſtia morſus eſſet, reſidere venenum ſineret cum poſſet extrahere iure immitis diceretur, non autem qui extraheret. Quin qui eiuſmodi eſt, is charitatem etiam euertit. Siquidem ſcriptum eſt, *qui parcit virga, odit filium ſuum. Qui autem diligit, inſtanter erudit.*] Nec hanc eſſe auſteritatem ſed pietatem, ſæpè conteſtatur idem S. Baſilius. Nimirum vt rectè pronunciatum eſt à Synodo Turonenſi ſecunda in præfatione; [Magna eſt in ipſa ſeueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas.]

6. S. Gregorij in hanc rem diſputatio inſignia
b 2.p.paſt. curæ c.6. eſt. b Exagitauerat Sanctus Pontifex, vim præfectorum dominatiuam, tum ſubdit. [Et tamen nonnunquam grauiùs delinquitur, ſi inter peruerſos, plus æqualitas quàm diſciplina cuſtoditur. Quia enim falſa pietate ſuperatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictum iudicem, ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit: hinc namque ei Diuina voce dicitur: *Honoraſti filios tuos, magis quàm me.* Hinc Paſtores increpat per Prophetam dicens, *Quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum fuerat, non reduxiſtis.* Abiectum enim reducitur, cum quiſque in culpa lapſus, ad ſtatum iuſtitiæ ex paſtoralis ſollicitudinis vigore reuocatur. Fracturam verò, ligamen aſtringit, cum culpam diſciplina deprimit, ne plaga vſque ad interitum defluat, ſi hanc diſtrictionis ſeueritas non coarctat.]

Ennodius cum induxiſſet S. Petrum cum Schiſmaticis & dyſcolis paulo remiſſiùs ac molliùs agentem, ſubiungit. [Eius vocem B. Paulus excepit, & illa qua ſemper vſus eſt, eloquij intonuit libertate, Apoſtolorum Principem lenitatis increſſens, quod fluxis & profligatis mentibus, parentis adhuc ſeruaret affectum, nec in profundum ductis vlceribus ferro medicante ſuccurreret: reſcindenda docens lanienis ſecreta morborum, & manifeſtæ deſperationi ſalutiferum eſſe vulnus adhibendum, ne dum manus Medici per pietatem à ſectione carnis corruptæ ſuſpenditur, de abſtinentia teli, inuitetur exitium: quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit; nec grandis eſt differentia, vtrum lethum inferas, an admittas. Mortem languentibus, qui cum poſſit, non excludit, inflixit.]

7. Breuem, ſed perelegantem S. Cypriani locum c quo non eſſe aſperitatis arguendum fortem rectorem, nec remiſſum poſſe ſibi de lenitate blandiri egregiè docet, præterire non poſſum. (Qui peccatum (inquit) blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat; nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit, fratrem promouet ad ſalutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo, & caſtigo.* Sic oportet & Dei ſacerdotem, non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt medicus, qui tumentis vulnerum ſinus, manu parcente contrectat; & in altis receſſibus viſcerum, virus incluſum, dum ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodùm, cum ſenſerit ſanitatem.] c lib. de lapſis.

Laudat hunc S. Cypriani locum Hormiſdas Papa, d impugnans, inimicam (vt vocat) benignitatem eorum præſidum, qui palpant criminoſos. Subdit autem. [Verè dico, quia illi ipſi quibus eum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt, dicentes; quod dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, non eos, dum illis inutilitatem indulgemus, in peccatis permanere, aut etiam ipſa peccata augere permiſerimus, non recordantes illud, quod in veteri teſtamento ſcriptum eſt: *quia per vnum peccantem, contra omnes ira Dei deſæuit*. O pietas! O miſericordia! Vni parcere, & omnes per exemplum malum, in diſcrimen adducere! Non ita ſuadet ſanctus, & beatiſſimus Cyprianus Martyr, dicens: qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat. Nec premit delicta ille, ſed fouet, &c. quæ protulimus ex ipſo S. Cypriano cui ſubnectis d epiſt. ad vniuerſas prouincias.

Hos

Hormiſdas S. Chryſoſtomum, ſic addens. [Vndè & S. Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, arguit dicens; imperitus medicus eſt, qui indigeſta putredine, ſuperducit vulneri cicatricem.]

8. Exemplum hoc Medici, non parcentis cum res fert, & ſaniem Immiſericordi (in ſpeciem) cura educentis, Ioannes Sariſberienſis *a* perelegauter rectori ſæculari optimè accommodat. Item Medici operam, cum ſtudio Cœnobiarchæ curantis ægros ſuos cauterio quoque ac ferro ſi ſit opus, componit egregiè Climacus, informans Cœnobiticum Paſtorem. *b* Quod verò proximè ex Hormiſda diximus de maledictis in remiſſum Præfectum iactandis in hora mortis atque iudicio, egregiè ab eodem Climaco *c* ex grauiſſimo quodam viro proditur, quem vocat Patrem Patrum, & Doctorum Magiſtrum, & multis monachis præfuiſſe mox docet. Itaque falſa illa Cœnobiarchæ leuitas, non eſt vera leuitas, vt rectè conſtitutum eſt. Miſſa facio quæ in eandem ſententiam præclarè diſputantur à D. Auguſtino *d* & à Ferrando Diacono *e* Rheginum admonente, nec non ab Ennodio *f* in perſona Regis Theodorici, ac etiam à vetuſtiſſimo Scriptore Valeriano, Cemelienſi, *g* & à Petro Damiani. *h* Omnino multa apud hos Patres in hanc indignitatem proſtantia, ſciens volenſque dimitto.

a l. 4. Polycr. c. 8. *b* toto c. 2. & 6. *c* ad Paſto. c. 14. *d* lib. 19. Cant. c. 16. *e* in parun. ferè in fine *f* in vita S. Epiph. *g* homil. 6. num. 2. *h* opuſc. 18. c. 4.

Tantum, priuſquam ab hoc remiſſionis vano prætextu abſcedo, monitos volo præfectos ſacros qui hoc morbo laborarent, fruſtra eos niti, ſi putant ſe quacunque remiſſione rectionis adhibita, hoc aſſequi poſſe, vt neminem iure aut iniuria violent, quod vnum tamen quæritur in hoc primo ignauiæ prætextu quem hactenus impugnauimus. Sanè ne optimi quidem moderatores, quantacunque vſi cautione, eam retulerunt laudem: proptereaque legimus, etiam ſanctiſſimos præfectos ſacros, oblocutionibus patuiſſe, & in offenſionem proborum cæteroqui ſubditorum incurriſſe. Ipſe S. Auguſtinus *i* conteſtatur id penè eſſe impoſſibile Eccleſiaſtico moderatori. Ad quemcumque enim in eo gradu locatum æquè pertinent illa S. Antiſtitis de ſeipſo. [Neque ſic tumore vanæ mentis extollor, vt audeam dicere, quo huius muneris ſarcinas porto nullum à me hominem perperam læſum. Hoc cuilibet homini tam multis & moleſtis actibus occupato, atq; diſtento, ne dicam impoſſibile, certè difficile eſt, quanto magis mihi qui noui infirmitatem meam?] Enumerat mox ſigillatim S. Antiſtes varias vias, quibus ſacer Præfectus animo in tam multa diſtracto; vel incogitans planè, vel minùs ad ſingula intentus, vel ex fragilitate & rerum faſtidio, reſponſum aſperum, aut nutum incongruum, excoriente in offenſionem ſubditorum, præſertim infirmorum incurrit, ſalua in animo plena erga eos charitate. [Nam pullos quos fouet, ſæpè in anguſtiis, ſed non toto pedis pondere calcat & mater, nec ideò deſinit eſſe mater.] Cum itaque neque optimi quidem moderatores, quantumcumque prudenter & cum charitate agant, id aſſequantur vnquam, vt nemini diſpliceant, neminem violent; quæ mentis obtuſio eſt, ſperare per ignauam remiſſionem, & abblanditionem ad omnes noxas occurrientem, ne plectere cogatur, fœlicitatem illam nemini diſplicendi, quam moderatores optimi, ineuntes vias omninò accommodatas, ideóque acceptas, non ſunt aſſecuti? Ne ipſius quidem Chriſti, imo nec Dei quoque, regimen, quantumuis abſolutiſſimum, & vndecunque perfectum, ſemper arriſit omnibus. Quanto magis homuncio, malis artibus, remiſſione inquam indebita, & ignaua diſciplinæ diſſipatione, prohibetur eo pertingere, vt nemini vnquam iure aut iniuria grauis?

i homil. 14. ex 50.

9. Vicinus, ac propè continens priori eſt, prætextus alius, quo aliqui fortitudinis carentiam in rectore, excuſari putant; nimirum iræ probrum, quaſi qui fortiter agit, & præſertim frænare licentiam coërcere petulentiam aggreditur, iræ ſuccumbat. Non eſt inquam hic prætextus idoneus. Imo iubetur ſuperior in huiuſmodi euentibus iraſci, & non peccare. Audi Iſidorum Peluſiotam. *l* [Quandoquidem diuinum Oraculum non ſimpliciter iraſci, ſed fruſtra ac temerè vetuit, (licet enim etiam vtiliter iraſci, cum id vel ob Dei gloriam fit, vel ob eos, quibus iniuria infertur, vel vt proximi ad meliorem mentem reuocentur. Nam & Moſes, vir alioquin ſumma lenitate præditus, in eos qui vitulum effecerant, ira exarſit, eoſque funditùs de medio tolli iuſſit. Et Phinees iis qui ſtupri crimine ſe deuinxerant, iratus eſt eoſque lancea interemit: & Elias Iudæis, eoſque fame attriuit, & Paulus Elymæ, & Petrus Ananiæ, & Saphiræ; & Pater, filio, & magiſter diſcipulo ignauia torpenti iraſcitur: nec quiſquam iracundiam hanc eſſe dixerit, verùm Philoſophiam & curam ac ſollicitudinem: Poteſt etiam imperandi modo exponi. Quoniam enim cum iniurias noſtras vlciſcimini, modum quoque in vlciſcendo excedimus; cum autem vel de diuina gloria, vel de vindicandis eorum qui læduntur, iniuriis, agitur, tum verò metum, & quietem fingimus, mutique ac torpidi ſumus, atque ita affecti, vt nihil inter nos & ſaxa interſit; propterea, (inquit,) iuſtè quidem *iraſcimini*; hoc eſt cum vel diuina gloria, vel proximorum emendatio, vel iniurias aliis illatas vlciſci oportet. At *nolite peccare*, nimirum vel aliena peccata, quorum conſcij eſtis occultantes, vel ad priuatas iniurias vindicandas, hoc adiumento abutentes. Ob eam enim cauſam nobis ira inſita eſt, non vt nos quoque peccemus, verùm vt peccantes prohibeamus: nec vt ea ſordidus modus ac morbus ſit, verùm vt vitioſarum affectionum medicina. Nos autem medicamento in venenum abutimur.

l l. 2. Epiſt.

10. Cum verò ſolius boni communis intuitu ira moderationis non expers exeritur, (vt in negotio de quo agimus faciendum eſt,) non eſt abuſio huius medicamenti, ſed vſus maximè legitimus. Sicque iram adhibenti, non eſſe timendum à violatione manſuetudinis, optimè ſtadis Simeon Iunior, *m* informans Religioſæ domus præfectum, vbi eum grauiter admonet, vt ſal & lumen ſubditorum efficitur Quod ſi aliquando opus ſit virga & baculo, ne ſegnis ſit in iis admonendis, quod ita ferat diuinum beneplacitum, & probis omnibus admodum accepta ſit futura ea ſeueritas. His præmiſſis ſubdit. [Teſtis IESVS qui contumaces Iudæos ex domo orationis domum negotiationis facientes, flagello percuſſit, & menſas nummulariorum euertit.

m orat. 24.

coercitè. Ne igitur prætexens manſuetudinem propter ſolam laudem humanam, modicum quippiam præter Dei mandatum admiſſum ad ſubuerſionem Apoſtolicorum canonum & conſtitutionum, contumeliámque vitæ Euangelicæ & ſtatus Monaſtici, neglexeris; ſed IESVM ac Dominum tuum imitatus, infremens ac ſeipſum ſine turbatione turbans, mandata Dei & Canones ab eius Apoſtolis præſcriptos vlciſcere.] Quanquam iterata ſpeculatio illud; erga Conſtitutiones Apoſtolicas, accipienda videatur imprimis iuxta verborum corticem, tamen cadit quoque ex mente Simeonis, in conſtituta à SS. Fundatoribus & anterioribus moderatoribus, quos eiuſdem orationis principio conteſtatur Apoſtolica dignitate functos eſſe: vnde infert cæcitatem Monachorum illorum, qui cum tam procul à ſanctitate Apoſtolorum abeſſent, audebant tamen ad gradum Apoſtolicum aſpirare, ambientes ſacram præfecturam Monaſterij. Itaque ſtudium ac ſollicitudinem pro Apoſtolicis conſtitutionibus tuendis, nec earum infractione ob captatam manſuetudinis gloriam permittenda, vt mollibus Rectoribus vſu venit, extendit ad præſcripta & regulas Religionis. Agnoſcit ergo Simeon, tenacitatem ſacrorum inſtitutorum in Præfecto, iræ veluti præſidio armatam & communitam, labis putans eſſe, nec manſuetudinem excludere.

a homil. 24. ex 50. S. Auguſtinus, *a* quomodo erga præfractos & contumaces ſe gereret, aperit ea homilia quam in die ſolemni Epiſcopatus ſui habuit, ideſt in anniuerſario ſuæ inaugurationis in Epiſcopum; vbi compellans debitores ſuos qui ipſi apud Deum neſcientes ſuffragabantur dum faciebant debita quæ dimitteret, ideſt alloquens illos qui rectionem eius non probabant, & contra ſtimulum calcitrabant, ſic loquitur. [Vobis dico ſiue præſentibus, ſiue abſentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus conſulendo videor oneroſus, quorum requirens vtilitatem, cogor offendere voluntatem; *Nolite eſſe ſicut equus & mulus, non habentes intellectum.* Nam & hæc iumenta, eos maximè, calce morſúque appetunt, à quibus curantur, & vt curentur eorum vulnera, contrectantur. Non parcis, non parco; aduerſaris, aduerſor; reſiſtis, reſiſto. Lucta nos comparat, ſed cauſa ſeparat. Tu inimicus es medico, ego morbo. Tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. *Retribuebant* (inquit) *mihi mala pro bonis. Ego autem orabam.* Quid orabat, niſi, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Cum vobis* (inquit) *detraxerint, & dixerint omne malum aduerſum vos propter iuſtitiam, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.* Vos tamen corrigite peruerſitatem veſtram, agnoſcite charitatem noſtram, reddite dilectionem dilectioni, nolumus maiorem cum veſtra perditione mercedem.] Manifeſtè S. Auguſtinus, charitati tribuit fortitudinem in emendandis capitoſis, & ſacrorum inſtitutorum negligentibus; & quia charitas benigna eſt, non putat delinqui aduerſus manſuetudinem, cum ſanctorum obſeruationum accuratio vrgetur.

11. Accedit, quod hic vigor rectionis per iuſtam iram quaſi exacutus, non exercetur reuera
b lib. 22. mor. c. 13. in hominem, cui ſoli ſuccenſere vetatur homo. Ratiocinatio eſt S. Gregorij, planè luculenta. *b*

Cum Noë Dominus filiiſque eius diceret. *Creſcite & multiplicamini, & implete terram:* ſubdit, *& terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Non eis enim ait, *ſit ſuper omnes qui futuri ſunt: ſed ſit ſuper cuncta animantia terræ.* Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus eſt. Et idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, non ab homine timeatur quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri; quamuis plerumque à ſubditis etiam ſancti Viri timeri appetunt. Sed quando ab eiſdem ſubditis Deum minimè timeri deprehendunt, vt humana ſaltem formidine, peccare metuant, qui diuina Iudicia non formidant. Nequaquam ergo præpoſiti, ex hoc quæſito timore ſuperbiunt, in quo non ſuam gloriam, ſed ſubditorum iuſtitiam quærunt. In eo enim quod metum ſibi à peruersè viuentibus exigunt, quaſi non hominibus ſed brutis animalibus dominantur; quaſi videlicet ex qua parte beſtiales ſunt ſubditi, ex ea etiam debent formidini iacere ſubſtrati. Cum verò deeſt vitium quod corrigatur, non de excellentia poteſtatis, ſed de æqualitate conditionis gaudent.]

12. Probrum aliud quod à ſe auertere interdum ſatagunt molles præfecti dum remiſsè agūt; eſt arrogantiæ ac ſuperbiæ nota. Verùm hæc aperta hallucinatio eſt. Tametſi enim apud diſcolos quorum iudicia, nihili fieri per cordatos debent, vigor diſciplinæ inſimuletur arrogantiæ atque ſuperbiæ, abeſt tamen ab eo probro quàm longiſſimè. [Multi (inquit Valerianus) *c* qui ſanæ doctrinæ aduerſantur, iuſtitiam culpant, & diſciplinam imperium eſſe iudicant, ac rationabilem caſtigationem, ſuperbiæ aſſignant: cum non ſit imperium, niſi vbi aliquid iubetur iniuſtum, nec ſit ſuperbia, niſi vbi negligitur diſciplina.] Aliqui (proh pudor) ingrati animi notam extimeſcunt. Nam quia ambitione Capitolium Monaſticum ingreſſi, quod Fulbertus, *d* deplorabat, per ſuffragationem vel captatam vel beneuolè delatam promoti ſunt, facti ex ouibus Paſtores, qua in parte non leui ſe beneficio affectos putant, ægrè poſtea adducuntur, vt quos habuere beneficos vrgeant ſeueriùs ad officium. Itaque multa diſſimulant circa eos; vel niſi conniueat, audit ingratus, quæ teterrima eſt macula, & à pectore quod generoſo honeſto incoctum ſit alieniſſima. Inde diſſipatio plerumque diſciplinæ, dum quod à beneuolis non exigitur, non poteſt ab aliis abſque verecundiæ flagellatione expoſci. Verùm hic planè inanis prætextus eſt, quod iuuat monſtrare forti diſputatione Petrus Cellenſis, *e* ad Abbatem Moliſmenſem, recens electum. [Gratiæ ſuæ (inquit) addidit Deus nouam gratiam, cum te de Priore Abbatem, de oue fecit Paſtorem. Recole ſtatum, reminiſcere meritum, attende donatorem, & datum donum Dei, Deo reſignes, non homini. Tanquam de ſummo Dei vertice coronam auellit, qui quod à Deo datum eſt, ab homine recognoſcit. Idololatria eſt, Deo debitam, homini rependere gratiam. Noui quorumdam blanda lenocinia, noui vanitates & inſanias falſas. Quidam ſic, ſi moleſtum fuerit clauſtrum, dicit. *Ego noctes & dies ad Deum manus, vt hanc tibi poteſtatem concederet, expandi: & ſingulis tibus continuis donec id efficeretur; aures diuinas pulſaui.* Alius autem ſic. *Ego ille prælocutor*

c homil. 4. in initio.
d epiſt. 22.
e epiſt. 34.

ego perſuaſor, ego aliarum monitor, vniuerſorum animos ad te inclinaui, & modò quod volo, impudenter negas? Alius *Te Deum laudamus* cecinit. Alius nominationem à ſe, vel conceſſionem factam, improbè meminit. Sic plures ſunt tui Abbates, quàm quorum tu ſis Abbas. Non ita (Domine & amice chariſſime) fiat vt quod ab vno habes, à multis te habere credas. Non Monachus, qui orauit, Abbatem conſtituit, ſed Deus qui conceſſit. Non qui voce nominauit, ſed qui cordibus intimauit. Non iſta ſcribens ad ingratitudinem prouoco, vt immemor ſis beneficij: non in arrogantiam extollo, vt non reſpicias deuotionem Congregationis, te ſibi præfici rogantis. Hoc enim non eſſet amicum inſtruere, ſed deſtruere; non veraciter bona ſuadere, ſed nequiter vitio nequiſſimo ſubdere. Ad quid ergo iſta præſtruxi? Vt vana loquentes compeſcas, vt ſtatum dignitatis & officij tui, importunitate aliquorum non minuas: vt ſolum Deum, autorem huius tuæ ſublimationis recognoſcas, & ad eius gloriam & honorem omnia facias. Obnoxium te habeat congregatio pro deuotione tua, ſed cum autoritate tua Monachus te propitium inueniat pro deprecatione ſua, ſed cum integritate tua.] Verendum eſt ne huius moniti neglectu in eum deterrimum ſtatum deuenerit congregatio Moliſmenſis, quem exhibet & tragicè deplorat alio loco idem Cellenſis. *a*

a ep. 126.

13. Abſurde præterea & inconſultè aliqui, remiſſioni & ignauiæ rectionis patrocinium quærunt, à vano metu ne abſcedant aliqui. Abuſio gemina eius quam Tertullianus, *b* acriter corripit in iis qui nolebant exigi à Virginibus veli diſciplinam, ne parcior fieret earum numerus. Scio probatiſſimos Aſcetas, magnæ erga ſubditos indulgentiæ prætexuiſſe hanc cauſam, vt apud Caſſianum videre eſt. *c* Sed vt non diffitear interdum præſertim in aliquo infrequenti euentu debere eſſe condeſcenſioni locum; quod tamen ſimpliciter & abſolutè loquendo, friuolum ſit & indignum, euigeſcere rectionem per vanum hunc timorem, facilè demonſtrari poteſt illa ipſa oratione qua S. Chryſoſtomus, *d* eos caſtigat qui volunt in Eccleſia tolerari ſcelera ne impij ſi coërceantur, tranſgrediantur caſtra noſtra & abeant ad hæreticos. Idque probè perſpiciens Magnus ille Cœnobiarcha quem *Patrem Patrum, & Doctorum Magiſtrum* nominat Climacus informans Paſtorem religioſæ familiæ, *e* grauiſſimè admonebat, non modò non debere præfectum metu abſceſſionis ſuorum eneruari, & fortitudinem abijcere; ſed etiam præſtare, vt eos ipſemet prius expellat, ſi ita neceſſarium ſit ad iuſtum vigorem rectionis. Executus hoc ipſum eſſe exemplo Chriſti, optimos quoſque religioſæ vitæ Magiſtros, monſtrare memini in tractatione de Iuda. *f*

b l. de vel. virg.

c collat. 7. cap. 23.

d hom. 7. ad Coloſ. in fine.

e cap. 14.

f cap. 10 num. 28.

14. Amant ſeipſos, non autem ſubditos, qui prætexunt ignauiæ ſuæ metum diſplicendæ, & idcirco conniuent cum illis, vel in ſuo munere ſunt remiſſi, cauſantes Deum ipſum inter probra cauenda ita qui apud eum accepti eſſe velint, ne meræ quod iuſtum non contriſtauerint. Sed hic eſt metus planè inanis, imo vtraque ex parte exitialis, quod D. Auguſtinus, *g* egregiè proſequitur, agens de errantibus ad viam cum charitate reducendis. [Illi (inquit) gelauerunt in iniquitatibus ſuis; quomodò in eis ſoluas glaciem iniquitatis, ſi non ardeas flammâ charitatis? Nec curemus quod eis moleſti videmur compellendo: attendamus quod in eo ſecuri ſimus. Nunquid enim ad mortem, & non potiùs à morte? Omnino quibuſcumque modis poſſumus (ſed modeſtè) vetuſta vulnera pertractemus, & curati ſimus, ne iterum manus Medici deficiat qui curatur. Quid itaque curandum nobis eſt, quia plorat puer qui ad ſcholam ducitur? Cogitandum nobis eſt, quia repellit manus medici qui ſecatur *&c.* Nec attendas quàm illi ſis moleſtus, ſed quam tibi ille ſit dilectus. Qualis pietas, ſi parcis, & moritur.] Adhibet conſequenter, *h* aliam ſimilitudinem filij qui ne patri ægro diſpliceret, relinqueret illum lethali ſomno opprimi: cum è contrario, bene moratus ac bene patris amans filius, velit hac in parte patri diſplicere vt eum diutius habeat ſuperſtitem. [Cum audierit Medicum dicentem; iſte homo lethargicus poteſt eſſe, & inde mori ſi permittatur dormire. Si vultis eum viuere, non dormiat. Illum ſomnus ille noxius premit, qui & noxius eſt, & dulcis eſt. Filius autem eius, admonitus à Medico, ſtat ſollicitus, patri moleſtus, pulſat; vt ſi pulſatio eius vincitur, vellicat; & ſi vellicatio nihil agit, pungit. Certè moleſtus eſt patri, & eſſet impius, niſi moleſtus eſſet. At ille quem delectat mori, moleſtum ſibi filium, triſti aſpectu & voce reuerberat. Quid ei quid mihi moleſtus es? Sed medicus ait, quia ſi dormieris, morieris. Et ille; dimitte me, mori volo. Senex dicit, mori volo; & puer, impius eſt ſi non dicat, ego nolo. Et illa vita vtique temporalis eſt, nec illa in ea perpetuus erit, cui filius eſt moleſtus vt excitet: nec ille qui abeunti patri & decedenti ſuccedit. Ambo per eam tranſeunt, ambo per illam temporaliter tranſuolant; & tamen impij ſunt, niſi ad ipſam ſibi temporalem vitam, etiam cum inuicem moleſti ſunt, conſulant. Ergóne video fratrem meum, ſomno noxiæ conſuetudinis premi, & non excito dum timeo moleſtus eſſe dormienti, atque pereunti? Abſit à me, vt hoc facerem; nec ſi ille viuo, noſtra anguſtaretur hæreditas. Nunc verò cum illud quod accepturi ſumus, diuidi non poſſit, cum poſſeſſore multiplicato anguſtari non poſſit, non eum erigam, vel moleſtus, vt vigilet, & carens ſomno vetuſtiſſimi erroris, mecum in hæreditate gaudeat vnitatis? Prorſus faciam. Si vigilo, faciam: ſi non facio, & ego dormio.] Liquet quàm iure dixerim metum diſplicendi eneruantem ſuperioris animum, eſſe exitialem vtraque ex parte; id eſt & ſubditi, qui hîc cum ægro componendus eſt; & ſuperioris, cuius eſt malè dormientem ſubditum excitare.

g l. de vtili. ieiunij c. 9.

h cap. 10.

15. Quare liquet omnes prætextus, ignauiæ Præfectorum ſacrorum obductos, eſſe planè inanes. Quod ſi qui ſunt adeò mollis & eneruis genij ac ingenij, vt huiuſmodi bonæ rectionis obices perrumpere ſe poſſe deſperent; nolint iuxta Sapientis monitum, iudices fieri. Ne inquam patiantur ſe implicari functionibus quas dignè & congruenter obire nequeant. Nam diuina etiam lege cautum ſcimus, ne vir, veſte muliebri amiciretur: hoc eſt, interprete Giſelberto, *i* ne qui præ mollitie præeſſe neſcit, & muliebri eſt ac effœminato animo, virile regendi alios munus ſuſcipiat; inſigni haud dubiè abuſione, vt qui ſibi imperare non poteſt, & rem tantulam,

i in ał. cap. 12.

à ſe

à ſe extorquere, vt ſcilicet obices propoſitus perrumpat, aliis ad virtutem dux fieri, & eorum gubernacula tractare præſumat.

PVNCTVM V.

Pericula, & Cœtus & rectoris, ex neglectu imitationis diuinæ fortitudinis, in regendo.

1. PRopoſitam fortitudinem, prætermittens in ſua rectione præfectus animarum, vt beneuolus ac lenis audiat, aliáue quamcumque ob cauſam, magnum & iis quos regit, & ſibi ipſi diſpendium improuidè creat.

Imminere ex eo eneruі & fracto regimine, vniuerſo cœtui exitium, optimè in hunc modum
a hom. 7. in Iosue. docuit Origenes. *a* [Sed & illud non otioſe tranſcurrendum eſt, quod vno peccante, ita ſuper omnem populum venit. Hoc modo accidit, quando ſacerdotes qui populo præſunt, erga delinquentes benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas, ne forte de eis male loquantur, ſacerdotalis ſeueritatis immemores, nolunt implere quod ſcriptum eſt; *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Et iterum *Auferte malum ex vobis ipſis*, nec vero imitantur Apoſtolum dicentem; *Tradidi huiuſmodi hominem Satanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus Saluus fiat.* Neque illud Euangelicum implere ſtudent, vt ſi viderint peccantem, primo ſecrete conueniant, poſt etiam duobus vel tribus arbitris: quod ſi contempſerint, & poſt hæc, Eccleſiæ correptione non fuerit emendatus, de Eccleſia pulſum, velut gentilem habeant, ac publicanum. Et dum vni parcunt, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ iſta bonitas? Quæ iſta miſericordia eſt; vni parcere, & omnes in crimen adducere? Pollutus enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida, grex vniuerſus inficitur: ſic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcumque ſceleris committente, plebs vniuerſa punitur.]

Non dubitauit quiſquis iſta legerit, quin ex Origene profecerit qui egregiè rem hanc vniuerſam confirmat, S. Cæcilius in Epiſtola circa lapſos, & Contumelioſum Regienſem deiectum. [Quæ eſt iſta (ait) iuſtitiæ inimica benignitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum vſque ad diem iudicij incurata ſeruare &c. Verè dico, quia illi quibuſcum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt; dicentes, quod dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus; non eos dum illis inutiliter indulgemus in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus: non recordantes illud quod in veteri Teſtamento ſcriptum eſt, quia vno peccante, contra omnes Dei ira deſæuiit. O pietas! ô miſericordia! vni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere. Non ita ſuadet Sanctus
b L. de lapſis. ac beatiſſimus Cyprianus Martyr, *b* dicens; qui

Theoph. Rayn. Philologica.

peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi ſomitem ſubminiſtrat; nec reprimit delicta illius, ſed fouet & iterum. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus, manu parcente contrectat, & abſconditum in profundis receſſibus virus, dum ſeruat, exaggerat. Vndè & S. Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, arguit dicens; imperitus eſt medicus, qui ante digeſtam putredinem, ſuperinducit vulneri cicatricem.]

2. Vrgebat ad officium molles quoſdam Eccleſiaſticos præpoſitos Iſidorus Peluſiota, *c* ex- c lib. 5. ep.
poſtulans fractos illis fuiſſe animos, quod im- 159.
probitate aliorum nonnullorum præpoſitorum euerterentur quæ ipſi ſapienter ac prouidè conſtituerant. Id verò in perniciem apertam Eccleſiæ cedere, conteſtatur S. Iſidorus, quaſi nihil poſſit contingere myſticis cœtibus exitialius, quam ſi præpoſitis frangantur, animi, dum honoris diſpendium timent, per conuulſionem, etiamſi iniuſtam, & indignam, eorum quæ ipſi ſanxiſſent. Non aliunde Peluſienſis Eccleſiæ vaſtitatem repetit alio loco quàm ex Euſebij Epiſcopi mollitudine eneruі. [Cum caput (inquit) quod corporis velut Capitolium, & maximè neceſſarium ac præſtantiſſimorum ſenſuum domicilium eſt, emiſſos reliquo è corpore prauos vapores diſſipare, & quò conueniat, eos amandare debeat, non modò illud non facit, ſed & per ſe, ac ex ſe, infirmum exiſtens, morborum cauſas diſpellere non valet; quam corpus, aut valetudinis, aut virium recuperandarum ſpem, habere poteſt? Nullam certè. Hinc eſt quod Peluſienſis Eccleſia ab Euſebio adminiſtrata, (vt ſcribis) ſexcentis morborum & paſſionum malis ſcatet, cum qui ipſius eſſe Rector & caput videtur, in illam graſſatur.] Hæc ipſa ratio æquè valet in Religioſi cœtus morboſo capite, noxia excrementa myſtici corporis non diſſipante? Quid verò mirum eſſe poteſt, per ignauam rectionem religioſi cœtus, omnia euerti, & toti cœtui creari ruinam, cum ſæculares præfecturæ quæ externam dumtaxat pacem, & temporalem fœlicitatem habent propoſitam, per molliriem ac remiſſionem præfectorum, ſuſdéque miſceantur; ſintque venæ ſcelerum numquam defecturæ, & fon-
tes indeficientes malorum? Petrus Damiani, *d* id d opuſc. 37.
benè demonſtrat, & benè quoque Petrus Gre- c. 4. & 5.
gorius. *e* e l. de Rep.

3. Sed non ſiſtit intra cœtum ruina, verùm inuoluit quoquè ignauum rectorem. Hoc conteſtabatur Theophilus Alexandrinus. *f* [Malo- f epiſt. 3.
rum (inquit) operatores, quaſi in ditionem ſuam Paſch. ferè
redigentes eos qui poſſunt prohibere, tota ad init.
peccandum debacchantur inſania, & ſilentium in ſenſum trahentes, quidquid animo libido ſuggeſſerit, opere explere nituntur: libertas præſertim vitiorum, geminat vitia; & ſi priora neglexeris, fons & ſeminarium futurorum eſt. Quæ cum ita ſint, qui poſſunt prohibere peccantes, & laboris fuga, inertiáque ſilentio diſſimulant, & creſcere patiuntur mala, participes eorum rectiſſimè iudicabuntur, qui auctores ſcelerum ſunt; & negligentiæ pœnas luent, dum irrationabile otium, ſudori vlciſcentium prætulerunt malentes quietem culpabilem, quàm ſeueritatem vitia ſuccidentem.]

Petrus Cellenſis, *g* vrgens Petrum Clun. vt g epiſt. 12.
fortiter ageret, nec per mollitudinem rectionis inualeſcere ſineret abuſiones quaſdam quarum ibi

 meminit,

meminit, hæc habet præter cætera. [Periculo Prælatorum fiunt tranſgreſſiones commiſſorum: vaſorum cuſtodes ſacrorum puniuntur, cum negligentia ſua de templo Domini aſportantur, & vſque ad manus concubinarum Regis Babylonis humiliantur. Sapientiorem me non doceo, ſanctiorem non inſtruo, feruentiorem non excito, ſtudioſiorem non prouoco; ſed timores meos manifeſto, ſed dolores aperio, &c. Audio Principes populi ſuſpenſos in patibulis, & affixos contra Solem propter peccata populi, & ſomno vacare valeo? Dicentem Iacob ad Laban in ſummo articulo iudicij lego; *Oues tua & capræ ſteriles non fuerunt; Arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi; Ego damnum omne reſtituebam. Quicquid furto peribat, à me exigebas, die noctuque æſtu vrebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis. Sic per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi.* Hæc inquam lego, & non inconſolabiliter inertiam meam lugeo? Vbi namque oues curæ meæ? vbi capræ non ſteriles? &c. Sed vbi Iacob, vbi Abbas tam ſedulus exhortator, tam feruidus redargutor, tam cautus prouiſor, tam beneuolus perſuaſor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morborum peſtilentiam ſapiens, tam ad aëris intemperiem patiens, tam ad latronum inſidias prudens, tam fidelis in commiſſo, tam vigil in euitando damno, tam perſeuerans in incœpto ſeruitio? Damna Domini mei video, ſed quomodò reſarciam ignoro. Eſſet quidem iuſta recompenſatio, ſi numero numerum æquarem, ſi pretium par, pari pretio reſtituerem. Nunc verò cum non ſit mihi niſi vna anima, ſi perierint per culpam meam, tres aut quatuor, quid faciam? Anne triplicatam vel quadruplicatam pœnam perſoluam? Quod ſi quoquo modo pœnam iſtam pati poſſem, centuplicatam fortè qua patiétia ſuſtinerem? Iſta attendens, miror me non mirari; expaueſco me non expaueſcere. Certè non eſt ſomnus ſimplex: ſopor aut lethargia eſt, quæ me tenet. Obſecro mittite antidotum.] Sic Petrus, transfigurans in ſe, quæ in alterum vibrata volebat, minùs ſollicitum accuſationis Monaſticæ tutorem ſtimulans.

a epiſt. 6. 4. In eandem ſententiam ſic ſcribit Bleſenſis. *a* [Remiſſio quæ os prælati obſtruit, quæ mentem eius deijcit, quæ adulatorem & venditorem olei facit, dum ſibi quietem & honorificentiam venatur, in fauore principum, hæc miſeros præcipitat in foueam ſcandalorum. In hac fouea, ſicut propheta dicit, *cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem.* In hac teſte beato Iob, *beſtia ſuum ingredietur latibulum, & in antro ſuo morabitur.* Hæc eſt remiſſio per quam vnus ædificat parietem, & alius linit, per quam *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Per hanc canes non valentes, imo non volentes latrare, per conſenſus vniformitatem, faciem, & ſimilitudinem peccatoris aſſumunt, ſicut ſcriptum eſt, *Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Vtrumque damnum inertiæ Rectorum de quo hactenus, hoc eſt & quo cæterum vniuerſum & ſeipſos inuoluunt, Abbati oſtentat S. Benedictus, prolato exemplo Heli ſacerdotis, qui in officio ſuo remiſſior iuſto; cum filios non corripit qua par erat ſeueritate, ſibi cordolium, filiis cladē, domui ſuæ ſubuerſionem acciuit, vt mox attingā.

Ad eum S. Benedicti locum, Card. Turrecremata, de damnis ignauæ remiſſionis, & quam diræ vltioni ſubjaceat Prælatus cœtui Religioſo datus excubitor, cui per ſuam in regimine ſomnolentiā, virga paſtoralis excidit manu vt ex S. Iſidoro loquitur, diffusè diſſerit. Multus præterea eſt in aperienda inertiæ Rectorum virulentia, pentatis inertiæ cauſis, quæ ſunt admodum corruptæ; ſiue ſit pigritia quibuſdam natiua, ſiue ſit vita ipſius prælati minus compoſita, vt propterea non ſudeat vrgere alios ad id præſtandum in quo ſe agnoſcit reprehenſibilem; ſiue ſit defectus autoritatis in indiſcretam humiliationem conſecutus. Idcircò enim S. Auguſtinus vetat moderatorem à ſubdito veniam petere, ſi tantiſper in aliquo deſecerit inter corripiendum; ſiue ſit nimia effuſio in res externas, obliuans curæ cœnobij, quod eſt multorum ſuperiorum vitium zelo non ſecundum ſcientiam abreptorum, aut negotioſi ingenij vertigine, vel parandæ famæ, aut augendæ rei cupiditate in luctuoſam negotiorum ſæcularium tractationem pertractorum, ſiue ſit vanus metus ſcandali inferendi, vel obueniuri incommodi temporalis; ſiue denique ex falſa benignitate, remittat de regendi & malis obſtandi contentione. Quas omnes cauſas eſſe malignitatis refertas benè demonſtrat laudatus proximè Turrecremata: éſtque præſertim ex clade conſequente perſpectum. Nam ſicut excubitor ſi dormitet, ciuitatem hoſtibus diripiendam & vaſtandam dimittit, & primus ipſe exitio patet, ſiue ab hoſte irruente transfixus, ſiue de muro deiectus, ita vigil ex munere ſed reipſa dormitans, & omnia perſum ire per negligentiam ferens, & ſibi & aliis ruinam creat. Poſſumus iſta exemplis facere teſtata, nec recentibus dumtaxat quæ præterire potiùs iuuat, ſed etiam antiquis.

5. Filius in crucem agendus, Patrem quaſi veniam experiturus aduocauit, & appreſſo ore denaſauit quæſtus ab eo manaſſe ſuum exitium, eo quod non corripuiſſet errantem, vt eſt apud Boëtium informantem Scholares. Quàm multi ergo filij ſpirituales denaſabunt & dehoneſtabunt coram Deo ignauos Patres ſpiritus? Irrefragabile & luculentum omnino in hanc rem eſt, exemplū iam tactum Heli Sacerdotis. Is dum ignauè rectionem obit, quam ſibi ac domeſticis ærumnarum molem acciuerit, notiſſimum eſt ex ſacra hiſtoria: optiméque expenditur, à varijs Patribus, ac nominatim à S. Ephrem, *b* eo Opuſculo cui titulus eſt *Apologia ad fratrem quemdam.* Is frater mirabatur mulctatum eſſe Heli, quaſi filios non corripuiſſet; cum tamen diſertè ſcriptura confirmet, Heli filios ſuos corripuiſſe. At S. Ephrem monſtrat, eam mollem & eneruem correctionem, non eſſe habitam correctionem, à Spiritu ſancto, recto iudice; perpenſiſque omnibus adiunctis monſtrat, ebrium filiorum amore Heli, per indulgentiam indignam, ſibi ac illis exitium accidiſſe. Idem egregiè ac fusè perpendit S. Chryſoſtomus, *c* vrgens obligationem parentum in coërcendis liberis. Videndus item S. Baſilius, *d* non vno loco, & S. Hieronymus impugnans Iouinianum, ac Theodoretus, *e* nec omittenda quæ ad hoc inſtitutum, ex hoc ipſo exemplo Heli, ſunt diſputata, cum ab Iſidoro Peluſiota, *e* & ab Hildeberto, tum à *f* Petro Damiani qui è contrario compenſatum à Deo ob fortitudinem Phinees obſeruat, inde eruens, quanta ſit futura apud Deum retributio, quæ maſculi

b Tom. 2.
c l. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſt.
d proœmio Ethico. & tract. de iudicio Dei.
e lib. 1.
f q. 5. in 1. Reg.

culi rectoris animis rependetur. Quamquam quod Phineem, cenſet eſſe ipſummet Eliam prophetam, & Hieronymi autoritate firmare nititur, ſibi diſcutiendum, imò refellendum eſt.

Alio loco idem Petrus informans Antiſtitem quemdam & animans ſic ex iiſdem exemplis philoſophatur. [Legimus quia Phinees ſacerdos cum vidiſſet Iſraliteın cum Madianitide coëuntem, pugionem repente corripuit, & ſacrilegam fornicantium bigam copulatam, inter pudenda transfodit. Hoc factum priorem ædificauerit populum: tu autem qui alterius belli magiſterio inſtructus es, & ſpiritualis Dux gregis, non corporalis allatus, ſi quem conſpexeris de populo tuo, poſt ſenſum in Madianitarum amorem euntem, & illecebroſis ſe cogitationibus voluntantem, nolo parcas, nolo diſſimules; ſed illicò percute, ſine dilatione transfige. Ipſam quoque vuluam, id eſt ſecreta naturæ diſcutiens, atque interiùs penetrans, illum ipſum peccandi fomitem perfode, ne valeas vlira concipere, vel virulentam ſobolem quæ Iſraëlitica caſtra contaminet, generare: gladius inquam ſpiritus, ipſum peccandi conceptaculum feriat, qui petulantia laſciuientis oblectamenta carnis extinguat. Quod cum omnibus pro ſuo cuique modulo neceſſe ſit agere, illis tamen hoc propenſiùs imminet, qui locum regiminis tenent, qui commiſſis fratribus præſident. Quos nimirum neceſſe eſt, vt contra vitia ſubditorum, ſacerdotalis zeli feruor accendat, vt cum Phinees æterni ſacerdotij iura poſſideant. Quod ſi deſidiæ circa delinquentes torpore langueſcunt, nudati ſacerdotio, cum Heli, fractis in terram ceruicibus eliduntur.] Hæret Petrus in temporali punitione Heli, ſilens de æterna,

a l. 3. cont. vitup. vitæ Monaſt. quam S. Chryſoſtomus, *a* innuit, & non pauci diſertè affirmant. Sed quicquid ſit de Heli, pro cuius ſaluatione, poſt rem in vtramque partem fusè agitatam, ſtat Salianus ad annum mundi 2939. filios, longè veriſimilius eſt malè periiſſe; non corpore tantum, ſed & anima, ideóque à

b in 1. Reg. S. Georgio, *b* ſtatuuntur exemplum reproborum, & eorum qui in impœnitentis cordis caliginem proijciuntur. S. item Ephrem, in opere quod inſcribitur, *Confeſſio, & ſui ipſius reprehenſio* eos ait eadem ſorte fuiſſe cum Nadab & Abiu, quos impœnitentes obijſſe, & damnatos eſſe,

c 1. Reg. 4. 17. confirmat; quamuis Abulenſis, *c* benè de eis ſperari velit, quantum ad æternam ſalutem attinet; qui in tanta deprauatione vitæ filiorum Heli, nulla (quod prodatur,) expiatione per pœnitentiam deterſa, non videtur audiendus. At hoc eis exitium, patris mollities creauit. Nam ſi validè eos & corripuiſſet & multaſſet, lege in tot propudiis aduersùs eos agens, fortè reſipuiſſent & æternum exitium euaſiſſent. Vt hinc ſanè diſcere poſſint ac debeant molles Rectores, quanto ſuo & ſubditorum malo, indulgeant illis, vt Petrus Damiani rectè conſiderabat.

6. Aliud attexit exemplum, in eandem rem, adſcriptu, & conſideratu digniſſimum. [Cum Iſraëliticus ille populus, initiatus eſſet Beelphegor in deſerto, & in ſcorta Moab turpiter corruiſſet; iratus furore Dominus aduerſus Iſraël, dixit ad Moyſem, *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos in patibulis contra ſolem, vt auertatur furor meus ab Iſraël.* Quid eſt quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in correctum præpoſitos vindicatur? Subditi delinquunt & principes in patibulis ſuſpenduntur? Scilicet alius eſt qui peccat alius ille, qui vapulat. Cur hoc, niſi quia culpa ſubditorum, in præpoſitorum redundat opprobrium, & quod ab omnibus erratur, negligentiæ paſtoris adſcribitur? Et vide quàm formidoloſa ſit conditio præſidentium, vt non modò pro ſuis, ſed pro ſubditorum puniantur offenſis. Arguit eos Moyſes, quia lex Dei negligentiæ illos ac torporis accuſat. *Qui ſuſpendit eos ad ſolem,* quoniam ad examinandum producuntur, & arguuntur à luce.]

7. Hæc de Eccleſiaſticis præfectis quibuſvis, veriſſimè dicta, maximè valere circa præfectos regulares, perſpicuum eſt, ex multo procliuiore ruina & conuulſione cœtuum quibus præſunt, itaque Patres, ac Spiritus Magiſtri, paſſim conteſtantur, præfectum mollem & elumbem, non modò breui euerſurum eos quibus præeſt, ſed ſeipſum infeliciſſimè perditurum, & eorum quos fouerit maledictis obiectorum. Verùm parum omnino referret, maledicta hominum ſuſtinere, niſi impenderet etiam remiſſo rectori maledictio à Deo, & damnatio æterna. S. Baſilius, *d* diui- d in reg. fuſ. 25.
nè planè in hanc rem diſſerit: præfatus enim maledictum eſſe qui facit opus Domini negligenter, nihilque eſſe procliuius, quàm vt miſeri appellationem incurrat, & væ à Deo audiat, qui lenteſcit in ſuo munere, ſubdit. [Quamobrem cui communis totius regendæ ſocietatis data prouincia eſt, is ita eſſe animo affectus debet, quaſi qui intelligat reddendam ſibi de vnoquoque rationem; illúdque ſibi perſuadere, ſi de fratribus aliquis in aliquod peccatum inciderit, quem priùs ipſe de iudicio Dei non præmonuerit; vel ſi iam lapſus in eo perſtiterit, ac non rationem ipſam quam ſanari poſſit, docuerit; fore vt eius ſanguis requiratur de manibus ipſius, ſicut eſt ſcriptum: præſertim ſi non ex inſcitia, aliquid tacens prætermiſerit eorum, quæ Deo non placent, ſed ex aſſentatione, quod ſe demittens ad eorumque vitia accommodatè, exactam ſibi creditæ Reipublicæ diſciplinam diſſoluerit. *Qui enim beatos vos dicunt,* inquit, *ipſi vos decipiunt, & viam pedum veſtrorum diſturbant. Qui autem turbat vos, iudicium portabit, quicunque ille eſt.* Quod ne vſu nobis eueniat, in iis quæ agenda nobis cum fratribus ſunt, exemplum Apoſtoli imitari debemus. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ (Deus teſtis;) neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Quamobrem qui à vitiis planè iſtius modi eſt alienus, hic ſcit fortaſsè, qui iter rectum, cum ſibi, tum cæteris, qui ipſum ſequantur, & fructuoſum, & ſalutare poſſit commonſtrare. Etenim qui neque ſtudioſè humanos honores conſectatur, neque pro deuitanda apud delinquentes offenſione laborat, ea re, vt iucundus apud illos gratioſúſque ſit, prorſus hic ſyncerè veréque charitate ac præſentia animi adhibita, Dei verbum tractabit, neque ob rem vllam in animum inducet, vt veritatem adulteret; eaque meritò in eum conueniente, quæ dicta ſunt deinceps, *ſed facti ſumus indulgentes in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes cupidè, volebamus vobis tradere non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras.* Qui verò in auditores hoc pacto non

afficitur, is dux cæcus eſt, & ſeipſum agit in præceps, & ſequentes ſe, etiam inducit. Quantum autem malum ſit illud, pro recto iunere, erroris cuipiam fratrum ducem eſſe, hoc ex iis quæ dicta ſunt ſigna, intelligi poteſt. Ex hoc porrò ſignificatiu fit etiam, neutiquam eſſe illum charitatis præceptum conſecutum, quandoquidem, nullus eſt pater qui in eo conueniat, vt filium in foueam lapſurum præuideat, aut delapſum iam, in ea iacere patiatur. Quantò autem illud fit grauius, animam quæ in profundum malorum deciderit, pati in interitu illo diutius iacere, quid huc verò attinet dicere?]

8. Quare extra omne dubium eſſe debet, immane exitium ac ſupplicium à Deo imminere, remiſſo Præfecto. Exemplum in hanc rem profert Dionyſius, Richelius, a quod hauſiſſe ſe
a lib. 9. de nouiſſ. c. 13.
dicit ex Petro Cluniacenſi. Refert igitur religioſum quendam Anglum, cum à die cœnæ Dominicæ ad veſperam vſque Sabathi Paſchæ, raptus fuiſſet in ſpiritu, poſtea ad ſe reuerſum, mira planè de alteriùs vitæ pœnis retuliſſe, & nominatim de quodam cœtus religioſi præfecto, iſta elocutum. (In primo loco pœnarum præfatu, vidi Rectorem cuiuſdam Religioſæ Congregationis, & erat in maximis luci tormentis, & nunc in igne, nunc in balneis fœdis, ſulphure & pice mixtim feruentibus, grauiſſima tolerauit ſupplicia. Qui interrogatus à me cur talia ſuſtineret, reſpondit, potiùs propter peccata ſubditorum meorum quàm propter propria peccata, iſta ſuſtineo. Propria enim peccata, crebra confeſſione, diſciplinarum perceptione, orationibus aſſiduis, & aliis pluribus modis redimere & caſtigare conſueui: ſubditis verò non adhibui debitam diſciplinam, ex quadam vana formidine, ne meo priuarer primatu, ex reſiſtentia eorumdem. Idcirco, pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata in quæ ex mea negligentia quotidiè incidunt, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum agnoſco.] Atrocius etiam eſt, quod Neapoli accidiſſe in cœnobio ſui ordinis ſcribit Antoninus Senenſis, b de pleriſque ſupe-
b in Chr. ord. Præd.
rioribus apparitionibus apparentibus poſt mortem; qui allato ſacroſancto Chriſti corpore adiurati à Priore cœnobij, faſſi ſunt, ſe ad æterna ſupplicia damnatos, quod malè munus obeuntes, per aliorum cladem & inſtituti labefactionem, æternum ſibi creaſſent exitium. Contigit ea apparitio ſub Chriſti annum 1370.

9. Ex his intelligi poteſt, quid ſibi voluerit Hugo, antiquus & grauis regulæ B. Franciſci interpres, cum dixit? c [Superiorem remiſsè agentem vt placeat, non eſſe caput, ſed caudam
c ad c. 6. reg. S. Franc.
operientem turpitudinem, quem aliud non maneat quàm ignominia extrema, & collocatio in nouiſſimo loco. [Quaſi enim non ſatis grauaretur culpis ſuis, adiicit ſibi culpas ſubditorum, quas emendatione enaſci ſinit, nec prohibet dum poſſet. d At vt eſt apud Saluianum, [poteſtas quæ inhibere ſcelus poteſt, quaſi probat de-
d lib. 7. de prou. ſub finem.
bere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari. In cuius enim manu eſt vt prohibeat, iubet agi, ſi non prohibet admitti.] Diſſerit grauiſſimè in hanc ſententiam S. Valerius adductus in Concordia regul. e & præter cætera profert verſus illos.
e c. 3. §. 7.

Ipſe iubere nefas, quin ipſe probatur amare
Qui prohibere valet, nec prohibere valet.

Concluditque præfectū qui abſtinuerit ſucciſione & eradicatione noxiarum huiuſmodi, herbarum eadem cōputandum ſorte cum iis quorum nimia remiſſione errorem fouerit. [Rectè namque cenſetur, vt cum quo participat errorem, æternam retributionis cum eo ſortiatur vltionem.] Gemina illa Synodi Piſtenſis. f [Non eſt liber à con-
f cap. 4.
ſenſu, qui quod emendare poteſt, emendare negligit. Quapropter ſine dubio, peccati ſe participem facit.] Similiter Synodus Metenſis inſerta Capitularibus Caroli Calui. g Nec obtendi
g cap. 8.
poſſe vſum contrarium, conteſtatur grauiter Papa Felix IV. Epiſtola ad S. Cæſarium Arelatenſem. [Qui poteſt (inquit) venienti malo reſiſtere, & hoc diſſimulans fieri permittit, ipſe magis mali autor operis approbatur. Nemo ſe itaquè per antiquam conſuetudinem ſperet eruere; quia quæ illicitè inchoata ſunt, ſi damnentur, in poſterum, ſuos fructus generare non poſſunt.] Id verò multo magis vrgere quoad Antiſtites, grauiſſimè traditur in Epiſtola Epiſcoporum Prouinciæ Turonicæ, in Epiſtola ad plebem, ſubiuncta Concilio Turonenſi ſecundo. Nam vt ibi præter cætera dicitur; [Paſtor videtur cum lupo conniuentiam facere, ſi permittit rapere, cum poſſit obſtare &c. Vnde quantæ culpæ teneatur reatu dominante ſubiectus, qui ceſſat alicui poculum ſanitatis porrigere, quod cum non dederit alteri, ſe facit extingui, & in ſe vindictam videtur excipere, de qua crimen alter admiſit, cum vix quiſque ſufficiat ſua flendo peccata purgare?] De huiuſmodi Paſtore aiebat S. Gregorius. h [Qui non corrigit reſecando, committit.] Et alibi. i [Qui emendare po-
h l. 7. Ep. 6.
i l. 9. Ep. 64.
teſt & negligit, participem ſe procul dubio delicti conſtituit.]

SECTIO

SECTIO IV.

De exprimenda moderatoribus mixtura ſuauitatis & fortitudinis conſpicua in diuina rectione.

Actum quantum ſatis, de duplici dote diuinæ rectionis ſigillatim, monſtratúmque quanti referat, humanam rectionem conformari ea in parte, diuinæ. Sed quia dotes illæ idcircò diuinam rectionem efficiunt abſolutiſſimam, quia ambæ nectuntur; conſideranda ſupereſt, ſimilis conſociatio lenitatis, & fortitudinis in rectione humana ad diuinam expreſſa. Sic enim vtile tametſi acidum miſcebitur dulci, quod qui præſtaret, omne tuliſſe punctum, Flaccus admonuit.

PVNCTVM I.

Concluditur, ſuauitatis & efficaciæ coniugationem Dei imitatione, eſſe peridoneum ſacræ præfecturæ difficultatum malagma.

VT ad eam abſolutiſſimam regendi rationem quæ in Deo eſt micantiſſima, pro imbecillitatis humanæ captu accedere liceat, binæ illæ dotes vnde diuinæ rectionis perfectio exiſtit, aduocandæ ſunt, & in hoc exprimendæ ab humanis rectoribus, ſupremus omnium Rector Deus, qui exquiſitè duo illa commiſcet.

Tota difficultas eſt, quomodò facienda ſit ab hominibus qui ſuper alios ſunt impoſiti, ea mixtura. Id verò nec commodiùs nec certiùs aſſequi mortalibus licebit, quam attentè ac diligenter ſpectando modum quo Deus ipſe, in regendo ſuauis ſimul ac efficax eſt. Hoc autem quantum ex SS. Patrum doctrina aſſequi licet, non aliter præſtat Deus, quàm attemperando ſe hominis genio. Per ſcientiæ quippè ſuæ immenſam vim, & intellectualis oculi infinitam perſpicaciam, omnes humanæ voluntatis latebras perſpiciens, agnoſcit quo tractura ſit ſua quemque voluptas, ſi in his illiſve occaſionibus conſtituatur. Idquè vt eueniat, veréque homo in illis occaſionibus ſtatuatur, quibus volens ac lubens in bonum à Deo intentum feratur, ordinatiſſimæ eius prouidentiæ cura fuit. Ad eum ergo modum, diuina rectio lenis & ſuauis eſt. Quid enim ſuauius, quàm voluntate ſua aliquem ducere, eóque inflectere quò ipſemet proprio nutu & propenſione agi velit? Eſt item eo modo diuina rectio egregiè efficax, non quod homini habenas ſuæ voluntatis eripiat, vel neceſſitatione iniecta adigat eam ad vnam partem; ſed quod mouens & excitans accommodatè ad genium noſtrum, efficiat vt ipſimet, volentes ac lubentes faciamus; quod nobis commodiſſimum eſt, Deo autem glorioſiſſimum. Verba ſunt D. Auguſtini, totum hoc negotium diuinè explicantis in opere ad Simplicianum. *a* Quam doctrinam iam ſenex ratam habuit. Nam in vltimis libellis quos Sancti Patris teſtamentum vocare haud immeritò poſſumus; libello inquam de prædeſtinatione Sanctorum, *b* eique adiuncto libro de dono perſeuerantiæ, *c* illud opus ad Simplicianum refert & approbat, nec ex eo quicquam retractauit in opere retractionum, cum de illo egit, *d* Proſper quoque mentis D. Auguſtini probè conſcius, illud opus cum laude allegat, agens cum Genuenſibus, *e* & eius doctrinam ratam habet. Quod obiter monere placuit, contra ſuſurrones quoſdam, eam Sancti viri lucubrationem arrodentes, & vocantes in ſuſpicionem: itémque contra alios temperatiores, qui S. Auguſtinum, quæ ibi iunior tradiderat, ſenem correxiſſe voluerunt.

a l. 1. q. 2.
b cap. 4.
c cap. 20.
d l. 2. c. 1.
e ad except. Genuenſ. q. 1.

Eſt igitur ad eum modum diuina rectio fortis, quatenus infallibiliter efficit vt faciamus, ipſique vltrò nos dedamus. Quod ſi aliqua per pœnas & adhibitum flagellum compulſio, ad domandam & contundendam ſuperbiam noſtram ſit opportuna, eam quoque adhibet Deus: ſicque vtraque veluti manu admota, efficaciter aſſequitur quod ſibi propoſuerat, & forti ſimul ac leni gubernatione nos regit. Præſertim tametſi intentum aſſequitur & fœliciſſimè regit, quia opportunè operatur, & ſiue lenitatis ſiue ſeueritatis argumenta, exhibet cum opportunum eſt. Quam ob cauſam, non minùs dici poteſt, *ipſa opportunitas*, (vt factum à Pythagoricis alibi refero, *f*) quàm ob prouiſum opportunè frugum prouentum, vt Proclus ibidem adductus, interpretatur: Vndè diuinum regimen à Pſalte *virga & baculus* denominatur, quia opportunè in tempore & virgam percutientem; hoc eſt ſeueritatem, & baculum fulcientem, ſiue conſolationes per lenitatem admouet, vt eum Pſaltis locum expoſuit Iſidorus Peluſiota. *g*

f in Natur. Theol. 9. num. 18.

1. Idipſum ſpirituali rectori faciendum eſt. Explorandus accuratè genius ſubditorum, eique accommodanda

accommodanda quantum licet rectio atque correctio, vt S. Baſilius, *a* optimè admonuit. Hoc verò eſſe quod in ſcripturis ſæpè dicitur, dandum eſſe aliquid in tempore, (in quem finem conſtitutum eſſe ſeruum fidelem familiæ Dei præpoſitum, habent Lucas, *b* & Matthæus,) *c* egregiè expoſuit Origenes tractans illud Leuit. 26. *dabo vobis pluuiam in tempore.* [Neceſſariò (inquit) addit *& in tempore*, ſicut enim imber iſte terrenus, ſi importunè veniat, id eſt, cum meſſis colligitur, cum frumenta teruntur in areis, obeſſe magis quàm prodeſſe videbitur. Ita & ij quibus pluuia verbi Dei miniſtranda committitur, obſeruare debent hoc quod dicit ſcriptura, vt in tempore præbeant: Id eſt ne crapulato, & ebrio, verbum Dei ingerant: ne occupato in aliis animo, cum attentus eſſe non poteſt, vel cum alicuius vitij languore conſtrictus eſt, & non doctori, ſed morbo proprio interius præſtatur auditus. Prudenter ergo conijciat, vbi vacare mens, vbi ſobrius, vbi vigilans, vbi intentus auditor eſt: & ibi pluuiam miniſtret in tempore: ſicut & tritici menſuram, ſeruus fidelis, & prudens, in Euangelio conſeruis dare iubetur in tempore.]

a cap. 23. conſtitut. ſub fincm.
b cap.
c cap. 24.

3. Cum hac pluuia in tempore, ac voluntaria, iuxta Theodoreti interpretationem, *d* non cohærent præfecti præfinitiones antecedêtes. Itaque remouendæ ſunt; & ſubſtituendæ congruæ, ac humanæ voluntati contemperatæ motiones, quantum per rerum, & negotiorum ſtatum licet, vt Deus ipſe, cui ſubeſt cum voluerit poſſe, eluctabilibus tamen motionibus perficit omnia. Huc collimabat diligens illa ſcrutatio propenſionis ac varietatis animorum, quam tanto ſtudio rectoris indicit Nazianzenus, *e* & eius veſtigia aſſectatus S. Gregorius. *f* Quibus aſtipulatus bono præfecturæ ſacræ ſcientiſſimus, & optimus religioſæ rectionis Magiſter Claudius Aquauiua, induſtriarum volumen pro ſuperioribus conſcripſit, opus perutile, & veluti medullam totius huius negotij, ei vni nixum principio de quo agimus.

d in Pſal. 67.
e orat. 1.
f in paſt.

Quod ſi compulſio interdum nonnulla, præſertim circa duros & indociles, per caſtigationes neceſſaria videatur; par quoque eſt eam non omitti, vt germana illa fortitudo prudentiam aurigantem ſequens, à qua vigor rectionis expectandus eſt, vndecunque abſoluta & perfecta adhibeatur.

Iſtamen ordo in adhibenda correctione vltoria eſt neceſſarius, qui à Chriſto Inſinuatus eſt, cum præſcripſit corripi priùs amicè ac commoneri, quàm ad reſectionem veniretur. Nam hoc quoque depoſcit rectionis lenitas, & idem inſinuatum eſt in parabola, qua oleum dicitur priùs infuſum, & poſtea vinum. Præclarè in rem diſſerit Hilarius, *g* Papa ſcribens ad quoſdam Galliæ Epiſcopos. Coërcitum enim volens Mamertum, Viennenſem Epiſcopum, qui Dienſibus Epiſcopum indebitè dederat, conteſtatur, conſentaneum fuiſſe vt plecteretur ob illud factum, ne conceptæ audaciæ inſtigata temeritas; licentiæ ſe peperiſſe putaret exemplum. Vt tamen iuſta vltio inſereretur in ſpiritu lenitatis, & omnia ſapienter ac ordinatè gererentur, ita mandat deueniri ad vltionem, ſi præmiſſa lenia medicamenta non prodeſſent. [Verùm (inquit,) ad Eccleſiarum quietem, tantæ tranſgreſſionis vulnera, memores Apoſtolicæ ſapientiæ, curari volumus antè fomentis, vt corporis noſtri membrum fortè ſanandum, in integritatem priſtinam per mitiora medicamenta reuocetur; nec credatur negligi, quod interim non monetur abſcindi. Prærum medendi ſemper auſteritatis eſt lenitas, nec omnis ferro ſtatim culpa compeſcitur, aut in explorato, vel quod facilè prodeſſe poſſit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis neceſſitas, nunc medicinæ ipſius, & modus eſt quærendus & qualitas; vt omnis per ſapientiam facta in vitiis reprimendis ſollicitudo, curantis gaudeat reparatione quod ſaluat, nec careat moderatione quod reſecat.]

g Epiſt. 51.

4. Sic inſtituta ſuauitatis & fortitudinis conſociatione, exiſtet illa diuinæ rectionis creata expreſſio quam quærimus, nec erit quicquam quod in rectione humana (quippe ad ideam ſuam expreſſa,) iure deſideretur. Talem religioſæ familiæ præfectum, S. Maximum Lerinenſem Abbatem, poſtea Rhegienſem Epiſcopum, deſcribit his verbis Fauſtus. *h* [O virum perfecti exercitus, idoneum Ducem. O virum per omnia Deo dignum. Eminebat (vt ſic dixerim) in ipſo habitu animi fortitudo: in ſpecie exteriori, ipſam putares expreſſam imaginem ſanctitatis. Terribilis inceſſu, reuerendus aſpectu; crederes quod ſemper inuiſibilem illum hoſtem, ipſa vultus ſui virtute terreret. Metuendus ſeueritate, benignitate venerandus, autoritatis cenſuram, humilitatis manſuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur. Ac ſic conueniente in vno diuerſitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu: illius diſtrictionis, huius erat pietatis æmulator: ita vt cum præſentiam vix ſuſtineres, abſentiam ferre non poſſes.] Reuocant mihi iſta in memoriam, illa Pontij de S. Cypriano, *i* quem ab iſta ſuauitatis & fortitudine fœderatione in regendo commendat. [Quæ illi pietas? qui vigor? miſericordia quanta? quanta cenſura? Tantum ſanctitatis & gratiæ ex ore eius lucebat, vt aduocaret intuentium mentes. Grauis vultus, & lætus; nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta vtriuſque temperies, vt eſſet ambigere, vererine plus, an diligi mereretur, niſi quod & vereri & diligi merebatur.]

i in vita.

5. Hoc eſt, quod Superiorem debere ſimul eſſe patrem ac matrem ſubditorum, patrem quidem ſeueritate temperata, matrem verò benignitate, tradunt S. Bernardus, *l* & S. Gregorius. *m* Hic tractans illud Iobi 39. *numquid parturientes ceruas obſeruaſti*, præfatus hæc de ſpiritualibus Patribus accipienda eſſe, cuiuſmodi nominatim ſunt animorum præfecti, ſubdit. [Nihil verò obſtat quod verba Deus de doctoribus faciens, non ceruorum, ſed ceruarum eos ſpecie deſignat; quia nimirum illi veri doctores ſunt, qui cum per vigorem diſciplinæ patres ſunt, per pietatis viſcera eſſe matres nouerunt. Qui labores ſanctæ conceptionis tolerant, & proferendos Deo filios intra vterum charitatis portant. In edenda enim prole, amplius matres laborant, quæ creſcentem intra vterum conceptionem, longo menſium tempore ſuſtinent; & quæ ex vtero procedentem, non ſine magnis doloribus diſponunt. Vnde & hîc apta conſideratione ſubiungitur. *Dinumeraſti conceptus earum?* Sancti enim Viri cum de profectu auditorum cogitant, quaſi

l ſer. 2. in Cant.
m 30. mor. cap. 20.

quaſi iam vterò conceptionem portant. Sed cum nonnulla quæ dicenda ſunt differunt, & aptum ſuis exhortationibus tempus quærunt, velut à partu, quem fieri appetunt, in menſium prolixitate dilatantur. Et ſæpè dum quædam quæ ſentiunt, intempeſtiuè dicere audientibus nolunt, in ipſa tarditate proferendæ ſententiæ, ſiue ad hæc quæ ſuadenda ſunt, ſeu ad illa quæ increpanda, conſilio altiori firmantur. Et dum cogitatur vita filiorum, nec tamen ante tempus lingua conſilium mentis eijcit: quaſi iam concepta ſoboles, intra vterum creſcit: vt ad auditorum vtilitatem, tunc ſententia cordis exeat, quando prolata vtiliter, quaſi per congruum tempus viuat.] Quomodò ſpiritualis pater, vniuſque corporum parentis partes circa animum ſuſtineat, & quomodò lenitatem cum fortitudine coniungat, adhibita ea ad genium ſubditi contemperatione quam ſupra expoſuimus, egregiè omnino ex verbis adductis S. Gregorius. Itaque ſicut Deus naturalis filij ſui pater ſimul eſt ac mater, vt

[a hymno 1. & 2.] ſcitè dixit Syneſius hymnum Deo pangens, *a* idemque mundi quem regit, Pater ſimul ac mater μητροπάτωρ à Clemente Alexandrino *b* nominatus habetur; de Ioue ſuo id dixiſſe Ethnicos, Palladis & Bacchi, patrem ſimul ac matrem, illum denominantes, notat Muretus. *c* ita Superior in Dei imitationem intentus, pater ſimul ac mater eſſe debet eorum quos habet in Christo filios, quod ea de qua agimus ſuauitatis ac fortitudinis coniunctione, & prudenti conſociatione aſſequetur.

[b lib. 5 strom. ex Orpheo.]
[c lib. 9. var. c. 1.]

6. Nec qui Superiorem religioſum Patris dumtaxat nomine inſigniunt, vt ſupra tractatum eſt, lenitatis & efficacitatis mixturam tollunt. Nam fortitudinem & vigorem rectionis in paterno nomine micantem, benignitatis quoque & ſuauitatis comitetur neceſſe eſt, ne poteſtas patria degeneret in herilem, & filij in mancipia tranſeant, quibus ſæuitia Domini ſit horrori, non paterna charitas amori ſimul ac venerationi. Sunt de huiuſmodi auſterioribus iuſto Patribus, illa Aſianij veteris Poëtæ, apud Agellium, *d* ſic emaculanda cum Mureto. *e*

[d lib. 5 c. 13.]
[e 7. var. c. 4.]

Horumce parentum, eſt vita bilis liberis
Qui malunt metui, quàm vereri ſe à ſuis.

Vereri dixit, pro *revereri*, qui partus eſt timoris (vt vocant) *filialis* charitatem reciprocam affectantis, & ad rectionem fortitudine ſimul ac ſuauitate exornatam, conſequentis. Vtramque igitur commiſtam & contemperatam, præfert Patris appellatio. In quam rem egregiè præter cæteros diſſerit Philippus Abbas. *f* Exhibens patrem, longioris diſputationis circa illud Apoſtoli ad Epheſ. 6. *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros*, quibus verbis & frænatam filiorum licentiam, & patrum poteſtatem repreſſam, ne vltra paternam, ideſt benignitate commiſtam auſteritatem ſæuiant, arbitratur. Itaquè perinde id eſſe ait, ac ſi dixiſſet Apoſtolus. [Nolite eis iræ venenum infundere, quos grato vnctionis oleo debitis perfundere. Nolite ad aliquid eos vitium prouocare, quos ab omni debetis vitio reuocare. Nolite filijs paſſu tenero ad Dei feſtinantibus viſionem, occurſu peſtifero importunam inferre læſionem; ne qui debent affectu filiali veſtris iuſſibus obedire, impulſu fero compellantur ab eadem obedientia reſilire. Bonus enim pater, non elatus collatæ ſibi faſtigio Præfecturæ, ſed voluens, & reuoluens onus impoſitæ ſibi curæ, non ſpirat minas in ceruices tremulas ſubiectorum, ſed vix reſpirat dum frequenter ſuſpirat, graui ſollicitudine filiorum. Bonus Pater filijs non parat laqueum, non ruinam; ſed eis ſalutarem, non tam verbis quàm moribus dat doctrinam, vt ſerpentis aſtutiæ; iungat manſuetudinem columbinam. Illa prudenter corrigit proſerpentem tortitudinem vitiorum; iſta ſibi clementer allicit pronam teneritudinem animorum. Corrigit inquam ne effluant, vel forte pereffluant nullo repagulo cohibente; allicit verò ne deficiant, & è via reſiliant ſæuitia intolerabiliter perſtrepente: per illam filijs pater ingerit reuerentiam, & timorem: per iſtam verò ſuggerit patientiam & amorem; ne vel amor ſine timore efficiat negligentes, vel timor ſine amore (quod eſt grauius,) odientes. Vndè Paulus cum Philippenſes inſtruens diceret; *Quæcumque ſancta*, ſtatim ſubiunxit. *Quæcumque amabilia, hæc cogitate*; ſic acquirendam vel tenendam, innuens ſanctitatem, vt ei neceſſario copulandam aſtrueret, charitatem. Et ne hoc videretur cæteros præmonere, quod ipſe vel non poſſet, vel nollet forſitan adimplere; conſequenter adiecit; *Quæ & didiciſtis, & vidiſtis, & audiſtis in me*; Super quo etiam Theſſalonicenſibus loquens, prælatos breuiter inſtruit dicens. *Corripite inquietos, Conſolamini puſillanimes.* Quibus verbis dat aperte intelligi, quod non ſufficienter operetur in ſubditis correptio ſanctitatem, niſi in eis etiam ædificet, conſolatio charitatem: cum ſub faſce correptionis puſillus animus defatiſcat, niſi grato conſolationis beneficio reuiuiſcat. Non vult ergo Apoſtolus vt pater à filijs ſolummodò timeatur, ne timor ad odium deuoluatur, ſed ſic eum vult timeri, vt etiam amplius diligatur.] Vides, quem Philippus in rectione vult Patrem agere, ſimul informare vt ſit mater; ideſt, vt lenitate iungat cum efficacitate, pietatem cum ſeueritatem mitigata, quod eſt vt cum Clemente Alexandrino loquebamur; eſſe μητροπάτορα.

Id ipſum ſub alijs vocibus, Dorotheum præfectum admonebat S. Iſidorus Peluſiota. [*g* Erga bonos (inquit) & probos, humilem eſſe te oportet, erga audaces verò elatum. Nam cum illi facilitatem virtutem eſſe reputent, hi verò audaciam, fortitudinem; hinc apud illos, humilis modeſtia adhibenda eſt: apud hos autem fortitudo, quæ ipſorum perſuaſionem ex audacia ortam extinguat, vt illis quidem proſit, hos verò exiſtimatio tua humiliet. Neque enim iiſdem omnes rebus capiuntur, vti nec iiſdem remedijs curantur, ſed prout morborum genera fuerint, ita & remedia, ſint oportet.] [g lib. 5. ep. 251.]

7. Varijs ſacris Symbolis, quæ iuuat adducere; illuſtrat hanc doctrinam Hugo Victorinus. *h* [h tom. 3. l. 4. miſ. tit. 21.] [Curandum (inquit) eſt, vt rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Et inter hæc ſollicita circumſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa: vt inſit & iuſte conſulens miſericordia, & pie ſæuiens diſciplina. Hinc ſemiviuo vinum, & oleum adhibetur; vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, & ſit in vino morſus ſeueritatis, & in oleo mollities pietatis; fiatque ex vtroque temperamentum quoddam; quo videlicet, nec multa aſperitate exulcerentur

ſubditi, nec nimia lenitate ſoluantur. Vnde in arca fœderis, cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum Scripturæ ſacræ ſcientia in arca pectoris; ſicut eſt virga diſtrictionis, ſic & manna dulcedinis. Hinc Dauid *virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt* Virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Sit ergo diſtrictio virgæ quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet: ſit amor, ſed non emolliens, ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, non immoderate ſæuiens: & pietas non pluſquàm expediat parcens.] Eadem ferè apud S. Bonauenturam leguntur. *a*

a de ſex alis Seraph. c. 4. b lib. de ſacerd. honor.

8. Philo Iudæus, *b* mixturam ſuauitatis & fortitudinis, in ſacris Præfectis, inſinuatam cenſet eo diuino mandato, quod lucroſiſſimum fuiſſe Sacerdotibus, demonſtrat. [Nam de qualibet (inquit) mactata pecude, lex iubet duas certas partes eis decidi, armum dextrum, & pectoris pinguedinem; quarum altera ſignificat, requiri in eis fortitudinem in omni actione legitima, ſiue dandum, ſiue capiendum, ſiue operandum ſit quippiam: altera verò, animum placatum & alienum ab ira poſtulat. Hanc enim aiunt habitare in pectore, vbi natura collocauit vim irritabilem, ceu militem in præſidio, munito videlicet compage oſtium firmiſſima, neruis aſtricta validis.] Paulo aliter tamen id accepit S. Gregorius, *c* armum dextrum ad fortitudinem bene operandi in paſtore pertinere docens, pectuſculum verò ad pectoris ſui defixionem in cœleſtia & diuina. Tametſi hoc quoque, quomodò ad ſuauem ſimul & fortem rectioné flecti queat, ex Ruperto *d* peti poteſt. Apud S. Gregorium, *e* profertur in hanc rem ſymbolum, ex vnctione Dauidis in Regem per Samuelem, quæ facta dicitur Samuele tollente cornu olei. Hoc ſic exponit S. Gregorius. [Cornu olei tollitur, vt in excellenti liquore, magiſter Eccleſiæ vir eſſe ſtudeat magnæ miſericordiæ. Oleo vngitur caput Regis, quia lucere ſuper candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, vt increpando purget, & miſerando per blandimenta trahat. Cornu etiam recipit in ſublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis. Sed pleno cornu vngitur, vt virtus Pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in vnctione ſua habet, ſi tam virtute miſericordiam, quàm charitatis & verbi, perfectus eſt. Plenum etiam cornu in vnctione ſua habere cognoſcitur, cuius omnis poteſtas per miſericordiã diſpenſatur. Ipſa quippè auctoritas ſanctæ Eccleſiæ, cum ſine miſericordia eſt, nulla eſt: quia nunc ſpiritualis eſt rigor diſciplinæ, cum lenimento non vocat miſericordiæ. Cornu ergo & oleum ſimul oſtenditur, vt diſciplina ſemper cum miſericordiam teneatur. Cornu namque oleo plenum dicitur, vt vbicumque cornu acumen exhibet, exhibeat refuſæ gratiæ vnctionem.] Eadem plenius præmiſerat, ad illa verba. *vnges quem monſtrauero tibi.* *f*

c 2. p. paſtor. c. 3.

d l. 1 in Ænit c. 12.

e lib. 6. in 1. Reg. c. 16.

9. Quod de vaſis templi à S. Gregorio in hanc rem accommodatur, *g* annotatu dignum eſt. Exponens enim quod eſt apud Ezechielem de labio menſæ reflexo interioſecus per circuitum, ait in ſecunda expoſitione. [Sæpè contingit vt diſciplinæ regulam quam ſcit docere, neſciat tenere, qui aut nimio zelo motus minùs ſe per manſuetudinem temperat, aut nimia manſuetudine placidus, minus ſe contra vitia in zeli ſtimulo inflammat. Magna enim conſideratione debemus penſare quod ſcriptum eſt: Quia in vaſis templi, inter coronas & plectas, Boues & Leones & Cherubin exſculpta ſunt, ſubter boues & leones lora dependentia Corona quippè ſignum victoriæ, plectæ autem concordiæ vnanimitatem ſignant. Cherubin verò *plenitudo ſcientiæ* dicuntur. Sacerdotes enim atque doctores, inter coronas & plectas, ideſt inter fortitudinem boni operis, quoad victoriam currunt, & charitatis concordiam qua à ſe vicisſim non diſcrepant, per boues atque leones & Cherubin deſignati ſunt: quia in plenitudine ſcientiæ quam habent, neceſſe eſt, vt & boum manſuetudinem teneant, & terrorem leonum, quatenus in diſciplinam quam prædicant, & ex ſancto zelo accenſi ſint, & paterna dulcedine tranquilli. Quibus ſubter ſe lora dependeant. Super eos enim lora dependere, eſt cuſtodiæ vincula ſubditis tenere. Quæ tunc rectè ſeruantur, cum nec boum manſuetudo in zeli feruore amittitur, nec leonum terror, in manſuetudine declinatur. Tanta quippe debet eſſe diſcretio, vt nec diſciplina nimia, nec ipſa quoque miſericordia ſit remiſſa. Ne ſi inordinatè culpa dimittitur, is qui eſt culpabilis, in reatu grauiùs aſtringatur. Et rurſus ſi culpa moderatè retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quanto erga ſe nil ex benignitatis gratia agi conſiderat. Exhibenda itaque prauis eſt aſperitas in oſtenſione, charitas in mente; vt dura oſtenſio delinquentem conterat, & charitatis cuſtodia mercedem manſuetudinis non amittat.] Idem S. D. ſcribens ad Ioannem Conſtantinopolitanum vtitur aliis in hanc rem ſymbolis, ita ſcribens. [Sic ſeruanda eſt diſciplinæ ſeueritas, ne dum pluſquàm neceſſe eſt, zelus accenditur, manſuetudo funditùs amittatur. Sæpè namque vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur, vt tenacia, parſimonia, effuſio, largitas; crudelitas, zelus iuſtitiæ; remiſſio, pietas velit videri. Diſciplina ergo vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed magna diſcretionis arte, ſeruanda eſt & iuſtè conſulens miſericordia, & piè feriens diſciplina. Hinc namque eſt quod docente veritate per Samaritani ſtudium, ſemiuiuus in ſtabulum ducitur; & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur vt per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Neceſſe quippè eſt vt is qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenùs per vinum mordeantur putrida, per oleum ſananda foueantur. Sit ergo amor, ſed non emolliens. Sit vigor, ſed non exaſperans. Quod benè illa tabernaculi arca ſignificat in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum Scripturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.] Eadem ferè habet alio loco, illuſtrans inſuper iſta exemplo Moſis, miſericordiam cum ſeueritate ſociantis in ſuo regimine: & exemplo Iobi qui cum ſederet quaſi Rex circunſtante exercitu, erat tamen mœrentium conſolator.

f eodem c. ferè initio.

g hom. 12 in Ezech. ſub finem.

i 2 Indict. epiſt. 24.

20. moral. c. 6.

10. S. Bernardus, *h* huc adaptat aromata à tribus piis mulieribus coempta, quæ ad trinam paſtionem B. Petro à Chriſto demandatam referens, inſinuaſſe ait, neceſſarias animorum rectori tres dotes; compaſſionem, zelum, diſcretionem; quibus egregiè exponit mixturam illam lenitatis

h ſerm 2. c. Paſch.

& effi

& efficacitatis quam quærimus. Ait igitur. [Temetipſum attende, vt alij noueris compati. Vt arguas in ſpiritu lenitatis, teipſum conſidera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficacius perſuadet, & altius imprimit animo, mitto vos ad illum ſanctum ſenem qui cum audiſſet peccaſſe vnum ex fratribus, amatiſſimè flebat, inquiens: *Ille hodie, & cras ego.* Qui ſic flebat ſuper ſe, putas quia non compaſſus ſit fratri? Hic itaque compaſſionis affectus multis quidem prodeſt; quia animus liberalis; contriſtare quem pro ſe viderit amicum, erubeſcit. Sed quid agimus, quòd multi dura ceruice, & attrita ſunt fronte, vt quo magis eis compatimur tanto magis noſtra compaſſione & patientia abutantur? Nónne ſicut compatiebamur fratri, ita ipſi iuſtitiæ compatiendum eſt quam vidimus tam impudenter abijci, tam imprudenter prouocari? Scio; ſi qua in nobis eſt charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non poſſumus. Hic eſt zelus iuſtitiæ quo aduerſus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam quam videmus contemni iuſtitiam Dei. Veruntamen oportet vt priora ſibi vindicet compaſſionis affectus. Alioquin in ſpiritu vehementi, conterimus naues Tharſis, conterimus quaſſatum calamum, extinguimus linum fumigans. Sed cum vterque aderit, videlicet compaſſionis affectus & zelus iuſtitiæ, neceſſe eſt vt adſit ſpiritus diſcretionis, vt miſcens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari, & nihilominus ignoſcere ſciat. Samaritanus ſit cuſtodiens, & obſeruans, quando oleum miſericordiæ, quando vinum feruoris exhibeat. Et ne fortè putetis meum inuentum; Prophetam audite, in pſalmo hæc eadem, & eodem ordine poſtulantem. *Bonitatem* (inquit) *& diſciplinam, & ſcientiam doce me.*]

12. Prodiit non ita pridem, ſancti Patris nomine concio ad Prælatos in Concilio generali, luculenta profectò, nec S. Bernardo indigna. Ibi quatuor Ezechielis facies accommodans rectoribus cæterorum, ſic diſputat de hoc ſeueritatis mitigatæ & lenitatis coniugio in Superiore Eccleſiaſtico. [Oportet, vt omnis qui præeſt populo Dei, leonem ſeſe exhibeat, terribiliter corrigendo delicta; bouem ſtrennè tractando terrena; hominem benignè hominibus compatiendo; aquilam ſublimiter euolando, & ſubtiliter diuina contemplando. Vtinam autem nemo hodie in Prælatis inueniretur nimis habens de leone, parum de homine; immoderatè in ſubditos ſæuiens, cum auſteritate & potentia imperans, nec hominem ſeſe erga homines exhibens, aut cognoſcens. Vtinam nemo qui nimium hominis, parum leonis exhibeat: qui ſic ſcilicet compatiatur hominibus, vt nec criminibus indignetur. &c.] Confirmat hæc ipſa paulo poſt B. Gregorij autoritate, quem notat voluiſſe, [vt ſit Rector benè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, & leoninam faciem exhibens & humanam.] Itaquè iuxta Bernardum, ſymbolum illud multiforme Ezechielis, quod varij ad tam diuerſa diſtorquent, ad hoc de quo agimus, lenitatis & efficaciæ coniugium in Rectoribus ſpectat.

13. Agricolæ ſymbolum, partim vitem multipliciter fouentis; partim purgantis vt fructum
plus afferat, egregiè proponitur à S. Chryſoſto- *a hom. 15. in 2. Cor. in mor.*
mo, *a* dignitatē ſacræ præfecturæ eiuſque munia declarante, his præter cætera. [Porrò artes etiam quaſdam perſpicere eſt, quæ imperij ſpeciem imitentur; ac potiſſimùm agriculturam. Eſt enim plantarum velut præfectus quidam, agricola: quippè qui partim eas amputet, ac cohibeat partim augeat & excolat: non ſecus ac clariſſimi quique principes, flagitioſos homines, ac pluribus labem & perniciem afferentes, ſupplicijs afficiunt atque exſcindunt; bonos contra & modeſtos viros, ad ampliores honores prouehunt. Quo fit vt ſcriptura quoque, vinitoribus Antiſtites comparet. Quamquam enim plantæ, vocem nullam mittunt, vt in vrbibus ij ſolent quibus iniuria fit. At per ipſum tamen aſpectum iniuriam acceptam oſtendunt, vt quæ à noxiis herbis in arctum coactæ marceſcant. Atque vt improbitas legibus coërcetur, ad eundem modum hic quoque artis huius adiumento, & terræ vitium & plantæ ignobilitas ac feritas corrigitur. Etenim ea omnia quæ in humanis moribus exiſtunt, illic quoque reperiemus, aſperitatem nimirum mollitiem, timiditatem, temeritatem, inconſtantiam: ac ramos quidem alios, opibus intempeſtiuè atque in vicinorum perniciem florentes, alios rurſus egentes, iniuriáque affectos, velut cum ſepes quædam in vicinarum plantarum exitium aſſurgit, atque item infrugiferæ aliæ arbores & agreſtes in altum elatæ, ſubiectarum arborum incrementum impediunt.] Concludit poſtmodum ex hoc ſymbolo, & latè confirmat, rectionem ſacram vt rectè habeat, optatúmque ſortiatur effectum, mixtura lenitatis & ſeueritatis eſſe temperandam.

13. Symbolum ſacrum non vnum ab Eccleſia inductum eſt in hanc rem per opportunum. Imprimis verò ſymbolum pallij quo primarij Antiſtites iam olim in Eccleſia vtuntur, ὠμοφόριον Græci nominant, quod quomodo ad paſtoralis muneris expreſſionem pertineat, paucis his verbis tradit Iſidorus Peloſiota, *b* rogatur ab Her- *b lib. 1. ep.*
mino Comite myſterium eius enucleare. [Id *136.*
amiculum quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana non ex lino contextum eſt, ouis illius quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu, illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit. Ac diligenter animum attende. Nam cum ipſe verus Paſtor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum. Dominum ipſum, Paſtoralis artis ducem, ac Deum & herum adeſſe, ſignificans.]

Quod cuiuſvis Epiſcopi amiculum eſſe pallium velle videtur S. Iſidorus eique in huius expoſi-
tione aſtipulatus Simeon Theſſalonicenſis, *c* *c l. de tem-*
nunc non excutio. Nam etiam in Latina Eccleſia *plo.*
olim, (quicquid dicat Amalarius, *d* pallium qui- *d lib. 2. de*
buſvis Epiſcopis abrogans, perinde ac lamina *offic c. 23.*
aurea inferioribus omnibus ſacerdotibus in Aaronica Hierarchia abiudicabatur) inferioribus Epiſcopis fuiſſe conceſſum pallium, docet exemplum Siagrij Auguſtodunenſis Epiſcopi, cui S.
Gregorius, *e* poſcente Brunichilde pallium tranſ- *e l. 7. ep. 5.*
miſit, & idem ius eſt Lucenſi Epiſcopo in Hetruria aliiſque nonnullis. Et quamuis alias ob

cauſas aliquamdiu comperendinauit; non tamen cauſatus eſt, pallium Epiſcopo non quadrare, quæ fuiſſet expedita petitionem declinandi ratio, ſed alia allegauit quæ apud eum legere eſt, iiſque adhibitis quæ à Siagrio exigebat, transmiſſi ad eum pallij vſum conceſſit. Sed hoc (vt dixi) alibi excutiendum eſt, cum Hoſtienſi in ſumma,
§. cui concedendũ. cum agit de autoritate & vſu pallij, & Andrea Sauſſayo qui per eruditam de pallio tractationem, ſuo de myſticis Galliæ ſcriptoribus commentario adiunxit, ſacra eruditione (vt omnia ab illo præſtanti ſcriptore emiſſa,) redundantem.

14. Hærendo autem in præſentis inſtituti finibus, veriſſimè aiebat S. Iſidorus Peluſiota, pallium eſſe paſtoritij muneris ſymbolum, imò pro plenitudine ac exſolutione Paſtoralis poteſtatis adhiberi, conſtans eſt doctorum ſacros canones interpretantium doctrina: cui adſcribuntur qui ſacros ritus enucleant. Videndi nominatim
a l. de ſacr. Hugo Victorinus, *a* Cardin. Alexandrinus,
b ad cap. quoniam diſt. 100. ac Card. Turrecremata, *b* & Thomas Valdenſis, quos & alios deflorauit Io. Stephanus Durantus.
c l. 2. de ritibus c. 9. à num. 42. *c* Ex ea porrò paſtoralis muneris per hoc amiculum expreſſione, inualuit apud veteres Canonum interpretes, præſertim Ioannem Andream & Petrum Rauennatem opinio, quod non *pallium* ſed *palleum* à pallendo denominari oporteat hoc muneris paſtoralis ſymbolum, quod pallere non à ſulphure inhalato (vt Danielem Moſchorum Metropolitam ridiculè factitaſſe, ſcribit Sigiſmundus Herbeſtenius deſcribens res Moſcouiticas,) ſed præ metu reddendæ rationis, par ſit, cum cui munus paſcendi animas ſit concreditum. Id quod Archidiaconus; extendit ad pallorem ex ieiuniis vigiliiſque per paſtores animarum ſuſcipiendis, vt ritè munus ſuum exequantur, & oues macie ſua ſaginent, ingibúſque excubiis tutas reddant. Quam vocis ethymologiam non præſto, quamuis ſubiectæ notioni planè adſcribat. Vt enim in huius opellæ principio diſputatum eſt, tam multæ ſunt tamque graues muneris paſtoralis difficultates, ſummis obſeptæ vndecumque ſalutis æternæ diſcriminibus, vt non poſſit non pallere qui humeros tantæ ſarcinæ ſubijcit, nec poſſit non agnoſcere obnoxium ſe eſſe & frangendo laboribus, & caſtigando ſuſceptis vltrò imbonitatibus corpori, ne fortè cum aliis prædicauerit ipſe reprobus efficiatur, & non ad Chriſti ſupremi Paſtoris contubernium poſt exactum fideliter in hac vita munus paſcendi oues patris transferatur, ſed cum ouibus occiſionis in Tartari caulam morti depaſcenti ſubijciendus trudatur: quæ ſors pleroſque (vt Propheta appellabat,) Paſtores & idola, nomen ſanctum ementientia, manet.

15. Hoc igitur Paſtoritiæ poteſtatis ſymbolum, ad omnes æquè Rectores animarum, ſi minus vſu externo, at ſubiecta notione & myſtica ſignificatione pertinens, egregiè præſenti inſtituto commodat, quod optimè eruitur ex S.
l. 7. epiſt. epiſt. 29. Gregorio, pallij myſteria Maximum Salonitanum edocente: & diſtinctiùs ex Innocentio tertio, qui copioſè pallij myſteria aperiens, poſtquàm
l. 1. de myſt. cap. 63. pallij ſtructuram exhibuit, addit. [Hæc omnia moralibus ſunt imbuta myſteriis, & diuinis grauida Sacramentis. Nam vt ſcriptura teſtatur, *in theſauris ſapientiæ, ſignificatio diſciplinæ.* In lana quippè notatur aſperitas, in candore benignitas deſignatur. Nam Eccleſiaſtica diſciplina, contra rebelles & obſtinatos ſeueritatem exercet, ſed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem. Propter quod de lana non cuiuſlibet animalis, ſed ouis tantùm efficitur, quæ manſuetum eſt animal.] Imo ex lana agnorum qui expreſſius præferunt manſuetudinem, vt ex opere ſacrarum ceremoniarum attingere memini in tractatione de Cereo Agno conſecrato. Hanc autem lenitatis & ſeueritatis mixturam regimini Eccleſiaſtico ſummoperè congruentem, & in pallio expreſſam, Innocentius, illuſtrat addito exemplo curationis Euangelicæ à Samaritano adhibitæ interuentu vini & olei; [vt per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foueantur: quatenus qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum ſeueritatis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Hoc nimirum & per arcam tabernaculi deſignatur, in qua cum tabulis, virga continetur & manna: quoniam in mente Rectoris, cum ſcripturæ ſcientia, debet eſſe virga diſtrictionis, & manna dulcedinis; vt ſeueritas immoderatè non ſæuiat, & pietas pluſquàm expedit, non indulgeat.] Sic ibi Innocentius de pallij, ſignificatione myſtica; qui tamen quod ſeueritatem bonæ rectioni congruentem, ſignatam dixit in lanæ aſperitate, vix cohæret cum lanæ mollitudine & vi obtundendi illiſas pluuiæ guttas vt ſtrepitum non edant; qua ex cauſa tacitus & cum ſilentio factus Verbi Dei deſcenſus, dictus eſt quaſi pluuiæ in vellus. Aptiùs itaque inferiùs idem Innocentius ſeueritatem cum lanæ lenitate in Rectore coniungendam expreſſam vult per tres acus aureas pallio infixas, ante pectus, ſuper humerum, & poſt tergum. Nam per acum auream velut in capulo ſupernè rotundam & lapide pretioſo inſtructam, infernè autem acutam, vis coërcitiua perbellè inſinuatur. Et quia Rector bonus non vltrò venit ad puniendum, nec lubens transfigit ſubditum, ſed ipſemet eo reprehenſionis aculeo quo ſubditum ferit, cor ſuum pertundit, & aſſiduè ſtudio ac cura pro ſibi concreditorum ſalute fodicatur, duas acus ad laborem & dolorem ſeuerius agentis Præfecti, tertiam ad ſeueritatem erga ſubditum quaſi transfixum cum aurea mediocritate exprompram, refert Innocentius.

16. Pereleganter, tametſi paulo diffuſius, Philippus Abbas, ſymbolum virgæ quæ Abbatibus tribuitur, accommodat ad rem præſentem: monſtrans hoc eſſe commonitorium mutum, quo religioſus prælatus commonefit, manſuetudinia cum fortitudine copulandæ in rectione ſua. In quam rem multa præfatus, ſubdit. Huius autem virgæ myſterium, hoc eſt. Vncus ille quo virga deſuper inſignitur, qui plerumque & pulchrior, & operoſior inuenitur, Prælati manſuetudinem videtur exprimere, qua ſibi ſuos debet ſubditos attrahere, vt ab eis filiali affectu diligatur, & cum dilectus fuerit, gratius, & efficacius audiatur. Illum enim ſubiectus non facilè vult audire, illius non mandatis, non voluntatibus obedire; qui neſciens affectuoſæ manſuetudinis perhoneſtum, & perutile nutrimentum, in ſubjectos quaſi leo ſe nimis exhibet truculentum: Cui diuina ſcriptura, ſi tamen audiatur præbet commendabile documentum, eiuſque feritatem ad manſuetudinis reuocat lenimentum: ne qui debet ſubjectos colligere amplexu columbino, repellat & diſpergat rugitu belluino. *In omni manſuetudine,*

inquit,

inquit, *opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Et *quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et Paulo infra *noli* (ait) *eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Et longè poſt *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Auctoritas diuina, cum prælato manſuetudinem hanc imponit; illum de quo dicimus vncum, virgæ myſticæ ſuperponit: docens quia poteſtas fraudatur honore principali, ſi qui præfertur cæteris, lenitate careat ſociali. Quod & doctores Ethnici videntur confirmare, dum eos qui præſunt, ſtudent ad clementiam inuitare, & etiam eis in exemplum Deos miſericordiæ præmittunt, qui quoties delinquunt homines, eis fulmina non immittunt. Quod ſi Dij placabiles, & æqui (ait Seneca) delicta potentum non ſtatim fulminibus proſequuntur; quanto æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum, miti animo exercere imperium?]

17. Hæc & alia ibi pro leni imperio. Subdit autem deinceps pro fortitudine. [Cœterum ne nimia & vitioſa inueniatur manſuetudo, (quicquid enim eſt nimium, declinat in vitium, fixa eſt certitudo) neceſſariò adjungitur eidem manſuetudini, rectitudo: adjunctione cuius, illam obtinet matura ſanctitudo. In cuius typo rei, præfato illi vnco, haſtile rectum ſupponitur, cuius beneficio ſublimior, & euidentior vncus efficitur: quo abſente ille in terram corruens, abiectione degeneri tenebreſcit: præſente verò tanquam ſubjuncto candelabro, lumen ſuperpoſitum eluceſcit. Quamuis enim prælati manſuetudo, ad colligendum ſubditos ſe inclinet, neceſſe eſt tamen, vt ad terrena vitia non declinet; ſed rectitudini tanquam vaſi firmiter innitatur, ne lapſu plus iuſto condeſcendens, ex ipſa lenitate inſtabili collabatur. Debet quidem prælatus, ſic ſe aliis amabilem exhibere, vt eorum tamen nolit vitiis adhærere: ſic eſſe dilector ſubditorum, vt non ſit etiam dilector vitiorum. Quæ nimirum inuenitur nequaquam diligere, cum eis nullum aſſenſum curat impendere: cum ſubiectorum exceſſibus timore vel amore noxio non blanditur, nec adulatoriis eorum obſequiis delinitur. Habet ergo haſtile rectum, cum illorum fallaci gratia delectatur, nec auaritia dominante, illorum pecuniam aucupatur: quum ſic illos diligit, vt quod verum & ſanctum eſt, dicere non recuſet, & diligendi gratis dilectorum vitia non excuſet. Habet haſtile, cum id quod prauum, & aſperum in illorum videt moribus diſſonare, in directum & planum ſatagit reuocare; non ſolùm verbis perſtrepentibus ſalutarem doctrinam inferendo; ſed formam ſanctitatis, manu, id eſt operibus præferendo. Quia verò vt ſcriptum eſt, *Peruerſi difficilè corriguntur*, & à peccandi propoſito nec precibus nec blanditiis retrahuntur; cum ſemel & iterum commoniti fuerint, neceſſariò feriuntur, & eorum viæ latiſſimæ, ſpinis & maceria ſepiuntur. Cum enim peruerſus quilibet, nolens corrigi non feritur, & ad peccandum ei via largior aperitur, & nimis prona facilitas indulgendi peruerſis moribus, incentiuum ſuggerit delinquendi. Rectè ergo in virga paſtorali, aculeus haſtili ſubjungitur, qui terram tangit, vel quod amplius eſt, eidem infigitur, in quo etiam virga myſtica terminatur, ſicut ab vnco ſuperiori, de quo iam prædictum eſt, inchoatur. In hoc autem aculeo, feriendi ſignatur aſperitas, qua delinquentium ſubiectorum terrena feritur carnalitas, vt quibus non proficit olei aut malagmatis lenimentum, eorum putredinem medicinale reſecet ferramentum. Neque enim ſatis inter illos rectitudo debita conſeruatur, niſi eorum culpa, diſciplinæ aculeo feriatur; niſi vulnus putridum ſectionem, & inobedientia dignam ſuſtineat vltionem. Vnde Apoſtolus Corinthiis, *In promptu* (ait) *habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Quia verò plerumque ira vel imperitia modum deſerit vlciſcendi, & laxato loco in exceſſum progreditur feriendi; pulchrè haſtili recto, aculeus prædictus adhæret, & manui ferienti, non aculeus, ſed haſtile cohæret: ſignanter innuens; quia peccantes ſic punire debet vltionis amaritudo, vt de manu ferientis nunquam excidat rectitudo. Siue ergo producit aculeum neceſſitate feriendi, ſiue extollit vncum prælatus affectu leniendi; cum ſcilicet vel ſubiectos appetit dignis verberibus cohibere; vel in ſpiritu manſuetudinis ſe amabilem illis, exhibere, haſtile medium non recedit à manu; vt rectitudo vtrobique teneatur. Eademque tenentis manus, vnco magis quàm aculeo vicinatur. Cum enim pro perſona quam gerit, & amari à ſubditis debeat & timeri; neceſſe eſt tamen vt amari ampliùs appetat quàm timeri. Et longiuſculè remotus ab aculeo feriendi, viciniorem ſibi habeat manſuetudinem attrahendi.]

18. Eadem de ſignificato pedi paſtoralis, pleríque alij. Ac vt prætercam Rupertum exponentem regulam S. Benedicti in hoc fuſiſſimum, Autor altercationis ſynagogæ & Eccleſiæ, *a* ſic de eo pedo ſcribit. [Nonne virga paſtoralis, curua in ſummitate, directa in medio, in fine acuta eſt, vt Paſtor retrahat iacentem, imo retrahat aberrantem, pungat ſurgere nolentem; ferat infirmum, ipſe Paſtor per omnia ſe præbeat directum ad legis præceptum ſeruandum? Vnde quidam ait, *Fer, trahe, punge gregem, ſeruando per omnia legem.*) Toloſæ in Eccleſia S. Stephani, imagini S. Saturnini Epiſcopi in marmore antiquiſſimo expreſſæ cum pedo ceu baculo incuruo, hunc verſum ſubiicit ſeribit Stephanus Durantus. *b* (*Curua trahit quos recta regit, pars vltima pungit.*) id quod etiam Hugo Victorinus admonuit. *c* At Innocentius III. eadem pedi Paſtoralis myſteria proferens, *d* alium verſum refert, hunc nimirum. (*Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.*) Alium cum hoc verſum nectit qui in hanc rem pulchrè diſſerit Guillelmus de Cailloë circa illud Geneſ. 32. in *e* baculo meo tranſiui Iordanem, varias myſticas baculi ſignificationes percurrens. [Et (inquit) & alius Prælatorum baculus, qui ſollicitudinem tenet cuſtodiæ Paſtoralis. Docet hoc ipſum compoſitio baculi paſtoralis, vt in ipſo quem geſtat, doctrinam paſtor accipiat, quam alius adminiſtrat. Eſt enim recuruus circulariter in ſe reductus in ſummo, directus in medio, acutus in fine. Cuius ſchematis Sacramentum, verſificè ſatis eleganter quidam expreſſit, dicens,

Attrahe per ſummum, medio rege, punge per imum.

Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Curuetur quaſi prælatus in ſummo, humilis in poteſtate ſua, & acceſſibilis omnibus abſolute.

a cap. 9.

b lib. 2. de ritib. c. 9.

c in ſpec. Eccleſ. c. 6.

d lib. 1. de myſt. c. 62.

e in allego. Tilman.

Sit directus in medio cauſarum omnium, ſiue temporalium, ſiue ſpiritualium æquus arbiter, Dei & hominum ſequeſter & medius. Pungat verò per imum, illos ſcilicet qui in imis habitant, & ab infimis deſideriis non aſſurgunt. Sed heu ferrum in imo non habent, id eſt zelum per quem hominum ima fodiant, & cordium profunda ſcrutentur.] Sic igitur formam pedi paſtoralis quale diximus S. Saturnino appictum, exponit Guillelmus conſentaneè ad hanc rem. Valentiæ, S. Auguſtini pedum, Bononiæ S. Iſidori eadem forma aſſeruari, notat Gauantus. *a* Ad eandem mentem referendum eſt, quod Paſtor pedum geſtans, partem curuam obuertere verſùs populum iubetur, vti idem autor obſeruat. Ex Antonino & Gloſſa, eandem paſtoralis pedi ſignificationem illuſtrat Stephanus Durantius proximè laudatus, ſolos Ruthenos non ſupernè incuruum vt paſſim cæteri vbiuis Antiſtites, ſed in modum Crucis efformatũ geſtare referens ex Sigiſmundo Herbeſtenio, qui tamen tantùm ait Bartholomæum ſanctæ apud Ruthenos vitæ Metropolitam, cum per Principem omnibus ſe ſacris iuxta ac profanis immiſcentem, prohiberetur muneris ſui exercitatione, baculum Cruciatum quem manu geſtabat, monimentum Pontificiæ poteſtatis, in Principis manibus dimiſiſſe vna cum Metropolitani munere. Infra verò ſolemniter celebrantem Pontificem referens, manus eius inſtruit non cruciato baculo, ſed eo qui Principi quoque & cæteris Sacerdotibus communis eſt, & apud illos *Poſſoch* appellatur. Fortaſſis ergo baculus Cruciger, quo tradito dignitati Metropolitani nuncium remiſiſſe viſus eſt Daniel, non fuit pedum paſtorale, ſed crux Archiepiſcopalis muneris teſſera, qualis in noſtrorum quoque Metropolitanorum vſu eſt, & eſſe Metropolitanorum autoritatis ſignum, adonatis magna eruditione teſtimoniis demonſtrat Andreas Saoſſayus Opuſculo de eo argumento.

a in Rubr. Miſſ. p. 2. t. 2.

19. Vt vt verò res habeat apud Ruthenos & Moſchos, paſſim apud omnes occidentales, compages pedi paſtoralis, ea eſt quam propoſui, & omninò congruè exprimit neceſſariam in animarum rectione lenitatis & ſeueritatis mixturam. Facit verò nominatim ad eiuſdem veritatis illuſtrationem quoad pedum & perfectorum cœnobiticorum, & Epiſcoporum; quod eius materia erat cypreſſina. Ita habetur ex Epiſtola Abbatis Syluæ maioris ad Stephanum Tornacenſem. [Mittimus (inquit) veſtræ chariſſimæ paternitati in ſignum deuotionis & pignoris perpetuæ ſeruitutis, munuſculum indignum ſeruitute veſtra, ſed officio congruum, baculum videlicet cypreſſinum.] Et ſequenti epiſtola, quæ eſt ad Epiſcopum Aurelianenſem. [Munuſculum vobis mittimus de remotis partibus nobis miſſum, baculum paſtoralem cypreſſinum, officio veſtro ea qualitate myſterij congruum.] Notauit iſta Hugo Menardus ad Concordiam Regularum S. Benedicti Anianenſis. At cypreſſus arbor eſt funebris, admodum longæua: & idcirco autore Thucydide eorum qui pro patria mortem oppetiiſſent, arca cypreſſina condebantur. Quod genus conditorij repudiabant idcirco Pythagoræi teſte Laërtio, quia perſuaſum habebant, Iouis ſceptrum è cypreſſina materia eſſe fabricatum. Cambutam itaque (ſic virgam Paſtoralem appellabant) è cypreſſina materiâ fabricare, quid aliud erat, quàm admonere, rectionem ſacram eo pedo expreſſam diuinæ poteſtatis rectricis portionem eſſe, & idcirco rectam ſemper & nunquam à bono deflexam eſſe oportere, apud eum præſertim qui meminerit moriendum aliquando eſſe, reddendam fore exactiſſimam de cura ſubditorum & muneris Paſtoralis adminiſtratione rationem. Qui potens item ſtimulus ad premendum typhum ex imperio in alios facilè ſuborientem, & benignè ac humanè agendum cum iis quos ſaltem communis libitina & nullum fugiens Proſerpina caput exæquabit. Itaque hinc quoque lenitatis & fortitudinis neceſſariam mixturam docentur qui aliis propoſiti ſunt ſacri homines.

PVNCTVM III.

In Chriſti Domini, & Angelorum, ac Apoſtolorum rectione, ad diuinam conformata; luculentus efficacitatis cum ſuauitate coalitus.

1. EAm lenitatis & fortitudinis conſociationem cui aſtruendæ inſiſtimus, non erit difficile demonſtrare, ab omnibus qui rectionem ſuam ad Dei regimen tanquam ad ſuam ideam conformarunt, (hoc eſt ab omnibus idoneis, & eo nomine dignis rectoribus,) fuiſſe adhibitam. Exempla ſuppeditant, Chriſtus Dominus, Angeli, Apoſtoli, & Apoſtolici viri, quorum in ſuperioribus; & ſeorſim circa lenitatem, & ſeorſim circa efficacitatem, veſtigia preſſimus, eaque nunc quoque curſim relegere, operæpretium videtur; vt veritas iam ex ſupra circa vtramque dictis conſtituta, illuſtretur & ſtabiliatur magis.

2. Chriſtus ergo Dominus, vt poté imago Dei inuiſibilis, ad diuinæ rectionis exemplar regimen ſuum compoſuit; & ita lenis apparuit, vt ſimul fortis & efficax rector, eſſe & agnoſci voluerit. Proditum id imprimis pædagogi nomine, quod aſſumere dignatus eſt in eam rem factus homo; qua de materia, luculentus extat Clemens Alexandrini commentarius tribus diſtinctus libris, quibus paſſim illud oſtendit, Chriſtum eo munere obeundo, lenitatem ſimul, & fortitudinem exhibuiſſe. Et id quidem regendi inſtitutum ſeruaſſe Deum Verbum in antiquo Teſtamento per ſigna & delectos à ſe internuncios; poſtea autem vt efficaciùs commodis noſtris conſuleret, idem vſurpaſſe in aſſumpta humanitate, pulchrè in hunc modum tradiderat in protreptico. [Verbum conuertit eos qui habent antes. Et alicubi quidem maledictis inceſſit, alicubi etiam verò minatur: & nonnullos quidem deflet homines, nonnullis verò canit, quemadmodum bonus Medicus corporum ægrotantium, alia quidem effingens cataplaſmatibus, alia verò leuigans, alia autem exhauriens, alia autem ferro quoque diuidens, alia autem vrens, & nonnunquam etiam ſecans, ſi qua ratione fieri poſſit, vt præter partem vel membrum, poſſit homo ſanari. Multiplices quidem habet Seruator voces, & modos ad ſalutem hominum, minans admonet, maledicens conuertit,

tit, deflens miſeretur, pſallens per rubum loquitur, quoniam illi ſignis egebant, & prodigiis & igne terret homines ex columna flammam accendens, quod eſt ſimul gratiæ, & timoris indicium: ſi obedietis, lucem; ſi non obedietis, ignem. Quoniam autem & columna, & rubo caro eſt pretioſior, Prophetæ poſt illa loquuntur. Ipſe eſt Dominus loquens, in Eſaia, ipſe, ipſe ore Prophetarum, quod ſi tu non credis Prophetis, fabulam autem exiſtimas & viros, & ignem, ipſe tibi loquetur Dominus.] Et loquetur eodem planè modo quo antetius, per rubum, & columnam atque Prophetas: ſcilicet pariter ſe lenem & fortem prudens, vt fert pædagogi nomen iuxta Clementem.

3 Idem virgam huius pædagogi in eundem ſenſum interpretatur. *a* Ait enim virgam illam

a lib. 1. pædag. cap. 7. in fine.

cuius eſt apud Pſaltem mentio frequens, virgam eſſe potentiæ & virtutis: id eſt ſignificare rectricem Chriſti poteſtatem venerandam & grauem; conſulatoriam & ſalutarem ſiue fortem, vndè non virgam ſimpliciter ſed virgam & baculum appellari. Nec aliter de ea Chriſti virga conſolante ſimul & terrente atque adeò lenitatem ſimul & fortitudinem eius præferente, Chryſoſtomus ad illud pſalmi 109. *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Scitè verò S. Hilarius

b in pſal. 2.

b idem colligit ex eo quod apud Iſaiam, Chriſti virga dicatur floſculenta. [Verbi (inquit) doctrinam, virgam nuncupari, ex veteri ita cognitum eſt cum dicitur. *Virga directionis, virga regni tui*: quia hæc quidem eſt virga directionis, qua per doctrinam in æquam viam vtilemque dirigimur. Et quæ virga regni eſt, neceſſe eſt ipſa illa doctrina ſit regni. Ipſum autem Dominũ noſtrum, ob doctrinæ ſuæ vtilem, ac moderatam prædicationem, virgam nuncupatum ita accepimus dicente Eſaia: *exiet (inquit) virga de radice Ieſſe.* Ac ne tyrannicam in eo ſeueritatem per virgæ nuncupationem auderet quiſquã opinari, continuò propheticus ſermo ſubiecit; *Et flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*; vt virgæ ſeueritatem floris ſuauitas temperaret, cum vnicuique noſtrum doctrinæ terror regimen perfectæ beatitudinis admoneret.] Profecit S. Hilarius ex Origene, qui floſculentam illam Chriſti virgam apud Eſaiam, eodem modo interpretatur. *c*

c homil. 3. in Eſaiam.
d lib. 2. pædag. cap. 8.

4. Eodem pertinet corona Chriſti ſpinea. Obſeruauit id inſigniter Clemens Alexandrinus, *d* affirmans Iudæam cum Chriſtum vt maleficum crucifixit, improuidè eundem vt regem coronaſſe, & quidem ſpina ſemper florenti, vt ſignificaretur tutela & beneficentia ac lenitas in beneuolos ac dociles; & è contrario cruentatio & caſtigatio immorigerorum. Vnde nos qui credidimus & obſecuti pro rectori ſumus, ex eiuſrubis ficus, ex ſpinis vuas dulciſſimas colligimus; rebelles verò & increduli, inde laniati ſunt & ſauciati. Hæc & alia Clemens eo loco de Chriſti corona ex tribulis noſtris contexta, vt ſignificaretur quorſum ad nos veniſſet rector Chriſtus, vt etiam Gregorius Nyſſenus *e* & Iſidorus Peluſiota *f* conſiderarunt. Addit verò vnum Clemens,

e lib. de perfect. Chriſt. form. ſub finem.
f lib. ep. 95.

quod interpres mentem eius minùs aſſecutus, expreſſit ſubobſcuriùs. [Cum omnipotens (inquit) vniuerſorum Dominus quando cœpit per verbum legem ferre, & Moyſi ſuam potentiam voluit manifeſtare, ei diuina viſio oſtenditur, formatæ lucis in rubo ardente. Spinoſa autem planta eſt rubus. Poſtquam verbum legem ferre & cum hominibus conuerſari, deſiit, myſticè rurſus Dominus, corona, coronatur. Hinc illuc vnde deſcenderat, abiens veteris deſcenſus, principium inſtaurans, ac de integro veluti in ſummam redigens, vt quod primum per rubum verbum viſum fuerat, per ſpinam rurſus aſſumptum, oſtenderet omnia eſſe vnius potentiæ, cum ſit vnus & patris, qui vnus eſt filius principium & finis ſæculi.] Quod interpres vertit *in ſummam redigens* ſpectata vi Græcæ vocis ἀνακεφαλαιούμενον verti debuit *recapitulans*, vt ſignificetur, quod in ea Chriſti corona factum eſt, recapitulationem fuiſſe veteris typi quem in ſe Chriſtus expreſſit. Nam ſicut olim verbum in rubo apparuit laturum legem; ita poſtea verbum in ſpinis viſum eſt in cruce: quæ duo perbellè reſpondent ſibi inuicem, quandoquidem vtrobique verbum eſt inter ſpinas: vnde antiquus deſcenſus recapitulatur in ſecundo; & vtrobique lenitas ſimul & efficacitas regis Chriſti manifeſtatur: nam fuiſſe rubum ardentem vtriuſque ſymbolum iam ſupra ex protreptrico Clementis didicimus. Idem verò ſignificat Chriſti corona ſpinea, vt hoc loco diſſerit Clemens.

5. Egregiè de hac efficaciæ & lenitatis miſtura in Chriſti rectione S. Gregorius *g* exponens il- g lib. 1. mor. c. 10.
lud de Iobo prolatum, quod Chriſto accommodat, *vir erat ſimplex, & rectus.* In rectitudine (inquit) iuſtitia, in ſimplicitate autem manſuetudo ſignatur. Plerumque nos cum rectitudinem iuſtitiæ exequimur, manſuetudinem ſeruare cupimus, iuſtitiæ rectitudinem declinamus. Incarnatus autem Dominus, ſimplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in manſuetudine diſtrictionem iuſtitiæ, nec rurſum in diſtrictione iuſtitiæ virtutem manſuetudinis amiſit. Vndè cum quidam deducta Adultera hũc tentare voluiſſent, vt in culpam aut immanſuetudinis aut iniuſtitiæ laberetur, ad vtraque reſpondit dicẽs, *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Dat ſimplicitatẽ mãſuetudinis, *Qui ſine peccato eſt veſtrũ.* Dat zelũ iuſtitiæ, *primus in illam lapidem mittat.* Vndè & ei Propheta dicit; *Intende, proſperè procede & regna, propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam.* Veritatem quippè exequens, manſuetudinem cum iuſtitia conſeruauit: vt nec zelum rectitudinis in manſuetudinis pondere amitteret, nec rurſum pondus manſuetudinis zelo rectitudinis perturbaret.] En igitur præclaram in Chriſti rectione lenitatis & efficaciæ mixturam, iuxta S. Gregorium. Alibi eandem mixturam inſinuari, tributa Chriſto *vermis* denominatione, monſtratum eſt, agendo de verbo hamato.

6. Angelum teſtamenti, Chriſtum, fuiſſe à Deo deſignatum cum Moyſi diceret, *Angelus meus præcedet te.* Exodi 32. exiſtimauit Clemens Alex. *h* Itaque rectè ei primario Angelo, ſe h lib. 1. pædag. c. 7.
veluti Angelorum Archangelo, ſubnectam Angelos quorum rectionem ſuauitate & iuſtitia, lenitate ac fortitudine temperatam, cum ex praxi in variis ſcripturis expreſſa licet perſpicere, tum nominatim ex capite 23. Exodi: vbi ducatus & rectio Iſraelitici populi, lenitate & ſeueritate temperatus (id quod etiam vt ſuperiùs ex Clementis protreptico referre memini, columnæ præuia ſignificabat) dilucidè exprimuntur.

len

lenitatem enim & benignitatem, præferunt varia officia, quæ ab Angelo rectore obuentura populo ſi morigerum ſe ac docilem præbeat, denunciantur. Fortitudinem verò ac ſeueritatem, ſeruor quæ ibidem adduntur, de Angelo cum populus peccauerit non dimiſſuro: id eſt omnino repoſituro condignam vltionem, nec dormitaturo aut dormituro ad populi quem cuſtodiebat præuaricationes, ac ſcelera. Quod autem aliqui, ſenſum illorum verborum, *nec dimittet cum peccaueris*, eſſe voluerunt, *nec ob peccata tua quantumuis grauia te abiiciet, ſed fidus tibi ac conſtans comes adhærebit*; alienum eſt à vero ſenſu verborum. Itaque ſignificatur tenera, non impunè fore populo, ſi Angeli ducatum indocili animo & rebelli voluntate ſequatur. Hunc quippè rectorem ac ducem, non leuem modò, & ſuauem, ſed etiam fortem; ac proinde caſtigaturum quos ſuauis tractatio in officio non continuerit.

7. Apoſtolorum rectionem, ad eandem diuini regiminis amuſſim, lenitate & vigore commixtam, multa demonſtrant. S. Hilarius a eam mixturam præclarè docuit à B. Paulo adhibitam exponens virgam ferream, cuius mentio eſt Pſalmo. 2. Sic enim ſcripſit. [Ne ius tyrannicum ſignificari arbitremur in virga, quæ in virgæ nuncupatione proprietas ſit, ex nouo, & veteri teſtamento, noſcendum eſt. Beatus Paulus ad Corinthios ſcribens, quos tum ex multis peccatis ad pœnitentiam moderata atque vtili adhortatione reuocabat, ait. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Nunquid Paulo ius prætorium erat, vt virgam comminaretur, & cum officio Lictoris ad Eccleſiam Chriſti adeſſet? Non vtique, ita opinandum eſt, ſed quia omnis Dei ſermo, quo ex errore in veritatem Dei retrahimur, quo per comminationem terrorémque iudicij ad innocentiæ & ſanctæ vitæ viam regimur, virga eſt nuncupatus; per quam intra diſciplinam diuini metus cohibiti, moderati, ac prudentis Rectoris munitu coercemur. Beatus Apoſtolus conditionem eligendi aduentus ſui, aliis quos monebat adiecit, vtrum mallent eum in ſeueritate doctrinæ atque objurgationis adeſſe, an in ſpiritu lenitatis. Quod vtrumque ſecundùm modeſtiæ tenorem erat neceſſarium; vt obedientibus lenior, inſolentibus verò ſeuerior adueniret.) In eandem ſententiam præclarè eum Apoſtoli locum verſat S. Ambroſius. b Sed quod virgam, potentiæ rectricis in Apoſtolo præcellentis ſymbolum, ex variis aliis ſcripturis à S. Ambroſio petitum, perbelle in hanc rem quadret, & mixturam ſuauitatis ac fortitudinis in Apoſtolico regimine egregiè proponat, iuuat eum audire ex concione quam in cauſa Epiſcopi & Monachorum ob incenſam ſynagogam apud Theodoſium Imperatorem habuit, & ad Sororem Marcellinam epiſtolæ inſertam tranſmiſit. [In libro (inquit) Propheticam, ſcriptum, *Sume tibi baculum nuceum*. Et qua ratione hoc dixerit Dominus debemus conſiderare. Non otioſè etenim ſcriptum eſt, quandoquidem & in Heptateucho legimus quod virga nucina Aaron ſacerdotis, cum diu repoſita fuiſſet, effloruit. Nam videtur per virgam ſignificari quod directa eſſe debeat Prophetica, vel ſacerdotalis autoritas, vt non tam delectabilia quàm vtilia perſuadeat. Ideò verò nucinum baculum ſumere iubetur Propheta, quia memoratæ pomum arboris amarum in cortice, durum in teſta, intus eſt fructuoſum; vt ad eius ſimilitudinem Propheta quoque amara & dura prætendat, & denunciare triſtitia non formidet. Similiter etiam Sacerdos; quia præceptio eius, etſi ad tempus aliquibus amara videtur, & tanquam virga Aaron, repoſita diu in auribus diſſimulantium, tamen aliquando cum æſtimatur aruiſſe floreſcat. Vnde & Apoſtolus ait; *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, ſpirituque manſuetudinis?* Priùs enim *virgam* dixit, & tanquam virga nucina percuſſit errantes, vt poſtea conſolaretur eos ſpiritu manſuetudinis. Itaquè quem virga Sacramentis abdicauit cœleſtibus, eundem manſuetudo reſtituit. Diſcipulo quoque talia præſcripta dedit, dicens; argue, obſecra, increpa; duo dura, vnum mite: ſed dura, vt etiam ipſa molliret; quia ſicut ægris redundanti felle corporibus, ciborum aut potus amaritudo dulceſcit, & è contra; epularum ſuauitas amaritudini eſt; ita vbi animus eſt ſaucius, voluptariæ fotu adulationis ægreſcit, & rurſum correctionis temperatur amaritudine.] Commiſcuit ergo inſigniter Apoſtolus fortitudinem rectionis, cum ſuauitate. Confert hac ex cauſa eundem Apoſtolum S. Gregorius c cum perito Medico, qui ſimul ſanas partes adiunctas leniter palpat, ſimul ferro traiicit malè affectum & ſanie ſcatens membrum.

a in Pſ. 2.

b lib. 1. de pœnit. c. 14. 16. & 17.

c hom. 11. in Ezech.

8. Inſigniter quoque idem S. Gregorius, adducto principum Apoſtolorum exemplo Philoſophatur in rem noſtram, ſcribens ad Patriarchas, Orientales. d [Cum me (inquit) ad conſiderandum confero qualis in humilitate, qualiſque Rector eſſe debeat diſtrictionis; perpendo, quoniam neceſſe eſt vt benè agentibus ſit per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus: quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cum prauorum culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat; vt & honore ſuſpenſo, æqualem ſe ſubditis benè viuentibus deputet, & contra peruerſorum culpas ex zelo iuſtitiæ exereſcat. Hinc eſt namque quod Petrus Auctor Deo ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatiùs honorari recuſauit, ſeque illi ſimilem recognouit, dicens, *ſurgere ne feceris & ego homo ſum.* Sed cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſupra cæteros excreuiſſet, oſtendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam ſpiritu perſcrutante deprehendit. Et ſummum ſe intra Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo, coram bene agentibus fratribus non agnouit. Hic communionem æqualitatis meruit ſanctitas actionis: illic zelus vltionis, vim aperuit poteſtatis. Hinc eſt quod Paulus benè agentibus fratribus, prælatum ſe eſſe neſciebat, cum diceret. *Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.* Ad quæ illico adiunxit; *fide enim ſtatis.* Ac ſi id quod prætulerat, aperiret dicens: Ideò non dominamur fidei veſtræ, quia fide ſtatis: æquales enim vobis ſumus in quo vos ſtare cognoſcimus. Quaſi Prælatum ſe eſſe fratribus neſciebat, cum diceret: *facti ſumus paruuli in medio veſtrum*; Et rurſus, *nos autem ſeruos veſtros per Chriſtum.* Sed cum culpam quæ corrigi debuiſſet,

d l. 1. epiſt. 24. ſub finem

debuiſſet, inuenit; ſe illico Magiſtrum eſſe recoluit, dicens. *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Summus itaque locus benè regitur, cum is qui præeſt, vitiis potiùs quàm fratribus dominatur. Benè acceptam poteſtatē regit, qui & tenere illam nouit, & impugnare. Benè hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit cum illā cæteris in æqualitate componi. Sic autē ſeruanda eſt virtus humilitatis, vt non ſoluantur iura regiminis; ne dum Prælatus quiſque plus ſe quàm decet deiicit, ſubditorum vitam reſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſit: & ſic ſeruanda eſt diſciplinæ ſeueritas, ne dum plus quàm neceſſe eſt zelus accenditur, manſuetudo funditùs amittatur: ſæpè namque vitiis virtutes ſe eſſe mentiuntur; vt tenacia, parſimonia; effuſio, largitas; crudelitas, zelus iuſtitiæ; remiſſio, pietas velit videri. Diſciplina ergo vel miſericordia multùm deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed magna diſcretionis arte, ſeruanda eſt & iuſte conſulens miſericordia, & piè ſeuiens diſciplina. Hinc namque eſt quod docente veritate, per Samaritani ſtudium, ſemiuiuus in ſtabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur: vt per vinum ſcilicet, mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Neceſſe quippè eſt vt is qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mordeantur putrida, per oleum ſananda foueantur. Sit ergo amor, ſed non emolliens, ſit vigor, ſed non exaſperans. Quod benè illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt: quia cum Scripturæ ſacræ ſcientia in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.]

PVNCTVM III.

Senſus aliorum filiorum lucis de neceſſitate rectionis humanæ, lenitate ac fortitudine temperandæ, inſtar diuinæ.

1. TAmetſi occaſione rectionis Dei, & Chriſti, ac SS. Angelorum, & Apoſtolorum, ſuffragium Apoſtolicorum virorum, Sanctorum inquam Patrum atque Doctorum, multiplex iam protulimus ad oſtendendum quanta ſit neceſſitas temperandi humanam rectionem lenitate & efficacitate, qualem mixturam in diuina rectione tanquam in perfectiſſimo rectionis cuiuſuis exemplari micare monſtrauimus; ideoque labor quem aggredimur, minùs nunc neceſſarius videatur; tamen vt inſtitutum ordinem retineamus, & vberior lux huic tanti momenti támque neceſſariæ veritati affundatur, placet nonnulla adhuc teſtimonia proferre, quibus non tale fuiſſe Dei aut Chriſti vel Sanctorum Apoſtolorum, regimen aſſeruerint; ſed quibus abſolutè tradiderint bonum ac probatum regimen ea mixtura fortitudinis & lenitatis collucere oportere. Non aceruabo tamen teſtimonia, ſed auara manu, nec niſi ex innumeris ſelectiſſima, dabo.

2. Clemens Romanus a latè in hanc ſententiam diſſerit, informans rectorem Eccleſiaſticum, quem vult proſequi ſubditos omni ſtudio charitatis, & fouere tamquam oua, aut tamquam pullos: ita tamen vt adſit quoque vigor neceſſarius, quem prodat increpatio ſicubi eam exigi contigerit. Vult autem eam increpationem eſſe acerbam, ſed non ferientem; prementem ſubditos vt reuereantur, non vt euertantur; ſubiicienſque præclaram ecphraſim orationis qua Dominus malos paſtores caſtigat apud Ezechielem, concludit in hæc verba [Vt expertus & condolens Medicus; medere errantibus. Neque enim opus eſt Medico valentibus, ſed malè habentibus: venit enim filius hominis ad quærendum, & ſeruandum quod errarat; &c. Paſce gregem, non per vim, neque imperioſè, cum ludibrio & deſpectu, quaſi dominatum tenéas, ſed tanquam bonus Paſtor, in ſinum ac complexum agnos congrega.] Subdit mox pleraque quibus eam lenitatem temperari debere congrua ſeueritate, ſignificet.

a L. 2. cõſtit. cap. 20. & 21.

Gregorius Nazianzenus, b agens de probatiſſimo S. Athanaſij regimine, negat ſanctum illum animarum præfectum, fuiſſe quales ſunt plerique. [Heri profani, hodie ſacrorum Antiſtites, veteres vitio, pietate rudes & recentes: quod gratiæ ac fauoris humani non ſpiritus opus eſt, qui cum cætera omnia violenter peruaſerint, ad extremùm, ipſam quoque pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati, ſed dignitas moribus fidem aſtruit, ordine admodùm præpoſtero, qui denique plura pro ſuis, quàm pro populi ignorantiæ ſacrificia debent, ac prorſus duorum alterum peccant, vel quia venia ipſi opus habent, vltra modum aliis ignoſcentes, vt ſic vitium non modò non reprimatur, ſed etiam doceatur: vel quia impia acerbitate peccata ſua obtegunt. Quorum vtrumque fugiens Athanaſius, vita quidem ſublimis erat, verùm animo humilis: atque ea quidem virtute, vt nemo ad eam aſpirare poſſet, cæterum ea comitate, vt ad eius congreſſum facilis omnibus aditus pateret: manſuetus, ab ira alienus, ad miſerationem propenſus, ſermone iucundus, moribus iucundior, facie Angelicus, animo magis Angelicus: in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens: ſic vtrumque temperans, vt neutrum horum per immoderationem labefactaret: verùm & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam grauitatem obtineret: nec aut mollities diſſoluta aut ſeueritas rigida & tetrica eſſet: quin potiùs illa facilitatis & benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet: vtraque verò ſapientiæ laudem conſequeretur. Ita denique ſe comparans, vt nec ſermone propter mores abundè ad inſtitutionem ſufficientes, magnoperè opus haberet: nec rurſus propter vim facultatémque dicendi, virgæ admodùm egeret: ſectione porrò multo minùs, ob virgam moderatè ferientem.]

b orat. 21. num. 8.

3. Petrus Chryſologus, [c Penes Deum, neque pietas ſine iuſtitia eſt, neque ſine pietate, iuſtitia. Cœleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur: æquitas ſine bonitate, ſæuitia eſt: & iuſtitia ſine pietate, crudelitas.

c ſer. 148.

S. Iſidorus Peluſiota ſcribens ad Timotheum Epiſtolam à Suida *a* exſcriptam, ſic in hanc rem diſſerit.] Principem, vt mihi quidem videtur, oportet & bonum eſſe, & terribilem; vt qui probi ſunt, & rectè vitam inſtituunt, in illo fiduciam habeant, peccantes verò metuant. Alterum quippè ſine altero non regnum potiùs eſt quàm tyrannis: etenim ſi omnes ſubditi virtutis eſſent cultores, ſola tunc opus eſſet bonitate: ſi omnes vitium diligerent, ſolo terrore. Cum autem inter eos, alios neceſſe ſit bonos, alios improbos eſſe, vtrumque is qui regit, adhibere debet, vt modeſtos ac temperantes bonitas illa confirmet; perditorum verò hominum ſcelera, metus coërceat.] Agit vniuersè de quauis præfectura atque regimine, vtcumque aliquæ voces ferre duntaxat videantur agi de regno.

a l. 5. ep. 168. V. Ioan. Antioch.

S. Benedictus *b* informans Abbatem, multus eſt in commendanda ei mixtura hac lenitatis & rigoris. Illuſtre illud præter cætera. [Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, in qua dicitur, *Argue, obſecra, increpa.* Id eſt miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magiſtri, pium Patris oſtendat affectum. Indiſciplinatos & inquietos, debet duriùs arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant obſecrare: negligentes autem & contemnentes, vt increpet & corripiat, admonemus.]

b cap. 2. reg. & cap. 64.

S. Dorotheus, *c* in fronte præceptorum quibus futurum aliarum rectorem informat, collocat iſtud. [Si fratrum fueris præfectus ac rector, da operam vt in rigiditate ſeueritatéque cordis, & in viſceribus miſericordiæ curá hanc exercere velis.] Id eſt, vt lenis ſimul & fortis in rectione exiſtas.

c doctr. 64.

4. S. Gregorius. [In templi miniſterio, in baſibus templi ſculptorio opere leones & boues & Cherubim expreſſa ſunt. Cherubim quippe eſt *plenitudo ſcientiæ.* Sed quid eſt quod in baſibus, nec leones ſine bobus, nec boues ſine leonibus ſiunt? Quid enim aliud deſignant baſes in templo, niſi Sacerdotes in Eccleſia? Qui dum ſollicitudinem regiminis tolerant, quaſi more baſium, ſuperimpoſitum onus portant. In baſibus ergo, Cherubim exprimuntur: quia decet, nimirum vt Sacerdotum pectora plenitudine ſcientiæ ſint referta. Per leones autem terror ſeueritatis, per boues verò patientia manſuetudinis figuratur. Itaque in baſibus, nec leones ſine bobus, nec boues ſine leonibus exprimuntur: quia ſemper in ſacerdotali pectore, cum terrore ſeueritatis debet cuſtodiri virtus manſuetudinis; vt & iram manſuetudo condiat, & eamdem manſuetudinem, ne fortaſsè diſſoluta ſit, zelus diſtrictionis accendat.] Idem ſcribens ad Ioannem Corinthiorum Epiſcopum. *d* [Sit ergo ſubiectos, ſollicitudo laudabilis. Exhibeatur cum manſuetudine diſciplina: ſit cum diſcretione correptio. Iram benignitas mitiget; benignitatem zelus exacuat: & ita alterum condiatur ex altero, vt nec immoderata vltio plus quàm oportet affligat, nec iterum frangat rectitudinem, diſciplinæ remiſſio.] Præclarè quoque ſcribens ad Vrbicum Abbatem, originem euerſionis Monaſterij cui is præerat, refert in defectum huius mixturæ.

d lib. 5. ep. 53. indict. 3.

5. Optimè in Paſtorali, poſt tractatam neceſſitatem alicuius ſeueritatis in moderatore. [Curandum eſt vt Rectorem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſollicita circumſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa. Nam ſicut in libris moralibus iam diximus, diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur, ſed erga ſubditos ſuos, ineſſe rectoribus debent, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Hinc namque eſt, quod docente veritate per Samaritani ſtudium ſemiuiuus in ſtabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur; vt per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Neceſſe quippe eſt vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendo quoddam temperamentum ex vtraque: vt neque ex multa aſperitate, exulcerentur ſubditi; neque nimia benignitate ſoluantur. Quod iuxta Pauli vocem, benè illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum Tabulis, virga ſimul, & manna eſt: eo quòd cum Scripturæ ſacræ ſcientia, in boni Rectoris pectore, ſi eſt virga, diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait, *virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Virga enim percutimus, baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ quæ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet: ſit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens, ſit pietas ſed non plus quam expediat parcens; vt cum ſe in arce regiminis, iuſtitia, clementiáque permiſceant, iis qui præeſt, corda ſubditorum, & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.]

6. Petrus Damiani. *e* [Porrò autem quia Sancti conuentus Rector es conſtitutus, noli diſſimulare culpam, ſed mox vt emerſerit, adhibe diſciplinam: vt cum Phinees te zelus ad æterni ſacerdotij iura promoueat; non cum Heli, ſub torpore deſidiæ ignobiliter oſcitantem, vltio repentina percellat. Vnde per Salomonem dicitur, *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Verùmtamen caue, ne nimius diſciplinæ rigor, duritiam contrahat, & immoderatus zeli feruor, vertatur in iram. Vt videlicet dum culpæ rubigo detergitur, vas tenerum confringatur. Vndè & Salomon ait; *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum furioſo, ne forte diſcas ſemitas, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.*]

e lib. 2. ep. 11.

7. S. Bernardus, frequentiſſimus eſt in tradenda hac veritate. Nominatimque admonet aliquando *f* niſi hæc mixtura adhibeatur, virtutes in vitia tranſire. [Iuſtitia namque dum ſuum modum excedit, crudelitatis vitium gignit; & nimia pietas, diſſolutionem diſciplinæ parturit; ac ſæpè vitium eſt quod virtus putatur. Sic remiſſa ſegnities manſuetudo creditur; & pigritiæ vitium, quietis virtutem imitatur.] Hoc videlicet eſt quod apud Nazianzenum *g* & Baſilium *h* refertur, vitiorum fores, eſſe continentes virtutum foribus. Cuius velut effati autorem Menandrum facit Nicetas, ex quo & alia in hanc rem afferre complura memini, tractans Prudentiæ adiutricem cautionem. S. Ferreolus *i* adductus in Concordia Regul. agens de Præfecto cœnobij. [Habeat in correptione modum, & in familiaritate temperamentum, eritque

f cap. 18. meditat.

g orat. 10.

h lib. de ver. virg.

i lib. 2 de vit. num. 92. c. 5. §. 2.

quæ in cũctis ita moribus diſpenſant, vt & blandimento vocet, & terrore caſtiget, faciens ſe ab omnibus eo quod vitia oderit, plus amari. Tota enim eius conuerſatio erit quaſi poſitum fundamentum, vt in eo ſuperædificetur quiſquis imitatione illius optat bonis Deo meritis proximare. Nullus ab ipſo erit poteſtate, ſed ratione damnandus; nec tamen illi ita quiſquam familiaris vt cæteris plus præſumat; neque ira offenſus vt ad veniam expleta contritione non redeat.]

8. Rupertus, eſt in huiuſmodi monito frequens. Sed breuitatis gratia adduco duntaxat, quod ex Moſis, præſtantiſſimi vtique populi Dei rectoris, exemplo in hanc rem eruit, cum ſtragem in impios ob ignominiam fœdè editam retuliſſet. [Intueri (inquit) nunc libet, in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Certè cum audiret, *deſcende, peccauit populus tuus*; ac ſi ei diuina vox diceret, qui in tali peccato lapſus eſt, iam meus non eſt; itemque & hoc ſubiungeret Dominus; *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam.* Ille ad impetum iraſcentis Dei placandum, ſe obicem oppoſuit. Iterumque reuerſus ad Dominum, ait. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti.* Hoc nimirum miſericordiæ eſt. Verùm circa ſubditos ſuos rectoribus ineſſe debet, non ſolùm iuſtè conſulens miſericordia, ſed & piè ſæuiens diſciplina. Qui ergo tanto populi amore conſtringitur; contra culpas eius conſiderat quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione, primæ culpæ veniam, ne deleretur obtinuit, ad eundem populum veniens, ait; *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum; cecideruntque in die illo, viginti quatuor millia hominum.* Ecce qui vitam hominum etiam cum ſua morte petiuit, & paucorum vitam gladio extinxit, intus arſit ignibus amoris, foris accenſus zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret. Tanta ſeueritas, vt, quia eos diuinitus feriri timuit, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret: & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt, quos amauit, vt eos, etiam Domino parcente proſterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator mirabilis. Cauſam populi apud Dominum precibus, cauſam Dei apud populum gladiis agitauit.] Sicut populus Iſraël in deſerto vbi hæc ſtrages eſt edita, typus erat noſtrorum religioſorum, (de quo iterè alibi cum Richardo Victorino, & aliis;) ita Moſes Religioſi præfecti imago fuit: ac proinde neceſſe eſt, hunc quoque, cum res fert, ita amare vt tamen piè ſæuiat, & lenitati ſeueritatem admiſceat.

Vrget idemmet, Moyſis Dei populum moderantis, exemplum in hanc rem ſic ſcribens Honorius III. in diplomate dato, 12. Kal. Decemb. anno 1225. [Summi prouidentia Principis, peculiarem populum quem prætulerat aliis gratiæ priuilegio ſpecialis, fouebat manna miſericordiæ, ac rigoris virga regebat, beneficiis affluens, vltionibus non remiſſus. Amicus etiam Domini Moyſes, pro eodem populo vitulum obtulit labiorum, & manuum ſacrificium non omiſit; poſt ſupplicationis hoſtiam, holocauſto ſatisfactionis oblato, cauſam populi coram Domino precibus, & Dei cauſam in populo, gladiis proſecutus. Sanè in maligno poſiti mundi malitia, dum impunitis exceſſibus per campum licentiæ diſcurrit effrenis, clauſtra iuris infringit, aditum pandit iniuriis, legem damnat honeſti, priuilegium promittit errori; & dum ſpem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos inuitat, ſicque fit pœnalis impunitas, cum pœnis reſeruet maioribus puniendos; & per impunitæ tranſgreſſionis exemplar, blanditur aliis ad offenſam. Vndè interdum vtcumque tyrannicè parcitur, & miſericorditer deſæuitur; cum publicæ vtilitatis interſit, vt exceſſum vindicta coerceat, & pœna ſit limes offenſæ.]

9. Philippus Abbas, frequens eſt in commendanda præfectis, mixtura lenitatis & fortitudinis. Eius epiſtola 23. inſignis planè eſt informatio ſuperioris regularis; nominatim verò ei commendatiſſimam eſſe volt hanc conſociationem. In quam rem tam multa diſputat, vt pigeat quicquam decerpere.

Paulus & Stephanus informatores cœnobitarum à S. Benedicto Anianenſi, *a* ſæpè allegati, ſic ſtatuunt de hac lenitatis & ſeueritatis mixtura. *a* c.6. etiã cor. §. 10.
[Seniores iunioribus affectum paternum impendant. Et cum imperare neceſſarium fuerit, non ſomenti animoſitate & clamoſis vocibus ſed fiducialiter tranquilla ſimplicitate & autoritate bonæ vitæ, ad peragendam communem vtilitatem, quæ fuerint opportuna iniungant.] In iiſdem regularum collectaneis antiquus anonymus, inſigniter in hanc rem diſſerit, idque eſſe ait quod ſibi quiſque cœnobij moderator cum Dauide poſcere debet, bonitatem & diſciplinam & ſcientiam. Bonitate lenitatem deſignat, diſciplina iuſtam ſeueritatem, ſcientia diſcretionem duas illas temperantem & aptè miſcentem.

10. Petrus Bleſenſis *b* cum alia in hanc ſententiam variis locis diſſerit, tum illud ſigillatim egregiè admonet, quamuis ad inſinuandum non placere Deo remiſſam & ignauam lenitatem Prælati, vetuiſſet Deus inferri mel ad altare; iuſſas tamen offerri mellis primitias, vt ſignificaretur, præmittendam eſſe ſuauitatem rectionis, eaque feliciter non cedente, veniendum eſſe ad fortia, licet inſuauia media. *b* ep. 100.

Petrus Cellenſis *c* informans recens electum Abbatem Moliſmenſem, autor ei eſt, vt in illam curam ſolliciè incumbat, admiſcendæ lenitatis ſeueritati, ſicque virga Aaron per diſciplinam, & propitiatorium per miſericordiam: infirmos per miſericordiam portandos docet; malignos per fortitudinem rectionis cogendos. [Ad te (inquit) confugientes per humilitatem, inueniant matrem: à te reſilientes per contumaciam, ſentiant ſeuerum Patrem.] Bona pars Epiſtolæ conſumitur in ſyzigiis pugnantium in ſpeciem munerum, è quorum conſociatione efflorescat abſolutiſſimum regimen. *c* ep. 34.

11. S. Bonauentura, quo vix vllum abſolutiorem religioſæ familiæ informatorem, habuit aliquando Dei Eccleſia, in aureo tractatu de ſex alis Seraphin, quo idea perfecti regularium ſuperioris continetur, inſigniter mixturam lenitatis & efficaciæ præſcribit rectoribus. In quam rem omnino multa ex variis Patribus addenſat libro 1. pharetræ deſcribens bonos & malos paſtores. *e* c. 1 tit. ra...

12. Æqualis fuit S. Bonauenturæ Guillelmus Pariſienſis. a Is & plenè & diligenter de neceſſitate monaſteriorum præfectis mixturæ lenitatis ac ſeueritatis diſſerens, nec poſſe ſeueritatem abſque lenitate, zeli nomine inſigniri, quaſi ſic declinari poſſit iuſta reprehenſio immitium Præfectorum, qui puniunt non vt corrigant ſed vt puniendi libidinem exſaturent, ſic præter cætera loquitur, inducto per proſopopeiam zelo. [Non miniſtri mei ſunt, qui punire ſolummodò, & nocent & volunt. Falsò ergo zelatores nominantur quidam, quorum totum ſtudium & officium eſt punire, qui non deberent eſſe niſi in inferno, vt eſſent adiutores miniſtris tormentorum, vt talia exercerent, vbi tanta eſt copia tormentorum, vbi nemo eſt, qui de manu torquentium, quemquam eripiat, aut qui eis reſiſtat. Non ſum cæcus ſagittarius vt Lamech, qui cum intenderet ſagittare feram, ſagittauit Cain, & occidit eum, iuxta traditionem Hæbræorum: hoc faciunt qui cum ſagittare beſtias vitiorum in hominibus debeant, ipſos homines ſagittando occidunt. Non ſum incautus Medicus, vt cum febres vel alias ægritudines in ægris occidere debeam, ipſos ægros potiùs occidam, quod homines excerebrati faciunt. Sagaciſſimus & prudentiſſimus percuſſor in gladio ego ſum, qui videns hominem inuolutum tortuoſitate ſerpentis, & dentibus eius arreptum; non hominem pro ſerpente percutiens interficiam; quin potiùs ſerpentem percutiens occido, & de faucibus eius & captione hominem libero, cum Simiæ verorum zelatorum è contrario faciant. Ego cautiſſimus chirurgus qui putrida ſic ſeco, vt ſana illæſa relinquam, & ne à putridis corrumpantur præſeruem. Harum autem ſimiarum mearum inſania, plerumque putrida, illæſa dimittit, reſecans quæ ſunt ſana. Sic ignem adhibeo ſic ferrum adhibeo, vt vulnus mortiferum non infligat patienti, ſed vt cauterium ſalubre ac venæ apertionem ad purgationem efficiat. Ego agricola prudentiſſimus, qui ſic peſtiferas herbas euello, vt ſalutares non lædam. Sic zizaniam extirpo, vt tritico non ſolùm læſionem non inferam, ſed vt ſuffocationem quæ ei à zizaniis imminebat, auertam. Meminimus enim nos vidiſſe quoſdam furibundos Prælatos, hortos Abbatiarum duarum nobilium ſic ſoluiſſe, hoc eſt ſæculo inſaniæ ſuæ ſic purgaſſe ab arboribus fructiferis, vt nec vnam ibi relinquerent; ſolas ibi ſpinas, & tribulos dimittentes. Incredibilis modus inſaniendi, ſed in Diabolicis hortulanis] ſubdit omnino multa quibus confirmet, nequaquam mentis ſuæ excludere iuſtam in peccantes iram dulcore miſericordiæ & prudentis remiſſionis temperatam. Sed aliud eſſe carnificinam, aliud piam diſciplinam; multum intereſſe inter chirurgicam modeſtiam, & trucidantem inſaniam, multum denique inter ferociam nulla benignitate dilutam, & moderatam ex fine corrigendi ac iuuandi ſeueritatem. Itaque multus eſt Guillelmus in demonſtranda neceſſitate mixturæ lenitatis & ſeueritatis exemplo ſapientum Medicorum quorum perſonam rectoribus ſacrarum congregationum optimè congruere demonſtrat.

a lib. de mor. c. 8.

13. Thomas Cantipratanus, egregium volumen de apibus in hoc ferè negotio conſumpſit, vt demonſtraret apum exemplo, quibus nihil eſt religioſæ familiæ ſimilius, lenitatem & efficacitatem, præfectis in rectione eſſe nectendam. Habent enim apes Regem ſuum, & quia nihil eſt Religioſæ familiæ ſimilius quàm apum examen (vt latè tractatum eſt in Ape Gallica S. Bernardo Doctori mellifluo accommodata, & plenè etiam proſecutus eſt Aſcanius Martinengus in Gloſſa magna in Geneſim, & iuſta lucubratione Chriſtophorus Giarda) omnino benè rector cœtus religioſi qui ſicut Chriſtus nomenclatura Ongeoe eſt *apis ſuper apes* cum Rege apum componi poteſt, vt factum eſt à Galfrido ad illud ex cap. 5. Matthæi, *ſic luceat lux veſtra*. Nec eſt quod quis opponat, hoc exemplo euerti ſociationem mixturæ ac lenitatis, cum Rex apum dicatur eſſe exaculeatus, & ſola maieſtate armetur in ſubiectum ſibi examen. Non poteſt inquam hoc opponi aduerſus analogiam propoſitam, quaſi ſi ea ſubſiſteret, deberet Rector cœtus ſacri, ſuauis duntaxat & lenis ac non etiam fortis eſſe in tempore. Inprimis quia reuera ſit nè Rex apum exaculeatus, non eſt apud omnes ratum, in quam litem non placet hoc loco deſcendere. Agitatur autem accuratè à Petro Fabro, b Aldrouandio, c & Colueuerio, d aliiſque apud iſtos. Ariſtoteles ſanè qui animalium compagem diligentiſſimè ſcrutatus eſt, agnoſcit Regem apum aculeo inſtrui; tametſi dicitur eo carere, quia non paſſim eum exerit, nec ex ira aut impetu effreni, ſed cum moderatione debita; vt proinde Seneca in Opere de Clementia fixam in hoc animalculo regendi legem contendat. Deindè quamuis reuera Rex apum careret prorſus aculeo, tamen in dubio de veritate an ſit inſtructus eo quaſi ſpiculo, aut telo, confirmantibus grauibus teſtibus & imprimis qui inſtar millium eſſe poteſt Ariſtotele, probabiliter licuit ſupponere rem ita habere. Atque ita ſalua manet analogia illa Regia apum cum Rectore Religioſi cœtus, leni ſimul ac efficaci, nec cum res fert à ſeueritate alieno.

b l. 3. ſemeſt. c. 13.
c l. 1. de inſectis c. 8.
d ad l. 1. Cantipr. in c. 4. lib. 1.

14. Humbertus Romanenſis e erudiens Religioſos, mixturæ lenitatis & ſeueritatis neceſſitatem, probat ex eo quod ſuperior Religioſus eſſe debeat velut arca Teſtamenti in qua cum tabulis legis erant virga & manna: quibus apertè innuitur neceſſarium eſſe temperare lenitate ſeueritatem. Additque ex S. Gregorio f idipſum eſſe ſignificatum in eo quod ignis cœli ardere debet oleo. Per ignem ſeueritas, per oleum exprimitur lenitas atque benignitas. Toto illo capite multa habet in hanc ſententiam, & piè & prudēter.

e l. 4. de erudit. Relig. P. 3. c. 3.
f hom. 12. in Ezech.

Laurentius Iuſtinianus opus de inſtitutione & regimine Prælatorum conſcripſit ſanè eximium. Eo opere cum aliàs non rarò tum præclarè cap. 9. in rem præſentem diſſerit. Piget pauca decerpere, cum iniuria cæterorum quæ ob prolixitatem dimittenda eſſent. Itaque locum ſignaſſe contentus, abſcedo.

15. S. Ioannes Columbinus Ordinis Ieſuatorum fundator, inſignis ſanctitate vir in regendo ſacro cœtu dexterrimus, Epiſtolam de prudenti regimine ad ſuos dedit, quam recens ex autographo emiſit, & actis viri huius ſancti, piè ſimul ac eruditè abs ſe illuſtratis, g inſeruit R. P. Ioannes Baptiſta Roſſi. Ea Epiſtola ſanctus Ioannes vniuerſam probati regiminis laudem in mixtura lenitatis & fortitudinis collocat, his præter cætera [Maiores qui in vobis ſunt reprehendite opportunè minores negligant,

g 4. p. c. 13.

& pa-

& paterno cum affectu ipſos corrigant. Minores verò benignè patienterque monita accipiant, & pœnas ſi quando infligantur, ſuſtineant: imo vicem amoris ac reuerentiæ infligentibus rependant, ac pro ipſis Deum orare impensè ſtudeant: ita cuncti Sancti erunt, & ſapientes, & mites, & dies eorum maxima lætitia ducent, &c. Qui maiores ſunt, & præſunt aliis, meminerint, filiorum ſpiritualium ac ſubditorum ſibi à Deo commiſſorum curam gerere. Aduertant quanta cum fiducia ſe ſuaque omnia ipſis ſponte crediderint, & intelligant ſui eſſe muneris Patres agere erga veros Dei ſeruos, atque ita illis præeſſe imperio, vt proſint exemplo. Cogitemus abdicatam ab ipſis voluntatem propriam; atque ſponte moderatorum arbitrio ſubmiſſam; relictos parentes, amicos, & quicquid in mundo habebant, IESV Chriſti amore, propter quem Superiori vicem eius gerenti obtemperant, cui fortè in ſæculo locum inter famulos non dediſſent. Ea propter ſolliciti de iis eſſe debent vt de ſeipſis, & de propriis filiis, imo, filiis, & ſeruis IESV CHRISTI, memores rationem ſe de eis in magno Dei tribunali ſtrictè reddituros. Idcirco etiã atque etiam rogo cœteros Præfectos, vti ſubditos commendatos habeant, ſtudeantque exhibere ſe illis tanquam Patres, Paſtores, & Magiſtros, Fratres, doctrina ac exemplo, vt diuinæ gratiæ, & ipſorum prudentiæ, charitatiſque ope, ritè gubernentur, atque ad perfectionem, & optatum gloriæ finem dirigantur.

PVNCTVM IV.

Suffragium filiorum huius ſæculi, prudentum in generatione ſua.

1. SÆculi ſapientes idoneum rectorem informantes, de ſuauitate fortitudini iungendi imprimis admonuerunt: & qui inter ſæculares præfectos res egerunt optime, hac maxime laude claruerunt.

Eſt de hac conſociatione eruenda, præclarè diſputatio apud Plutarchum, qui quamuis magnam eius eſſe difficultatem non neget, ex ea tamen maximè celebrat Phocionem. Comparatione verò id illuſtrat, adſcriptum digniſſima [Vt prædicant ſolem Mathematici, non eodem ac cœlum motu volui, neque prorſus aduerſo tamen & oppoſito, ſed obliquam atque leniter inflexam curſus formam tenendo, lentum flexibilem & ſequacem efficere anfractum, quo vniuerſitas conſtat, atque optimam accipit temperaturam: in republica, item, nimium directus & per omnia ſubditorum voluntati reluctans, ac grauis eſt tenor ac rigidus: vt contra lubricus & proclinis, qui peccantes ſequitur. Illa verò quæ partim concedit indulgetque, indéque exigit quod frugiferum eſt, adminiſtratio & moderatio hominum in multis modeſtè atque vtiliter, niſi vbique ſuperciosè & violenter agantur obtemperantium, ſalutaris quidem eſt, verùm ardua, eam quæ ægrè cum lenitatè temperatur ſermonis grauitatem. Quæ cum hac ſi temperata fuerit, ea demum modulorum fit omnium, & concentuum maxime concinna, & delectabilis temperatura, qua mundum quoquè perhibent Deum regere, non violentia, ſed lepore & ratione inducendo leniens neceſſitatem.] En humanam rectionem, exigendam ad exemplar diuinæ; & lenitatis ac fortitudinis conſociatione exornandam illius imitatione, de viri ſapientiſſimi ſententia.

2. Muſonius quoque, cum audiente Rege Syriæ de philoſophia regibus neceſſaria ſermonem haberet, dixiſſe præter cœtera memoratur; rectores hominum debere Iouem æmulari, & lenitatem non ignauam cum efficacitate miſcendo, ſubditorum patres eſſe oportere. Ad eandem mentem, rogante Ptolemæo qua ratione regnum ritè regere, & conſeruare diu poſſet, reſponſum dedit qui in 70. interpretibus primus erat, & Regi in menſa aſſidebat proximus; id facilè aſſecuturum Regem, ſi Deum rectorem leniſſimum & fortiſſimum æmularetur, ac imitatione exprimeret pro viribus, vt narrat in illius colloquij deſcriptione Ariſtæas. Sextus inter decem Gymnoſophiſtas ab Alexandro Magno de variis dubiis conſultos, rogatus quomodo rectio poſſit eſſe fœliciſſima, [Si Rex (inquit) ſit potentiſſimus & humaniſſimus.] Paulo aliter hoc Indi reſponſum refert Clemens Alexander. a

3. In Ieroboamo, impio ſanè ac ſcelerato viro, ſed tamen induſtrio rectore populorum, & magnarum illarum mentium de quibus ex Iſaia S. Baſilius, b expreſſiſſima imagine, idem regiminis tenor notatus eſt ab Oſeæ cap. 7. cum dixit. *Quieuit paululum ciuitas à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Comprehendi enim verbis illis, induſtriæ, ac ſi per ſubjectam materiam ita loqui liceret, magnæ prudentiæ plenam Ieroboami in regendo rationem, & amplificandæ idololatriæ induſtriam effectum perbreui ſortitam, tradit ibi præclarè verbis iſtis S. Hieronymus. [Qui in malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendaciis ſuis Principes. Omnes adulteri ſunt, & inſtar libani, ab Hierobam Idololatriæ igne ſuccenſi, vt panem coquerent: qui cùm erroris in animas eorum miſiſſet incendium, quaſi caminus & clibanus primo igne ſuccenſus paululum conquieuit, vt non vim faceret populo, ſed ſuæ eum dimitteret voluntati; donec fermentaretur omne mendacium. Quod enim neceſſitate fit, cito ſoluitur: quod voluntate arripitur, perſeuerat.] Haud facilè dixerim profecerit ne S. Hieronymus ex Magiſtro ſuo Nazianzeno, vt alibi non ſemel. Eius enim eſt huiuſmodi ratiocinatio, de breuitate violentiam affectante. c Idem ſcitè tradit Philo, d qui eò refert quod Græca vox βαιὸν quæ *momentaneum* ſignificat, voci alteri Græcæ violentiam ſignificanti, hoc eſt βίαιον, viciniſſima ſit: vt tanta vocum affinitas, notionum ſubiectarum viciniam apertè ferat.

4. Temperatam hac mixtura nonnullorum ſæcularium Chriſtianorum rectionem, collaudatam video à Sanctis & ſapientibus viris. Iterum Gregorius Nyſſenus, e priuſquàm propter Deum ad egeſtatem ſe redegiſſet, exornat luculento elogio, quod lenitatem cum fortitudine egregiè iunxiſſet. [Vehemens (inquit) copioſaque & elaborata vix aſſequatur oratio, quin multa non aſſequatur, quæ pro dignitate rei non tractet, quæ immenſam, & omni imitatione ſuperiorem hanc morum & ingenij concordantiam, & conſonantiam

a lib. 6. Stromat.

b in c. 10. Eſaiæ.

c orat. 1. & 17.

d lib. de Dei immutab.

e orat. de infant. initio.

tiam ex contrariis rebus compoſitam, & contemperatam, ſuſceperit explicandam. Quo pacto ſicut palpebram prominentibus pilis, quaſi vallo obiecto, puritatem & vehementiam radiorum, natura obumbrans & frangens, temperatum, ac dilutum ſplendorem oculis infert, quo placidus ſol pro eo modo quem vſus poſcit, cum vmbra quam palpebræ faciunt, contemperatus exiſtat, ita morum grauitas atque majeſtas, cum moderata animi demiſſione commixta non auertat oculos intuentium, ſed iucundum efficiat obtutum; vt ne grauitatis ac ſeueritatis ſplendor obſcuretur, neque latens in animo, vis propter humilitatem deſpiciatur, ſed alterum in vtroque æqualiter, tum in celſitudine ac ſublimitate comitas, & humanitas, tum in humilitate vice verſa gratia, & ſeueritas animaduertatur.

5. Vectium, virum perilluſtrem deſcribit
a l.4.ep.9. Sidonius, *a* qualem perfectum rectorem hactenus popoſcimus. [Pompoſus (inquit) inceſſus, animus ſerius, iſte publicam fidem, ille priuatam aſſerit dignitatem. Remiſſio non vitians, correptio non cruentans, & ſeueritas eius temperamenti, quæ non ſit tetra, & tetrica.] Et mox. [Erga familiam, nec in proferendo alloquio minax, nec in admittendo conſilio ſpernax, nec in reatu inueſtigando perſequax: ſubiectorum ſtatum conditionemque, non dominio, ſed iudicio regit, putes eum domum propriam non poſſidere, ſed potiùs adminiſtrare.

6. Huc pertinent nonnulla idonei rectoris populorum vetuſtata ſymbola. Sphyngem Cle-
b l.5.ſtrom. mens Alexandrinus, *b* ſymbolum fuiſſe diuini-
c l.de Iſide & Oſiride. tatis affirmat, duas ob cauſas. Prior à Plutarcho *c* item tradita, eſt quod omnis de Deo oratio, ænigmatica ſit & obſcura; quam ob rem Ægyptius in ſacris Sphyngas poſuiſſe ait. Poſterior (quæ ad rem præſentem facit) quod Deum oporteat amare ac timere, tanquam lenem ſimul & fortem: ac bonis quidem & rectis corde, apprimè bonum, impiis autem ſeuerum & durum: quæ duo ſphynx perbellè exhibeat, quippè feræ ſimul & hominis formam præferens. Idem cenſuit de hoc ſymbolo, & aliud ei adiun-
d orat. de regno. xit Syneſius *d* informans Arcadium imperatorem. Quanquam enim hominis formam in ſphynge, de prudentia interpretatur, tamen prudentia in leni rectione & contemperata ſubditorum genius, non violenta & rapida inſtar ictus fluuij, maximè cernitur. [Inter ea (inquit Syneſius) quæ à ſapientibus Ægyptiis fiunt, Mercurium demiratus ſum. Ægyptij duplici Deum ſpecie fingunt, iuuenem iuxta ſenem collocantes, idipſumque præcipientes. Si quis ipſorum præclarè ſacta ſit inſpecturus, eum & ſagacem, & fortem eſſe oportere: quando alterum ſine altero, parum adiumenti conferre poteſt.] Rectè hoc Syneſius. Nam niſi ſapientia & vires iungantur, imperfectum quid conſtituent, & expugnat facillimum, iuxta illud Oppiani. *e*

—— ἀλκὴ ἀτημέλητον ἄφρον. Duo autem illa
e Halieut. 2. coniuncta, ſunt inexpugnabilia. Sed pergit Syneſius. [Eadem ratione, in ſacrarum ædium veſtibulis, ſphyngis effigiem collocant, arcanum vtriuſque virtutis coniungendæ ſymbolum, quæ qua parte beſtia eſt, robur, qua verò parte homo eſt, prudentiam ſignificet. Vis enim corporis, prudenti moderamine deſtituta, præceps ruit, cuncta miſcens atque confundens; minimèque idonea ad agendum eſt, mens quæ manuum officio caret.] Non me latet complures alias eiuſdem ſymboli interpretationes proferri, quas ad-
denſat Camerarius *f* & Lælius Biſciola *g*, ſed & *f* decur. 4. probl. in 8.
quam ex Syneſio adduxi quàmque habet etiam *g* t.1. l.5. c.50.
Suidas V. πελαργὸς eſt valdè accommodata.

7. Apud Ægyptios autore Suida regium ſceptrum in ſumma parte caput ciconiæ præferebat ex ære aliovè metallo. Ad imam partem hippopotami vngulæ erant: cuiuſmodi ſceptri imaginem ex ahenea Bembi tabula exhibet Ioannes Pierius lib. 17. in expoſitione hieroglyphicorum ciconiæ. Symbolum id erat nectendæ in regimine lenitatis ac pietatis cum fortitudine & robore. Nam ciconia hieroglyphicum eſt pietatis, ipſuque nomine audit *pia auis* quod S. Ambroſius adeò celebrat, vt dicat, quod vni inter tot Romanos Imperatores delatum eſt. *Pij* cognomen, vniuerſam ciconiarum nationem retuliſſe ab omni humano. Eadem à Patronio in ſatyrico *Pietaticultrix* dicitur, *& crotaliſtria* ideſt iocularia, & amœna. Videndus ibi Georgius Erhardus. Hippopotami verò fortitudo, & robur ad violentiam pertinens, quo ne parenti quidem ſuo parcit, aptè ſignat robur neceſſarium regenti, ſi lenitas minùs fœliciter ſuccedat.

8. In Aſſyriorum vexillis alba columba gladium exſertum ore prehendens ac præferens viſebatur. Idque expreſſit Ieremias c. 16, denuncians reuerſionem in natale ſolum *à facie gladij columbæ*. Quod quanquam varij variè interpretentur, vt Cornelius præter cæteros fu-
ſè perſequitur, *h* commodiſſimè tamen aptatur *h* in c.25. ierem. v.38.
ad expreſſionem lenitatis ſimul ac ſeueritatis quarum prior in ſubiectos ac mites, poſterior in duros & indociles exeratur, qui eſt probatiſſimæ ciuilis rectionis characteriſmus.

Non dubito quin eodem congruè ſit referendum ſymbolum Chriſtianum, cuius meminerunt qui tractant ritus Romanos. Summus Pontifex, ipſa nocte natali domini galerum cui appicta vel acu intexta columba, & gladium, ſolemniter benedicit, & magno alicui Principis myſticum munus tranſmittit. Chriſtophorus
quidem Marcellus, *i* alio refert hoc ſymbolum, *i* lib. 1. de ceremo.
congruè tamen videtur accipi in rem noſtrâ, hoc Rom. Eccl.
eſt ita vt gladius neceſſariam populorum recto- ſect. 7 c.6.
ri fortitudinem præferat, columba verò lenitatem. Eſt enim columba animal abſque felle atque adeò lene, vt proinde Spiritus ſanctus ea ſignificari voluerit. Quare id Principi ad quem poſtea munus illud tranſmittit Pontifex, ſignificatum vult, in ciuili benè conſtituta, & fœliciter cedente rectione, nectendam eſſe ſuauitati fortitudinem, & benignitati vigorem. Nam qua ratione aptiùs, columbam & gladium conſociata, interpretari liceat; Columbam igitur cum gladio rectori populorum tranſmittere: ipſum eſt quod rectionem ſuauitate & fortitudine, lenitate & iuſta ſeueritate temperatam commendare, & hortari vt honor regis iudicium diligat; ideſt (vt Ruper-
tus exponit,) *l* Clementem ſimul, ac iuſtum & iu- *l* lib. 8. in
dicij amantem, principem velle. Nimirum vis & Geneſ. c. 37.
fortitudo ſine humanitate, bruta feritas eſt: humanitas verò & benignitas nuda, in remiſſionem ignauam degenerat.

9. Quare prouidus rector neutri ſoli inhærebit, ſed vtramque conſociabit, vt euadat qualis Albinus Africæ Proconſul, de quo ait ſcitè Ru-

tilius,

tilius, *Æqualis Tyriis, terror amorque fuit.* Terror, fortitudinem rectionis conſequens, præuenit conſecuturas humano vitio clades, eiſque obſtruit aditum. Amor parens lenitatis prodit ſapientem rectorem, à quo fœlix gubernationis exitus expectari omnino debeat, potius quàm à violento impetu, nam *ſapientiâ gubernator nauim torquet, non valentia*, vt eſt apud Titinnium. Sicut è contrario, inſipientiæ ſuæ pœnas dedit Roboam, impetu intemperato vſus: qui ſi ahenum magnum, periti inſtar coci, quando feruebat paulla conſutaſſet trica, æternæ pœnitentiæ ſibi ac ſuis argumentum nequaquam paraſſet. Miſcenda igitur ſapientibus rei politicæ curatoribus, lenitas fortitudini, benignitas vigori, vt vndecunque perfecta ſit politia. Miſerrimum enim ac ærumnoſiſſimum eſt Principi ſubeſſe nihil permittenti; vt Fronto Senator apud Dionem *a* affirmat. Sub eo autem viuere, qui omnia permittat, damnoſiſſimum ac periculoſiſſimum. Itaque temperanda vigore lenitas, ſeueritate benignitas.

a in Nerua.

10. Hæc mixtura in ciuili regimine neceſſaria, eò magis in Eccleſiaſtico exigitur quò ſublimius & altius eſt animarum regimen, ſeculari ac ciuili adminiſtratione, vt plenè diſſerit S. Chryſoſtomus, *b* rectorem ſpiritualem anteponens non modò prouinciarum præfectis, ſed ipſi quoque Imperatori. Addit præterea, non minùs præfectû animorum præſtare rectori ciuili, quàm præſtent animæ plantis, quarum velut rector eſt agricola, quam analogiam pereleganter proſequitur. Tradit inſuper, quantum corpus cedit animæ, tantum cedere humanam ſiue ciuilem rectionem, ſpirituali præfecturæ. Qua ratione extollendi ſpiritualem rectionem, vtitur quoque alibi idem Chryſoſtomus non vno loco. *c*

b homil. 15. in 2.

c lib. 5. Sacerdotio initio & homil. 5. de verbis Iſaiæ vidi ad ſub init.

PVNCTVM V.

Male regendi artes, vbi diuinæ rectionis per lenitatis & fortitudinis coniugium imitatio viget, non neceſſariæ, facileque declinatæ.

1. QVi diuinam regendi rationem propoſitam, hoc eſt ſuauitate & efficacitate commixtam exprimere imitatione curauerit, non eſt quod anceps ſit de felici gubernationis euentu, etiamſi iis artificiis & veteratoriis artibus abſtineat, quas præfecti eo nomine indigni, dum alium rectionis modum ineunt, captare coguntur; non Dei Optimi Maximi, vel bonorum Angelorum, aut ſanctorum hominum. ſed quod erubeſcendum eſt, Tyrannorum imitatione (horreo ad hanc vocem, ſed præiuit in eo de impotentibus Cœnubiarchis loquendi modo. Ioannes Saniſberienſis. *d* Et generatim de ſacris præſidibus ſua quærentibus, idem habet Iſidorus Peluſiota. *e*

d lib. 8. polycrat. cap. 17

e lib. 5. epi. 74.

2. Neque ſanè mitiore appellatione ſunt dignandi, qui ea præſtant (quæ effrœnes religionum præfecti, cum ſuum commodum non ſubditorum bonum ſpectant, præſtare dicuntur) illis omnino gemina quæ inter Tyrannorum characteres recenſet Ariſtoteles 5. politic. Referunt igitur graues Scriptores, (vtinam falſò ac per errorem;) eſſe qui tum demum fœliciter ſe ac conuenienter recturos putent, ſi iis dumtaxat præſint, de quorum facilitate & pleniſſima ſubiectione ſecuri ſint pleneque certi. Ab aliis verò referuntur, conſeri dexteras cum primoribus domeſticorum, quorum ope fulti, quoſcunque mutire auſos, facilè opprimant. Sunt qui dicuntur ſubdolè cum ſuis agere, ac loqui in corde, & corde, omni ſinceritate abacta: & interdum etiam cauſas iniquæ vexationis cui ſuos ſubjiciunt, planè preſſas & tacitas velle, ne malignitas detegatur, & ſecura ſit graſſatio in innoxios. Nec deſunt qui ſubditis offendicula & lapſendi occaſiones conſultò objiciant, vt lapſos & criminationi ac correctioni patentes, habeant ſubjectiores. Horreſco ad artificium quod ſubjicio. Dicuntur eſſe, qui inter ſuos lites ſerant aut foueant, diuidantes vt regnent, hoc eſt vt altercantibus inter ſe ſubditis, pacifica ſit præfecto rectio, & tranquillus dominatus. Virulentiam huiuſmodi etiam, imo purulentiam talium vomicarum, etiam ante admotum ſcalprum, puto patere. Auertat Deus ab omni ſancto ac pio cœtu, tam virulentum in Præfectis ſpiritum, tamque peſtilentem agendi & regendi rationem.

3. Quid enim Regis ſuper omnes filios ſuperbiæ ſpiritum redolet putidius, quàm ille paruulorum delectus; qui ita ſubſint, vt quicquid impotens animi præfectus attenterit, mutire non audeant, & tonderi ſe, imo deglubi ſine contradictione ſuſtineant? Hoc verò non eſt quærere quæ Chriſti ſunt, nec ſubditorum ſalutem & profectum captare, ſed propriæ potentiæ liberum exercitium quærere, decuſſis iuxta priſci Tyranni monitum, ſummis papauerum capitibus. Tales cœnobiarchas Philippus Abbas *f* cenſet Sauli perſimiles. Cum enim egiſſet de Saulis in Dauidem furore, quo etiam in Ionatham filium ſuum exarſit, quia odio gratis habere nolebat Dauidem, ſubdit. [Huic in Eccleſia poſſunt quidem ſimiles inueniri, qui cum prælationis faſtigio ſe viderint inſigniri, tanto in minores & ſubditos liuore debacchantur, vt non Patres & Rectores, ſed hoſtes potiùs videantur. Obliti enim quomodo illorum debeant neceſſitatibus prouidere, quantam illorum paci & quieti diligentiam adhibere, quo affectu ſe illis manſuetos & amabiles exhibere, quo ſtudio viuendi formam omnibus, & in omnibus, ſe præbere; è conuerſo vita graues, moribus importuni, amantes proprium, non curantes penitus de communi, attendentes & ſubeſſe cæteros, & eiſdem cæteris ſe præeſſe, & quidquid libet prælationis priuilegio, ſibi licitum volunt eſſe. Suæ igitur voluntati grato lenocinio ſeruientes, & quod legis, quod ordinis eſt ad ſuum libitum deflectentes, quoniam à ſubiectis pro aſſumpto magiſterio ſufferuntur, fractis velut repagulis, in exceſſus liberos efferuntur. Cuiuſmodi præpoſitum ſi qui ſubditorum ſenſerint non placere, illumque prauis maiorum operibus aſſenſum facilem non præbere: & ſicut non propter hominem vitia, ſic & hominem gratum propter vitia non habere, ſed zelo rectitudinis quidquid ab illa diſcrepat abhorrere: huiuſmodi ſubditum, ſtatim proteruum iudicant & vecordem, quia vident ſcilicet ſuis eum prauis moribus non

f lib. de ſilentio c. 9. initio.

con

concordem. Videtur quidem illis, contumacis duritiæ grauiter arguendus; imo tanquam hoſtis odio perſequendus, qui manu fauorabili gratum maioribus accubitum non emollit, qui eorum qualiacunque opera blandis laudibus non attollit. Arguendus inquam eſt, qui contra Prælati ſui opera præſumpſeris vel mutire, & in eum reprehenſionis quippiam effutire; cum (vt aiunt) ſubiectum non deceat, niſi aut Prælato prona in omnibus beneuolentia conſentire, aut impreſſo labiis digito, cautè & humiliter obmutire. Non igitur impune de prælati ſui vita conqueritur, qui Dei quam hominis voluntati libenter obſequitur. Non in laudem apud homines, non in proſperum ei cedit, qui fauore, vel ſilentio ad contentiendum prauis moribus non accedit. Quo enim peruerſi quique Prælationis gradu fuerint altiores, eo huiuſmodi ſubiecto imminent grauiores, imperantes vt Roboam durum imperium in præſenti, & indurato corde, pollicentes idem fore durius in ſequenti. De qualibus pulchrè Micheas Propheta. *Si quis (ait) non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium.* Quia eorum conſcientia, internæ veritatis refectione ſolida non pingueſcit, ad appetendum foris vana, eorum auidum os patefecit, ſemper inhians & anhelans, vt ſibi à ſubditis iuxta libitum deferatur, & non odioſa veri aſperitas, ſed aſſentandi grata ſuauitas plenius offeratur. In quorum ore, ſi quis munus non dederit concupitum, alienum à Religione talem iudicant appetitum: ſi legi, quam Regi magis elegerit obedire, cum legem & regem videas pariter non ſentire, ſanctificant ſuper eum prælium, id eſt auctoritate qua ſciunt, & recolunt ſe cæteris præeminere, minantur, & affirmant graues illi moleſtias imminere. Non enim feruentem zelo iuſtitiæ vlnis teneritoribus amplectuntur, ſed quem fouere debuerant, minis, & contumeliis perſequuntur; & ſi quos viderint eodem in illum odio non teneri, non differunt in eos ira grauiter commoueri.]

4. Hunc impotentem planéque Tyrannicum genium, quo præfectus magno ſuo malo, ad ſolam ſcelerum impunitatem plenamque licentiam aſpirat, vt idem Philippus *a* aperit, enumerans præfecturæ mala; inde primùm facile eſt repellere, quod Religioſus præfectus perſonam medici ſuſtinet. At nemo non vides quo numero habendus ſit Medicus, qui ægros quoſcunque curatu difficiliores aduerteris, nolit ſuſcipere ſanandos; illa autem duntaxat nauare velit operam, qui leuicula quapiam valetudinis ſuccuſſione tenentur, cum è contrario bonus medicus, vt Bleſenſis *b* admonet, infirmis maiorem curam impendat quàm valentibus, & infirmioribus quàm leuiter infirmis. Præpoſiti igitur, qui ſubditorum medicos ſe eſſe non dominos iuxta S. Bernardi *c* monitum debent agnoſcere, nouerint quoque ſuum eſſe, infirmis potiùs, ac malè habentibus adeſſe. Laudat ex hoc capite, ſponſam adoleſcentularum rectricem, idem S. Bernardus. *d* [Non enim (inquit,) eſt talis quales multos videmus prophetica inuectione notatos, qui quod craſſum erat & forte aſſumentes, quod debile erat proiiciunt. Numquid medicus valentes requirit, & non potiùs ægrotantes? Si contingat, facit forſitan vt amicus, ſed non vt Medicus. Quos docebis Magiſter bone, ſi omnes indoctos repuleris? Quibus quæſo adhibebis diligentiam diſciplinæ, ſi indiſciplinatos vel effugaueris omnes, vel fugeris? In quibus obſecro tuam probabis patientiam, ſi ſolos admiſeris manſuetos, inquietos excluſeris?]

a epiſt. 25.
b ſer. 13.
c ſer. 25.
d ibid. ſer. 12.

5. Idem perpulchrè docet epiſtola ad Renaldum Abbatem Fuſniacenſem, quæ quod Sancti viri epiſtolis inſerta non ſit, partem ex ea adſcribere eſt opera pretium. [Onus (inquit,) animarum eſt infirmarum. Nam quæ ſanè ſunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus ſunt; quoſcunque igitur de ſuis inueneris, triſtes, puſillanimes, murmurioſos, ipſorum te patrem, ipſorum te noueris eſſe Abbatem, conſolando, exhortando, increpando. Agis opus tuum, portas onus tuum, & portando ſanas, quos ſanando portas: ſi quis verò ita ſanus eſt, vt magis iuuet te, quàm iuuetur à te; huius te non patrem, ſed parem, Comitem, non Abbatem cognoſcas. Quid igitur cauſaris te aliquorum qui tecum ſunt, magis grauari conſortio, quàm frui ſolatio, cum ſolus omnium omnibus datus ſis ſolatium, tanquam omnibus ſanior, omnibus fortior, qui omnibus ſufficias per Dei gratiam ſolatiari, & à nemine omnium indigeas confortari? Denique in quantum grauaris, in tantum lucraris, & in quantum iuuaris in tantum tibi erunt præmia minus. Elige ergo quos eligas: an qui grauando iuuant, an qui iuuando grauant. Hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum exiſtunt. Nam qui ſocij laboris, procul dubio, & mercedis participes erunt.]

6. Idem cæterorum, & Patrum, & Magiſtrorum ſpiritus, & ante Bernardum & poſt eum, ſenſus fuit. S. Ignatius *e* ſcribens ad S. Polycarpum, ſic eum informat. Omnium infirmitates perfer, vt athleta perfectus, ſicut & omnium Dominus: *ipſe enim* (inquit,) *infirmitates noſtras portauit*: vbi laboris plus eſt, ibi & plus emolumẽti: bonos ſi amas diſcipulos, nulla eſt tibi gratia, peſtilentiores autẽ, manſuetudine ſubiice.]

e epiſt. ad Polycarp. initio.

7. Oreſiesis B. Pachomij diſcipulus & ſucceſſor, *f* multis ſcripturis & rationibus ex debito officij & charitate petitis, coarguit huiuſmodi delectum docilium, & abiectionem præfractorum. Plagulam duntaxat vnam, & alteram decerpo. [O homo, vſque ad vnam animam quæ tibi credita eſt, monere non ceſſes, & docere quæ ſancta ſunt, & triplum bonorum operum præbere exemplum, & cauere quàm maximè, ne alterum ames, & alterum oderis, ſed cunctis exhibeas æqualitatem, ne fortè quem tu diligis Deus oderit; & quem tu oderis, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia conſentias & alterum premas, alterum ſubleues, vt pereat labor tuus. Sedentes in locis humilioribus, in quibus pater noſter præcipit penitùs non ſedendum, caueant præpoſiti domorum, ne forſitan quilibet vnus ex fratribus iniuriam propoſito fecerit, & iratus ille diſcernat ac dicat: quid cauſæ habeo ad hominem contemptorem? Facit quod vult, nec eum moneo, nec errantem corrigo, ſiue ſaluetur ſiue pereat, ad me non pertinet. O homo quid hæc loqueris? Intellige quo furore ſuperieris, & quod odium occupauerit cor tuum, vt magis tuo vitio, quàm ſuo peccato frater pereat.] Et inferiùs alloquens item Superiores. [Nec tantum ea conſideretis quæ vobis proſint, ſed & illa, quæ proximis: & impleatur in vobis ſcriptura.

f in monaſt. inſtitut. ſub init.

ſcripturâ dicens. *Quia vos ſequimini vnuſquiſque vtilitatem domus ſuæ, idcircò continebit cælum rorem ſuum, & terra non dabit fruges ſuas quoniam ingrauaſtis contra me ſermones veſtros.* Dicitur & alibi. *Quia non feciſtis vni de minimis meis, nec mihi feciſtis?* Sæpiùs, & eadem repetam. Cauete ne alios diligatis, alios oderitis, ne hunc ſuſtentetis, & illum negligatis; & caſſus inueniatur labor veſter, & omnis ſudor pereat, & quando exieritis de corpore, & de mundi huius turbidine liberati, portum vos putaueritis intrare; tunc inuenietis iniuſtitiæ naufragia, & in qua menſura menſi eſtis, remetietur vobis, ab eo qui perſonas in iudicio non accipit. Si quid mortale, aut aliquid turpitudinis ob negligentiam præpoſitorum in domibus commiſſum fuerit, poſt illorum propria ſupplicia, præpoſitus quoque reus tenebitur criminis. Quod ſemper nobis ſanctæ memoriæ Pater noſter, ſolebat ingerere.] *Sancti Patris* nomine, B. Pachomium deſignat, quem inſtituti quod profitebantur, habebant autorem. Neque verò eſt quod quis contrarium vſum, ipſius S. Pachomij opponat. Quod enim

a ſect. 35. lauſia. b l. 9 c. 24. notarunt Palladius, a atque Nicephorus, b de ipſiuſmet Angeli inſtitutoris ſui monito, S. Pachomius, qui in cœnobio moroſi & ad regendum difficiles erant, literis tortuoſis ζ vel ξ deſignabat: ſimplices verò ac ſynceri iis ab eo notabantur elementis, quæ teretia ſunt & plana vt ε vel ο. Hoc inquam, non poteſt aduerſus doctrinam de S. Pachomij ſententia ab Orefieſi traditam adduci: neque enim ea cœnobitarum in varios ordines digeſtio, omnibus perſpecta erat, ſed ſolis præcipuis & maximè ſpiritualibus, nec idcircò præfecti quibus eos ordines præſcribebat S. Pachomius, docebantur abjicere moroſos, & ſolos cereos, faciléque ſequaces fouere; ſed ad commodiorem rectionem, & vt ſinguli conuenienter curarentur, ea varietas & notarum diſtinctio vſurpabatur.

8. Antiochus informans præfectum regularem, eandem doctrinam quam ex Orefieſi retu-

c hom. 111. limus, illi ingerit. c Omnes (inquit) vt oportet, ſicut & ipſum Dominus; omnes inquam ferat in charitate; pro omnibus iugiter oret, poſtulet intelligentiam ſpiritualem ſibi conferri, vt quæ magnoperè conducant, nouerit diſcernere: peruigilet, de ſingulis anxiè ſollicitus, omnium defectus ac morbos pro modulo rationis diſcat ferre, quaſi perfectus athletes. Vbi enim fatigationis moles maior, ibi maior etiamnum quæſtus. Quod ſi multitudinem diſcipulorum velut aggregare copioſam, non ſtatim illa gratia eſt: ſed ſi minùs dicto audientes atque intractabiliores, ad officium & obedientiam, amabili lenitate erga illos vſus, reuocarit.]

d cap. 8. 9. S. Ioannes Climacus, d frequens eſt in eodẽ ſenſu prodeodo, informans religioſum Paſtorem. Tantum verò abeſt vt velit quærendos Paſtori

e cap. 5. ſolos flexiles ac cereos, e vt potiùs conteſtetur ferè initio operis, [quò Paſtor obſequentiores habet oues, eo ſeueriorem de illis Patrifamilias reddet rationem.] Et inferius. [Tunc Medicus animorum, à Deo ſe donatum ſapientia intelligat, cum ipſe morbos multis immedicabiles curare poterit. In nulla admiratione ponendus Doctor eſt is, qui alumnos ingenio promptos & dociles, doctos efficit & eruditos; ſed qui tardos & hebetes, literatos reddit, & doctrina præſtantes. Decet au-

tigatum eſt, cum equis abiectis & in glorijs vincunt, & ipſos equos incolumes ſeruant: tum inquam omnium ore celebrantur & prædicantur.]

10. S. Bonauentura, in aureo & ſi quid pretioſius dici poteſt, de ſex alis Seraphin libello,

e quo Superiores informat, multus eſt in hoc monito. Admonet igitur, nec ſemel, Prælatum, vt immorigeros ac minus ductus ſequaces non abjiciat. [Nec in corde oderit illos, nec curam ſegniùs agit, nec quærat eos à ſe remouere; immò lubentiùs teneat, vt per hoc, & illos, & alios ædificet benefaciendo ingratis, vt & per ſe virtutis exercitium in eis habeat, exemplo ſummi paſtoris, qui ait. *Eritis filij altiſſimi quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Cum enim ſit propriè officium Paſtoris docere virtutes, ſi vitioſos remouet à ſe; quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis tyro declinat impetentes ſe, quomodò aſſequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces in quibus magna lucretur, quomodò poterit ditari?] Et inferius. [Non autem mirum, ſi omnes conatus rectoris non proficiunt in omnibus, cum nec Dei operatio in omnibus proficiat ad ſalutem ipſorum, & multi ſint vocati, & pauci electi: omnia enim quæ ſeminantur, non conualeſcunt, & qui theſauros effodiunt, libenter multam terram effoderent, vt modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus eſt boni Rectoris, quantum foret detrimentum ſi non eſſet ſicut lux tantum eſt bonum, quantum eius abſentia malum. Animare etiam debet Rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minùs meretur in illis qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quàm in his qui maximè proficiunt. Non enim dicit Apoſtolus, *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum proprium profectum; ſed ſecundum ſuum laborem.* Dei enim eſt incrementum dare: plus enim laborat doctor in indocili, quàm in docili diſcipulo: & ideò apud iuſtum æſtimatorem laboris, plus meretur. In terra ſterili, & ſaxoſa Agricola plus laborat, & fit fructus paucior, ſed pretium maius. Et quæ difficiliùs elaborantur, ſæpè carius venduntur.]

11. Liquet igitur de Patrum & grauiſſimorum Doctorum ſententia, præfectos attento munere quod gerunt, ſapientibus & inſipientibus debitores eſſe & tunc onus ſuum portare, cum ferunt imperfectos, & compatiuntur languentibus. Idque maximè proprium eſſe rectionis Eccleſiaſticæ, attigit optimè S. Chryſoſtomus. f f hom 11.

Nam inde ſecernit Eccleſiaſticum regimen à Ciuili, quod Ciuile quia non tam ſpectat vnius i 1 ad Corin. particularis bonum quàm pacem publicam, cum incidit in aliquem malum exterminat illum, ne nocere aliis vltra queat Eccleſiaſticus rector è contrario, quia ſalutem ſubditorum etiam ſigillatim quærit, tolerat patienter malum ſubditum, eique medelam facit pro viribus, pleniore circa eum curatione & ſtudio vtens, quàm circa bonum & docilem. Neque tamen inficior, eum qui bonus & facilè ſequax eſt, plus diligendum à præfecto eſſe. Hoc S. Benedictus diſertè admonet, ſemel ac iterum. g Quod igitur nego illud g cap. vlt. dumtaxat eſt, non eſſe abjiciendos imperfectos, nec in ſolos facilè ſequaces locandam operam, vel impendendum amorem, vt fert artificium in quo excutiendo verſamur. Quid quod non hi ab huiuſmodi præfectis & paſtorum idolis, haben-

tur dociles ac boni, qui ex virtute flexiles ſunt, & laudabili ingeniorum ſequacitate ex honeſti ſtudio nata potiuntur: ſed qui vel ex ingenij penuria, vel potiùs pro arte adulandi & obſequiis, deliniendi eum à quo ſperant aliquid, ſimilitudinariam quandam facilitatem præ ſe ferunt, qualem pleroſque obtendiſſe, vt Chriſtianum in populis principatum aſſequerentur, autor eſt S. Hieronymus circa id ad Titum. 1. *Conſtituas per ciuitates presbyteros*, varias enumerans abſurdas rationes irrependi ad dignitates Eccleſiaſticas. Par ergo eſt facilitas in quibuſdam ſubditis, fingentibus ſe ad omnes præfecti nutus; non ex virtute, ſed ex abiecta & ſeruili prærogatiuarum captatione, à Præfecto his lenociniis demulſo. His viciſſim Præfectus eadem ſcabie laborans, & magiſtratum prorogandi, vel etiam perpetuandi cupiditate agitatus, vt egregiè aduertit S. Baſilius, *a* immenſa pangit encomia; & feſtuca virtutis ſi quæ eſt, amplificatur in trabem. E contrario autem, qui adulari, & ignaue frænum lambere detrectant, interdum, proh ſcelus! iis probris quæ vel reipſa nunquam fuerint, vel abdita ſaltem & recta, ideóque non retegenda fuiſſent, temere euulgatis & immane auctis infamari dicuntur ſummo ſtudio, ea iuſtitiæ larua prætenta, quod præfocandum ſit in germine malum, liceátque nocumentum priuſquam inferatur præuenire; quod fit commodiſſimè, ea proſciſſione famæ hominis ab inſtitutis & cõſiliis noſtris alieni. Homo quippè famæ protritæ ac profligatæ, vt maximè Præfecti conſiliis obſiſtere apud alios velit, nequaquam valebit. Hoc igitur eſt, à quo abhorrere volebam rectorem; ſalua maiori meliorum, verè inquam & ſolidè meliorum dilectione.

a cap. 10. conſt. Monaſt.

12. Tantum verò abeſt, vt bonus Præfectus in id incumbere omni ſtudio debeat, vt nutus omnes ſuos ſtatuere velit pro amuſſi ad quam omnia indeclinabiliter dirigantur; & excandeſcat, ac impotentiam animi prodat cùm primum quis ei tantiſper obſtrepit, vt potius comparatus animo eſſe debeat ad benignè condeſcendendum indocilibus, & aliquid patienter ſubeundum à ſubditis minùs perfectis, ne dicam dyſcolis. [Quis Moſe paſtor præſtantior, (inquit Gregorius Nyſſenus:) *b* quis princeps & rector æquè moderatus & mitis, vt qui omnia fuit populo, educator, imperator, ſacerdos, ipſe denique pater: in bello conſeruans, in ſolitudine bona præbens, cum terra nec arata eſſet nec ſeminata, rectè indicans, citra errorem per viã ducẽs. Per hæc autem quidnam eſt conſecutum? Tanquam iniuriam faciens, ſeditionibus fuit agitatus; probris ac contumeliis affectus eſt tanquam lædens: murmur in eum eſt exortum, non ſecus atque in eos qui ſuffurantur, & aliena ſibi vindicant. Maledictis eſt appetitus, tanquam exercitus imperator imperitus, & qui nõ rectè præeſſet. Venit etiam in periculum, ne ab ipſo expelleretur ſacerdotio, quando Dathan & Abiron. & filij Core, ſeditioſa plebe ſecum à populo abrupta, & abducta, contendebant eſſe ſanctorum prophani ſacerdotes, & intulerunt thuribula, & ſancta extemplo tractauerunt, & ignem myſticum accenderunt, qui ante ſuffitum eos ſufficientes combuſſit. Et tam facilè offenſionem incurrit populi adminiſtratio, eiuſque docendi munus & exercitatio, vt ne fratres quidem, Moyſi pepercerint: ſed & Maria detrahebat, & Aaron

b orat. de ferend. reprch. ſub finem.

maledictis impetebat, graueque ac moleſtum onus imperij naturalem irritauit beneuolentiam, & neceſſitudine coniunctiſſimos excitauit aduerſus virum laborioſiſſimum: ſed vanum hoc fuit & irritum. Nam ille quidem erat Moſes, & ſeipſo nihil euaſit deterior. cernis quanta cum clementia, vbertatem potentiæ?]

13. Iam verò manuum conſertio cum primoribus, ſiue eiuſdem familiæ, ſiue aliarum eiuſdem inſtituti familiarum moderatoribus, eam ſapit tyrannorum agendi ratione à Philoſopho item notatam 5. politic. qua potentioribus, dum eorum operam commodaturam ſibi ſperant, fœdere iunguntur, in oppreſſionem ac cladem minorum. Notatum id à Deo ipſo Ezech. 22. Eodémque S. Gregorius, *c* alium eiuſdem Prophetæ locum refert ex cap. 34. vbi damnantur qui imperant cum potentia, non iis à quibus ſibi timent, (vt S. Gregor. animaduertit,) ſed iis quos nihil contra ſe valituros conſpiciunt. [Hos enim (inquit,) iure dominationis terrent; nec quid agere debeant, ſed quid valeant, attendunt.] Quod iuxta S. Cyrillum, *d* eſt ſurdo maledicere, & cæco ponere offendiculum, per deteſtandam abiectionem animi, qua nocetur iis quibus facilè noceri poteſt abſque retributionis timore. Nam contra eos quos referre poſſe vicem cogitant, mites admodùm ac lenes ſunt, conſuúntque eis puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia in quibus molliter iacent, iuxta Ezechielem cap. 13. ad id expenſum à S. Gregorio. Qui etiam contra hanc (vt vocat,) pacem peccatorum & cohærentes ſibi Behemothi ſquammas, pulchrè diſſerit alio loco. *e* Satis verò ſuperque eſſe debet ad huius pernicioſæ artis eliminationem, quod eſt à Dei moribus alieniſſima. [Deus ait (S. Chryſoſtomus) *f* cum viderit in dignitate potentes, & inſignes, Reges, Principes, quotquot diuitiis nitent, hos cum terrore alloquitur ac doctrinæ timorem humiliter miſcet. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quoniam Rex eſt regum, & dominus dominantium. Vbi doctrina principum, illic regibus timorem imponit: vbi tenuitas humilitatis, ibi medicinam præfert ſuæ clementiæ. Deus enim magnus, eſt Rex regum, & Dominus dominantium. Idem ipſe ſua dignitate excellens, iuxta diuinam ſcripturam, pater inuenitur orphanorum, & viduarum iudex, regum & dominorum dominus.]

c 2. p. paſtor. c. 8.

d lib. 2. de ador.

e 3. p. paſtor. ad monitio.

f homil. 5. de pœniten.

14. Tyrannidis quoque fermentum acidum ſubolet inſynceritas, & ſimplicium ac innocentium per mellita verba & falſo oſtentatam amicitiæ ſpeciem implauſtratio. Hoc omni eum deteſtatione explodendum eſt. Vt enim non decet principem labium mentiens, ita tyrannicum eſt rectionem fundare in mendaciis: & quod eodem propè recidit in cauſa præſenti, in æquiuocationibus & ſuppreſſionibus mentalibus dimidiatis; quæ peruerſio nimium quantum nunc excreſcere dicitur, etiam inter probos ac pios. At notatum & expenſum oportuerat, nubilas illas locutiones, tametſi ex iuſta cauſa & ſobriè vſurpatas, nulla alia prætereaquam veracitatis virtute periclitante indemnes eſſe, debeat eſſe extra dubium, cum Chriſtus Dominus, ipſa iuſti & æqui idea, ex iuxta neceſſitate

illis

illis ſit vſus ; probarintque eaſdem in ſimilibus adiunctis ſapientes omnes, quod alio loco trado per otium. *a* Tamen extra iuſtam & grauem neceſſitatem, ablegandas omnino eſſe ab vſu proborum, etiamſi ſolius veracitatis diſcrimen ingruat. Sunt enim extra illas circunſtantias, inhoneſtæ, & in mendacij confinio ſitæ, ac humani conuictus legitimi, contrucidatrices. Videndus præter cæteros, in hanc virtutum peſtem, S. Gregorius. *b* Ante eum Caſſianus, *c* hunc agendi modum inſimolat germanitatis cum Iudæ proditione, facta per oſculum. Apud S. Chryſoſtomum, *d* habetur luculenta diſſertatio de fugienda ſimulata ſpecie, quà huius peruerſitatis venenum, egregiè patefit. Non pauca in eandem, nominatim religioſis cauendam, diſputat Thomas Cantipratanus, *e* Claudo verbis S. Ambroſij. *f* [Nemo in dolo loquatur ad proximum ſuum. Laqueus eſt in labiis noſtris, & ſæpè vnuſquiſque ſermonibus ſuis non explicatur, ſed inuoluitur: fouea alta eſt os maleuoli. Grande innocentiæ præcipitium, ſed maius maleuolentiæ. Innocens dum credit facilè, citò labitur, ſed tamen iſte lapſus, reſurgit; maledicus autem, ſuis artibus præcipitatur: vnde nunquam exiliat atque euadat: ponderet ergo vnuſquiſque ſermones ſuos, non cum fraude & dolo. Statera fallax improbabilis eſt apud Deum; non illam ſtateram dico, quæ mercem appendit alienam. Et in vilibus quidem rebus, raro conſtat fallacia: ſed ſtatera verborum, ipſa apud Deum eſt execrabilis, quæ prætendit pondus grauitatis ſobriæ, & ſubnectit verſutias fraudulentiæ. Hunc maximè condemnat Deus, ſi decipiat aliquis proximum ſuum promiſſorum benignitate, & ſubdola iniquitate deſœneratum opprimat; nil ſibi profuturus aſtutiæ ſuæ artibus.]

a In opere contra Barnetium.
b 3. p. paſtor. admonit. 12.
c collat. 16. cap. 18.
d tomo 6. Græc.
e lib. 2. Apū c. 26 n. 7. & ſeqq.
f epiſt. ad Cōſtantium Epiſcopum.

15. Rudimentum, ac tenuis duntaxat adumbratio malignitatis videri meritò poſſit, quæ hactenus propoſita eſt agendi ratio, præ ea quæ ſubjiciebatur de preſſa obſtinatè vexandi cauſa, ne ſit qui obſtrepat, & vt maleficium ſit negotiū perambulans in tenebris. Hec barbaries, digniſſima eſt aduersùs quàm Vicarius eius qui ſe patrem orphanorum & oppreſſorum tutorem denominari voluit, iuſtæ animaduerſionis aciem ſtringat reſecétque, ne ſoboleſcat, tam infelicem, támque virulentam plantationem, nunc primùm enatam. Ante hac enim malorum Præfectorum artes ibi ſtetere, vt nonniſi conquiſitis (in ſpeciem ſaltem) idoneis nocendi cauſis, iuſtitiæ ſectatio perfuſis, aut zeli fuco illitis baccharentur; quod lupus agnum voraturus, ne iniuſtè agere videretur, ſollicitus, veteratoriè præſtitit, vt eſt in apologo apud S. Baſilium. *g* Nunc tetrior inducitur agendi ratio; & vt ſecuriùs graſſari ac impunè exſaturare malignitatem liceat, homo ne auditus quidem, & quorſum vexetur planè ignarus, ferocis Præfecti truculentiæ patet.

g epiſt. 80.

16. Arbitror ſanè Dei leges in tanta honeſti profligatione magna ſuſpiria duxiſſe, vt verba S. Baſilij, *h* huc aduocem. Quid enim non humano duntaxat iure conſtituto, ſed illi ipſi diuino iuri quod animis noſtris inſculptum eſt, magis repugnans excogitari poſſit, quàm damnare quem ſcite nolis quorſum damnetur? Conclamet profectò ſi reuiuiſcat, & talia inaudiat, Nicodemus; *i* *Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* An quod rabie actis Iudæis permiſſum à Nicodemo non eſt, ſacris præfectis quis conceſſum velit, in homines pios? Pontius Pilatus, flagitioſorum Iudicum exemplar, (quod vt Philo Iudæus, *l* diſſimulaſſet, Chriſti tamen damnatio faceret teſtatiſſimum;) cauſam ipſius ſcriptam, acto in Crucem Redemptori præfixit: id quod æquè apud Dionem trux herus miſero maſtigiæ crucem decernens, indixit; & ſeruatum etiam eſt ab iis qui Neronem ad ſupplicium petebant, titulo ſtatoris eius ad collum appenſo, vt Suëtonius in Nerone prodidit. In latronum, & parricidarum, ac immanium quorumuis noxiorum damnatione, Præſides quantumuis immanes ſemper ſententiis elogia diſpunxerunt, vt Tertullianus, *m* ſæpè notauit; ideſt cauſas plectendi noxios aperuerunt, eáſque ſeu prælato titulo, ſeu præconis voce, vulgari edixerunt: nec vlla fuerant vt Clemens Romanus diſertè prodidit, mūdana iudicia de quibuſcumque facinoroſis in quibus cauſa priùs æquo iure non diſceptaretur, reo criminatorem audiente, ac ſubmiſſis actis, vt contra iniquum criminatorem aut teſtes iudicéſve ſuſpectos, ſis eſſet excipere, nec niſi apertè & dilucidè propoſita puniendi cauſa, conſtitueretur ſupplicium. Nunc Religioſi præfecti, Dei ſeruo atque domeſtico, negare ſe poſſe integro pudore arbitrantur, vt ſciat quam ob cauſam plectatur, & cui culpæ vexatio reponatur. Apage perſpicuum iuſtitiæ excidium! Nam nolle audire quos plectis de Iſidori Peluſiotæ, *n* ſententia, iuſtitiæ cladem perſpicuè infert. De charitatis verò proſtratione per hanc barbariem fruſtra monerem, cum ſit euidentiſſimum, charitatem ſpectare erectionem fratris prolapſi, & ægri curationem à morbo quo male vexatur. Erigi porrò aut curari non poteſt niſi volens. Quomodò autem erigi volet qui ſe lapſum neſcit, & vbi iaceat ignorat? Quomodò curationem ſibi admouebit, quem ægritudo latet! Sed charitatem aduerſus eum qui firmiorem iuſtitiæ nexum proterit, abſurdè vrgerem. Pleniùs in hanc noui moliminis malignitatem diſputatum eſt, cum in opere de iuſta librorum cenſione, *o* tum integra lucubratione de hoc argumento cui titulus eſt, *Gemitus columba de iudiciis ſæculi.* Inde explenda erit diſcuſſionis huius ieiunitas.

h epiſt. 185.
i Ioan. 7.
l in legat. ad Caium ſub finem.
lib. 54. c. 45.
m cap 44. Apol & l. ad Scapulam cum de Pudente Præſide.
s. Conſtit. c. 56.
n lib. 1. epiſt. 174.

17. In objectu ſcandalorum vt offenſent improuidi, ſitquè poſtea cenſuræ & depreſſioni locus, eadem in primis doloſitas, & artificioſa machinatio cernitur, quæ in ſuperiori probroſitate. Eò autem ampliùs hæc doloſitas in religioſo præfecto deteſtanda eſt, quò eam in ſæculari quoque principe; eóque impio cuiuſmodi fuit Iulianus Apoſtata, intolerandam eſſe pronunciauit Nazianzenus. *o* Addens, ſuperiorem ſic ſe gerentem, profiteri eo ipſo, inferiorem ſe eſſe illo ſubdito quem per huiuſmodi cuniculos ac dolos aggreditur. Sunt qui iniuſtitiam in eo agēdi modo agnoſcant. Alijs viſum eſt vacare iniuſtitiæ crimine implexitatem illam, fáſque eſſe patrifamilias, non quidem intendere domeſticorum culpas obiectu occaſionum, ſed tamen eas ſuis occaſiones obijcere, quibus explorent illorum fidem. Ita non pauci apud Sanchez *p* conſentiúntque Valentia, *q* Petrus à Nauarra, *r* Diana, Paulus Layman, *s* & multos adducens Ioannes Sanchez. *t* Verùm vacet ſanè labe iniuſtitiæ propoſitio

o partic. 3. erotem. 5. cautione item 5.
p orat. 2. in Iulia.
q lib. 20. de matr. diſp. 12. n. 25.
r 2. 2 d. 5. §. 4. q. 7.
cap 3. tr. 5. reſp. 18.
s lib. 5. tract. 3. c. 13. n. 5.
t diſp. 55. num. 52.

poſitio occaſionum impingendi, facta tantùm eo explorandi & tentandi animo. Nemo tamen inficias meritò ierit, terram & fuliginoſam eſſe, ſi fiat à Præfecto alia mente: nempe vt ſecurè exerceat potentiam, & nemine refragante dominetur. Ipſe Deus per Abacuc c. 2. hoc fulmine eum aſtum perculit. *Væ qui potum dat amico ſuo*, ei ſcilicet cuius ſe præfert & mentitur amicum *mittens fel ſuum* (non enim vl lum eſt, quod tanta conditur amaritudine;) *& inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia, pro gloria. Bibe tu quoque, & conſopire: circundabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominia ſuper gloriam tuam.* Profert ad hoc ipſum Caſſianus, *a* locum alium ex Hieremiæ 9. & alium ex Prouerb. 29. iuxta 70. *qui præparat ante faciem amici ſui rete, circundat illud pedibus ſuis.* Qui ea ratione obeunt religioſas præfecturas, cœnobiis patentiſſimu oſtiu inferunt mundum, quem laqueis refertum diuina viſio magno Antonio obiecit. Non aliud id eſſe, quàm gaudere de diaboli victoria, dicit S. Ambroſius *b*. Imo veriſſimè dicitur eſſe id maximè proprium Diaboli opus. Nam ſicut Satanæ nequitia in eo vniuerſa conſumitur, vt laqueis peccatorum, & pedicis ad declinandum in obligationes, irretiat ſimplices animas eorum quos Deus ex laqueo venantium eripuerat, ita imitantur eum qui ſunt ex parte illius, & laqueos tendunt capiendis ſimplicium animabus. Viderint verò qui ita ſe gerunt, ne dum aliis ſtruunt offendicula, ipſimet impingere permittantur, ſubiaceántque ei maledicto, quod Leuit. 19. intorquetur in eum qui coram cœco ponit offendiculum, ideſt qui ſimplicem illaqueat. Huc que reſpexit additamentum ad regulam S. Pachomij, *c* quo mandatur Præpoſito cœnobij, in hæc verba. [Non ponat ſcandalum, ante pedes cœci.]

a coll. 16. cap. 8.
b l. 2. pœn. cap. 8.
c num. 128.

18. Diuidentium vt regnent, propria omnino Tyrannorum agendi ratione (quod Philoſophus 5. polit. non prætermiſit,) tam tetra támque horrida eſt nequitia, vt deficiant me verba quibus eam inſecter. Quantum enim eſt, Dei & Chriſti in religioſa æde Vicarium, fieri Satanam, cuius proprium eſt diuidere & iurgia ſerere. Hic Philippus Abbas, *d* oppletum ſe mœrore profitetur, accito Oſea, *e* cuius illa ſunt, *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe* (infernus) *inter fratres diuidit*: ſubdit verò. [Vnde & quò infernus hic procedat, non ſufficit admirari, qui diuidit inter fratres, quos decebat amicabili vinculo colligari. Maximè cum ſeruire Deo, eidem non paruo ſtudio moliantur, & Deo ſeruientes, inuicem diligere iubeantur, & diligentes inuicem, non morſus amaritudinis, ſed pacis oſculum largiantur. Vtinam hunc infernum, Chriſtus noſtræ ſalutis auidus morderet, imo vtinam iſtam mortem miſericorditer abſorberet, quæ videtur eos in diſſenſionis tumulo ſepelire, quos deberet viuificans dilectio coünire.] Affine Hieronymi verbum eſt, *f* vel nomen Hieronymi vtcunque præferentis. [Charitas religioſos, charitas monachos facit. Sine hac monaſteria ſunt Tartara, habitatores Dæmones cum hac verò, ſunt paradiſus in terris, & in eis degentes, ſunt Angeli.] Angelos ergo vertit in Dæmones, & cœlum Tartaro commutat, qui diuidendis inter ſe fratribus in vnum habitantibus; dat operam. Et in priuato quidem, planè immane habetur hoc ſcelus, ipſo Deo iudice, qui maximè exoſum ſibi pronunciauit eum, qui inter fratres diſcordias ſeminarit. Talem pluſquàm furem, appellat Richardus Victorinus, *g* cuius illa ſunt piiſſima & ſapientiſſima. [Rapina eſt, quando quis tollit res alienas. Quid tibi videtur de eo qui ſeminat inter fratres diſcordias? Impiè quidem tecum agit, qui tibi aufert pecuniam tuam; quid ille qui tibi aufert pacem tuam? Numquid crudeliter agit qui tibi aufert veſtem, & non multo magis qui tibi aufert charitatem?] Hæc ſi verè ac iure de priuato quocunque affirmantur, quanto iuſtiùs in eum intorqueantur, cuius eſt ex officij proprij ratione, ſuper omnia bona, charitati conciliandæ & amplificandæ, nauare operam?

d Epiſt. 10.
e cap. 13.
f in regul. monach.
g l. 3. de erud. inter. hom. c. 4.

19. Vt verò, quorum ſit verè regendi munere indigniſſimorum hæc rectionis vetruoſitas, perſpectum fiat, illud commemoro, quod in Nicolao Macchiauello Atheorum ſuperioris ſæculi ſignifero, grauiter damnant qui eum contuderunt iuſtis ac plenis ſcriptionibus: cum enim Principem ſecularem virulentiſſimis principiis imbueret, illud præter cætera edixit, *factiones eſſe alendas inter ſubditos; ſic enim ſecuritatem Principis obuenturam.* Hoc in Atheiſmi clanculario doctore ac promotore, ſummopere à ſapientibus omnibus Macchiauelli aduerſariis damnatum, vſurpant è cœnoſa Macchiauelli ſcrobe, ind gni ſacrorum præfectorum titulo homines. Nam ſi pacis conciliatio inter diſſidentes, Moſem dignum fecit qui eligeretur in populi Dei rectorem, vt Oleaſter obſeruauit, dubitare è contrario non licet, *h* quin is à quo concordes diſſociantur, indignus ſit Præfecti ſacri poteſtate, ac etiam nomine. Et inter ſeditioſos quidem, cum laude id ſuſcipitur, vt diuidantur; iuxta doctrinam S. Chryſoſtomi. *i* At inter Dei filios, belli ſatorem fieri eum qui vice Dei illos regat, malignitas eſt nomine vacans. Nullum quippè habemus ſatis fuliginoſum & horridum, quo eam denominare liceat, ſcelus deteſtabile, & atrocitatem nequitiæ nulla vnquam orationis acerbitate exæquandam ſi dixero, procul abero à monſtroſitate propudioſiſſimæ iniquitatis, ſi verum eſt, (quod ferunt,) eam aliquando eſſe deprehenſam.

h ad cap. 2. Exod.
i hom. 36 Matth.

20. Caſtigatio qua huiuſmodi Satanæ ſubpræfectos, mulctat S. Gregorius, *l* fortiſſima eſt. Ita verò habet. [Admonendi ſunt qui iurgia ſeminant, vt cuius ſunt ſequaces, agnoſcant. De Apoſtata quippè Angelo ſcriptum. Cum bonæ meſſi inſerta fuiſſent zizania, *Inimicus homo hoc fecit.* De cuius etiam membro per Salomonem dicitur. *Homo Apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.* Ecce, quem ſeminantem iurgia dicere voluit, priùs apoſtatam nominauit; quia niſi more ſuperbientis Angeli à conſpectu conditoris priùs intùs auerſione mentis caderet; foras poſtmodùm vſque ad ſeminanda iurgia non veniret. Qui rectè deſcribitur, *quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede.* Interior namque eſt cuſtodia, quæ ordinata exteriùs ſeruat membra. Qui ergo ſtatum mentis perdidit, ſubſequenter foras inconſtantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla

l 3. p. paſt. admonit. 24. initio.

nulla interiùs radice ſtabilitatis ſubſiſtat. Audiant iurgiorum ſeminatores quod ſcriptum eſt. *Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Atque à diuerſo colligant, quia ſi filij vocantur qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ ſunt filij, qui confundunt. Omnes autē qui per diſcordiam ſeparantur à viriditate dilectionis, areſcunt. Qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt, profectò nulli ſunt, quia non ex vnitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant ſeminantes iurgia, quàm multipliciter peccant; qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicant. In vno enim malo, innumera peragunt; quia ſeminando diſcordiam, charitatem, quæ nimirum omnium virtutum mater eſt, extinguunt. Quia autem, nihil pretioſius eſt Deo, virtute dilectionis; nihil eſt delectabilius Diabolo extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimet, hoſti Dei familiariùs ſeruit: quia qua ille amiſsâ cecidit; hanc iſte vulneratis cordibus ſubtrahens, eis iter aſcenſionis abſcidit.]

PVNCTVM VI.

Allocutio Religioſi rectoris, vt abactis malis artibus propoſitis, Dei potiùs imitatione, nexis lenitate & efficacitate regat.

1. VAleant igitur omnes huiuſmodi de ſæculo ſordes, quas in benè conſtituta ſæculari rectione, non dico Theologi diluendorum conſcientiæ nodorum periti, ſed ne vel ipſi politici, ſolius naturalis luminis ductum ſequentes, admiſerint: ſed pro malis hiſce artibus adhibeatur conformatio ad perfectiſſimam boni cuiuſvis regiminis ideam, diuinam inquam rectionem, quæ idcirco optima & felicisſima eſt, quia ſuauis eſt ac efficax. Nec dubium eò feliciorem fore rectionis euentum, quò Superior abſque malis artibus propoſitis, candidè & cum charitate; præſertímque citra faſtum egerit cum ſuis. Quod enim maximè animos ſubditorum abalienat, & rectionem peſſundat, eſt faſtus imperantis. [Citò indignatur libertas quæ opprimitur, (ait S. Hieronymus ſcribens ad Theophilum.) a Nemo plus impetrat à libero, quàm qui ſeruire non cogit.] Inde tempeſtas illa, quàm optimè deſcribit Philippus Abbas, b vt proinde liceat huiuſmodi rectionem vocare procelloſam. Duplicitas verò & obiectus offenſaculorum ad quam impingatur, itémque ſeminatio odiorum & diſſidiorum ſi deprehendatur; (& difficillimum eſt non deprehendi ſeriùs ocyùs,) vilitatem & depreciationem Rectoris creat, vnde præſentiſſimum totius rectoris exitium deriuetur, neceſſe eſt.

a epiſt. 16.

b lib. de ſilentio cap. 54.

Succedat igitur his ſecularibus, imo Satanicis artificiis, religioſa benignitas conuenienti efficacitate temperata, cui multo faciliùs reſpondebit optatus effectus. Hanc fuiſſe Sanctorum praxim, cum ea quæ ſuperiùs protuli enitcerunt, tum egregiè teſtatum dedit S. Dorotheus, c agens de ſubditis infirmis & imperfectis quos prudens præfecti ſancti lenitas, fortitudini conuenienti admixta, commodiùs ad officium reducit, quàm turbulentus impetus præfecti vehementis. [Quemadmodum enim piſcatores, qui iacto hamo in mare piſcem aliquem prægrandem cœperint; ſi miſcere illum turbas, ac magna vi concuti ſenſerint, non temerè illum ac ſtatim extrahunt, quandoquidem filum abrumperet; & demum amitteretur; ſed molliter ingenioſéque ac ſensè remittunt filum; ſinúntque illum abire quò voluerit; cum verò defectis viribus iam laſſum agnouerint; tunc ſenſim illum extrahere incipiunt: pari modo viri ſancti lenitate charitatéque allicere fratrem pro viribus conantur: nec ita facilè à ſe illum abdicant, nec odio aut amarulentia proſequuntur. Sed veluti mater quædam, deformem habens filium, non auerſatur eum ſtatim nec faſtidit, aut ominatur; verùm benignè eum fouet, comit, gratiorem ornatiorémque reddere illum ſtudet: itidem & viri ſancti, peccatorem protegunt, ornant, adiuuant; atque tuentur; cadentem erigunt, & in ſalutis viam dirigunt.]

c doct. 8. num. 12.

Induet facilè hunc animum erga ſubditos, quiſquis cathedram honoris, & grauatè ſubierit & gemens tenebit, recogitans miſeriam principatus, nec aliter volens ſubditos regere, quàm vellet ipſe regi ſi ſubeſſet. Idque eſt quod Petrus Damiani aut Bernardus (nam apud vtrumque is ſermo legitur) tractans negotiationem d honorum, his verbis præſcribit. [Ducem te conſtituerunt, & data eſt tibi facultas vt miſer ſis, & ampliùs non quieſcas. Cumulatur materia ſollicitudinum, & inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt vultum induere gaudiorum. Numquid in honore ſine dolore, in prælatione ſine tribulatione, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poteſt? Miſeri iuxta Philoſophum, mercedem miſeriarum amamus, ipſas execramus. Regem nobis induimus, & quicquid nobis ex voluntate non reſpondet, ſtatim euocat iram, nec communis recogitatur humanitas, & tamen eſt vermis arrodens qui conſcientiam, iugiter torqueat, timor potentiæ ſuperioris. Hæc eſt iuſtiſſima lex, vt ſic viuas cum inferiori, quemadmodùm ſuperiorem vis viuere tecum.]

d ſerm. de S. Nicolao

2. Non habeo quomodò aptiùs & conuenientiùs religioſum Præfectum alloquar in hac mera, & ad declinandos omnes in regendo ſcopulos admoneam, quàm ſi ad eum transferam Clementis Romani, e orationem, ad Epiſcopum toti cuipiam Eccleſiæ præfectum: ſi enim vnam duntaxat vel alteram voculam tantiſper inflectamus, belliſſimè cadet in rem præſentem. [Medice Eccleſiæ Domini, adhibe medicinam cuique ægrotantium conuenientem: omnibus modis cura, ſana, factos ſanos, reddere Eccleſiæ, paſce gregem non per vim, neque imperio, & cum ludibrio, & deſpectu quaſi dominatum teneas; ſed tanquam bonus paſtor, in ſinum ac complexum agnos congrega, & oues grauidas hortare. Atque etiam ſis tractabilis, bonus lenis, non mendax, non durus, non contumax

e l. 2. conſtit. c. 20. & 21.

non ſeueritate nimia, non inhumanus, non ſuperbus, non aſſentator, non timidus, non verſipellis, ac duplici mente, non illudens populis tuæ fidei ac poteſtati commiſſis, neque Dei leges ac præcepta, & quoad pœnitentiam pertinent, eos celans, non facilis ad exturbandum, eijciendúmque ex Eccleſia; ſed in rè certa ointens; non increpator petulans, non teſtimonium aduerſus vllum ſumens, niſi quod dictum ſit à duobus aut tribus fidelibus teſtibus, quorum mores iamdiu probati ſint; & qui neque inimicitiis, neque inuidia mouentur: multi enim ſunt, qui aliorum malis delectantur; homines lingua præcipiti, & perforata, habentes odium in patres, quorum ſtudium eſt diſpergere oues Chriſti: quorum ſermones, ſi temerè, & inconſideratè velis admittere, gregem diſſiparis lupiſque ad eum deuorandum tradideris; id eſt Dæmonibus & improbis hominibus, immo verò non hominibus, ſed potiùs feris ſimilitudinem hominum indutis.]

3. Quod ſi Superior, minus ſe benè conſtitutum agnoſcit ab iis dotibus, quibus iſta præſtanda ſunt, nec poteſt ea excuſatione vti qua Guerricus

a ſerm. de rogat. vſum ſe quandoque profitetur, a cum ait. [Non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis, ideo dicebam ab initio, nolite me conſtituere Principem: non enim debet præeſſe, qui non poteſt prodeſſe.] Hanc inquam excuſationem ſi vel adito iam onere, vel vrgente alieno imperio indeclinabili habet præcluſam, qui ſe agnoſcit non eſſe Medicum & abundantem panibus, induat

b ibid. eiuſdem Guerrici ſenſum, & cum eo dicat. b [Qui idoneus non ſum, nec præeſſe, nec coeſſe, vbi potero eſſe, niſi vltimum & tutiſſimum eligam locum, ſcilicet omnibus ſubeſſe? Et hoc quidem valeo, humilia ſcilicet, imò vera, de me ſentiendo: nihilque me prohibet, imo plurimùm veritas ipſa monet, ſubeſſe cunctis animo, licet præeſſe cogar officio. Tu Domine Deus ipſe es, qui & ſubeſſe mones & nihilominus præeſſe iubes. A te expecto, vt humilem ſimul & vtilem in iniuncto me facias miniſterio: humilem, vera de me ſentiendo; vtilem recta de te loquendo. Illud inſpira cordi, hoc miniſtra ori. Da ſermonem rectum & benè ſonantem in apertione oris mei, vt omnis familia tua benedictionibus impleatur.] Fiet, ſi Præfectus, ex animo ad eum modum agat cum Deo. Inde enim, indubiè ſuauitas & efficacitas regiminis, quam popoſcimus, conſequetur. Deus autem vberem benedictionem mandabit, & vitam vſque in ſæculum.

PVNCTVM VII.

Allocutio altera ad ſubditos ne conentur contra ictum fluuij.

1. QVia præfecti & moderatoris correlatum eſt qui ſubijcitur, vellenda quoque in hac clauſula eſt auris ſubdito, qui in durum & impotentem animi præfectum, diuino permiſſu inciderit.

Diuinum permiſſum dico, quia vt benè notauit Iſidorus Peluſiota, c etiamſi verè ab Apo-

c lib. 2. epiſt. 216. ſtolo enunciatum eſt, *non eſt poteſtas niſi à Deo*: idem tamẽ de eo cui poteſtas inſidet, nequaquam valet. [Videris (inquit ad Dionyſium de hoc ſciſcitatum S. Iſidorus) aut Apoſtolicas voces minimè legiſſe, aut certè non animaduertiſſe atque intellexiſſe. Neque enim dixit Paulus, *Non eſt præfectus niſi à Deo.* Verùm de reipſa diſſerit, his verbis vtens; *Non enim eſt poteſtas niſi à Deo.* Nam quod inter homines, imperia & magiſtratus ſint, atque alij imperent, alij pareant, ac non temerario & cæco impetu omnia ferantur, populis videlicet, fluctuum inſtar huc illuc ſe agitantibus, hoc à diuina ſapientia proficiſci ait. Quoniã enim qui dignitate pares ſunt, bellum plerumque excitare ſolent; idcircò popolare imperium minimè eſſe permiſit; ſed regnum: ac poſt illud multa alia imperia effecit. Quænam tandem (inquis?) Præfecti ac ſubditi, viri & vxoris, patris & filij, ſenis & iuuenis, heri ac ſerui, magiſtri & diſcipuli. Quin in brutis etiam animantibus, idem perſpicere licet. Atque hoc apes comprobant, quæ regis imperio ſubſunt, & grues & ſyluestrium pecudum greges. Quod ſi mare quoque conſideres, ne id quidem huius diſciplinæ, expers eſſe comperitur. Multa enim illic piſcium genera ſub vnius piſcis principatu ac veluti imperio, militare cenſentur: vnde etiam longas peregrinationes ſuſcipiunt. Siquidem vbique moleſtiſſima res eſt ſublatio principatus, confuſioniſque ac perturbationis cauſa. Quo etiam fit vt ne in corpore quidem, quod vnum eſt, pari dignitate omnia ſint. Verùm ex membris alia præſint, alia ſubſint. Quo circa rem ipſam, poteſtatem inquam, hoc eſt imperium & regnum, à Deo formatum & inſtitutum eſſe, profitendum eſt, vt ne mundus in ſtatum inordinatum degeneret. Quod ſi quis impius ac ſacrilegus, in illud irrruperit, haud quaquam ſcilicet hunc à Deo creatum ac deſignatum eſſe dicimus; verùm permiſſum eſſe: quo nimirum aut Pharaonis in modum, improbitatem omnem ſuã euomat, atque ita extremo ſupplicio excrucietur, aut eos qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem reuocet; quemadmodum Rex Babylonis, Iudæos.] Idem præclarè declarat S. Chryſoſtomus tractãs illud Apoſtoli, d *non eſt poteſtas niſi à Deo.* d Rom. 13.

Perinde enim rem hic ſe habere ait, atque in coniugiis; quorum pleraque non ſunt autore Deo inita, valdéque illi diſplicent; tametſi vniuersè loquendo, coniugium autore Deo ſit inſtitutum. Idem ergo eſt de ſuperiore improbo, quem cur Deus permittat, conſulendus eſt Theodoretus e. e ſer. 7. de

Ex quo itẽ illud ab Anaſtaſio Nicæno, f adducitur præ. in fine.

in hanc rem luculentum. [Ciuitates nutriunt li- f q. 13. addita ex Bi-

ctores; vt homicidas & ſepulchrorum effoſſores, bl. Reg.

& qui alia huiuſmodi ſcelera admittunt, per eos puniant, non laudantes quidem, ſed valde etiam odio habentes eorum inſtituta; ferentes tamen propter vſum eorum miniſterij. Ita etiam mundi adminiſtrator concedit, vt ſint tyranni, tanquam quidam lictores, vt per eos pœnas ſumat de impiis & ſceleratis.] Etiam Religioſorum præfectis ex legibus, nec ex Dei conſilio cœtum ſacrum moderantibus, *Tyrannorum* appellationem congruere dictum ſuperiùs eſt ex S. Iſidoro Peluſiota, g & g l. 3. ep. 74.

Ioanne Sariſberienſi. h Itaque cadit in eos quoque h l. 8. polycr. c. 37.

Theodoreti dictum ab Anaſtaſio propoſitũ, quod etiam apud Plutarchum pulchrè traditur l. de ſera numinis vindicta c. 4. Vides, ex diuina ſæpè permiſſione, præfici ſacris familiis, eos quos præfici non expediuiſſet. Quę autẽ ſint diuinæ permiſſio-

nis

nis obiecta, nec ſub diuinam approbationem cadere quæ à Deo permittuntur, notius eſt quàm vt moneri oporteat.

2. Qui igitur in huiuſmodi aliquem, diuino permiſſu præfectum ſacræ familiæ inciderit, ei ego nihil aptius occinendum puto, quàm egregium Siracidis monitum cap. 4. *Noli reſiſtere contra faciem potentis, & ne coneris ictum fluuij.* Aptiſſimè omnino, vt ſuperiùs etiam monere memini, rectionem, violentam, rapidam, impetus ac truculentiæ plenam, nominauit *ictum fluuij.* Sunt enim quidam præfecti adeò impotentis dominatus, & tam vehementis ferociæ, vt cum fluuij incitatiſſimi impetu, qua vehementiſſimus labitur, componi poſſint. Nimirum ſicut fluuius rapidus omnia ſternit, & nullo diſcrimine læta ſata, ac ſegetes in quas incurrit, vel prata ridentia, amœnos hortos, palatia, & quicquid denique lectum & dominis charum dixeris; abripit & euertit cæco impetu: ſic iſti effrænes, nullo delectu æquant, & in idem commune excidium conuoluunt omnia. Nulla illis reuerentia ætatis in laboribus contritæ, nulla meritorum ratio. Nam neque ictus fluuij, plus ſubingreſſum incautè Federicum Imperatorem reueritus eſt quominus eum perderet, quàm ſi vilis lixa, vel vnus quiſpiam ex infima calonum fæce fuiſſet. Æquè Mutium Attendulum qui à bellica fortitudine *Sfortiæ* cognomen retulit, abſorpſit perdiditque ictus fluuij Peſcaræ, ad Aquilam Appuliæ vrbem, cum eò ſubiiſſet vile caput periclitans, erepturus ex aquis. Nulla tot meritorum, & tam exaggeratorum militarium decorum reuerentia fluuium tetigit. Violentiam verò ac vehementiam huiuſmodi Præfectum, nulla aptiùs comparatio adumbret, quàm ictus fluuij. Nam neque amœniſſimus Poëta, aliud habuit cum quo effrænationem violentiſſimam componeret. a

a Andr. Naugerius in Luſibus.

Non ſecus ac præceps hyberno flumine torrens,
Cum tumidus latè fluuius hyemalibus auctus,
Proruit, aduerſas inſano vertice ſyluas
Obſtantéſque trahit ripas, campóſque per omnes
Cum ſonitu ruit, & rapido rotat omnia fluctu.

Hunc vt appoſitiſſimè vocauit ſapiens, *ictum fluuij*, bonus ſubditus, non obſiſtendo & contra conando, ſed iræ ac furori locum dando declinet; illud ſecum reputans, ſfore non ita multo poſt, ſin minus pro orbe vniuerſo, at ſaltem pro ſingulis, tempus illud quo Deus omnem principatum & poteſtatem euacuabit, iuxta Apoſtolum & ablegatis ac abrogatis omnibus ſubpræfectis, quorum animi impotentiam cæteraque probra faſtidimus, *erit Deus omnibus. Ibi ceſſabunt à tumultu, & requieſcent feſſi robore,* vt eſt apud Iobum c. 3. Mirabilis profectò loquendi modus, vt aliqui præ robore dicantur feſſi: ſed in re noſtra obſcurum non eſt, quomodò ſubditi à robore & immoderata vi ſuperioris, feſſi dicantur. Pergit Iobus, non minùs commodè ad rem præſentem. *Et quondam vincti pariter ſine moleſtia, non audient vocem exactoris. Paruus & magnus ibi ſunt, & ſeruus liber à Domino ſuo.* Hæc ſecum reputet, qui impoſiti ſuper caput ſuum hominis, onere premitur, aut etiam opprimitur. Interim dum tempus quod ferociens conſeruus non ſperat, inexpectatum aduenit, vt Matthæi 24. habetur, muniat ſe humilitate, quam hæc in præfecti animo impotentia turbans ſubiectum, deſiderari in iſto docet: quod Richardus Victorinus, b annotauit, tractans confractionem cedrorum libani per vocem Domini. Agnoſcat hanc eſſe rationem optimam & expeditam, exorandi à Deo inferioris ſuis regimen. Eſt enim cuique quantumuis ſubdito, ſubditus alius, vt D. Bernardus ratiocinatur, c corpus videlicet ſiue terra noſtra, cuius poſſeſſio, mitibus, & ad alienum ceſtrum placidis ingenuis, eſt promiſſa.

b in Pſ. 28.

c ſerm. 8. de aduentu

4. Neque hoc dico, rectoribus etiam ratione omnia gerentibus, plerumque imponi ab indocilitate ſubditorum, & duros ac impotentes interdum haberi, quos ſola ſubditorum indocilitas & licentia gerat, iuxta illud Bleſcoſis. d [Illud equidē moris vt ſe in prælatos linguæ prurientes exerceant: & ad hoc Prælati conſtituti ſunt, vt linguæ meretricantis iniurias modeſtè, & patienter excipiant. Sicut Paulus inter blaſphemos, *vos* (inquit) *ſcitis, quia ad hoc poſiti ſumus.* Si ad caput noſtrum Chriſtum reſpicitis, nullus innocentiam maledicus, aut detractor acerbiùs impugnauit. Quem Iudaïca ſuperſtitio, nunc fabri filium, nunc vinoſum, nunc voratorem carnium, nunc miniſtrum Beelzebuth, nunc ſocium Ethnicorum, nunc deſtructorem Sabbathi vocans, multipliciter in eum virus ſuæ malignitatis effudit.] Hoc quamuis veriſſimum, nunc tamen volo prætermiſſum, vt & illud à S. Ambroſio, e notatum. [Aqui cum ſint ſubditi, modeſtè ferunt, cum à ſenioribus arguuntur. Dicunt, grauiter iraſcitur Epiſcopus, patientior eſſe deberet. Audi ergo optime Clerice, Sacerdotis exigis patientiam, & tui non exigis diſciplinam? Neſcis quia mihi ſalutis cauſa arguere aliquandò permiſſum, tibi nunquam peccare conceſſum eſt? Dicit enim Apoſtolus, *increpa opportunè, importunè, argue.* Eſto ergo in omnibus ſubditus ſacerdoti, ſi vis eum manſuetum.]

d ep. 100. in fine.

e ſerm. 9. de ſanct. in fine.

Illa item huic loco maximè opportuna, quæ de religioſo ſubdito, exlege ac facilè in petulantiam aduerſus Antiſtitem verſo, leguntur apud Petrum Damiani, f in deſcriptione quarti riui fluminis Ægypti. [Quandò ſanari poterit, qui Medicum ſpernit, medicinam conculcat, & infirmam ſubſtantiam, contrariorum receptione ſuccendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & in Creatorem refundis iniurias, vt quod laudauerit, tu vituperes; quod vituperauerit, tu laudes. Non eſt hoc palpatiua diſſimulatione tacendum, cum videam quoſdam veſtrum tantis impatientiæ ſtimulis agitari, vt ad primas correptionis voces, non ſolùm excuſationem, ſed defenſionem exhibeant, & niſi diſciplinaris vigor obuiauerit, ad tumultus, & iurgia proſiliunt. Hæc eſt impietas maxima in Deum, delictum maximum, quæ vir ſimplex, & rectus & puer Domini, ſumma circumſpectione euitat. Elegantiſſimam ſuperiùs comparationem inducit Propheta, quam de ſacrario S. Spiritus aſportauit. *Ibi* (inquit) *habuit foueam ericius.* Hericius ſi apprehendi ſe ſentiat, vel contingi, ita confertiſſima ſpinoſitate denſatus eſt, vt vndique compunctionibus & aculeis veſtiatur. Cum verò ſe ſolitudinem adeptam putat, caput aperit, exerit pedes, & viuificatorios motus plena deambulatione demonſtrat. Si quis ſuperuenerit, ſtatim celeberrima velocitate, caput cum pedibus, ad interius abſconditum reportatur, &

f ſerm. in vigil Natiu. Dom.

ſi

ſi illam tenere volueris, priùs videas ſanguinem tuum, quàm corpus ſuum ſic & peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, à paſtorum ſollicitudine perſpectatur, & quod ferè omnium peccantium vitium eſt, cum ab omnibus videatur, à nemine æſtimat ſe videri. Si vitium reſecare ſtudeas, & intentionis ingreſſus cum actionis egreſſibus correctionis manibus deprehendere, ſtatim Ciceronis eloquentia renouatur, excuſatur, & defenditur quod opponis; accuſaris, & offenderis, qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quando factum fuerit, & nouus dialecticus exerta lingua prorumpit: In medium parentes aduocat; patrocinatores quærit, grauari ſe indicat, indicat ſe receſſurum; malléque mori, quàm pati talia; & quæ vidiſti negans, & quæ non vidit; in te conuicia retorquens. Sic ſpinam ſentis, & culpam perdis; odium incurris, nec corrigis, & quem totum tenere putabas, totum amittis.] Talem genium multorum ſubditorum, negari non poteſt: indéque euaneſcunt multa quæ ab exlegibus ſubditis, in Superiores inſtitutorum ſacrorum tenaces, abſurdè iactantur.

5. Hæc omnia volo prætermiſſa, illúdque vltro gratis concedo, culpam vniuerſam penes præfecti impotentiam & æſtum eſſe, innoxio planè inferiore. Nihilominùs enim, præfecto quantumuis dyſcolo, & impotentis animi, humillimè auſcultandum à ſubdito eſt: & quæ in rectore excuſare nequit aut emendare, contentus eſſe debet deflere, vt S. Gregorius ſapienter monuit tractans illud, *& cum ea, ſulci eius deflent.* Hugonem certè quemdam, à moroſo & duro Abbate malè habitum, hoc vno ſubſidio fulcit S. Anſelmus. *a* [Melius eſt vobis vnus etiamſi inutiliter, *b* ſuſtinere per obedientiam, quàm proijcere impatienter per obedientiam. Et ſi experti eſtis quia conſilio veſtro non corrigitur; ſed læditur, melius eſt vt obmuteſcendo, & ſilendo à bonis cum Propheta, ſecundùm Apoſtolum, *quod ex vobis, eſt cum omnibus hominibus pacem habeatis,* quàm bona inutiliter loquendo, occaſione maligno præbeatis. Nam quoniam non vobis, ſed illis principatus curæ commiſſus eſt, non à vobis exigetur ſi neglecto veſtro conſilio, paſtoris culpa grex benè non regitur: nec vobis tamen conſulendum eſt, quandiu ipſe vos non cogit à bono malum diuertere, vt ſubiectionem ſtabilitatémque quam profeſſi eſtis, audeatis, niſi eo concedente migrando, contemnere: ſi ſub eo vnumquodque conſilium facultatémque benè viuendi vobis videtis ſuppetere. Quod ſi in aliquo, veſtris ſtudiis eſt impedimento eius prælatio, vt tamen viam ſalutis non obſtruat, ſatius eſt vt occulto Dei iudicio vos indignos maiori gratia iudicantes, in minoribus bonis humiliter ſine peccato viuatis, quàm ad maiora per peccatum mortis tendatis: non enim quis ſponte mortem debet incurrere, niſi cum aliter pejorem mortem non poteſt euadere.] Ante religionis ingreſſum explorandus accuratè fuit Præfecti animus ac genius iuxta Climacum. *b* At ex quo illi propter Deum non ſubiecimus, non ſecus reſiliendus eſt à cogitatione de obſiſtendo eidem, quàm à cogitatione ſtupri. Vtraque enim impuriſſima eſt, & coinquinat hominem. Itaque portandus cum patientia eſt homo, tametſi ferox, impoſitus ſuper capita noſtra.

a 22. mor. cap. 23.
b Lt. ep. 6.
c gradu 4. num. 12.

Verſatur in hoc argumento, luculenter Hugo Victorinus, *c* ac piiſſimè pro more S. Ephrem *d* & exſcripto S. Gregorio in hanc rem ſplendidè philoſophante, *e* Nicolaus Papa, ſcribens ad Michaëlem Imperatorem. *f* Item fusè æquè ac benè Goffridus Vindocinenſis: *g* qui ſubditum religioſum erga præfectum tametſi immodeſtum ac dyſcolum, non ſecus ſe gerere præcipit, ac ſeeere erga Noëmum ebrium & nudum, reuerentes filij, qui proſtantem eius turpitudinem auerſis vultibus operuere. [Quid eſt quod filij verecundiam patris ſuperiecto dorſis pallio auerſi venientes operiunt; niſi quod bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, vt tamen hæc aliis occultent. Si verò ſubditi à rectorum ſuorum reprehenſione temperare ſe negligunt; vſque ad reprehenſionem ipſius Conditoris excidunt, cuius ſuperna diſpoſitione Prælati ſunt. Nam ſi opera hominum iniuſta videntur, poteſtas quæ à Deo eſt, nunquam erit niſi iuſta: quam iniuſti homines multoties propter ſubiectorum merita habere permittuntur.]

d ſer. 77. tomo 2. paræn. 15.
f l. 12. ep. 31. indiſt. 7. cap. 8.
g lib. 4. ep. 22.

6. Præmiſerat quoque Goffridus exemplum Dauidis, quem grauiter pœnituit, oram clamidis rectori peſſimo, & hoſti irato abſcidiſſe; *paruiſſimam* (vt ait,) de malo Superiore *muſſitationem*, diſplicere debere inſinuans. Hoc ex S. Gregorio confirmo & finio. [Quid per Saül *h* niſi mali Rectores, quid per Dauid niſi boni ſubditi deſignantur? Saül igitur ventrem purgare, eſt prauos præpoſitos, conceptam in corde malitiam vſque ad opera miſeri odoris extèndere, & cogitata apud ſe noxie, factis exterioribus exequendo monſtrare. Quem tamen Dauid ferire metuit, quia ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorum vitam, nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehenduntur. Qui etſi quandoque pro infirmitate ſe abſtinere vix poſſunt vt extrema quædam, atque exteriora præpoſitorum mala, (ſed tamen humiliter) loquantur, quaſi oram chlamidis ſilenter incidunt. Quia videlicet dum prælatæ dignitatis, ſaltem innoxiè, & latenter derogant, quaſi regis ſuperpoſiti veſtem ſecant: ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſéque vehementiſſimè, vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt. Vndè benè & illic ſcriptum eſt; *poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul,* facta quippè propoſitorum, oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur.] Eadem legere licet apud Gillebertum vel Giſelhertum, aut quemcumque alium plenioris altercationis Synagogæ & Eccleſiæ autorem. *i*

h 3. p. paſtor. ad 5.
i in altercat. Syn. & Eccl. cap. 5.

Volo & illud ſubditis qui ſe à malo Superiore preſſos & grauatos queruntur, ſuggerere, quod ex fundamento iacto huius puncti initio, licet eruere. Aiebam ibi, malum Superiorem non dari à Deo, ſed permitti. Id quod diſertè tradit Clemens Romanus, *l* & annuunt Chryſoſtomus ac Iſidorus Peluſiota ſupra adducti; optiméque ac latè confirmatur ab Anaſtaſio. *m* Interdum autem Deus in ira ipſa, permittit, (vel etiam dat, quando peccatum non interuenerit,) Superiores exleges, ad populi caſtigationem, iuxta illud Iobi, *n* à D. Auguſtino in hanc rem allegatum, qui

l l. 2. conſt. cap. 8.
m q. 16. in Script.
n Iobi 34.

qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi,a & alibi addit illud ex Prou. 8.*b Per me reges regnant , & Tyranni per me tenent terram*. S. Gregorius *c* adducit in hanc rem illud Oſeæ 8. *ipſi regnauerunt , & non ex me* , quem locum item aduerſus Antiſtites à Deo non vocatos , & tamen promotos , adhibet S.Bernardus *d* ac etiam Anaſtaſius ; qui exemplo Phocæ , & peſſimi Monachi electi in Epiſcopum id illuſtrat. De Phoca enim reuelatum eſt , fuiſſe prouectum in Imperatorem , quia nullus inuentus erat deterior , qui ſcilicet gentem caſtigatione dignam , tractaret vt par erat. Epiſcopus item illius ciuitatis in Thebaide audiuit ab Angelo, [Re vera non tanquam dignus Sacerdotio , factus eſt Epiſcopus ; ſed quia hæc ciuitas tali digna erat Epiſcopo.] Videſis Sancium & multos in hanc rem proferentem Pinedam *e*, ſed nominatim Origenem *f*. Quibus ita poſitis , Inferior qui malum Superiorem ſibi obtigiſſe queritur, ſiue is à Deo duntaxat permiſſus ſit , quia malis artibus ac non vocante Deo, ſed cum peccato eſt promotus ; ſiue in pœnam ſit à Deo datus ; videat num ſeipſum potiùs , *e* quàm Superiorem accuſare debeat. Excutiat inquam ſemetipſum, & videat, num ob peccata ſua , occaſionem præbuerit Deo , talem Superiorem dandi aut permittendi ; quem quia ſibi grauem putat , malum & eo loco indignum exiſtimat. Iuſtum eſt, vt quod quis ſibi moretum intriverit, hoc deguſtet.

a Iob. 34. *b* l. 5. eiuſd. c. 15. Ibid. c. 19. *c* ep. paſtor. c. 1. *d* de conſid. ad eius c. 27. *e* in c. 14. Iobi verſ. 30. *f* hom. 4 in Iudices.

LAVS DEO

VINCENTIVS CARRAFA

SOCIETATIS IESV,

Præpoſitus Generalis.

CVm librum P. Theophili Raynaudi Societatis noſtræ ſacerdotis , *De bono regimine humano ad diuinum ſuaue ſimul ac forte , per mixturam lenitatis & accurationis exigendo* , tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint , facultatem facimus vt typis mandetur , ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In cuius rei fidem , has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus, Romæ 12. Iulij 1648.

VINCENTIVS CARRAFA.

Imprimatur.

F. Raymundus Capiſuchus Reuerendiſſimi Patris Vincentij Candidi, Magiſtri S. Palatij , Socius.

CONSPECTVS OPERIS.

Prothyron.

SECTIO I.

Paracenaſtica.

Punctum I. NOn Epiſcopatum duntaxat, ſed etiam præfecturam quamcunque ſacram, eſſe *opus bonum*, id eſt innumeris tum periculis, tum difficultatibus obſeptum, *pag.* 393. *Punctum II.* Difficultates & pericula prædicta, æquè in Religioſæ familiæ præfectura locum habere. 296.
Punctum III. Vndè præſertim, tantæ, illæ, Religioſi, & cuioſuis ſacri regni difficultates. 299.
Punctum IV. Optimum medium aduersùs difficultates propoſitas, æmulatio diuinæ rectionis, ſuauis ſimul & efficacis. 301.

SECTIO II.

De exprimenda moderatoribus, ſuauitate Dei in regendo.

Punctum I. Sigillatim de diuinæ rectionis ſuauitate. *pag.* 302.
Punctum II. Specimina diuinæ in regendo ſuauitatis, per ſatyram. 303.
Punctum III. Quantopere Deus ſuæ in regendo ſuauitatis imitationem, hominibus hominum Rectoribus commendet. 301.
Punctum IV. Expreſſa à Chriſto, diuina in regendo ſuauitas. 311.
Punctum V. Imitantur diuinæ rectionis ſuauitatem SS. Angeli rectores noſtri: ac etiam mali Dæmones rectores tenebrarum harum. 316.
Punctum VI. Vox Apoſtolorum de neceſſitate exprimendæ diuinæ in regendo ſuauitatis 318.
Punct. VII. Apoſtolicorum virorũ de neceſſaria imitatione diuinæ in regendo lenitatis iudicium. 323.
Punctum VIII. Argumentum ex *Patris* ſiue *Abbatis* appellatione eius communi, præ ſe ferente ſuauitatem. 328.
Punct. VIIII. Origo aſperitatis ac volantiæ, à diuina in regendo ſuauitate abhorrentis, 332.
Punctum X. Depulſa quæ ferociæ Præfectorum obtendi ſolent. 335.

SECTIO III.

De exprimenda moderatoribus fortitudine diuinæ rectionis.

Punctum I. Sigillatim de diuinæ rectionis efficacia. 340.
Punctum II. Horrifica Præfectorum fortitudo, ictum fluuij, ac procellam, & ſi quid eſt huiuſmodi truculentum ac ferox, ſimilitudine referens, alieniſſima à diuinæ rectionis fortitudine. 343.
Punct. III. Chriſtus, SS. Angeli, & pij ac ſapientes quique homines, diuinæ rectiſcis prouidentiæ fortitudinem æmulari. 347.
Punct. IV. Depelluntur prætextus varij, qui ignauæ remiſſioni à diuinæ rectionis fortitudine abhorrenti obtenduntur. 350.
Punct. V. Pericula & cœtus & rectoris, ex neglectu imitationis diuinæ fortitudinis in regendo. *p.* 355.

SECTIO IV.

De exprimenda moderatoribus mixtura ſuauitatis ac fortitudinis in diuina rectione.

Punctum I. Concluditur; ſuauitatis & efficaciæ coniugationem, Dei regentis imitatione, eſſe peridoneum ſacræ præfecturæ difficultatum, malagma. 359.
Punctum II. In Chriſti Domini, Angelicâ, & Apoſtolorum rectione ad diuinam conformata, luculenta efficacitatis cum ſuauitate coalitus. 366.
Punctum III. Senſus aliorum filiorum lucis de neceſſitate rectionis humanæ, lenitate ac fortitudine temperandæ, inſtar diuinæ. 366.
Punctum IV. Suffragium filiorum huius ſæculi prudentum in generatione ſua. 373.
Punctum V. Malæ regendi artes; vbi diuinæ rectionis per lenitatis ac fortitudinis coniugium imitatio viget, non neceſſariæ, faciléque declinatæ. 375.
Punctum VI. Allocutio Religioſi Rectoris, vt abiectis malis artibus, propoſitis, Dei potiùs imitatione, nexis lenitate & efficacitate regat. 381.
Punctum VII. Allocutio altera, ad Religioſos ſubditos, ne conentur contra ictum fluuij. 382.

LAVS

LAVS
BREVITATIS,
PER DICTYACA
DE
BREVITATE ET LONGITVDINE IN DIVINIS, HVMANIS, ET NATVRALIBVS

Antirrheticôs expreſſa,

A. R. PATRE THEOPHILO RAYNAVDO,
Societatis IESV Theologo.

BARTHOLOMÆVS PHILIPPINÆVS in Endecaſyllabo ad I. Grolierium.

ÆTati inuideant nihil priori.
En noſtri nimium Dies beati:
Nam quicquid Clarius Deus, Rhodoſque
Eurotas: Helicon: ſpecuſque Cyrrha
Parnaſſus: liquidi vireta fontis:
Pimplea pariter puella: Athenæ
Sacrata retinent: pates diebus
Noſtris, munificus, probuſque grandi
Nec mirum, Grolierius peritos
Viros munere ſæpe ditat: ergo
Ætati inuideant nihil priori;
En noſtri nimium dies beati.

FRANCISCVS PHILIPPINÆVS Ad Nigrum.

O Mirum niger eſt & albus idem:
Autor candidus: haud quotidianus
Aſt dignus ſtudio quotidiano:
ἄλλοις στίχαισος στίχος δ' ὁ μουσῶν.
Hinc grates Grolierio tenemur
Et ſylua reſonare Gallicanis
λευάδας ἀμελῶ λόγων κρατίσι.

EX DIALOGO EIVSDEM STEPHANI NIGRI *præfixo verſioni Philoſtrati.*

MErc. Philoſtrati εἰκόνας Latino donaſti ſermone. Steph. Donaui. Merc. Eas in lucem ſub aliquo tutore, ac vindice nunc edere concupiſcis. Steph. Cupio medius fidius, & vt nunc reminiſcor id meditabar, quonam duce in publicum prodirent. Mer. Hinc eſt quod huc me miſit Minerua, vt prolixiore te cogitatione liberarem. Steph. Qui cedo? Mer. habet virum ſibi chariſſimum, cui haud ſecus perpetuo adeſt, atque Vlyſſi, dum inter humanæ vitæ fluctus agitaretur: ſemper adfuit, ſub cuius nomine imagines tuæ tuto in publicum prodibunt. Steph. Quis eſt? Dic quæſo, cupio namque Mineruæ quàm libentiſſimè morem gerere; ſcio enim fore, vt me id feciſſe nunquam pœniteat. Mer. Ioannes eſt inquit Grolierius Lugdunenſis, Chriſtianiſſimi Francorum Regis à ſecretis, ac Inſubriæ quæſtor primarius, cui propterea εἰκόνας tuas omnino eſſe dicandas aſſerit, quod omnium virtutum imagines in ipſo, vt in clariſſimo ſpeculo eluceant. Steph. Quid mihi notiſſimum Grolierium laudas? quem ſi patriam reſpexeris nobiliſſimum, ſi parentes generoſiſſimum: ſi fortunas opulentiſſimum: ſi corporis bona, formoſiſſimum ac venuſtiſſimum etiam inuitus fateberis. Quare Mineruæ referto me ei libentiſſimè obſecuturum, eóque libentius id facturum, quod mortalium nemini plus quam Grolierio debeam. Mer. Valebis igitur. Steph. Tu quoque cum Minerua ipſoque Grolierio perpetuò Valeas.

Non abs re fuerit adiungere dictum hoc anno 1662. Carolo Grolierio Car. F. in Colleg. Lugdun. alludens ad Inſignia Groleriorum,

EPIGRAMMA.

QVàm benè quodque ſuo ſydus ſuperimminet orbi
2. Dum ſimilem fundit lux ſibi quæque diem.
Nempe tua hîc ſplendet vigilantia ſumma Caſauti
Promittitque vbi ſæcla beata tuæ.
Cimba conditio trina eſt, at ſolus in vſus
Diuiſus varios, munia trinus obis.
Te duce Lugdunum blandâ ſic voce videtur
Affari ciuem: nunc tibi certa ſalus;
Pone metum, & tuto iam dum licet vtere ſummo
Pervigil en ſupero ſydus in axe vigeat.

L. Ch.

CLARISS.

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE

D.D. CAROLO GROLIER

DOMINO DE CAZAVLT ET DE BELLECIZE, antehac Lugduni Mercatorum Præpoſito.

EA eſt gentis tuæ erga literatos homines propenſio VIR Illuſtriſſime, *vt nemini mirum eſſe debeat, tuum à me optari patrocinium, beneficiorúmque memorem quibus me proſecutus es, eam nunc rependere gratiam; quam tenuitas mea referre ſuſtinet. Prӕter quam quod enim, eo natus es ſanguine, qui ſplendori natalium, literarum decus adiunxit, foues ipſe eruditorum hominum cœtus, faues enaſcentibus ingenij fœtibus, educiſque in lucem damnata tenebris, iniuriâ temporum monimenta virtutis. Sic olim proauus ille tuus primarius* Quæſtor Inſubriæ, & FRANCISCO REGI *literarum parenti amantiſſimus,* CŒLII RHODIGIN, BVDÆI, STEPHANI NIGRI, *& aliorum ſuſcitauit induſtriam in ſtudiis, vigiliáſque non pœnitendas beneuolentia ſingulari promouit. Vigebit eruditis in paginis beneficij fama, ſerâ nepotum digna memoriâ, erítque olim eximij viri poſteris incentiuum ad amorem literarum. Afferrem hîc etiam laureata Maiorum tuorum facinora, niſi quietioribus ſtudiis meam operam omnem ſcires eſſe addictam. Commemorarem inuictam* STEPHANI & AMBROSII *fortitudinem, funeſtam Albigenſibus, Galliæ fortunatam; probatam honeſtis vulneribus, periculiſque tentatam. Trophæa ſtatuerem* ANTONIO *equitatûs Gallici præfecto, in Expeditionibus Italicis, ſub exercitûs duce* LAVTRECIO, *vbi glorioſa morte ad Neapolim perfunctus, memorali apud Auerſam epithaphio cohoneſtatus eſt. Traditam denique dicerem tuo ſanguini vrbis huius cuſtodiam, ciuicarúmque cohortium regimen deuolutum per multa gentis inuictæ capita tuum ad vſque filium Carolum, ſtrenuum auitæ virtutis heredem; idque iure quam optimo, cùm in aſſerenda Regi legitimo ciuitate, flagrantibus armis ciuilibus Parens & Auunculus tuus, non ſine rei familiaris fortunarumque diſpendio inuictè allaborauerint, niſi meminiſſem me hic Apollinis cauſam agere non Marti ſeruire; quamquam & vrbis huius cauſarum in commune Patronum ac vindicem filium dediſti ſecundò genitum, tutelæ ac defenſioni Lugdunenſium iurium non aſſiduè minùs inuigilantem. Seruabunt Annales noſtri Melitenſes ac Italici tanti monumenta roboris, legationeſque obitas à Parente tuo* HENRICI MAGNI *nomine, apud Heluetios, & Pedemontios; interim dum iſtis in paginis (ſi quid mea poſſit induſtria, & ſi quid immortalitatis ſpondere valeant hæc mea ſtudia) perſtabit tuæ erga literatos beneficentiæ recens memoria, tuique erga me amoris teſſera non vulgaris. Nec defuere tuo è ſtemmate, qui ſua conſecrarent Mineruæ otia, dum inſudabant alij regni finibus propagandis. Extant Cæſaris Grolierij commenta-*

rij

rij Ioanni Grolierio magno dicati, verè Cæſarei, tùm ſermonis elegantia, tùm rerum geſtarum ordine pares veteribus, è quo Cæſare, Grolieria, emollito tantiſper nomine, familia, Pontificiis muneribus ſubinde clara, Romæ vt audio etiamnum floret. Quid amantiſsimi ingenioſiſsimique fratris D. DE SERVIERES, *Muſæum dicam, Artium omnium officinam, & otiantis Mineruæ Sapientiæ, poſt militares laureas, ſudoreſque bellicos ipſis annis viginti exantlatos. Suſpiciunt aduenæ omnes, aula tota demirata eſt Dædalas nobiliſſimi artificis manus; & videre voluit* LVDOVICVS ADEODATVS *ludentem in Mathematicis, quem in Caſtris* LVDOVICVS IVSTVS *vidit ſæpiùs acerrimè dimicantem. Iam dignitatis ſuæ partem optimam iſtud Gymnaſium debet tuæ munificentiæ; cui dum Præfecturam Lugdunenſem, Mercatorum Præpoſitus gereres, (quæ dignitas familiam tuam non ſemel decorauit) laxitatem ædium & præclaram ædificij molem publicis ſumptibus procuraſti. Id teſtabuntur vocales literæ, quando beneficij memoriam mutam eſſe voluiſti, nec commendari æri aut marmori, noſtri ſplendoris amantior quam tui: Ita tuæ diſpenſator Gentilitiæ Teſſeræ, vt ſyderum lucem abſconderes, dum nummorum copiam profudiſti, * Beneficij huius vſurâ fruitur, diùque fruitura eſt, vti ſperamus, noſtra Societas, tandiu memor, quandiu ſua in te extabunt nomina, nullâ vnquam obliuione delenda. Illa in me omnia lubens accipio, non diſſoluenda tamen hâc grati animi ſignificatione tenui, ſed augenda. Vale, ac faue.*

Addictiſſimus THEOPHILVS RAYNAVDVS.

* GROLIER porte d'Azur à trois Beſans d'or, rangez en face abbaiſſée, & ſurmonté de trois Eſtoiles d'argent ordonnées de meſme.

Theophilus.

Theophilus Raynaudus Lectori.

CVm nihil non debeam, curis, amori, officiiſque viri Clariſſimi ac amici incomparabilis Caroli Grolier, cui hoc Opus *de laude breuitatis* à me nuncupatum arguit breuiores eſſe ac tenuiores cenſus meos, quàm vt prolixis eius in me beneficiis reſpondere poſſim, qui nullum de me benè merendi finem facit; placuit Maiorum eius, ac præſertim Ioannis illius Grolierij τῶ μακαρίτῃ, eruditorum æui ſuo Fautoris ac Mecœnatis decantatiſſimi elogia, quæ mihi inter legendum occurrerant, hoc loco repræſentare, vt teſtatum ſit apud omnes Nationes ſpirare etiamnum in nepotibus Heroëm rediuiuum, nec deeſſe ex nobili trunco ſtolones ac ſurculos generoſæ indolis teſtes, & Magnorum Hominum minimè degeneres filios. Vale.

LODOVICI CÆLII RHODIGINI IN ANTIQVARVM *Lectionum libros ad Clariſſ. D. Ioannem Grolierium, Chriſtianiſſ. Gallorum regis Secretarium, necnon inſubriæ primarium quæſtorem, præfatio.*

TVÆ ſplendor vitæ is eſt eáque illuſtris famæ celebritas, Vir clariſſime, non inter Gallos modo, in quibus natus es, & educatus, ſed & Italia tantum non vniuerſa. Qua Superum interpatet, Inferû nque mare, ab Alpium radicibus ad Siculum fretum, vt doctiſſimus vt quiſque eſt, ita imprimis amicitiæ tuæ obſeruantèr inſinuare ſe approperet. Quippe à ſummis comprobatum auctoribus, noſti, beneuolentiam à virtute duci imprimis, confouerique, ac inde conceptam gratiam haud ferè conſeneſcere vnquam, areſcereve, vt quæ à virenti promanarit initio, quod & menti ſuum adſciſcit nitorem, & lætitiam comparat præſignem. Id quod & vates forſan nobilis ſub Poëtico, vti aſſolet, inuolucro amplius perſpicienti ſignificat, ſic canens propemodum: Solis intonſi Phœbo, Bacchóque iuuentus. Quo ſanè factum, vt ipſe quoque idem mihi petendum decus, conſtituerim, ſed reuerenter tamen, & quod Parthorum regibus patrij moris eſt, non citra munus, quod eſt non abſque literario commercio. Sic enim concipio, virtutem inenarrabilè morum integritate conſtipatam, quæ te omnibus ingerit admirandum, & amabilem præcipue, viciſſim me tibi parte ſaltem aliqua conciliaturam, quoniam hæc ſemper animo tuo, capaci omnium, numinis cuiuſdam loco fuerit. Nec ſanè fruſtratum iri me aut voto prorſus excisſum, opiner, quando etiam ſi in illuſtri humanarum rerum faſtigio conſtitutus, & quod omnia exuperat, maximi Regis intimus, ac Inſubrum quæſtor, cunctis paulò minùs; Terrarum orbi conſpicuum te præſtas, vndecunque mentis altiſſimæ germina præclara, nihilominus præmiti eſſe ingenio decreris, ac inter Gallorum ſplendidæ nobilitatis Viros clementia, & affabilitate tanta, vt nunquam non vel ſortis poſtremæ hominibus pateas, renidens perpetuo, nec ferè hilarior, quàm vbi te adeat quiſpiam tua vſurus munificentia, & naturæ diuinioris largitate incomparabilis. Quippe imbibiſſe altiùs videris, eſſe Hominem Homini Deum, vel, vt Græcè dicam, ἄνθρωπον εἶναι ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, haberique hanc ad felicitatem viam cæteris omnibus munitiorem, quando non aliam tenuere tot Galliarum Viri Principes, ſed imprimis tot tantique tuæ gentis proceres longè clariſſimi; quo argumento illis Gloriæ cognomen adoptatum, haud ambigam. Quod ſi reluere conniteatur aliquis, in aliena laude, quæ par eſt, ingenioſior, ſuppetit ex eminentiſſimis animi tui, omnia ſupereminentis dotibus, altidiſſimo quodam ſplendore perfuſus coniectatio euidens. Illud, quicquid eſt, in humanis rebus videri auguſtiſſimum, vnde tam omnibus abſoluta numeris propagata virtus ſit. Qua nunc & ipſe compulſus, immo, vt ſynceriùs agam, blandiſſimè allectus tibi me non quidem amicum exhibeo (neque enim tua hoc patitur amplitudo) ſed clientulum planè, & hunc quoque humilem. Quod vero in rerum fieri commercijs à negotiantibus ſolet, Paratio veimur, qui tibi me & doctiſſimo, & omnium ferè nobiliſſimo conciliatum pergat. Nec alius omnino hic eſt futurus, quàm vti piaſtrualmus, muſarum initiatus ſacris, & ex Scientiæ profluens theſauris. Etenim cum nuper antiquarum lectionum libellos, quod maturuiſſe iam viderentur ſatis, vnguium incurſus diu perpeſſi, formis excuſos publicam facere materiâ ſtatuiſſem, tu mihi Vir præcellens, vnus ex omnibus ſelectus maxime es, cui noui operis, arida modo, vt ille ait, pumice expoliti munus oblatum vellem. Quod ea res imprimis tibi Nobilium ſcientiſſimo, & ſcientum nobiliſſimo animi mei ardorem in tui nominis propagationem, quod mihi inſtar numinis eſt, abunde videbatur explicatura. Equidem in ſanctariis humanis animorum fœtura maios, ac indicaturæ grauioris cenſuerim comprimi nihil, ſeruarique. Simul & nuncupatione iſtiuſmodi prorſum animaduertebam fore, tum vt ex amplitudinis tuæ quadâ maieſtate noſtris libellis quippiam accederet auctoritatis, & gratiæ, ſiquidem pleraque ideo credi pretioſa, quoniam ſint templis dicata. Tum etiam vt tanquam Deo quodam præſide communiti aduerſus omnem virulentiæ teſtarum, præſentia plurimum idem geſtiant tua, ſibique in eo placeant inſignitius. Quando, vti à peripateticorum Principe traditum, nouimus, in humanis rebus nil ferè cogitari, gratius queat excellentioris amici, ac Patroni fide præſenti. Quæ quidem ratio hanc mihi nuncupationem, velut neceſſariam planè videtur expreſſiſſe. Quanquam à Platonicis forſan hic decreris abertatim, quod neceſſitas nulla magis cenſeatur voluntaria, nec voluntas neceſſaria magis, quam amatoria. Primus hic, & idem ſummus, ac perpetuus voluntatis affectus perficit omnino, vt non amare nolimus. Et nil prorſus amore magis neceſſarium. Te autem Vir alaciſſime, quis non amarit impenſius? Quando non inde modo cognoſceris

ceris felix, quod tota ſe vi ingeſſerit tibi fortuna in hac opum, & potentiæ, ac honorum amplitudine, quibus & heroïcus quidam accedit corporis habitus, cui adeſſe planè aduertitur maieſtas quædam tacita. Sed grauius multo, quod ſapientia præditus ſingulari, ſic vitam attemperas, vt quicquid animo concipis, quicquid re obeundum proponis, ab optato haud quaquam excidas fine, quæ demum hinc inde abſoluta, plenaque & eſt, & cenſetur felicitas. Quippe illos denique beatos arbitramur, quibus plurima adſint quidem bona, ſed ita, vt inde manifeſta profluant emolumenta, quod vtique citra vſum haud quaquam contigerit. Hoc enim extra poſſeſſio felicitatem quanam fuoerit parte? At hanc ex formula, vtque dictat ratio, præter ſapientiam, quod valeat præſtare, non ferè comperertis. Hac potiò rationali naturæ cum Deo eminens paratur ſimilitudo, qui eſſe Sapientia ipſa creditur. In aſſimilatione autem eiuſmodi ſummum beatitudinis gradum videri dubio procul conſtitutum, ſemper diuinus & ſenſit, & docuit Plato. Sed & ſcientiſſimi ex noſtris animi virtutem cenſuere longe clariſſimam, & hominis peculiarem, de Principe rerum Deo bene coniectare, indéque inter compares de illius agere præſcripto. Qua ex re illud colligunt veriſſime, niſi à ſeipſo, lædi poſſe neminem, quando in id bonum ios nulli ſuperſit extimo, Cæterum nec in tam ſuperba tuæ virtutis cenſura, ſubblandiri me, velim ſuſpicetur aliquis, neque enim apud ingenij virum perſpicaciſſimi ſupereſt mendacio locus, quod ſi ſuperſit maxime, ſeruiliter adeo tibi illuſiſſe, haud facile concoquat animus. Sed vera ſciunt omnes, qui tuæ indolis admiratione attoniti ſubinde inſuſurrant ſibi Græcanicum illud, οὗτος ἐστὶν ὁ Θεὸς, καὶ πατρὶς. Verum nos præfari deſinamus, téque poſtremo ſuppliciter appiecemur, qua ſoles, frontis erogatione hoc, quicquid eſt, libellorum exempla lætus, vt te Præſide, adeant & cæteri, liuore poſito. Id quod eo procliuius facturum te, ſpondet animus, quoniam ex Andreæ Aſolani officina publicum indiſpiſci, ſunt exorſi primum. Noſti, opinor, hominis diligentiam non in conformandis modo libris perpenſiore lima, quàm cæteri ſoleant, quotquod ſunt omnes, ſed & in conquirendis hinc inde, ac, quod aiunt, ex orci faucibus eruendis ingeniorum, quæ locem nobis peperere, iam ferè abolitis monumentis, & hoc præſtat ille quidem, ab Aldi generi veſtigiis nec latum vtique vnguem diuulſus, Aldi inquam illius bene docti viri, cui plurimum debet ſtudioſiſſimus quiſque, quod barbaricas vitiligines late iam obrepentes detergere is adortus eſt primus. At eo immaturius rapto, ac è nobilis conſilij curſu medio, (qui mortalibus nimio plus frequens eſt mos) reuulſo, quamuis interpellatam, non deſtituit curam ſocer, amplitudinis tuæ perſtudioſus, qui, dum ſubinde præcelſi animi tui laudes celebrat, nec munificentioris naturæ claritatem reticet, id perfecit demum, vt ſacro nomini tuo deſtinatas dio lucubrationes noſtras libentius dicandas curaremus. Vale.

Conſulendi ſunt ſuper hac re Stephanus Niger in Epiſtola Nuncupatoria Epitomes Philoſtrati, & Pauſaniæ ab ipſo *Stephano Nigro* concinnatæ ad I. Grolierium, & Iacobus Auguſtus Thuanus in libro XXXVIII. Hiſtoriarum.

Voyez auſſy ce qu'en diſent Monſieur le Cheualier Samuel Guichenon *dans l'Hiſtoire de Breſſe*, Duchoul de la Religion des Anciens Romains, Le ſieur de la Croix du Mayne *en ſa Bibliotheque*, Strada, Simeon & de Rubis *dans la Genealogie des Medicis*, & le R. P. Claude François Meneſtrier *dans ſon art du Blaſon iuſtifié. Nous adiouterons ſeulement ce que dit le meſme* de Rubis *de François Grolier en l'Hiſtoire de Lyon, liure 3. page* 429. [*Cette meſme année* 1577. *mourut ce vray Pere du peuple Noble François Grolier, Secretaire du Roy, que nous pouuons dire hardiment auoir eſté durant le cours de ſa vie vn ſecond* Valerius Publicola *en Charité enuers ſa ville, & ſes Concitoyens; vn* Appius Claudius *en Zele Enuers la Religion Catholique, & vn vray Ionatas*, Cuius anima conglutinata eſt David (*dit l'Eſcriture*) *en fidelité enuers ſon Roy.*

LAVS

LAVS
BREVITATIS.
SECTIO I.
DICTTACA DE BREVITATE ET longitudine in ſacris.

Sectio I. Breuitas in diuinis.

Oratio.

SACRA appello quæcumque Deum, aut religioſum eius cultum ſpectantia, cuiuſmodi ſunt inprimis oratio, & Sacramentorum ſuſceptio, ac noſtrasla quæuis inſtrumenta pietatis. Item conciones, cum viuæ, (vt ſic dicam,) tum mortuæ: hoc eſt commentarij in diuinos libros. Ad hæc perpeſſiones ad Deum relatæ, putà vigiliæ, & ieiunia, & quæ pro quotidiano martyrio habetur, religioſa vita; omnes denique boni actus ſupernaturales ex gratiâ eliciti, & in Deum collineantes, in eum ordinem ſunt referendi.

1. Bonum eſt orationem diu prorogare.

QVid enim vtilius diuturnâ conuerſatione cum Deo, & ſocietate cum Beatis Spiritibus? At qui orat agit cum Deo, & fruitur ſocietate ſanctorum, quorum vniuerſa occupatio eſt familiariter cum Deo agere per nunquam interruptam orationem, hoc perſpectum habentes viri ſanctiſſimi, ferè perpetui in oratione fuerunt. Sanctus Antonius noctes integras precando abſumebat inſomnis, & de ſole expoſtulabat quod ex ortu ſuo interpellaret precantis quietem, & animi Deo adhærentis collectionem. Iacobum Monachum, virum ſanctiſſimum ſæpè per triduum ac trinoctium in oratione perſeueraſſe, ſcribit Theodoretus ſectione vigeſimâ primâ Θιόφ. & quandoque ait inter feruentiſſimè orandum non aduertiſſe, aut non curaſſe moles niuium quibus ita operiebatur, vt veſtimentis vix apparentibus, vicini, rutris & ligonibus niuem remouere & infoſſum illis Iacobum eruere cogerentur. Alia exempla diuturnarum orationum, frequentia ſunt, cum apud ipſum Theodoretum da oper. tum paſſim in commentariis de vitâ Patrum & rebus geſtis ſanctorum.

Chriſtus ipſe denunciat nunquam non eſſe continuandam orationem: *oportet* (inquit) *ſemper orare, & nunquam deficere.* Et Apoſtolus 1. Theſſal. 5. *ſine intermiſſione orate.* Commendat firmam illam in continuandâ oratione conſtantiâ S. Baſilius in conſt. Monach. c. 2. Planéque huc faciunt omnia (ſunt autem infinita) quæ de orationis ſummâ vtilitate, atque præſtantiâ paſſim tradunt Patres atque Doctores. Nam ſi oratio tantum bonum eſt; bonum autem quo diuturnius, eo auctius eſt ac melius? ſanè longiſſima oratio, eadem erit & optima. At de orationis præſtantiâ & eximiis fructibus, ſilere præſtat quàm pauca dicere. Fusè ac ſplendidè orationem celebrant Nyſſenus orat. 1. in Orat. Dom. Chryſoſtomus duplici tractatione de orando Deo. Caſſianus collat. 9. cap. 36. Climacus gradu 28. Damaſcenus l. 2. parall. cap. 15. Ex recentioribus legendi præſertim Gulielmus Pariſ. toto propè opere de Rhetorica Diuina. Roſſignolius lib. 1. de virtut. c. 3. & Suares l. 2. de orat. cap. 1. Sanè vix alij orationem longam faſtidiunt, quàm tepidi; iuxta Nazianzenum qui orat. XI. laudans ſororem ſuam Gorgoniam, à pietate & corporis per pia ſtudia, maceratione; exclamat. [O noctes inſomnes! & pſalmorum cantus & ſtationem, ex die in diem, deſinentem! O Dauid quàm tu pijs duntaxat animabus haud prolixè ceciniſti?] Non eſt aſſecutus Theologi mentem Elias Cretenſis, exiſtimans Theologum affirmare voluiſſe non diu oraſſe Gorgoniam, celeri fato abſumptam. Nequaquam id voluit Theologus. Sed collaudauit ſororem quod noctes totas in templo vigil exigeret, neque faſtidiret prolixitatem continuatæ tamdiu precationis, & recitationis pſalmorum, ſed ei (vt & feruidis quibuſque Dei cultoribus) Dauidis pſalmodia præ æſtu religionis nunquam videretur prolixa, ſicut tepidis & frigidis ſæpenumero videtur. Hanc fuiſſe Theologi mentem rectè vidit Billius ibi.

Bonum igitur eſt, orationem quàm longiſſimam fundere, & ab eâ nunquam ceſſare, iuxta propoſitum Chriſti conſilium, cui non aduerſatur proſcriptio battologiæ & multiloquij orantium, facta à Chriſto. Vt optimè tradit ſanctus Chryſoſtomus hom. 19. in multis. Neque enim Chriſtus excludens labes illas, interdixit longâ oratione. Aliud quippè eſt garrire longo tempore, & multa loquacitate, Deo (vt ſic dicam,) obſtrepere; aliud multum orare. Itaque concluſum

Sectio I. deta licet cum Gulielmo Pariſ. in Rhetor. Diu.
Breuitas c. 44. [Quemadmodum dicit Tullius, quia nun-
in diuinis. quam nimis dicitur, quod nunquam ſatis dicitur, mihi videtur, quod nunquam nimis pro-
Oratio. tenditur ſeu prolongatur oratio; quia nunquam deuota, & pinguis oratio, mihi videtur nimia poſſe eſſe, niſi in caſibus antedictis. Nunquam enim mens humana familiariùs cum Deo eſt, nunquam arctiùs ei conjungitur in vitâ iſtâ, nunquam lautiùs ex eo reficitur quàm in oratione.] Allatrauit prolixitatem orationis collaudatâ eius breuitate Vvicleffus. Sed eum potenter debellauit certans pro orationis longitudine Valdenſis tom. 3. cap. 14. & 15. Allatrauere item Vvaldenſes referente Ebraido cap. contra eos 4. qui obijcientibus longas orationes Catholicorum, reſpondens [longiſſimam orationem Deus fecit, ſicut Ioannes teſtatur in Euangelio; *Sublatis Ieſus oculis in cœlum dixit, Pater venit hora* &c. vſque ad paſſionem etiam Apoſtoli, longam fecerunt orationem vt in Actibus Apoſtolorum c. 4. legimus, dicentes, *Domine tu qui feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt.* Vſque ad illud, *& cum oraſſent, motus eſt locus.*

§. 2 *Non eſt bonum orationem diu non protendere. Breuis oratio feruidior & vegetior, atque adeò vtilior eſt ac Deo acceptior.*

ITa fert ſenſus Sanctorum. S. Benedictus c. 20. (aliàs 10.) Regulæ ſic habet. [Non in multiloquio, ſed in puritate cordis & compunctione lacrymarum nos exaudiri ſciamus. Et ideò breuis debet eſſe & pura oratio; niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio.] Ibi Smaragdus ſiue Rabanus. [Ideo breuis debet oratio fieri, ne per occaſionem prolixæ orationis obdormiant; aut fortè diu jacentes, diabolus eis ante oculos diuerſa ingerat, vel in corde aliud ſubminiſtret, &c. Nec ſe in multiloquio quiſquam, ſed potiùs in puritate cordis, & lacrymarum vbertate exaudiri credat. Non enim longæ orationis prolixitas, ſed promptæ mentis intentio, pietatem clementis iudicis excitat, &c. Ideò ergo noſtri patres, vtiliter ipſam orationem celeri fine concludi iuſſerunt, ne fortè immorantibus nobis in eâ, quædam tuſſis, vel phlegmatis, aliarumque rerum interrumpat ſtrepitus, & dum adhuc feruet oratio, velut ea faucibus Diaboli velociter recipiatur: qui cum nobis ſemper ſit infeſtus, tunc quàm maximè aſſiſtit infenſus, cum nos intra ſe afferre preces Domino viderit; feſtinans mentem noſtram ab intentione orationis, aut cogitationibus, aut excitatis humoribus reuocare. Propterea ergo, breues quidem orationes, ſed frequentes fieri, patres noſtri iuſſerunt. Breues, ideò vt inſidias diaboli inſiſtentes tunc præcipuè cum oramus, in ipsâ breuitate vitare poſſimus. Frequentes autem ideò, vt per ipſam frequentiam Dominum precantes, jugiter ei cohærere poſſimus.] Addit, hanc ob cauſam, longiores pſalmos eſſe intercidendos duplici vel triplici interciſione, vt orationis intentio ſit vegetior & alacrior. [Quia non multitudine verſuum, ſed mentis intelligentiâ delectari debemus, illud virtute ſectantes, pſallam ſpiritu, pſallam & mente.] Profecit Rabanus ex Caſſiano apud quem omnia prædicta leguntur lib. 2. de inſtit. cap. 10. & 11. & breuiata habentur lib. 4. vitæ Patrum cap. 18. Admonet ergo Caſſianus de ſententiâ Monachorum Ægypti, quorum ſumma erat tunc temporis in rebus diuinis auctoritas, non eſſe ad longum tempus prorogandam orationem, aut pſalmodiam; ſed conſulendum eſſe eius feruori, per breuitatem; & ſic deuitari faſtidium, & orantem minùs patere Satanæ inſidiis docet idem Caſſianus collat. 9. cap. 36. Præiuerat Sanctus Chryſoſtomus, quo inſtitutore gloriatur Caſſianus. Is homil. 2. de fide Annæ, & homil. 4. *ſub finem*, conſiderat, Annam quæ pauca admodum verba protulerat, dictam eſſe *multiplicaſſe orationem* 1. Reg. 1. quia breues orationes frequenter reſumpſit. Addit Chryſoſtomus. [Ad hunc modum Chriſtus in Euangelio docuit orare. Quum enim iuſſiſſet diſcipulis, ne more gentium orarent, vtentes multiloquio, etiam modum precationis docuit; oſtendens; vt exaudiamur, non eſſe ſitum in verborum multitudine, ſed in vigilentiâ mentis. Quomodo igitur (dixerit aliquis) ſi paucis orandum eſt, parabolam eis propoſuit, admonentem ſemper eſſe orandum? Vidua quædam erat quæ aſſiduè appellando crudelem & inhumanum judicem, neque Deum timentem, neque homines reuerentem, frequenter adiens, flexit. Quin nos & Paulus hortatur dicens. *Precationi inſtantes.* Ac rurſus *indeſinenter orate.* Vtrumque faciendum eſt, vt nec in longum verba proferamus, & tamen aſſiduè deprecemur. Hoc (inquies) cum illo pugnat. Sed non inter ſe pugnant iſta. Abſit hoc; ſed magnoperè inter ſe congruunt. Siquidem & Chriſtus & Paulus, juſſit breues, ſed crebres fieri precationes ex paucis interuallis. Nam ſi in longum extenderis verba, quum frequenter parum ſis attentus, multam audaciam Diabolo ſuppeditaſti, vt accedat, ſupplantétque, ac mentem ab his, quæ dicuntur, auocet. Quod ſi frequenter ac ſubinde oraueris, tempus omne crebris dirimens interuallis, facilè poteris eſſe ſobrius ac vigilans, vt precationem multa cum attentione perficias: Quod ſanè hæc fecit; dum non ſermone prolixo, ſed crebris, ac frequentibus adiit Deum.] Elidit his verbis, (vt vides,) S. Chryſoſtomus, quæ pro longâ oratione adducebantur ex verbis Chriſti Luc. 18. & Apoſtolo 1. Theſſalo. 5. Nec aliter eundem nodum extricat S. Auguſtinus epiſto. 121. cap. 8. apud quem hær. 57. redarguuntur vt hæretici, quidam buccinatores neceſſitatis continuandæ ſemper orationis, abutentes ſacris illis teſtimoniis. *Euchitas* Græci dixere, Syri *Pſallianos*, in quos fusè conclamat Caſtro.V. *oratio* hær. 2. Verus autem Chriſti & Apoſtoli ſenſus eſt, orandum ſemper eſſe temporibus congruis: vel conſtanter inſiſtendum eſſe orationi, abjectâ deſperatione obtinendi, etiamſi non illicò exaudiamur, quæ eſt expoſitio Suaris lib. 1. de orat. cap. 1. num. 4. & 5. ac cap. 30. à num. 3. & videndus etiam Medina cod. de orat. quæſt. 13.

Optima eſt ſancti Auguſtini concluſio poſt diſcuſſam orationis perpetuitatem, à Chriſto & Apoſtolo indictam. [Quæ cum ita ſint, (inquit eâ epiſt. 121. cap. 10.) etiam cum diu orare vacat, id

id eſt cum alia bonarum & neceſſariarum actionum non impediuntur officia, quamuis & in eis (vt dixi) deſiderio illo ſemper orandum ſit, non eſt improbum, nec inutile. Neque enim vt nonnulli putant, hoc eſt orare in multiloquio ſi diutiùs oretur: Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus; nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt quod pernoctauerit in orando, & quod prolixiùs orauerit: vbi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes. Sed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodò iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt, hanc intentionem ſicut non eſt obtundanda ſi perdurare non poteſt, ita ſi perdurauerit, non citò eſſe rumpendam. Abſit enim ab oratione multa loquutio; ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio: nam multum loqui, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari, eſt ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare: Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu, quàm affatu.] Si igitur oratio vigere ac feruere ad longam moram poſſet, probanda eſſet prolixitas, ac ſi fieri poſſet, perpetuitas orationis. Et ſic viri ſanctiſſimi qui in contrarium proferebantur ex peculiari diuinæ benignitatis munere, inſtiterunt orationi ad tempus valdè diuturnum, Deo vires ſubministrante, vt non remitteretur, quin potius continuando augeretur, primùm conceptus ardor animi, & flagrantia voluntatis. At quia ferè vſuuenit, prorogatione orationis hebeſcere attentionis aciem, conſultius eſt breuiùs orare, ſed crebriùs, iuxta propoſitam ſancti Auguſtini doctrinam, cui adſcribuntur S. Thomas 2.2.q.83. art.14. & Gulielmus Aruernus in Rhetor. Diuina cap.44.

Hæc videtur fuiſſe praxis S. Auxentij Abbatis, quem Metaphraſtes 14. Febr. teſtatur docuiſſe eos à quibus frequentabatur, his breuium orationum veluti iaculis, identidem vibratis, aſſueſcere. [Mendicus & pauper laudat te Domine. Gloria Patri. Gloria Filio. Gloria Spiritui Sancto qui locutus eſt per Prophetas. Cum eo autem exercitus in cœlis hymnum emittunt, & nos quoque qui ſumus in terrà glorificationem, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus; plenum eſt cœlum & terra gloria tua. *Et deinceps.* Creator omnium dixiſti & facti ſumus, mandaſti & creati ſumus. Præceptum poſuiſti & non præteribit. Saluator, agimus tibi gratias. *Et rurſus.* In animâ afflictâ tibi procidimus; & rogamus te Saluator mundi. Tu es enim Deus eorum qui agunt pœnitentiam. *Et rurſus.* Qui ſedes ſuper Cherubin, & cœlos operuiſti, miſerere, & ſerua nos. *Deinde.* Exultate iuſti in Domino intercedentes pro nobis. Gloria tibi Chriſte, Deus Sanctorum.] Docebat hunc per breuem orationem ad Deum adeundi modum S. Auxentius; & ſe eorum in vſum reuocari curabat, breues orationes minùs faſtidij ingenerare, & minùs à remiſſione animi ac languore periclitari, atque adeò eſſe vtiliores.

Non poteſt in contrarium opponi vſus Eccle-

ſiæ, quaſi penſum precatorium ſatis prolixum indixerit ſacris Miniſtris. Reuera enim officium *Sectio 11.* quod ab Eccleſiâ præſcribitur, longum iniuria *Breuitas* dici, rectè conficit Oliuerius Bonarſcius lib.11. *in diuinis.* de Hor. Canon. cap.28. à num.10. Nec video cur eo referre non poſſimus nomen *breuiarij*, *Orationi* quo deſignare ſolemus librum precatorium Miniſtrorum Sacrorum. Quamuis enim non ſit Epitome alterius fuſioris libri, quæ eſt notio Græcæ vocis *βρέβιον*, apud Zonaram in canones Concilij Carthaginenſis; tamen præ multis alijs libris precatoriis, eſt compendium & liber breuis; vt taceam hunc verè breuem eſſe orationem, præ eâ quam decet obiri à ſacris perſonis. Tametſi neque reijcio aliam illius vocis notionem, qua *breuiarium* dicitur, codex in quem ordine digeſta ſunt omnia quæ ex vſu ſit reperita, cum functio aliqua id tulerit. Quo pacto *breuiarium* pro indiculo vſurpari dicit Anna in Alexiade ſua; Et Nithardus lib.4. hiſtor. *imbreuiare*, dixit pro eo quod eſt referre in indiculum, quem vulgus *inuentarium*. Optatus lib.1. agens de pretioſis Eccleſiæ traditis Cæciliano, nominat *commemoratorium*. Videndus de eâ *breuiarij* notione Pithæus ad l. Francicas, & Gretſerus l.1. in Codinum c.6. Quamuis igitur hanc notationem *breuiarij* non reijcio, quia verè in eo eſt comprehenſio omnium à Sacerdote recitandorum; quæ commodè ibi reperit cum recitandi neceſſitas tulerit; tamen non minùs frequens eſt eiuſdem vocis deriuatio à breuitate, pro quâ notione latè ſatagit Iuretus ad l.6. Symmachi epiſto.65. Et vt dicebam, eſt verè liber hic precatorius, breuis: præſertim ſi attendatur quod in ſingulos tantùm dies præſcribitur, aut ſi habeatur ratio temporis quod perſonam Deo addictam in orationem impendere par eſt. Sicut enim iuxta Caſſianum collat.10. cap.14. perparum orat, quiſquis illo tantùm tempore orat, quo genua flectit, & ſe externâ ſpecie componit ad orandum; ita Sacerdos, & alius quilibet ſacer miniſter, qui tantum orat dum breuiarium recitat, poteſt dici perparum orare, quia multò plus ab eo poſcitur, vi ſtatus quo addicitur ad Deum ſibi & vniuerſo generi humano propitiandum. Ne tamen ſi res arbitrio cuiuſque ac pietati permiſſa eſſet, contingeret multos præ interno frigore deeſſe planè muneri, conſtitutum eſt lege poſitiua exiguum penſum dietim exſoluendum quod in breuiario continetur; & inde codex ille precatorius nomen *breuiarij* ſortitus videri poteſt. Tranſgreſſi autem videntur notionem vocabuli *Breuiarium*, qui vltra præſcriptos ſiue ab Eccleſia, ſiue à propria regula fines, excurrere adamarunt, & longitudine nimia precationis, obruerunt intellectum, & exhauſerunt ſpiritum, vt loquitur de hoc querelam miſcens Gul. Abbas S. Theodorici Epiſtol. ad Fratres de monte Dei. Sed longè acriùs ac pleniùs Petrus Bleſ. Epiſt. 86. agens contra Alexandrum Cartuſienſem, qui vacillabat in propoſito quærens alibi prolixiorem pſalmodiam. [Quid quæſo (inquit) dulcedinis aut deuotionis inuenies, apud eos quibus verſa eſt in nauſeam numeroſa atque confuſa iteratio & farſura pſalmorum? Paulus dicit, *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Si pſallentibus non adſit deuotio, licet eundem pſalmum millies repetant, non eſt hic pſalmus iucunda decoráque laudatio. Doctrina Salomonis eſt; *Fili, ne iteres verbum*

Sectio I. Breuitas in diuinis.

in ore. Cùmque alibi dicat; *Omnis labor hominis in ore ipſius*, vereor ne hoc eis nimis periculosè aptetur; *labor labiorum ipſorum, operiet eos.* Et quanquam Epiſt.97.expoſtulante de hoc, Abbate de Eueſham, vt cumque temperarit hanc punctionem; tamen perſtare videtur aculeus? quia ait, pſalmodiæ prolixitatem tum demum eſſe optimam, ſi ex deuotione procedat. At quàm difficile eſt, in magna prolixitate vigere deuotionem? Eandem ob cauſam, quod ægerrime ſaluus ſit in longa oratione vigor affectus, conclamat in prolixam pſalmodiam Humbertus in prologo Operis de erudit. religios. necnon Petrus Cantor in Opere de Verbo Abbreuiato cap.7.& c.26.& Turrecr.ad c.48.Regulæ S.Bened.carpens eos qui ex ſuo capite, in monaſteriis diuinum Officium adeò protendebant, vt ferè totum diem in pſalmodia inſumerent, quos facere viuarium ſine aqua, vbi piſces myſtici moriantur in ſiti, iuxta Iſaiam cap.50. aiebat loco annotato Humbertus; dolens abiectum eſſe S.Benedicti Canonem, additis laciniis longis, quibus officium diuinum profunderetur ſupra conuenientem menſuram. Similis eſt querela Guidonis Iuuenalis in vind. reform. Monaſt. l.3.c.7. & Ioannis Mauburi in inuitatorio ad exerc.piet. coroll.10. ſed & longè ante Sanctum Benedictum Caſſianus ex Angeli monito ad Monachos Ægyptios, non adeò longum diuinæ pſalmodiæ penſum protraxit l.2. de inſtit.cap.5. & 11. Habetúrque idem ab Angelo documentum in vita S Pachomij c.22. Quid ergo illis feciſſet, qui ad officium Canonicum iam ſatis prolixum, addiderunt officium de B. Maria, & officium de Cruce, & de S.Trinitate, & de omnibus Sanctis, & his aliiſque huiuſmodi oneribus propè importabilibus, non tam grauarunt, quàm oppreſſerunt pietatem miſerorum Cœnobitarum? Scio Petrum Damiani l.6.Epiſt.5. inde commendare Cluniacenſes, quod totum diem in pſalmodia inſumerent, vix vt per dimidiam quotidie horæ partem feriarentur. Qui ſtatus ſi humana fragilitas pateretur, eſſet omni ſtudio optandus. Sed vigorem animi in tam diuturna corporis fatigatione præſtare, imbecillitatis noſtræ modulum ſuperat.

Oratio.

Pro effato igitur habetur, ſiue de mentali, ſiue de vocali oratione agatur, *breuis oratio penetrat cælos*, longè expeditiùs quàm laciniosa & longa, idque ipſe Chriſtus magiſtrorum ſapientiſſimus nos docuit, cum rogatus vt orandi modum doceret, monſtrauit non eſſe adeundum Deum agmine verborum, vt loquitur Tertullianus lib. de orat. cap.1. qui addit. [Et tamen breuitas iſta, quod ad tertium Sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis ſubſtantia, fulta eſt, quantúmque ſubſtringitur verbis, tantùm diffunditur ſenſibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt reuera in oratione, breuiarium totius Euangelij comprehendatur.] Rurſus cap.9. [Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, Euangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? Quot ſimul expunguntur officia Dei, honor in patre, fides, teſtimonium in nomine, oblatio obſequij in voluntate, commemoratio ſpei in regno, petitio vitæ in pane, exomologeſis debitorum in deprecatione, ſollicitudo tentationum in poſtulatione tutelæ? Quid mirum? Deus ſolus docere potuit vt ſe vellet orari.] Atque adeò vult orari breuiter & ſubſtrictè quoad verba.

II. *Accuratio, atque adeò prolixitas ſacramentalis confeſſionis adamanda.*

VIx poteſt fieri vt quis accuratè & exactè de peccatis confiteatur, quin longum in ea tempus conſumat. Nam ſiue apparatum ad peccatorum recenſionem apud Sacerdotem, ſpectemus ſiue actus expoſitioni peccatorum congruè ſubjungendos, non poterit non eſſe longum tempus in eâ re vniuerſâ conſumendum. Præcurrere quippè expoſitioni culparum debet expreſſio externa doloris; ad quam ritè formandam & animandam, aduocari ſolet appellatio præcipuorum cœlitum, qui vnà cum Deo violato, læſos ſe putant. Quare illis quoque dolorem ſuum conteſtatur qui ad confeſſionem ſe accingit: quam doloris conteſtationem triplici pectoris tunſione & culpæ ſuæ externâ profeſſione obſignat, quæ liquet productioni confeſſionis ſeruire. Et tamen ex vſu Eccleſiæ adhibentur, nec abſque fructu, de quo in heteroclitis pleniùs, cum de temporis auaritiâ nimium quantum parcâ, vel etiam ſordidâ, quam prodidit Ioannes Sanches d.t. ſelecta n.24. volens recidi confeſſionem generalem, nec pœnitentem (etiam cũ deeſt confluxus populi confeſſionem obeuntis) dicere aliud, quàm *peccaui*, idque ſemel tantùm. Ea tanta temporis parcitas cum ſenſu Eccleſiæ, & vſu piorum non conſentit. Nec probanda eſt acciſio illa confeſſionis quæ mollitionem animi, per eam externam mœſtitiæ pœnitentis expreſſionem excludit. Similiter vſus piorum prolixitatem confeſſionis infert in recenſione peccatorum. Diligentes enim ſalutis ſuæ ac perfectionis ſuæ curatores, exactè atque adeò non abſque longi temporis impendio, enumerant peccata, etiam exigua. Nam præ vberi luce quâ cœlitùs colluſtrantur, deprehendunt, vel feſtucas & minutias culparum. Et cum non ignorent, Deum quocumque etiamſi leuiculo peccato violari, rectè cenſent omne prorſus peccatum eſſe deteſtatione dignum, & iuſtam erubeſcentiæ ac confuſionis materiam. Itaquè omnia peccata ſua, etiamſi duntaxat leuia deponunt apud Confeſſarium, certiùs expurgari per ſubiectionem ad claues Eccleſiæ, quàm per vllum aliud medium ex iis quibus eas labeculas elui poſſe nemo diffitetur.

Hic eſt piorum vſus, etiamſi crebrò confiteantur de peccatis. Contra quàm videmus facere craſſæ (vt ſic dicam) pietatis Chriſtianos, quos ideirco mirum non eſt confeſſiones ſuas perbreui expedire. Nam duntaxat in trabes peccatorum proferendas ſunt intenti. Tanta verò offunduntur conſcientiæ caligine, vt plerumque infixi licet in limo profundi, vix agnoſcant ſe quoquomodo ſordere. Scitè de huiuſmodi hominibus Petrus Cellenſis epiſtola 100. [Ineptiſſima planè excuſatio quorumdam, qui cum monentur ad confeſſionem, dicunt ſe nihil habere

quod

quod in confeſſione referant. Reuera, tales, copia inopes facit, vel ſolis claritas eos excæcauit.] Quis miretur huiuſmodi pœnitentes celeriùs abſcedere à ſacro tribunali, quàm viros pios vix ante octiduum magna accuratione confeſſos? Habet igitur laudem ſuam longa de peccatis confeſſio.

§. 2. *Longa ſacramentalis confeſſio vltra quàm Sacramenti ſubſtantia poſtulat, improbanda; breuis, laudanda.*

MVliebre vitium eſt, confeſſionem de peccatis longam & prolixam meditatò inſtituere, ſiue per actuum qui expoſitioni culparum præmittuntur longos anfractus: ſiue per expreſſionem multarum rerum ſuperfluarum, inter ſubijciendam clauibus materiam; ſiue per appendices inutiles, ſubjunctas depoſitioni peccatorum apud Sacerdotem.

Ex primo capite labuntur, & longam ac lacinioſam confeſſionem neceſſariò inſtituunt qui vulgatis quibuſdam confeſſionum paradigmatis ſatis clioſè conſcriptis, & ad imperitiorum ſubſidium in ſpeciem contextis, peccata aperiunt in ſacro tribunali: præmittunt enim longas præfationes quibus ſe vituperent, peccata verò ſua atrocitatis inſimulent. Ex quâ formulâ primam (vt ſic dicam) confeſſionis aciem adornant, quæcumque demum ſint peccata enarranda & ſubijcienda clauibus: quamuis plerumque poſt eam parturitionem montium ridiculus mus enaſcatur, & Confeſſarius inexpertus qui ad atrocia quædam & inſolita ſe comparabat, nonniſi minoralia peccatorum, vel admodum vulgaria excipiat, quibus adeò ampulloſa & pompatica prolufio non congrueret. In pleriſque quorum peccata verè ſunt inſolita, & grauia ſupra communem modum; is apparatus, lenocinatur erubeſcentiæ, non exiguo pœnitentis damno, qui vtilius ſuffunderetur confuſione adducente gloriam, ſi reciſis longis prologorum veſtibulis, rectâ veniret ad peccatorum expoſitionem. Hæc & ſimilia artificia ad minuendum pudorem, annotauit S. Bonauentura opuſculo de modo confitendi, quod eſt 64. inter opuſcula S. Thomæ. [Non debent (inquit) dici verba pallientia, aut cooperientia, vel minuentia peccatum, ſicut faciunt multi, magnas phylacterias, & hiſtorias longas dicentes antequam peccatum expliceut, & ſic per illas oſtendant, ſe minùs culpabiles de peccato, quod quidem peccatum in fine verborum illorum ſuperfluorum excludunt.] Sunt qui priuſquam vllum ſigillatim peccatum exponant, conteſtentur ſe plurima, & omnino grauia perpetraſſe, quâcumque viâ & modo peccandi, ſcilicet videndo, audiendo, olfaciendo, guſtando, tangendo, loquendo, incedendo, contra Dei & Eccleſiæ præcepta, ac contra conſilia Euangelica: quam confeſſionis præfationem à quâdam Nonnâ cuius ipſemet confeſſionem excipiebat, fuiſſe præmiſſam ſcribit Nauarrus ad cap. *quem pœnitet* de pœnit. diſt. 1. num. 10. Has ineptias qui reciderit, næ ille non parùm decurtandæ confeſſioni conſulet.

Iam in expreſſione materiæ clauibus ſubijciendæ, multi perperam prolixitatem affectant, meritò improbandam. Eiuſmodi ſunt quos in heteroclitis ſpiritualibus fusè exagitare memini, ea in confeſſione aperientes quæ labe vacant; cum tamen Confeſſio Sacramentalis, nec poſſit, nec debeat niſi de peccatis inſtitui. Ineptiſſimè item alij de familiæ negotijs ſermones ferunt. Sunt qui aliena peccata, viri vxorum, vxores maritorum, vtrique liberorum atque famulorum vel ancillarum, ſigillatim recenſent, ſiue ex loquacitate, ſiue ad aliquod tegmen culpis ſuis aliorum occaſione admiſſis obducendum: vt Adæ imitatione noxam transferant in mulierem ſibi à Deo datam, aut in ſeruitia veluti ſerpentem implanantem. Hinc verò quanta in confeſſionem diffuſio, ex inutili & vitioſâ verborum profuſione? Non deſunt qui prolixitati confeſſionis ſeruiant, ex hoc capite, adjuncta ad quoduis ſingulare peccatum quod aperiunt expreſſione ſui de eo doloris, ac veniæ petitione; necnon mulctæ condignæ poſtulatione renouata ad expoſitionem cuiuſcunque peccati, quæ eſt fatua prolixitatis affectatio jure reſecanda. [Bonum eſt (inquit Gerſo 2. p. tract. de cognitione peccator. conſider. 19.) breuem facere confeſſionem, ſine faciendo longum proceſſum, & ſine dicendo longam quaſi fabulam: Sufficit quod Confeſſor ſufficienter intelligat, hoc quod confitens facit, & quod omittatur id quod ad grauitatem peccati non pertinet. Et ſpecialiter hi qui ſæpè confitentur, aduiſare debent hoc de quo habent ſpecialiter conſcientiam, & hoc ipſum dicere, & reſiduum in generali & breuiter, niſi fortè aliter fieret ad habendum conſilium aut conſolationem.] Sed tunc quoquè moderatio adhibenda eſt; & quæ ad iudicium tribunalis interni non pertinent ſunt reſecanda, omnéſque phaleræ, ſiue quoad materiam remotam, ſiue quoad proximam, amandandæ. *Sectio 1° Breuitas in diuinis. Cōfeſſio.*

Ad extremum ſunt qui poſt enumerata diſtinctè quædam peccata, confeſſionem claudunt longo verborum ductu, quo conteſtantur dolere ſe admodum de omnibus vniuersè & ſigillatim quæ peccauerint, commiſſione, omiſſione, cogitatione, verbo, & opere, per quinque ſenſus externos, viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum, per imaginationem & quoſcumque ſenſus internos; conſilio item, approbatione, applauſu, ſuggeſtione, cooperatione, conſenſu; quæ obliti ſint aut minus perfectè expreſſerint, à die ſuſcepti baptiſmatis, vſque in hanc horam: conteſtantur ea omnia magno abs ſe dolore retractari, & de dolore non vtique adeò exquiſito ac pleno valdè dolere, de omnibus ſe accuſare in præſentia, & abſolutionem humillimè expoſcere, ne de eis accuſari à Satana poſſint in die Iudicij. Quæ verborum ſeries mirum quantum confeſſionem producat, inutiliter prorſus & otiosè, imò cum graui damno; nam deteritur tempus, merx vtique pretioſiſſima, & aſtātibus qui præſtolantur vt & ipſi confeſſionem obeant, creatur faſtidium. Quæ interdum impendent improuidis ex prolixitate confeſſionum ſexus mollioris per illecebroſos affatus, iuſtò diffuſiùs productos, preſſa malo ne rariſſimos atque vtinam prorſus nullos euentus pro communibus prolixarum confeſſionum incōmmodis habere videar. Satis de remoris confeſſionis per pœnitentes prudenter reſecandis.

Sectio I. Breuitas in diuinis. Nec Confeſſariorum culpa in confeſſionum diffuſione ſemper deeſt. Nonnulli ſuperuacuè (plerumque etiam indignè) de quibuſdam ad cõfeſſionis ſubſtantiam non pertinentibus, ſciſcitantur. Cõfeſſio. Alij imprudentes permittunt pœnitentes ſuffarcinare confeſſiones recenſione peccatorum alienorum, cum nulla vrget ad eorum expoſitionem neceſſitas. Sunt qui refricant anteriora, & de iis doceri volunt, quæ ſtatus præſens pœnitentis non poſtulat aperiri. Dedidicere ij omnea nihil quod ad præſentem pœnitentis ſtatum dignoſcendum non ſpectet, vel à pœnitentis conditione extraneum ſit, exquirendum à Confeſſario eſſe: & in iis ipſis quæ ratio iudicij Sacramentalis ex ipſis poſtulat, nihil eſſe veſtigandum, præter numerum ac ſpeciem, aut ad ſummum circumſtantias notabiliter aggrauantes, vt fert probabilis grauium doctorum ſententia. Id ſi attenderent Confeſſarij inſigniter promouerent negotium breuitatis in ſacris confeſſionibus. Fruſtra alij prolongant confeſſionem præ ſe ferendo inter abſoluendum Pontificiam auctoritatem, grandium verborum ampullas adhibentes. Alij pleriſque inutilibus abſolutionem onerant, cuiuſmodi non pauca obſeruauit Gerſo 2. p. opuſculo de abſolutione Sacramentali. Et benè etiam in reſponſo ad Vicarium domus Cartuſiæ circa ſtatutum de confeſſionibus in eodem ordine. Præfatus enim hanc eſſe idoneam abſoluendi formam: *Ego te abſoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; ſubiungit. [Quæ forma ſufficiens eſt, & ſecura, cum intentione debitâ Confeſſoris ad abſolutionem de peccatis, imò & excommunicationibus in foro conſcientiæ. Nec oportet, imò ſæpè non expedit, multiplicare ſermonem abſolutionis. vt dicendo. Si, & in quantum poſſum; & dicendo de contritis peccatis & oblitis, & de tali vel tali excommunicatione; ſi, & in quantum indiges; cum ſimilibus quæ addita plus officiunt ſæpè, vel perturbant, quàm proficiant vel ſerenent. Super hoc notetur hæc doctrina. Abſolutio Sacramentalis poteſt delere peccata quæ nondum erant contrita, ſed ſolummodò attrita. Rurſus oblita peccata non delentur virtute abſolutionis Sacramentalis, quin homo poſtmodum teneatur illa confiteri dum redeunt ad memoriam; ſed ſi non redeunt, nihilominus homo ſaluabitur ſi fecerit ſufficientem diligentiam recordandi, cùm Deus non obliget ad impoſſibile. Eſt igitur additio fruſtra, cum dicitur, *de oblitis*. Similiter cum dicitur *de contritis* poteſt eſſe noxia. Similiter & malè exprimitur, *ſi, & in quantum poſſum, & debeo*. Sufficit enim quòd intentio ſit benè regulata.]

Penè exciderat caput vnum diffundendi nimium confeſſiones ex parte miniſtri; nempe indiſcriminatim plenam concionem habentis ad molliendum pœnitentem, etiamſi plerumque huiuſmodi peccata ſint expoſita, & ea ſit conditio perſonæ quæ expoſuit, vt vix ſit neceſſaria adhortatio ad excitandum in ea dolorem, & fruſtra adhibeantur monita & instructiones ad progreſſum in virtute, cauendúmque relapſum. Quamuis enim ſapienter confeſſarius cũ res fert, & doctrinam pœnitenti impertit, & minas diuinorum iudiciorum oſtentat, & peccatorum fœditatem demonſtrat: tamen contra prudentiæ leges, & cum diſpendio debitæ breuitatis, hæc omnia vbiuis adhiberentur. Habétque hîc locum quod S. Gregorius vniuersè dixit 17. moral. c. 12. de diſpenſatione Sacræ doctrinæ quam ad modum nubium oportet guttatim ſtillare, non autem erumpere pariter deorſum, id eſt indiſcriminatim, & ſine adiunctorum prudenti delectu fundi.

In ſumma & ex parte miniſtri: & ex parte pœnitentis, recidendæ ſunt ſuperfluitates, & breuitati conſulendum, quantum per Sacramenti ſubſtantiam licet. Et ſine dubio ſi confeſſio omnibus illis ſuffarcinationibus exoneretur, non poterit longa eſſe. Quòd verò prolixitati obtendebatur accuratio, quaſi hæc cum breuitate non cohæreat, fruſtrà obtenditur. Nihil enim vetat ſalua diligentia & accuratione conuenienti, breuiter & compendioſè ſanctum hoc opus perficere. Obſeruatione verò digniſſimum eſt quod de nimia illa anxietate & accuratione traditum eſt à Gerſone in prædicto reſponſo ad Vicarium domus Cartuſiæ *in ipſo fine*, monſtrando nimiam illam ſollicitudinem, in conſcientiæ veprerum verti. [Nota (inquit) quod nullus tenetur confiteri peccata venialia lege diuina, niſi ſit ad hoc ſpecialiter obligatus per votum, vel particulare ſtatutum, quale non debet leuiter dari. Et quandoque magis expediret ceſſare à confeſſione talium, quàm nimiam incurrere ſollicitudinem, quæ plus impediret aliquando, quàm fructus confeſſionis iuuaret. Alioquin, etiam confeſſione facta oporteret ſæpè iterum confiteri, & ſic deinceps ſine termino: attento quod vix facimus aliquid, vbi non poſſimus rationabiliter formidare de peccato veniali.] Itaquè breuis confeſſio Sacramentalis, longæ ac prolixæ anteponitur, ſalua Sacramenti ſubſtantia.

V. Non quantulacumque ac vel breuiſſima moræ pœnitentia ad peccati expiationem eſt accommodata, ſed aliqua eius longitudo & continuatio deposcitur.

AD veram contritionem, peccatorum abſterſiuam, non ſufficere momentaneam exiſtentiam, ſed exigi aliquam eius longitudinem, ſiue continuationem, grauium Doctorum fuit ſententia. Ita Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. quem latè ibi propugnat Almaïnus; & conſentit ex parte Caietanus tom. 1. opuſculo 4. quæſt. 1. Argumentum quo ea ſententia ſtabilitur, ductum ex anteceſſione diſpoſitionis ad formam, atque adeò pœnitentiæ actualis ſiue contritionis ad gratiam, friuolum eſt. Neque enim eſt neceſſarium, diſpoſitionem præire formæ niſi natura; proindéque poſſunt ſimul eſſe in eodem momento, excluſa omni duratione. Validius eſt argumentum quod ducitur ex difficultate emergendi è cœno peccati præſertim inoliti, & cuius nexus diuturnitate temporis ſint firmati. Luctandum enim eſt ex neceſſitate aliquandiu, cum limoſâ illâ & tenaci catenâ. In eâ autem luctatione non poteſt non conſumi tempus; ac proinde longitudo interuenit. Idque expreſſum luculento exemplo habemus in S. Auguſtino 8. confeſſ. à cap. 5. pugnas ſuas, & colluctationes cum anteriore vſu, graphicè deſcribente. Accedit ratiocinatio Caietani loco allegato. Nam ſi eſſet infallibile, Deum

ad

ad peccati deterſionem admittere quantumuis breuem pœnitentiæ actum, nihil vetaret homines de ſuâ ſanctitate certos effici, ſicut poſſunt certi eſſe de ſuâ contritione momentaneâ. Nemo igitur lenocinetur ignauiæ eorum qui ſe peccatis contaminarunt, admittens ſufficere illis pœnitentiam perbreuem, ac vel ſi momentaneam ſtatuatur. Sed diſcant peccatores, rubiginem contractam & ſordes quas ſibi illiuerunt, defricandas eſſe multo labore, nec tempore prorſus exiguo.

§ 2. *Pœnitentia vera non eſt ad longitudinem vel durationem admetienda, ſed vno momento poteſt perfici.*

ITa ſignificat Scriptura cùm aliis locis, tum Ezech. 33. cum ait: *in quacumque hora ingemuerit peccator*, quod de quocumque articulo etiamſi punctuali accipiendum eſt. Ridiculè enim Almainus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. tricando pro Scoto *horam* eò loco Ezechielis commemoratam, tentat trahere ad patrocinium neceſſariæ ad pœnitentiam durationis; qui multò magis locum illum arripuiſſet in cauſam Scoti ac ſuam, ſi perpendiſſet, apud Ezechielem haberi in *quacumque die*, quo pacto eum locum allegat ſanctus Gregorius epiſtolâ ad Secundinum Incluſum. At ſenſus Prophetæ, iuxta Patrum interpretationem maniſeſtè fert, quandocumque contigerit peccatorem reſipiſcere, & idoneum de peccato dolorem concipere, omnia eius peccata fore abſtergenda. Et ratio eſt perſpicua, quia Deus in negotio reſipiſcentiæ peccatoris, præcisè attendit plenum eius receſſum à peccato, & regreſſum ad bonum malè abiectum. Is autem receſſus, & regreſſus poteſt in momento perfici, cum ſit actus voluntatis, quam nihil vetat operari in momento. Igitur pœnitentia nullatenus longa, quippè momentanea & durationis expers, ſufficit ad conciliandum cum Deo peccatorem.

Diſertè id tradunt benè multi Patres, producti in tractatu de S. Latrone cap. vltimo, §. 11. præſertim S. Cyprianus, ſub finem libri de lapſis, S. Chryſoſtomus epiſtolâ 5. quæ eſt ad Theodorum, Pacianus epiſtolâ 1. ad Sympron. S. Leo epiſtolâ 91. Cœleſtinus 1. epiſt. ad Epiſcop. Galliæ cap. 2. & creditus Auguſtinus lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 17. Subſcribunt Scholaſtici, vt S. Thomas 3. p. q. 89. art. 2. & 1. 2. quæſt. 113. art. 5. & 7. Gabriel in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. Ioannes Medina Cod. de pœnitentia tract. 1. q. 5. *ſub finem*. Vega lib. 13. in Conc. cap 23. Suares tom. 4. 3. part. diſt. 4. ſect. 5. & paſſim alij, rectè ſtatuentes, nullam breuitatem poſſe veritatem pœnitentiæ oblædere. Et ſanè vbi lex diuina non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Scriptura autem quæ eſt fida diuinæ legis, & voluntatis internuncia, cuicumque veræ pœnitentiæ, tametſi non prolixæ, ſed perbreui ant etiam momentaneæ, tribuit prærogatiuam conciliandi peccatorem Deo, eúmque de lacu miſeriæ & luto fæcis extrahendi. Vt quid igitur vbi Dominus adeò benignè, & clementer ſe gerit, tricantur famuli, & longas moras ad conciliationem peccatoris per pœnitentiam interponi debere contendunt? Quantas maculas contraxerat S. Latro, cuius vita vniuerſa ad Crucem vſque, horrendis ſceleribus ſorduerat? Omnes tamen eius noxas, perbreuis pœnitentia prorſus abſterſit. Et ex eo didicimus, meliorem eſſe viri iniquitatem, quàm mulierem ſemper benefacientem. Meliorem (inquam) eſſe præferuidam, breuem, licet, & multa ac longa peccata ſubſequentem pœnitentiam, cuiuſmodi S. Latronis fuit, quàm longam, ſed mollem & effœminatam, aliquorum qui leuiora peccarint, reſipiſcentiam & ſatisfactionem. Luculenter S. Auitus epiſt. 4. refellens Fauſtum Rhegienſem, qui interrogatus à Paulino Euchariſtiæ auctore, an pœnitentia ſubita, id eſt breuiſſima, qualem peragunt quos in extremis iam conſtitutos pœnitet, eſſet idonea & fructuoſa, reſponderat inutilem eſſe. Ait ergo è contrario S. Auitus, reſcribens Gundebaldo Regi, de ea reſponſione interroganti. [Pœnitentiam quam propè momentaneam nominaſtis, id eſt, in ægritudine quaſi ſub momento mortis acceptá, nihil aut nulli prodeſſe, aduerſa veritati & admodum cruda definitio eſt. Apud diuinā quippe miſericordiā, vel ipſa humilitas confitentis, dici non debet fructu carere; quia cum legimus quod qualitate vitæ anterioris abolitâ, quia plerumque contingit & peccare iuſtos, & reſipiſcere peccatores, in ea quis via iudicetur qua obitus ſui tempore fuerit deprehenſus, incunctanter credenda eſt, vel ipſa correctionis voluntas placere ſi vera ſit. Sed totum apud cœleſtem clementiam, fidei qualitate penſatur. Vnde & inter illos operarios quos in Euangelio legitis eſſe conductos pro deuotionis ardore, mercedem prioribus exæquatam, etiam qui tardiùs venerant, ſortiuntur. Sicut & Niniuitarum breuiſſima pœnitudo, omnem indulgentiæ ſummam, triduo feruente mercata, gladium peccatricis vrbis ceruicibus imminentem, quem iam ictui deſtinato, per manum Ionæ prophetæ dies ſtatuta vibrauerat, repagulo conſummatæ ſatisfactionis obtudit. Contradicant autem exemplis huiuſmodi quos veriùs reddit apperita ſuperbia turgidos, quàm conſcientia illibata ſecuros.] Nouatianiſmi (quæ hæreſis ſæpè ſuperbiæ arguitur à Patribus) eam inutilitatem breuis pœnitentiæ, damnat Autor operis de Eccleſ. dogmat. cap. 48. Itaque mens Patrum pro pœnitentiæ, quantumuis breuiſſimæ comprobatione, eſt explorata. Ratum igitur eſto, nihil pœnitentiæ ex ſolâ breuitate decedere.

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Pœnitentia.

IV. *Pœnitentia in longum tempus, & vel ad ipſas vſque lethi & Erebi fauces dilata, perperam vocatur in ſuſpicionem, cùm ſit optima & accepta Deo, in cuius trutina pœnitentia æſtimatur potiùs voluntate quàm tempore.*

NOuato tribuit Autor lib. de oper. Chriſti Card. ſerm. de Cœnâ Domini, quod nimis ſera pœnitentia ſit irrita; ſic enim aduerſus eum diſputat. [In eodem articulo temporis cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit; pœnitentiam, clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur; nec ſerum eſt quod verum, nec irremiſſibile quod voluntarium, & quæcumque neceſſitas cogat ad

pœnite

Sectio I. Breuitas in diuinis.

Pœnitentia.

pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſinus ſui, mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes. Et velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipſe Dominus noſter, derelictorum perſonam gerens, in cruce ſe queritur derelictum, & ne deſperarent etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adjutorium illicò adeſt; & te in arcto poſitâ non differt beneficium, ſed repentè indulgentiæ celeris documentum, eiſdem ſtatuit & exemplum, Latroni inquiens: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium; ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas Religionem, crudelitas induit pietatem; & ſtatim conſummatus ciuis Sanctorum & domeſticus Dei, præmiſſus eſt in regnum reconciliationis humanæ, priuilegium ſecum ferens ad ſuperos; quod Deo Patri, tantæ legationis fungens honore, in ſeipſo ſcripturæ huius experimentum continens libero & ſecuro aditu penetrans præſentauit.]

Non inuenio ego quidem alibi apud Antiquos vbi Nouatus præ dilatione pœnitentiæ in longum tempus, (V. G. in extremam vſque vitam) cœlum occluſerit peccatoribus. Omnes enim duntaxat in Nouato, ac etiam in Nouatiano cui Nouatus factus eſt vnguis in vlcere, reprehenderunt; quod poteſtatem Eccleſiæ eriperet, culpas renatorum (ſaltem aliquas) condonandi per claues à Chriſto conceſſas, vt habetur ex S. Ambroſio l. 1. de pœnit. cap. 2. & Paciano epiſtola 1. & 3. tribuentes Nouatianis renouationem hæreſis Montani de grauibus quibuſdam noxis per Eccleſiam non condonabilibus. Itémque ex Chryſoſtomo in cap. 10. ad Hebr. ac Socrate l. 4. hiſt. cap. 23. cui vtpote Nouatiano, (quod benè monſtrat Iacobus Billius l. 1. obſeru. Sacr. cap. 26.) in patroni ſui cauſa, fidendum videtur. Nihilominus potuit Nouatus variis temporibus varia effutire pro more hæreticorum; interque ea in quibus aſſerendis non perſtitit, illud eſſe potuit quòd ei impactum à credito Cypriano vidimus, de ſeræ pœnitentiæ inutilitate: quo ex capite æquè ac ex aliis illi attributis, Nouatus *crudelitatis & feritatis planè belluinæ* jure notandus eſt cum Theodoreto l. 5. Diuin. decret. cap. de pœnitentia. Quid enim feralius, quàm cœlum occludere verè ad cor reuertentibus, quod Deus ſemper illis patere voluit, quantumuis ſerò ſapiant, ac in extremis duntaxat? Num boni Latronis ignota erat pœnitentia, adeò ſera, vt in ipſo quoque patibulo, iam confixus blaſphemaret? Et tamen maxilla Leuiathan perforata eſt, & iam penè commolitum, ſtatímque glutiendum, Deus de ore eius extraxit, & perſanauit vt concinnè de ea maxillæ Leuiathan perforatione philoſophatur S. Gregorius 33. moral. cap. 14. Optimè ex Latronis exemplo, in hanc rem philoſophati ſunt varij Patres quos adduxi in tractatu de bono Latrone cap. vltimo §. 10. Et addendus eſt Fulgentius epiſtola 7. & Gennadius de Eccleſ. dogm. cap. 80. & locus luculentus ex cap. 27. Concilij Moguntini, Præſide Rabano; vbi quæſtionem an patibularij ſint juuandi poſt mortem, Eccleſiæ ſuffragiis, cum tamdiu diſtulerint pœnitentiam, eámque perbreuem exegerint; reſpondetur, omnino eſſe juuandos, quod confirmatur nonnullis ſcripturis, tum ſubditur. [Salutem ergo homini adimit quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegat; & deſperat de clementia Dei qui eam ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet Latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non juuiſſet. Cum eſſet in pœnâ pœnituit, & per vnius ſermonis profeſſionem habitaculum paradiſi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda quàm tempore, Propheta hoc taliter aſſerente, *cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.*]

Viderint ergo qui aduerſus longam pœnitentiæ dilationem tantopere conclamant, & D. Auguſtini ſuffragio ſuum ſenſum communiri contendunt, quatenus moribundi pœnitentiæ timet ne & ipſa moriatur; Viderint (inquam) ne conſentaneè Nouato loquantur, & conuerſiones Deo acceptas, ac in ſcripturis verbo & factis probatas, habeant pro reprobatis. Nec eos reuera regit dubietas S. Auguſtini homil. 41. ex 50. cum ait. [Si quis poſitus in vltimâ neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur; & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non præſumimus, quia benè hinc exit. Non præſumo (non vos fallo) non præſumo. Fidelis bene viuens, ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus, cum ſanus ent, & poſtea benè viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum, & do ſecuritatem: vnde non ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum.] Nego hunc D. Auguſtini locum eſſe poſſe aduerſariis pro vmbone. Nam Diuus Auguſtinus nunquam cogitauit de depreciandâ verâ pœnitentia, quantumuis ſerâ & in extremis conceptâ. Sed tantùm timuit, ne pœnitentia, in extremo quaſi margine vitæ concepta, vera non eſſet; quippè potiùs concepta ex timore ſeruili, & non caſto metu, voluntate tenaciter inhæſurâ prauis deſideriis, niſi impendens obitus coërceret.

Et eodem modo molliendum eſt, quod habet Saluianus contra ſeram in extremâ vitâ conuerſionem l. 1. ad Eccleſ. in f. Nam eum quem diuo Auguſtino dedi ſenſum, apertè ferunt illa ibi à Saluiano propoſita vt inducat ad non conſeneſcendum in vitiis. [Peccare non deſinit, quem in extremis ſitum, recedere à criminibus, ſola tantùm facit impoſſibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actibus, tantùm morte diſcedit, non relinquit ſcelera. ſed relinquitur à ſceleribus. Ac per hoc, neceſſitate ſecluſus à vitiis, etiam tunc puto, peccat, quando ceſſauerit, quia quantum ad animum, necdum deſiit, qui adhuc velit peccare, ſi poſſit.] Liquet hunc Saluiani locum, vniuerſæ eius diſputationi contra ſeram pœnitentiam, facere medelam, ita vt eius ſenſus tantùm ſit, ſeram pœnitentiam ex timore ſeruiliter ſeruili conceptam, non eſſe fructuoſam. Et ſimiliter accipiendum eſt quod ait Nicephorus Cartophilax ad Theodoſium Monachum de ratione

ligandi

ligandi atque ſoluendi. [Tempus etſi longum ſit, non tamen amplius eſt quàm correctio requirit, fortè nihil omnino commodi correpto afferet.] Quamquam non eſt Nicephorus iſte tanti, quin eius autoritas, ſi commodam interpretationem non admitteret, euerti facilè poſſet, quod æquè dico de Mariano Victorio, duriùs ſtatuente de pœnitentiâ in extremis conceptâ lib. de Sacram. Confeſſ. cap. 8.

§ 2. *Fatuum planè & perniciosum eſt, pœnitentiam vltrò differre in longum tempus, præſertim verò ad vitæ metam.*

MVltos iuxta S. Auguſtinum tract. 33. in Ioann. occidit ſpes ; & multùm ſperantes de miſericordiâ, incidunt in judicium, propter quos ſpe periclitantes & illuſos dilationibus, idem S. Pater ait, diem mortis factum eſſe incertum, & dici ad eos ſingillatim Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Cenſeo hanc eſſe fatuitatem perniciosam. Quid enim fatuum magis, quàm in tanto vitæ incerto, ſpondere ſibi poſt peccatum ſecuritatem, procraſtinando ? Num ſi quis lethaliter transfixus, aut lue contactus differret adhibere remedium, & in tanto ſalutis diſcrimine moras necteret, haberetur compos ſanitatis mentis, atque iudicij ? At longè majus eſt diſcrimen æternæ ſalutis in quo verſatur qui vel vno mortali peccato ſe ſauciauit. Eſt igitur inſignis fatuitas eius ſi comperendinet, & jactet quod illi Ezechielis 12. V. 22. *in longum differentur dies.* Quibus Deus è contrario conteſtatur, quod appropinquauerint dies, & verbum ſuum non ſit amplius prolongandum.

Inſignis eſt aduersùs hoc damnoſiſſimum delirium, S. Auguſtini diſputatio ſerm. 102. de tempore. Extollit ibi ante omnia, Dei miſericordiam, expectantis tanto tempore peccatorem : quod ait, à Deo non per negligentiam, ſed per patientiam ac miſericordiam præſtari. Tum infert. [Conuertamur ergo fratres chariſſimi, nec emendationem noſtram ad extremum vitæ noſtræ tempus differre velimus : ſed audiamus Prophetam dicentem : *Nolite tardè conuerti ad Dominum, nec differatis de die in diem, quia neſcitis, quæ ſuperuentura pariat dies. O homo quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus vltimum diem.*] Et mox. [Et quia calidis vulneribus ſolent medicamenta celeriùs ſubuenire, quotieſcumque peccauerimus non expectemus mortiferâ ſecuritate vulnera ipſa putreſcere. Nec iterum vulnera vulneribus augeamus, ſed continuò ad ſpiritalem medicum recurrentes ſalutem recipere feſtinemus. Et ideo quomodo, quando in corpore vulnus accipimus, ſi ſtatim medicamenta requirimus citò ſanitatem recipere poterimus : ita ſi moram fecerit neceſſe eſt, vt tardiùs ad ſanitatem plaga ipſa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore noſtro remaneat. Si hæc in corpore facimus, quantò magis in animæ vulneribus adhibere debemus, vbi ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſumus ? Si tantam curam impendimus corpori, quod velimus nolimus in puluerem redigendum eſt, quantam ſollicitudinem & curam erga ſalutem animæ debemus apponere ; vt ſicut dicit Apoſtolus : *Sine macula vel ruga mereamur ante tribunal Iudicis æterni apparere ?* Quia verò poſtquam Iudici oblati fuerimus, & ſententiam condignam, è quâ æternitas pendet, exceperimus, non dabitur ab ea prouocatio vel effugium ; nihil autem frequentius, quàm vt nec opinantes, in dies ſingulos ad eam ſententiæ exceptionem abripi contingat ; idcirco ſerm. 164. de temp. grauiter conclamat in vocem communem *cras, cras*, à quâ admonet timendam ruinam. *Sectio 1. Breuitas in diuinis* *Pœnitentia.*

Inſtituit idem Sanctus Auguſtinus ſerm. 59. de Verb. Dom. cap. 9. aliam egregiam diſputationem aduersùs hanc (vt vocat) peruerſam ſpem, quæ non minùs quàm deſperatio multorum ſalutem euertit. De illis ergo quos deſperatio non frangit, ita diſſerit. [Sed de iis timendum eſt ne in aliam voraginem incurrant, & peruersè ſperando moriantur, qui deſperando mori non potuerunt. Mutant enim cogitationes longè quidem diuerſas, ſed tamen pernicioſas : & rurſus incipiunt dicere in cordibus ſuis : ſi quacumque die conuerſus fuero à viâ peſſimâ, Deus miſericors, ſicut veraciter per Prophetam promiſit, omnes iniquitates meas obliuiſcetur ; quare hodie cõuertar & non cras ? Quare hodie, & non cras ? Eat hodiernus dies ſicut heſternus ; ſic in nequiſſimâ voluptate ; ſic in flagitiorum gurgite, voluetur in mortiferâ delectatione. Cras conuertar & finis eſt. Reſpondetur tibi, cuius rei finis ? Dicis ; iniquitatum mearum. Benè, gaude, quia craſtino iniquitatum tuarum erit finis. Quid ſi ante craſtinum, tuus erit finis ? Ergo benè quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas conuerſo tibi, indulgentiam Deus promiſit. Aut ſi fortè promiſit Mathematicus, longè aliud eſt. Quàm ô Deus multos Mathematici fefellerunt, quia ſibi plerumque lucra promiſerunt, & damna inuenerunt ? Ergo etiam propter iſtos malè ſperantes procedit paterfamilias, quemadmodùm proceſſit ad illos, qui malè deſperauerunt, & perierunt deſperando, & reuocauit eos in ſpem : ſic procedit etiam ad iſtos, qui malè ſperando volunt perire, & dicit eis per alium ; *Ne tardes conuerti ad Dominum.* Quomodò illis dixerat *in quâcumque die iniquus conuerſus fuerit à viâ ſuâ peſſimâ, omnes iniquitates eius obliuiſcar*, & tulit deſperationem, quia jam dederant animas ſuas perditioni, omnimodò indulgentiam deſperantes : ſic procedit etiam ad iſtos qui ſperando & differendo volunt perire, & loquitur ad eos & increpat eos. *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Ergo noli differre, noli quod patet, contra te claudere. Ecce indulgentiæ dator, aperit tibi oſtium. Quid moraris ? Gaudere deberes, ſi aperiret aliquando pulſanti. Non pulſaſti, & aperit, & foris remanes ? Ne ergo differas. De miſericordiæ operibus quodam loco ſcriptura dicit. *Ne dixeris, vade, & reuertere, cras ego dabo ; cum poſſis continuò benefacere. Non enim ſcis quid contingat ſequenti die.* Audiſti præceptum non differendi, vt in alium ſis miſericors ; & differendo, in te es crudelis ? Non debes differre panem daturus ? & differs, indulgentiam accepturus ?

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Si miſerando alterum non differs, miſerere & animæ tuæ; placens Deo? Exhibe & animæ tuæ eleemoſynam. Non dicimus vt tu ei des, ſed ne repellas manum dantis.]

Pœnitentia.

Egregiè in eandem ſententiam diſputat, & dilationem pœnitentiæ per vocem corninam, inſonantem cras, cras, exagitat ſerm. 16. de verbis dom. & 114. de tempore cap. 4. & hom. 11. ex 50. cap. 2. & 3. ex quibus locis conſarcinatus eſt ſerm. 71. ad fratres in Eremo, quem quia multis aduerſus pigritiam concipiendæ pœnitentiæ fretus eſt rationibus prævalidis iuuat non prætermittere.] Legitur (inquit creditus Auguſtinus) in litteris diuinitùs inſpiratis dictum: *fili ne tardes conuerti ad Dominum, quia neſcis quid futura pariat dies.* Qui tardat conuerti, periculum facit animæ ſuæ, quia mors non tardat: quæ ſi tardantem conuerti inuenerit, ad tormenta deducit eum. Diſſoluta & paralytica cogitatio eſt, de craſtinâ cogitare conuerſione, & hodiernam negligere. Quid tu peccator conuerti diſſimulas, & non metuis, ne mors repentina ſubripiat diem conuerſionis? Nónne homines ſubitò moriuntur? Si bonum eſt peccata dimittere & ad Deum ſe conuertere, citò fiat. Deus promittit tibi remiſſionem, conuertendo te à peccatis! Securitatem tibi non promiſit diu viuendi. Ideo conuertat ſe vnuſquiſque citiùs ad Dominum & derelinquat impius viam ſuam. Si ſubitò intrat extremus, perit dilatio, & reſtat damnatio. Perire non vis? Redi ad Deum & viues. Noli de veniâ peccatorum, nec de vitâ longiore confidere. Conuertere ergo & pœnitentiam age. Cras (inquit) me conuertam, quare non hodiè! Quid malè dicam, ſi cras dicam? Quid malè, ſi hodie? Fortè dicis, longa erit vita mea. Dico; ſi longa erit, bona ſit; ſi breuis, & ipſa bona ſit. Prandium etſi longum non tamen vis habere malum, & vitam longam vis habere malam? Villam emis, bonam deſideras, vxorem vis ducere, bonam quæris; filios tibi naſci bonos optas. Et vt etiam de rebus viliſſimis loquar, caligas emis, & non vis malas. Quid ergo vitam amas malam? Inter omnia bona tua eris malus? *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Verba Domini ſunt & non mea, non à me hæc audiſti; ſed ego tecum audio à Domino. Fortè reſpondes, *cras, cras.* O vox cornina, coruus non rediit ad arcam, columba rediit. Si tunc vis pœnitentiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Satis alienus eſt à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectat. Metuendum eſt, ne cum ſperat miſericordiam incidat in iudicium. Non enim tunc veniam inueniet, qui modò aptum veniæ tempus perdidit. Ibi à Deo non poteſt mereri quod petit, qui hîc noluit audire quod iuſſit. Qui tempus pœnitentiæ datum negligit, fruſtrà ante tribunal Chriſti preces effundit. Feſtinare debet ad Deum conuertendo, dum poteſt vnuſquiſque, ne ſi cum poteſt noluerit, omninò cum voluerit, non poſſit.

Tam multa ex vno Auguſtino dedi contra errorem de longâ dilatione pœnitentiæ, vt cogar innumera quæ aduerſus hanc perniciosam exercitationem apud alios Patres ſuppetunt, prætermittere ex maximâ parte. Facere tamen non poſſum, quin perpaucorum ſuffragium attexam. Et imprimis Eucherij qui homil. de S. Latrone *ſub finem* ſic præter cætera hanc rem diſputat. Immittit diabolus ſecuritatem, vt inferat perditionem, nec dinumerari poſſunt, quantos hæc inanis ſpei vmbra deceperit. Deterreant quæſo vos ab hac perſuaſione innumerabiles populi, ſub tantâ ſecuritate nudi & vacui bonis, & malis pleni, ex hâc luce prærepti. Quotidie expaueſcenda tranſitus noſtri & commigrationis incerta hora, & quæ modò vel inſperata, vel ſubita ſunt, & in æternum remediis caritura. Præueniendus eſt dies, qui præuenire conſueuit, ipſe ſe inducet, & de morte ſuâ illudet. Qui hæc cogitat poteſt ei extremi temporis indulgentia ſubuenire. Non eſt hoc. Primùm quia periculoſiſſima eſt in vltimum diem promiſſa ſecuritas. Deindè ſtultiſſimum eſt, vt cauſa quæ de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile eſt apud Deum, quando homo ſub fiduciâ pœnitentiæ in ſenectutem reſeruatæ, liberiùs peccat. Credite, chariſſimi, difficilè eſt, vt callida ſimulatio, ordinandæ conſummationis obtinere digna ſit facultatem. Apud illum cordis interpretem, ars non admittitur ad ſalutem.].

Sanctus Chryſoſtomus hom. 22. in 2. Cor. *in fine*, non minùs valde vrget peccatorem procraſtinantem.] Siſte iam gradum (inquit) verte te in diuerſum. Confitere Deo gratiam, quod non in mediis peccatis te abſtulit. Ne quære aliud priuilegium, vt malè opereris. Multi cum iam aliis damnum fraudulenter facerent ſubitò perierunt, & ad manifeſtum iudicium abierunt. Time ne & tu hoc patiare inexcuſabilis. Sed multis (inquit) dedit Deus priuilegium vt in vltimâ ſenectâ confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? Fortaſsè (inquis.) Cur dicis fortaſſe? Contingit aliquoties. Cogita quod de animâ deliberas; proinde etiam de contrario cogita & dic; quid autem, ſi non det? Quid autem, ſi det, inquis? Det quidem ipſe. Veruntamen hoc illo certius & vtilius. Nam ſi iam cœperis, totum lucrifeceris, ſiue priuilegium aſſequare, ſiue non aſſequare. Si autem ſemper ceſſas, ob hoc ſæpè non accipies. Tu autem in bellum egreſſus non dicis, non eſt opus vt me præparem, fortaſſis redibo. Neque de nuptiis deliberans, dicis. Accipiam vxorem pauperem? Multi enim & ſi præter ſpem, ditati ſunt. Neque domum extruens, ſubiiciam fundamenta putria; multæ enim & ſic conſtitere domus. De anima autem agens, apprehendis magis putria dicens. Fortaſſis, & ſæpiùs euenit & contingit aliquando, téque incertis tradis! Incertum quidem eſt, inquis, ſed fido Dei miſericordiæ: miſericors enim eſt Deus. Scio & ego, ſed miſericors ille Deus, & illos de quibus dixi, hinc abſtulit. Quid autem ſi etiam multum temporis acceperis, & ſimiliter idem manſeris? Quid enim talis, etiam in ſenectâ ſegnis erit. Non, inquis, nam quæ eſt illa ratiocinatio, etiam poſt octoginta annos, nonaginta inquirere, & poſt nonaginta, centum & poſt centum negligentior eris. Sicque vita omnis fruſtra conſumeretur, & euenient etiam tibi ea quæ de Iudæis dicta ſunt quòd defecerint in vanitate dies eorum & vtinam in vanitate ſolùm & non in malitiâ.]

Sapientiſſima Saluiani diſputatio ex calce libri primi ad Eccleſiam, digniſſima eſt quæ adſcribatur.] Admoneo (inquit) cum omnes, tum

præcipuè

præcipuè eos quos grauium delictorum terror exagitat, & in quibus infelicior conſcientia, peccatorum pœnalium recordatione ſuſpirat ; primùm vt licet lapſi ſint, non commorentur in lapſu, nec in volutabris ſuis, ſordentium ſuum more verſentur, qui cum æſtuantes aluus cœno immerſerint, nequaquam ſordidis voluptatibus ſatisfaciunt, niſi tota penitus, luto membra conuoluant. Non ergo horum naturalem ſequantur illuuiem, nec malè blandis lapſibus acquieſcant, aut in barathro libidinum commorantes, in ipſis ſe ſepeliant ruinis ſuis, ſed illico vbi concidêre, conſurgant, & eleuationem protinùs meditentur in lapſu : ac ſi fieri vllo modo pernicitate pœnitudinis poteſt, tam velox ſit remedium reſurgentis, vt vix poſſit veſtigium apparere collapſi. Ergo in huiuſmodi cauſis hoc primum medelæ opus eſt, vt morbos ſuos, languentes, curare plagas feſtinent ſaucij, & illicò è corporibus ſagittas rapiant vulnerati. Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur, & citiùs ſibi plagarum cutis ſociatur, quæ non diu hiare permittitur. Vicus quippè in corpore ſi computruerit, dilatatur ; etſi plagas cancroma ſequitur, cancrum neceſſe eſt conſequatur occaſus. Fugienda itaque primùm hæc peccatoribus mala ſunt, nec dandus Diabolo locus, vt qui ſtantes impulit in ruinam, lapſus præcipitet in mortem.] Alia plura que ſubijcit in eadem ſententiam, præclarè & ſapienter.

Vrgent æquè hoc loco, omnia quæ varij Patres olim diſſeruerunt contra differentes baptiſmum. Quod enim inualuiſſet abuſio, de baptiſmo ſeriùs aut etiam in extremâ vitâ ſuſcipiendo, eo prætextu, quod per integram peccatorum abolitionem quam baptiſmus confert, exceſſuri vitâ eſſent planè puri & nitentes, vnde fiebat & multi ſubitario aliquo caſu præoccupati, abirent è vitâ inexpiati ; idcirco Patres illius æui, ſæpè concitantur aduersùs eam periculi plenam dilationem ; quæ germana planè eſt eius de quâ agimus. Vnde quæ contra illam Patres protulerunt, æquè vigent contra iſtam. Multus eſt aduersùs eam baptiſmi prorogationem S. Baſilius homil. 13. quæ eſt exhortatio ad baptiſmum, & Gregorius Nyſſenus orat. in differentes baptiſmum, per totam, necnon S. Chryſoſtomus homil. 1. in acta. *in morali adhortatione.*

Neruosè S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. *ſub medium.*] Abſurdum fuerit (inquit) cum pecunias auidè præripias, ſanitatem in longius differre atque extrahere ; cum corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reſeruare, cum ex hâc terrenâ ſeruitute in libertatem vindicari ſtudeas, ſupernæ libertatis cupiditate minimè tangi : cum ſtudium & diligentiam omnem adhibeas, vt magnificas ædes incolas, aut ſplendidas veſtes geras, nihil curæ ſuſcipere, vt ipſe ſummo pretio dignus ſis ; cum ad benè de aliis merendum promptus ſis, de te ipſo benè mereri nolle. Et quidem ſi tibi, pretio, hoc bonum comparare liceret, nullis omnino pecuniis parceres : nunc autem quia gratuita miſericordia proponitur, idcirco tibi prompta & expoſita beneficientia, & liberalitas contemptum parit. Omne tibi tempus ad ablutionem idoneum eſt : quandoquidem nullum tempus, mortis periculo vacat. Cum Paulo ad te clamo, cum magnâ

illâ quam illâ voce ; *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Quo loco particula (*Nunc*) non certum aliquod tempus, ſed tempus omne deſignat. Et rurſus, *ſurge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus* ; peccati noctem diſcutiens, quandoquidem in nocte ſpes mala vt teſtatur Eſaias ; at mane accipi conducibilius eſt. Sere cum ſerendi tempus fuerit, & fruges comporta, & horrea ſolue, cum tempus hoc poſtularit ; & tempeſtiuè planta, & vuam maturam detonde, & veris temperie fretus nauem è portu ſolue, rurſúſque ruente hyeme, marique ſæuiente fac eam in portum ſubducas. Quin tibi quoque & belli & pacis tempus ſit, & matrimonij ineundi, & à matrimonij quoque opere abſtinendi ; & amicitiæ, & diſſidij, ſiquidem ita neceſſe ſit ; atque omni denique rei, ſi Salomoni auſcultandum eſt : auſcultandum eſt autem. Vtile enim conſilium proponit. At verò ſalutis tuæ negotium ſemper age, atque omne tempus ad baptiſmi ſuſceptionem, tibi certum & definitum eſſe exiſtima. Quod ſi hodiernum diem ſemper prætereiens, craſtinum obſerues paulatim differendo, non animaduertis, te à prauo illo deludi, vt illius conſuetudo fert. Da mihi præſens, inquit, futurum Deo : mihi iuueniles annos, Deo ſeniles : mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nulliſque vſibus aptum. Quanto in periculo verſaris ! Quot quámque inopinati rerum caſus ! Vel bellum oppreſſerit, vel terræ motus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis tranſuerſè per fauces currens, res viliſſima (quid enim hominis interitu facilius quantumuis ob diuinam imaginem glorieris ?) vel immodica crapula, vel ventus in præceps agens, vel equus feſſorem ſecum abripiens, vel pharmacum dolo induſtriâ ad inſidias comparatum, fortaſsè etiam pro ſalutari peſtiferum inuentum, vel inhumanus Iudex, vel inexorabilis Carnifex ; vel denique quidpiam eorum, quæ celerem mortem atque omni ope & auxilio validiorem efficiunt.] Hæc vniuerſa diſputatio æquè viget in re noſtrâ. Imo multò magis. Nam qui caret baptiſmo reipſa ſuſcepto, poterit in extremâ neceſſitate conſulere ſaluti ſuæ per pœnitentiam tunc ex animo conceptam, vt de Valentiniano prodidit S. Ambroſius. At qui pœnitentiam volens differt, periculum eſt, in tanto vitæ incerto & tot ſubitis diſcriminibus, ne vitam malè concludat. S. Bernardus egregiè in hanc rem diſſerit ſub finem declamationis in illud, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Multos implanat exemplum S. Latronis, qui ex ipſis Diaboli faucibus in extremâ vitâ ereptus eſt. Quidni ergo ſperare liceat ſimilem ſortem, etiamſi pœnitentia in longiſſimum tempus differatur, ac vel ſi in extremam vitam. Licet ſanè ſemper ſperare de Dei in pœnitentes benignitate ; ſed ea ſpes, cum quis volens ac lubens negligit præſentia remedia, & homo lactat ſe exemplo hominis facinoroſi, tandem conuerſi & veniam conſequuti, admodum lubrica eſt, & multis fuit in decipulam. Itaque varij Patres 14. in tutiſſimum illud perfugium præcluſerunt, adducti in tractatione de S. Latrone cap. 17. §. monſtratúmque diligenter, nihil fingi poſſe imprudentiùs quàm fœlicem Latronis ſortem, per diuinæ patientiæ miraculum, ad omnes peccatores extenſam velle. Addunt verò, tam fuiſſe

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Pœnitentia.

Sectio 1. Breuitas in diuinis. Latronis in tam breui tempore diſpoſitionem ad plenariam indulgentiam à Chriſto ſummo Pontifice de throno Crucis exceptam, vt vix alia à peccatore vnquam adhibita ſit luculentior.

Communio. Proindéque quilibet peccator, qui de ſuâ ſegnitie in cooperando Diuinæ gratiæ excitanti conſcius ſibi eſt, meritóque debet timere remiſſiorem ſemper aptationem ex parte ſuâ ad excipiendam miſericordiam Dei, imprudentiſſimè ſe regit exemplo Latronis in vitæ meta pœnitentis, & miſericordiam conſecuti.

Quare ſtatuin eſto, fatuitatem eſſe pernicioſam, differre in longa tempora pœnitentiam, nec omnes moras abrumpere vt abſtergatur peccatum. Non dico, ex quo homo grauiter peccauit iniici illicò obligationem concipiendi pœnitentiam, ſi noui peccati eam pœnitentiæ omiſſionem conſecutum, expers eſſe velit. Ea enim ſententia quæ paucorum Doctorum fuit, vt Syluestri V. *contritio* q. 42. & Maldonati q. de contrit. cap 4. qui id etiam extendunt ad peccata jam condonata, quoties recurſant animo; ea (inquam) ſententia quoad neutram partem probanda eſt, vt rectè ſtatuunt Medina cod. de pœnit. q. 6. Canus ſelect. de pœnit. parte 4. quæſt. 2. Valent. 3. parte q. 8. de pœnit. p. 4. & Fagundez l. 2. in Eccleſ. p cap. 6. & alijquos hi proferunt. Nam præceptum de concipiendâ pœnitentiâ, cum ſit affirmatiuum, non obligat pro quocumque tempore, aut momento, vt alibi traditur. Nemo tamen etiamſi certus ſit fore vt non incurrat nouum peccatum, omittendo aliquandiu pœnitentiam quâ eget, ſapienter agit eam differendo; cum in negotio tanti momenti, & in quo ſalus æterna hominis vertitur, inconſultiſſimum ſit, ſupremum diem præſtolari. Quàm breuiſſima igitur pœnitentiæ dilatio, etiam cum neceſſitas pœnitentiæ ob declinandum nouum peccatum non inijcitur, prouidum ſalutis ſuæ curatorem decet. Proſper ſapienter in hanc ſententiam cecinit Epigr. 72.

Conuerti ad mores rectos, & viuere ſanctè
In Chriſto meditans, quod cupis accelera.
Cedant virtuti vanarum obſtacula rerum,
Ne perdat vani tempora, lenta fides.
Quid iuuat in longum cauſas producere morbi?
Cur dubium expectat cras, hodierna ſalus?
Scimus, correctis veniam non eſſe negandam:
Sed nulli noſtrum, eſt vltima nota dies.

V. Ad Diuinæ Euchariſtiæ ſumptionem, accurata & Deo hoſpite digna, atque adeò longa præparatio eſt præmittenda.

NOn videtur de hoc dubitari poſſe, ſi Dei maieſtas recogitetur. [Homines (ait Philo l. de Cherubin) quoties homo Rex excipiendus eſt, magnificentiùs excolunt ædes proprias, nihil negligendo quod ad ornatum pertineat, ſed omnia præſtando quæ exiſtiment conferre poſſe ad dignum hoſpitium parandum Regi, ſed tamen homini.] Regi Regum (vt ſubdit Philo) & mundi Vniuerſi Rectori Deo, dignanti ſuam creaturam inuiſere, & in eam rem à ſummo cœlo ad terram digredi, quæ tandem in ornando hoſpitio, & inſtruenda domo præparatio par erit? Agebat Philo de hominis per Deum viſitatione ſpirituali. Quid ſi corpoream, quâ Chriſtus per Euchariſtiam nos adit, præcepiſſet animo? Ecquam diſpoſitionem accuratiorem, & ſtudium conſentaneorum ornamentorum ad eum congruè excipiendum popoſciſſet? Eſtherem & alias Aſsueri vxores, vt ad eum admitterentur, excoli, comi, inungi, apparari per longiſſimum ſpatium neceſſe erat. Quid verò præ Chriſto Aſsuerus & quilibet quantumlibet potentiſſimus Monarcha; niſi vile animalculum, vt rectè ſtatuit Autor libri de mundo ad Alexandrum; de quibuſvis faſtigiis mundanis ad Deum comparatis? Itaque ſumma, atque adeò longa præparatio, ad corpus Chriſti in Euchariſtiâ excipiendum eſt neceſſaria. Confirmatur optimè ex atrocibus pœnis quæ manent communicantes indignè. Non eſt autem indignitas præcisè ſita in acceſſu ad Euchariſtiam extra ſtatum gratiæ; quod eſt peccatum diabolicum, & vix cadens in Chriſtianum rectè de fide myſterij Euchariſtiæ ſentientem? Cum tamen Apoſtolus conteſtetur, pœnas indignè manducantium panem Domini, multos inuoluiſſe. Quare ad indignitatem quoque ſuſceptionis Chriſti pertinet, communio abſque præparatione conueniente; cuiuſmodi tantùm videtur eſſe poſſe quæ longa fuerit & diuturna.

Adhibebant ſanè longam præparationem ad hoc negotium ſanctiſſimi illi Monachi, qui non niſi ſemel in anno, aut intra biennium ſemel, participabant diuinam Euchariſtiam, probè conſcij quanta & quàm diuturna diſpoſitio præmittenda eſſet ad dignè communicandum. [Si Rex Babylonius (inquit S. Chryſoſtomus homil. 27. in Ep. ad Hebr.) ex captiuitate eligens iuuenes honeſtos formâ, & decoros facie eligit; multò amplius & nos, adſtantes menſæ regali honeſtos ſpecie animæ eſſe oportet, ornatum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formoſum; oportet eam ornatu aureo circumdatam eſſe, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem. Si autem quis pannis eſt ſordidis obſitus, & illuuie plenus, & ingredi menſam regalem voluerit, attende quanta patietur; non ſufficientibus quadraginta diebus mundare illum ab his quæ in toto tempore deliquit. Si enim gehenna non ſufficit quamuis æterna, (propterea enim æterna eſt,) quantò minùs breue iſtud tempus?] Vtique tempus quadragenæ ſacræ quam ibi aliquoties dixerat præmitti ſolitam communioni, & clariùs To. 5. Græcol. ſerm. 52. negat Chriſtianos ieiunare quadrageſimam ſacram ob memoriam Chriſti cruci confixi, quaſi hæc ſint eius potentalia; ſed ait nos ieiunare vt peccata noſtra purgemus, quia ad myſteria ſumus acceſſuri. Quo ſacro vſu ſic accepto, Eccleſia prolixæ ad Euchariſtiam præparationi, apertè ſuffragatur.

§. 2. Non longa, ſed idonea, qualis breui tempore haberi poteſt ſubjecti aptatio, ad diuinæ Euchariſtiæ participationem exigitur.

PRætextus ignauiæ, qua aliqui acceſſum ſerum ad ſacram menſam obnubunt, eſt

neceſſitas

neceſſitas diuturnæ præparationis. Eam ignauiam pietatis ſpecie obductam, reprehēdit S. Ambroſius & meritò. Nam, qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit. Nec longa à diuino epulo ſeceſſio præparat conſcientiam ad eius participationem, ſed copioſa gratia & eam conſequens animæ nitor. Itaque optima aptatio ad communionem ſequentem, eſt prior communio ſanctè & piè obita; quæ & gratiam ſanctificantem animæ intulit, & multa lumina, multóſque guſtus ſpirituales, quibus cietur diuini cibi appetentia, benè antehàc in menſa Chriſti cibato conuexit. Egregiè hanc rationem attingit Abbas Theonas Collat. 23. cap. 21. agens de iis qui præ indignitatis ſuæ conſcientia, tametſi graui peccato vacui, abſtinebant participatione Euchariſtiæ. At hanc eſſe inconſultam abſtinentiam inde monſtrat Abbas Theonas, quod nulla ſit expeditior vis, indignitatem noſtram (peccato tamen graui depoſito,) excutiendi; quam ſi frequentes accedamus ad diuinam menſam. Quæ ratiocinatio æquè quadrat in abuſionem de qua agimus; nempe eorum qui exiſtant longam præparationem ad communicandum præexigi, ideò communicant, nec tamen diuturnitate abſtinentiæ à ſacrâ menſâ, euadunt ad eam aptiores; ſed potius magis inepti.

Imponit verò iſtis ignauiæ ſuæ abblandientibus ſpecie reuerentiæ, quod non ſecernunt diuturnitatem diſpoſitionis ad Euchariſtiam, ab eius idoneitate & bonitate. Eſt quidem curanda diſpoſitio idonea ad recipiendum corpus Chriſti; ſed ea idonea diſpoſitio continetur remotione culpæ lethalis, & ditiore à labeculis minoribus quantum fas eſt per lutulentas huius vitæ vias quas calcamus. Continetur etiam ea diſpoſitio idonea, ſanctis affectibus poſitiuis, præſertim charitatis flagrantiſſimæ in Chriſtum ſuo nos corpore ſaginantem, & potantem ſanguine. In eâ diſpoſitione ſic expoſita, commendandâ, immenſi ſunt Patres alibi adducti. Veruntamen ea omnis diſpoſitio & præparatio, poteſt intra breue tempus præmitti communioni. Sicut diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, præmittenda eſt ſanctificationi noſtræ; & tamen permodicum temporis ſpatium ſatis fuit S. Latroni, vt vltimò diſponeretur ad gratiam. Et S. Mattheus, ad breuem Chriſti allocutionem, plenè reſipuit. Non diſſimiliter igitur fidelis quiſque, obſecundans Spiritui Sancto afflanti vt aptet ſe ad dignè communicandum, poteſt breuiſſimo tempore ritè diſponi ad congruam diuini cibi participationem. Verè itaque hic quoque dictum eſt à Pſalte, ſi non ſtet per hominem, *velociter currit ſermo eius*. Et ab Ambroſio. Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

VI. Diuturna ſpecierum diuinæ Euchariſtiæ, intra ſtomachum aſſeruatio captanda; quippe ferax nouæ gratiæ ex opere operato.

PII plerique, pietati & multiplicationi ſanctitatis fermentes, longiorem ſpecierum in ſtomacho moram captant, multis ſimul ſpeciebus in ſtomacho ingeſtis. V. G. ſumpta grandiore hoſtia, aut pluribus minoribus; vel ingeſto calici copioſo vino; ad conſecrandum: ſic enim Chriſtus; qui nonniſi ad ſpecierum corruptionem excedit è ſtomacho, diutiùs immanet homini. Ea autem diuturnior tanti hoſpitis intra hominem præſentia, non poteſt non eſſe illi fructuoſiſſima? An enim poteſt homo continere ignem in ſinu ſuo, nec concaleſcere? Cogitatio ipſa præſentis Dei, frænandis quibuſvis irrationabilibus motibus par eſſe poteſt, multò magis quàm recordatio communionis anterioris; à qua recogitata, illam affectuum inconditorum cohibitionem exiſtere volebat ſanctus Chryſoſtomus hom. 61. ad pop.

Sectio Fr. Breuitat. in diuinis Commu- dio.

Nec objectiuè tantum fructuóſam eſſe diuturniorem illam Chriſti in hominis ſtomacho moram, ſed etiam feracem eſſe nouæ gratiæ ex opere operato; ſententia eſt grauium Theologorum. Sic enim Caietanus 3. part. quæſt. 79. art. 1. cenſuit gratiam conferri toto tempore quo ſpecies ſunt in ſtomacho. Et ſubſcribunt Valentia q. 7. de Euchariſt. part. 1. Suares tom. 3. 3. part. diſt. 63. ſect. 4. & 7. & Ægidius 3. part. quæſt. 79. num. 3. dummodò perſeuerante Chriſto intra ſtomachum, hominis diſpoſitio fiat melior; ſiue ob intenſionem nouam actus, ſiue ob ſolam diuturniorem eius perſeuerantiam, ſiue ob noui & perfectioris actus productionem: Quocumque enim ex his modis actus operantis reddatur perfectior, volunt hi DD. gratiam augeri ex opere operato, quandiu Chriſtus perſtat in ſtomacho; hoc eſt quandiu ſpecies retinent ſtatum, ſub quo ſubſtantiæ quarum ſunt exuuiæ, poſſent perſtare in rerum natura. Huic igitur doctrinæ inſiſtentes pij plerique, & ſibiipſis diuturniorem Chriſti præſentiam per copioſiores ſpecies curant, & aliis quos charos habent, idem beneficium ſubminiſtrant, binas aut ternas hoſtias porrigentes communicantibus; & vini ſympulum ſemel ac iterum, ad vnam conſecrationem effundentes.

§ 2. Chriſti diuturnior in ſtomacho mora, inutilis eſt quoad vberioris gratiæ feracitatem ex opere operato, nec vacat periculo, ſi ex ſpecierum conſecratarum addenſatione captetur, vnde meritò eſt refugienda.

INutilitas longioris moræ corporis Chriſti in ſtomacho, quoad copioſiorem gratiam ex opere operato profuſam, monſtrata eſt in Heteroclitis ſpiritualibus, poſt Vaſquem 3. part. diſt. 206. cap. 2. Et breuiter ex eo euincitur; quod gratia Sacramentalis, promiſſa eſt manducationi diuini cibi. At cibus iam ſtomachò ingeſtus, non manducatur; ſed tunc tantùm manducatur cum trajicitur, & certum œſophagi limitem alibi explicatum tranſgreditur. Itaque tota gratia vi Sacramenti Euchariſtiæ collata, confertur ante demiſſionem Chriſti in ventriculum; & quantumcumque poſtea ibi hæreat, nullam deinceps nouam gratiam impertit ex opere operato. Sanè ſi diuturnior ſpecierum perſeuerantia in ſtomacho cùm ampliore gratia vi Sacramenti collata iungeretur; fatendum eſſet, conditionem ſenum communicantium, eſſe longè meliorem quàm iuuenum. Et idem eſſet de quibuſvis ſtomacho frigentibus,

Sectio I. bus, præ valentibus ſtomacho; intra quos ob *Breuitas* calorem viuidum, ſpecies breuiùs perſtant, atque *in damnis.* adeò Chriſtus promptiùs abſcedit. Incredibile autem eſt, Deum in tanta gratiæ quantitate per *Miſſa.* Sacramentum profundenda, voluiſſe rationem habere naturalis illius indiſpoſitionis, planè ineptæ ad gratiæ conciliationem vel accumulationem. Igitur ea diuturnior Chriſti intra hominem mora ob copioſiores ſpecies, eſt planè inutilis ad vberiorem gratiam vi Sacramenti conuehendam. Quinetiam eius captatio poterit improuidis damnoſa fieri, ſi (quod procliuè eſt,) perſuadeantur, molem majorem ſpecierum in qua feracitas nouæ gratiæ ex Chriſti longiore præſentia fundatur, plus aliquid continere, quàm contineretur in minore ſpecierum copia. Id enim eſſet contra certam veritatem de Chriſto toto in quantauis ſpecierum exiguitate. Et idcirco conſultiſſimè Quæſitores Sacri, vt Henriques notauit lib. 8. cap. 43. *littera K*, vſum illum porrigendi eidem ſimul plures hoſtias, proſcripſerunt. Quare captatio diuturnioris Chriſti moræ in ſtomacho per ſpecierum addenſationem, tanquam nouæ gratiæ ex opere operato feracem, vana eſt & repudianda.

VII. Diuiniſſimum Miſſæ Sacrificium decet longitudo.

ITa ſuadet tanti Sacrificij dignitas. In eo quippè Sacrificio, Filius Dei, aſtantibus, & piè horrentibus Angelis, immolatur pro nobis citra mortem. Quam ſanctitudinis referttam, & omnium quæ obiri à mortalibus queant venerabiliſſimam operationem, decet attentio & maturitas quantam effingere cogitatione poſſumus. Cum ea autem maturitate & attentione, non cohæret præpropera & feſtina agendi ratio, quæ ferè habet adjunctam irreuerentiam & indeuotionem. Itaque videmus, pios quoſque Sacerdotes in Sacro conficiendo plumbeos eſſe: nonnullos horæ ſpatium, eóque amplius in Sacro illo miniſterio conſumere. In S. Volſtani laudibus, ponitur, quod Miſſam moroſè cantaret. Id eſt quod prolixus, atque adeò pius in Sacro eſſet. Eſtque ea prolixitas percommoda fidelibus adſtantibus; quibus per tempus illud vacat decurrere ſtatas preces. Seruit etiam ædificationi. Sicut è contrario, turbulenta illa & præceps quorundam Sacerdorum feſtinatio, non abſque truncatione vocum, & indecora tumultuatione, nauſeam parit.

Habet hîc proportione locum acris obiurgatio quà S. Anaſtaſius Synaita orat. de ſynaxi, coarguit eos qui vt canes irruunt ad communicandum. Magna videlicet cum feſtinatione, & præcipiti ad citò communicãdum acceſſu, ex quo fit, vt alios impellant atque perturbent. In quam etiam inconditam feſtinationem & tumultuoſam præcipitationem communicantium, canes (vt ait) in eſcam irruentes imitantium, validè conclamat S. Chryſoſtomus homil. in Cœmeterij appellationem ac Crucem, *ad finem* & optimè quoque homil. de Chriſti Nat. vbi hæc præter cætera. [Ad quod antea vos adhortatus ſum, ad id etiam nunc & in poſterum ſemper vos cohortari non deſiſtam. Quidnam hoc? Cùm acceſſuri eſtis ad tremendã, diuinámque illam menſam, & Sacra myſteria; cum timore ac tremore hoc facite, cum pura conſcientia, cum jejunio & precatione non tumultuantes, non calcitrantes, non proximum impellentes. Extremæ enim hoc ſuperbiæ eſt, contemptioniſque minimè vulgaris. Quare etiam talia perpetrantibus punitionem multam conciliat. Tecum reputa ô homo, qualem hoſtiam es contrectaturus, qualem menſam aditurus? Tecum reputa & hoc, quod cum terra ſis & cinis, corpus & ſanguinem Chriſti ſumis. Et, ſi vos Rex quidem ad conuiuium vocet, cum timore accumbitis, cibóſque appoſitos cum reuerentia & ſilentio ſumitis, Deo autem te ad ſuammet menſam vocante, filiúmque ſuum tibi apponẽte, vbi Angelicæ poteſtates aſſiſtunt cum timore & tremore, vbi Cherubini velant facies ſuas, atque Seraphini cum tremore clamant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus; tu mihi audes vociferando, ac tumultuando, ad ſpiritale illud conuiuium accedere! An te fugit, eo tempore multa tranquillitate mentem eſſe plenã oportere, multaque pace, ac quiete opus eſſe, non autem tumultu, iracundia, ſtrepitúque immodeſto! hæc enim immundam animam accedentem efficiunt. Quænam autem venia nobis habeatur, ſi poſt tanta peccata, ſaltem tempus hoc quoad Sacram hanc menſam adimus, ab irrationabilibus hiſce perturbationibus non purgemus? Quid autem omnino eſt magis neceſſariũ, quàm ea quæ in hac menſa proponuntur? Aut quid vrget nos vt conniteamur, & ſpiritualibus rebus relictis, ad ea quæ carnem ſpectant properemus? Ne, ne, rogo vos atque obteſtor, diuinam in nos iram conciteмus. Medicamentum eſt id quod proponitur vulnerum noſtrorum ſalutare, diuitiæ indeſinentes quæ cœlorum nobis regnum conciliant. Cum horrore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata noſtra; lacrymemur mala noſtra lugentes, intentas ac largas preces Deo fundamus; ſicque nos ipſos emundantes, tacitè & cum debita modeſtia, tanquam ad cœlorum regem adeuntes accedamus; ſanctámque hanc & immaculatam victimam recipientes, exoſculemur, oculis eam cõplexi; mentémque & animum incendamus; ne in iudicium aut damnationem conueniamus; ſed in animæ temperantiam, in dilectionem, in virtutes, & cum Deo reconciliationem in pacem firmam, ac mille denique bonorum occaſionem, vt nos ipſos ſanctos, reddamus & proximos ædificemus.]

Modeſtam & maturam cunctationem in acceſſu ad Sacram communionem depoſcit S. Chryſoſtomus, cum vt proprio fructui ſeruiatur, qui in pacifica & ſedata, proindéque lentè feſtinante anima vberior eſt; tum vt proximi ædificatio exſtat, quam ea præceps tumultuaria agendi ratio euertit. Hæc autem, æquè ac etiam multò magis vrgent pro Sacerdote ſacrificante, cuius miniſterium longè altius eſt ac dignius quàm communicantis. Si igitur præproperè agat, & præ deſiderio explendi citò miniſterium tumultuoſè obeat, neque paci ſuæ in qua factus eſt Dei locus, nec proximorum ædificationi conſulet.

Vnica eſt cauſa, ob quam aliqui breuitatem tantam in conficiendo Sacro adhibent: ominimum vt auditoribus à longo Sacro ferè abhorrentibus, ſint accepti. Sed hi (ſi ſapiant) attendent à Dauide dictum eſſe, Deum diſſipare oſſa eorum qui hominibus placent. Ad eos autem breuis Sacri caſpitatores, & productiorem Miſſam faſtidientes, pius Sacerdos veterur

ea

ex Anaſtaſij Sinaïtæ objurgatione orat. de ſynaxi, *ſub initium.* [Magna eſt cæcitas noſtra, ingens ſocordia. Non reperitur apud nos compunctio, non timor Dei, non morum emendatio, non pœnitentia; ſed tota mens noſtra, conuerſa eſt ad malitiam, ad voluptates, ad ebrietatem. Et ſæpè fit, vt integros dies in theatris, & turpiloquiis, & reliquis operibus Diaboli occupati, non defatigamur, cibo, dono, cæteriſque rebus neceſſariis, propter vana illa & ludicra, contemptui & neglectui habitis: At in Eccleſia Dei, ne vnam quidem horam orationi & lectioni dare, Deóve adſtare volumus; ſed ab Eccleſia quàm primùm, non ſecus ac ab ardente rogo, expediri contendimus. Et ſi de diuino Euangelio longior inſtituatur recitatio, indignabundi circumſtamus: & ſi Sacerdos preces paulò diutiùs protrahit, triſtitia afficimur, ſocordéſque efficimur. Et ſi is qui incruentum ſacrificium offert, vel paululum cunctetur, faſtidimus, & oſcitamus, & tam paucis ab oratione quàm à tribunali liberali ſtudemus, vtque ad vanas actiones voluptaréſque nos recipiamus, à Diabolo impellimur. Grandis eſt miſeria noſtra, (chariſſimi.)] Apud S. Auguſtinum ſerm.251. de tempore cauſa experiti à pleriſque breuis ſacri, refertur in gulam & auaritiam. [Adhuc quoquè (inquit poſt multa contra verboſationem in templo) quod valdè dolendum eſt, conqueri vobiſcum volo; quia ſicut aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui cum veniunt ad Eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Miſſam, & ad eorum libitum exoret: nec ei licet, morem Eccleſiaſticum ſequi, propter illorum gulam & auaritiam; quatenus vnus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium cum nocte ſimul, ad eorum deputetur voluptates. Nolite Fratres mei dilectiſſimi, hæc facere, nolite hæc facientibus conſentire; quia non ſolùm qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, pereunt.] Contra hoſce ad longiuſculum ſacrum faſtidioſos & oſcitabundos, eſt propriè decretum illud myſticè acceptum *comedetis feſtinanter*, Græcè eſt *μετὰ σπουδῆς*. Id eſt *ſtudiosè*; quod non ſonat celeritatem, ſed ſtudioſam, & attentam, feruentémque voluntatem, vt benè expendit S. Iſidorus Peloſ. l. 4. epiſt. 162. allegato Iſocrate. Itaque dimiſſis nauſeabundis, ad pia quæque in ſalutis ſuæ negotio faſtidioſis auditoribus, Sacerdos meminerit quam perſonam in altari ſuſtineat; & ibi decenter, ac ſanctè, proindéque cum grauitate & cunctatione, miniſterium longè grauiſſimum exequatur.

§. 2. *Breuitas Sacri citra immodeſtiam & præcipitationem, eſt prolixitate melior, & vndicumque laudabilior.*

GEnij volucris, ac in negotiis expediendis prompti Sacerdotes, ita pietati ſuæ ſeruiunt in diuina Liturgia, remouentes omnem turbidam præcipitémque agendi rationem, vt tamen inutiles moras & tarditatem pigris geniis ferè adnatam reſecantes, breuiter, & abſque longitudine tædium auditoribus ingenerante, Sacrum perficiant. Quo ex capite, laudatur nominatim S. Thomas Cantuarienſis, vt habent eius acta: imo videmur poſſe Apoſtolos quoque pro hoc vſu breuiſſimi Sacri allegare. Eſt enim extra dubium, Apoſtolos Sacro eſſe operatos; primùm quidem in die Pentecoſtes; poſtea verò frequentiſſimè. Nam de die Pentecoſtes ita ſtatuit Heſychius l. 6. in Leuit. Videndi Democharea lib. 2. de Miſſa cap. 4. & Genebrardus ad Liturgiam S. Dionyſij cap. 7. ac Pamelius Tom. 1. Liturg. Latinarum. Et perſpicuè poſt eam diem celebratum eſſe jugiter Sacrum, inſinuant Actor. 2. vbi dicitur, fideles perſeueraſſe & aſſiduos fuiſſe in communicatione fractionis panis, quod ad Eucharistiam paſſim referunt. *Sectio 1. Breuitas in diuinis Miſſæ.*

Apoſtoli ergo Sacro operantes, non fuere prolixi, imò breuiſſimè Sacrum peragebant, teſte Gregorio l. 7. epiſt. 63. vbi reſpondens querelis quibus pulſatus fuerat ob juſſam recitari ſuper Sacrum ſtatim poſt canonem orationem Dominicam ait. [Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, vt ad iſtam ſolummodò orationem, oblationis Hoſtiam conſecrarent. Et valdè mihi inconueniens viſum eſt, vt precem quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem (an orationem,) quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus.] Disertè S. Gregorius affirmat Apoſtolos non alio ritu, vel ex alia formula conſecraſſe, quàm recitandò orationem Dominicam, & verba conſecrationis: Cætera enim (etiam quæ in Canone habentur, qui iuxta S. Gregorium deſinit extrinſecè in oratione Dominica) à ſcholaſtico, id eſt à viro erudito appoſita affirmat; quiſquis demum fuerit vir ille ſcholaſticus de quo fusè Stephanus Durandus l. 2. de ritibus cap. 32. num. 6. At quid breuius, quàm ad conſecrationem addere duntaxat orationem Dominicam? Nullus profectò eſt Sacerdotum, ex iis qui celerrimè Sacro operari cenſentur, qui tanta breuitate Sacrum exequatur, vt non vigeſies Sacrum ſuum peragere potuiſſet Apoſtolus quiſpiam. Ac proindè non poteſt meritò in aliis ſugillari breuitas Sacri, quæ in Apoſtolis tam acciſa & prompta fuit.

Meritò autem adamatur ea prolixitatis in Sacro reciſio; imprimis quia è breuiore Sacro, citiùs colligitur fructus. Neque enim fructus è Sacro quæſitus, obtinetur priuſquàm reipſa ſit exhibitum Sacrum. Præſcit quidem Deus Sacrum, priuſquàm exhibeatur, tamen non rependit conſtitutum ei fructum, priuſquàm Sacrum de facto ſit peractum. Sicut non confert gratiam Sacramento reſpondentem, priuſquàm reipſa Sacramentum ſuſcipiatur, quamuis antetiùs præuideat, reipſa eſſe ſuſcipiendum. Et hanc ob cauſam, Sacerdotes obſtricti celebrandis Sacris pro aliquo defuncto, malè agunt, cum non operantur Sacris illis, quàm primum poſſunt; fruſtráque obtenderent ſuam poſtea per otium ſacrificandi voluntatem, jam nunc à Deo præuideri, & tantumdem defunctis prodeſſe; cum Deus ſubleuationem defuncti Sacro conſtitutam, non voluntati ſacrificandi, ſed Sacro exhibito rependat. E contrario Maior adductus cum de ſubſidiis defunctorum, agnoſcit Sacerdotem promptiùs celebrantem, id eſt cum primùm ad Sacrum ſe accinxit, tum pentem mo-

ctis;

Sectio I. Breuitas in diuinis. tas, & expeditè obeuntem Sacrum miniſterium, conſultiùs facere, quia citiùs iuuabit animam in flammis Purgatorij hærentem. Deinde in Sacro breuiore, minùs eſt à diſtractione periculi. Qui enim celeres ſunt ac expediti in Sacro perficiendo, non præbent muſcis præteruolantibus ſpatium irrependi, cui incommodo potiùs obnoxij ſunt, qui in Sacro miniſterio lenti ſunt ac moroſi, & ad longum temporis ſpatium diffundunt Sacrum. Faciliùs enim patiuntur animi euagationem, & ægrè frenos inijciunt tantoperè in nobis volaticæ ac pernici phantaſiæ. Tandem per Sacri breuitatem, auertitur aſtantium faſtidium. Mirum enim quantam nauſeam emoueat audientibus Sacerdotis celebrantis longitudo; ita vt pro deuotione quam ex Sacro captabant, reportent tædium multis impatientiæ motibus admixtum, feréque concluſum firmo propoſito abſtinendi deinceps Sacro talis Sacerdotis, vel ſi aſſiſtendum Sacro eſſet, ſaltem extra dies quibus ex obligatione aſtandum eſt Sacerdoti Sacra operanti.

Missa. Vrgent præſertim hoc incommodum contra prolixas Miſſas, Major in 4. d. 13. quæſt. 2. & Gabriel. lect. 56. in canonem *littera D.* & ante vtrumque Gulielmus Pariſ. in Rhetor. diuina cap. 44. Verba eius, inſignia ſunt ac proinde adſcribenda. [Dicit beatus Bernardus, quia oratio debet eſſe breuis & pura: non quod prolixitas aliis impedimentum etiam præſtat orandi; ſicut notum eſt tibi, de quibuſdam Sacerdotibus cereorum conſumptoribus, qui Miſſas adeò longas faciunt, quæ tædio prolixitatis ſuæ, corda circumſtantium & à gratia deuotionis areſaciunt & ipſam refectionem ſpiritualem quam in Miſſis percipere debent, in moleſtiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur poteſt conqueri populus Miſſis circumſtans, & dicere, *Dederunt in eſcam meam fel.* Stultitia igitur hominum hæc eſt, vt pro puſillo deuotionis quod eis in Miſſis tribuitur, totius populi deuotionem auferant; & pro tribus, vel quatuor (vt dicam) lacrymis compunctionis vel deuotionis, vaſa magna, id eſt corda, deuotè & lacrymosè orantium effundant. Ibi igitur breuis debet eſſe oratio, vbi breuitas eius, deuotioni aliorum orantium militat, & deſeruit.] Subdit paulo poſt. [Vidi multos prolixitate Miſſarum adeò obſtinatos, vt potiùs eligerent Miſſas huiuſmodi non audire, quàm prolixitatis tantæ moleſtiam ſuſtinere.] An hinc proficiſceretur ea Sacri truncatio, quam in pleriſque fidelium ſeuerè ſugillat Cæſarius Arelat. homil. 12. aliàs 5. viderint alij. Fatendum eſt, cauſam proximam illius violationis legis Eccleſiaſticæ de audiendo Sacro, eſſe indeuotionem ita truncantium obſequium Deo debitum. Occaſio tamen vitandi, ferè ducitur ex indiſcreta aliquorum Sacerdotum prolixitate, ad quam languens iſtiuſmodi auditorum pietas nauſeat, & idcircò præmaturè recedit.

Quare Sacerdotes conſultiſſimè facient, ſi omnes non neceſſariæ prolixitatis cauſas recidant: non quidem dedecenter pronunciando aut tumultuoſam feſtinationem præ ſe ferendo, ſed remouendo affectatam cunctationem, & moroſas Sacrorum vaſorum extërſiones dimittendo. Et quod in laude Religioſi Sacerdotis à pio homine poſitum memini, faciendo, vt tota Sacri Miniſterij functio, ſit Miſſa. Scitè. Nam tricæ illæ & moroſitates quas Sacerdotes impediti ingenij adhibet inter celebrandum, reuera non pertinent ad Miſſam. Sicut cum quis inter prandendum non hoc agit, ſed ad alia pleraque auertitur, nihil eorum quæ prandio intermiſcet, & ad quæ auertitur, dici debet prandium, ſed tantùm aſſumptio refectionis. Præſtet igitur Sacerdos, vt tota ipſius Miſſa, ſit Miſſa, inutiles miniſterij Sacri remoras amputando. Vanos item timores de minùs integrè pronunciatis aliquibus literis, excutiendo. Hæc enim eſt non paucis, maximè in Canone, ſementis multorum angorum, & cauſa diu hærendi, dum luctantur cum labiis ſuis; veriti ne ex meticuloſorum quorundam Doctorum placito, ſi vel vna ſyllaba aut elementum vnum minùs aptè & perceptibiliter expreſſum elabatur, rei ſint grauis noxæ. Inde plerumque Sacri prolixitas, ſed præſertim ex longiore eorum quibus Sacrum addicitur, commendatione. Aliquibus enim Sacri prolixitas maximè obrepit, quia longiſſimi ſunt in fundenda ad Deum oratione pro iis quibus applicant immolationem Diuinæ Hoſtiæ; quaſi hinc totus aut primarius Sacrificij fructus exiſtat: quæ tamen craſſa eſt hallucinatio. Nam fructus Sacrificij pendet ex deſtinatione per Sacerdotem, qui quàm breuiſſimè poteſt eam concipere. Oratio quam Sacerdos tacitus ſuperaddit, pertinet ad opus operantis, qui eſt minor fructus à Sacerdote partus iis pro quibus ſacrificat, & æquè poſſet ante vel poſt Sacrificium extra altare parari; éſtque id reuera conſultiſſimum, iuxta doctrinam Gabrielis lect. 26. in Cano. *in fine* notantis ex Scoto, prudenter facturum Sacerdotem, ſi priuſquàm ad altare procedat, diſtinctè ac ſigillatim meminerit eorum quibus applicatum vult Sacrificium, eam memoriam in Sacro renouaturus vniuersè tantùm, nec niſi cum relatione ad anteriorem commemorationem. In pronunciatione verò quæ menſura feſtinandi aut tardandi tenenda ſit, ne dum breuitas captatur, debita Deo cui ſacrificium offerunt, reuerentia violetur, exponit Nauarrus in Enchiridio de orat. cap. 15. num. 20. in pauſas inter longiores ſacrificantium, conclamans ibidem cap. 17. num. 43. & 44.

Porro quæ hactenus dicta ſunt de breuitate Sacri cum decentia & præcipitis tumultuationis excluſione probè cohærente, præeligenda; valent quoad publicam Sacri celebrationem. Nam priuatim Sacro operanti, ſibique ſoli caueuti, præſertim ſi camillum nanciſcatur conductitium, aliàs obnoxium ſuſtinendæ moroſitati ſuæ, fas eſto à primo mane ad meridiem vſque Sacrum producere. Diſtinctio eſt Majoris in 4. 13. quæſt. 4. & Gabrielis lection. 56. in Cano.

VIII. Eccleſiaſtes pro concione, Sacræ orationi habenas laxet, quà docendo, quà piè mulcendo, quà fortiter Auditores permouendo. Itaque longitudo inter dicendum, ei innoxia eſto, præſertim cum Diuini Spiritus aura proſperè afflabit, & paſſis velis copioſa ſe inferet.

CVm tot ſint partes Sacri Oratoris, qui fieri poteſt vt breui tempore omnes exequatur? Docendus eſt populus myſteria noſtra, quæ & multa ſunt & perobſcura: quibus proinde luce perfundendis, mora exigua par eſſe non poteſt. Docendus inſuper eſt populus ritus noſtros & mores Chriſtianos. Enodendæ graues circa nodos conſcientiæ implexitates, de quibus extant immenſa mole volumina, quæ in arctum ſubſtrictiſſimæ orationis contrahere, nec incommodare fructui ex concione captato, non videtur eſſe mortalis hominis, qui ſenſa ſua lentè efformet, nec abſque labore: ac proinde pedetentim enunciat: cum habeat animam velut cocleæ corporis affixam, atque adeò ægrè mobilem, juxta ſcitam Philonis comparationem l. de Sacrificio Abelis & Caïni: Ego igitur non exiguo tempore, ad tam multa promenda; præſertim verò ſi agatur apud rudes huiuſmodi rerum, neceſſaria eſt prolixitas, ne breuitas offundat tenebras, & caligine injecta inutilem reddat dicentis operam, juxta illud Iſidori Peluſiotæ l. 2. epiſt. 126. [Breuiter dicere volo, quod perſpicue eloqui nolo.] Et hæc eſt germana cauſa, cur in tradendis rebus ſacris opus ſit frequenti repetitione, vt rectè his verbis monuit S. Athanaſius l. de Incarn. Verbi. [Ne mireris, ſi ſubinde eadem de iiſdem repetimus; vbi enim de numinis decretis, placitiſque mentionem facimus, ibi longiore interpretatione vtimur, ne quid omittatur, quod omiſſum nobis in culpam cedet, ſi non plenè rem ipſam eloquamur. Meliùs enim eſt ſæpius iteratæ ſententiæ crimen ſuſtinere, quàm aliquid eorum prætermittere quæ enarrari debuerant.

Eodem recidit quod ait S. Hilarius l. de Synodis n. 27. ſiue Anathematiſmo vltimo, tradens cum fidei profeſſio ſub tam multiplici verborum forma fuiſſet expreſſa. [Multifariè vt intelligitur ex Epiſcoporum conſiliis, atque ſententiis quæſita veritas eſt, & intelligentiæ ratio expoſita eſt per ſingulas ſcriptæ fidei profeſſiones. ſingulis quibuſque generibus impiæ prædicationis extinctis. Non enim infinitus & immenſus Deus, breuibus humanis ſermonibus, vel intelligi potuit, vel oſtendi. Fallit enim plerumque & docentes breuitas verborum, & compendia ſermonum; aut non intelligi poteſt quod requiritur; aut etiam corrumpitur, quod ſignificatum magis, quam enarratum, rationis abſolutione non conſtat. Et idcirco Epiſcopi in intelligentiæ ſuæ ſenſu loquentes, ob difficultatem naturalis intelligentiæ; & plurimis definitionibus & copioſioribus verbis vſi ſunt ad docendum, vt & ſenſum audientium diſtinctioni editæ per multa veritatis imbuerent, & de diuinis rebus nihil aut periculoſum aut obſcurum in hac multimoda plurium ſententiarum abſolutione loquerentur.] Itaque & ad explicandum rectè, & ad intelligendum commodè, neceſſaria eſt in dicendo longitudo. *Sectio 1. Breuitas in dicendo.* Concio.

Quod ſi peruix aliquod ingenium, neget eam profuſionem verborum, ſibi ad intelligendum quod proponitur eſſe neceſſariam, meminerit concionatorem & ſapientibus & inſipientibus eſſe debitorem, ideóque ne ægrè ferat prudentem Oratoris Sacri attemperationem ad captum potioris numero partis, quæ ſanè eſt ingeniorem ad diuina percipienda tardiorum. Itaque apud eos excuſare longitudinem poterit Concionator, illis verbis S. Bernardi ſerm. 16. in Cant. [Nemo miretur ac moleſtè accipiat, ſi in his ſcrutandis, tanquam quibuſdam Spiritus Sancti apothecis, curioſus exiſto, cum ſciam quia ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei. Dico tamen his qui præuolantes ingenio, in omni ſermone antè penè flagitant finem, quàm principium; ſeuant debuerem me etiam tardioribus eſſe, & maximè. Sed nec ſtudium tam eſſe mihi, vt exponam verba, quàm vt imbuam corda. Et haurire & propinare me oportet, quod non fit celeriter percurrendo, ſed tractando diligenter, & exhortando frequenter.] Accedit plerumque neceſſaria confutatio errorum, qui ſæpè vigent multiplices, nec poſſunt breui oratione conuelli; ex quo capite S. Cyrillus Hieroſ. præfatione ad Catecheſes, hortatur auditorem, ne faſtidiat catecheſeon prolixitatem, quæ neceſſaria eſt ad variorum errorum conuulſionem, & inſtruendum neceſſariis armis nouum tyronem. Hæc liquidò monſtrant, primum illud quod dixi Sacri Oratoris munus, nempe docendi & explicandi quæ Chriſtianum noſſe oportet longitudinis noxam à Concionatore amoliri.

Nec minùs idem præſtat functio eiuſdem altera, nempe piè mulcendi plebem fidelem, vt Diuini verbi pabulum cum guſtu percipiat. Saporem verò guſtu percipiendum, nihil æquè obtundit aut præripit, ac præpropera dicendi ratio, ita vt mentis cibus quaſi conuolutus & planè immanſus præ breuitate objiciatur? Nam etiam in corporeo cibo, qui auidiſſimè & celerrimè illud gluttiunt, vel etiam vorant; cibi ſuauitate perparcè perfunduntur. Tandem etiam monendus eſt à Sacro Eccleſiaſte fidelis populus, & verbum Dei tractarum fideliter, debet ſe ad cor eius habere veluti malleus conterens petras. At obduratiſſimi cordium ſilices, non conteruntur vno & altero ictu, ſed pluribus ad longam moram repetitis. Quis verò infixum in limo profundi hominem, momento & citra longum conatum extrahat? Has ob cauſas, qui maximè inter Chriſtianos Oratores claruêre, dum in omnes partes verſant auditoris animum, prolixitatem defugere non potuerunt. Quod vel vnius S. Chryſoſtomi exemplo perſpicuè liquet. Nequiꝰ aliòqui profeciſſent hilum, præſertim in extirpatione vitiorum; nam vt ait Ennodius ſub finem Apologetici. [Vſus eſt multa peccantium, ſtricta allocutione non corrigi; & effuſionem plurimi quam in delictis habuerunt in monitoris ſermonibus hanc requirunt.

Quorſum porro aduersùs longas conciones Sacras tantoperè concitemur, cum periti foren-

Sectio. 1. Breuitas in diuinis Concio.

ſium declamationum, quarum longè minus eſt quàm Sacrarum momentum; negarint, oratorem profanum ſi breuiter dicat, poſſe partes ſuas ritè explere? Teſtem aduoco Plinium l. 1. epiſt. 20. vbi agens cum Cornelio Tacito, aperit ſententiam ſuam in diſputatione habita cum perito homine, qui breue, & circumſcriptum dicendi genus magis probabat: Ipſe Plinius ſtat è contrario his præter cætera quæ æquè vel etiam fortiùs vrgent in re noſtra. [Præuaricatio eſt, tranſire dicenda. Præuaricatio etiam curſim & breuiter attingere quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda. Nam Pleriſque longiore tracta vis quædam & pondus accedit, vtque corpori ferrum, ſic oratio animo, non ictu magis quàm mora imprimitur. Hic ille mecum authoritatibus agit, ac mihi ex Græcis orationes Lyſiæ oſtentat; ex noſtris Gracchorum, Catoniſque; quorum ſanè plurimæ ſunt circumciſæ & breues. Ego Lyſiæ Demoſthenem, Æſchinem, Hyperidem, multóſque præterea: Gracchis & Catoni, Pollionem, Cæſarem, Cælium; inprimis Marcum Tullium oppono: cuius oratio, optima fertur eſſe quæ maxima.] Et poſt aliqua [Adſunt huic opinioni meæ, leges quæ longiſſima tempora largiuntur, nec breuitatem dicentibus, ſed copiam, hoc eſt, diligentiam ſuadent, quam præſtare niſi in anguſtiſſimis cauſis non poteſt breuitas. Adiiciam quod me docuit vſus magiſter egregius; frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in conſilio fui: aliud alios monet, ac plerumque paruæ res maximas trahunt. Varia ſunt hominum iudicia, variæ voluntates. Inde qui eandem cauſam ſimul audierunt, ſæpè diuerſum interdum idem, ſed ex diuerſis animi motibus ſentiunt. Præterea ſuæ quiſque inuentioni fauet, & quaſi fortiſſimum complectitur, quum ab alio dictum eſt quod ipſe præuidit. Omnibus ergo dandum eſt aliquid quod teneant, quod agnoſcant.] Tandem infra, poſt laudatam ex Comico Eupolide Periclis in verbis breuibus vim dicendi ac ſuadendi planè inſignem, ſubdit. [Delectare, perſuadere, copiam dicendi, ſpatiúmque deſiderant; relinquere verò aculeum in audientium animis is demum poteſt, qui non pungit; ſed infigit. Adde quæ æquè de eodem Pericle Comicus alter; non enim amputata oratio & abſciſſa, ſed lata & magnifica, & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac miſcet. Optimus tamen modus eſt; quis negat? Sed non minùs ſeruat modum, qui infra rem, quàm qui ſupra; qui adſtrictiùs, quàm qui fuſiùs dicit.]

* Audiendum item prudens Fabij monitum l. 4. Inſtitut. cap. 2. [Nimium corripientes omnia, ſequitur obſcuritas; ſatiúſque eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quàm deeſſe, nam ſuperuacua cum tædio dicuntur: neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quare vitanda etiam illa Salluſtiana (quamquam in ipſo virtutis obtinet locum) breuitas, & abruptum ſermonis genus, quod otioſum fortaſſis lectorem minùs fallat, audientes præteruolat; nec dum repetatur expectat.] Præmiſerat eam demum cenſeri breuitatem, non quæ eſt circumciſa (*σύντομον* vocant Græci,) verè autem non niſi ſuperuacuis caret: neque item quæ poſſet aliquid ex neceſſariis deſiderare; ſed in qua non plus aliquid dicatur, quàm oporteat. Itaque quantumuis protenſa oratio, ſi ea tantùm contineat quæ oportet, non eſt longa cenſenda, iuxta Fabium eloquentiæ ſæcularis magiſtrum, ſi eum de terrenis commodis, vel incommodis agitur, peritus arbiter pronunciat non eſſe verbis parcendum; nec eſſe deprecandam longitudinem, quæ iuſtiſſimè & ex neceſſitate adhibetur. Quantò magis non eſt damnanda prolixitas cum oratio ſpectat ſalutem animæ, nec vnius ſed plenæ concionis.

Nemo Chriſtianorum Oratorum, Paulum vel ſuperauit, vel etiam (vt videtur,) æquauit dotibus, ad dicendum accommodatis. Et tamen in variis concionibus, quæ exaratæ leguntur in Actibus Apoſtolorum, non fuit parcus ſermonum, nec captauit breuitatem; ſiue ad Iudæos, ſiue ad Ethnicos, ſiue ad fideles iam initiatos ageret. Nam cum Iudæis quidem, quod vrgendi eſſent ingeſta recordatione tot diuinorum beneficiorum, maioribus * ipſorum pridem impenſorum abſque ſatisfactione diuini illius profluuij erga eos quos affabatur, repetenda erat oratio à multis ſæculis: vnde etiam in Moſe & Pſalte prolixitas nec modica eſt exorta, quoties cum Iudæis egerunt. Itaque mirum non fuit, Paulum quoque, diffuſiores conciones ad Iudæos habuiſſe, imitatione cognati ſui Stephani, cuius audiuerat concionem prolixam, vnde raptus eſt ad lapidationem præſente ipſo Paulo. Cum Ethnicis quoque, Paulus non poterat parcè ſermocinari præ eorum ruditate, & nebulis errorum quæ diſcuti momento non poterant; ſed operoſa, atque adeò tarda enubilatione indigebant. Fideles verò quàm diffuſa concione diſtineret Paulus perſpicuum eſt ex Actor. 20. vbi narratur, Paulum protraxiſſe ſermonem vſque ad mediam noctem. Et adeò *dum diſputauit*, ſiue diſſeruit Paulus, vt Eutychus adoleſcens qui præ audiendi auiditate (vt Chryſoſtomus ibi homil. 43. perpendit) in feneſtra ſedebat; denſitate turbæ alium locum præcludente, victus ſomno, fatiſcente natura de tertio cœnaculo deorſum ceciderit, & ſublatus ſit mortuus. Et quamuis ad ſuſcitationem Eutychi tantiſper abrupit Paulus orationem, quantum ſcilicet opus fuit ad exſcendendum à tertia contignatione in qua concionabatur, ad impluuium quò is ceciderat; tamen mox regreſſus, *ſatis allocutus vſque in lucem, ſic profectus eſt.* Cedo concionatorem qui à prima nocte vſque in lucem ſermonem protrahat (quod Paulus fecit,) non contra eloquentiæ leges, quam in eo celebrat, ex inſtituto S. Auguſtinus lib. 4. de Sacerd. ſed laxans, zelo ſuo habenas, vti par eſt omnem Chriſtianum Eccleſiaſtem agere.

Sunt vero planè friuola, quæ obtendi in contrarium ſolent. Plinius laudatâ iam epiſtulâ, vnam radicem improbatæ aliquibus circa res profanas breuitatis aperit, hue meritò transferendam. [At eſt, (inquit) gratior multis actio breuis. Eſt quidem; ſed inertibus, quorum delicias, deſidiámque quaſi iudicium reſpicere ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatiùs eſt breuiter dicere, ſed omnino non dicere.] Aliqui ergo cum deberent deſidiam ſuam, & Sacrorum ſermonum inappetentiam damnare, allegant tempeſtatis incommoda, præſertim æſtatis calores; plebecula verò allegare ſolet tenuitatem rei domeſticæ, & neceſſariò parandum ex opificiis

victum

Victum familiæ ; quæ temporis ad operandum neceſſitas cum prolixitate concionis non cohæret.

Præcludit,& excludit hanc poſteriorem excuſationem S. Baſilius homil. 3 hexaëm. Et certum eſt , ac iugi experimento teſtatum , qui temporis adeo parci ſunt , cauſantes neceſſitatem opificiorum , cum agitur de audiendo paulo diffuſiùs tractato Dei verbo , facile tempus prodigere in ludos & comeſſationes , cum ſe dat occaſio , nec in nugis,aut etiam noxis tanta temporis caritate vrgeri. Prior verò excuſatio quoad calores , retunditur optimè à S. Chryſoſtomo homil. 4. de verbis Iſaiæ : & Tom. 5. Græcol ſerm. 56. vbi allegato Sanctorum in tot ærumnis indefeſſo ſtudio circa Dei opus , ſubdit è contrario de noſtra ſocordia. [An non abſurdum eſt Sanctos quidem illos, cum in fornace , & igne, & lacu,& belluis , & loto , & carcere , & compedibus , & plagis , & ergaſtulis , & intolerandis verſarentur malis, nihil vnquam. culpare, ſed multa cum animi contentione , & ardore perpetuo , precibus,& hymnis Sacris operam dare : Nos qui non vllam exiguam , non magnam ex illis quæ enumeratæ ſunt paſſionibus toleramus, ob æſtum & calorem modicum ac ſudorem , noſtræ ipſorum ſalutis curam deponere , ac relictis collegij, foris vagari , nóſque cœtibus deprauandos immiſcere , in quibus nihil non vitioſum eſt & corruptum ? Tantus Sacrorum eloquiorum eſt ros, & æſtum obijcis ? *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et rurſus. *Qui credit in me , ſicut dixit ſcriptura , flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* An tu quæſo cum intus fontes habeas , & flumina ſpiritualia,ſenſibilem calorem times ? At in foro, quæſo, vbi tantus est ſtrepitus , tot anguſtiæ , ac multus æſtus ; qui fit , vt calorem & ſolis ardorem non obtendas ? Non enim id dicere potes , illic frigidiore licere aëris aura frui , hic verò totum nobis collectum calorem ſæuire ; quin potiùs contrarium penitus , hic quidem vbi cruſtis lapideis ſolum conſtratum eſt , & ob reliquam ædis Sacræ fabricam (ſi quidem in immenſam aſſurgit altitudinem) leuior & frigidior eſt aër ; at illic multus vndique ſol irradiat , multæ anguſtiæ, fumus , puluis & alia plura quæ maiorem iſtis moleſtiam exhibent. Ex quo intelligitur , Inertiæ & mollitiei animi , qui Spiritus Sancti flammâ ſit deſtitutus , has ineptas excuſationes eſſe tribuendas.]

Non nemo ſiue diuitum ſiue plebeiorum,cum ſpecioſiorem prætextum vult obtendere , adducit confuſionem ac tenebras quas longitudo concionis ingenerat. Neque enim poteſt eſſe longa dicentis oratio, quin multa proferantur. Ea verò congeries rerum inuicem in memoriæ ſtomacho veluti colliſarum tormina ciet,& animũ obturbat atque confundit,ſed huic incommodo facilè mederi poteſt Concionatoris prudẽtia,ſi in calce ſermonis , contrahat in pauca quod diffuſè tractatum eſt vniuerſa concione. Praxis fuit S. Chryſoſtomi hom. 3. de verbis Eſaiæ. *Vidi Dominum.* Veritus enim ne multitudo rerum quas expoſuerat , turbaret auditorum memoriam.] Quapropter (inquit) , neceſſum eſt , vt quæ dicta ſunt ſummatim pauci teperamus. Sic & matres facere ſolent, cum poma, aut bellaria , aut ſimile quippiam in puerilem immittunt ſinum , ne per

puerorum negligentiam , excidat aliquid eorum, *Sectio 15.*
quæ data ſunt , contractam vndique tuniculam, cingulo ſubtegunt , quo ſint in tuto. Idem *Breuitas*
nos faciamus , orationem in longum porrectam *in diuinis.*
contrahamus , memoriæque cuſtodiæ deponamus.] *Concion.*

Aliqui dum longitudinem vitare videri volunt , & multa intra breue tempus conſtipare deſiderant ; quàm celerrimè & ſimul inutiliter, agunt ad populum. Fœtus hic eſt pleramque vanitatis & puerilis oſtentationis , cuius pleroſque ſui æui concionatores inſimulat Muretus ad 40. Senecæ epiſtolam ; vbi ex Muſonio quoque apud Gellium , eum concionandi vſum reprehendit. Nunc inſiſtamus ſoli deuitationi longitudinis per eam viam , quam eſſe inconſultiſſimam ; & præſtitiſſe prolixiſſimè dicere , quàm ad eum modum verba proijcere , ſtatuamus vt certum eſt ex graui & longa diſputatione Senecæ contra Serapionem , magno curſu verba conuoluentem, quæ non effundebat , ſed premebat , & vrgebat. [Hoc non probo in Philoſopho, (ait Seneca epiſtola illa 40.) cuius pronunciatio quoque, ſicut vita , debet eſſe compoſita. Nihil autem ordinatum eſt , quod præcipitatur & properat. Itaque oratio illa apud Homerum concitata , & ſine intermiſſione in morem niuis ſuperueniens oratori data eſt : at lenis & melle dulcior , ſeni profluit. Sic itaque habe , vt iſtam vim dicendi rapidam atque abundantem , aptiorem eſſe circulanti iudices ; quàm agenti rem magnam & ſeriam , docentique, &c. Faciliùs incidit quod expectatur , quàm quod prætereuolat. Denique tradere homines diſcipulis præcepta dicuntur. Non traditur quod fugit. Adijce nunc, quod quæ veritati operam dat oratio , incompoſita debet eſſe & ſimplex. Hæc popularis , nihil habet veri. Mouere vult turbam , & inconſultas aures impetu rapere : tractandam ſe non præbet , aufertur. Quomodò autem regere poteſt, quæ regi non poteſt?Quid quod hæc oratio quæ ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet ? Remedia non proſunt , niſi immorentur. Multum præterea habet inanitatis & vani Plus ſonat , quàm valet. Lenienda ſunt quæ me exterrent , compeſcenda quæ irritant , diſcutienda quæ fallunt , inhibenda luxuria, corripienda auaritia ; quid horum raptim poteſt fieri ? Quis medicus ægros in tranſitu curat. ? Quid quod ne voluptatem quidem habet , talis verborum ſine delectu ruentium ſtrepitus , ſed vt pleraque quæ fieri poſſe non crederes , cognouiſſe ſatis eſt : ſic iſtos qui verba exercuerunt , abundè eſt ſemel audiſſe. Quid enim , qui diſcere , quid imitari, velit , quid de eorum animo iudicet , quorum oratio perturbata & admiſſa eſt , nec poteſt reprimi ? Quemadmodu per procliue currentium , non vbi viſum eſt gradus ſiſtitur , ſed incitato corporis pondere ſe rapit ac longiùs quàm voluit effertur : ſic iſta dicendi celeritas nec in ſua poteſtate , nec ſatis decora Philoſophiæ , quæ ponere debet verba , non proijcere , & pedetentim procedere. Quid ergo ? Non aliquando , & inſurget ? Quidni ? Sed ſalua dignitate morum , quam violenta iſta & nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen ; perennis ſit vnda , non torrens. Vix oratori permiſerim , talem dicendi velocitatem, irreuocabilem ac ſine lege vadentem.]

Sectio 1.

Breuitatas in diutnis.

Concio.

Meritò, nam Ciceronem quoque fuiſſe gradatim, mox addit, & Romanum ſermonem ſe circumſpicere ac æſtimare & præbere æſtimandum admonet. Quem ille dicendi curſum in celeri Oratore improbat, & à Philoſopho mundi planè ablegat, in Sacris Oratoribus, quorum omnis dictio fructum audientium ſpectare debat, in melioris Philoſophiæ profeſſoribus ferendum cenſebimus? Itaque omnis illa & fortis & longa Senecæ diſputatio aduerſus Philoſophum verba conuoluentem, aptè cadit in Chriſtianos Oratores, præterea vitandæ longitudinis rapidos, & auditoribus planè infructuoſos. Et quamuis probanda non eſt dicto ſtillans, & arteres extendeps, vt ibidem Seneca præmiſerat; tamen neque vſurpanda eſt, quæ obruat. Singula verba vellentes, tanquam dictarent non dicerent, minus intentum auditorem habent, tædio interruptæ tarditatis, ita vt eis occurendum ſit, quod Vinicio: *dic, vel nunquam dicas.* Nam Q. Haterij curſus longius abfuit ab homine ſano, qui, vt ait Seneca, nunquam dubitauit, nunquam intermiſit: ſemel incipiebat; ſemel deſinebat. Præſtat certè in dicente facilitatem longitudini cohærentem quàm celeritatem.

Concludo ex omnibus antedictis, non eſſe captandam breuitatem in ſacris dictionibus, nec adeò concitandum in longitudinem concionis. Sanè S. Dorotheus Doctr. 11. n. 3. ait, fluxiſſe iam duas vel tres horas, ex quo ad loquendum conſederat cum fratribus, & ex iis quæ ibi habet, & mox ſubiicit, paret agi de adhortatione ſacra, non autem de locutione ad recreationem, ſiue laxationem animi. Sermocinatio autem ad duas vel tres horas protenſa, non poteſt videri breuior. Non eſt ergo probrum concionis, longam eſſe; ſiſque eſt ad horam regularem ad loquendum conſtitutam, cuius S. Bernar. meminit ſerm. 83. in Cant. *initio*, non concludere termino horæ vulgariter acceptæ, ſed diffundere ad tempus longius, quod totum nominetur *hora loquendi*: ſicque ſacer Orator declinabit probrum illud à Monachis murmurantibus infeſtum in Abbatem, breues prædicationes ad ſuos habentem [Si locutio breuis fiat; quod in ſuo (inquiunt) non ſtuduit vaſe recondere, non valet aliis propinare: & fons qui in occulti meatus ſui venis areſcit vberes riuos per fiſtulas non profundet.

§. 2. *Eccleſiaſtes niſi oleum & operam perdere velit, fruſtráque auditores fatigare, breuis eſto.*

MAndabat hoc ſuis Concinatoribus S. Franciſcus cap. 9. Reg. allegato eam in rem Prophetæ oraculo, *verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram.* Hoc verbum abbreuiatum, vt accipi poteſt de Verbo Incarnato, vt fusè dico agens de Chriſto, vel de nouo Teſtamento, quod præ veteri breue eſt; iuxta illud Tertulliani lib. 4. in Marcionem cap. 1. [Sermo de quo Eſaïas. *Quoniam* (inquit) *deciſum ſermonem faciet Dominus in terra.* Compendiatum eſt enim nouum teſtamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.] Et infra cap. 9. [Vnius lauacri vis & plenitudo, Chriſto ſoli dicabatur; facturo in terris, ſicut ſermonem compendiatum, ita & lauacrum.] Deo quocumque huiuſmodi verbo abbreuiato accipiamus eam denominationem, iure negabat S. Franciſcus, verbum longum atque diffuſum, de verbo abbreuiato inſtitui oportere.

Adducuntur in eandem ſententiam aliæ ſcripturæ. Quidam allegabat ad hoc confirmandum, illud Chriſti *dabitur vobis in illa hora, quemadmodum reſpondeatis.* Ex quo inferebat, quod concionator vltra horam profuſus dicit, non eſſe ex Spiritus ſancti inſpiratione. Horam ſanè, iam olim fuiſſe terminum conuenientem concionis, haberi videtur ex Chryſoſtomo homil. 3. in Geneſ. vbi ait. [Explanando hoc dictum, *In principio fecit Deus cælum & terram*, totam horam inſumpſimus; & neque ſic totum comprehendere valuimus.] En *horam inſumpſimus.* Chryſologus quoque ſerm. 12. idem inſinuat verbis illis.] Date veniam Fratres, ſi intra punctum temporis, & horæ vnius vix momentum, obſcura lucidare, clauſa reſerare, firmare dubia, profunda contingere, tot ſeculorum ineffabile Sacramentum, per omnem nodum aperire non poſſum.] Itaque *horam* duntaxat, tribui ſacræ dictioni, tametſi non ſolidè eruebatur ex illis Chriſti verbis, *dabitur vobis in illa hora*, tamen conſentaneum eſt vſui antiquo & rationi, moderationem in dicendo præſcribenti; quæ ſeruari in illa temporis menſura, nec nimiùm anguſtia, nec nimiùm laxa, videtur. Quanquam vobis in præſentia ſatis eſt dicere, præſtare concionem eſſe breuem, quàm admodum diffuſam & vltra terminos conuenientes expaſſam.

Patres paſſim ſuffragantur, nec tam verbo quàm exemplo. Non (inquam) tam docent in actu ſignato, conciones ſacras debere eſſe breues, quàm id præſtant in actu exercito. Admodum enim verbis ſubſtrictas habemus conciones SS. Patrum, Auguſtini, Chryſologi, Leonis magni, paſſimque cæterorum. Conſtat, decuplo, vel etiam ampliùs auctiores eſſe noſtrorum Concionatorum ſermones. Neque tamen eam breuitatem pars aliqua Sacri Eccleſiaſtæ deficiebat, ſiue ad docendum, ſiue ad delectandum, ſiue ad permouendum. Erit qui cenſeat plura eos dixiſſe quàm ſcriptis commiſerint. Id quod Plinius lib. 1. epiſt. 20. de antiquis Oratoribus, quorum tunc orationes extabant, deque ipſo Cicerone contendit, putat enim eum permulta dixiſſe, quæ cum orationes ederet, omittebat. Vir tamen doctus apud eundem Plinium, contendit è contrario, antiquos illos Oratores pauciora dixiſſe quàm ediderint. Nobis verò ea ſedet ſententia, quod Patres, quorum homilias habemus, idipſum illos dixiſſe quod ediderunt; atque adeo breuiſſimè ferè dixiſſe, præ hodiernis Sacris Oratoribus, quorum prolixitas longè ſuperat S. Chryſoſtomi longitudinem, cum quidem orationem habet, non librum conſcribit. Nam nonnulla tanti Patris inter ſermones malè recenſita, reuera ſunt ſcriptiones in vmbra exaratæ, vt tractatio longa ad Gentiles de S. Babila; & *quod Chriſtus ſit Deus*; & eiuſdem ſanctiſſimi viri Cygnæa vox, Cucuſi conſcripta, *quod nemo læditur niſi a ſe ipſo.* In iis qui verè ſunt tractatus ad populum, ſolet Diuus Chryſoſtomus breuior eſſe, quàm ſine noſtri Eccleſiaſtæ; & tamen homo eo dicendi lepore qui faſtidium omne abſtergeret facilè, non euitauit reprehenſionem longitudinis, ob initia Concionum prolixiora: id quod ipſe deprecatur

initio

initio homiliæ de ferendis reprehenſionibus, & tom. 5. Græcol. ſerm. 13. ex quo liquet, eum iæ meris Chriſtianorum Oratorum aliquam, acceptiorem & fructuoſiorem fuiſſe futurum, ſi breuior extitiſſet in dicendo.

Neque verò quidquam veritati ex breuitate decedit ſi ſolers & induſtrius ſit qui diſſerit; nam etiam Geographi vt eſt apud Auſonium in Euchariſtico ad Gratianum num. 4. [*Terrarum orbem vnius tabula ambitu circumſcribunt, aliquando detrimento magnitudinis, nullo diſpendio veritatis.*] Trahere item huc poſſumus margaritas, quandoquidem Chriſtus Math. 7. verbum concionale confert cum margaritis; & ſolemni interdicto, *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Vbi ſermo eſt de doctrina Euangelica & de myſteriis veritatis latentibus in verbo Dei. Theophylactus ad eum locum, *margaritas* dici ait claros & margaritis ſimiles ſermones, de Theologia & rebus diuinis. Huiuſmodi enim ſermones, benè conferuntur cum margaritis, quarum inſignis eſt pretioſitas, iuxta illud Plinij lib. 9. cap. 35. [Principium culménque omnium rerum pretij *Margaritæ* tenent.] *Margaritam, vel ipſo nomine pretioſam*, vocat Tertullianus lib. de Pallio cap. 5. Inſanire ad hos lapillos ſtudia matronarum, præ eorum pretioſitate idem alibi tradit. Et tamen Lapilli ſunt, terræ minutalia, non lapides, [nec ane fundamentis demandandi, aut parietibus moliendis, aut faſtigiis ſuſtinendis, aut tectis denſandis, vel neceſſarij, vel accomodati.] vt habetur cap. 6. libri de habitu muliebri. *Grana* appellat cap. 10. libri de cultu fœmin. Et cum de gracili aurium cute pendeant, ſignum eſt non eſſe prægrandes, aut graues admodum lapides, tametſi calendarium cum iis expendatur, ſiue appendatur; hoc eſt vſuræ ad Calendas exigendæ copioſæ ac pretij longe maximi: vt propterea idem actis fœmineæ vanitatis caſtigator, demiretur extremo libro de habitu muliebri, quomodò tantarum vſurarum ſubſtantia, vno & muliebri corpuſculo poſſet baiulari; præſertim in eam tenui annumente. Igitur breuis ac perexiguus lapillus margaritæ, cum verbo Dei prolato & per prædicationem ſparſo confertur; quia in vtroque, exiguitas (& vt ita dicam) modicitas placet. [Non in corporis tumore (ait de hac gemma Chryſoſtomus homil. 1. ad pop.) ſed in naturæ pulchritudine, pretium habet.] Itaque curandum eſt, vt verbum ſacrum breui ſermone exponatur, vt placeat atque proficiat. Nimirum quantauis gratia condiatur oratio, tamen vere rectè pronunciauit Tertullianus lib. de veland. Virg. cap. 4. naturaliter compendium ſermonis, & gratum & neceſſarium eſt; quoniam ſermo laciniosus, & oneroſus & vanus eſt. Sanctus Chryſoſtomus in fronte homiliæ quintæ de incomprehenſibili Dei natura, hoc ipſum quod Tertullianus dixit de longitudine ſermonis grauante auditores, concinnè his verbis illuſtrat, monſtrans expedire tractationem longam concidere in plures portiones, ne oneret auditores. [Qui rem ſibi explicandam propoſuerit ampliorem, & tam prolixum deſiderantem ſermonem, vt non vno altero die, ſed vix pluribus poſſit expediri, eum neceſſe habere arbitror non vniuerſam eodem dicendi curſu rem offerre auditorum auribus, ſed in plura partiendo leuius hinc & facilius reddere onus orationis. Nam & lingua, *Sectio I.*
& aures, & ſinguli noſtri ſenſus, modum, nor- *Breuitas*
mam, & limitem certum habent datum à natu- *in diuinis.*
ra. Quemadmodum qui egredi ſuperaréque con-
tendit, vel ab ea ipſa data præſentéque ſibi fa- Concio,
cultate ejicitur: & quod ſeruare poteſt, amittit, cum plura quàm valeat proſequatur. Quid luce iucundius? Quid radio ſolis acceptius? Attamen res hæc tam jucunda, tam accepta & placida, vbi ſupra modum ſeſe oculis noſtris obtulerit, grauis moleſtáque occurrit. Quamobrem Deus immortalis, noctem diei ſuccedere voluit, quæ oculos fatigatos demiſſis palpebris aperiret, & pupillis quietem reconciliaret, atque ita vim recrearet videndi, & ad futurum officium redderet aptiorem. Hinc etiam vigilia & ſomnus, res inter ſe contrariæ, pariter jucundiſſimæ accedunt ſuæ moderationis viciſſitudinis, & cum lucem ſuauem nominemus, ſomnum quoque ſuauem dicimus qui nos dimouere à luce conſueuit. Ita omnibus in rebus graue, moleſtúmque eſt, quod immodicum; ſuaue vtile & iucundum, quod modicum eſt. Quam ob cauſam & ſi dies jam quintus poſteáquam agere de incomprehenſibilitate incœpimus; tamen nondum perficere diſputationem voluimus totam, ſed adhuc partim differendum, partim relaxandum cenſuimus.]

Iam olim fuiſſe hoc neceſſarium ſacris Oratoribus, ne Auditores nauſearent ad nimiùm diffuſas conciones, liquet ex Origene homil. 6. in Iudic. qui breuiter ſibi agendum conteſtatur [Breuitatem enim Auditores Eccleſiæ diligunt.] Nota *Auditores Eccleſiæ.* Nam Auditores theatri, vel ſi tota dies audiendo exigenda eſſet, non faſtidiebant. Et quod obſeruat S. Chryſoſt. hom. 4. de verbis Eſaiæ, nudo capite ſolis radios excipiebant, ita vt ſudore diffluerent. Nimirum non modò primis temporibus theatra aperta erant, *nec ſinuoſa vago pendebant vela theatro.* vt Propertius canit lib. 4. Eleg. 1. obſeruátque Iul. Buleng. lib. 1. de thear. cap. 10. ſed etiam ſerò admodùm, vt ex citato Chryſoſtomi loco deprehenditur: & tamen adſtabant ſpectatores nudo capite, nec faſtidiebant prolixitatem; quæ faſtiditur ab auditoribus Eccleſiæ; ſin minùs ab hominibus, at ab iis ſaltem quos appetentia ſpiritualium ciborum deficit, vt eodem loco homil. 2. diſſerit S. Chryſoſtomus. Prætetquàm quod naturaliter omne prolixum, ingenerat faſtidium, quanto magis in ſacris ſermonibus mentem non ſenſum paſcentibus? Cur verò naturaliter Auditor faſtidiat ſacri ſermonis prolixitatem, ritè expreſſit Nazianzenus initio orationis in S. Baptiſma, componens verbum Dei de ſacro ſuggeſtu expoſitum, cum eſcis in menſa apparatis ad veſcendum. Sicut ergo ciborum quamtumuis bonorum nimia copia, ingeſta ventri corporeo, non modo non iuuat veſcentem, ſed etiam grauat & ad nauſeam prouocat: ita vbertas nimia dictionis quantumuis eruditæ, auditorem obruit, eiúſque appetentiam profligat. Idem habent S. Gregorius homil. 23. in Euang. & homil. 11. in Ezech. S. Bernardus ſerm. 83. in Cant. *in fine* nec non S. Chryſoſtomus, cuius illa ſunt in homilis de Ioſeph & caſtitate ſect. 13. Tom. VI. Græcolatini, cum ea recîdit quæ de S. Suſanna latiùs à ſe diffundenda receperat. [Satius eſt, vt ſitientes diſcedant Auditores, quàm vt exſatiati, quæ acce-

Sectio.1. Breuitas in diuinis. Concio.

perunt, etiam euomant. Noxia ergo eſt conuiuiis myſticis, ea eſcarum ſpiritualium affluentia: & vt minimum, parit faſtidium cięque ſomnolentiam, vt ex perſona Monachorum murmurantium, ais Petrus Damiani Opuſc. 21. cap. 2. Vt quid ergo Eccleſiaſtes ſe diuexet prolixè dicendo, aliis faſtidium eadem opera creaturus, & minùs profuturus? Nam ferè vbertas fructûs, gratiæ qua apud audientes valet orator, commenſa eſt. In breui autem ſermone, illud eſt commodi, vt ſapienter aduertis S. Thomas Hebr. 13. *in fine*, quod ſi bonus eſt, auidiùs haurietur, multóque eſt fructuoſior; ſi autem malus eſt, minùs grauat; quia præ paucitate non multùm faſtiditur. Præiuerat Poëta apud Stobæum ſerm. 35. qui eſt de breuitate in dicendo.

Orationi breui multùm ineſt ſapientia.
Imprudentes ſermones hoc ſolo iuuantur,
Si ſiant breues, & temporis modum
habeant.

Siccandus ergo eſt ſale Attico Aſianus tumor, & profuſio per verborum pampinos reſecanda, vt eloquentiæ torcularia ſenſuum expreſſionibus redundent, vnde exiſtet dicentis breuitas. (Monitum eſt S. Hieronymi epiſt. ad Ruſticum, & ſiue agatur de docendo, ſiue de permouendo, aut delectando, deuitanda eſt dictionis vbertas nimia, verbiſque parcendum.

Quidquid præcipies eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.

monebat Poëta; Tantum abeſt, vt functio quæpiam Sacri Eccleſiaſtæ, & fructus auditoribus obuenturus, depoſcat longitudinem.

Idem admonent qui informant profanos Oratores, quorum optimi quique olim hac laude claruerunt, vt tradit Ludouicus Cœlius lib. 25. cap. 3. [Breuitas (ait de cauſidicis ſpecular. tit. de Aduoc. §. de exordiis) in harenguis ſeruanda.] Idipſum lege 12. tabulatum cautum erat, cuius ea erat ſententia. [Quæ cum populo, quæ cum patribus agentur, modica ſunto.] Id eſt vt cum Tullio interpretatur Oldendorpius ad cap. 15. ſiue Orator dicat coram Senatu, ſiue coram populo, breuis eſto. Benè multa in hanc rem profert Petrus Lenaoderius tract. de priuil. Doctorum parte 4. quæſt. 1. num. 5. ac nominatim tradit, Aduocatum verboſum poſſe ab officio deponi. Ad quod allegat Ludouicum Romanum ſing. 23. cum gloſſa ad l. *ex ea cauſa* ff. de poſtul. & Bernardum Landri in addit. ad Panorm. in procem. decretal. Etiam in orationibus ſcripto, comprehenſis quas in ſacro auditorio recitari, moris recepti erat, abſtinendum eſſe prolixitate, grauiſſimis verbis admones Imperator l. *ampliorem*. Cod. de appellat. Nec omiſit denunciationem faſtidij ampliſſimi conſeſſus, ſi pro breuitate compendioſa ad firmamentorum iuris expoſitionem ſufficiente, adhibeatur inutilis prolixitas, non niſi grauandis, ac obruendis iis qui affuerint, opportuna. Idem ergo multo magis attendendum eſt in cauſa animarum ac Dei peroranda, ſiue in orationibus ſacris, quia [Remota cui pauca non ſufficiunt, plura non prodeſunt.] Vt alia occaſione dicit Concilium Arauſic. 2. cap. 29. Et in hanc ipſam rem Petrus Cantor l. de Verbo abbreuiato, ait, in quouis Sacræ Scripturæ exercitio (cuiuſmodi eſſe notat prædicationem) exigi breuitatem, quia prolixitas eſt mater obliuionis, & nouerca memoriæ.

Quod ſi in cauſis inquiramus tantæ aliquorum inter concionandum prolixitatis, inueniemus vnde breuitas præ longitudine meritò adametur, profuſio verò dicendi repudietur. Quoſdam ergo in immenſum dicendo diffunditur, tumens ac falſum de ſuis cogitationibus judicium. Quia enim corrupta mente ſunt, & omnia ſenſa ſua adorant, nihil ex eis prætermittendum, & effundenda omnia putant, reciſuri multa atque præſſuri, ſi ſcirent magnam partem eorum quæ proferunt, præ vilitate ac protritione, putere cordatis atque peritis: vt vt ſit de obeſitate naſium plebeculæ. Eiuſmodi erant vani illi oſtentatores orationum in theatro, quos Syneſius in Dione ſubſannat, oratores populares, publica mancipia, omnibus obnoxij, quos in cuiuſuis poteſtate erat peſſimè afficere, adeò ſua omnia deperibant, & ad minimum faſtidium circa ea in quibus ipſam animam fame, & ſollicitudine diſtillauerant, emouebantur. Diffundebant itaque iſti orationem, ita vt inter dicendum, ampullam à famulo accipere atque ſorbere, & os gargarizare, faucéſque colluere, ad prorogandam dictionem, neceſſarium haberent; ea apud auditores gratia, vt dicendi finem ab eo factum plurimùm vellent, aut Oratorem cuperent ſtatuæ in modùm, didocto ore ſublatâque manu, ſtatua eſſe mutiorem, vt copia eſſet diſcedendi. Haud diſpar ergo de ſuis ſenſis longa commentatione apparatis, interna ſuperbia, ſacros quoſdam Oratores occupat. Vndè merces, adeò (vt quidem ipſi putant,) pretioſas, quas ſtudioſè compararunt, ſtudioſis oſtendant, immenſum defatigantes & fatigantes concionem, à qua pro expetita laude & gloria cui inhiabant, reportant dicta amarulenta faſtidium ſeſtantia.

Alij quia ſe à cogitationum raritate & peregrinitate minùs inſtructos agnoſcunt, alia via ſuperbiæ animum occupanti velificantur. Longa enim ſermonis protractione, captant eloquentiæ laudem; qua ſis idem loquentia & eloquentia. Plinius lib. 5. epiſt. 20. de Iulij Candidi ſententia vtramque ſecreuit, & præiuerat Salluſtius in Catil. coniur. Ex aliis veteribus eam loquentiæ à genuina eloquentia diſtinctionem refert Agellius lib. 1. cap. 15. Itaquè perperam Chriſtianus Orator, longitudine orationis; & tanquam copioſo verborum profluuio, à vera eloquentiæ ratione alieniſſimo, eloquentiæ decus captat. In nonnullis ea longitudinis ſermonum adamatio, pertinet ad innatam loquacitatem. Neque enim muliebre dumtaxat vitium eſt, loquacitas: ſed viris quoque interdum loquendi prurigo vix ſatianda obrepit. Breue loquendo creſcit in longum, vt ſuam prolixitatem excuſat Petrus Bleſe. Epiſt. 103. profeſſus ſe aggreſſum eſſe ad pauca exaranda: ſed natam fuiſſe ex affectu prolixitatem. Ita planè multis Concionantibus contingit, qui ex innata garrulitate, plerumque cum minùs parati ſunt plura effundunt, & vt verbum S. Auguſtini vſurpem, pretenſiùs verbolantur. Caderet conuenientiùs ea reprehenſio, & *verbo ſatorum* denominatio, in Ethnicorum declamatores ſiue Sophiſtas; (non enim Oratores:)

Oratores :) Genus fabulatum, meritò exoſum, pſeudologum, & (iudice Philone lib. de congreſſu,) præſtigioſum, ac omni labe contaminatum, inde nominatim ſordebat, quod eſſet πολύλογον, πολύῤῥημον, vt loquitur Maximus Tyrius diſſert. 15. & 16. βαττολόγους ſiue βαττορίζοντας vocabat orat. 1. Themiſtius. Adeò ſcillicet ſeminiuerbij, & blaterones erant, vt nullus eſſet loquacitatis eorum terminus. Eóque nomine, Gregorius Nyſſenus orat. 3. in Eunom. verboſitatis Sophiſticæ; & linguæ crotalorum in morem perſtrepentis, illum notat. Peculiari titulo Hieronymus Epiſtola ad Paulinum, Sophiſtam vocat *verboſum*, vel *abyſſo cuidam loquacitatis merſum*, vt in Dione loquitur Syneſius. Hoc in Libanio Sophiſtarum æuo ſuo veluti chorago, ſugillaſſe S. Baſilium, Verſus in ſancti Antiſtitis vita annotauit. Idem Leontium Sophiſtam eiuſdem labis arguit Epiſt. 83. Hoc in Apollonio Tyaneo, Euphrates Philoſophus cauendum, monebat Domitianum, Piloſtrato teſte lib. 8. vitæ cap. 2. [Metire aquam (aiebat Euphrates,) Imperatori : ſi enim ei orationis prolixitatem indulſeris, nos omnes ſtrangulabit.] Hoc in ſeipſo redarguebat veriùs quàm collaudabat Cratinus apud Suidam V. Δωδεκάκρουνον, cum os ſuum δωδεκάκρουνον, appellaret, Iliſſum in faucibus habentem; cui niſi quis os obturaret, verborum immenſo profluuio obruturus eſſet audientiam. E contrario Iuſtinus Apolog. 2. in Chriſti laude ponebat, quod [Breues eius & compendioſi fuiſſent ſermones; Neque enim Sophiſta erat.] Ac proinde Chriſtum, non Sophiſtas, æmulatus Orator Chriſtianus, non verboſabitur, ſed breuitatem adamabit in dicendo, ne characteriſticam Sophiſtæ ſuſcipiat, præ garrulitate quæ ferè partus ſuperbiæ eſt, & vili mancipio auræ popularis, ac gloriæ animali congruentior, quàm Crucifixi diſcipulo.

Æquè auerſari debet Chriſtianus Orator, cauſidicorum Romanorum prolixitatem, quæ eos ad bibendum in medio orationis curſu adigebat, ne arentes fauces, & ſicca labia, voci formationem intercluderent. Qualis ille Cecilianus apud Martialem lib. 6. epigr. 35. ſic ab eo irriſus.

Septem clepſydras magna tibi voce petenti,
Arbiter inuitus Cæciliane dedit.
At tu multa diu dicis, vitreiſque tepentem
Ampullis potas ſemiſupinus aquam.
Vt tandem fauces vocemque ſitimque rogamus
Iam de clepſydra Cæciliane bibas.

Optabat videlicet, importunum loquuleium auribus concionis parcere, exſorbendo aquam clepſydræ, moras dicendi dimetientis, & ſignum finiendi dantis, cum vacuata eſſet. Similitérque Syneſius in Dione, meminit garruli rabulæ, inter dicendum poſtulantis ampullam à famulo, ad os & fauces gargarizatu colluendas non abſque auditorum faſtidio quibus dicendi finis fuiſſet acceptior. Quid eſſent eæ clepſydræ ſpatia dicendi menſurantes, nihil ad rem præſentem attinet diſquirere. Videndi Raderus ad dictum Martialis Epigramma, petauius ad Syneſij Dionem *pag.* 21. Polletus lib. 1. de foro Rom. cap. 11. Budæus in reliquis Annotationibus in Pandectas, pag. mihi 572. à quo pleríque profecerunt. Cenſet verò morem Græcanicum dicendi ad clepſydram, à Cteſibio Alexandrino primò excogitatum, iuxta Vitruuium lib. 9. Tranſiiſſe ad Romanos Tullij ætate; ita vt quemadmodùm nos horarum ſpatia, præter cæteros modos, diſtinguimus vaſis arenariis in medio ſtrigoſis ac pertuſis, in quibus arena ad pollinariam exilitatem ſuccreta, vaſculi conuerſionibus vltro citróque commeando, horas metitur. Ita illi (vt Apuleius 3. Miles loquitur) vaſculo in vicem coli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo infuſa aqua, dicendi tempora definirent, nunc vnam, nunc plures clepſydras, ad orandum & agendam cauſam, concedendo. Non erat quælibet clepſydra, reſpondens ſpatio vnius horæ noſtratis; cum Plinius iunior lib. 6. Epiſtol. 2. profeſſus ſe dixiſſe per horas penè quinque, viginti quatuor clepſydras ſibi conceſſas dicat. Vndè de quantitate temporis quam quælibet clepſydra occupabat, admodùm variant ſententiæ, vt præſertim videre eſt apud Raderum loco annotato. Qui tamen verboſari amabant, importunè exorabant multas clepſydras, quibus orationem producerent, & Iudices qui leniores & æquiores videri volebant, quantum quis aquæ plurimum poſtularet, lubentes dabant : quod de ſe profiterur Plinius lib. illo 6. Epiſtol. 2. queſtus ſuo tempore increbuiſſe paſſim, & inualuiſſe conſuetudinem, binas vel ſingulas clepſydras, interdum & dimidias, & dandi, & petendi : & paucioribus plerumque clepſydris præcipitatas cauſas, quàm olim diebus explicari ſolerent. Hæc verò quanta erat audientium fatigatio? Itaque peruerſio erat, morem rectè inſtitutum ad frænandam oratorum garrulitatem, vrgendi ſcilicet Oratores ad præſcriptas clepſydras, eáſque non adeò multas, dicere, accumulatione exoratarum clepſydrarum conuellere : cum tamen, quod Plato in Theæteto dixit, eſſent qui ad puſillam aquam ducere poſſent quæ ſcire oporteret : qui ſcilicet intenti in cauſam, nec captantes lacinioſa oratione offundere Iudicibus caliginem, recidebant non neceſſaria, & ambages declinabant.

Hoc ipſum Chriſtiano cuiuis Oratori præſtandum eſt, eo ſollicitiùs, quòd non vt in forenſi ſtrepitu, victoria de auditorum voluntate expectanda eſt à ſono prædicationis, quantumuis potenti & valido; cum per ſe ſit tantùm æs ſonans & cymbalum tinniens; ſed à Spiritu ſancto, qui ad vocem exteriùs ſonantem, adiungit vocem virtutis, ſine qua externus prædicantis ſonus, in caſſum audiretur, vt S. Auguſtinus benè proſequitur in Pſal. 87. & S. Gregorius X. moral. cap. 11. Adeundus qui de prædicationis vtilitate, latè agit Michaël Medina toto lib. 3. de recta in Deum fide. Fatigatio itaque & dicentis, & audientis, per prolixam verbi externi propoſitionem non eſt ea, quæ ſubigit auditorem; atque adeò non eſt ei inſiſtendum, niſi prout remouet obicem Deo docenti intus, iuxta doctrinam S. Auguſtini, lib. de Prædeſt. 5. cap. 8. & tractat. 26. in Ioan. & S. Gregorij homil. 30. in Euang. quæ remotio meliùs fit per externam propoſitionem veritatis moderatam, quàm per nimis diuturnam à qua Auditor opprimitur. Vnde conciones Chriſti, & Apoſtolorum, procul erant ab immoderata prolixitate. Nec rectè opponitur praxis Sancti Pauli, qui Actor 20.

Sectio 1.
Breuitas in diuinis
Concio.

Sectio.1. Breuitas in diuinis Auctor.20. ad mediam vſque noctem protraxit oncionem: rurſúſque poſt nonnullam interciſionem ſermones ad excitandum Euthycum, tractationem produxit vſque ad dilu-

Concio. culum. Hæc enim adeò protracta ſermocinatio, non erat S. Paulo perpetua, vel etiam frequens; ſed tantùm ad breuem Troade commorationem, (nam non niſi ſeptiduo illic hæſerat,) & properum ſequenti die diſceſſum, ſic factum oportuit. Nequit verò in eo temporis ſpatio ſatis prolixo, prædicationi operam dedit; ſed vt D. Auguſtinus Epiſt. 86. rectè vidit, & fusè confirmat Maſſutius lib. 10. de vita Pauli cap.6. ingentem multitudinem quæ conuenerat vna Sabathi, (hoc eſt die Dominico,) pauit cœleſti pane, & ſalutaribus monitis informauit, non viſurus vltra eam in carne. Quæ vt omnia alia excuſationis capita deeſſent, ad ſubducendam reprehenſioni ſolito longiorem Pauli prædicationem ſufficerent. Neceſſitate enim iuſta adductus, prolixior in dicendo fuit, non autem quod eo morbo laboraret, quem Græci ἀπεραντολογίαν, ſiue pruriginem loquendi, finiendi neſciam appellant. Id enim genus morbi ab eo procul abfuiſſe monſtrat auiditas qua audiebatur. Cum è contrario, vt eſt apud Sophoclem,

> ἀνὴρ ἔστι ὃς ἥδεται λέγων ἀεί,
> λέληθεν αὑτὸν τοῖς ξυνοῦσιν ὢν βαρύς.
> *Quicunque gaudet continenter proloqui;*
> *Iſſe grauem eſſe, quotquot adſunt, non videt.*

Eſt ergo prudentis Concionatoris, lutulentos hoſce fontes fatigationis alienæ, æquè ac ſuæ, dicendi moderatione & breuitate obſtruere. Sanè verbum Dei eſt vnguentum fragrantiſſimum. [At in pretioſis vnguentis, (comparatio eſt Chryſoſtomi homil. cum Presbyter eſſet deſignatus, excuſantis decurtationem orationis:) non tantum ſi quis effundat lecythum, verùm etiam ſi quis vel ſummis digitis ſuperficiem attingat, & aërem nouo odore tinxit; & quotquot adſunt, ſuauitate fragrantiæ repleuit.] Non minus ergo odorata & grata accidet, breuis Concio.

Ad extremum, non rarò prolixitas, ex imprudenti per impeditum ingenium repetitione, auditoribus diffidente, oritur. In quem dicentis defectum, ſcitè cadunt illa apud Senecam patrem lib.9. controuerſ. 15. [Habet hoc Montanus vitium, ſententias ſuas repetendo corrumpit; dum non eſt contentus vnam rem ſemel benè dicere, efficit ne benè dixerit. Propter hoc ſolebat Montanum Scaurus, inter Oratores, Ouidium vocare. Nam & Ouidius neſcit quod benè ceſſit relinquere. Cum Polyxene eſſet adducta tumulo Achillis immolanda, Hecuba dixit,

> —— *Cinis ipſe ſepulti,*
> *In genus hoc pugnat.*

Poterat eſſe contentus: adiecit,

> *Tumulo quoque ſenſimus hoſtem.*

Neque hoc contentus, adiecit.

> *Æacida fœcunda fui.*

Aiebat Scaurus, non minùs magnam virtutem eſſe, ſcire deſinere, quàm ſcire dicere.] Obducunt aliqui, huic faſtidioſæ repetitioni operimentum, ex iudicio S. Chryſoſtomi ſub finem homiliæ de Conſubſtant. tom. 1. Græcol. verbis illis. [Earum veſtium quæ ſemel tinctæ fuerint, facilè color euaneſcit: quas verò multoties & frequenter immerſas eduxerint infectores, eæ florem coloris immutabilem ſeruant. Hoc & in animabus noſtris contingit. Si quando enim eadem verba frequenter audierimus, quaſi tincturam quandam, exceptam doctrinam non facilè deponemus. Ne igitur perfunctorie audiamus.] Benè iſta S. Chryſoſtomus, ſed non ad rem præſentem. Agit enim de repetitione eiuſdem argumenti, & eius inculcatione facta diuerſo tempore, non autem de inculcatione intra eandem homiliam. Hæc enim eſt plena faſtidij, illa vtilitatis permagnæ. Vnde quia S. Chryſoſtomus iam ſæpe aliàs egerat de ſtudio orationis, & timebat ne audientes diſputationem toties propoſitam faſtidirent; præmittit comparationem appoſitam. Sicut videmus, eundem S. Doctorem in homiliis ad populum, propè importunè repetita oratione, vrgere abſtinentiam à iuramento. Sed ea repetitio cum fieret in variis homiliis, non efficiebat Auditoras nauſeabundos.

IX. Commentationes Sacræ quibus Diuinorum librorum pars aliqua ſuſcipitur exponenda, vt pares vtcumque ſint argumenti dignitati, in longum diffundi ac expandi debent.

VIdetur ita haberi ex eo quod Scriptura vbiuis ſcatet difficultatibus, vt fert conſtans Patrum doctrina. Inſaniunt enim Nouatores, qui tanta luce perfundi Scripturas volunt, vt citra expoſitionem & interpretationem, pateant. Inſulſitas hæc eſt & imperitia non ferenda, meritóque eam caſtigant, & Scripturæ difficultatem luculenter demonſtrant Lorinus 2. Petri vltimo. Vbi S. Petrus obſcuritati epiſtolarum S. Pauli atteſtatur. Iuſtinianus ibidem cap. 1. v.19. num. 12. Villauicentius lib. 2. de ratio. ſtudij Theolog. à. cap. 3. Coccius tom. 1. lib.6.art.13. A Coſta lib. 2. de Chriſto reuel. *ab initio*, Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. Serarius in proleg. Bibl. cap. 22. Michaël Medina lib. 7. patrum *ab initio*, & paſſim Hæreſeologi Præiuerántque Patres, Scripturæ difficultatem agnoſcentes, nominatim Auguſtinus epiſtola 3. & ſermone 91. de temp. & lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c.10. & lib. de vtilitate cred. cap. 7. Iobius apud Photium Cod. 222. cap. 33. Et Procopius præfat. in Iſaiam. Si ergo Scriptura vbiuis difficillima eſt, quid mirum depoſci ad lucem affundendum, commentarios diffuſos & longos? Scripta Patrum quo breuiùs exarata, eo obſcuriora ſunt, & minùs frequentata, præ caligine breuitati comitante. In B. Hierothei Magiſtri ſui, Theologi Eminentiſſimi ſcriptis, breuitatem cum ſublimitate coniunctam, reddere libros illos, minùs peritis inacceſſos, tradit S. Dionyſius lib. de diu. nom. cap. 3. Quæ eſt ſanè librorum breuiter ſcriptorum labes. Cum enim ob anguſtias ſcriptionis non diffundatur explicatio; ſequitur, humiliora ingenia non poſſe ad eam profunditatem ſenſorum attingere: atque adeò librum ferè reddi inacceſſum, perparcè vtilem. Nam pauci ſunt adeò felici ingenio vt poſſint conſtipatam ſcriptionem

ptionem perſuadere, & latebras altius introſpicere: ſcriptionem autem diffuſiorem, nemo prohibetur attingere; & vix eſt qui fructo lectionis fraudetur. Accedit breuium commentariorum ieiunitas & ariditas, cui incōmodo facilè eſt mederi in prolixis commentariis, quibus corriuantur vndecumque omnigenæ litteraturæ fluenta. Quam enim diues & abundans omni doctrinæ genere eſt Villalpandus, qui ſuis ſacris commentationibus in Ezechielem, longas tractationes Mathematicas & Philoſophicas inſeruit, de centro grauitatis, de linea directionis, de proportionibus, aliiſque eiuſdem farinæ? Quàm amœnus Merſennus, qui vniuerſam Philoſophiam, & Mathematicas, & Muſicæ etiam delicias, aduocat in ſuas de Sacra Geneſi commentationes? Quàm verò longus æquè ac flatulentus, & eruditio redundans Alphonſus Toſtatus, verè ſtupor mundi, qui ſcibile diſcutit omne? Confer eius vbertatem ac plenitudinem vndecumque differtam cum acciſa ſupra modum breuitate Manuelis Sà, qui circa ipſum nomen ac cognomen ſuum, inuenit quod reſideret. Cum enim nomen illi eſſet *Emmanuel*, inducta Aphæreſi, voluit dici *Manuel*: & per Apocopen *Sà* audiuit, qui cognominandus erat *Saa*. Simili parcitate verborum & ſtyli acciſione vſus eſt in commentariis, qui vt boni ſint ac eruditi, de quo inter doctos non ambigitur, lectoribus tamen (præſertim tyronibus) parum admodum commodant, præ ſumma breuitate: à qua proinde maxima interpretum pars haud immeritò abhorreret: certè, ſi ſcriptiones eiuſmodi ad Scripturæ illuſtrationem proferat, non fore vendibiles abſque hedera. Itaque præſtat ex diuinarum Scripturarum puriſſimis laticibus vbertimè pioloi, tanquam de ſalutis perenni fonte promanantibus ac ſalientibus in vitam æternam, qui nunquam exhauriri queant, vt Damaſc. 4. fid. c. 18. rectè ſtatuit: ac proinde quantumuis magnæ molis ſint qui in eam edantur Commentarij, nunquam excedent, vel etiam æquabunt, argumenti dignitatem.

§. 2. *Non qui Scripturarum Commentarij prolixiores, meliores: longitudo illa & moles, nō rarò exigui iudicij, & ineptiētis interpretis partus eſt & argumentū.*

CElebratur meritò Gregorium Neocæſarienſem Euſebius lib. 7. hiſt. 25. quod in paruo ad Eccleſiaſtem commentario, maxima ingenij ſui monimenta reliquiſſet. Perſtrinxit olim contrariam ob cauſam aliquos Sacros interpretes S. Hieronymus prologo in Ionam. Sed quod tunc peccatum erat, exigua (vt ſic dicam) feſtuca fuerat, præ immanibus trabibus in quas poſtea excreuit abuſio, affectantium molem & numerum amplorum in Scripturam, imo in breuem aliquam eius partem voluminum. Thomas Haſſelbachius 21. annis quibus in Iſaiam laborauit, ne vnum quidem caput abſoluit, & exarauerat in primum illud Iſaiæ caput ſua capita ſupra quatuor & viginti, vt ſcribit Sixtus Senenſis lib. 4. Biblioth. *littera T.* Benedictus Deus, qui ſtamina vitæ adeò vaſti ſcriptoris ſuccidit. Nam alioqui neceſſe erat, orbem ſub tanta voluminum mole gemere. Hodiernos prolixos commentatores, & Bibliopolia ægerrimè illis ſe expedientia oſtentant, & in vnum faſcem acervatos exhibuit Cherlogus anteloquio 3. in Cant. ſect. 1. Cur verò adeò excreſcant apud pleroſque volumina, in promptu cauſa eſt. Multi interpretum vt tomos impleant, & ſtruices voluminum adornent, caupones agunt, & vt numum diuini verbi, aqua miſcent infauſto cramate. Ea inquam fallida & frigida vndecumque corrogant, & commentariis infarciendis addenſant, quæ in Sacris commentariis congruentiùs deſiderarentur. Expilarunt Nannij Mirabellij Polyanthea, & Maruli exemplorum farragines, ac Ioannis Petri (qui Baptiſmo propè eiurato Ioannes Pierius Valerianus audire maluit,) hieroglyphica, nec non Gnomologi omnes; quibus ad aliquem Scripturæ locum fine adductis, ſiue per prehenſum capillum tractis, explanationem Scripturæ titulus prænotatur. Quæ (malum) peruerſio iſta, atque confuſio! Si cordi erat locos communes conſcribere, vel concionum paradigmata plena & integra conficere, quid vetabat talia ſcribere, & quod erant prænotare, ſyluas nimirum morales, aut locos communes, vel homilias ad populum? Sectio 1. Breuitas in diuinis. Sacri Cōmentarij.

Non ſic Patres, quos idoneos Scripturarum interpretes, formatos à Spiritu Sancto habemus. Nuſquam apud eos farragines communium locorum comparent, nuſquam aceruationes rhapſodiarum, adeò diffuſæ vt vix legi poſſint. Interdum quidem Patres digitum obiter intendunt in aliquid ex aliena literatura, & exoticarum mercium ſpecimen commonſtrant; nunquam tamen inſiſtunt in illis parergis, quæ apud pleroſque nuperos, immane quantum ſuperant erga. Sapiunt æquè iſta iudicij firmitatem ac nonnullorum in externis diſciplinis tradendis præpoſtera ratio, res Sacras trahentium & obtorquentium, ad profanitates amœnandas. Sic Annibal Roſſelus integrum volumen quo totam Sacramentorum nouæ legis tractationem complexus eſt, intexuit ſuis in Mercurij Triſmegiſti Pimandrum commentariis, ne apice quidem Triſmegiſti per totum illum tomum memorato. Sic Petrus Andreas Canhonerius commentarium in Hippocratis Aphoriſmos, longiſſima variarum Theologicarum quæſtionum diſcuſſione ſaginauit. Idem alij quidem circa alias profanas materias præſtiterunt; ineptè profectò; nam ſua cuique tractationi ſedes & veluti regio eſſe debet. Pari iudicij inopia ad res Sacras trahuntur profana quæque. Hallucinantur verò & quidem craſſiſſime, qui commentariorum bonitatem æſtimant mole voluminum, ad quorum ſaginationem omnis illa extranearum materiarum turba connectitur. Ineptam enim eſſe bonitatis, libri amuſſim, vaſtitatem, dicendum eſt ſect. 2. Quare apage tam vaſti in Scripturas commentarij, gerris ac nugis, plerumque farſi, exſorbentes hominis vitam & cladem oculis inferentes, ſi quis eis ſe addicat propenſiùs. Sanctus Gregorius 27. moral. cap. 5. de his Interpretibus ad breuitatem Apoſtolorum collatis, ita ſtatuit, tractans illud Iobi *prohibita ſunt ſtellæ pluuiarum.* [Stellas pluuiæ Dominus abſtraxit atque ad inſtar gurgitum imbres fudit; quia cum de Iudæa prædicantes Apoſtolos abſtulit, doctrina nouæ gratiæ mundum ri-

Sectio 1. gauit; quod vtrumque factum in Eccleſia, poteſt *Breuitas* non inconuenienter intelligi, quia cum ſolutis *in diuinis.* corporibus ad ſecretos ſupernorum ſinus Apoſtolorum animas tetulit, quaſi à cœli facie, ſtellas Sacri Cō- pluuiæ abſcōdit. Sed ablatis ſtellis pluuiæ in morē mentarij. gurgitum imbres dedit, quia etiam reductis ad ſuperna Apoſtolis, per expoſitorum ſequentium linguas Diuinæ fluenta ſcientiæ diu abſcondita, largiore effuſione patefecit. Nam quod illi ſub breuitate loquuti ſunt, hoc exponendo iſti multipliciter auxerunt. Vnde & non immeritò, ipſa expoſitorum prædicatio, gurgitibus comparatur; quia dum multorum præcedentium dicta colligunt, ipſi in eo quod aſtruunt, profundiùs dilatantur. Nam dum teſtimonia teſtimoniis iungunt, quaſi ex guttis gurgites faciunt, *&c.* Sed nequaquam ſe eiſdem Apoſtolis expoſitores in ſcientia præferunt, cum exponendo latiùs loquuntur. Meminiſſe quippè inceſſanter debent, per quos eiuſdem ſcientiæ inuentiones acceperunt. Vnde & aptè ſubiungitur, *qui de nubibus fluunt*. Hi quippè de nubibus gurgites fluunt, quia ſi ex Sanctis Apoſtolis, vis intelligentiæ non inciperet, nequaquam per Doctorum ora largior manaret.] Quas S. Gregorius ait à Iobo dici *ſtellas pluuiæ*, correcta editio conſentanea textui primigenio, vocat *ſtillas*. Itaque quamuis breuitas Apoſtolicorum ſcriptorum, præ vaſtis expoſitorum commentariis ſit velut ſtilla ad gurgitem, tamen hic gurges nihil plus habet quam ea ſtilla. S. Damaſus, quo loco haberet prolixos commentarios, non celauit S. Hieronymum, ſcribens ad eum (eſt inter Hieronymianas epiſt. 124) Præfatus enim de ſumma ſuauitate commentandi ac ſcrutandi Sacras literas, quo animæ pabulo ait omnia mella ſuperari; addit: [Accingere igitur, & mihi quæ ſubiecta ſunt ediſſere, ſeruans vtrobique moderamen, vt nec propoſita ſolutionem deſiderent, nec epiſtola breuitatem. Fateor quippè tibi, eos quos mihi iampridem dederas Lactantij libros, ideo non libenter lego, quia & plurimæ epiſtolæ in eis vſque ad mille ſpatia verſuum tenduntur, & rarò de noſtro dogmate diſputant. Quò fit vt & legenti faſtidium generet longitudo; & ſi qua breuia ſunt, ſcholaſticis magis ſint apta, quàm nobis, de metris & regionum ſitu, & Philoſophis diſputantia.]

Otioſis congruunt (iudice Auguſtino epiſtol. 25.) vaſta huiuſmodi commentaria. Popoſcerat à B. Auguſtino Bonifacius Epiſcopus, ad certas ſacras quæſtiones, reſponſionem breuem Repoſuit Auguſtinus. [Literis tuis lectis ac relectis, recordatus ſum Nebridium amicum meum, qui cum eſſet rerum obſcurarum ad doctrinam, (pietatis maximè,) pertinentium, diligentiſſimus & acerrimus inquiſitor, valdè oderat, de quæſtione magna reſponſionem breuem; & quiſquis hoc popoſciſſet, ægerrimè ferebat, eumque, ſi eius perſona pateretur, vultu indignabundus & voce cohibebat, indignum reputans qui talia quæreret; cum de re tanta quàm multa dici poſſent deberentque, neſciret. Sed ego tibi non ſimiliter vt ſolebat ille, ſuccenſeo. Es enim Epiſcopus multis curis occupatus, vt ego. Vnde nec tibi facilè vacat, prolixum aliquid legere, nec mihi ſcribere. Nam ille tunc adoleſcens, qui talia breuiter nolebat audire, & multa in noſtra ſermocinatione quærebat, ab otioſo quærebat otioſis.] Etiam in commentariis verbalibus, odioſa eſt prolixitas. Thomam Haſpellachium cæteroqui laudatum Theologum, Æneas Syluius inde ſugillat, quod per annos viginti duos, primum Iſaiæ caput legiſſet; vtique ad populū in lectione ſacra.

X. *Sicut Vigilias ex virtutis ſtudio ſuſceptas in laude haberi fide Catholica Sanctum eſt; ita inſigne earum decus eſt diuturnitas.*

Vigilare, hoc demum eſt viuere, nam in ſomnis ſepulta ratione, & feriantibus externis ſenſibus; homo ad ſummum, vitam plantæ viuit. Itaque vigiliam præ ſomno pretioſum quid eſſe, nemo vigilans non videt. Dicere ſanè liceat, hominem hinc transferri in ordinem cœleſtium ſpirituum, quibus inſitum eſt perpetuò vigilare; vt propterea apud Daniel c. 4. Angelus *vigilis* nomine inſigniatur. Et de ipſo Deo canit pſaltes; *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Adiungitur vigiliæ ſupra vſum ſenſuum externorum, vſus rationis: Vnde meritum vniuerſum & bonorum operum formatio, pendet; eſtque tanti momenti, vt homo per eius radicem à plantis & pecudibus ſecernatur, deique imago conſtituatur: in quam rem egregiè diſſerit Gregorius Nyſſenus, orat. de ægre ferentibus reprehenſiones, & alia oratione quomodò ad imaginem Dei facti ſimus, & benè Phocylides apud Stobæum cap. de prudentia. At ratio extra vigiliam, eſt veluti gladius in vagina conditus; & tametſi diuinum & ſupra omnia inferiora præcellens munus eſt, tamen quamdiu ſomno velut infoditur, perinde eſt ac ſi deeſſet. Itaque ipſa per ſe vigilia, ingens bonum eſt; cui ex continuatione accedit præcellentia non exigua, quia bonum quod diuturnius, eo melius.

Pertinget verò ea perfectio vigiliarum ad ſummum velut faſtigium, ſi conueſtiatur honeſtate religionis; hoc eſt ſi in cultum Dei ſuſcipiatur, & excutiendæ deſidiæ, ad quod vigilia eſt accommodata, adhibeatur. Corpori enim graue eſt diuturno illo vigori animæ in vigiliis inſiſtere, nec per iuſtitium externorum ſenſuum reficere ſpiritus, quod fit per ſomnum pacatorem operum, vt Tertullianus l. de anima cap. 43. appellauit. Itaque ea imbuoitas ex ſtudio colendi numinis ſuſcepta, & pia commentatione, aut Sacra hymnodia, religioſum decus induens, eſt longè optima. Vſus eius olim in Eccleſia frequens erat, vt vacuum rei nomen, hodiéque ſuperſtes monſtrat. Et fusè proſequitur autor epiſtolæ 36. tomo 9. Hieronymi. Claruerunt præter cæteros ea laude *Acœmetæ*, à perpetua vigilia dicti, quod à Dei laudibus diu noctúque nunquam apud eos ceſſaretur, diſpoſitis abſque interruptione vicibus, vt eſt in actis S. Marcelli Archimandritæ 29. Decembr. & pluſcula eruditè in eamdem ſententiam annotauit Oliuerius Bonartſcius l. 1. de horis canon. c. 1. ex Hieronymo Emſero in vita S. Bennonis, & ex S. Bernardo in vita B. Malachiæ cum de cœnobio Benchorenſi, & Radulpho Tungrenſi prop. 8. de Cano. obſeru. Sicut autem iſti, *Acœmetæ*, à perpetua vigilia ſunt dicti, Ita è contrario quidam hæretici Sacrarum vigiliarum hoſtes, audiuere Nyctages, hoc eſt ſomniculoſi,

quia

quos arguit caput, *quidam autem* 24. q. 3. Tales Marcion apud S. Epiphanium hær. 41. & Vigilantius, quem idcirco S. Hieronymus inuerſo vocabulo *Dormitantium* appellauit. Quanquam (vt ſemper Satan religioſarum obſeruationum mimus eſt) quam per hos lucifugas euertere niſus eſt vigiliarum ſanctitatem, per alia ſua mancipia peruersè eſt æmulatus; cuiuſmodi erant nefarij illi quos Sapiens cap. 14. ait, plenas inſaniæ vigilias habuiſſe, & alij de quibus Lipſius lib. 1. Electo. cap 5.

Pleriſque iam olim, tametſi nox ſolida non exigebatur inſomnis, tamen ea vigilandi ratio probabatur, quæ ſomnum media nocte interciderer, & corpus vlteriore per ſoporem tunc maximè blandum rigatione prohiberet. Quæ eſt acceſſio ad diurnam vigiliam non exigua, & à multis hodiéque Sacris familiis cum laude vſurpata. Decem rationibus honeſtatem eius confirmat Turrecrem. tract. 69. in regul. S. Benedicti. Ad ſenarium eas arctauit Archidiaconus ad cap. *imitare* 6. quæſt. 1. fusè item in eandem rem diſſerit Vmbertus ad regul. S. Auguſtini cap. 37. Item Francolinus lib. de horis Canon. cap. 1. 2. 4. & 5. ac Durantus lib. 3. de rit. cap 4. & 5. Nec verò olim fideles, vna duntaxat interceſſione, ad noctem mediam exemplo Dauidis ſomnum diremiſſe, & obiuiſſe vigilias, ſed etiam ad omnes nocturnas horas quadripartito diſtinctas conueniſſe; non viros tantùm, ſed & mulieres, atque adeò totam noctem propè inſomnes exegiſſe, Francolinus Autor eſt eo cap 1. num. 10. & Peltanus lib. de oratione cap. 8. necnon Nauarrus in Enchirid. de orat. cap. 5. numer 25. & Soto lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. artic. 1. poſt S. Thomam 1. Cor. 14. lect. 6. nec abhorret Suares lib. 4. de orat. c. 4. n. 8.

Hæc omnia vigiliarum vſum in Dei Eccleſia jam olim probatum, tanquam ſanctum & pium, liquidò monſtrant; & eadem opera monſtratum eſſe cenſeri debet, vigiliarum protenſionem ac longitudinem maximè facere ad pietatem. Idque & facto & verbo docuit ſanctus Arſenius, qui totam noctem peruigil exigebat; & ab Alexandro ac Zoilo diſcipulis exploratus ad ſolis ortum, cum ter ſpiraſſet, dormiuiſſe videri voluit. Eiuſdem pronunciatum fuit, Monacho vnam ſomni horam debere ſufficere. Quæ omnia habentur in eius actis apud Metaphraſt. 19. Iulij.

§ 2. *Vigiliarum prolixitas immodica torpore per longam feriationem, & ſpirituum abſentiam inuecto ſenſiteriis, religioni ac pietati incommodat; tantum abeſt vt tanquam virtuti ſeruiens ſit amplectenda.*

LVculenter hanc veritatem aperit Caſſianus lib. 3. de Inſtitut. cap. 8. quem propterea audire iuuerit. [Sanè (inquit) vigilias quæ ſingulis hebdomadibus, à veſpere illuceſcente ſabbato celebrantur, idcirco ſeniores hyemali tempore quo noctes ſunt longiores vſque ad quartum Gallorum cantum, per monaſteria moderantur, vt poſt excubias totius noctis, reliquis duabus fermè horis reficientes corpora ſua, nequaquam per totum diei ſpatium ſomni torpore marceſcant; requie breuis huius temporis pro totius noctis refectione contenti. Quod nos quoque omni obſeruatione cuſtodire conueniet, vt ſcilicet contenti ſomno qui nobis poſt vigiliarum Miſſam vſque ad lucis indulgetur aduentum, id eſt vſque ad matutinos Pſalmos; totum deinceps diem in opere ac neceſſariis ducamus officiis: ne ſomnum quem nocti ſubtraximus, reſumere per diem vigiliarum laſſitudine & inanitate compulſi, non tam requiem corpori ſubtraxiſſe, quàm quietis tempus, & refectionem nocturnam commutaſſe videamur. Nullatenus enim poterit fragilis caro, totius noctis quiete fraudati, vt per conſequentem diem, ſine dormitatione mentis, animique torpore, inconcuſſam poſſit ſeruare vigilantiam: quæ impedietur ex hoc potiùs, quàm iuuabitur, niſi poſt vigiliarum Miſſam, ſomnum quantulumcunque guſtauerit. Et idcirco ſaltem vnius horæ ſopor, (quemadmodum diximus,) ante lucis aduentum ſi fuerit impartitus, lucrabitur omnes vigiliarum horas, quas tota nocte in oratione conſumpſimus: impartientes naturæ quod ſuum eſt, nec habentes neceſſitatem reſumendi per diem quod nocti ſubtraximus. Totum enim carni huic procul dubio reddet, quiſquis ei non rationabiliter partem ſubtrahere, ſed totum tentauerit denegare, & vt veriùs dixerim, ſuperflua, ſed neceſſaria voluerit amputare. Propter quod maiore fœnore neceſſe eſt vigilias compenſari, ſi fuerint ad lucem, inconſideratæ, atque irrationabili nimietate protractæ.] Caſſiani verba, videri poſſunt ferre, Monachos illos vnam dumtaxat horam, aut (vt primùm loquitur,) binas ſomno capiendo indulſiſſe, quod longas planè vigilias eorum indicat. Poſſunt enim ea Caſſiani verba ſonare, Monachos illos de quibus agit, è nocte vniuerſa per breue illud ſpatium à pſalmodia decerptum ſoluiſſe vigilias, & ſopori ſe dediſſe, plus aliquid reficiendo per ſomnum corpori de die tribuentes. Vt vt verò ſonent Caſſiani verba quoad vigilias ſanctorum illorum Aſcetarum; ratio tamen quam profert, planè euincit, improbandam eſſe immoderatam vigiliarum longitudinem, attenta locorum ac temporum qualitate cui parcior aut longior ſomnus congruit.

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Sacræ Vigiliæ.

Roborat eam Caſſiani rationem decantatum Philoſophis, imo & Patribus ſomni commodum, cui proſpiciens Deus, noctem prouidit; quam idcirco S. Chryſoſtomus hom. 2. in epiſt. ad Philipp. *In morali* nominat *malorum noſtrorum, calamitatum ſolatium, pharmacum vulnerum.* Quod enim idem S. P. ait lib. 2. de compunct. cord. non ſecus Deus ſe geſſit noctem terræ obtendens, quàm mater ſomnum filio concilians in cunis, obductis velamento pueili oculis. Nimirum dies, niſi nox ſuccederet, fieret inutilis ob conſumptas perpete vigilia ſubſidiarias ſenſuum vires, ſiue ſpiritus; in quam rem egregiè diſputat idem S. Chryſoſtomus hom. 7. in Eſaiam, & l. ad ſcandalum paſſos c. 7. ſubſcribúntque Iſidor. Pelus. lib. 5. epiſt. 199. Theodoretus orat. 1. de prouidentia, & Prudentius initio hymni ſexti Cathemerinon. Niſi igitur (vt fert hoc Dei conſilium circa noctis inſtitutionem) corpus per conueniens ſomni demenſum reficiatur, & à diurna agitatione placidè conquieſcat, in eo (vt Iſidorus ſupra loquitur) naturæ portu; carens alterna requie nequaquam durabit; & omnes operationes ſenſitiuæ ac ve-

Sectio I. Breuitas in diuinis. getatiuæ, exhauſtis ſpiritibus deprauabuntur, vnáque rationales cum iiſdem nexæ, peſſum ibunt. Concludere itaque poſſe videor, prolixorum vigiliarum diſpendia, vincere compendia.

Sacræ Vigiliæ. Quæ ſancti aliqui viri, ſupra communem modulum in hac parte præſtiterunt, ex ſpeciali robore ſupra naturam diuinitùs indulto ? hîc non moramur ; intenti duntaxat in illa quæ in hoc genere tentare licet per communem gratiam. Prætenſum verò vſum omnium antiquorum fidelium, ſaltémque Clericorum, ſurgendi qualibet vigilia noctis ternario horarum conſtante ; vt in tribus primis vigiliis *tria* quæ dicuntur *nocturna* decurrerentur ; in quarta *laudes* ſubnecterentur, nulla valida ratio perſuadet. Et multi Patres vt Athanaſ. lib. de ſancta Virginit. *ſub finem*, Ambroſius ſerm. 19. in Pſalm. 118. Baſilius quæſt. 33. Fuſarum. Hieronymus in Epitaphio Paulæ planè affirmant, mediam noctem in diuinis laudibus fuiſſe exactam ; de aliis verò noctis ad pſallendum intercisionibus, omnino ſilent ; vtique quia non erant vſus recepti, vt benè obſeruauit Oliuerius Bonartſeius lib. 1. de hor. canon. cap. 21.

XI. *Inedia longa, corpori in ſeruitutem redigendo eſt accommodatiſſima, atque adeò vſurpanda.*

IEiunij decora, varij Patres ſplendidè ſunt proſecuti, nominatim. S. Baſilius in lucubrationibus de eo argumento, S. Ambroſius l. de Elia ; & variis locis S. Chryſoſtomus. Breuiter ſed concinnè Tertullianus, *alij ieiunio preces* dixit l. contra Iudæos cap. 9. Iuxta S. Diadochum lib. de perf. ſpirit. cap. 71. anima per jeiunium retexit ſuum tegumentum ad multam tenuitatem : hoc eſt corpus obeſum, & craſſum tenuat, vnáque animam, in guloſis & ventrem multo cibo diſtendentibus craſſeſcentem. De Origenis ſententia hom. 2. in Pſalm. 38. efficit ſubtilem & rebus ſpiritualibus peruadendis idoneam. Sicut è contrario ingluuies, vt monſtrat Philippus Abbas lib. de contin. Clerico. cap. 93. & 94. animam concarnat & malæ vitæ argumentum in Monacho ſubminiſtrat. Chryſologus egregiè ſermone 32. jeiunium ait eſſe ſingulare ſanctitatis aratrum, quo coluntur corda, eradicantur crimina, euelluntur delicta, vitia ſubruuntur, charitas ſeritur, virtutum copia nutritur, Innocentiæ meſſis paratur.

Cum tam illuſtres ſint jeiunij dotes, ſine dubio quanto maiore productione magis perficitur, tanto efficaciùs vim ſuam exerit, & effectus illos ſuos Plenius conuehit animæ. Felix planè diſpoſitio, qua homo in carne poſitus, extra carnem quodammodò efficitur, & aſſueſcens mortales ac corruptibiles eſcas deſpuere, Angelico cibatui aſſueſcit. Sic viuit Chriſtus per quadragenam integram, omni prorſus cibo ac potu abſtinens. Quod æmulati leguntur quidam generoſi Anachoretæ, & is de quo S. Auguſtinus epiſt. 86. Quin etiam ſexum molliorem ad hanc laudem aſpiraſſe, & cum Dei gratia eo perueniſſe proditum eſt. Theodoretus enim in Relig. hiſt. c. 29. ſcribit Cyram & Maranam ſanctas mulieres, ter eſſe æmulatas quadragenarium Moſis jeiunium. Ter item cum Daniele per ternas hebdomadas jeiunium tenuiſſe. Eſt igitur prolixæ Inediæ laus longè maxima ; dummodò nec vitæ telam ſuccidat, nec ſuccidendi diſcrimen inuehat.

§ 2. *Ieiunij protenſio ad valdè diuturnam moram, peruerſionem inducit, finis ad quem maceratio corporis legitimè aſſumitur, atque adeò eſt improbanda.*

NOn aſſumitur jeiunium vt corpus euertat, vt aut vt illud reddat ineptum miniſterio animæ, in cuius obſequium conſtat corpus eſſe procreatum. Tantùm ergo aſſumitur jeiunium, vt ferociam carnis, & carni implantati appetitus ſenſitiui coërceat, ſicque ſenſus rationis gyro contineatur, ſaluo ſemper primario fine corporis ; hoc eſt eo de quo agebam miniſterio. Itaquè quiſquis jeiunij immoderatione corpus adeò vaſtat, vt ſeruire animæ nequeat, peruertit jeiunij vſum, & medium parandæ vel augendæ ſanctitatis, mutat in abuſionem. Sicut referretur inter peruerſiones, ſi quis aſinum aut mulum præ optima habitudine exultantem, adeò parcè aleret, vt inſiſtere veſtigiis non poſſet ; eſſétque vectationi inidoneum, cum debuiſſet aliqua duntaxat pabuli ſubtractione jumentum comprimere. Qua ipſa comparatione vtitur in hanc rem S. Hieronymus, in Hilarione & alibi.

Quare admiranda mihi ſemper, nec imitatione exprimenda viſa eſt, ea quorumdam Anachoretarum agendi ratio, qui præ longiſſima inedia adeò euigeſcebant, vt vix reſiduus halitus in eis notaretur, conſtitutis in ſtatu, qui & diuinorum meditatione, & precatione, & omni in Deum motu prohiberet. Videſis Theodoretum in Simeone Stilita cum de eius & Baſſi Abbatis alloquio cap. 26. Relig. hiſtor. apud quem ſimilia exempla prolixiſſimæ inediæ, incommodantis functionibus animæ, occurrunt non ſemel. Homo enim cui corpus adeò eſt vaſtatum longiſſima inedia, nec in Deum aſſurgere, nec pium quicquam præſtare valet, præ penuria ſpirituum, qui generales ſunt functionum animalium adminiſtri : cum quibus functionibus nexa eſt in hac vita, animæ intelligentis negociatio. Vt proinde non abs re Nyſſenus lib. de S. Virginit. cap. 22. vtramque hac in parte immoderationem eodem loco habeat, & æquè reprehendat. Diuinè verò in contrarium ſanctiſſimus Aſceta Marcianus, de quo in hunc modum Theodoretus cap 3. Θιλ. [Statuerat veſpere comedere quotidie, nunquam autem ſatiari ; ſed ſemper quidem eſurire, ſemper verò ſitire : corpori autem ea exhibere quæ ad viuendum ſufficiunt. Dicebat enim, quòd quis poſt multorum dierum inediam, officia Dominica exequitur imbecilliùs. Quo autem die rurſus capit cibum, plura (vt eſt conſentaneum) exhibens, ventrem onerat : is autem grauatus, tardiorem reddit animam ad vigilandum. Dicebat igitur eſſe melius, veſci quidem quotidie, nunquam autem expectare ſatietatem. Verum enim jeiunium, eſt perpetua indigentia.] Ita quidem Marcianus. Stultè itaque & cum manifeſta peruerſione, corpus longitudi-

ne

ne inediæ vaſtatur, & inutile ad finem ſuum efficitur ; cuius frænatio per breue ac moderatum jeiunium erat adhibenda.

XII. Adjuncta quorumuis bonorum, ac perpeſſionum ex virtute exceptarum, longa duratio ; ad honeſtatis & meriti augmentum confert plurimum ; idcóque eſt adamanda.

PVgnant è diametro, actus boni & mali. Vnde ſicut actus malus, quo diuturnior, eo pejor, vt habetur ex Caſſiodoro lib.30. epiſtol.14. & præfertur verſo illo Iuuenalis ſatyra octaua, *breue ſit quod turpiter audes* : Ita è contrario, actus bonus, quo diuturnior, eo melior. Quanquam longam eiuſdem boni actus profuſionem, & quod eodem recidit patientem mali diuexantis propter Deum tolerantiam diuturniorem, nihil promouere honeſtatē ac meritum boni actus, aut bonæ perpeſſionis, ſententia fuit ſingularis, vnius quod ſciam Dominici Bannes 2.2. quæſt.24. art.6. dub.5. falsò impacta Victoriæ à Vaſque 1.2.d.54. num.12. nam Victoria vt videre ápud eum eſt relect.de augm.charit.num.18. tantùm negauit, augmentum inſtantis continuationi, æquare meritum inſtantis primi : quod longè diuerſum eſt ab eo de quo diſceptamus.

Diuturniorem ergo actus boni, vel perpeſſionis bonæ perſeuerantiam, eiúſque continuationem maiorem honeſtatem ac meritum actus, vel perpeſſionis augere, ſententia eſt longè communiſſima quam tradunt Victoria relect. de augm. charit. parte prima, *in fine*. Moncæus diſput.8. ſelect. cap.13. Suares relect. de reuiuiſc. merito. diſput.2. ſect.3. à num.36. & lib.12. de grat. cap.21. num.2. & alij paſſim : ac meritò quidem. Nam perſeuerantia in opere laudabili, eſt quædam eius conditio, & libera & honeſta. Longa autem eiuſdem operis continuatio, eſt perſeuerantia in eo. Non poteſt igitur non eſſe honeſta, quatenus continuatio eſt ? ac proinde ſuperaddita honeſtati primæ inchoationis, cumulat illam redditque auctiorem. Et ſanè actus, ratione continuationis ſuæ, æquiualet pluribus ſimilibus actibus eodem tempore elicitis. Atqui multitudo actuum ſimilium, continet auctiorem extenſiuè honeſtatem, & auctius meritum, vt propterea Apoſtolus 1. Cor.15. ſtimularet fideles, vt abondarent in omni opere bono, ſcientes eum laborem multiplicandi actus ſimiles, non eſſe inanem in Domino ; ideſt augere incrementa ſanguim iuſtitiæ. vt rectè vidit Tridentina Synodus ſeſſ.6. cap.16. & contrarium fore valdè alienum à perfecta gubernatione & prouidentia, rectè ſtatuit Suares relect. de reuiuiſc. merito. diſput.2. ſect.1. n.18. rationes ad hoc ipſum adhibens lib.12.de gratia cap.20.num.4.

Nequicquam vero in contrarium vrget Bannes, id eſſe fouere pigritiam, & ablandiri veterno ac deſidiæ non aſſurgentium ad præſtantiores actus, ſed diu immanentium eidem. At numquid fouet mercatoris ſegnitiem, qui affirmat, illum quouis exiguo lucello augere facultates ? Cum igitur debeat eſſe indubitum, plures actus tametſi planè ſimiles, plus aliquid ſient honeſtatis extenſiuæ, ita & meriti apud Deum habere, quàm haberet vnus duntaxat : profectò cum eiuſdem actus continuatio æquiualeat pluribus actibus, (tot ſcilicet quot ſeorſim eo tempore elicerentur ;) neceſſe eſt fateri, continuationem eiuſdem boni actus, augere extenſiuè honeſtatem eiuſdem primò cæpti, & meritum cumulare. Ac proinde quo longior erit continuatio, eo maior erit honeſtas, & cumulatius meritum. Quilibet certè bonus actus, tametſi ex longiore duratione, nihil noui Phyſicè accipiat, mutatur tamen moraliter & ſecundum prudentem æſtimationem. Nam beneficium diutiùs prorogatum, Phyſicè idem eſt, ſed moraliter creſcit pretio. V. G. conſeruatio, tametſi Phyſicè immutata, quo tamen diutiùs impenditur, eo maius bonum cenſetur, maiúſque beneficium. At honeſtas & meritum, ſunt quid morale ; ac proinde non minùs quàm beneficium, cenſenda ſunt creſcere ob continuationem. Quis vero negare auſit, non eſſe magis meritorium diutiùs orare, quàm orationi dare operam tempore breuiſſimo ? Longa enim oratio, difficilior eſt ; ac proinde ſecundùm prudentem æſtimationem laudabilior, quam breuis. Atqui oratio exteriùs fuſa, collucet radiis actus interni quo homo vult orare, qui actus poteſt eſſe Phyſicè vnus & idem toto eo tempore. Igitur internus ille actus continuatus, ſeruans proportionem cum actu externo orandi, auctior eſt honeſtate, & vi meritoria, quàm ſi raptim tranſiſſet, & mox à prima inceptione euanuiſſet. *Sectio 1. Breuitas in diuinis.* Actus boni aut perpeſſiones.

Non me latet, in quas tricas hæc omnino certa doctrina conjiciat ſcholaſticos ; inde argumentantes, ſi actus in primó momento aliquid honeſtatis & meriti participat, (vt eſt indubitatum,) & per continuationem augetur honeſtate & merito, videri per quamcumque continuationem, parari honeſtatem & meritum infinitum ; cum quælibet tametſi breuiſſima continuatio, ex infinitis inſtantibus tanquam intrinſecis durationis ſubſeudibus coaleſcat. Quam difficultatem Nominalibus exercitationis gratia propoſitam, ad expendendam quantitatem meriti actuum, ſuppoſito maiore eorum valore ob continuationem maiorem, varij variè expediuerunt. Hybernicus apud Gregorium in 2. d.3. §.1. art.1. ratione 6. conatus inde eſt probare nullam volitionem eſſe momentaneam, ſed ad breuem aliquam moram neceſſariò durare, quod Gregorius art.3. ad 4. Hybernici argumento ſuccumbens, admiſit. Sed perperam, cum omnes libertatis radices, æquè pro toto illo tempore vigeant, ac pro primo inſtanti, vt rectè vrgent Azor. tom.1. lib.1. cap.2. quæſt.4. Suares lib.12. de grat. cap.21. à num.8. & Salas 1. 2. tract.13. diſt.5. num.71. & tract.5. diſt.4. numer.35. Adamum in eodem luto cum Gregorio infixum, multis vrget Campſalia apud Capreolum in 2.diſt.5. *ad argumenta tertio loco* ; in calce quæſtionis. Sed non eſt cur argumenta in eam rem multiplicentur ; cum rectè cenſuerit Angeſtus cap.8. moral. tom.7. hæc non eſſe excogitata, niſi ad eludendam difficultatem.

Sunt qui eam aliter expediant, dicentes ; primum quidem inſtans cœptæ actionis, honeſtate ac merito collucere, non item reliqua, cum ſint infinita, ad quæ homo non poteſt attendere : id quod exigeretur, vt libera eſſet actio. At ea enodatio

Sectio I. Breuitas in diuinis.

datio difficultatis non quadraret argumento, ſi formaretur de Angelo operante, qui poteſt eſſe attentiſſimus, vt benè vidit Capreolus ſuprà, *ad 4. primo loco.* Alij actionem in ſolo primo inſtanti, honeſtate ac merito diuiſibili ſplendere volunt; cæteris verò inſtantibus, negant ei reſpondere pluſquàm indiuiſibile præmium, ſiue copulatiuum ſiue terminatiuum; vnde non exiſtet niſi finitum meritum. Ita cum Ockamo, Almaïnus in 3. diſt. 18. *ſub initium.* Suares de remiſſ. verit. diſp. 2. ſect. 3. à num. 37. & lib. 12. de gratia. cap. 21. numer. 17. ac Salas t. 2. tract. 13. diſt 5. num. 78. Verùm hæc minùs ſatisfaciunt: quia quocumque inſtans ſequens, habet eadem honeſtatis ac meriti principia, quæ primum habet, & in nobis cautomitur idem vſus poteſtatis liberæ. Quidni ergo omnia æquè ſint feracia honeſtatis ac meriti?

Actus boni aut perpeſſiones.

Veriſimilius dicerem, duobus inſtantibus actum vtrinque claudentibus, ſuum per ſe ac determinatum & præmium & meritum reſpondere; inſtanti videlicet primo quo actus occœpit, & poſtremo quo abrumpitur. Hæc ſiquidem poſſunt à reliqua actus duratione diuelli; cætera inſtantia non item; vnde pro vtroque illo inſtanti exarari poteſt certa menſura meriti, quæ circa alia inſtantia continuatiua, & cum reliquo actu durante nexa, definiri non poteſt. Neque verò in inſtantibus illis continuatis, expromitur peculiaris vſus libertatis, diſtinctus ab eo qui in partibus per ea inſtantia vinculatis exercetur: cum homo nequeat actionem prorogare per tempus vtrique parti vinculatæ reſpondens, niſi inſtanti interiacenti coexiſtat. Atque ita ſaluus manet maior valor operis magis continuati, tametſi non ſtatuatur niſi finitus; cuiuſmodi ſanè eſt qui finito actui implantatur.

§. 2. *Vegetior plurium breuium actuum interciſorum repetitio, poteſt honeſtatem ac meritum diuturni actus languidi & eneruis æquare, aut etiam ſuperare. Perpeſſionum item pro Deo exceptarum breuitatem, ſupplere poteſt voluntas plena, & ad finem vſque perſeuerans.*

Nihil procliuius, quàm vt actus continuatione cuigeſcat. Potentia enim initio alacris ac feruens, aſſiduitate agendi frangitur, ſenſimque de vigore remittens, denique fatiſcit, nec niſi languide operationem protogat. Itaque infirmitati humanæ accommodatiùs videtur, non inſiſtere eidem bono actui quàm diutiſſimè, ſed breuitatem boni cuiuſvis actus, frequenti eius iteratione penſare. Nam vigor ille primus quo actio alacriter inchoatur, cum non fiat abſque reniſu, ſiue partis inferioris certantis cum ſpiritu, ſiue naturæ inertiæ, ad operandi laborem refugientis, continet neceſſariò aliquid violentiæ. At nihil violentum poteſt eſſe diuturnum, vt optimè monuit Philo lib. de Dei immutab. [Quidquid violentum (inquit,) idem non diuturnum eſt; quæ cognatio in harum rerum Græcis nominibus apparet, *βίαιον* καὶ *βαιόν*. Sic enim priſci vocabant rem momentaneam] exemplo fluentorum ac ſtirpium quæ per vim retinentur. Eundem violentiæ & breuitatis nexum illuſtrat Nazianzenus orat. 37. numer. 58. Conſtare igitur debet, vigorem illum primum è quo exiſtit flos honeſtatis & meriti in actu cum inchoatur, ſenſim remitti, niſi renouato ſubinde actu, ac velut reſumptis per nonnullam intermiſſionem viribus noua alacritas excitetur, ex qua opus pari vigore profuſum, pari honeſtatis decore ſplendeat; vnde auctius præmium omnibus ſubductis obtingat. Aliò autem ſpectabat Abbas Mathois, cuius illa refertur ſententia lib. 5. de vitis Patrum libello 7. numer. 11. [Malo aliquod leue opus & continuum, quàm graue quod citò finitur.] Non enim agebat de opere ſeu actu honeſto, quâ tali, ſed de opere manuum, in quo verè præſtat diutiùs durare, citra damnum valetudinis, & ſalua animi collectione, quàm ſe opprimere violento quopiam niſo, non duraturo.

Iam quod ad perpeſſionum breuitatem attinet, opportuniſſima huic loco eſt S. Eulogij diſputatio in Apologetico pro SS. Martyribus Cordubenſibus, & alijs in perſecutione Arabica paſſis, quorum decora detrebant aliqui, negantes eos fuiſſe plenè & abſolutè Martyres, quia compendioſa morte perempti erant. Verba illorum à S. Eulogio relata, hæc ſunt, poſt deſcripta longa & varia priſcorum Martyrum cruciamenta. [Iſti tyrones & noſtrorum temporum Confeſſores, ab ictu mucronis celerem tantummodò excipientes interitum, & nullam furentium acerbitatem perpeſſi tortorum, non ſub diutinum deſudarunt ſtimulum, ſed compendioſa morte perempti ſunt. Vnde ſat eis eſt, ſi prætеritorum curationem adepti ſunt criminum, quos non terſit catenarum ſtridor, ferri onus, ſqualor carceris, nec diuerſa pœnalitas perſequentis.] Sic quidem improuidi illi; quos ſanctus Eulogius forti oratione caſtigat, demonſtrans parum referre, quod celeriter exciſi eſſent ſancti, & quod non per longos ac multiplices cruciatus, ſed ſubitaneo obitu decidiſſent, quando vna eademque res eſt, quæ vtroſque coronat, zelus ſcilicet Dei & amor regni perpetui. Quid enim per longa certamina niſi mors SS. Martyribus quærebatur? Ad eam ergo citius peruenisſe, nec via regia plerumque longiore, ſed ſemitæ compendiatæ inſiſtando pertigiſſe, fœlicitatis eſt. Non enim diu patienti, ſed vincenti, corona promittitur: [Siue autem dilationibus, (ait S. Eulogius) ſiue fortuitis caſibus paſſionum, ſtrenuis militibus propter Chriſtum pugnantibus propterea ſeu tarda mors occurrat, hoc ſolummodò aduertendum eſt, ſi cauſa fidei paſſiones excipiant, ſi propter Chriſtum coronatorem Martyrum vt in æternum ſaluentur, animas perdere anhelent, &c. Idem enim eſt per multa tormenta in nomine Crucifixi animam morti tradere, & ſemel vno ictu propter ipſum occumbere qui dixit; *Si quis perdiderit animam ſuam propter me, in vitam æternam inueniet eam.* Et licèt ſcriptum ſit, quod per multas tribulationes oporteat nos conſcendere ad regnum; vtique cum ſuppetunt ſuſtinendum eſt vſque ad obitum. Si verò celeritas perſequentis intercidens, expeditam Confeſſoribus Chriſti intulerit mortem, & in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda eſt, quia perſeuerauerunt

ueraueruut vſque iu finem.] Vrget inſuper S.Eulogius, celerem de hoſte victuriam, non minùs gratam accidere quàm prælongam. Item Latronem Euangelicum qui ſub vuius coofeſſione momenei dignus comitatu Redamptoris, primus Paradiſi poſſeſſor habetur. Ad hæc patem Mercenariis diſtribuiſſe denarium, non magnopere curantem de tempore quo aitqui pondus diei & æſtus portauerant. Quæ omnia æquè communia ſunt aliis satta martyrum perpeſſionibus; & earum honaſtati ac decoribus, breuitatem nequaquam officere perſpicuè demunſtrant.

XIII. De ſtatu vitæ ineundo, deliberandum diu eſt: atque adeò ad ſacram militiam, grandes duntaxat natu, quorum conſtantia minùs ſit dubia, conſultiùs admitterentur: & vt id principalibus reſcriptis, ſtatuatur, curandum.

LOngam deiiberationem cuiuſcumque, priuſquàm statri Euangelici ſtiuam corripiat, rei granitas, & periculum retrocedendi, videtur omnino exigere. Specialiter verò querela eſt multorum qui ſapientes habentur, adoleſcentes qui per inexperientiam & iudicij imbecilitatem, minimè idonei ſunt qui de rebus magni momenti ſtatuant; ideóque non modo à publicis negotiis gerendis, & Republica adminiſtranda arceutur, verum etiam de bonis ſuis temporalibus ſi ſub actoribus & tutoribus ſint, diſponere ſtabiliter ac fixè vetantur; Tamen lòngè antè illud tempus da ſtatu ſacræ militiæ ineundo, qui & perpetuus & aſper eſt, pro ſuo arbitrio cogitare, non longa interpoſita deliberatione; qualem præſcriptus grandiori ætati ad ineundum talem ſtatum terminus, neceſſariò inferret. Sanè Chriſtus ipſe: hanc lentam in ingo ſuo ſubeundo maturitatem, inſinuauit adhibito exemplo ædificaturi, qui ſedens priùs computat ſumptus qui neceſſarij ſunt ſi habeat ad perficiendum. Itémque regis, qui iturus committere bellum aduersùs aliom regem, priùs per otium cogitat, ſitne par futurus aduerſario, in quem arma corcipere conſilium init. Nimirum tam arduum, támque graue eſt Religionis iugum, tóque obligationibus magni momenti grauatur, vt ſubeundum non ſit abſque magna & matura deliberatione, quæ in præpropetis & ſobitis ſtatus vitæ delectibus, deſideratur. Fusè in hanc rem diſputat Claudius Eſpencæus lib.4. de continentia per prima capita, præſertim cap.4.

Nec duntaxat ſapientum virorum ſenſus, diuturnam & per multos annos excoctam atque digeſtam deliberationem expoſcit ad rem tantam, veréque omnium maximam, ſed etiam Eccleſia videtur ſuffragata. Nam ius Pontificium, vota de religionis ingreſſu ante pubertatem emiſſa, niſi poſtea approbentur & rata ſiant, habet pro irritabilibus per parentes, vt notant Caietanus 2. 2. quæſt. 189. art. 5. & Nauar. in ſumma cap. 12. num. 71. quia votum illud, ex iuris interpretatione, annexam habet tam tacitam conditionem, *ſi maiores non contradixerint.* At ea conditio, ſolo tractu temporis non euaneſcit: atque adeò cum nulla circa votum ſupponatur facta mutatio, & votum illud ante pubertatem poſſet à parentibus vel tutoribus irritari, æquè caſſum reddi poterit poſt pubertatem. Quid quod iura, impuberes arcent aditu religionis; hoc eſt maſculos ante annum 15. inchoatum, puellas vero ante occœptum ætatis annum 13. vt habetur 20. quæſt. 2. cap. 1. & 2. &c. *ſignificatum* de regular. & cap. *ad noſtram*, eodem. Et ratio eſt, quia ante illam ætatem, ſunt imbecillis iudicij, nec ſatis maturuerunt ad deliberandum de re tanta. Atqui illa ipſa ratio ſuadere videtur, differendam eſſe deliberationis illius clauſulam, ad annum vſque ætatis 25, ante quem inſtabiliter diſponitur de facultatibus, quæ ſunt res minoris momenti: idque ſi ſeruaretur, non ſerò ſaperent Phryges, & præpropera conſilia, vt in pleriſque deprehenditur, non caderent infeliciſſimè. *Sectio 1. Breuitas in diuinis.* Deliberatio de ſtatu vitæ.

§. 2. Longa de ineundo ſacræ militiæ ſtatu deliberatio, & vltra adoleſcentiam, ſiue ad iuuentutem vſque dilata, iudicio verè ſapientum reproba eſt, & à ſenſu ſanctorum aliena.

DVplex tarditas, in negotium ſacram militiam ineundi inuecta eſt à variis. Aliqui enim cuiuis etiamſi ætate grandi, diu deliberandum contendunt: alij idem præſcribunt adoleſcentibus. Agit ſeuerè cum prioribus S. Bernardus in declamat. circa illud Matthæi. *Ecce nos reliquimus omnia*, his præter cætera. [Quantos mundi ſapientia maledicta ſuppiantat, & conceptum in eis extinguit ſpiritum quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli (inquit) præcipitanter agere, diu conſidera, diligentiùs intuere. Magnum eſt quod proponis? & opus habens multa deliberatione. Experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat: hæc ſapientia mundi terrena animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ ſolet Deo vomitum prouocare. Caue tibi (ait;) Vt quid enim? Cum à Deo verbum eſſe non dubites, quid opus eſt deliberatione? Vocat magni conſilij Angelus, quid aliena conſilia præſtolaris? quis enim fidelior, quiſve ſapientior illo? deduc me domine & deducat, fortior eſto & inualeſce. Noui ego, quænam ſint quæ oportet fieri citò. Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire ſi fortè interim fiat aliquid? Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto iam latere, iam nudatis viſceribus, iam ſanie defluente, diu mihi deliberandum eſt, an expergiſcar, an excutiam, an abjiciam illum? Magnum omnino eſt quod effertur, ſed eo vtique libentiùs & feſtinantiùs ſuſcipiendum eſt; obuiis arripiendum manibus, cum feruore & hilaritate. Probet autem ſeipſum, qui de propria virtute præſumit: nam diuina quidem omnino probata eſt. Amicos conſulat, qui non legit, *inimici hominis domeſtici eius.* Quid frequentat Euangelium qui Euangelio non obedit? At in eo

ſanè

Sectio 1. ſanè legimus, pœnitenti cuidam ſequi dominum,
Breuitas ſed defunctum priùs patrem ſepelire volenti
in diuinis. reſponſum ab eo, vt fineret mortuos ſuos. Alteri quoque; tantùm ſuis qui in domo erant
Delibera- valedicere cupienti, *nemo* (inquit) *mittens ma-*
tio de ſta- *num ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt*
tu vitæ. *regno Dei.*] Æquè procraſtinationem à negotio de quo agimus, remouet, obiter in eam incidens S. Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 16. expenſo præmio quod Chriſtus offert auſcultantibus ſibi. [Omne (inquit) ſtudium torpeſcit dilatione. Et ideo dominus, vt præſentium fructu cumularetur deuotio diſcipulorum, dixit, quoniam qui dimiſiſſet omnia ſua, & Deum ſecutus eſſet, centies tantum reciperet, & hic & in futurum. Priùs hic promiſit, vt faſtidia dilationis auferret.

Sanctus Chryſoſtomus homil. 69. in Matth. cum impensè collaudaſſet religioſam Monachorum vitam, & aliquos ad eam excitatos videret, vrget citiſſimam concepti deſiderij executionem. [Multi fortaſsè (inquit), feruore accenſi, huius diſciplinæ optimè viuendi, cupidate capti eſtis. Sed quod nobis erit emolumentum, ſi tunc ſolummodò quando hic eſtis, ignis hic ardeat; cum verò diſceſſeritis, protſus extinguatur? Quomodò igitur huic medebitur? Antequàm extinguatur hæc flamma, ad illos Angelos perge, augeas hunc feruorem: non ita noſtra oratione ardebis, quemadmodùm ipſarum rerum aſpectu. Noli dicere, colloquar cum vxore, antequam proficiſcar: negotia mea componam. Hæc tarditas, negligentiæ initium eſt. Memento voluiſſe quemdam ordinare domum ſuam, & non fuiſſe à Propheta dimiſſum. Quid dixi, domum ordinare? ſepelire patrem diſcipulus voluit, & non permiſit Dominus. Atqui nulla res tam neceſſaria videbitur, quàm ſepeliendi patris officium. Chriſtus autem non permiſit. Quamobrem? Paratus ſemper Diabolus eſt, vt ingreſſum vtique attentè quærit, & ſi paruæ tarditatis cauſam apprehenderit, magnam inde conflabit deſidiam. Propterea quidem admonet dicens; *Noli de die in diem procraſtinare.*] En quantopere moras à negotio de quo agimus præcidat S. Chryſoſtomus, ita vt nullis domeſticis negotiis, vel tantillam remoram apponi in hac re ſuſtineat. Et quod mirum eſt, idipſum coniugatis indicit, ita vt iis quoque, author ſit, quàm primum abire ad cœnobium, inſalutata vxore, atque adeò etiam dimiſſis liberis, ſi qui iam ſuſcepti erant. Vxores dicit, non ſponſas, in quibus dimittendis nulla eſſet difficultas, vt factum eſt, à duobus illis Aulicis apud Treuerim de quibus S. Auguſtinus 8. Confeſſ. c. 6. Illicò enim à breui lectione vitæ S. Antonij, eas deſeruerunt. At Sanctus Chryſoſtomus, apertè agit de vxoribus. Vndè fortaſſis hauſit Caſſianus, quod Collat. 21. c. 8. & 10. Theonæ Abbatis factum, monaſticem inuita vxore profeſſi, approbauit, latè ibi à Cuychio annot. 25. improbatus. Vt vt ſit, liquet de citiſſimè exequenda concepta monachiſmi ineundi voluntate, mens S. Chryſoſtomi. Videndus de hoc puncto Midendorpius in hiſtoria Monaſtica c. 9.

Iam quod attinet ad alteram tarditatem initio propoſitam, inſignis planè debet videri ſtupor animalium hominum, qui ætatem idoneam ad deliberandum de ſacra militia ineunda, ad annum vſque ætatis 25. prorogatam volunt; Idque ſi Deo placet, per Principum edicta cauendum muſſitant, ne adoleſcentes implanentur, & præpropero diuini obſequij zelo acti abripiantur, vnde reſilire abſque probro, aut etiam æterno exitio, non liceat. Hæc eſt prudentia carnis, quæ iudice Apoſtolo, mors eſt. Nam Eccleſia, quæ Spiritu ſancto docente, perſpexit omnem veritatem, tempus idoneum ad deliberandum per ſeipſum de ſtatu vitæ, agnoſcit eſſe pubertatem. Eumdémque terminum præfixit, quo liberum cuique ſit matrimonium inire: qui ſanè ſtatus eſt longè aſperior, & egens maiore deliberatione, vt prouidè & ſapienter ineatur. Nec poſt annuam vel vlteriorem probationem initur, ſed illicò poſt expreſſos exteriùs conſenſus, euadit indiſſolubilis. Quæ ergo fatuitas eſt, iudicio Eccleſiæ, ab errore per Spiritus ſancti præſentiſſimum ſemper præſidium alieniſſimæ, ſenſum ſuum anteponere; & & cum Eccleſia edicat fas eſſe vnicuique, poſt acceptam pubertatem, dicare ſe Deo, terminum illum pronunciare nimis breuem, & longè vlteriùs deliberationem de eo negotio prorogatam velle?

Verum eſt Eccleſiam in Concilio Tridentino Seſſ. 24. de regular. c. 15. tantiſper diffudiſſe tempus profeſſionis emittendæ. Decreuit enim, ne profeſſio ederetur ante 16. ætatis annum expletum; nihil tamen mutauit circa tempus deliberandi, & liberè capeſſendi Religioſum ſtatum: ſed ſaluis terminis iam olim fixis, quod dixi mandauit, ne quiſquam Religionem cogitans, poſt initam probationem, minore tempore quàm anni integri, exploraretur: quo ipſe tempore, viciſſim rationes ſuas ſubduceret, & Religionem exploraret, vſque ad decimum ſextum ætatis annum expletum: quo exacto, aut ablegaretur, aut ad profeſſionem admitteretur. Hæc cum ab Eccleſia tanta maturitate ſint conſtituta, pugnat plane cum eius ſenſu, quiſquis per ſecularia faſtigia, ad quæ ea cura non ſpectat, decerni vult procraſtinationem, annum vſque ætatis 25. Pugnat etiam ea temeritas cum Scriptura, quæ Threnor. 3. diſertè tradit, bonum eſſe viro, cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua. Item pugnat cum facto Chriſti, qui Matth. 19. & Lucæ 10. adoleſcentem, nec dum prouectum ad iuuentutem, ad ſtatum perfectionis inuitauit. Facta Sanctorum, ſtant ab eadem parte. Nàm eorum plerique, tenera admodùm ætate ſe addixere ſacræ militiæ in religioſo ſtatu. Longum ſyllabum eorum confecit Leſſius diſput. de ſtatu vitæ §. 2. n. 17.

Patres ſæpe vrgent fideles, vt maturè & ante prouectā ætatem, conſectentur quæ perfecta ſunt, priuſquàm per vitæ lubricum abripiantur in deuexum; & carnis tyrannide per malos mores roborata, vix ac ne vix quidem, regredi à malè cæptis tartari itineribus liceat. Ita ſæpè S. Gregorius: ſed nominatim lib. 30. moral. cap. 12. Multus in eadem veritate confirmanda eſt S. Chryſoſtomus lib. 3. aduerſùs vituper. vitæ Monaſt. & S. Bernardus tract. in illud, *ecce nos reliquimus omnia*, ſub medium, & Epiſtol. 11. Nec aliud voluit, cum monſtrauit, oportere conuerſionem, hoc eſt aditum ad religioſam vitam, citum eſſe. in quo laborat epiſtola 105. & ſerm. 38. ex parui. In libro ſimilitudinum S. Anſelmi cap. 78. refertur, ſolitum virum Sanctum conferre cum Angelis, eos qui à tenera ætate religioni fuera addicti. Angeli enim ſancti nunquam ſunt lapſi; eſtque

eis

eis veluti natiuum benè agere ; id quod æquè contingit iis qui admodùm maturè manciparint ſe diuino obſequio in ſacra militia. Serius verò adſcriptos ſacræ familiæ, idem S. Anſelmus, componebat cum hominibus diu per errorem vagatis, & ægrè denique in viam reductis. S. Thomas opuſc. 17. cap. 3. multis confirmat quod dicimus ; & errorem quem conuellimus, jam tum ab aliquibus inſinuatum, potenter exſcindit. Haud ægrè huc referuntur quæ de ſæculo velociter deſerendo diſputat S. Ambroſius libro de fuga ſæculi cap. 6. Eſt frequentiſſimum Patribus, accommodate capeſſentibus religioſam vitam illud Thren. 3 *bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Vbi Hector Pinto multa de bono aſſueſcendi piè à teneris. Delrio autem ibidem, Patres ad vitam religioſam maturè & à prima ætate ſubeundam adhortantes, apta eo Threnorum loco profert ; Cyprianum de ſingul. Clerico. Hilar. in pſ. 118. littera B. & S. Ambroſ. ibid. ſerm. 9. v. 1. & in calce monodiæ Theodoſij Hioron. ad eum locum, & in Apol. ad Domnionem, Chryſoſt. hom. 15. in Ep. ad Philip. & l. 1. de prou. d. & lib. 3. contra vituper. vitæ Monaſt. & Petrum Damiani opuſc. 11. cap. 12.

Quare de Patrum & Sanctorum ſententiâ, quam firmat manifeſta ratio, ex puta adhuc & incontaminata, nec viſu voluptatum & illecebrarum ſæculi implicita prima ætate ſui compote, conſultum eſt & facto optimum inire militiam ſacram ante iuuentutem. Nec defuere, quibus viſum eſt idem à pueritia de parentum conſenſu præſtari poſſe, & quidem irretractabiliter. Cenſuerunt enim nonnulli, ſi parentes prolem paruulam Deo obtulerint, nefas eſſe paruulo reuocare gradum, à lubente tametſi necdum ſui compote, in domum Dei immiſſum, cum ad pubertatem peruenerit. Ita ſignificant antiqui plerique Sancti, & firmari videtur 20. q. 1. c. 2. 3. 4. ac 6. ſed hoc accipiendum eſt de pueris, qui facti puberes ratum habuerint factum parentum, retinendo habitum pridem ſuſceptum, vel munia profeſſorum exercendo, vt inſinuatur c. *cum virum* de regul. Olim quippè puber, indutus religioſum habitum, & munia profeſſorum obiens, illicò habebatur profeſſus ex c. *vidua* de regular. Item quilibet religionem iniês animo renuntiandi ſæculo, abſque probatione religioſi ſtatus, illicò efficiebatur religioſus, vt habetur ex c. *conſulti*, & ex cap. *ſtatuimus*, eodem. Et inita pubertate, quiſquis religioſum habitum induebatur, eumque geſtabat per triduum, eo ipſo profeſſionem tacitam emittere cenſebatur ex c. *conſtitutionem* de regul. in 6. Itaquè qui ante pubertatem vel etiam in pueritia, ex voto aut voluntate parentum, ſuſceperant habitum religioſum ; & facti puberes eum vltrò retinebant, vel inter religioſos munia profeſſorum obibant, cenſebantur eo ipſo religioſi, abſque facultate reſiliendi ; non item cæteri ; quibus proinde fas erat reſilire, niſi ſe ipſimet iam plena ratione vtentes, voto obſtrinxiſſent ad religioſum inſtitutum. Nam tametſi huiuſmodi votum vſque ad pubertatem erat à maioribus irritabile ; tamen ex parte ipſorum puerorum validum erat : vnde rectè confirmatur, ad ineundam ſacram militiam non exigi deliberationem adeò longam, quàm fingunt qui eam producunt ad annum ætatis quintum ſupra viceſimum. Quod ſi Athenienſes, referente Nazianzeno orat. 57. pueros cum primum puberes erant, ex lege ducebant ad opificia, vt ei ſe addicerent quod præoptaſſent ; diſplicebit quod Chriſtiani facti puberes, fiunt ſui iuris ad amplectenda Chriſti conſilia ? *Erubeſce ſidon, ait mare.*

Sectio vi. Breuitas in diuinis.

Deliberatio de ſtatu vitæ.

Poſt hæc pridem vulgata, prodiere diſquitiones Monaſticæ Hæphtenij quarum lib. 4. tract. 1. diſquiſ. 1. eruditè ac ſolidè verſat quæſtionem hic propoſitam, poſt Latomum l. de fide & operibus ac votis Monaſticis p. 2. c. 10. Bellarminum l. de Monach. c. 35. Suarem Tract. 7. de Relig. l. 5. cap. 3. ac Buſæum in opere de ſtatibus c. de ſtatu Monach. c. 5. A quibus vno conſenſu exploduntur Sectarij quos inter Lutherus l. de votis Monaſticis, non facit viris poteſtatem ingrediendi Religionem ante annum ætatis 70. vel etiam 80. Caluinus 4. inſtit. cap. 15. nefas olim fuiſſe ait, fœminam voto continentiæ illigare, ante annum ætatis 60. Et videtur facere S. Gregor. qui refertur vetuiſſe ſanctimoniales velare ante annum ætatis 60. Sed vafra eſt hæc allegatio. Nam S. Gregor. agebat de velo prælationis. Nolebat enim iuuenculas eligi in Abbatiſſas, ſed tantùm ſexagenarias ei muneri addici volebat ; nec agebat de velo profeſſionis quod vietis duntaxat concedi olim ſolitum, mendaciter dicitur. Nec minùs abſurdè, mares nonniſi ætatis effœtæ ac ferè decrepitæ, ad Dei obſequium admittendi decernuntur ; cum è contrario Scriptura dicat bonum eſſe homini ſi portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, quando nec vitia altas radices egerunt, nec inoliti habitus mali, operoſiorem reddunt curſum virtutis. Idque Patres exemplo ſuo firmarunt, omnem ætatem Deo eſſe habilem conteſtantes, vt loquitur S. Ambroſius l. 3. de virg. negans mirandam adoleſcentum profeſſionem, cum legamus in paruulis paſſionem. Sed & S. Baſilius reg. 15. fuſiora negat ætatem teneram arcendam à Dei obſequio S. item Auguſt. l. de ſancta Virgin. c. 39. agmina puerorum & puellarum ſanctarum, Dei obſequio mancipata proponit in exemplum. Itaque citra vllum dubium, retinenda eſt ad collaudanda praxis Eccleſiæ. admittentis adoleſcentes ritè probatos ac ſui compotes, ad ſe mancipandos diuino obſequio, maturè ac reciſis moris quas Dei & ſalutis, animarum hoſtes inijciebant.

XIV. Præſtat in via ſpiritus, pedetentim ac lente progredi, nec magnis itineribus ſtadium ſanctimoniæ decurrere, vt per longiorem moram, ſoliditati ac perennitati (cui ferè incommodat feſtinatio) in negotio quod tanti hominis intereſt, conſulatur.

VErbum ſapientis eſt Prouerbiorum 13. *ſubſtantia feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Et affine eſt illud ex cap. 20. *hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* Hoc de ſubſtantia & hæreditate temporaria à Sapiente probatum, æquè habet locum in opum ſpiritualium comparatione. Eas quippè tanto ſecuriùs quanto lentiùs comparari, & antiquis & nouis

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Progreſſio in ſpiritu.

experimentis eſt teſtatiſſimum. Qui enim intemperatis initiis æſtuoſi ac feſtinantes, diteſcere in ſpiritu geſtiunt, pleramque ſpiritu incipientes, carne conſummantur; quia vt plurimum in ſeipſos ſtrennè animati, auſteriſſima domeſtici hoſtis, (corporis inquam,) tractatione, exterminant valetudinem; qua proſtrata coguntur remiſſiùs & molliùs agere, & mollitudine ſenſim creſcente, fiunt nouiſſima illorum peiora prioribus. Itaque totum denique carni reddit, qui iuſto celeriùs ad plenam ſuiipſius ſubactionem feſtinans, totum carni tentauerit denegare, vt Caſſianus ſapienter admonuit lib. 3. de Inſtitut. cap. 8. & eandem ſui miſanthropiam, in quodam erga ſe per initia nimis duro, exagitans Petrus Cluniac. lib. 2. epiſt. 6. cui malo facile fuiſſet proſpicere, paulo longiore in principiis mora, & veluti proluſione ad iuſtum certamen, quæ eſt prudentum in negotiis, quibuſcumque ſolers & idonea agendi ratio vt S. Hilarius lib. 1. de Trinit. in argumento libri 11. ſcitè obſeruauit, & S. Ambroſius lib. 1. de Officiis cap. 10.

Iidem feſtini ſummitatis virtutum captatores, præ improuida alacritate, ad ea confeſtim aggrediuntur opera, quæ viribus ipſorum non ſunt commenſa. Vnde contingit, vt qui vident fractos animo adigi reſilire, nec poſſe cœptis inſiſtere, incipiant illudere eis, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare, vt habet Euangelicum monitum. Conſummaſſent autem, ſi lenta & longior fuiſſet ædificatio. Monuit hoc circa Philoſophicam ſanctitudinem Epictetus c. 17. Enchir. valdè probãs auſpicationem à minimis tenuibúſque operibus virtutum: quæ eſt quidem longior & minus compendiaria via ad apices virtutis; eſt tamen conſultior & ſecurior, minúſque obnoxia ruinæ. Quod enim benè ad eum Epicteti locum expendit Simplicius, ceſsò ferè eſt ruiturus, qui cum non ſit niſi virtutum tyro, agere ſubitò aggreditur, quod fecit Crates omnia abijciens ipſum videlicet virtutis faſtigium, prætcritis mediis volens attingere. Diſſerit in eandem ſententiam perpulchrè, ex Magiſtri doctrinâ Arrian. l. 1. c. 18. monens incipere à paruis in quibus facilior ſit victoria; ab olla ſcilicet, à poculo; & deinde pergere ad togam, catellum, equuleum, agellum, poſtremò ad charos & ſemetipſum, & ibid. c. 12. inæquales pugnas philoſophari incipientis, & phantaſiarum violentiorum improbat. Nam vt aiunt vulgo, non conſentiunt olla & petra. Ac ne Ethnici hominis apud aliquem ſapientia ſordeat, noſtri quoque aſtipulantur, & concinnè præter cæteros Valerianus Cemel. hom. 16. *In fine*, verbis illis. [Virtus magna in minoribus ſemper experimentum capit. Sic rudis miles priuſquàm ad pugnam veniat, aduersùs arborem truncatam robur exercet, & inductæ manus vulnera ludendo componit: Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum curſu ventos imitatur. In tantum denique proficit præludium, vt penè minus labor ſit viciſſe hoſtem, quàm exercuiſſe virtutem. In ſimilibus ergo dilectiſſimi, præludendum nobis eſt, & aptandus eſt ſtudiis animus ad fortiora venturus: virtus enim quæ in paruis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur. Sic dum conſueſcimus minora vincere, maiora diſcimus tolerare.]

Seruauit hoc ipſum Deus, mortales ad ſanctitatem promouens lentè ac ſenſim, per elementa legis, venturus ad id quod eſt perfectum; ſicut ſi puerulum litteris velis imbuere, à ſingulis elementis inchoans, ad ſyllabas ſenſim & nomina progrediens; tandem ad orationem progreſſurus. Comparatio eſt S. Ambroſij lib. 1. de Abrah. c. 4. Aliam venuſtam comparationem adhibet Tertull. lib. de vel. Virg. c. 1. [Nihil (inquit) ſine ætate eſt, omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes, Tempus (inquit) omni rei. Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur. Deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expandunt. Inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic & iuſtitia, (nam idem Deus iuſtitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis, naturâ Deum metuens. Dehinc per legem & Prophetas promouit in infantiam. Dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem. Nunc per Paracletum cõponitur in maturitatem.] Quamuis contra Tertulliani mentem, Paracletum accipiendo de Spiritu ſancto, quem Chriſtus à Patre miſit, expolitorum & conſummatorum prædelineata, nihil veriùs quàm iuſtitiam ſiue ſanctitatem per tot moras (iuxta ea quæ egregiè diſſerit Vincentius Lyrin. in commonitorio) ad perfectionis culmen fuiſſe perductam. Atque adeò non turbidos & præproperos fuiſſe eius progreſſus; vt omnia in Dei negotio, non exteriùs tantum, quod Paulus monebat, ſed etiam interiùs decenter atque ordine fierent. Eum ordinem qui euertunt, & præ feſtinatione conſcendendi ſummum verticem, confeſtim in ſublimia quæque feruntur, facillimè euertuntur ac pereunt; à quo diſcrimine abſunt, qui in negotio ſummam prudentiam & maturitatem depoſcente, nequaquam ſunt præcipites. Scitè ad hanc lentam progreſſionem adſtruendam Sanctus Gregorius 31. moral. cap. 32. ex Ezech. 47.

§. 2. *Alacritas neſciens tarda molimina, munus Spiritus ſancti eſt, atque adeò prompta in Dei opere & Chriſtianæ perfectionis ſtudio nauitas, moroſitati difficultates palpanti longè præſtat; quippè Deo acceptior & homini quæſtuoſior, ac certum auctioris erectionis animi & generoſitatis argumentum.*

MOram exitioſam eſſe humanis negotiis, inſra ex inſtituto confirmabo ſect. 2. num. 12. Hic celeritas in Dei opere eſt commendanda: quod video ſtudioſè feciſſe Patres grauiſſimos, deſcribentes Abrahami celeritatem in Dei negotio. Et in primis Origenes hom. 4. Geneſ. ad illud. *Vidit Abraham & occurrit eis obuiam*, [*Conſidera* (inquit) *protinus impigrum*; & alacrem in officiis Abraham. Ipſe occurrit obuiam, & eum occurriſſet, feſtinat (inquit) ad tabernaculum. & dicit ad vxorem ſuam, feſtina ad tabernaculum. Vide in ſingulis quanta ſit ſuſcipientis alacritas. Feſtinatur in omnibus, omnia

[illegible] vrgentur,

vigentur, *nihil per otium geritur.*] Nec minùs appoſitè S. Ambroſius lib. 1. de Caïn & Abel cap. 8. tractans illud ex cap. 18 Geneſ. *Cucurrit & accepit vitulum vnum.* [*Cognoſce celeres ſtudia deuotionis. Cucurrit (inquit) & accepit vitulum vnū tenerum & bonum, & dedit puero, & feſtinauit facere eum.* Vbique impigra deuotio, & ideirco Deo fuit munus eius acceptum.] Præmiſerat de hac ipſa Abrahami feſtinatione. [Prima voti gratia eſt, celeritas ſolutionis. Denique & Abraham filium ſuum ad holocauſtum iuſſus offerre, non poſt dies, vt Caïn obtulit, ſed exurgens manè ſtrauit aſinum ſuum, & adhibuit ſecum duos pueros, & Iſaac filium ſuum, & concidens ligna ad holocauſtum, ſurgens abiit, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia; primò aduerte immolantis ſtudium, maturum atque feſtinum, vt mora expectationis non eſſet, niſi donec audiretur oraculum.] Idem lib. 1. de Abrah. c. 5. egregiè in eandem ſententiam diſſerit, prolatis aliis præterea exemplis, vt confirmet quod [vberiores fructus habet celerata deuotio.] Zachæi & Iacobi impigram deuotionem ad hoc ipſum libiat libro illo 1. de Caïn & Abel cap. 8. ſicut è contrario inter Caïni probra (vt ibid. c. 7. expedit) numerat, quod poſt dies obtulit; nec ex primis fructibus: cum tamen ſacrificium celeritate commendetur, iubeaturque moram non facere qui vouerit votum.

Profecerunt Origines & Ambroſius, hactenus adducti, ex Philone (quem illi imitari ſtudioſè ſolent) lib. de ſacrif. Abelis & Caïni. Nam tractans quod Iacob demirãti patri adeò citam prædæ inuentionem reſpondit; ait, humanos quidem præceptores, ſenſim quemadmodùm qui in vas infundunt, ſapientiæ veluti liquorem immittere. Fontem autem ſapientiæ Deum, ex tempore & ſine mora docere, & diſcipulos eius, item abſque mora addiſcere. Eſt autem præcipua diſcipulorum virtus, perfectum doctorem perfectè imitari. [Faciunt igitur officium ſuum obedientes filij, qui naturam patris imitando incunctanter, cum omni feſtinatione quod bonum eſt agunt: qui nihil pulchrius facere poſſunt, quàm quod honorant Deum ſine dilatione.] Non ſic Pharao, vt ibidem Philo proſequitur; Procraſtinauit enim ac comperendinauit: [Dicens cras, vt per omnia retineret impietatis teneritudinem.] Non ſic item Caïn, cuius illud primum crimen fuiſſe expendit eodem libro paulò antetiùs Philo, quod poſt aliquot dies, vt Scriptura notauit, non autem ſtatim, gratias egit Deo. Atqui [oportet nos qui boni aliquid faciunt, præuolare ante alios, & incunctanter amoliri impedimenta omnia. Eſt autem optimum opus, ſummi illius primariique boni placatio, ſine ceſſatione dilationeque. Ideò præceptum extat, *ſi voueris votum, non cunctaberis reddere.*] Et poſt aliquam de more excurſionem in Abrahami in Deo colendo celeritatem & ardentem promptitudinem attingens, concludit. [Accingamus igitur & expediamus nos ad agendas omnipotenti gratias, reddendúmque illi ſine mora honorem debitum. Præceptum enim eſt, tranſeuntibus ab affectu, ad virtutum meditationem, vt accincti lumbos Paſcha celebrent, expediti ad miniſtrandum, & induti calceamenta quibus carneam molem ratione contineant, ſtentque recti firmatis pedibus, & diſciplinam habentes virgam in manibus ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia. Poſtremò iubentur properando cibum edere; quia Paſcha, creaturæ mortalis tranſitus ad Deum dicitur, & valdè conuenienter. Nullum enim bonum eſt quod non Dei ſit & diuinum. Id igitur celeriter quære ô anima.]

Sectio. Breuitas in diuinis.

Progreſſio in ſpiritu.

Hæc poſtrema præſtat ex D. Gregorio accipere. Is homil. 22. in Euang. *in ipſo fine*, accommodans ad mores ritum vniuerſum comeſtionis Agni Paſchalis, peruenit que demum ad illud *Comedetis feſtinantes*, ait. [Notate chariſſimi fratres, notate quod dicitur *feſtinantes*. Mandata Dei myſteria Redemptoris, cœleſtis patriæ gaudia cum feſtinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie, licet benè agere ſcimus; vtrum cras liceat, ignoramus. Feſtinantes ergo Paſcha comedite, id eſt ad ſolemnitatem patriæ cœleſtis anhelate: nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras ad expectanda ſtudia innectat, ſed cœpta perficiat, ne minimè liceat implere quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non ſumus, admonet ipſe quem amamus.] Ignauum vero eſt & damni refertiſſimum, moras circa bonum nectere, vt ipſimet Ethnici aduerterunt, quos inter, egregiè omnino id proſequitur Epictetus cap. 75. Enchir. Vbi Simplicius illud Heſiodi huc accommodat.

Differ opus, nunquam non confligabere damnis.

Inſigniter item in eandem ſententiam ex Epicteti mente diſſerit Arrianus libro 2. cap. 18. & lib. 4. cap. 12. Itaque generoſè & alacriter, ſecluſa ignaua languiditate, operandum eſt. Qui enim remiſſe & molliter agit, frater eſt ſua opera diſſipantis. Imo ſi ſanctum Gregorium audimus libro vndecimo moral. cap. 26. Spiritus Sanctus per Salomonem, anteſert alacrem & promptum boni executorem, poſt culpam contractam ex alacritate fortiùs aſſurgentem, & ab ipſo feruore animum operique ducentem, molli & effœminato Innocenti. Sic enim accipit illud, *melior eſt iniquitas viri quàm mulier benefaciens.* Eodem ſpectat, quod capra offerebatur in oſtio tabernaculi, ouis autem procul inde: quia conuerſio feruens acceptior Deo eſt innocentia tepente, vt philoſophatur Petrus Bleſenſis epiſtola 50.

Germana igitur Dei ſoboles, celerrimè & quàm breuiſſimis itineribus fertur in bonum. Sed neque hæret in minutiis boni; quaſi non ſatis habeat animorum ad grandia opera quibus illicò ire ſpiritu direcat; vel quaſi Deus parcè nec niſi poſt longas moras ſubminiſtret vires ad nobiliſſima quæque opera neceſſarias: ſed illicò ſpiritu magno videt vltima. Quod ſi aliquæ ſe difficultates opponant, non auſpicatur à minutione tanquam imbelli & facilitate ſuperabili, ſed ab ea quæ maximè ardua eſt; & plurimæ (certè alacris) indiga operæ, vt fert conſilium Caſſiani collat. 5. cap. 14. & Chryſoſtomi homilia 75. ad populum, necnon Climaci gradu 1. cuius illa ſunt in hanc rem egregia. [Odioſum ſanè periculique pleniſſimum eſt, ab ipſo ſtatim congreſſu, laſſeſcere luctantem. Eſt enim futuræ necis non obſcurum argumentum. Eſt nobis omnino perutile, forte & validum renunciationis

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

Progreſſio in ſpiritu.

initium arripere, etiamſi poſtmodùm molleſcere contingat. Anima enim quæ viriliter pugnare cœperit, rurſúmque debilitate ceſſerit, antiquæ virtutis & ſtudij memoria quaſi ſtimulo quodam & flagello vulneratur; atque ex hoc nonnunquam plurimi priſtinum vigorem receperunt, prioréſque pennas reſumpſerunt.] Non eſt igitur initio langueſcendum, ſed ab alacribus cœptis generosè auſpicandum.

Ita planè ſe geſſerunt, quotquot magnos progreſſus in virtute & Dei obſequio fecerunt: quorum aliqui, confeſtim idcirco magni & ſummi euaſerunt. S. Cyprianus referente Pontio cap. 4. [Præpropera velocitate pietatis, pœnè ante cœpit perfectus eſſe quàm diſceret, *&c.* Nemo metit ſtatim vt ſeuit, nemo vindemiam de nouellis ſcrobibus expreſſit, nemo adhuc vnquam de nouiter plantatis arbuſculis matura poma quæſiuit. In illo omnia incredibilia encurrerunt. Præuenit (ſi poteſt dici, res enim fidem non capit;) præuenit inquam trituta ſementem, videmia palmitem, poma radicem.] Addit mox. [Hic de imperitis gentibus veniens, tam matura cœpit fide, quanta pauci fortaſsè perfecerunt. Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio.] Gregorium Neocæſarienſem celebrat in eius encomio Gregorius Nyſſenus, quia [per primam vitæ inſtituti electionem, oſtendit in ſeſe, verum eſſe illud verbum Dauidis dicentis; *iuſtus vt palma florebit.* Sola enim nimirum hæc arbor, perfecta craſſitudine cacuminis à terra ſurgit, & exereſcit; cúmque proceritatis incrementum progrediatur, nullam in latitudinem à tempore accipit acceſſionem. Sic etiam ille à primo germine floruit, & electione vitæ inſtituti, protinus perfectus, & eminentibus frondibus conſurgens & exereſcens.] De S. Victricio ſic ſcribit S. Paulinus Epiſt 18. quæ eſt 1. ad ipſum Victricium. [Quid ergo miremur, tam potentem te eſſe meritorum, tam diuitem gratiarum; cum hoc tibi fuerit virtutum in Chriſto rudimentum, quod longorum laborum paucis conſummatio eſt? Dubitemus etiam nunc, an perfectus ſis, qui de perfectione cæpiſti? Et ſi legitimè coronandus ſis agone decurſo, cum currere cœperis à corona?] De ipſo S. Paulino D. Hieronymus initio epiſtolæ de inſtit. Monachi, egregia in hanc rem tradit; & cum illo ſe componens concludit: [Subitus calor longum vincit tepotem.]

Tales nominatim fuiſſe oportuit Sanctorum nonnullos, qui conſummati in breui, expleuerunt tempora multa: quorum iuuentus celeriùs conſummata, condemnat longam vitam torpentium, & annoſitate languida in Dei obſequio marcentium ſanctitudinem; cum tamen ætas ſenectutis, ſit vita immaculata atque perfecta, & vt benè admonet Paulinum S. Hieronymus initio epiſtolæ citatæ de inſtit. monachi, non eſt fides & pietas penſanda temporibus, & multi ætate iam marcida, præ torpore perpetuo, ſuperantur à vegetis & alacribus adoleſcentibus. Cum itaque ſenectus ſit penſanda moribus, ideóque indice Origene homil. 16. in Ioſue, nullus peccator ſit ſenex, quantumcumque æuo proceſſerit; multi fruſtra canos iactant, cum ſint verè cani pueri, in quos conclamat Guil. Pariſ. lib. de moral. cap. vltimo. Iſti autem verè cenſendi ſunt diu vixiſſe, quantumcumque in ætate tenera excedant, qui ætatem qualemcumque exegerint, naui & alacres, & iam ab initio feruentes traduxerunt. *Seniles Iuuenes* vt loquitur Caſſiodorus in libri 11. præfatione. Cuiuſmodi fuit ille Macarius Ægyptius, qui dictus eſt παιδαριογέρων, referente Palladio ſect. 17. Lauſ. quia in iuuenili ætate, præ feruore & nauitate in parandis virtutibus iam ſenex haberi poterat. In ſumma, ne ſigillatim hæream circa hunc aut illum, valet planè de omnibus Sanctis, quod Nazianzenus orat. prima, vniuersè ſtatuit; ſublimi viro detrimentum eſſe, res magnas non aggredi, ſed in paruis conſiſtere: non ſecus ac ſi magno lumine parua domus illuſtretur, aut virilibus armis puerile corpus obtegatur.

Sunt porrò progreſſiones omnes propoſitæ, obedientium Deo victoriæ. At nihil æquè obedientiam commendat quàm promptitudo, vt inſigniter tradunt S. Baſilius lib. 1. de bapt. quæſt. 6. & regula 166. Breuium. Necnon S. Benedictus cap. 8. Regulæ, qui intra paucas lineas ſæpè ſæpius iterat, rumpendas eſſe moras obedienti; & ſtatim, ac eodem momento quo iuſſa percipiuntur, vult iungi executionem; aſſurgendo ad mandantis vocem, non ſecus ac ſi carbo ſuccenſus, demiſſus eſſet in eum qui iuſſa percepit. Sic in auditu auris obeditur Deo; ſic concipitur ſpiritus ſalutis, demiſſo in animam Verbi diuini ſemine, & ſtatim conceptum ſequitur partus: quem eſſe virilium animarum agendi modum, à muliebribus animabus alienum, ſcitè diſſerit Origenes homil. 10. in Exod. Qui enim concipiunt excipientes diuinum ſemen, & ſtatim pariunt, eos negat dicendos, quod alij molles & tardi, qui ſcilicet idcirco dicuntur *prægnantes mulieres.* [Perfecti ergo ſunt (inquit) & viri fortes, qui ſtatim vt concipiunt pariunt, id eſt qui conceptum fidei Verbum in opera producunt: anima autem quæ concepit & in ventre retinet & non parit; non mulier appellatur, ſicut & Propheta dicit, *dolores partus aduenerunt ei, & virtus pariendi non eſt in ea.*] Expreſſit Origenem & in hoc argumento inſigniter verſatus eſt S. Ambroſius lib. de fuga ſæculi cap. 8.

XV. *Deus vndecumque & ſecundùm omnem differentiam & temporis & loci, longiſſimus eſt, ac protenſiſſimus.*

NVlla eſt æqualis longitudo, ei quæ in Deo concipi poteſt aut debet. Aptè enim, Deum qui finis omnium eſt, nunquam ipſe finitus, apponemus tractationi longitudinis circa Sacra clauſulam. Eſt ergo longitudo, ſpatioſum quid. Siue autem ſpatium duratiuum, ſiue ſituale ſpectetur, longitudo eſt in Deo infinita. Nam & æternus eſt diffuſione duratiua, ob quam celebrari Dei longitudinem ait S. Bernardus lib. 5. de conſid. *in fine*: & immenſus prætetea eſt, atque adeò immenſitate longitudine præditus, quoad ſitualem diffuſionē, de qua valet illud Iobi 11. *longior terra, menſura eius.* Longas regibus eſſe manus, protritum eſt. Sed longiores vndecumque Deo eſſe, nemo non videt; cum nihil ſiue loco, ſiue tempore ſit Deo remotum; omnibus vbinia adeſt præſentibus; æque attingit omnia præterita; nec vllum eſt futurum, ad quod eius obtutus

obtutus non peruadat. Itaque & potentia & ſcientia Dei, longitudinem habent infinitam. Non ita nos homuli, quorum potentia infirmiſſima & reſtrictiſſima, ſcientia verò admodùm in anguſto verſatur.

Sed nollo ex capite diuinam longitudinem lubentiùs ſuſpiciunt Sancti, quàm penes eam perfectionem, quam Sanctus Gregorius l. 1. moral. cap. 10. & 11. *longitudinis* nomine ab Apoſtolo Eph. 3. expreſſam cenſet; nempe penes longanimitatem. Concinúntque Hebræi, vocantes Deum *longum naribus*, vt Hebr. Exodi 34. v. 6. vbi vulgata *Deus patiens*. eſt *erek aſſaim*, hoc eſt *longus ad iras*; longus naribus quibus ira efflari ſolet: vnde naſos iræ ſedes. In quam rem planè Delrio adag. 139 vet. teſtam. & Raderus ad l. 5. Martial. Epigram. 45. Deus ergo ex hoc capite longiſſimus eſt quia patientiſſimus, vt ſcriptura vbique clamat, & pulcherrimè tradit Tertullianus L. de patient. C. 2. eumque exprimens S. Cyprianus L. eiuſdem argumenti. Quis tantam penes omnia propoſita capita Dei longitudinem ſatis demiretur? Confortata eſt, & non poſſumus ad eam. Omnes menſuræ noſtræ breuiores ſunt quàm vt poſſint iſtæ vndecumque longitudini eſſe pares.

Non ſic humana, non ſic. Inter nos enim omnia ad quæ ſuſpirant mortales, exiguæ moræ ſunt, gloria, voluptas, ſanitas. De gloria, cui incompetenter illud Senecæ L. de tranquil. animi C. XI. [Quæ ſunt diuitiæ, quas non egeſtas, & fames, & mendicitas, à tergo ſequantur? Quæ dignitas cuius non prætextam, & augurale, & patricia; & ſordes comitentur, & exportatio, & notæ, & mille maculæ & extrema contemptio? Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & Dominus & Carnifex? Nec magnis iſta interuallis diuiſa, ſed horæ momentum intereſt, inter ſolium & aliena genua.] Diuinus è contrario dominatus, quàm diuturnus, ſtabilis, longus, pro æternitatis longitudine eſt? Idque illi præcipuum decus, vt fusè proſequor In natur. Theol. d. 7. n. 152. Similiter voluptates noſtræ omnes perbreues. Seneca l. de vita beata c. 7. [Summum bonum immortale eſt, neſcit exire; nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam; nunquam enim recta mens vertitur, nec quicquam mutauit optima. At voluptas, tum cum maximè delectat, extinguitur; nec multum loci habet. Itaque citò implet, & tædio eſt; & poſt primum impetum marcet. Nec id vnquam certum eſt, cuius in motu natura eſt. Ita ne poteſt quidem vlla eius eſſe ſubſtantia, quod venit, tranſitve celerrimè; in ipſo vſu ſui, periturum. Eo enim peruenit vbi deſinat; & dum incipit, ſpectat ad finem.] Rurſúſque C. 12. voluptates noſtrates inæquales, & ſub ictu pœnitentiæ poſitas deſcribit. Videſis inſuper de Conſol. ad Marciam c. 2. & quæ adduco in Morali diſt. 1. à n. 84. Diuina voluptas fixa eſt, & nunquam mutatura. Noſtra denique ſanitas, vapor ea vt D. Auguſtinus ſcitè dixit ſerm. 34. cum è contrario; benè eſſe, Dei, nullo vnquam fine ſit terminandum. Itaque longitudo videtur ſtatui poſſe Characteriſtica diuinorum bonorum, breuitas verò noſtratium. Nam & in tempore ſumus, & tempus omnia noſtra menſurat; at tempore nihil breuius atque fugacius. In quam rem inſigniter diſſerit Seneca Epiſt. 32. & 49. & Petrarcha lib. 14. Epiſtula vnica, *tota*. At æternitas quæ Dei & diuinorum bonorum duratio eſt, finem neſcit, tamque longa eſt, vt idcirco ſit immetata.

Sectio 1. Breuitas in diuinis.

§. 2. *Breuitati diuinæ, nulla par breuitas.*

Deus.

SIue Deum qua Deus eſt, in ſeipſo, aut in ſuis erga mortales conſiliis attendamus, ſiue eundem in Chriſto mundum ſibi conciliantem ſpectemus, nihil occurrere poteſt breuius atque punctalius. In primis vniuerſa attributorum Dei varietas quam per imaginationes noſtras in varias veluti perfectiones dearticulamus, reipſa non eſt niſi vna perfectio impræciſibilis, ac inſectilis per cogitationes noſtras, terminatas ad conceptus objectiuos ſe excludentes. Vnde quamuis ob imperfectionem fundamenti ex quo ad diuina aſſurgimus, diuinas perfectiones per conceptus confuſos diuerſos nobis objiciamus; tamen reipſa eadem ſemper perfectio, ſaltem implicitè attingitur; & in cœlo vbi clarè videbitur, *erit dominus vnus, & nomen eius vnum*, vt ait Zacharias C. vltimo: hoc eſt vnica omnino agnoſcetur eſſe Dei perfectio. In quam rem diuinè diſſerit S. Bernardus lib. 5. de conſid. *Sub finem*. Quod ſi pro more noſtro, imperfectè concipiamus diuina attributa ſeorſim, quæ par fingi poteſt breuitas immenſitati punctali? Videntur iſta continere implicationem in adiecto, ſéque reipſa deſtruere. Sed tamen nihil verius. Nam diuina diffuſio localis, quanta quanta eſt, non plus intrinſecè habet quam in vno inſectili puncto; ac proinde eſt omnino breuiſſima; nec diffuſionem in ſe ac longitudinem continet, ſed ſummam breuitatem, qualis in puncto cogitatur. Æquè æternitas in ſe ſpectata, falsò concipitur vt diffuſio durationis; eſt enim vnum quid punctale & æternum, atque adeò perbreue. Fluunt quidem & dilabuntur circum diuinam æternitatem temporis ſpatia, irrequietis motionibus; ipſa tamen Dei æternitas ſemper ſtat, veluti palus in medio amne defixus, quem varietas & volubilitas fluctuum ſemper ſibi ſuccedentium alluit, nuſquam variatum.

In operando, nihil Deo actiuius, vt optimè expendit Philo l. de Sacrif. Abelis & Caini. Tractans enim illud Iſaaci ad filium Iacobum, *quomodo tam citò inuenire potuiſti fili mei?* oſtendit germanam Dei ſobolem, naturam patris imitando, incunctanter ac celerrimè operari bona, ſicut Deus operans. [Omni tempore celerior eſt; quia ne tum quidem ab eo adiutus eſt, cum creabat omnia; & ipſum etiam ſimul cum mandato extitit. Adhuc enim loquente Deo facta ſunt omnia, nec interceſſit vlla mora temporis: Imo ſi licet verius dogma attingere, dictum & factum, idem eſt. Verbo certè, etiam apud mortales nihil eſt mobilius: præcedentem enim mentis conceptum, celeritate aſſequitur nominum verborumque volubilitas. Ergo ſicut riuorum perennium fluenta, curſu irrequieto feruntur, ſequentibus aquis præcedentes impellentibus; ita ſermonis ſemel cœpti exundantis, mentem omnium quæ nobis inſunt nobiliſſimam & volucribus naturis parem, currendo aſſequitur. Igitur ſicut ingenitus ille, præuenit omnia genita; ita ingenitus ſermo, ſermonem creaturæ præcurrit, nubila etiam prætervolans, ſicut ipſa liberè lo-

Sectio 1. Breuitas in diuinis. quitur dicens, *ecce videbis, quod apprehendet te ſermo meus*; quaſi nihil ſit quod Dei ſermonem poſſit effugere. Quod ſi ſermo præuenit, multo magis ipſe qui loquitur.] Infert inde Philo, mirum non eſſe, ſi Dei filij patrem affectantes, operantur bonum quàm celerrimè, reciſa omni dilatione.

Deus. Extollebatur diuina longanimitas, qua ſuſtinuit vaſa iræ in multa patientia per longum tempus. Verùm ea diuinæ ſuſtinentiæ tempora quæ nobis longa videntur, apud Deum breuia ſunt, quia mille anni ante oculos eius, tanquam dies heſterna quæ præteriit. Nec tenera longum eſt quod habet finem, vt diſſerit S. Auguſtinus 51. ciuit. cap. 12. quid quod interdum, etiam per comparationem ad nos, patientia Dei non in longa tempora vltionem producit, ſed perbreui pœnæ dilatione, ſubſequitur non pede claudo, vindicta ſceleſtum. Id quod ingenuè faſſi ſunt Ethnici, qui Chriſtianos Dei ſui longanimitatem celebrare cum accepiſſent, deprehenſa tam ſubita Iuliani deſertoris punitione exclamarunt. Papæ, quæ iſta longanimitas! Nebulam enim (vt Sanctus Athanaſius verè dixit) excitare aduerſus Chriſtianos permiſſus, perbreui flante Deo periit, & in æternum ſublatus eſt animaduerſione quàm celerrima. Itaque nulla breuitas æquat diuinam, ſiue in ſeipſa, ſiue in conſiliis ſuper filios hominum.

Iam Deus adiunctus carni noſtræ, quàm breuiatus? Planè eſt verbum abbreuiatum, de quo iuxta pleroſque Patres fusè alibi S. Bernardus ſerm. de natiuit. Dom. *initio*, profeſſus ſe adigi ad breuiandum ſermonem, ſubit. [Nec mirum ſi facimus nos breue verbum, quando ſi Deus Pater, verbum facit abbreuiatum. Vultis noſſe quàm longum, quàm breue fecit? Cœlum (inquit,) & terram ego impleo. Nunc caro factum, in anguſto locatum præſepio eſt. A ſæculo) ait Propheta) *& in ſæculum tu es Deus.* Et ecce factus infans diei vnius.] Blaſphemet quantum libuerit impius Neſtorius, conteſtans ſe Deum bimulum aut trimulum non adoraturum. Hic, etiam à primo momento conceptûs carnis ſuæ, eſt Deus noſter. Nam ex eo momento, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Itaque iuxta eundem Bernardum homil. 2. ſuper miſſus eſt, agnoſcenda eſt in Chriſto longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, & profunditas plana. Quod egregio rythmo Adami Victorini expreſſum habetur, apud Richardum à S. Laurentio, L. 2. de Deip.

Mira rebus conuerſio;
Longitudo breuis efficitur,
Latitudo conſtricta cernitur,
Complanatur profunditas,
Altitudo demiſſa ſubditur.

Sic breuiari oportuit Eliſæum, vt paruulo coaptaretur ad eius viuificationem; de qua incarnati Verbi imagine ſcitè Proſper p. 2. de promiſſ. cap. 31. Baſilius Seleuc. orat. 10. Guerricus ſerm. 3. de reſur. Bernardus ſerm. 16. in Cant. In Euchariſtia habemus panem arctum & aquam breuem, ſic enim Iſaiæ locum de Euchariſtia, accipit Iuſtinus cum Tryphone diſputans, meritò: cum in quolibet puncto ſpecierum ſit Chriſtus totus. Eſt ergo ibi quoque breuiſſimus. Cedo igitur vſpiam breuitatem diuinæ æqualem, ſiue de Deo quâ Deo, ſiue de eodem prout corporato, vel in cibum porrecto, ſit ſermo.

Fidem Chriſtianam in breui eſſe, aſſerunt Etherius & Beatus lib. 1. contra Elipandum; nec repugnauit S. Bartholomæus, cum referente S. Dionyſio L. de myſt. Theolog. cap. 1. dixit Euangelium eſſe latum ſimul & anguſtum, magnum & paruum, longum & breue. Nam S. Bartholomæus, interprete S. Dionyſio, ſpectauit noſtras de Deo elocutiones, quæ plurimis verbis longáque oratione exprimuntur, & ſimul breuibus ac multis vocibus explicantur: quia tametſi imperfectio noſtra feratur in effutitionem multorum verborum; tamen reipſa quod de Deo citra impropnetatem dicere poſſumus, perbreue eſt ac propè nullum. Cum igitur longitudo atque magnitudo verbosa, conſequens imperfectionem noſtram, non ſit refundenda in diuinam doctrinam, meritò ſimpliciter aſſerimus illam breuem atque conciſam eſſe: & cum Deus in Chriſtiana republica; ſyluam legum antiquarum reciderit, perbreui legum ſumma contentus, habet hic quoque locum illud S. Orientij de lege naturali in commonitorio.

Quid non mandatum latè complectitur arctum.
Plenius hac tradi quid breuitate poteſt?

LAVS

LAVS BREVITATIS

SECTIO II.

DICTTACA DE BREVITATE ET longitudine in humanis.

HVMANA Dico, quæ non ſunt ordinis ſuperioris, nec immediatè, ſuapte natura ad Deum pertinent, ſed ſunt functiones vitæ ciuilis ac humanæ, quæ apud Ethnicos quoquè benè compoſitos, locum habuere. Eiuſmodi ſunt; rectio, ſtudia Philoſophica, & humaniora, librorum confectio & expolitio, lectio, viſitationes & alloquia amicorum, beneficiorum collatio, tabulorum delatio, cauſarum forenſium agitatio, medicatio ægrotum, geſtio negotiorum, pax, luctus, Epitaphia.

I. Bonum eſt, moderatorem etiam non ſupremum, longa rectione perſungi.

TRactabimus hoc punctum in religioſa rectione, quæ nobis notior eſt, debétque & exactiſſima & perfectiſſima eſſe. Rectionem igitur in minoribus Præfectis, debere, quantum fieri poterit, longam eſſe, ferunt quæ latè diſputat Franciſcus Sacchinus l. 5. hiſtor. Soc. IESV à n. 125. reddens cauſas cur de S. Ignatij ſententia, munus Præpoſiti generalis debeat eſſe perpetuum, quamdiu qui in illud euectus eſt, viuam vixerit. Id quod etiam apud Carmelitanos ſeruandum eſſe iuxta regulam, tradis Thomas à IESV ad regul. Carmel. parte 3. c. 1. Carthuſianis eundem morem eſſe, ſalua mutandi quot annis poteſtate penes generale capitulum ſita, neminem latet. Dominicani ad eundem vſum aſtringuntur, ex regula. Id quod etiam ex S. Franciſci mente, inter Minores fuiſſe ſeruandum, ſcribit Miranda tomo 2. Manual. Prælat. q. 6 artic. 5. Inſinuatúrque c. 8 regulæ S Franciſci. Audio id primum anno 1517. immutatum eſſe Romæ in capitulo generali ſub Leone X. monere Generalis, quod antè perpetuum erat, arctato tone ad ſexennium. Expedire vbiuis præfecturam generalem eſſe perpetuam, nec niſi electi morte expirantem, latè confirmat Caſtellinus ord. Prædicat. tract. de electione canonica cap. 10. propoſit. 5. poſt Nauarrum in c. *multum* 18. q. 2. num. 3. & Comment. 3. de regul. num. 5. Itémque poſt Cordubam quæſt. 3. Introductoria ad regul. S. Franciſci, atque Suarem t. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 7. *per totum*. Rationes cur Præpoſitos Generales par ſit eſſe perpetuos, ſex præſertim proferuntur, maior vſus rerum gerendarum, & maior item hominum regendorum notitia; maior Præpoſiti authoritas, certior ambitus improuidorum remotio. Item quod facilius ſit idoneum vnum inuenire, quàm multos; quod ea ratione Conuentus generales cum magnis impenſis & perſonarum grauium angariatione coniuncti, infrequentiùs ſint indicendi. Denique idem ſuadent adminiſtrationum præcipuarum exempla. Has rationes, pro Moderatorũ Generalium (dum viuunt) perennitate, ſplendidè ſimul ac fusè perſequitur loco allegato Sacchinus, & ſi rectè expendantur omnino conuincunt. *Sectio 1. Breuitas in diuinis.*

In contrarium toto conatu nititur Laurentius de Peyrinis tom. 2. de Prælato Regul. q. 1. c. 4. § 1. laborans admodùm in conuellendis rationibus propoſitis; & addenſans pro præeligenda temporaria Generalium præfectura varias rationes, ac præſertim periculũ ſuperbiæ in Generali perpetuo; ſecuritatem quidlibet audendi, vbi nullus metus exturbationis animum firmat, perpetuam oppreſſionem eorum qui in Generalis offenſam odiúmve incurrerint iure aut iniuria; ſenſum multorum ordinum, qui malis ſuis edocti, primæuam Generalium ſuorum perennitatem ſuſtulerunt, & temporariam fecere Generalium præfecturam, quod cap. illo quarto num. 6. multis exemplis illuſtrat; vt Benedictinorum, Monachorum Vallis Vmbroſæ, Carmelitarum, Baſilianorum, Auguſtinianorum, Minorum, Cruciferorum, Trinitariorum, Mercenariorum, Seruitarum, Ciſtercienſium, & variorum Clericorum regularium. Verum hæc omnia parum vrgent. Nam Nauarrus perpenſis quæ tanto tempore ex conſultationib. ad ſedem Apoſtolicam in cauſis regularium perceperat, auidè expoſcit Generales omnes eſſe perpetuos; & qui temporales facti fuerant, effici denuò perpetuos, vt apud eum videre eſt in longa huius negotij diſcuſſione quã inſtituit Comment. 3. de Regular. & l. 3. conſil. de ſtatu Monach. conſ. 7. Non deſunt verò remedia quibus & humilitati perpetui Generalis proſpiciatur, & ſecuritas ac audacia nimia temperetur,

Sectio 1. *Breuitas in diuers.* Rectio.

retur, caueatúrque ſubditorum oppreſſio. Itaque cùm incommoda quæ allegantur non ſint tanti, quippè quibus occurri poſſit ac debeat; rationes autem propoſitæ ad perpetuitatem muneris Præfecto Generali tribuendam, ſint omnino graues ac per ſe vrgentes, potior cenſeri debet pars cui ſuffragantur, & approbanda Generalis Moderatoris perpetuitas.

Atqui earum rationum pleræque, habeant proportione locum circa inferiores moderatores; conficiúntque, eorum rectionem, ſin minùs perpetuam, at ſaltem longam & diuturnam eſſe oportere. Nam continuata diu rectione, maiorem rerum gerendarum peritiam comparabunt, & pleniore ſubditorum notitia potientur. Oraculum verò eſt Spiritus ſancti, *Intelligens gubernacula poſſidebit*; id eſt dignus eſt qui poſſideat. Ea item ratione occurritur pleriſque incommodis quæ rectionem breuem & volaticam conſequuntur, vt videre eſt apud Adam Contzen. lib. 7. polit. toto cap. 10. vbi refellit Machiauellum; cui placuerat, magiſtratus inferiores ſubinde mutari; nec regendi poteſtatem in vna & eadem perſona prorogari ad longum tempus. Sed contra quàm Macchiauellus voluit, agebat Tiberius artis regendi conſultiſſimus, tametſi peſſimus; veritus ne muſcæ non ſaturæ, fierent moleſtiores, vt ſcribit Theodorus Metochita *pag.* 75. hiſtor. poſt Tacitum extremo lib. 1. annal. Seuero idem viſum, tradit in Piſcennio Nigro, Spartianus; & placuiſſe quoque Antonino pio praxim illam, ſcribit Capitolinus. Et diu quidem fuerat lex de annuo tantùm magiſtratu: vnde Arnobius lib. 2. opponens Romanis quod noua induxiſſent, inter cætera ait, in poteſtatibus obeundis, leges conſeruatis annuarias? Quaſi diceret, nequaquam; mutaſtis enim priſcum vſum adacti incommodis. Nimirum non patitur populi regnum breue, vt eſt apud Statium 2. Thebaïd. quo aliter dixit Tacitus 2. hiſtor. [Difficilius eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum.] Subſcribit quoad Iudices Lipſius lib. 2. monit. polit. c. 9. in quæſtione ſecunda annexa.

§. 2. *Præſtat moderationem inferiorum moderatorum eſſe duratione moderatam, nec in longa tempora prorogari.*

HOc duobus modis poteſt accidere. Primo ſcilicet ita vt idem inferior moderator occupet ad breue tempus (verbi gratia ad triennium) eandem ſedem; cum primum autem ea præfectura abierit, ad alia tranſgrediatur, perſtans ſemper ad clauum. Secundo, ita vt ex quo abiit magiſtratu vno, non pergat ad alium; ſed ſubſit, & priuatus degat per longum tempus, puta, decennij, vel per tantundem temporis quantum præfuit. Priorem rectionis inferioris breuitatem, cum libertate ſuffectionis ad aliam ſimilem vel maiorem, approbauit Clem. VIII. eo diplomate quo inferiores quoſq; religionum præpoſitos, iuſſit exacto trienio abire magiſtratu. Poſteriorem verò breuitatis moderationum formã, adamarunt Patres S. Franciſci de Paula, & alij quidam regulares. Facitque eodem diploma Vrbani octaui pro Auguſtinianis ſtrictioris obſeruantiæ: & in ſæculari politia, affine quid ſeruatum aliquando eſt. Nam Athenis nemini bis licebat Epiſtatem agere. Apud Romanos autem nemo ante decennium eodem magiſtratu fungebatur, vt obſeruat Picartus decade 6. hiſtoricopol. c. 7. Quamuis porrò vtraque ratio breuiandi præfecturas ſacras, ſua & commoda & incommoda habeat, tamen earum contentionem facere, non eſt præſentis inſtituti; quo duntaxat prolixitatem moderationis inferiorum præfectorum cum eorumdem breui moderatione componimus. Reſtringo ſermonem ad inferiores moderatores: quia de ſupremis, & (vt loquuntur) Generalibus, eſt manifeſtè alia ratio, propter quam plerique ordines ſapientiſſimè edixerunt, vt præfectura eſſet illis perpetua, vt ſupra monſtratum eſt, & rationibus re vera conuincentibus approbatum, expedire retineri ac vigere vſum illum. Siſtamus ergo in breuitate moderationis inferiorum moderatorum, vt initio etiam præmiſimus.

Eſſe igitur breuitatem rectionis inferiorum moderatorum adamandam, & longitudini præferendam, confirmari poteſt cum ex parte eorum qui imperant, tum ex parte eorum qui ſubſunt, tum ex parte cœtus vniuerſi, cui longitudo rectionis inferiorum moderatorum, incommodare plurimum poteſt. Ex parte præfecti, breuitatem iucundam ſuadet, amolitio tumoris & faſtus qui ferè affectatur continuatam rectionem, iuxta illud Caij. [Euge Petroni, non didiciſti audire Imperatorem. Tumes continuatis hactenus magiſtratibus.] Tacitus item annali 2. ait ſuperbire homines annui magiſtratus deſignatione. Quid ſi honorem per quinquennium agitent? Et ſanè præfecturæ tinea atque teredo, ſuperbia? alit verò & fouet ſuperbiam, longa continuatio Imperij; ſiue ob delatum titulo præfecturæ honorem, ſiue ob vſum imperandi quo dediſcitur ſubiectio atque humilitas; ſiue denique ob honorificum illud de præfecto iudicium; & mandatum vt porrò pergat, quod eſt inſtar cumulati elogij, ad inflandum & tumorem ingenerandum accommodatiſſimi. Inebriat planè præfecti mentem diutiùs hauſta dulcedo præfecturæ. Contrahitur imperando, animus imperandi: vnde plerumque contingit, vt præfectus à munere adeò ſapido ægrè euellatur; nec vllis pareat idoneis rationibus inſiſtendi eiſdem ſemper veſtigiis, & non decedendi de gradu. Siue munera effundenda ſint, ſiue turpi aſſentatione producendi rectionis termini, nihil eſt quod refugiendum exiſtimet. Sapientes adhæſionem & infixionem illam ad clauum, demirari ſatis non poſſunt: nec id nouum. Iam olim S. Nilus, ſuam hac in parte admirationem his verbis prodidit, quæ ad calcem opuſculorum eius leguntur. [Tradunt rerum naturalium obſeruatores, gruem triginta dies commune auium agmen ducere; deindè alteri grui idem munus tradere. Qui nunc gregi ſuo præeſt; ambitioſus, imperandíque cupidus (vt audio,) expleto de more iam anno miniſterij ſui, non permittit vt alius regendi munus curámque ſuſcipiat. Et quid dicemus ad hoc?]

Inuectus in hanc vt vocat quaſi dictaturam quam D. Ambroſio teſte pauci admodum ſemel initam volunt deponere, accuratus ſcriptor Thomas Galletus lib. cui titulus eſt, Religioſus c. 55. poſt allegatum nunc productum S. Nili locum, addit.

addit. [Conicctor hinc eſto multorum quæ ſodalitiis excidunt, protogatam quorumdam Præfectorum gubernationem, cauſam extitiſſe. Nunquam Cæſar eò audaciæ progreſſus eſſet, vt patriæ libertatem eriperet, ſi ei geminata quinquennia, eius in Gallia imperium prorogatum non fuiſſet: non inuidiam cæteris Romanis mouiſſet, vnde Reipublicæ euerſio orta eſt. Contingit non rarò, vt qui diu regiminis habenas tenent, guſtata neſcio qua Babylonica ſuauitate, in alios ſua poteſtate, paulo ſeuerius vtantur; Et cum nonnullis ſint infeſti, cæteris verò plus æquò indulgeant, ne ſi omnes pariter exagitent, & tyrannide excidant, ſanctam ſocietatem in factiones belligerantium, ſi non vi, ſaltem aſtu ac dolo improuidè diſſuunt. Quamuis autem iſta vitarentur incommoda, rationi valdè conſentaneum eſſe reor, ſi & imperantis perfectioni conſulatur: quem rurſus periculum facere decet, an ob diuturnum imperium artem obediendi oblitus fuerit: cum & illud percommodum ſodalitio ſit, ſi & alij, motatis rectoribus, arduam ac difficiliem præcipiendi peritiam ipſa muneris exercitatione condiſcant, & concordiæ fœdera, hac vna ratione firma maneant, quæ diuturnum cuiuſpiam imperium violarat.]

Iā ſi hābeatur ratione boni & cōmodi ſingulorum inferiorum; (vt ſanè par eſt haberi, cum hæc gubernatio minimè omnium debeat eſſe tyrannica, ſed ad ſubditorum vtilitatem, vniuerſam referri oporteat:) nemo non videt, diu continuatam rectionem, accidere inferioribus perincommodam. Sic enim cui ſemel malè eſt, ſemper malè erit; imo in dies peius, aucta amaritudine per nouas ſubinde offenſionum cauſas. E contrario item, cui fauens & bonus obtigerit præfectus, per huius continuatam potentiam, omnia faciet impunè. Et quia vix eſt qui non aſpiret ad eam expertem iugi ac fræni licentiam, pleríque omnes, abiecto magnanimo in Deum ſolum intendendi, eiúſque gratiam captandi propoſito, ſoluentur in aſſentationes; eique turpi animorum mollitudini ſe dedent, quæ ſerua pecora redolet, & vix in ſecularibus eſt ferenda, vt latè proſequitur aſſentationem proſcindens Sariſberienſis l. 3. Polycrat. à c. 4. Vere non poteſt ea ſorte cogitari infelicior atque probroſior, vt qui ſerui Dei eſſe deſtinarant, per propudioſam animi abiectionem, hominum ſerui efficiantur. Nec eſt quod ad minuendam dedecoris illius turpitudinem, quis alleget, Religioſos vi profeſſionis ſubiici ſuperiori vt ſeruos. Non ita eſt, idque meritò explodunt Suares tract. 8. de relig. l. 6. c. 1. n. 18. & Baſilius Poncius q. 3. ſcholaſt. cap. 5. Viciſſim verò ſuperior, ne fiat depontanus, ſed ſuo arbitratu pergat viuere, & dicier hic eſt, nemine non modò reclamante, ſed ne muſſante quidem, cogitur laxare inſtitutum, & in multis conniuere, ac tacitus præterire multa quæ alioqui ſeuerè reciderer. Quod cum contigit, & ambitio (vt cum Fulberto epiſt. 21. loquar) Capitolium Monaſticum eſt ingreſſa, omnia peſſum eunti poſéſtque cum Abbate Orentio apud Moſchum in Prato c. 126. inuerti ſagum; & de nouitate inuerſæ veſtia quærentibus, reſponſum dari; inuerſo & euerſo religioſo inſtituto, meritò veſtem quoque inuerſam eſſe.

Hinc liquet de tertio capite incommodorum continuatæ potentiæ. quod petebatur ex damnis inde in cætum vniuerſum dimanantibus Romanam Rempublicam peſſumdedit continuata aliquorum potentia, vt D. Auguſtinus notauit lib. 1. Ciuit. cap. 31. ſtetere Romani quamdiu lex 12. tabularum viguit de ciuitatis annali lege ſeruanda nec iugi aut longa cuiuſquam potentia ferenda. Quod item inter præcepta à Mæcenate ſuggeſta memorat. Dio lib. 52. Notum & illud Liuij. [Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas.] Leges Romanas id vetantes, & Senatuſconſulta in eamdem ſententiam, notauit Petrus Gregorius lib. 22. de Repub. lib. 1. n. 6. & ex Ioſia Mercerio Pitarius dec. 6. Hiſtoricopol. c. 7. Videndi in eamdem ſententiam Dionyſius Halicar. lib. 4. & Tacitus Annalium 2. Caſſiodorus lib. 7. var. epiſt. 2. & alij quos profert Simancas lib. 8. de Republica c. 36. nec non Scipio Ammiratus diſſertationum Politicarum ad Tacitum lib. 1. diſſertat. 11. Sicut igitur pro tranquillo & libero Romanorum ſtatu ſucceſſit tyrannis, iuxta præſagitionem Mamerci dictatoris apud Liuium lib. 4. dum dementati Romani, magiſtratibus cedere & gradu abire recuſantibus adulantur: ita religioſus cætus, exciſa paterna rectione ambulatoriam & facile mobilē præfecturam conſtituente, tyrannidi perpetuorum moderatorum colla ſubmittit, & funditus euertitur. Non debet videri durum *tyrannidis* vocabulum in hoc negotio. Sic enim loqui non extimuit Sariſberienſis lib. 8. Polycr. cap. 17. Itaque ſi ſalua eſſe debent omnia, adhibeatur ὀστράκου περιστροφὴ. Prouerbium eſt Eunapij in Chronographia, de quo diligenter Adrianus Iunius lib. 5. animaduerſorum cap. 18. monſtrans Oſtraciſmum non fuiſſe pœnam flagitiorum, ſed lenimentum inuidiæ; & grauantis Rempublicam viri cæteroquin boni, exonerationem ad tempus.

Sectio 2. Breuitas in damnis. Rectio.

II. *Multis ac fusè philoſophandum, in tanta rerum naturæ difficultate, & reconditiſſimis latebris à veritate captatis.*

NEoptolemum paucis philoſophari ſtatuentem, referente Ennio, Tullius Tuſcul. 2. confutandum dedit; ea ratione confutandi data, quod difficile ſit in philoſophia ei pauca eſſe nota, quem lateant omnia aut pleraque. Nam nec pauca niſi è multis eligi poſſunt, nec qui pauca percepit, non idem reliqua eodem ſtudio perſequatur. Idem Menecæum ſuum admonebat Epicurus, vt apud Laërtium eſt lib. 10. volens & iuuenem philoſophiæ addici, & ſenem nequaquam fatigari philoſophando. Videlicet ſicut nulli ſunt certi termini noſtræ diſquiſitioni conſtituti; reſque philoſophando veſtigabiles infinitè propemodùm patent, ita nunquam à philoſophando vacandum. Præiuere exemplo ſapientiſſimi quique. Miſſos faciamus recentiores; qui omnem ætatem philoſophando contriuere; Niphos, Zimaras, Buccaſferreos. Quanta fuit veterum in philoſophando conſtantia, cum Philoſophicis ſtudiis immorerentur; & naturæ quoque nonnullam quietem per noctem inuidentes, accideret variis artificiis, tempus quod ſomno indulgendum fuiſſet, magna in ſeipſos ſeueritate producentes vigiliam, præ flagrantiſſima philoſophan-

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Philoſophia.

di cupiditate ? Ariſtotelem, cum cubitum ſe reciperet, peluim ſupponere ſolitum, præhenſa manu pila ferrea, vt ex ſono cadentis in ſubjectam peluim pilæ, euigilaret ad Philoſophandum, Laërtius eſt author. Pertinax hoc philoſophandi ſtudium, & prolixam philoſophiam, demonſtrat moles immenſa voluminum hodiéque ſuperſtes, præter ea, quæ intercideruntomnino plurima. Sed tanti viri omnes philoſophiæ partes accuratè complexi, vix longa & prolixa, præ argumenti vaſtitate videri poterit philoſophia: quod item de Plinio dicendum eſt, Ariſtotelis ſtudioſiſſimo. Plinius poſterior, auunculi pertinacem (vt ſic dicam) in philoſophando operam accuratè expreſſit epiſtola 5. libri tertij, depingens eum perpetuo affixum ſtudiis: ita vt in itinere, ad latus Notarium & pugillares ſemper haberet; ne quid temporis abſque philoſophiæ ſtudio, & rerum naturæ ſcrutatione efflueret: ac etiam dum à balneo diſtringeretur, tergeretúrque, audiret è Philoſophicis quippiam vel dictaret, incredibili temporis parſimonia, vt ad naturæ hiſtoriam quam pridem moliebatur, otium ſuppeteret. Verùm hi (vt dixit,) quod vniuerſam naturæ philoſophiam complexi animo eſſent, præ argumenti immenſitate, breuis videri poteſt philoſophia. Quàm verò longa & diuturna fuit eius philoſophia, quem conſideratio apum, tantulæ præ natura vniuerſa, particulæ, diſtinuit annos duo de ſexaginta? Is fuit Ariſtomachus Solenſis Plinio teſte lib. 11. cap. 9. Et ſunt qui longum exiſtiment, per triennium philoſophari, de rerum natura, & motum, ac ſuperiorum rerum philoſophia?

Accedit quod non, dicitur philoſophari de aliquo argumento, qui non ſimul & ſua implet & aliena ruanit, vt cum Tertulliano dicam: hoc autem non poteſt abſque prolixitate præſtari. Qua ratione Claudianus Mamertus in calce tripertiti operis de ſtatu animæ, excuſat longitudinem illius diſputationi. [Nec verò (inquit,) ipſe aliquantò latiùs prolixiúſque, hanc eandem quæſtionem agitare non potui. Verùm ſcilicet par fuit quoad aduerſarios reniti valuit, eo vſque præliari: aut quoad in fugam ceſſit, tergum præbere, & manu captum plumbeis pugionibus exarmare. Vlteriùs porrò progredi, & in auras tela iacere, & ſine hoſte pugnare, caſſa contentio eſt, & vitium fruſtratio, quod ita eris ingloriosum vt laborioſum. Quid tu igitur (ait aliquis,) per hæc tria volumina aduersùm breuem paginam ſpatiatus es, ſi verbum verbo ſatis? Sed non id negotij eſt, fallaciam ſtruere, quod deſtruere. Neget quiſpiam, ſphæram eſſe mundum: vno quidem hoc illo verbo negauerit; ſed non id vno item verbo vel Timæus aſtruxerit. Proinde quicquid illud ampliuſculè ſermocinati ſumus, non modò ſola falſi confutatio, ſed veri etiam coëgit adſtructio. Quippè diuerſum eſt, dedocere noxia, & vtilia docere. Nec hoc idem eſt, ſentem ſolo vellere, quod frugem iacere. Non ergo idipſum eſt, eruere vitium quod ſerere virtutem. Multò igitur amplius operæ inſumendum eſt in vtroque horum, quàm in alterutro. Porrò autem cum in vtroque agitare mihi prouincia fuerit in tam præpedito negotio præſertim, mira magis eſt parcitas quam prolixitas.]

§ 2. *Omnino præſtat, breuiter & paucis, quàm prolixè philoſophari. Enitendum duntaxat, vt verè quis philoſophetur ac ſolidè*

PRo breuitate philoſophandi, diſputat ſub Lycini nomine Lucianus lib. de ſectu, effusè pro more ridens complures philoſophorum ſectas, nec aliter vtendum philoſophicis ſtudiis docens, quàm veneno, cuius vſum perparcum, nec niſi iis adiunctis quæ veneni acrimoniam retundant, eſſe oportere, nemo diffitetur. Ad eum modum, & perparcè deguſtandam eſſe philoſophiam, author eſt Lucianus; breuitatem philoſophiæ commandens à reciſione multorum inutilium circa quæ negotioſa ſunt otioſa ingenia: quod multo magis ſtatuendum eſt de reciſione multorum quæ vtiliùs ignorantur & perperam iactantur occultæ philoſophiæ nomine; de quibus rectè dixeris illud S. Chryſoſtomi homil. 5. de fato. [Meliùs eſt benè ignorare, quàm turpiter ſcire.] Affine eſt illud D. Auguſtini c. 27. Enchir. [Sunt quædam, quæ neſcire quàm ſcire, eſt meliùs.] In quem etiam ſenſum S. Gregorius lib. 14. moral. c. item 14. accipit illud Iobi. *Mecum erit ignorantia mea.* Quod Eccleſiæ nomine dictum intelligit, malentis ignorare aliqua quæ præſtat neſcire.

Eſt alia philoſophandi breuitas antiquis philoſophis probata, vt Clemens Alexandrinus retulit lib. 1. ſtrom. nimirum cum paucis verbis exponitur id de quo agitur. Adducit ibi Clemens pleraſque ſententiolas, quibus veteres comprehenſam voluerant philoſophiam ſuam, amplexati breuitatem, quæ (vt ait) eſt admonitoria & vtiliſſima: lacinoſis diſputationibus ad rhetores & verborum propolas amandatis. Eadémque ex cauſa lib. 5. illius operis teſtatur Clemens, Theologiam ſymbolicam placuiſſe antiquis; quod præter cæteros vſus ſit ad breuitatem accommodata. Pythagoræ philoſophiam verbis ſubſtrictiſſimam, memorat Auſonius epiſt. 25. ad Paulinum. Præfatur ibi in primis, quanto breuitatis ſtudio teneretur.

Non ego longinquos vt texat pagina verſus.
Poſtulo, multiplicique oneret ſermone tabellas.
Vna fuit tantùm, qua reſpondere Lacones.
Litera & irato regi placuere negantes.
Eſt etenim Comis breuitas.

Hæc prolocutus, ſubdit de Pythagoræa perbreui Philoſophia.

——— *Sic fama renatum.*
Pythagoram docuiſſe refert, cum multa loquaces.
Ambiguis ſererent verbis. Contra omnia ſolum.
Eſt reſpondebat vel non. O certa loquendi.
Regula, nã breuius nihil eſt, nec plenius iſtis.
Quæ firmata probant, aut infirmata reſcidũt.
Nemo ſilẽs placuit, multi breuitate loquẽdi.

Qui philoſophiam pugno compreſſo, Rhetoricam palmæ expanſæ contulerunt, hanc breuitatem in Philoſophia adamarunt;

runt ; & quantum per perſpicuitatem licet, tenendam docuerunt.

Chriſtus ipſe Magiſter noſter, & viuum ſapientiæ ſimulachrum, huiuſmodi breuitatem in tradenda ſacra philoſophia adamauit, vt ſanctus Cyprianus obſeruauit libro de oratione Dominic. [Magiſterio ſuo (inquit) omnem pacem noſtram ſaluari ſermone breuiauit. Hoc iam per Eſaiam Prophetam fuerat ante prædictum, cum plenus Spiritu ſancto de Dei maieſtate ac pietate loqueretur. *Verbum conſummans (inquit) & breuians in iuſtitia, quoniam ſermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ.* Nam cum Dei ſermo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnibus veneris, & colligens doctos pariter, & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit; præceptorum ſuorum fecit grande compendium, vt in diſciplina cœleſti, dicentium memoria non laboraret ; ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium velociter diſceret, ſic eum doceret quid ſit vita æterna, Sacramentum vitæ, magna & diuina breuitate complexus eſt, dicens ; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Item cum de lege & Prophetis, præcepta prima & maiora decerperet, *Audi* (inquit) *Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Et, *diliges Dominum Deum tuum, de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Et ſecundum, ſimile eſt huic ; diliges proximum tuum tanquam teipſum. In his duobus præceptis, tota lex pendet & Prophetæ.* Et iterum. *Quæcunque volueritis, vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ.*

Huc pertinet prolixitatis declinatio in tractatione & diſcuſſione difficultatum. Id quod verum agnoſcit, qui in aſtruenda veritate non eſſe acervanda teſtimonia longo ductu, ſed poſſe pauca ſufficere, rectè ſtatuit ſanctus Auitus epiſtol. 2. [De oraculorum (inquit) Canonicorum voluminum multitudine, juſtè ad declinandam prolixitatem, electa quæque ac deflorata ponantur : quia ſicut minimi effectus ſunt, quæ tantum de noſtro prolata, nullo ſcripturarum cœleſtium adminiculo fulciuntur ; ita qui recipere pauca faſtidit, non virtute ſed molem conficit : quoniam vinci metuens, inſtrui nolens, ad deferendam veri cognitionem volumen potiùs quàm documenta deſiderans, non cauſas putat rerum magnitudine conſtare, ſed paginis.] Et epiſtola 28. [Sufficit acrimoniæ veſtræ, paucis exemplorum quæ ſumpta de pluribus, abundant cognoſcere cupienti : cæterum renitentibus animis, & in cœca incredulitate durantibus, ſi aliqua non ſatisfecerint, cuncta non proderunt.] Similiter cum teſtimonia Scripturarum aut Patrum allegantur, non eſſe ea ſcribenda multa, ſed tantùm corda ſententiarum eſſe decerpenda, affirmat S. Cyrillus lib. de fide ad Reginas ; declinandam ea ratione prolixitatem, & faſtidium ex ea obuenturum, admonens.

Contra tertiam in philoſophando breuitatem, peccant qui citra idoneam cauſam in tricis & ſpinoſitatibus philoſophicis conſeneſcunt. Quid enim iis facias, qui iam pridem extra philoſophicum ſcamnum poſiti, nec vlla ſiue docendi ſiue ſcribendi neceſſitate adacti, circa cruſtas illas occupantur, ſimiles cancros edentibus ? Comparatio eſt Ariſtonis apud Stobæum ſerm. 82. gyros & mæandros cyaneis ſcopulis ſimiles, apud quos aliqui improuidè conſeneſcant, vocat Gellius lib. 16. cap. 9. Eſt verò ea philoſophandi diuturnitas multò probroſior, cum ratione ætatis aut muneris, alia ſtudia hominem decerent. Quo in genere ad fatuitatem propè accedit, quod de Italo quodam Archiepiſcopo ſibi Patauij noto, ſcribit Lælius Biſciola Tom. 1. ſubſec. lib. 3. cap. 5. Vir erat clariſſimæ Metropolis infulis grauatus, doctus, ingenioſus, acutus ; qui ſi de diuinis libris ſacræ Theologiæ ſermo inferretur, obſtructa fronte & ſublato ſupercilio, faſtidium prodebat ; tantùm non apertè repellens eam diſputationem. Vnus ei guſtus erat, de modalibus, de conuerſionibus, de maximo quod ſic, & minimo quod non, de proportione maioris inæqualitatis, de infinito categorematico & ſyncategorematico, ac eiuſmodi philoſophicis minutalibus diſputare ; ſcribere, reſcribere, mutare identidem de talibus gerris placita, & aduerſus variorum de iiſdem ſententias argutari, quæ mox vltrò ipſemet diutiùs apud ſe agitare conuelleret ; ſemper nutans & anxius, nec vnquam putans ingenio ſuo factum ſatis. Apicem beatitatis quam in hac vita ſpectaret, ſternuiſſe ſibi videbatur, in ſcrutandis cauſis ac natura niſus : quam diſquiſitionem, inductis atque disiectis magno apparatu variorum ſententiis, inſtituebat longiſſimam : ſapientiùs ac conſultiùs acturus, ſi tricis illis perparcè deguſtatis, vel potius è iuuenili ſtudio ſuppoſitis, ad Chriſtiana ſtudia & philoſophiam Antiſtite ac ſene dignam, animum appuliſſet. Sunt enim diſciplinæ philoſophicæ quod Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. rectè admonuit, vſurpandæ perinde ac bellariæ, quorum non tam eſt ad nutriendum vſus, quàm ad recreandum ; vnde parcè adhibentur, nec ita vt per ea conſtare vita hominis videatur.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Philoſophia.

His ſeruatis, & quoad materiam, & quoad modum, & circumſtantias philoſophandi, non erit longa philoſophia, etiam ſi quoad adoleſcentes ei primò dantes operam, ad triennium extendatur. Et ita diſertè edixit S. Ignatius 4. p. conſtit. cap. 15. §. 2. Nam tametſi tempori ſupra morem multum parcebat, & optimè callebat quanti eſſet pretij ; tamen informans ſuos ad ſtudia rite componenda, vt Theologiæ quadriennium, ita Philoſophiæ triennium addixit, & breuis tempus ſatis non fore ad vaſtitatem materiarum Philoſophiæ ambitu comprehenſarum, ſapienter pronunciauit. Et verò ne aliter ſtatuant præpoſteri quidam Philoſophiæ votatores, expertus quantum ſibi in Hiſpania detrimenti attuliſſet feſtinatio, qua vt parcatur tempori luditur opera, Lutetiam denique profectus & ordine legitimo Philoſophiam aggrediens vt ſcribit Ribadeneira lib. 2. vitæ plenioris cap. 5. quod tempus ipſe decurrendo Philoſophiæ ſpatio inſumpſerat & breue & neceſſarium duxit, ſuiſque præſcripſit. Triennii namque ſtudium, præ rerum vbertate, dico breue. Biennio autem duntaxat, vel etiam minore temporis ſpatio ponere in iis ſtudiis operam, non eſt reuera philoſophari ; ſed primoribus duntaxat labiis philoſophiam deguſtare. Quæ ratione de medicinæ ſtudiis opinatum video Galenum lib. de ſectis, vbi ridet nonnullos compendiorum cum

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Sacri Cō-mentarij.

diſpendio captatores qui intra ſemeſtre, aut etiam intra anguſtius ſpatium, doceri abs ſe poſſe diſciplinam medicam gloriabantur. Idem de philoſophiâ ſtatui poteſt, aut etiam debet, cum minùs varietate materiarum abundet philoſophia, quàm Medicina. Quare improuidè, ſed non præter morem, homo ad bonorum ſtudiorum talem factus, recidere vbinis annum è ſtudiorum philoſophicorum trienno, quâ ſutelis, quâ ſolemni impetu, fluuij ictum referente, allaborauit. Mihi triennis philoſophia, verbis quantum perſpicuitas patitur aptè ſubſtricta, & præter tricas non niſi in puluere ſcholaſtico vtiles, ad amænam rerum naturæ ſcrutationem mor͞umque communium & priuatorum conſiderationem diffuſa, in tanta materiarum vbertate, breuis videtur.

In tractandis porrò materiis, ea temperatio adhibenda eſt, quam depoſcit Iacobus Middendorpius lib. 1. officiorum ſcolaſtic. cap. 21. nimirum vt neque tanta ſit breuitas, vt perſpicuitati officiat, neque tanta prolixitas, vt præ ſuperuacuitate tractationis laciniosæ, creet faſtidium. Tam ſanè in vitio ſunt, qui neceſſaria tractationi ſubtrahunt, quàm qui luxuriantes verbis, in non neceſſariam tautologiam diffunduntur. Et quidem in re perſpicua, in longum pertrahere diſputationem, & conglobare argumentationes non neceſſarias, ad perturbandum potius confert, quàm ad iuuandum. At æquè ineptum eſt in obſcuris & difficultate implicatis, ſtringere diſputationem, & adeò parcum eſſe orationis, vt præ conuenientis explicationis defectu, qui hauſturus ſcientiæ lucem venerat, hæreat in caligine. In quo grauiſſimè labuntur, qui nodos abſtruſiſſimorum dubiorum proponunt ita vt capiantur; in eis autem diſſoluendis, ſunt permodici, illud facientes de quo Atticus apud Tullium 1. Tuſcul. expoſtulabat, cum diceret; [An tu cum me in ſummam expectationem adduxeris, deſeris?] Non huc ad illos accommodo, qui ſtultè dubia mouent nec explicant; aperientes ciſternam, & inopertam relinquentes, rei futuri ſi in eam cadat beſtia, vt exponunt Philo & Sanctus Cyrillus alibi adducti: ſed ad illas apto orationem, qui deſerunt auditorem aut lectorem, qui minùs explent eorum animos, nec ſatis depellunt quas offuderunt tenebras circa rem propoſitam. In notis ergo atque perſpicuis, ſatius fuerit breuitati ſtudere, vt Tullius Brutum alloquens à ſe factum dicebat, lib. 2. de finibus, & Craſſus apud Fabium lib. 11. inſtit. At in abſtruſis & impeditis, potior eſt nonnulla Philoſophandi vbertas, vt Velleius apud Tullium admonet lib. 1. de natu. Deorum & Fabius lib. 12. cap. 8.

III. In ſtudiis mitioribus longa diſtenſio, & vel in ſenium vſque porrecta: vtilis, honeſta, peramœna;

QVis inficias iuerit, fas eſſe longo tempore diſtineri ſtudiis humanioribus, vel eo ipſo nomine, quòd ſint & dicantur *humana*: Variæ quidem diſciplinæ, hominem ſibi ex parte aliqua ſubiiciunt; Medicina hominem ſpectat corpore ſanabilem; Phyſiologia tanquam naturale quoddam compoſitum ex corpore & anima coagmentatum; Theologia vt Dei procreatoris opificium, eiuſdem ſui conditoris capax. Attamen nulla diſciplinarum illarum audit *humana*, præter eam de qua agimus. Nec decorum igitur, nec indignum eſt, hominem vniuerſa vita ſua, atque adeò quàm longo licebit tempore, tam dulcibus, tamque humanis ſtudiis inſiſtere. Vnde verò honeſtior oblectatio, & mentis alibi fatigatæ remiſſio, quàm ex his hortis atque viretis? Rigent & horrent cætera ſtudia. In his amœnitas perennis, & virens ac vernans ſemper elegantia. Nec fructus à iucunditate diſſociatur. Duo quippè Orientis lumina, Baſilius orat. de libris Gentilium, & Nazianzenus in Baſilij Monodia, quantum ex his ſtudiis exiſtere commodum poſſit, planè ac ſapienter docuerunt. Nec iuuant duntaxat ad reuincendos & ſuomet gladio iugulandos Ethnicos, (quem fructum harum literarum celebrat Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 18. & agnouerat etiam Iulianus deſertor, qui idcirco interdictum eſſe librorum huius generis lectione Chriſtianis edixerat;) ſed etiam iuuant ad ſacras conciones, vt videre eſt apud Bleſenſem epiſt. 8.

Itaque non ſunt hæc ſtudia breuibus adoleſcentiæ finibus arctanda, ſed ad extremam vſque ſenectutem, diſtinere hominem cum laude poſſunt. Et vt antiquiora exempla præteream, vidit ætas noſtra annoſos Chriſti milites, concinare cum laude ac tornare carmina, oratione ſoluta de laudibus variorum cælitum aliiſque argumentis, ornatè, numeroſè, amœnè dicere. Metrica Prouerbiorum Salomonis expreſſio, Ioannis Marianæ veterani ac emeriti Theologi partus eſt. *Moiſes Viator* prodiit ab homine qui in deuexæ ætatis veluti hyeme, ver amœni ingenij fragrantiſſimos & pulcherrimos flores parturiens, repræſentauit. Vtinam non intercidiſſet liber Sineſij, ab ipſo allegatus epiſt. 135. quo propugnat inſtitutum ſuum, inter diuinarum rerum ſtudia & curas Epiſcopales, amœnius quippiam ſcribendi; oblatrantibus licet nonnullis Monachis, indignam tali perſona ſtudiorum illorum proſecutionem expoſtulantibus. Non eſſet quod pro huius puncti illuſtratione præterea ſatageremus, ſi is Syneſij liber eſſet ad manum.

§. 2. Longa in mitioribus ſtudiis inhæſio, diſpendium infert decentioris literaturæ: ideóque ſi pluſquàm obiter, hominem iam per ætatem altiorum ſtudiorum capacem, inferiora diſtineant, meritiſſimò improbantur.

ADhibeo duplicem hanc limitationem; vt ſcilicet pluſquam obiter homo ad amœna ſtudia diuertat, & ad altiora ſtudia magiſque ſeria animum poſſit appellere. In his adiunctis, iure improbatur diſtenſio longa in litteratura potiore. At ſi quis obiter duntaxat, ad nonnullam

animi

animi laxationem, ſtudiis illis oblectetur, nemo reprehendat. Si item quiſpiam aliorum ſtudiorum rudis, malit tempus in huiuſmodi amœnitatibus terere, quàm otiari, dummodò argumentum Chriſtiano indignum, & omnia conditionem ſuam dedecentia proſcribat; & hic quoque indemnis eſto. Ferendum verò non eſt, vt qui maiora & fructuoſiora verſare poſſunt ac debent, puerilibus illis ingeniorum exercitamentis diſtineantur, famulatum procos iuſta diutiùs agentes: cum fas eſſet ad heram & matronam aſpirare, vt Philo Iudæus l. de Congreſſu quærendæ eruditionis gratia, diſſerit, caſtigans eam longam nonnullorum ineſcationem, per ancillarum, hoc eſt ſtudiorum inferiorum illecebras. Quid vero ei ſtatuendum fuiſſet, de illo ſuperioris ſæculi Antiſtite, quem Putherbæus l. 1. de tollendis malis libris *pag.* 86. iam Præſulem Maſſilienſem, iam natu grandem, laboraſſe ait in Naſonis Epiſtolis Heroidum, vernaculo ſermone exprimendis, & ex inſtituto nugis illis diſtentum, ætatem deuexam in puſionum crepudiis conſumpſiſſet? Longa & inſignis eſt Petri Bleſenſis epiſt. 76. qua quendam idoneum rerum ſacrarum tractatorem, fæces æſtatis in nugis illis conterentem, fortiter corripit, Deum vltorem illi comminatus, quod talentum concreditum infodiſſet, & argentum ſuum vertiſſet in ſcoriam. In ſeipſo autem conteſtatur Bleſenſis, dracones Moyſi deuoraſſe dracones Pharaonis; & ſcientiam vanitatis, euacuatam eſſe à Theologica ſuauitate. Itaque arguit, obſecrat, increpat, poſcens vt recedant vetera de ore eius, meminerítque non ſolùm arborem quæ facit fructus malos, ſed etiam quæ non facit fructus bonos, eſſe excidendam & in ignem mittendam. Hæc ſummatim ex Petri Bleſenſis Epiſt.

Similem Epiſtolicam monitionem qua Gregorius Nazianzenus amiciſſimum ſibi Gregorium Nyſſenum in pari cauſa ſtimulat, adſcribere ex patre, puto opportunum. Præfatus nonnulla epiſt. 43. *aliàs* 30. de cauſis cur libere ageret, ſubiicit, qui paſſim de eo tamdiu rhetoricante miſcerentur ſermones. [In gloriam (inquit) tuam gloriam, vt more veſtro loquar, minimè laudant, tacitámque & furtiuam in deteriùs prolapſionem, ac dæmonum peſſimam (vt ait Euripides) ambitionem. Quid enim tibi accidit vir ſapientiſſime? Quidve tibi in te ipſo diſplicuit, vt ſacris illis ſuauiſſimíſque libris, quos quondam populo lectitabas (non enim hæc audiens erubeſcas,) calcatis atque proiectis, aut etiam ad fumum ſuſpenſis (non ſecus atque nautarum gubernaculis, & ligonibus hyemis tempore,) ſalſos & amarulentos in manus ſumpſeris, ac Rhetor vocari, quam Chriſtianus malueris? Nos contrà, hoc potiùs quàm illud: eóque nomine maximam Deo gratiam habeo. Nequaquam quæſo ô quondam optime, ne diutiùs animo ita affectus ſis. Verùm, ſeriùs quidem, ſed tamen aliquando reſipiſce, atque ad te redi, téque & piis hominibus fidéque præditis purga, & Deo atque altaribus, & myſteriis à quibus te procul ſubmouiſti. Ac ne mihi ſcita hæc & Rhetorica proferas. Quid verò? Annon Chriſtianus eram, cum eloquentiæ artem profitebar? Annon pius, ac fidelis, cum inter adoleſcentes verſarer? Ac fortaſsè Dei fidem implorabis. Minimè vir eximie, ſaltem quantum par erat, etiamſi partem aliquam concedamus. Vbi autem illud ponemus, quòd ex his quæ nunc facis, alios, hoc eſt, eos, qui natura ad malum procliuiores ſunt, offendis ac vulneras; atque occaſioné iis præbes de te ſiniſtrè partim ſuſpicandi, partim loquendi; falsò ſanè & iniquè id faciant; quid tamen neceſſe eſt hanc illis occaſionem ſuppeditari? Neque ſibi ipſi quis tantum viuit, ſed & proximo; nec ſibiipſi fidem facere ſatis eſt, niſi aliis quoque fides fiat. An tu pugnis in publico cœtu decertans, aut etiam in theatris colaphum in malam accipiens viciſſim, atque impingens, aut denique turpiter & fœdè te ipſum inflectens, atque contorquens, poſtea te ſobrium eſſe diceres? Sobrij hominis non eſt hæc cogitatio. Leuis animi eſt hæc ſuſcipere. Ac ſiquidem meliorem mentem indueris, gaudebo, vt Pythagoricus quiſpiam Philoſophus dicebat, cum prolapſi ſodalis vicem lugeret: ſin minus, ille quidem ſcripſit, mihi mortuus eſt: Ego autem in gratiam tuam nondum hoc dicam. Nam ille ex amico hoſtis factus eſt, vt ait Tragicus. Verùm acerbè feram (ſic enim parciùs & moderatiùs loquar) ſi nec ipſe, quid officij ſit, perſpicis, (quæ prima bonorum hominum claſſis eſt;) nec alium rectè monentem ſequeris, (qui ſecundus ordo eſt.) Habes admonitionem noſtram. Ac mihi quæſo, ignoſce propter amicitiam, dolenti, atque æquè, vt tua & totius Sacerdotalis ordinis, addam etiam & omnium Chriſtianorum cauſa, inflammato. Quod ſi etiam tecum, vel pro te orandum eſt, Deus infirmitati tuæ opem ferat, qui mortuos quoque ad vitam reuocat.] Ex quo loco Gregorium Nyſſenum ſtudiis humanioribus conſeneſcentem, habuerat Theologus. Addi poterant quæ Sanctus Gregorius Magnus in ſimilia Sancti Deſiderij Viennenſis Epiſcopi ſtudia profert. Cadunt enim perbellè in hunc locum: tameſi ipſum quidem Sanctum Deſiderium non perſtringunt, quod impoſitum eſſet S. Gregorio ea eſſe ſtudia Sancti Antiſtitis. Nec Sanctus Gregorius, niſi ex ſuppoſitione, ſtomachatur in Sanctum Deſiderium, vt notaui in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium. Non omnis igitur omnia fert ætas. Itaque crepundia pueris dimittuntur.

Sectio 3. *Breuitas in dictione.*

Studia Mitiora.

I V. *Bonum eſt longos libros conficere, quibus argumenta propoſita pro dignitate explicentur.*

BReuitati adiungi plerumque obſcuritatem, notabam ſuperiùs ex Iſidoro Peluſiota l. 2. Epiſtola 216. ſic affante Iſidorum Epiſcopum, *Breuiter dicere volo, quod perſpicuis verbis eloqui nolo.* Itaque tameſi ſunt qui benè multa conſtipant & addenſant in breuem (vt ſic dicam,) ſcriptionis glomum, tamen breuitatem conſectando, ægrè euadunt caliginem. Dixeris iis haud abſimiles, qui intra perexiguum ſpatium, magna & longa argumenta repræſentant. Quo in genere admirandum artis & ingenij ſpecimen exhibuit Franciſcus Alumnus, cum denariolo, præſcripſit abſque notis & compendiis, ſymbolum Apoſtolorum, & principium Euangelij D. Ioannis quod ad ſacri calcem legitur, vt referunt Genebrardus in Chronol. *in Carolo* 5. & Adrianus Iunius l. 1. animaduerſ. c. 7. qui addit, vidiſſe ſe ceraſi nucleum, in modum quaſilli exculptum, quo

Sectio 1. *Breuitas in humanis.* Libri.

continerentur quindecim paria teſſerarum ſuis punctis affabrè diſtincta. Ex Galeno itē 17. de vſu part. *in fine*, diſcimus, ſuo æuo quendam in annulo exiguo, Phaetontem quatuor inuectum equis ſculpſiſſe; quod appellat *ſpectaculum ſanè incredibile* Iliadem quanta quanta eſt nuci incluſam, tenuiſſimis characteribus exaratam fuiſſe oportuit. Videndus de his artis miraculis Plinius lib. 7. c. 21. & Solinus cap. 6. Fuerunt hæc humanæ artis & induſtriæ ſpecimina planè luculenta, ſed oculis incommoda, & præ breuitate formæ quâ conſtabant, vel characteris quo exarata erant, admirationi potiùs opificij, quàm vſui ſeruitura. Similiter breues ſcriptiones, quantumvis vberi eruditionis ſucco differtæ & ſaginatæ, ac veluti mole rerum grandes, ſuppreſſis tamen lectorum viſibus incommodant.

Itaque ad deuitandam obſcuritatem, prolixitate opus eſt. Fabius perpulchrè id tradit lib. 8. cap. 2. verbis illis. [Breuitatis æmuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba: & velut ſatis ſit ſcire ipſos quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit.] Nihil opportuniùs ad explicandum quantopere breuitas & compendij captatio officiat perſpicuitati quàm quod Iuriſperitis accidit, qui dum compendia affectant, ne titulum quidem librorum ſuorum legere ſciunt. Neminem latet, antiquum ius vniuerſum á Iuſtiniano per Tribonianum contractum eſſe in pandectas, Latini *digeſtum* vocant. Eas voces dum compendio exprimere tentant librarij, inuexere obſcuritatem: ſic enim Græcam pandectarum vocem primò litera initiali π appoſito ſupernè accentu circumflexo expreſſerunt. Tum aliqui qui præ inſcitia Græci characteris duplex ff eſſe crediderunt, paſſim ſcribere cœperunt duplex ff ad allegandas pandectas. Ita quidem Alciatus lib. 3. diſp. cap. 13. & Corraſius lib. 5. miſcell. iuris cap. 15. At Valla contra Raudenſem ſcribens, cenſet eam notam eſſe Δ Græcam literam qua ſignificatur *digeſtum*: Catellinus Cotta, eo libro quem ſcripſit *memoralis V. pandecta*; vult eſſe duplex ff; & ſignificare, *facta fuerunt*. VVernerus in faſciculo temporum cum de Iuſtiniano agit, vult in hanc notam transformatum eſſe D & G, quæ literæ ad duplex f accedunt (vt ait,) ſignificantque *digeſtum*. Ferrandus Adduenſis lib. 1. explicationum iuris *initio*, vult eſſe duplex l. & ſignificare *leges*. Nam ex Valerio Probo conſtat leges ſcribi ſolitas per duplex l. Niſi quis malit duplex illud l. ſignificare libros legum; vel quinquaginta libros, quot ſunt indigeſto, ita vt vnum l. de more ſit nota numeri quinquagenarij, alterum librorum. Anonymus interpres Ioannis à Porta affirmat quod putatur fuiſſe π cum circumflexo, fuiſſe D confixum vera curuo aut linea recta; (quales notæ occurrunt in antiquis nummis;)& ſignaſſe *digeſtum*. Hodiernam verò notam ff eſſe β. Græcam literam, corruptè in duplex ff transformatam; & ſignificantem themata iuris, quæ à Græcis tranſlato Conſtantinopolim Imperio, dantibus Iuriſprudentiæ operam, ſignabantur per literam β. En quantas tenebras captata breuitas offuderit. Quæ caligo Iuriſperitis erit in receſſu, cum obſcurum apud eos ſit quomodò legendus ſit titulus libri quo leges continentur? Similis caligo offuſa eſt in notam quâ per compendium ſignant paragraphum qui ſub legis longiuſculæ capite ſignatur hac nota §. de quâ Alciatus loco annotato, & de eo expoſtulans tanquam de expilatore Ludouicus Cœlius lib. 15. lect. antiq. cap. 10. minùs fœliciter ſunt philoſophati: vt & alij, qui dicunt eſſe duplex ff nec quo pertineat, poſſunt exponere. Minùs improbabiliter alij, aiunt eſſe *ſc.* corruptum, & ſignificare *ſub capite* nempe primo & initiali; ſub quo alia capita ſignari, neceſſarium videbatur ob legis longitudinem. Ex lege ſiquidem breui, non allegatur paragraphus. En igitur hic quoque tenebras, à compendij captatione offuſas.

Et caliginem ſimul & damna grauia inferebant notæ compendiariæ aliæ Iuriſperitorum queis quiſpiam librum Carolo Regi dicatum impleuit. Magnum has compendiarias notas circumuentionum & fraudum vafris Iuriſperitis præſtitiſſe cauſam, & ob enatam inde obſcuritatem & varia damna, adactum eſſe Iuſtinianum eas abolere, habetur ex l. 1. & 2. de veteri iure enucl. lib. 1. Cod. tit. 18. Idémque præſtitit Baſilius Imperator, vt liquet ex lib. 21. iur. Oriental. n. 12. tit. de ſigni. Arith. Extitiſſe idem lites interminatas docet Ioannes Thomas Freis, in ep. pandect. & Foquelinus ad tit. Inſtitut. de ſubſtit. vulgari quos adducit, adiungens alia in eam rem Hermannus Hugo de ſcrip. cap. 21.

Eadem duo damna coniunctim, obſcuritatem (inquam,) & diſpendium luxati iuris, extare ex captata aliter quàm per notas breuitate, graues Scriptores monuerunt. Optimè Fabius lib. 4 c. 2. Tractans enim narrationis vitia, poſt præmiſſam Græcorum diſtinctionem de diſcrepantia ſermonis circumciſi à breui, monſtratámque vtilitatem longi ſermonis, qui tamen breuis potiùs dicendus eſt, cum non plus dicitur quàm oportet, ſubdit. [Non minùs autem cauenda erit, quæ nimium, corripientes omnia, ſequitur obſcuritas: ſatiúſque eſt aliquid narrationi ſupereſſe quàm deeſſe; nam ſuperuacua cum tædio dicuntur; neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quare vitanda etiam illa Salluſtiana (quamquam in ipſo virtutis locum obtinet) breuitas & abruptum ſermonis: quod otioſum fortaſsè lectorem minùs fallit, audientem tranſuolat, nec dum repetatur expectat, cum præſertim lector non ferè ſit niſi eruditus. Iudicem Iura plerumque in decurias minuunt, de eo pronunciaturum, quod intellexerit vt fortaſsè vbique; in narratione tamen vtique præcipuè, media hæc tenenda ſit via dicendi, quantum opus eſt, quantum ſatis eſt. Quantum opus eſt autem, non ita ſolùm accipi volo, quantum ad indicandum ſufficit; quia non inornata debet eſſe breuitas, alioqui ſit indocta. Nam & fallit voluptas & minùs longa quæ delectant videntur, vt amœnum ac molle iter, etiamſi eſt ſpatij amplioris, minùs fatigat quàm durum aridúmque compendium. Nec enim mihi vnquam tanta fuerit cura breuitatis, vt non ea quæ credibilem faciunt expoſitionem, inſeri velim. Simplex enim & vndique præciſa, non tam narratio vocari poteſt, quàm confuſio.

Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. 34. quæ eſt ad Aymericum Cancellarium, in eandem ferè ſententiam, ſic habet. [Si multa materies, multiplicare me verba coëgerit, rogo vos patienter ferre, quia nemo poteſt breuiter dicere, quod verborum multitudo vix valet explicare. Poſſunt quidem

quidem quandoque multa breuiter dici, ſed vbi breuitas ſententiarum pondera non extenuat; non vbi intellectui multa neceſſariò intelligenda defraudat. Inualuit & ſegnitia modernorum, quæ mox ſuperfluum vocat, quicquid cum eius deſidia non concordat. Non ſic apud antiquos, quorum ſi ſapientia veſtra recordari voluerit, etiam longiſſima noſtra, breuiſſima reputabit.]

Ex breuitate igitur timendum eſt obſcuritati tractationis, ac velut luxationi inſignis materiæ. Id in hunc modum notauit Sariſberienſis l.5. Polycr. in prologo. [Non ſolent ad vnguem, grandis ſine mora luſtrari, nec facile eſt prouinciarum longitudinem & latitudinem in momento tranſcurrere. Sic res magna, ſuccinctè quidem à Sapiente interdum proponitur; ſed nunquam perfectè ſub anguſtia ſermonis nimia explanatur.] Concinit iudicium Sancti Iſidori de libro Eucherij, de laudibus Eremi; ſic enim de eo pronunciat in libro de Scriptor. laudans libelli illius concinnitate. [In quo opere laudamus Doctorem, etſi pauca, pulchra tamen dicentem. Breuitas enim (vt quidam ait) laus eſt interdum, in aliqua parte dicendi, in vniuerſa eloquentia, laudem non habet.] Itaque pro argumenti dignitate diſplicuit S. Iſidoro breuitas, quaſi minùs æquans ſubiectæ materiæ amplitudinem.

Accedit quod in ſpiſſo & longo volumine, vt multa neceſſariò congeruntur, ita impoſſibile eſt quin multa coorinuantur bona; & quorum nonnulla, ſin minùs omnibus, at certè quibuſdam, alia autem aliis ſint vſui. Sapit etiam ea ſcriptionis vbertas copiam ampli ingenij, & diuitias magnæ mentis. Liber ipſe ſua magnitudine eſt commendabilior, itaque Plinius lib. 1. epiſt. 20. agens in quemdam breuiloquium, ſic habet præter cætera. [Et hercalè, vt aliæ bonæ res, ita bonus liber, melior eſt quiſque quo maior: vides, vt ſtatuas, ſigna, picturas, hominum denique, multorúmque animalium formas, arborum etiamſi modo ſint decoræ, nihil magis quàm amplitudo commendet. Idem orationibus euenit, quin etiam voluminibus ipſis authoritatem quandam & pulchritudinem adijcit magnitudo.]

Etiam in epiſtolis prolixitas, & longitudo ieiunitati anteponitur. Tullius de Attici longiſſimis literis ſic ſtatuebat lib. 6. epiſt. 1. [Quod vereris, ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis minus? Cui vt Ariſtophani, Archilochi Iambus, ſic Epiſtola tua, longiſſima quæque, optima videtur.] Symmachus lib. 1. epi. 44. abſtineri volebat epiſtolis quæ ſunt inſtar edicti: Et optimè epiſt. 39. [Odi parſimoniam verborum. Scribendi quippè breuitas, magis faſtidio quàm officio proxima eſt. Nolo literas de ſummo ore ſtillantes; illas peto quæ areſcere neſciunt, quæ ex intimo pectoris fonte promuntur. Memini breuitatem Spartanam laudi quondam fuiſſe; ſed ego tecum Romanis legibus ago: et ſi ita vis, Atticis; quibus tantum decus à facundia fuit, vt mihi videantur Lacones, metu collationis in diuerſum ſtudia deſtinaſſe.] Si igitur etiam in epiſtolis, quibus amicus amico res quotidianas renunciat, breuitas odioſa eſt, vbi potiùs eum laude affectanda videretur, quanto magis faſtidietur in voluminis conſcriptione, cum materiæ tractandæ oblæſione, & perſpicuitatis diſpendio?

Neque verò haberi debet longus liber cui nihil ſuperfluit. Iudicium id eſt Martialis lib. 3. epigram. 59. *Sectio 2. Breuitas in humanis.*

Coſconi qui longa putas epigrammata noſtra,
Vtilis vngendis axibus eſſe: ates,
Hac tu crediderìs longum ratione Coloſſum, Libri.
Et puerum bruti dixeris eſſe breuem.
Diſce quod ignoras Marſi, doctique pedonis
Sæpe duplex, vnum pagina tractat opus.
Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis.
Sed tu Coſconi, diſticha longa facis.

De Tullij orationibus Plin. lib. 1. epiſt. 26. eam ait fuiſſe optimam, quæ maxima eſſet.

§ 2. *Longitudo ſiue ſpiſſitudo librorum, plena & tedij & multiplicis diſpendij, iuxta adagium* μέγα βιβλίον μέγα κακόν.

DEpromptum eſt ex Callimacho huiuſmodi adagium, vt refert Athenæus lib. 3. ad quem locum Cauſobonus lib. 3. animaduer. cap. 1. Eſt autem veriſſimum, vt liquebit vel perfunctoriè attendenti mala ſpiſſi ac prolixi voluminis.

Inprimis, longitudo libri creat faſtidium lectori, vt paſſim notant ſapientes. Diſertiſſimè S. Chryſoſtomus in fronte demonſtrationis quod Chriſtus ſit Deus Prudentius quoque idem habet in calce libri contra Symmachum.

Sed iam tempus iter longi cohibere libelli
Ne tractum ſine fine, ferat faſtidia carmen.

[Excitant multa faſtidium,] ait Sidonius l. 8. epiſt. 16. Fortunatus in calce libri ſecundi de rebus S. Hilarij, alloquens ipſum S. Hilarium. [Vellem adhoc inſatiatus ſacratiſſimi viri miracula quaſi peculiariter decantare; ſed vereor ne vnde meam cupio deuotionem oſtendere, auditoris animum faſtidio naſcente videar obtundere. Da mihi piè veniam de textus huius paruitate; da caſui culpam, de quo exiguum dicerem ſi libros implerem; ne dum hominis cupio vitare faſtidia, videar incurrere Confeſſoris offenſam. Sed præſumo plurima de te minùs dicere, vt de te legentem, populum breuitas plus inuitet. Damaſus Papa ſcribens ad S. Hieronymum (eſt epiſtola 124. inter Hieronymianas,) ſic habet de faſtidio longi libri. [Accingere igitur, & mihi quæ ſubiecta ſunt, ediſſere, ſeruans vtrobique moderamen; vt nec propoſita ſolutionem deſiderent, nec epiſtola breuitatem. Fateor quippè tibi, eos quos mihi iampridem Lactantij dederas libros, ideò non libenter lego, quia & plurimæ epiſtolæ in eis vſque ad mille ſpatia verſuum tenduntur, & rarò de noſtro dogmate diſputant; quo fit, vt & legenti faſtidium generet longitudo, & ſi quæ breuia ſunt, Scholaſticis magis ſint apta, quàm nobis.] Martialis lib. 2. epigram. 1. faſtidium libri longitudini adiunctum non tacet. Rutilius excuſans libri interciſionem, timuiſſe ſe ait lectoris faſtidium. Sic enim canit lib. 2. Itiner.

Nondum longus erat, nec multa volumina paſſus,

Inte

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Libri.

Iure ſuo poterit longior eſſe liber.
Tædia continuo timuit ceſſura labori,
Sumere ne lector, iuge pauerет opus.
Sæpè cibis affert ſerus faſtidia finis.
Gratior eſt medicis hauſtibus, vnda ſiti.
Interualla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis;
Partimur trepidum per opuſcula bina ruborem.
Quem ſatius fuerat ſuſtinuiſſe ſemel.

Hoc eſt quod iubet S. Auguſtinus l. 2. contra aduerſ. legis, & Prophet. *in fine*, refici Lectoris animum nouo titulo; ne longitudine libri fatigatus progreſſionem refugiat; ſicut animus viatoris poſt iter diuturnum, reficitur ſubiens hoſpitium, & viam intercidens. Idipſum Rupertus lib. 6. de gloria Trin. cap. vltimo pulchrè expreſſit.

Ad faſtidium Lectoris, quod hactenus monſtrauimus conſequi ex libri longitudine, accedit torpor ille, quem ex prolixitate libri obrepere S. Cyrillus rectè dixit lib. 1. de fide ad Reginas, rationem reddens cur breuia quædam decerpturus eſſet. [Quoniam (inquit) veriſimile eſt in prolixioribus verborum compoſitionibus qui ſequuntur, mentem negligentiorem fieri, magis quàm dum videt paucis in compendio dilucidam dogmatum de Chriſto pulchritudinem; collecta ſeorſim ſententiarum (vt ſic dicam) corda, ex diuina & noua ſcriptura, miſi veſtræ in Deo pietati.] Quare ex hoc ſolo capite deuitandi faſtidij, eique adiuncti torporis, vt cætera diſpendia abeſſent, auerſandus eſſet longus ac ſpiſſus liber. Sed ſunt alia præterea incommoda longitudinis librorum, quæ Martialis ex parte attigit lib. 2. epigram. 1. aliàs 10. verſibus illis, ad ipſum librum ſuum.

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret perlegerétque liber?
At nunc ſuccincti quæ ſunt bona diſce libelli:
Hoc primum eſt, breuior, quòd mihi charta perit.
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora
Nec tantum nugis ſeruiet iſte meis.
Tertia res hæc eſt, quod ſicut fortè legeris;
Sis licet vſque malus, non odioſus eris.
Te conuiua leget miſto quincunce; ſed ante
Incipiat, poſitus quàm tepuiſſe calix.
Eſſe tibi tanta cautus breuitate videris.
Hei mihi, quàm multis, ſic quoque longus eris.

Temporis diſpendium quod ex longo volumine fieri, monet Martialis, diſpendium item crumenæ ex auctiore pretio ſpiſſi voluminis quod idem non omiſit, minora fortaſſis ſunt, quàm illud, quod prætermiſit de ægrè euitanda in longi voluminis lectione lectoris præſertim minus eruditi confuſione; dum poſt longam expatiationem in vaſto prolixi operis diſcurſu, vix inuenit quod retineat, & in pauca contractum memoriæ committat. Ideóque Iouianus Pontanus in tertio dialogo, breuitatem ſummopere commendat in ſcriptione hiſtoriæ, quod alioqui futura ſit Lectoribus caliginoſa. Et eandem ob cauſam Oldradus conſilio 17. approbante Neuizano in Sylua nuptiali V. *non eſt nubendum* num. 16. inuehebatur contra Prouinciales, eo quod vellent longas ſcripturas, cùm tamen auctore Tullio 1. Rhetoric. longitudine res ſæpiùs magis inuoluatur, & minùs intelligatur. Id quod confirmat Aretinus conſil. 83. & 103. & 154. qui etiam idcircò conſilio 6. & 53. laudauerat Conſulios illos qui veniunt ad rem ſine multiloquio, (inquit) & ſine truffis, & generalibus quæ ſolent apponi ornatus cauſa, ne parùm multa ſcire videantur; qua ratione affundunt plerumque negotio caliginem, & potiùs nocent verboſitate illa vix ſiccabili, quàm conferant cauſæ de qua agitur. Ex nonnullis iuribus eandem confuſionis & caliginis ex longitudine originem, confirmat Chaſſanæus ſub finem proœmij in Catalogum gloriæ mundi. Latè in eodem campo excurrit Flauinus lib. 3. de Parlamentis cap. 3. à §. 3. Tandem Oribaſius ex hoc capite laudat compendia Authorum fuſiorum, quod ſeruiant perſpicuitati, vt ex eius epiſtola præfixa Galeno iuſſu Iuliani Imperatoris breuiato, refert Photius Cod. 216. Nec niſi prolixitatis ſuæ abblandiens, compendia librorum damnat Author Annalium Veteris Teſtamenti in Prologo ad Lectorem c. 6. Epitomen ipſe poſtea vaſtis ex voluminibus ſucculentiorem confecturus, atque adeò in ſeipſum diſertus.

Quare ſcribantur libri breues ac reciſi, in quibus non ſit prodiga copia, ſed moderata repreſſio; nec tam bracteas eloquentiæ præferant, quàm fermentum cognitionis, vt de ſuo libello dixit Solinus in proœmio. Eiuſmodi decus, ſcriptioni Claudiani Mamerci tribuit Sidonius lib. 4. epiſt. 3. [At quod (inquit) Deus magne, quantúmque opus illud eſt, materia clauſum, declamatione conſpicuum, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum; & quamquam propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum, vernantis tamen eloquij flore mollitum, *&c.* quodque pretioſius eſt, tota illa dictio ſic cæſuratim ſuccincta quod profluens; quàm rebus amplam ſtrictámque ſententiis, ſentias plus docere quàm dicere. Denique & quondam (non iniuria, hæc principalis facundia computabatur, cui paucis multa cohibenti, curæ fuit, cauſam potiùs implere quàm paginam.] De carminibus quoque eius, ſingulare illud profert, quod arctati carminis breuitas, longitudinem phalerati ſermonis non eliminaret, & excreſceret amplitudo colloquij anguſtias regulares; & tanquam paruo auro grandis gemma vix caperetur; emicarétque vt equi potentis animoſitas; cui frementi, ſi inter teſqua vel confraga, frænorum lege teneatur, intelligis non tam curſum deeſſe quàm campum. Hæc breuitatem multa inſinuantem notant, cuius meritò eſt ſummum decus. Et ſunt alia inſuper breuis ſcriptionis decora quæ profert qui ſcribebat ante ducentos circiter annos Petrus Montius. Eius opus *de breui diſcurſu intellectus*, ad Franciſcum Ximenium Cardinalem Toletanum, monſtrat quàm illi eſſet cordi breuitas in libris conſcribendis. Id quod tradit ex profeſſo in alterius operis Prologo ad Carolum Burgundum, *de abbreuiatione & fundamento legum.*

Neque verò breuitas prohibet, quominus liber ſucci plenus ſit & rebus differtus; iuxta illud Nazianzeni ad Baſilium epiſt. 13. [Laconicè ſcribere, non hoc eſt quod putas, paucas videlicet ſyllabas ſcribere ſed de pluribus rebus paucas. Ita ego Homerum quoque, breuiloquum dico, & multiloquum Antimachum. Quomodo? Ex rebus

bus ſcilicet, non literis, prolixitatem indicans.] Optimè ac veriſſimè. Nam Spartans breuitas rebus exuberabat, iuxta Symmachum l.5. epiſt. 37. contra quàm Athenienſes intra longum tempus loquentes, perpauca dicebant. Quæ cauſa eſt, cur apud Sidonium lib.8. epiſt 6. prouerbij locum teneat, *Athenis loquacior.* Chilon Spartanus apud Auſonium in 7. Sapientum ludo, obiicit illis, quòd tandem vnam ſententiam trecentis verſibus peragerent. Quam verborum luxuriam, Seneca in ludo Claudij num. 25. ex Latino Poëta verboſiſſimo retulit, qui cum binis vocibus Octobrem tali die poſſet dicere, ſex verſibus dixit.

Iam Phœbus breuiore via contraxerat ortum.
Lucis, & obſcuri creſcebant tempora ſomni:
Iámque ſuum victrix augebat Cynthia regnum,
Et deformis hyems gratos carpebat honores,
Diuitis Autumni, viſéque ſeneſcere Baccho,
Carpebat raras, ſerus vindemitor vuas.

Puto magis intelligi (inquit Seneca) ſi dixero, menſis erat October; dies tertius Idus Octobris. Haud aliter reprehenſione patere debet ea apud Fulgentium Mythologum profuſio, quâ nox vna vndecim verſibus exprimitur, ita vt cum ſufficiſſet dicere, *nox erat*, ſcriptor malè feriatus; hanc periphraſim, delirij ibidem damnatam, adhibeat l.1.pag.128.

Soluerat ignicomus mundi regione peracta
Quadrupedes, gelidúmque rotis tepefecerat orbem,
Rector, & auratis colla ſpoliabat habenis.
Iam Phœbus diſiungit equos, iam Cynthia iungit.
Quáque ſoror liquit, frater pede temperat vndas.
Tam nox ſtellato mundum circumlita peplo,
Cærula rorigenis pigreſcere iuſſerat alis.
Aſtrigeróque nitens diademate, Luna bicornis.
Pullatum biiugis conſcẽderat ethera tauris,
Iam ſimulachra modis mentis fallentia plaſtis
Mollia falſidicis replebant ſtramina ſignis.

Et vt in verba pauciſſima conferam, (ſubiungit Author,) nox erat. At quid attinebat, quod poterat tam paucis, & quidem dilucidiùs proferri tanto verborum circuitu interpoſito pomiore?

Eſt hæc accommodatiſſima ratio conficiendi volumina Elephantina, iuxta huius vocabuli notionem vſurpatam à vulgo cum apud Vopiſcum in Tacito legit Senatuſconſulta quæ ad principes pertinebant, in libros Elephantinos eſſe relata. Quamquam mihi quidem perſpicuum videtur, Vopiſcum non reſpexiſſe vaſtitatem voluminis, ſed ebur è quo libri illi conficiebantur. Nam *eborearum pugillarium* meminit Symmachus lib. 2. epiſt.8. & lib 4. epiſt. 34. Sed & Pomponius in lib 2.de orig.iur. duodecim tabularum leges, quæ Romæ pro roſtris expoſitæ erant, teſtatur in eburneis tabulis fuiſſe præſcriptas. Eſt tabularum eburnearum ſiue Elephantinarum mentio apud Claudianum l.3.de laud.Stilicon. verſibus illis,

Tu virides pardos, & cetera colligit Auſtri Sectio 2.
Prodigia; immanéſque ſimul Latonia dentes, Breuitas
Qui ſecti ferro in tabulas, auróque micantes in humanis.
Inſcripto rutilum cælato Conſule nomen,
Per proceres & vulgus eunt: ſemper omnibus Indus
Plurimus, ereptis Elephas inglorius errat Libri.
Dentibus.

Plura de his eboreis vel eburneis aut elephantinis tabulis ac libris Ludou. Carrio l. 2. Emendat. c.2. Raderus ad l.14. Martial. epigram.5. Guillandinus in Opere de papyro, Balnaſius & Caſaubonus ad Vopiſci Tacitum, Iuretus ad prolata Symmachi loca, Leo Allatius num.61. Animaduerſionum, qui Voſpicum rectè accipiunt de his eburneis tabulis, non de libris conſcriptis in elephantorum omentis, vt eſt apud Iſidorum. Vnde dictos libros *elephantinos* voluit Scaliger, perperam quoad notionem illis vocibus à Vopiſco ſubiectam, qui clarè agit de ſcriptura exarata in ebore. De his eburneis libris mentio eſt apud Vlpianum l. *librorum* 3. ff. de legat & apud Martialem lib. 14.epigram. 5. & lib.12.epigram.43. necnon apud Suetonium in Tiberio c 43. Quinetiam illud Cant.5. de ventre ſponſi eburneo iuxta 70. dicitur ὡς πυξίον ἐλεφάντινον, vt liber ſiue tabula ex ebore. Nam Græcè *ebur* dicitur ἐλέφας; *eburneus* verò ἐλεφάντινος. De his ergo eburneis libris accipiendum eſt non de longis & vaſtis, quod Vopiſcus ait de libris Elephantinis. Vulgus tamen, *libros Elephantinos*, interpretatur vaſtos & immenſos. Et ita præter cæteros Ioannes Scops lib. 1. Collectan. c.18. Huiuſmodi librorum Elephantinorum iuxta vulgarem vocis notionem, hoc eſt prolixiſſimorum & iuſto ſpiſſiorum, feraces eſſe ſuos Iuriſperitos, expoſtulabat Antonius Goueanus in inſcriptione operis ad tit. de vulg. & pupill. ſubſtit. Præfatus enim Iuſtinianum παραπιτλα duntaxat permiſiſſe, veritum conturbationem iuris à vaſtis commentariis, addit [Vetuſtiſſimi iuris interpretes, (Irnerium & eius æquales dico, nihil aliud quàm notulas primum, deinde etiam, vt ipſi appellarunt, ſummas ſcribere auſi ſunt. Eorum ætati qui ſuccurrerunt, audaciores multo, ad ſingulas iuris noſtri, non leges, non voces, non ſyllabas, ſed literas ingentia volumina ediderunt. Puto vel ingenij oſtentandi cauſa, vel ignoratione eius quod erat verum, qui enim parum compertum habent id de quo ſcribunt, quia nunquam ſatis ſe dicendo explicant, nunquam de tabula (vt in prouerbio eſt) manum tollunt.] Faceſſant ergo vaſtæ & immenſæ ſcriptiones, quales multorum ſunt quæ præ prolixitate vix legi poſſunt. Quod verò pro eis allegabantur longæ epiſtolæ, vanum eſt: non enim ſunt in laude ponendæ, vt rectè ſtatuit Nazianzenus epiſt. 209. Et eſſe notam alieni, ait Syneſius epiſt.55.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

V. Longa ſcriptionum expolitio, euulgationi præmittenda.

Scriptionum expolitio.

NIhil ſubitum & ſimul elaboratum, vt Apuleius diſſerit lib. de Deo Socratis. Id verò maximè circa ingenij fœtus, ceu libros valet. Quare Flaccus ſub finem artis Poëticæ.

—— Si quid tamen olim.
Scripſeris, in Metij deſcendat Iudicis aures,
Et patris, & noſtras: nonumque prematur in annum.
Membranis intus poſitis delere licebit
Quod non ediderie, neſcit vox miſſa reuerti.

Catullus, Smyrnam paruum Cinnæ libellum collaudat ex eadem moroſitate in expolitione libri, dicens.

Smyrna mei Cinnæ, nonam poſt denique meſſem
Quàm cœpta eſt, nonámque edita poſt hyemem.

E contrario Annales Voluſi, ob præcipitem inelaborationem (quid vetat naturale verbum rem inſigniter repræſentans referre!) *cacatam chartam* nominat, id eſt in peniculum foriarium deſtinatam. Plato, non niſi iam octogenarius, dialogos ſuos diutiſſimè preſſos euulgauit. Notatum eſt, Iſocratem per annos denos (alij quindenos numerant,) vnum panegyricum expoliuiſſe. Lyſias orator, negauit ſe velle conſcribere, quæ feſtinatio præcipitaſſet Ariſtides apud Philoſtratum lib. 2. negauit ſe vomere, ſed profeſſus eſt ſe elaborare; quod eius dictum vſurpauit recuſans ſubitam dictionem, Proæreſius apud Eunapium. Amicè ſecum expoſtulanti Euripidi, quod præ ruditate & infelicitate ingenij, intra triduum, ægrè tres verſus emiſiſſet, repoſuit Alceſtis inde criſtas attollens, & iactans poſſe ſe quot diebus centum verſus fundere abſque labore. Suboffenſus Euripides in Alceſtidis faſtum. De hac tua (inquit) ſcribendi facilitate, non dubio. Sed illud fidens aſſeuero, fuſos tanta facilitate verſus, non vltra triduum duraturos. Mei è contra, tardè ac m[illegible]sè emiſſi, ad omnia conſequentia ſæcula pe[illegible]nabunt. Id quod euentus comprobauit. Virgilius, Varo referente, perpaucos verſus in dies ſingulos fundebat, ita vt vrſæ more, parere ſe diceret & lambendo fingere, idque ſibi gloriæ duxiſſe, Donatus teſtatur. Nec diſſimiliter de Saluſtio ſcribit Fabius. Ad eandem mentem Seneca, nihil ordinatum eſſe dixit quod præcipitatur & properat. Optimè in hanc ſententiam Plutarchus in Pericle.

Patres aſtipulantur. S. Hieronymus epiſtol. 4. quæ eſt ad Ruſticum, admonet eum, ne ad ſcribendum citò proſiliat, & leui ducatur inſania; ſic enim pronūciat de cita & præcipiti ſcriptione. Syneſius, qui ita ſcribendo feſtinant, eos ait cœca & ſubuentanea parere. Caſſiodorus in præfatione prim. Variar. vrgentibus amicis ad celerem ſcriptionem, reſpondet. Debere illos Flacci dicta recolere, qui (lib. 1. epiſt. 18.) monet quid periculi vox præcipitata poſſit incurrere. Reſpondendi celeritatem cunctos videris exigere, & creditis me impœnitenda proferre? Dictio ſemper agreſtis eſt, quæ aut ſenſibus electis per moram non comitur, aut verborum proprietatibus minimè explicatur. Loqui nobis communiter datum eſt, ſolus ornatus eſt qui diſcernit indoctos. Nonus annus ad ſcribendum relaxatur Auctoribus.] De ſua vitæ Apollonij tranſlatione ſubita, nec per longum tempus expolita, ſic ſcribit Sidonius lib. 8. epiſt. 3.] Eam tranſlationem, dum parere feſtino celeriter, eiecit in tumultuarium exemplar turbida & præceps, & opica tranſlatio.] Itaque excuſat apud Leonem, quod impolitum & ſemicrudum, & tanquam muſteum librum ferret.

Accidit informibus hiſce & properatis ingeniorum fœtibus, quod abortionibus illis quæ legitimum puerperium anteuerterunt; vt ſcilicet vitam non viuant, & de vtero transferantur ad tumulum. Contra quàm fœtus non immaturi, & aluo materna patienter, per longa ſpatia concluſi, fœliciter lucem aſpiciunt, eâque potiuntur quàm diutiſſimè. Comparatio eſt Syneſij in Dione libros expetentis, in quibus cognitio qua parte Philoſophi ſumus, non ſit inexercitata; quod negat poſſe accidere ſcripturientibus cum feſtinatione, de quibus ita pronunciat.] Si quid fortè pariant, cœcum id pro temeritate, & quaſi ſubuentaneum eſt. Non enim ſermonem interiùs fouet, qui quotidie euomendus eſt. Studium tumultuariò & inconſideratè in ludicris adhibere, languidum ipſum atque euanidum reddit. Nam vt ex fœturis corporum, ita ex ſermonibus animorum, quidam partus oriuntur. Qui verò intempeſtiuè illis conſueuerit, cætera planè eadem cum iis quæ in corporibus accidunt, experietur; vbi verò ſemel habitus ad abortiendum præceps propenderit, nihil iam integrum aut vitale parturiet. Hinc qui in populum expeditè dicendi facultate valet, ad rem aliquam ſedula animaduerſione conſiderandam imbecillis eſt; neque ſi qua illi ſpeculatio proponatur, ſtatuæ eam inſtar expolitam accuratiſſimè elaborare poteſt.]

Non eſt ergo aſſueſcendum ſcripturitioni, temerè profundenti non benè excocta; ſicut vrſa iuxta vulgarem perſuaſionem, citò parit, id eſt, intra trigeſimum diem, vt S. Iſidorus lib. 12. Orig. cap. 2. ſcripſit; vocans hanc fœcunditatem præcipitatam: & idcirco dicitur maſſam informem profundere. Quod diſtinctiùs exprimit Solinus in Polyhiſtore cap. 29. Id verò quamquam in Phyſico rigore diffitentur periti naturalis hiſtoriæ, vt Scaliger exerc. 182. num. 2. & Camerarius Centur. 2. Emblemate 21. ac Conradus Ritherſiuſius ad lib. 3. Cyneg. Oppiani, afferentes experimenta Contraria, & vulgarem ſenſum referentes ad valdè craſſas fœtus vrſarum ſecundinas; quæ minùs attentè conſiderantibus, videntur informis maſſa; vel ad deterſionem ſordium fœtus, à matre diu lambente factam: tamen hoc ipſum vrſæ matris ſtudium circa fœtum ſuum, & neceſſaria eius formatio accidentaria, iure paſſim exiguntur ad libros, priuſquàm ab Authoribus dimittantur.

Solet hic eſſe næuus ingeniorum lue ambitionis contractorum. Adeò enim properant gloriam colligere, vt nihil apud ſe diutiùs premant. nihil aſſeruent ad explicandum ac veluti lambendo refingendum. Itaque non ſecus ac præproperi

flores

flores cum in poſtremos hyemis rigores incurrunt, mox contabeſcunt: iis & præproperis iſtis ſcriptionibus velox accidit fatum. Non ſecus ac de Agatarchi pictoris pronunciatum eſt à Zeuxi, cum is de pingendi celeritate magnos ſibi ſpiritus ſumeret: Zeuxis è contrario, diu opus ſuum perpoliens hæreret, dicens: *diu ego pingo, quia pingo æternitati.* Tarditatem ac moroſitatem ſcriptionum, fuſiùs commendant Claudius Minos ad Emblema 208. Alciati; Franciſcus Bencius orat. de ſtylo, & Adrianus Iunius lib. 4. animaduerſorum cap. 16. addens cap. 17. quis primus extemporalis orationis Auctor fuerit. Sciitè, gloriantem de cita & multiplici fœtura Lauſum, Bahuſius l. 4. repræſentat his verbis.

Tres ego; ſed tu trecentos,
Lauſe verſus fabricas;
Vnica, breuique luce
Qualis hiſpidi Capri,
Piſciúmve, vel madentis
Sueuit eſſe Aquarij.
Curre, curre, Magne Vates!
Me iuuant lenium ſequi.
Tarda quercus eſſe malo,
Quàm repens cucurbita.

§. 2. Longa libri pumicatio, Authorem fructu fraudat operis ſui, Lectores commodo, nec rarò ipſimet officit libro.

MOroſitatem in libri expolitione, Authori fructum ſui operis eripere, in confeſſo eſt. Neque enim vel approbationem refert labori ſuo iure debitam, vel ea conſolatione perfunditur, quam libri viſus parenti conciliat. Eſt etiam ea diuturna ſuppreſſio, Lectoribus damnoſa. Neque enim fruuntur alienis laboribus; qui tamen ad hoc ſuſcepti & exantlati ſunt, vt Lectores iis potiantur. Et periculum eſſe poteſt, ne per longam cunctationem omnino pereat, variis caſibus quos enumerare nihil attinet; facilè enim cuiuis occurrunt. Libro ipſi, idem accidit quod pictori Protogenis de quo ſic Plin. l. 35. c. 10. ex ſenſu Apellis. [Aliam gloriam vſurpauit Apelles, cum Protogene opus immenſi laboris, ac curæ ſupra modum anxiæ miraretur. Dixit enim, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora; ſed vno ſe præſtare, quod manum ille de tabula neſciret tollere. Memorabili præcepto, nocere ſæpè nimiam diligentiam.] Igitur per adeò moroſam explicationem libri ipſi, non ſecus accidit, quàm maturo fœtui, cui officit dilatus partus. Aut quàm ferro, quod lima pertinaciùs admota vaſtat, non expolit. Plinij comparatio eſt lib. 5. epiſt. 11. vrgentis Tranquillinum, ad rumpendas moras in editione operis pridem conſcripti. [Perfectum (inquit) opus abſolutúmque eſt, nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.] Idem lib. 9. epiſt. 35. ad Oppium, nimiam curam deterere magis librum quàm emendare docet, & reuocare à recenſionibus, nec ſinere perfici iam inchoata.

Nihil frequentius, quàm vt libros toties Authoris paſſos lituras, toties triſti arundine no-

tatos, vt eſt apud Iberum Poëtam lib. 1. epigr. 3. cum damno publico vlteriùs premi expoſtulent, qui eorum guſtum aliquem per Authores præceperunt. Idem Martialis lib. 1. epigr. 25.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Ede tuos tandem populo Fauſtine libellos
Et cultum docto pectore profer opus.
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces
Nec ſileant noſtri prætereántque ſenes.
Ante fores ſtantem dubitas admittere famam!
Téque piget curæ præmia ferre tuæ?
Poſt te victura, per te quoque viuere charta
Incipiant; cineri, gloria ſera venit.

Scriptionum expolitio.

Dicendum igitur de librorum iuſtam moram paſſorum eductione ad lucem, quod ille de exitu, ex ergaſtulo corporis; ſi aliquando, quare non modo?

IX. Longa & indefeſſa lectione, nihil ad doctrinam vndecumque abſolutam comparandam opportuniùs.

FRuctus lectionis celebratus ex oraculo quod Zenoni redditum prodit Laërtius lib. 7. *initio*, nimirum quod lectio lectorem faciat mortuis concolorem, multo maior ſine dubio extabit, ſi lectio longa ſit & diuturna; ita vt ſapientia à multis variiſque Authoribus multo labore parta, & longo ſtudio congeſta Lectoris, fiat tantuli temporis impendio, quantum in legendo conſumitur. Felix habetur qui diuiti parenti longo plurium annorum mercimonio opes ingentes adepto, hæres factus, potitur alienis curis, & expers ipſe curæ, ac laboris, defoſſo per anteriores auro incubat. Non ſecus accidit ei, qui bonos & multos libros nactus, legendo ſuos efficit. Hoc (quod eſt multò potius,) eſt fieri hæredem animorum & ingeniorum quæ anteceſſerunt. Quod enim Themiſtius orat. 15. aiebat, libros ſepulchris; doctrinam libris contentam reliquiis corporum reſpondere; mallem dixiſſet de Authorum animis & ingeniis, quæ verè libris conduntur.

Cum igitur Authorum animi, in quibus immenſa copia opum intellectualium abundauit, libris veluti condantur; vnáque diuitiæ illæ quibus fuere inſtructiſſimi perſpicuè ſequitur Lectorem effici ingenij & animi Authorum hæredem; & poſſeſſionem huiuſce hæreditatis aſſidua & longa lectione adire. Hinc illa apud Authores, tot & tanta lectione non perfunctoriæ, atque adeò diuturnæ elogia, ſiue ad formandum hominem politicum, in quam rem latè diſſerit Dio Pruſæus orat. 18. ſiue ad combibendam piorum Authorum pietatem per hoc mutum cum illis colloquium, vt egregiè de lectione Epiſtolarum Apoſtolicarum tradit Sanctus Chryſoſtomus homilia 30. Epiſtola ad Romanos. Cum autem tanta ſit librorum multitudo atque varietas, non poteſt qui eorum opibus diteſcere affectat, non adhibere aſſiduam longámque lectionem. Iſque ſemper fuit vſus omnium illorum, qui clari ſapientia & doctrinæ nomine celebreſcuaſerunt; vſque adeò vt pleriſque præ-

Sectio 2. *Breuitas in humanis.* diuturna & iugi lectione, aliquid Sancti Iſaac obtigerit, vt loquitur S. Hieronym. qui in præfatione ad verſas abs ſe homilias Origenis in Ezechielem, teſtatur ſe ex perpetua lectione oculis laboraſſe. Nec inſcitè Lautea Tullij libertus eo epi- Lectio. grammate quod extat lib. 2. fartaginis epigrammatum veterum Poëtarum *pagina* 49. & apud Plinium lib. 31. cap. 2. prouiſum obſeruauit, vt exiguo poſt Tullij ipſius obitum tempore, euaſcerentur in villa quæ illius fuerat & Academiam dixerat, fontes calidi, perquàm ſalubres oculis.

Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Claudo cum Ennodio lib. 8. epiſt. 19. [Peritiæ mater indeficiens cura lectionis.] Id quod aliter dixit Caſſiod. lib. 11. var. in calce præfat. cum narraſſet Tullium excuſaſſe ſilentium, quod pridie non legiſſet. [Ægreſcit profectò ingenium, niſi iugi lectione reparetur. Citò expenduntur horrea, quæ aſſidua non fuerint adiectione fulcita. Theſaurus ipſe quàm facilè profunditur, ſi nullis iterum pecuniis compleatur? Sic humanus ſenſus cum alieno non ſarcitur inuento, citò poteſt attenuari de proprio. Si quid autem in nobis redolet, ſtudiorum flos eſt, quod nihilominus marcidum redditur, ſi à matre lectione carpatur. Illic enim poteſt eſſe lætiſſimum vnde docetur & natum: quoniam omnia in origine ſua pleniſſimè viuunt, quæ nec dum à naturalibus finibus auferuntur.]

§. 2. *Longa & diuturna lectio, plus internis oculis quàm corporeis eſt infeſta, ingenia quippè grauat, obruit, & obnubilat.*

NEgabat Dio Pruſæus orat. 18. longam & continuam lectionem in laude eſſe: fructus enim lectionis eſt, in eorum quæ lecta fuerint ſuam æſtimatione. [Plus autem (inquit) ille rem æſtimare poteſt, qui ſe à continua lectione liberat.] Et verè non ſecus hic accidit, quàm in iis qui cibos multos & varios longa comeſſatione, inexplebili ingluuie, demittunt in ventris voraginam. Ventrem enim inſalubriter onerant, tantúmque abeſt vt congeſtio illa ciborum, ſaluti ſit, vt potiùs morborum ſementis fiat. Itaque librorum belluones, ægrè euadunt indigeſtam intellectus confuſionem. Non debet igitur lectio eſſe vel perpetua vel admodùm longa, ſed quæ lecta fuerint interciſo legendi labore per ſubiunctam ruminationem in legentem ſunt transformanda, vt aliquid ipſe quoque de ſuo addat; nec tam aliorum (quantumuis magnorum virorum) iudicio tribuat, quin aliquid & ſuo vindicet, vt de ſe profitetur Seneca epi. 45. qui epiſt. 84. egregiè in hanc rem diſſerens poſt artem apum expoſitam, ſubdit. [Nos quoque apes debemus imitari, & quæcumque ex diuerſa lectione congeſſimus ſeparare. Melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibita ingenij noſtri cura & facultate, in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere, vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe quàm vnde ſumptum eſt, appareat; quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cum ex eo quod erant mutata ſunt, tunc demum in vires & ſanguinem tranſeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia præſtemus, vt quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint: ſed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter & noſtra faciamus; vt vnum quiddam fiat ex multis; ſicut vnus numerus fit ex ſingulis, cum minores ſummas & diſſidentes, computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noſter. Omnia quibus eſt adiutus abſcondat, ipſum tantum oſtendat quod efficit.

Hac ruminatione eorum quæ lecta fuerint, declinatur faſtidium, quod S. Ambroſius 1. Offic. cap. 12. à longa lectione timebat. Ideóque ruminationem illam quæ lectionem abrumpit, valdè commendat ſerm. 7. ad Pſalmum 118. poſt Philonem lib. de agricult. Nec aliò ſpectabat inſignis doctrina Senecæ epiſt. 2. monentis, cum multa legendo percurſa eſſent, aliquid excerpi quod illo die concoqueretur. Cæteroqui enim vagam & inſtabilem lectionem (cuiuſmodi ſolet aſſiduè & abſque intermiſſione legentium) ægrè aliquid apprehendere, ac proinde ferè ſolere eſſe infructuoſam, ibidem demonſtrat Seneca. Breuis igitur ſed ſubinde repetita lectio, vtilior, longéque anteponenda indefeſſæ & perpetuæ lectioni. Nec tam ſpectandum quàm multos legeris) quod eodem Seneca iudice, animum potius diſtrahit) quàm quantum de tuo ſubiunxeris alienis. Vt proinde vaniſſima (iudice Photio, cod. 48. meritò videatur eorum agendi ratio, qui initium operis alicuius ſui, onerant longo indice Authorum quos eo opere allegarint; ita in ſpeciem refuſuri aliis gratiam per quos profecerint, vt reipſa potiùs oſtentent vbertatem ſapientiæ ſuæ, ex tanta lectione quantam præ ſe fert adeò amplius Authorum perlectorum ſyllabus.

VII. *Longis amicorum allocutionibus, nihil iucundius, fructuoſius, honeſtius.*

COmmoda & bona allocutionis amici, is tantum ignorare poteſt qui hominem dedidicerit. Eſt enim homo animal ſociabile, & factum ad amicitiam. Quare non poteſt non accidere cuique dulciſſimum cum amico agere, & cum eo omnia ad nos attinentia ſiue proſpera ſiue aduerſa communicare. Vtile id quoque, Nam ſiue aduerſa communicamus, exoneramur parte moleſtiæ quam amicus fidelis condolendo ſuam facit: ſiue lætorum noſtrorum participem facimus amicum, cumulatur ex ſyncera gratulatione anterius gaudium. Monitiones item accommodatæ quas ſyncerus amicus ſuggerit ſiue ad auertenda impendentia mala, ſiue ad tenendam in proſperis ſtabilitatem atque conſtantiam, quantum ſint feraces bonorum, nulla ſatis aſſequatur oratio. Honeſtas deniquè allocutionis amicorum, inde perſpecta eſt, quod iuxta Apologum Platonicum, amici finguntur & cuduntur in vnum. Eſtque id amoris maximè proprium, connectere atque vnire inuicem amantes. Sicut autem

nemo

nemo à ſeipſo auelli poteſt, ita ægerrimè diſiungitur ab eo quo cum vnus aliquatenus ſit effectus. Sanè antiquis, breuia oſcula tenuia affectûs argumentum erant, vt apud Tacitum annali 12. & 14. legere eſt. Ruriſque in Agricola vbi de Domitiano, qui exceptus breui oſculo, & nullo ſermone, hoc adiunctum exprimit quorſum diceretur breue oſculum. Nam quod vir eruditus id refert ad baſium dimidio tantùm labro datum, minùs cohæret. Martialis quidem lib. 2. epigr. 12. dimidio primum data baſia poſtmodum vtroque labro data memorat, quæ ibidem epigr. 10. ob baſiatoris ſpurcitiem eo ipſo dimidio recipi cupit: tamen hoc ille ad breuem moram oſculi appreſſi potiùs refert, quàm ad labrorum medietatem oſculo figendo admotam, quod ſeruare in figendo oſculo moroſum foret. Dicebantur ergo breuia oſcula, id eſt parca qualia inſinuabat Statius Thebaïd. cum dicebat.

——*Libandáque fratri, parcius ora tulit.*

Oſculorum autem vbertas argumentum erat pleni affectus, quem nunquam faſtidienda, cum amico conſuetudo conſequitur. Itaque longa & diuturna cum amicis alloquia tanquam omnibus referta bonis, frequentanda ſunt & amplectenda. Nam quandoquidem bonum eſt frui amicorum alloquiis, ijdem longis ac ſi liceret perpetuis frui, optimum foret. Amandanda verò procul eſt, miſanthropia eorum quibus onerosum eſt cum amicis agere. Verbum Senecæ eſt omnino verum, lib. de tranquillit. anim. cap. 5. [Tam bonorum quam malorum longa conuerſatio, amorem inducit.) Vnde ſicut conſuetudo cum improbis auerſanda eſt, ac vel breuiſſimè cum eis agere, non vacat periculo; ita cum iis qui amicorum nomen haud iniuria præferunt, bonique & honeſti eſſe ſupponuntur, aſſiduum eſſe, boni amorem inducit; optandúmque eſt, vt ſit prælongum, vel etiam ſi fieri poſſet perpetuum.

§. 2. *Breues amicorum allocutiones, vndecumque meliores.*

VNdecumque inquam, id eſt, ſiue is ſpectetur qui ſermones serit, & amicum idcirco adit, ſiue is cum quo feruntur, & idcirco ab illo aditur, ſiue etiam vterque. Illa enim diuturnior mora, faſtidium vtrique creare poteſt, & ſolet. Nam bonorum quorumcumque creatorum ea eſt conditio, vt cum iis abundamus, viliora fiant, & velut vltroneæ merces puteant, vt fert parœmia apud D. Hieronymum. Itaque Sapiens deſcribens quantâ iucunditate homo cum diuinâ ſapientiâ verſetur, admonens, conuerſationem cum æternâ ſapientia non habere amaritudinem, & conuictum illius carere tædio. Quaſi diceret, rem aliter ſe habere in iugi & longâ conuerſatione cum Deo, quàm ſe habeat inter homines. Deum enim quo diutiùs frequentatur eò notiorem habemus, diuinas eius perfectiones liquidiùs perſpicientes, ac peruadentes penitiùs; vnde fit vt multo feruentiùs in eius amorem inardeſcamus. At conuictus hominis, quo eſt diuturnior, eo maiorem notitiam ingenerat defectuum; quibus quilibet homo, cum ſit homo, ſemper abundat. Quare mirum non eſt, diuturnitate allocutionis mutuæ, frigeſcere amorem, & venerationem obſoleſcere.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Iam diſpendia temporis ex longis allocutionibus, quantum inferunt incommodum? Nihil quippe pretioſius tempore, quod diuinitus prouiſum ad æternæ beatitatis pretium colligendum, magno ſtudio eſt impendendum. Benè monebat Siracides Eccleſ. 4. *Fili conſerua tempus.* Nimirum intelligebat quanti eſſe debeat tempus; vt propterea fatuè omnino plerique mortalium, nullum merci adeò pretioſæ ſtatuant pretium, quin potiùs captare ſe dicant occaſiones, faciendi vt tempus effluat; quod tamen citra cuiuſque operam ocyſſimè & perniciſſimè elabitur. Seneca in hoc luctuoſum deliramentum ſæpè conclamat. Videndus nominatim epiſtol. 1. qui etiam illud apud antiquos Sapientes pertritum effatum; *Tempori parce*, vſurpat Epiſt. 87. & 94. & vſurpauit etiam Tullius 3. de fin. & Clemens Alexand. lib. 1. strom. Eodem refertur, quod Zenonem dicere ſolitum habet Laertius. Nulla nos re plus egere quàm tempore. Rem igitur tanti æſtimandam, cuius irreparabile eſt diſpendium, quis ferat improuidè in longas cum amicis confabulationes, prodigi? Hæc conſiderans *Alloquia.*
æui noſtri in Theologicâ facultate miraculum, Franciſcus Suares, longas cum amicis confabulationes, inanes rei pretioſiſſimæ deprædatrices, dicere ſolitus erat. De Aldo Manutio ſeniore proditum eſt, cum eſſet optimè impendendi temporis ſtudioſiſſimus, hunc titulum cubiculi ſui foribus inſcripſiſſe. [Quiſquis es, rogat te Aldus, etiam atque etiam, vt quicquid eſt quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas. Niſi tanquam Hercules defenſo Atlante, veneris ſuppoſiturus humeros; ſemper enim eris, quod & tu agas, & quodquos huc attulerint pedes.] Itaque abhorrebat Aldus à longis alloquiis.

De multiloquio deuitando, eo quod non deſit in eo peccatum, habemus Spiritus ſancti oraculum, quod Petrus Damiani, ſerm. 73. perpulchrè conſiderat his præter cætera. [Illud etiam quantæ formidini, quanto nobis debet eſſe terrori, quod veritas ait; *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Audiat lingua vaniloqua, audiat lingua otioſa, audiat lingua ſcabioſa. Scabioſa inquam lingua, quæ velut ſcabiem quandam atque pruritum patitur, niſi ſemper acuto quodammodo ſuperuacuæ locutionis vngue ſcalpatur. Audiat, & paueſcat, intelligat & tam terribilem ſententiam perhorreſcat. Audiat terrorem iudicij, de ore ipſius iudicaturi. An non habet aures vt poſſit audire, quæ & manum habet vt poſſit occidere? Mors enim & vita in manu linguæ. Audiat ergo quod ex ore veritatis dicitur, & ſubtili meditatione diſcutiat quod minatur. *Omne* (inquit) *verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Ponamus itaque vt otioſum verbum (ſi contra ſacræ Scripturæ ſententias fas eſt dicere) leue ſit & exiguum omnino peccatum; ſed quid milio breuius, quid penna leuius inuenitur? veruntamen ſi pennarum vel miliorum innumerabilis multitudo congeritur, neceſſe eſt vt portantis ceruix velut ſub graui lapide, immoderantiùs preſſa frangatur. Ex humentibus quoque ſaxis tenuis quidem & rara gutta diſtillat: ſed ſi

Sectio 8. vas ſubeſſe, ſpatio longiore permittitur, ita ple-
Breuitas in humanis. num ac ſi profluens vndâ decurreret inuenitur. Parue quidem ſed innumeræ cyniphes ſuperbi Pharaonis, totius Ægypti ſuperauere virtutem. Breue tempus eſt hora: ſed dum hora horæ con-
Alloquia. tinua ſucceſſione coniungitur, totius vitæ noſtræ curſus impletur. Nemo itaque ſemetipſum decipiat, Fratres mei, ſed peccatum quod leue arbitratur eſſe dum penſat, graue videatur eſſe in eius æſtimatione dum numerat. Quid enim durius ſaxo? quid aqua liquidius? & tamen à quodam Sapiente dicitur.

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo.

Nimirum & omnis animæ noſtræ ſoliditas ac fortitudo deſtruitur, ſi aſſiduis inundantium & quodammodò pluuialium verborum fluxibus atteratur; quamuis & leuiter ſe peccaſſe quis aſſerat, cum Apoſtolus dicat, *qui legem præterit, Deum inhonorat.*]

Quia res eſt quotidiana, creberrimi feréque perpetui vbiuis diſpendij; iuuat idem diuinum de verbis & colloquiis otioſis Chriſti domini pronunciatum, cum S. Gregorio 3. part. paſtor. admonit. 15. his verbis expendere. [Benè per Salomonem dicitur, *qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum.* Aquam quippè dimittere, eſt linguam in fluxum eloquij relaxare: quo contra in bona etiam parte, iterum dicitur: *Aqua profunda, verba ex ore viri*, Qui ergo dimittit aquam, caput eſt iurgiorum, quia qui linguam non refrænat, concordiam diſſipat. Vndè è diuerſo ſcriptum eſt, *Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.* Quod autem multiloquio quiſque ſeruiens linguam frœnare nequiuerit, accidit, vt rectitudinem iuſtitiæ tenere nequaquam poſſit. Quod teſtatur Propheta, qui ait, *Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.* Hinc quoque Salomon iterum dicit. *In multiloquio non deerit peccatum.* Hinc Eſaias ait, *cultus Iuſtitiæ, ſilentium.* Videlicet indicans, quia mens à Iuſtitia deſolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Iacobus ait. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Hinc rurſus ait. *Sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum.* Hinc iterum vim linguæ definiens, adiungit, lingua inquietum malum plena veneno mortifero. Hinc per ſemetipſam nos veritas admonet dicens, *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Otioſum quippè verbum eſt quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Si ergo de otioſo ſermone ratio exigitur, penſemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur.] Declinandum ergo eſt; etiam cum amicis multiloquium, id eſt longæ confabulationes recidendæ, ne per verba otioſa, & alia multiloquio admiſta, ſordes peccati affricentur loquenti. Ita enim planè fere propoſitum Spiritus ſancti oraculum; quod non reſtringitur ad alienos, ſed ad amicos quoque extenditur. Imo non rarò cum amicis, vt fidentiùs, ita liberiùs agitur, iiſque minori quàm apud alios cautione ſeruntur ſermones virulenti, & ſordentes peccato qui apud alios prætereuntur.

An hoc ſpectabat S. Baſilius in conſtit. cap. 7. viſitationes nimias (etiamſi Sanctorum) vocans *inuentum diabolicum.* Et nimiæ ſunt viſitationes, cum nimis diuturnæ ſunt etiamſi apud vnum & eundem infrequentes. Non eſt omittendum grauamen, quod plerumque infertur amicis per allocutiones prolixiores. Seriæ enim eorum occupationes interturbantur. Vnde nihil occupato homini accidere poteſt faſtidij plenius, longis allocutionibus. Ac proinde quod de Romano Pontifice aiebat Ioannes Sarisberienſis epiſt. 14. agendum eſſe cum eo per literas quàm breuiſſimè, quia eſt occupatiſſimus: per proportionem accommodandum eſt ad quemcumque modum agendi cum omnibus qui otio non abundant, & diſtinentur negotiis; & vix eſt ſi ſapiens qui non diſtineatur. Atque ita modus ponendus eſt amicorum allocutionibus: vt ſi plenè recîdi non poſſunt, arctentur tamen & in breue cogantur; quia vbi multa verba ibi egeſtas, vt dicitur Prouerb. 14. & frequenter qui amicos longa verborum profuſione fatigant, ſi res ferat & amicorum neceſſitas ad ſubſidium aliquod ferendum inuitet, parciſſimi ſunt operum.

Præeligenda itaque Laconum breuiloquentia rerum ferax, Aſianæ verborum profuſioni, operum ſterili Nemo neſcit, quanta parcitate verborum Lacones gauderent. Scribit Plutarchus lib. de futili loquacitate, minanti Philippo Macedoni bellum, reſpondiſſe Laconas, *Dionyſius, Corinthi*; Regis infirmitatem ſugillantes, quaſi non plus poſſet Philippus, quàm poterat Dionyſius, cum Syracuſis eiectus exulabat Corinthi. Et eodem Philippo edicente, ſi Lacedæmona veniam, euertam illam; vno monoſyllabo, *ſi*, fregiſſe Regis audaciam. Similia eorumdem breuiſſima dicta collegit Alex. Neapol. lib. 8. Genial. cap. 19. & Lodou. Cœlius lib. 18. cap. 4. Hæc igitur breuiloquentia multo optabilior eſt, quàm ſeminiuerbiorum dicendi profuſio, caſſa rerum. Et verò vt longa epiſtola argumentum eſt extraneitatis, iuxta Syneſium epiſt. 53. ita proportione ſeruata, longa allocutio ſapit extraneitatem.

Et quandoquidem hactenus allocutionem per literas, cum allocutione verbis facta componere contigit, bellè huc aptabo quæ S. Paulinus epiſt. 20. de breuibus S. Amandi literis habet his verbis. [Dulciſſimum oris veſtri guſtum, in breui ſanctitatis veſtræ ſermone libauimus. Nam ſicut mellis gutta idem ſapit quod totus fauus, ſic & in vno licet verbo, ſtillicidium linguæ veſtræ totum ſanctum animæ veſtræ ſaporem refert; quia quidquid de bono theſauro promitur, bonum atque pretioſum eſt. Nec ideò margarita vilis eſt, quia exigua: ſed ideò magis pretioſa, quia & in exiguo modo magnum pretium habet; ita vt ſicut Euangelica quoque teſtatur autoritas, profligatis etiam comparanda patrimoniis appetatur. Sed & granum ſinapis quod minimum videtur in ſemine, maximum tamen extat in olere: cuius ſeminis verbum, quia in vobis ſatum eſt, & in corde veſtro viget, vnde eos ardens habeos in via Domini, ideò etiam breuis ſermo veſter, dulcedinem ſimul ac vigorem verbi cœleſtis tenet, & nobis miniſtrat, vt nos etiam veſtræ prudentiæ ſale condiamur. Et ideò nos quoque imitabimur in hac epiſtola parcitatem ſermonis veſtri, etſi plenitudinem ſenſus veſtri non valemus imitari.] Similis eſt Iuliani Apoſtatæ

Epiſtola

Epiſtola ad Elpidium (eſt num. 57.) his concepta verbis. [Affert & epiſtola parua, voluptatem maiorem, cum eius qui ſcripſit beneuolentiam, non paruitate potiùs Epiſtolæ, quàm animi magnitudine metimur. Quamobrem ſi hæc nuda ſalutatio, paulo à nobis breuior inſtituatur, noli de noſtro in te ſtudio coniecturam ex ea te facere. Imo verò cum meus amor in te quàm vehemens ſit, optimè noris; literarum breuitati ſic ignoſcas velim, vt ſine vlla cunctatione viciſſim reſcribas. Quidquid enim à te in nos profectum erit, id etſi paruum eſt, boni omnis ſpecimen apud nos obtinet.] Pleraque Epiſtolia collegit Andreas Schotus, lib. 1. Tullianarum qq. cap. 27. monſtrans præſtare prolixis multorum Epiſtolis. Sed de reciſione ſermonum in alloquiis, (atque adeò etiam in Epiſtolis) videndus Cardanus lib. de prodent. Ciuil. cap. 29.

VIII. Beneficentia, ne cita & preceps, ſed tarda atque matura ſit; vt cunctatio profuſione prohibeat, & largitatis collocatione in indignos.

MVlti liberalitatem cum prodigalitate confundentes, ei ſe execrationi obnoxios faciunt, quâ Socrates improuidum quendam temerè & abſque delectu beneficum impetiuit, dicens: malè ſit tibi qui gratias virgines ſcorta feciſti. Eſt prodigalitas teterrimum vitium, & quod Ariſtoteles egregiè conſiderat 4. Ethic. cap. 1. aliis benè multis prauitatibus nexum: quódque fidem ſuperare videtur, tametſi eſt veriſſimum, etiam auaritia ex prodigalitate progerminat; dum poſt profuſionem, ad ſordes & tenacitatem eſt deueniendum. Itaque vt ἀσωτία (quo nomine Græci prodigalitatem meritò donant) euitetur; cunctatio adhibenda eſt, quæ beneficentiam dum remoratur prudentem reddat, & dignam liberalitatis titulo, quem profuſionibus illis ex cita erogatione conſequentibus, abiudicat Ariſtoteles, & meritò; abiudicat Ariſtoteles, & meritò; cum nulla virtus moralis abſque prudentia poſſit conſiſtere; prudentia autem non cohæreat cum illa cita & præpropera rerum ſuarum erogatione. Damnantur hoc nomine à Seneca lib. 2. de benefi. cap. 16. veſana ac ſtulta (ſic enim appellat) Alexandri Macedonis congiaria, qui regium putabat quod ij ipſi in quos beneficus videri volebat, refugiebant, ad primam petentium vocem, munera ampliſſima ſupra petentium votum in eorum ſinum condens, temperaturus profuſionem ſi cunctatione beneficium conduiuiſſet.

Non eſt celeritas vbiuis digna laude, ſed tarditas quandoque eſt in pretio, vt optimè admonuit Gregorius Nyſſenus orat. 3. de beatitud. expendens illud. *Beati mites.* Mititatem illam ſiue lenitatem Græcè πρᾳότητα affirmat Gregorius idipſum eſſe quod tarditatem; eamque apud Deum in pretio eſſe, niſi cum agitur de iugo peccati excutiendo; Tunc enim probari Deo velocitatem; non item vbiuis alibi; ſed plerumque multo acceptiorem eſſe tarditatem, quæ præproperis motibus modum ponens, omnia congruè & conuenienter diſponit. Id quod in re propoſitâ maximè valet (attentis grauiſſimis incommo- *Sectio 2.*
dis, quæ citam beneficentiam conſequuntur non *Breuitas*
pede claudo.) Multi enim mox extinguntur ob *in diuitiis.*
celerem beneficentiam, & inter viuos mortui ambulant, vt aiebat apud Stobæum ſerm. 89. Anti- Collatio
phanes: reddens rationem, quia facultates ſunt beneficij.
ſanguis & vita mortalibus; vnde quis eis ſe ſpolia, exanguis & mortuus efficitur. Poteſtque huc etiam ſpectare quod Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. retulit de gratiis ſiue Charitibus Iouis & Eurynomes filiabus, ex quibus parentibus, æquè fingebantur progenitæ horæ. Vnde inſinuatur, horam beneficentiæ eſſe præſtolandam.

§. 2. Muneris dilatio, beneficentiæ eſt detritio; & verò iam olim pronunciatum eſt, qui citò dat, bis dat.

INgratum eſſe beneficium quod inter manus dantis diu hæſit, pulchrè dixit Seneca lib. 2. de benef. cap. 1. qui ibidem cap. 5. ſplendidiſſimè in hanc rem diſſerens, ait. [Nihil æquè amarum quàm diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi ſpem ſuam, quàm trahi. Pleriſque autem hoc vitium eſt, ambitione praua differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ miniſtri ſunt, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum: minúſque ſe iudicant poſſe, niſi diu multúmque ſingulis lenta beneficia ſunt. Quare veriſſimum exiſtimo quod ille Comicus dixit. Quid tu uno intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis? Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit; fac ſi quid facis. Et nihil eſt tanti. Malo mihi iam neges; vbi in tædium adductus animus incipit beneficium odiſſe dum expectat Poteſt ob id ingratum eſſe. Quemadmodùm acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam, & miſericordiæ genus eſt citò occidere, quia tormentum vltimum finem ſui ſecum affert. ? quod antecedit tempus maxima venturi ſupplicij pars eſt: ita maior eſt muneris gratia, quominus diu pependit. Eſt enim bonarum etiam rerum, ſollicita expectatio. Et cum plurima beneficia remedium alicuius rei afferant, qui aut diutiùs torqueri patitur quem protinus poteſt liberare, aut gaudere tardiùs, beneficia ſuo manus affert. Omnis benignitas properat: & proprium eſt libenter facientis, citò facere. Qui tardè dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle, nolentis eſt.] Optimè ait Seneca, dilationem beneficij fuiſſe nolentis. Nam vt idem rectè philoſophatur lib. 1. eiuſdem operis cap. 1. qui tardè fecit, diu noluit. Vnde flos beneficentiæ per eam tarditatem atteritur, quia in omni officio maximè æſtimatur dantis voluntas, quàm tamdiu fuiſſe auerſam à dando, non poteſt non accidere acerbum & ingratum. Id quod Auſonius ex Græco carmine ſic expreſſit ſemel, & iterum.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.
Si benè quid facias, facias citò nam citò factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Concinit illud Mimi Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Nec

Sectio 2. Breuitas in humanis. Nec Patres & Chriſtiani Doctores hoc decus beneficentiæ, miſſum fecerunt. S. Gregorius 21. moral. cap. 12. illud, *ſi oculos viduæ expectare feci*, notat Iobi beneficentiam non fuiſſe dationis tarditate fuſcatam. [Petentem ſe viduam expectare noluit; vt non ſolùm ex munere, ſed ex

Collatio beneficij. celeritate quoque muneris, bonorum operum merita augeret. Vnde & aliàs ſcriptum eſt: *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.*] Quæ ad hunc locum capitis tertij Prouerbiorum, pro celeri beneficij expromptione commendanda, profert ibi eruditus interpres, apud eum legi poſſunt. Ego adduco præterea Ennodium lib. 8. epiſt. 10. cuius illa ſunt diſerta ſed fortia. [Quoties votiua res repentè contigerit, pretium de ipſa temporis breuitate ſortitur. Cœleſtis enim vt creſcat beneficij genus, ſubitum facit eſſe quod tribuit, ne deuenoſtet ſperantem prolixitas, miſericordiam largitoris. Quis enim affectum deſiderij repentè ſuſcipiens, non auidè impetrata veneretur?]

Ad eandem mentem Hildebertus Cenoman. epiſt. 53. [Iuxta Philoſophum, non tulit gratis, qui cum rogaret, accepit. Et quidem ſcio, quia nullum vendit amicus obſequium. Libenter, & gratis, & citò ſubuenit. Neſcit preces expectare, ſed velut egentis vaticinetur voluntatem, præuenit rogaturum. Dubitat enim verum ſit obſequium, quod vis precum elicit, quod non accipit improuidus, ſed importunus extorquet.]

Cyrillus libr. 3. Apologorum cap. 24. exponens modum liberalis donationis, ait. [Cum magna voluntas in dando eſt, ſi facultas adſit, non minor eſt in effundendo velocitas. Sic qui effundere potuit & diſtulit, concupiuit, quod tenuit, nec voluntate plena dedit. Clarum eſt ſpeculum liberæ voluntatis effuſæ, celeritas donationis. Ea ſiquidem lucidè panditur, quòd virtus, non quod datur, ametur: virtus autem in libera voluntate conſiſtit. Audiuiſtine quod in prouerbio fertur, *qui citò dat, bis dat?* Nempè bis, quia voluntatem & placitam rem. Aut certè bis dat, quia voluntate, & re. Vndè voluntate non dedit, qui totum, deforis ipſummet opere donare, tardauit. Nam vbi ad dandum facultas affuit, & interfuit tarditas, ibi voluntas non fuit. Reuera ſi dare diligitur, non tardatur: neque enim aliud magis intendit liberalis, quàm hoc quod virtualiter dare voluit. Porrò ſi liberalis eſt donator, lætùs videri debet, quia minùs gaudenter ſuſcipitur munus tardum. Attende quæſo quanto impetu à natura dati fontes ſcaturiant, venti funduntur. Cœlum vt det beneficium voluitur, & ſubſtantialis forma ſe totam materiæ puncto temporis elargitur. Beneficium ergo, quanto datur velociùs, tanto datur libentiùs; & quanto lubentiùs, tanto liberaliùs, & quanto liberaliùs, tanto chariùs ſumitur, & iucundiùs poſſidetur.]

Petrus Damiani opuſculo 9. cap. 1. *ad finem*, bella comparatione in hanc rem vtitur, allegato Salomonis, pietatis operum exercitationem commendante. Prouerb. 14. Tum ſubdit. [Et ne pietatis opus ſegnities ignaua depretiet, ſed deuotio celeris ac prompta commendet, alibi dicit; *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.* Tremit enim manus auari, cum tribuit; & ſicut æger eshorrens, amareſcentis antidoti differt poculum; ſic ille daturus aliquid, differt in poſterum. Ille ſiquidem exaſperantis potus nauſeat amaritudinem; ipſe ſi dederit aliquid, metuit egeſtatem: ideóque licet vel in bibendo, vel in præbendo, neceſſitatis tempus immineat; vterque tamen in poſterum quod abhorret interiecta dilatione reſeruat. Planè largus & liberalis animus facit diuitem, pauor atque tenacia reddit egentem: vnde ſcriptum eſt; *ſubſtantia diuitis, vrbs fortitudinis; pauor pauperum egeſtas eorum.* Pauor enim degenerem animum compellit egere, licet diuitiarum copiis videatur affluere.]

Petrus Bleſenſis epiſt. 51. aduerſùs procraſtinationem dandi, hîc præter cætera concitatur. [Nec mihi accepta, nec vobis honeſta eſt iſta dilatio, teſtimonio Poëtæ; *dilatio magna ruina eſt, & mora donandi non leue crimen habet.* Ne dicas amico tuo (dicit Salomon) vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Cras, cras. Vox coruina eſt. Nec Deo nec hominibus grata eſt, promiſſionis iteratio frequens, & hoc ipſum credo, Salomonem ſenſiſſe, cum dicit *Fili ne iteres verbum in ore tuo.*] De cruciatu ex dilatione rei optatæ & ſperati beneficij, item perbellè epiſt. 128.

Itaquè extra dubium eſto, nihil æquè beneficij venuſtatem decolorare, ac tarditatem collationis. E contrario autem, celeritate donandi inſigne decus beneficio accedere. Id quod in iis quoque valet, quibus Deum demeremur, tametſi benefici erga illum eſſe non poſſumus. Nihil enim æquè acceptum eſſe Deo, in iis quæ exhibentur ipſi ab homine, quàm promptitudinem, docet egregiè Origenes homil. 4. in Geneſim, & Sanctus Ambroſius lib. 1. de Cain. cap. 8. & lib. 1. de Abrah. cap. 5. poſt Philonem lib. de ſacrific. Abelis, & Caïni, cum de primo Caïni crimine, offerentis poſt aliquot dies.

IX. *Longi tituli potentiæ auctoris argumenta, vel anteriorum decorum inſignia.*

QVibus anguſta res domi eſt, & curta ſupellex non habent vbi longos titulos excipiant. Nec enim tituli illi (quos ſupponimus vacuos non eſſe & inania ſimulachra notionum quas præferunt,) deferuntur niſi ob prærogatiuam dominij, aut rerum geſtarum. Itaque ſicut glorioſum eſt fulgere ſplendentibus titulis, ita glorioſius eſt fulgere permultis, & longo eorum ſyllabo colluſtrari. Cedit id quoque in vtilitatem aliorum, quibus præconia compendiis illis titulorum ſingulorum expreſſa, fiunt incentiua gloriæ. Id quippè fuiſſe videtur quod Themiſtocles Miltiadis trophæis abrumpi ſibi ſomnum profitebatur. Ad quamlibet enim trophæi comparationem creſcebant Miltiadis tituli; atque adeò cum inſigni gloriæ & honoris incremento, nexa erat illorum in dies ſingulos prenior recenſio. Vnde Themiſtocli ſtimuli ad audendum, & generosè iaciendum vberum titulorum ſementem. Quid quod hæc titulorum multiplicitas, eſt imitatio vel participatio nonnulla infinitorum Dei nominum, ſeu titulorum? Nullus enim reuera eſſet numerus titulorum quibus

Deus

Deus eſt honeſtabilis, ſi vniuerſi deferentur. Chriſti in Euchariſtia tituli, immenſum quàm varij, ipſiſſum opus nuper complexerunt. Deiparæ item tituli vni volumini conficiendo ſunt pares. Æmulatur hæc decora, titulorum humanorum longitudo, atque prolixitas.

Vnde ne viri quidem à ſeculo ſegreges, & omnibus in exemplum poſiti, eam refugiunt. Abbas ſanè Caſſinenſis teſte Arnoldo Vvion, in veteribus inſtrumentis hac titulorum ſerie numeroſa vius proditur. [Nos patriarcha ſacræ Religionis, Monaſterij Caſſinenſis Abbas, Dux & Princeps omnium Abbatum & Religioſorum; Vicecancellarius Imperij per Italiam; Cancellarius vtriuſque Siciliæ & Hieruſalem, & Hungariæ Comes, & Rector Campaniæ, Terræ Laboris maritimæque Prouinciæ; Viceimperator & Princeps Pacis.] Quid mirum tam multos prætuliſſe titulos, cui vt idem Arnoldus Vvion Ordinis Benedictini ſcriptor celeberrimus ſcriptis prodidit, ſuberant Epiſcopatus quatuor, Principatus duo, Comitatus viginti, Ciuitates triginta tres: Villæ, portus marini, Inſulæ, Terræ, Eccleſiæ innumerabiles?

§. 2. *Longi tituli, longa vanitas. Breues, modeſtiæ teſtes, & vigentis ſanitatis animi argumenta.*

VAnitatem tumidiſſimorum animalium (vt cum Seneca dicam) exaggerati magno ſtudio tituli produnt. Imperatorum pleriqne à domitis Prouinciis emendicarunt titulos, ita vt interdum longa ſerie, Germanici, Dalmatici, Africani dicerentur, aliiſque benè multis denominationibus ſimilibus inſignirentur. Iuſtiniani Inſtitutionum Iuris Ciuilis prænotatio, & quæ de eo Procopius in Arcana Hiſtoria tradidit, vades ſunto. Iam olim in Arſace Perſa delirium, huiuſmodi conglobationis titulorum riſerat Veſpaſianus, referente Xiphilino. Et meritò quidem cum Reges Perſarum, ſe Reges Regum indigitarent, fratres Solis, ante Luciferum natos, aliiſque huiuſmodi inanibus commendationibus honeſtarent, imo turparent ſeſe.

Rex Narſinganus ſiue Biſnagenſis apud Indos Eoos, præterquam quod ſe Imperatorem & Regem Regum denominat, addere in diplomatibus ſolet hos titulos referente Petro du Iarric lib. 2 hiſtor. cap. 20. [Sponſus Sebuaſti (id eſt bonæ ſortis) magnarum Prouinciarum Deus. Regum potentiſſimorum Rex, omnium equitatuum dominus, Magiſter & Doctor loqui neſcientium, trium Imperatorum Imperator, omnium quæ videt conquiſitor, conquiſitorum conſeruator, quem octo mundi partes metuunt, & formidant, exercituum Mahumeticorum deſtructor, omnium Prouinciarum quas ſubegit dominus, ſpoliorum & opum Ceſlanenſium direptor, Eques cui nemo par, & fortiſſimorum quorumcumque debellator, qui potentiſſimo debellatori Veiranalalano ceruicem præcîdit, dominus Orientis, Auſtri, Septentrionis, Occidentis, & maris, Elephantorum venator, militari ſcientiæ innutritus, exercitus, nobilis, quibus titulis nominibúſque gaudet magnus Eques Ventaepius, Ragius, Deuamanganius, Ragelius qui hodie imperat & mundo vniuerſo dominatur.] Vah! quantum tumeſcit bulla.

Sectio 1. Breuitas in humanis.

Sultanus Ægypti epiſtola ad Iulium 2. Rom. Pontificem quam refert Barrius Decade. 1. lib. 8. cap. 2. hos ſibi titulos attribuit. [Magnus Rex, Dominus Dominantium, nobilis excelſus, ſapiens, iuſtus, & victor; Rex Regum, gladius mundi, princeps fidei Mahumetanæ, & illorum qui ei adhærent; Viuificator iuſtitiæ toto orbe, ſucceſſor regnorum, Rex Arabiæ, Gemiæ, Perſiæ, & Turciæ; Vmbra Dei in terris; cunctorum bonorum operator, ſiue ſint ab eo præcepta, ſiue non; Alter in hoc mundo Alexander, à quo multa bona procedunt: Rex eorum qui ſedeat in tribunali, & ſeruat coronam; dator regionum, terrarum, ciuitatum, perſecutor rebellium, & Hæreticorum infidelium, conſeruator duorum locorum peregrinorum; ſummus Sacerdos templorum ſacrorum quæ ſunt ſub ſuo imperio, & continent fidem Mahumethi; ſparſor iuſtitiæ, & bonitatis; ſplendor fidei, pater victoriæ, Canauxaus Algaurius, cuius imperium Deus perpetuet, ſedémque ſupra planetam Geminorum exaltet.]

Tituli.

Damno Chriſtianæ rei, ſed tamen potentiſſimâ fatuitate, Turcarum Reges titulorum ſtrnices diplomatibus aut publicis ſcriptis præfigunt. Exemplar vnius pacti anno 1530. Solymannum inter ac Ioannem Hungarum initi, vt quot titulis à Solimanno ſint granata eius diplomata liqueat, repræſentare placet. Ita habet. [Ego Sultan Solimannus, Sabyack, Cæſar Cæſarum, Dei gratia, glorioſus, magnus, & inuictiſſimus Imperator Conſtantinopolitanus, Rex Regum, dator coronarum, vmbraculum Dei ſuper terram, dominator magni maris, & inferioris Europæ, Syriæ, Arabiæ, Iudææ, Chananeæ, & Galilææ, & Phœnicis, Alexandriæ, & Ægypti, & magni Chayris, & Æthiopiæ, Mediæ, & Lybiæ, & Lanchæ, Indici & Rubri maris, & Regni Hieroſolymitani, Samariæ, & maris Tyberiadis, & Damaſci, & Alepij, & magnæ Antiochiæ, Meſopotamiæ, Chaldææ, magnæ Babyloniæ cum maiore & minore Armenia, Parthiæ, Perſiæ, Hiberiæ Georgianæ, maris Caſpij, Trapezuntiæ, Tauriſiæ, Cappadociæ, Cæſareæ, Pamphiliæ, Ciliciæ, & Tharſis, Caramaniæ, Amaſiæ, Paphlagoniæ, Lydiæ, Phrygiæ, Bithiniæ, & magnæ ciuitatis Nicææ, Nicomediæ, magnæ Chalcedoniæ, & totius magnæ Anatoliæ, Græciæ, Thraciæ, & magnæ Romaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Peleponneſi, Corinthi, Cherſoneſi, Albaniæ, Bonnæ, Bulgariæ, Vvalachiæ, Moldauiæ, Scythiæ, & Tartariæ, & multarum aliarum infinitarum Prouinciarum, Regnorum, & Imperiorum acquiſitorum vi & armis, & virtute bellica noſtræ fulminantis frameæ.]

Sunt hæc nobis lugenda ſimul & ridenda. Nam luctuoſum quidem eſt, cornicolam iſtam tot plumis noſtris ditatam conſpicere. Eſt tamen perridiculum, ſeriem adeò numeroſam titulorum oſtentare. Quod agens cum æmulo ſuo Carolo V. ſarcaſticè monſtraſſe dicitur Franciſcus primus Rex Gallorum. Scripſerat ad eum Carolus, & grandes ſtrnices titulorum à variis Prouinciis

Sectio 2. *Breuitas in humanis.* ſingillatim nominatis, præfixerat epiſtolæ titulo, ad multas omnino lineas. Tantundem ſpatij implent in ſua epiſtola Franciſcus, eodem Galliæ nomine repetito in hunc modum, *Franciſcus Rex Galliæ, Galliæ, Galliæ, &c.* ad totidem lineas expandens eiuſdem tituli congeminationem, quot occuparant varij tituli connumerati in Caroli Epiſtola; inſinuans quid ea cumulatim aggeſta titulorum multiplicitas præ ſe ferret. Tituli.

Magna temperatione vſi ſunt hac in parte antiqui. Epiſtolis nomina ſola præponere, formam vetuſtatis appellat Symmachus lib. 2. epiſtol. 35. Rurſúſque lib. 3. epiſtol. 44. [Vis (inquit Siburio) epiſtolis noſtris more maiorum nuda nomina præferantur.] Et lib. 4. epiſt. 30. quæ eſt ad Protadium. [Itáne epiſtolarum noſtrarum ſimplex vſus interijt, vt paginis tuis, lenocinia æui præſentis anteferas? Redeamus ergo ad infucatos nominum titulos; & cum dicitur aut redditur ſalus, nihil ipſis vocabulis noſtris honoratius ac blandius eſſe ducamus.] Sanum conſilium, extra epiſtolas quoque vſurpandum; ſapienter reſectâ inanitate longæ ſeriei titulorum, ambitioni lenocinantium. Græci eam vanitatem cuiuſque tituli, vocibus ſeſquipedalibus adhibitis cumularunt, quale eſt illud πρωτονωβελλίσιμος & illud πρωτονωβελλισιμοϋπέρτατος. Videſis Gretſerum ad lib. 3. Codini cap. 14. §. 5. Et breuiter ſubſannarat in Simone eam delirationem Lucianus in Gallo. Nam Simon ex diſſyllabo tetraſyllabus eſſe voluit, dicique *Simonides*, ex quo diues euaſerat. Non nemo, hodiéque *Simonides*, cognomen diffundens addito *De*, & hoc in domo & profeſſione humilitatis, heu mores?

X. *Cauſarum forenſium matura & lenta: ideóque longa diſcuſſio, neceſſaria.*

Videri poſſit Chriſtus Dominus præcidiſſe huius bigæ antithericæ materiam interdicendo litibus, vt quidem viſum eſt Saluiano lib. 3. de prouid. Videamus (inquit) ſi in illis ſaltem religioſæ deuotionis obſequiis quæ minora atque communia in ſumma quiete, & omni tempore, omnes Chriſtiani obire quæſumus, præceptis Dominicis reſpondere tentamus. Iubet Chriſtus ne litigemus. Quis iubenti obtemperat? Nec ſolum iubet, ſed in tantum hoc iubet, vt ea ipſa nos de quibus lis eſt, relinquere iubeat dummodò litibus exuamur. *Si quis enim* (inquit) *voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinquere & pallium.* Interrogo qui ſint qui ſpoliantibus aduerſariis cedant; imò qui ſint, qui aduerſarios ſuos non ſpoliare conentur? Tam procul enim abeſt vt tunicas, etiam pallia relinquamus, vt ſi quomodo poſſimus pallium ſimul aduerſariis, tunicáſque tollamus.] Nititur Saluianus verbis Chriſti ex cap. 5. Matthæi. Quibus affinia ſunt quæ habentur Lucæ 6. Sed & Apoſtolus 1. Corinth. 9. delicti (id eſt, iuxta Græcam vocem, imperfectioris & minoris virtutis) inſimulat Corinthios quod in iudicio contenderet. Neuter tamen euertit aut ſublata voluit iudicia, vt abſurdè objiciebant Ethnici referente Marcellino (apud D. Auguſtinum Epiſtol. 4. Anabaptiſtæ ac iam olim Manichæi non ſubſcribentibus aliis Sectariis & nominatim Piſcatore in notis ex Adamo Contzen, hîc, ſed vt Toletus rectè vidit in cap. illud 6. Lucæ annot. 50. tantum vetatur vindicta ſumpta propria authoritate, vel præcipitur præeligendum diſpendium temporale ſi ita neceſſe ſit ad charitatis & aliorum ſpiritualium bonorum longe pretioſiorum indemnitatem, vt notauit quoque ſanctus Gregorius 31. moral. cap. 8. inſinuátque etiam Diuus Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 31. Saltémque indicitur præparatio animi ad ſubeundum potiùs damnum temporale quàm ſpirituale ſi alterutrius ſubeundum ſit diſpendium. Apoſtolus autem alias præterea ob cauſas Corinthios vrget ad abſtinendum litibus vt ſanctus Chryſoſtomus optimè expendit ibi, homil. 16. Et quamuis verum eſt quod ſanctus Auguſtinus cap. 78. Enchir. tradit, lites etiam iuſtas vix ſuſcipi, aut agitari abſque peccato, & alter litigantium ſecluſa ignorantia probabile ſemper delinquat vt Caietanus ad eundem Apoſtoli locum rectè perſpexit; tamen abſolutè loquendo & iis ſecluſis quæ vitio litigantium obrepunt, lites in iudicio forenſi agitare, non eſt prohibitum Chriſti lege aut Apoſtoli mandato. Saluianus autem prohibitionem agnoſcens, intelligendus eſt de euentibus in quibus præmiſimus Chriſtianos vetari litigare. Quare non præcluditur conſideratio antheretica ſitne potior breuitas aut tardius in agitatione forenſis iudicij. Auſpicemur à tarditate.

Neceſſitatem tarditatis ac moræ in diſcutiendis cauſis forenſibus, injicit ingens periculum, quod à celeritate & præcipitatione imminet; ſiue agatur de vita aut membris, ſiue de honore aut facultatibus, aliíſve quibuſvis externis bonis. Quid enim iniquius, quàm de alienâ vitâ, aut facultatibus, vel honore agentem, inconſideratè & tumultuariè ſe gerere? Deus ipſe non vult in reos accelerare ſententiam. Vnde non ante de Caïno iudicium tulit, quàm clamante terrâ, & audito reo, cauſa eius per otium eſſet diſcuſſa. vt obſeruauit ſanctus Ambroſius lib. 2. de Caïn & Abel cap. 10. & rationem reddit Petrus Chryſologus ſerm. 125. quam iam tetigi, quia videlicet Deus non vult in reos accelerare ſententiam. Idem à Deo ſeruatum eſſe cum ædificantibus turrim, obſeruat egregiè Philo lib. de confuſ. ling. & Rupertus lib. 4. in Gen. c. 41. Circa infames quoque Pentapolitanos, quantam iudicij lentitudinem adhibuit Deus. Videndus, ſanctus Gregorius 19. Moral. cap. 23. & Chryſoſtomus hom. 42. in Geneſ.

Etiam cæci hoc viderunt. Ethnicos dico, quos Seneca lib. 2. natur. qq. cap. 41. docet idcirco finxiſſe Iouem non niſi cum Deorum conſilio & longâ deliberatione præmiſſâ, vibrare fulmina periculoſa, vt docerentur Iudices mortalium, quantâ deliberationis tarditate & maturitate, decernendæ eſſent in reos pœnæ. Nimirum vt eſt apud Caſſiodorum in formulâ cominuæ Prouinciæ. [Arma iſta iuris, ſunt non furoris. Itaque cunctator eſſe debet; qui iudicat de ſalute.] Idem optimè in formulâ Præfecti vigilum. [Quidquid non diſcutitur, Iuſtitia non putatur.] Et rationem reddit Pontifex cap *paſtoralis*, de re Iudic. quia præceps & feſtinatum Iudicium.]

[Non

[Non à diſcretione matre virtutum, ſed à nouercâ Iuſtitiæ, voluntariâ ſcilicet iudicantis præcipitatione procedit.] Quidquid autem per prudentiam prælucentem non dirigitur, extra virtutis fines oberrat, vt notum eſt; atque adeò ad Iuſtitiam pertinere non poteſt. Apud Gratianum cap. *inter hæc* c. 33. quæſt. 3. tanquam ex Origene refertur egregia iſta in hanc rem ſententia. [Vult Moyſes peccati vacuam reperire animam, vt exuuias erroris deponat, & culpæ nuda, ſine ſui pudore diſcedat. Sed irrationabilis impetus præuenit flamma celerrimi motus animam depaſcitur, & exurit eius innocentiam. Præponderant enim futuris præſentia, ſeriis iucunda, læta triſtibus; & præpropera tardioribus. Velox enim iniquitas quæ ad nocendum occaſionem ſuggerit: lenta virtus & cunctatrix, non ante iudicat, quàm inſpicit quid decorum, quid honeſtum; iniquitas omnia præcipitat.] Sunt in hanc rem innumera Iuriſperitorum teſtimonia, quibus celerem ac ſubitariam dictionem iuris, improbant; vt videre eſt apud Bartolum in lege *prolatam* Cod. de ſent. & intent. om. iud. & apud Crauetam conſil. 18. numer. 2. Adeundi inſuper Speculator tit. de inſtrument. edi. §. *videndum reſtat* verſic. *item non exhibeas* & tit. de appellat. §. *nunc breuiter* verſic. *item iuſta*. Felinus ad cap. *Eccleſia S. Mariæ* de conſtit. num. 14. Cardin. in Clement. *paſtoralis* §. *verum* Archid. in cap. *communis* diſtinct. 23. Menochius de Arbitrar. Iud. quæſt. 42. num. 2. Boëtius quæſt. 153. n. 2. Neuizanus in ſylua nuptiali lib. 5. num. 107. Segura 2. part. director. iud. Eccleſ. cap. 8.

Eſt ergo maturitate, atque adeò etiam tarditate & prolixitate vtendum in Iudiciis quibuſcunque. Significatum id apud antiquos, in dictione ſeſſionis inter iudicandum. Paſſim enim legimus, ſediſſe iudices ad iudicandum, vt nominatim apud Plinium lib. 5. epiſt. vltima, & apud Gellium lib. 7. cap. 2. ac etiam apud Pſaltem, *illic ſederunt ſedes in Iudicio* Pſalmo 121. & Ioannis 19. de Pilato dicitur, *ſedit pro tribunali*. Eſtque ea circunſtantia tanti in Iudicio momenti, vt ſententia à Iudice non ſedente, ſed ſtante prolata, habeatur irrita. Videſis Vlpianum l. *vtile* ff. quis ordo in poſſeſſ. & cap. *etſi* de ſent. & re iudic. in 6. decretal. & Gloſſam ibi V. *ſedendo*. Interdum quidem Iudex, de plano vt eſt in Clement. *ſæpè* de verb. ſignif. hoc eſt delapſus è tribunali in planum ſiue aream, non iam ſedens ſed ſtans, & xτ' πόδας, *è veſtigio*, litem leuiculam dirimit, aut de aliquo adiuncto ſtatuit abſque ſtrepitu & figura iudicij, vt notauit Polletus lib. 1. de foro Rom. cap. 5. At in negotiis alicuius momenti, quæ iuſto iudicio definienda eſſent, Iudex ſedere ſolitus erat; eáque erat oratoris differentia & Iudicis quod orator ſtabat, Iudex ſedebat: vnde ſeſſiones Iudicum de quibus 3. de natur. Deorum, cum de Velleio & Balbo iudicaturi; Et Tullium ipſum ſæpè vſurpare *ſedere* pro *iudicare* notat Bradæus ad caput illud 5. Pollett. Idem ferunt illa Plauti.

—— Nimis orator eluat catus;
Sine me iſthuc iudicare: ſurge; Ego iſthic aſſedero,
Maximè, & accipiam hanc ad me litem.

Stat quippè orator, ad maiorem actionis & pronunciationis emphaſim. At Iudex ſedet; quia ſedendo plus ſapimus, vt ſeruus Tranio, eadem Plauti Moſtellaria diſſerit. Inſinuat verò manifeſtiſſimè ſeſſio iudicantis, non congruere vt iudicium ſit citum ac velox, ſed lentum & quietum quod inſinuat ſedentis habitus. Quod ſi id vniuersè valet, maximè certè in iudiciis quibus agitantur cauſæ reorum. *Seſſio 2. Breuitas in humanis.* Lites.

Theophili Raynaudi Philologica.

Hoc item admonebant ſecures intra faſces conſtrictæ, vt diſſolutio faſcium, moram iudicio afferret, iuxta Caſſiodorum 6. var. epiſt. 1. Perſæ quoque, moroſiſſimi erant in iudiciis reorum, vt notat S. Epiphanius hær. 66. cum de damnatione Manetis. Nouerant enim præcipitationem, & feſtinationem iudicandi, infeſtam eſſe prudentiæ, qua excluſa, ruit iudicij æquitas. Et hoc ſignificaſſe Dauidem cùm aiebat ſe pœnas de peccatoribus ſumpſiſſe *in matutino*, autor eſt Iſidor. Peluſiota lib. 1. epiſt. 321. Nam veſpere id præſtare, periculoſum fuiſſet, obnubilata per iram aut temulentiam prudentia. Iudicabat ergo de ſontibus in matutino, cum ſedatis per ſomnum & quietem inconditis affectibus, & vigente ob diſcuſſas vaporum nebulas prudentia, omnia maturè & ſedatò ac lentè peraguntur. Hac lentitudine, & rectus iudicis animus à libidine inferendæ pœnæ abhorrens proditur. (Nam propè eſt vt libenter damnet, qui citò, vt eſt apud Publium in ſententiis) approbante Seneca lib. 1. de clementia cap. 14. Et veritatis illuſtrationi proſpicitur. Quod enim benè monuit Nicol. 1. epiſt. ad Michaelem *ſub finem*, [Iuſtitia ſæpiùs ventilata, clariùs ſplendeſcit in lucem.] At non poteſt ſæpiùs ventilari, ſi præceps & cita ſit ſententiæ latio. Et idcirco Capitolinus, Antoninum Philoſophum iure celebrat, quòd Prætorem in audiendis reorum cauſis feſtinum ac celerem reprehenderit, & iterum cognoſcere præceperit.

E contrario Ammianus lib. 29. inter Valentis probra illud maximè proſcindit, quod præceps eſſet, & implacabilis in reorum iudiciis. Oratio Ammiani eſt adſcriptu digna. [O præclara informatio doctrinarum, munere cœleſti indulta felicibus; quæ vel vitioſas naturas ſæpè excoluiſti! Quanta in illis caligine temporum correxiſſes, ſi Valenti ſcire per te licuiſſet, nihil aliud eſſe imperium, vt ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienæ; bonique eſſe moderatoris, reſtringere poteſtatem, reſiſtere cupiditati omnium rerum, & implacabilibus iracundiis; noſſéque, vt Cæſar Dictator aiebat, miſerum eſſe inſtrumentum ſenectuti, recordationem crudelitatis: ideóque de vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, laturum ſententiam, diu multúmque cunctari oportere, nec præcipiti ſtudio vbi irrenocabile factum eſt agitari; vt exemplum eſt illud antiquitati admodùm notum. Apud proconſulem Aſiæ Dolabellam Smyrnæa materfamilias, filium proprium & maritum venenis necaſſe, confeſſa, quod filium ex priore viro ab eis occiſum compeiiſſet, & comperendinata cùm conſilium ad quod ex more dilata eſt, ancept quid inter vltionem & ſcelus ſtatui debeat, hæſitaret, ad Areopagitas miſſa eſt, Athenienſes Iudices iuſtiores, quorum æquitas Deorum quoq; iurgia dicitur diſtinxiſſe. Hi cauſa cognita, centeſimo poſt anno, cum accuſatore mulierem adeſſe iuſſerunt: ne aut ab-

Sectio 2. Breuitas in humanis.

ſoluerent veneficam, aut vltrix neceſſitudinum puniretur. Ita nunquam tardum exiſtimatur, quod eſt omnium vltimum.]

Hoc eſt quod Caſſiodorus lib. 7. var. form. 1. aiebat. [Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi: de vita tranſactum, non patitur immutari] præiuerat Iuuenalis ſatyr. 6. cum dixit.

Lites.

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio tarda eſt.

Et quamquam omnia iſta de iudiciorum tarditate, valent maxime quoad capitalia iudicia, tamen valere etiam debent quoad iudicia quæcumque. Nam grauis iniuria, in iudiciis quoque de externis rebus inferri poteſt, & quæ non tardò ſit homini acerbior ipſa morte. Itaque tarditas quoquè, in illis iudiciis adhibenda eſt, vt maturitati ſit locus.

Inſignis ſententia Zozimi Papæ (epiſt. 4) aduerſus iudiciorum præcipitationem, digna eſt quæ hic adſcribatur. [Doceat nos (inquit) terrena moderatio, quæ ſecularibus arbitriis & cauſis, primùm de ipſis iudicibus eligendis repudiandiſque ſit. Et quanta cunctatio? Quot interpoſitæ dilationes? Quoties adhibita comperendinatio, etiam ſub fine certaminis, ampliare iudicia cum innocenti reo? Confugitur ad mare, & extra marina documenta, vt fides, quæ in præſenti plerumque arctioribus ſtrangulatur anguſtiis, ſaltem eminus veniat. Hæc omnia, mentior, niſi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta ſint. Tolerabilius eſt enim innocentem quemlibet tardiùs inueniri, quàm citò pro nocente damnare.] Egregiè item Clemens Romanus de Ethnicorum in iudiciis cunctatione diſſerens 2. conſtit. cap. 52. *alias* 36. [Aſpicite (inquit) mundana iudicia, quorum poteſtate videmus trahi patricidas, adulteros, veneficos ſepulchrorum violatores, latrones. Hi enim ſtatim vt ab iis qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de eis habitas acceperunt, quærunt de malefico ipſo an ita ſe res habeat? Ille verò, ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium; imò pluribus diebus cum multa deliberatione ac conſultatione, & interiecto velo inquiritur in eum. Poſtremò qui ſuffragium de capite contra eum laturus eſt, ſublatis manibus Solem teſtatur, innocentem ſe eſſe à ſanguine hominis illius. Itaque iſti, quamuis Gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque ſciunt vindicari à Deo eos qui innocenter condemnati ſunt tamen cauent. Vos verò qui ſcitis qui noſter Deus ſit, & qualia eius iudicia, quomodò poteritis iudicium veſtrum, per violentiam, & imperium pronunciare, cum illicò illud pateat Deo? Non tarditas tantùm in iudicando, ſed etiam in exequendo ſententiam mortis, probata legibus eſt.

In quam rem multa congeſſit Biſciola Tom. 1. ſubſec. lib. 15. cap. 3.

§. 2. *Affectata cauſarum forenſium prolixitas, plena ſceleris eſt ac iniuriæ; & ſarciendis damnis ex procraſtinatione illatis, obnoxia.*

EXpoſtulabat S. Cyprianus epiſt. 2. inde non rarò exiſtere iniuſtitiam, vnde iuſtitia expectabatur. Hoc cum aliis de cauſis exiſtere liquet, tum nominatim iudiciorum productione, quam mira & planè varia artificia Iuriſperitorum inuexerunt. Damnat huiuſmodi eorum verſutias Gregorius Nyſſenus homil. 5. in Eccleſ. Bleſenſis epiſt. 26. Ammianus Marcellinus lib. 30. queſtus quod irreſolubili nexu vinciant negotia. Erant inter Cauſidicos olim, quibus id muneris erat, vt cauſas remorarentur, vnde dicti *moratores*, de quibus Tullius in Diuinat. verbis illis. [Quartum ex illo grege moratorum;] vbi Aſconius obturbatores quoſdam ſordidóſque Cauſidicos ſignificat, qui adhibebantur ad moram faciendam. Meminit eorumdem Sidonius lib. 5. epiſt. 7. cum ait. [Hi ſunt qui cauſas morantur adhibiti, impediunt prætermiſſi:] & alia quæ aduersùs huiuſmodi cauillatores accumulat. Moratoria tergiuerſatio cuius S. Auguſtinus collat. 3. Carthag. cap. 41. ipſa erat in quam incumbebant hi moratores. Quos Concilium Oxonienſe tit. 1. cum in cauſis matrimonialibus trahebant iniuſtas moras (vt olim frequens erat, & notauit D. Bernardus lib. 1. de conſider. cap. 10.) percellit excommunicatione. Hi igitur erant qui dicebantur *moratores:* Malos coruos iure dixerimus, voce coruina, procraſticationem ſonante. Ariſtophanes verò, vt horum vitilitigatorum, lites in æternū extrahentium, & variis ſtrophis ac dolis proceſſus in infinitum proferentium nequitiam exprimeret, voce vſus propenſum ſeſquipedem extenſa, vocauit, ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων.

Conclamat in huiuſmodi moratores Iuriſconſultos, Alexander Braſſicanus ad librum 3. Saluiani de Prouid: expoſtulans, quod neque ſacra neque profana, obliti vitæ & profeſſionis Chriſtianæ, aſſis æſtiment. Nam & Vlpianus homo Ethnicus ac Chriſtianorum hoſtis tit. 1. de rei vindicat. teſtatur, Prætorem eius factum non improbaturum, qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpiùs litigaret. Hæc enim verecundia & cogitatio hominis lites auerſantis, collaudanda eſt non vituperanda. Quid ſimile inuenias in Chriſtianis Iuriſperitis (ait Braſſicanus) quorum ſtrophis & cautelis iam olim æquitas vniuerſa conuulſa eſt & labefactata; dum lites ex litibus ſerūt, nec tantùm controuerſias non dirimunt, ſed etiam augent & vt in longum protrahantur, ſollicitiſſimè ſatagunt, adeò vt veriſſimum appareat quod iam olim dictum eſt, ſolis iis, vel in medio foro conceſſum eſſe latrocinium.

De huiuſmodi Aduocatorum vaniloquiis ad protrahendas lites, variiſque ad id artificiis, præſertim per fruſtratorias & venatorias dilationes, optimè Eugenium admonebat S. Bernardus 1. de conſid. cap. 10. Et rationem ſuæ in hos forenſes accipitres concitationis hanc reddit. [Nihil ita abſque labore manifeſtam facit veritatem, vt breuis & pura narratio. Ergo illas quas ad te neceſſe erit intrare cauſas (neque enim omnes neceſſe erit) diligenter velim ſed breuiter decidere aſſueſcas,

aſſueſcas, fruſtratoriáſque, & venatorias præcide dilationes.] Sic præcidendas ait linguas vaniloquas Aduocatorum deſtruentium ſimplicitatem veritatis, obſtruentium iudicum vias. Conclamat in eoſdem, nec obiter, ſed ex inſtituto Alb. opere de Aduocato Chriſtiano parte 1. q. 31. vbi allegato Baldo cap. *exceptionem* in principio, de exception. & q. 43. adductis variis Authoribus affirmat, Cauſidicum & Aduocatum, iuſto longiùs lites protrahendo, peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ litis protractio irrogat aduerſario. Quæ item eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. art. 3. q. 71. art. 3. & ibi Scholaſticorum omnium. Item Angeli, Syluestri, & ſummæ Aſtenſis. V. *Aduocatus*, Bonifeldij ad cap. 9. de iniuria & damno dato quæſt. 12. concl. 3. Nauarri cap. 25. Manual. num. 28. Graffis lib. 3. deciſ. cap. 8. num. 8. Summæ Confeſſorum rubr. de Aduocato q. 172. Narræ in Clement. *ſæpe* in fine princ. de verb. ſignific. & paſſim aliorum. Galeatius dux Mediolanenſis omnino id cenſuit, quem ſcribit Lipſius lib. 2. monit. Polit. cap. 10. addixiſſe laqueo Aduocatum in hac noxa deprehenſum. Nec licet prætexere ſtylum receptum, qui ad nihilum valet niſi vt miſer Aduocatus abſque dilatione damnetur, ſi hinc abſque pœnitentia excedat. Quod S. Antoninus parte 3. ſummæ tit. 6. cap. 2. confirmat exemplo impij cuiuſdam Aduocati, fruſtra in vitæ meta poſcentis protractionem aliquam ad pœnitentiam; qui lites diu admodùm per conſueta artificia protraxerat. Itaque cadit perbellè in huiuſmodi Aduocatum moratorem, ſtylo recepto ſe tutantem, expoſtulatio S. Ambroſij lib. de Nabuthe cap. 10. Grauius enim S. Ambroſius technarum & cauillorum quibus Aduocati vtuntur, vt cauſas protrahant, & iuſtum iudicium ſubuertant, ſic exclamat. [Quid tibi vis cum libro, & charta, & ſignaculo, & conſcriptione, & vinculo iuris? Non audiſti, ſolue omnem colligationem iniuſtitiæ; diſſolue obligationem violentarum commutationum, dimitte confractos in remiſſionem, & omnem conſcriptionem iniquam dirumpe? Tu mihi tabulas affers, ego tibi recito Dei legem. Tu atramento ſcribis, ego Spiritu Dei inſcripta repeto oracula Prophetarum.] Quæ ſcilicet iniuria alterius abſtinendum mandant, & cuique liberum iuris ſui vſum permittendum; quod nequaquam ſeruat Aduocatus, ſalebras in plano quærens, & offucias captans quibus cauſam protrahat, ſi quà fortè pateat fraudandi aditus, & exturbandi iure ſuo aduerſarium, vel ſaltem vt diuturna protractione fatigetur.

Familiare pleriſque cauſarum Patronis vitium eſt, interpoſitis iniquè appellatione, litem protrahere. Hoc S. Bernardus lib. 3. de conſid. cap. 2. ſeuerè corripit. Meritóque DD. cauilloſas appellationes inducere, mortalem eſſe culpam tradunt, cum obligatione ad reſtitutionem. Ita S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 3. & ibi Salon & Aragonius; necnon Soto lib. 5. de iuſtit. q. 6. art. 3. & Carbo q. 31. de reſtitut. Nec minor in huiuſmodi cauſarum productionibus, culpa Iudicum quàm Aduocatorum. Iudicibus quippè vel concurrentibus, vel volentibus, locum non rarò habent varia artificia; de quibus ex parte Alex. Neapolit. 5. Genial. cap. 24. Imò in Iudices perfunctoriè aut ex auaritia munus ſuum obeuntes, vniuerſam hanc labem refert Petrus Coſtalius *pag.* 257. ipſe-rens ad hanc litium (vt vocat) immortalitatem, Ægyptiam imaginem ſerpentis in ſeipſum abſque initio & fine conuoluti, vt videre eſt in his verſibus. *Sectio 2. Breuitas in humanis.*

Voluitur in ſe ſe, rurſúſque reuertitur ad ſe Lites.
Serpens, nec finis flexibus eſſe poteſt.
Hæc ſpecies expreſſa fori eſt, hæc forma Senatus;
Dum nequit heu! nimiis litibus eſſe modus
Cumque putas finem tandem inſtare querelis,
Auditur tibi lis quæ fuit vna, duplex.

Et in calce operis, epigrammate de Trocho.

Semet init trochus, & tandem quoque concipit ex ſe;
Alteriúſque opera non eget ad Venerem.
Sic ex lite vna ſenſim lis altera ſurgit.
Hæc venit à noſtris noxia Pragmaticis.

Sed maximè à Iudicibus, in quos ſolos, priore loco in ecphraſi verſibus ſubiectis, culpam retulerat.

Nec alia fuit mens Domnolo ex Abbate Pariſienſi Cœnomanenſium Epiſcopo. Eum Clotarius Rex vt ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſtor. Francor. cap. 9. ad infulas Auenionenſes mortuo tunc Epiſcopo deſignarat. Sed renuit Domnolus; poſt multam cum Deo conſultationem, Regem enixè obteſtatus, ne permitteret ſimplicitatem illius inter SENATORES SOPHISTICOS ac IVDICES PHILOSOPHICOS fatigari; aſſerens hunc locum, humilitatis ſibi eſſe potiùs, quàm honoris. Apparet vrbem Auenionenſem iam à tempore Clotarij eius nominis primi, atque adeò ante annos mille, illuſtratam eſſe nobili Iudicum & Senatorum Sanedrio quod latè iura diceret; ſed ſolemnibus tricarum forenſium argutiis, ſpinoſa, & in immenſum protracta. Cuius abuſionis hodiéque vigentis cauſam, B. Domnolus in Senatores ac Iudices reijciebat, vocans *Sophiſticos*, & *Philoſophicos*; quòd vt moris eſt Sophiſtis ac Metaphyſicis, per ſubtilitates, negotia protraherent, diuidentes, ratiocinantes, concludentes, vt in Lycæo aſſolet. Quæ magna eſt Iudicantium peruerſio, Iudicibus potiùs quàm Aduocatis adſcribenda. Eſſet enim Iudicum tricas præcidere, & litium productores malè mulctare, negatis quas ſine cauſa flagitant iniquis comperendinationibus; vt quos tute vincere non poſſunt, ſubigant faſtidio, ſaltémque ad aliquam iuris benè fundati ceſſionem adigant; aut ſi aliud non poſſunt, mole impenſarum opprimant; & aliorum negotiorum quibus interim vacare nequeunt, incommodatione grauent; præſertim ſi cauſa procul domo agitetur; quòd ſine familiæ incommodo per viri abſentiam ad litem vrgendam nequit exiſtere.

Iudices igitur ſi adeò onerosas cunctationes foueant, vel etiam non præcidant, fortaſſis vt per otium deglubant pauperes, aut vt feſſum adigant ad compoſitionem & tranſactionem cum eo cuius ius non eſt obſcurum, peccant iuxta Cardinalem ad Clement. *Sæpè* §. *& quia* de verbor. ſignific. q. 28. ac Segurum 2. p. director. Iudic. Eccleſ. cap. 9. num. 11. Peccant (inquam) Iudices ſic adigentes ad componendum; nec vtcumque peccant, ſed grauiſſimè contra

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem damnorum ex iniuſta dilatione conſecutorum. Rhadamantus inter ſanctiſſimos Iudices ſemper habitus, celebratur à Platone lib. 12. de leg. quod iudicia obiret breuiſſimè, iureiurando à litigantibus requiſito. Eum Ethnici, Iudicem apud inferos ſtatuerunt. Apud Chriſtum Iudicem verè iuſtum & ſanctum, non minùs exigetur à Iudicibus ratio de litium protractione. Væh itaque Iudicibus, quorum prolixitatem in iudicando cum ſubuerſione litigantium, Deus iudicabit. Oporteret ſanè, Iudices non ſolùm lites ſuccidere; ſed etiam eas execrari, vt notat Bartolus in l. *ab eo* Cod. *quomodo & quando Iud.* & Iaſon in l. *filio pater* ff *de leg.* Speculat. tit. de *offic. omn. Iud.* §. *de ſeruitu.* verſic. *item facit Libellum*, conſentaneè ad l. *quiſquis* C. *de poſtulat.* & l. *quidam aſtimauerunt* ff. *ſi certum petatur.* & l. *properandum* C. *de Iudic.* Quam ergo indignum eſt, vt quorum munus eſt ius ſuum cuique reddere, inferant iniuriam, litis protractione ſtudioſè curata?

Lites.

Video belliſſimè huc cadere quod S. Laurentius Mediolan. in hom. dixit de Publicano. [Quid eſt Publicanus? Nónne caput rapinæ, & lex violentiæ: Quid eſt Publicanus? Prædo ſine pudore, medius exterminij. Nónne immanior furibus Publicanus? Fur namque vel metuens furatur: hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet: hic quidquid fecerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis: hic iniquum malitiæ ſuæ compendium, legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis Iuſtitiæ, Iuſtitiam damnat, & armis innocentiæ, ſpoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege vtique legem peruertit, & dum alios vrget ad legem, exlex eſt.] Mutato in nomen *Iudicis*, nomine *Publicani*, nihil potuit in hanc rem dici congruentius: amentitur enim Iuſtitiæ adminiſtrandæ curam, Iudex qui longis iudicij dilationibus, & non præciſione cauillorum quos Rabulæ fori interponunt, miſeris litigantibus creat exitium; ſaltem adeò illos exugendo, vt plerumque præſtaret causâ cecidiſſe iam ab initio; vel litem nunquam ſuſcepiſſe agitandam. Quæ incommoda præcludere poterat Iudex amans Iuſtitiæ, atque adeò etiam breuitatis cum per cauſam licet.

Neque hoc dico, Iudicem compendia captantem, à præſcripta Iuris forma diſcedere oportere. Tantum enim contendo, præſcindendos cauillos & vanas declinationes iuris alioqui explorati, eſſe præcludendas æquo Iudici; quod in multis præſtare poteſt incolumi forma iuris ſubſtantiali (vt ſic dicam) ad quam ſolam alligatur. Principes verò ipſos qui ſunt ſupremi Iudices, à quibus forma iuris cæteris præſcribitur, par eſſet hoc Deo obſequium & ſubditis ſuis commodum præſtare, vt forma iuris eſſet, quàm fieri poſſet, breuiſſima; & ſi quando Iudices inferiores in re perſpicua minùs in obſeruandis iis quos dicebam formæ accidentariis apicibus accurationem praeberent, indulgere ac conniuere ad tricarum reciſionem. In quam rem ſcitè vir ſanctiſſimæ vitæ æquè ac amœni ingenij Iordanus, primus à Sancto Dominico ordinis Prædicatorum Magiſter, agens cum Gregorio IX. qui delegatos ex eo ordine Iudices, in re explorata non ſeruaſſe formam iuris conſtitutam ægrè ferebat, & de reſcindenda ſententia per eos lata cæteroqui iuſta, cogitabat; ſi (inquit,) ad aliquod extra vrbem Ciſtercienſium cœnobium non via longiore, ſed per prata & viam compendiariam citiùs ac breuiùs pertigiſſem; num à cœnobij ianitore repellendus eſſem, quis pertæſus protritionis viæ longitudinem, ſemitam inieris, citiùs peruenìſſem? Neque igitur, qui per viam iuris nimis longam incedere renuentes, ius breuiter dixerunt, quandoquidem verè & iuſtè dixerunt, reſciſſione ſententiæ ſunt moleſtandi. Cui monito Pontifex acquieuit, vt ſcribit in B. Iordanis rebus geſtis Leander cap. 34.

Sanè eſt par, Iudices omnes ei pro ſua ſarago tricarum reciſione inuigilare, tanquam Iuſtitiæ Sacerdotes, prout nominantur ab Vlpiano l. 1. ff. de iuſt. & iure. Quo eodem modo Symmachus lib. 7. epiſt. 38. Felicem & Minerotium vocat *Iuſtitiæ Sacerdotes.* Vbi Iuretus, *Sacerdotium* ibi ſumi docet pro laudis antiſtitio, & præcipuâ palmarique dignitate. In quem ſenſum accipi item docet eam vocem 2. Reg. 8. cum dicitur, *Filij autem David, Sacerdotes erant*, quod 1. Paralip. cap. 8. his verbis exprimitur, *Filij David, primi ad manum Regis.* Antiqua editio 2. Reg. 8. habebat, *Filij David, Principes erant aula regiæ*, vt notat P. Damiani opuſc. 37. dub. 3. Veriſimillima expoſitio, præter cæteras quas ibi attingunt Serarius, & Sancius. Quod tamen attinet ad Iuſtitiæ Sacerdotium quod Iudicibus tribuebam, nihil eſt neceſſe, *Sacerdotium* interpretari præcellentiam. Sed vox illa referenda eſt ad ſanctitatem muneri Iudicis debitam; ita vt vi illius officij, Iudex non ſecus gerere ſe debeat, quàm ſi quopiam Sacerdotio fungeretur, vt notaui lib. 3. de virtut. num. 40. ex Caſſiodoro lib. 11. var. epiſt. 12. & ex aliis quibus addo eundem Caſſiodorum lib. 6. epiſt. 3. dicentem. [Quoddam Sacerdotium eſt, præfecturæ Prætorianæ competenter agere dignitatem.] Addo etiam Iulianum Imperatorem in longo fragmento ſiue orationis, ſiue epiſtolæ nuper edito, vbi ait. [Ciuiles Magiſtratus quodam veluti Sacerdotio funguntur, quatenus legum ſunt cuſtodes] Indéque infert, parem honorem & cultum Magiſtratibus & Sacerdotibus tribui oportere. Tam ſanctum ergo miniſterium & veluti Sacerdotium, polluit Iudex, cum longitudine litium cauillis & verſutiis protractarum, damna irrogat alterutri vel vtrique litigantium, contra mentem eorum qui partes obeundi iudicij illi crediderunt. Ioannes Rex Aragonum XVIII. referente Marinæo l. 12. de rebus Hiſp. publico edicto conteſtatus eſt, Principem reciſioni longitudinis litium ſtudentem, magnum Deo ſacrificium offerre. E contrario igitur qui hoc negligit, magnam Deo ſedenti in Synagoga Deorum, infert iniuriam, in quam ſerius ocyùs ſtringet vindictæ rigorem. Apud ipſos Ethnicos, boni quique publicæ rei cum ſuprema poteſtate curatores, auertendæ tantæ cladi ſubditorum, & tantæ trucidationi honeſtatis, ſeriò inuigilarunt. Et fuit ſine dubio mens Catonis Cenſorij, qui forum muricibus, id eſt, præacutis lapidibus ſternendum cenſuerat, vt videlicet eo rarè aduentarent litigantes; & qui adueniſſent, haud diu hærerent, acuminibus lapidum offenſantibus tenuiſſimè ſoleatos Romanos. Quod referens Plinius lib. 19. cap. 1. miratur mutatos mores, cum Marcellus Octauiâ Augusti ſorore genitus, in ædilitate ſua, velis forum inumbrauit, vt ſalubriùs litigantes conſiſterent, quos præſtiterat eo nunquam

quam venire, vel ſi venisſent, perbreui hærere.

Et quamquam veriſſimum eſt, ſi de punitione capitali agatur, Iudicem munitum & præmiſſa matura deliberatione eò venire oportere: tamen cum cauſa eſt explorata, quid attinet longa expectatione cruciare reum; cui compendium vexationum eſt, accelerata mulctæ irrogatio? S. Dunſtanus (vt habent eius Acta) falſos monetarios ritè conuictos, ne diutiùs differretur iuſta vltio, ipſo die Pentecoſtes addici ſupplicio voluit, reciſa comperendinatione, quæ ob feſti reuerentiam debita videbatur. Quanto magis alia die non cenſuiſſet differendam punitionem reorum, poſt cauſam ritè diſcuſſam? Neminem latet S. Ambroſium poſt horrendam ſtragem, Theſſalonicenſium, iuſſu Theodoſij per aulicos implanati patratam, Imperatori à ſacris ſubmoto, priuſquàm iiſdem reſtitueretur, præſcripſiſſe, vt legem conſcriberet de executione ſententiarum capitalium, vel publicationis bonorum, ad triginta dies differenda, quæ lex extat l. 13. C. Theodoſ. & l. 20. C. Iuſtinia. de pœn. Eſtque poſtea abrogata per Nicephorum Botoniatem Imperatorem. Verùm præterquàm quod induciæ triginta dierum, ad rem tantam executioni mandandam, poſſunt breues videri, Sanctus Antiſtes in ea procraſtinatione indicenda, rationem habuit præferuidi & præcipitis genij quem in Theodoſio notat. Tametſi enim Theodoſius omni optimi Principis lauda illuſtris erat; tamen celeres ingenij eius motus, prodiderat cædes Theſſalonicenſis. Vnde ne denuò in ferendis grauibus ſententiis impingeret, iuſſus eſt, non vt Auguſtus ab Athenodoro Alphabetum priùs recitare, quàm aliquid durum ediceret, ſed hærere ad dies triginta, vt eſſet retractationi ſententiæ locus; ſi fortè per iram, & æſtum, vel œſtrum animi, peccatum eſſet in ea ferenda. Vniuersè autem eam pro negotij qualitate longam remoram, neceſſariam non eſſe poſt cauſam ritè diſcuſſam, liquet ex vſu ferè vbiuis recepto, & ex Dei ipſius exemplo, cuius Nemeſi ſiue Adraſtiæ, Iuſtitiæ inquam punitiuæ, vt ait Ammianus l. 14. [pennas fabuloſa vetuſtas aptauit, vt adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimetur.]

Ipſam quoque cauſæ diſcuſſionem, par non eſt protendi tantoperè, vt vix vnquam finienda videatur, vt pleriſque Iudicibus vſu venit, ſiue præ ignauia, ſiue prætextu obſcuritatis, aut grauitatis cauſæ, vel multitudinis rerum quæ in ea inuoluuntur. Tametſi enim cum cauſa eſt implexa, & omnino multa complectens, par eſt diſcuſſionem adhiberi maturiorem, tamen tunc quoque adamanda eſt breuitas, quantum negotij ratio patitur. Nullum eſſe aut fingi poteſt iudicium, grauius & plura inuoluens, quàm iudicium quod in fine mundi à Christo feretur, de omnibus & hominibus & Angelis; de factis quibuſuis, de cogitationibus, de verbis otioſis. Et tamen hæc omnia quàm breuiſſimo tempore eſſe perficienda conſtans eſt Patrum & Theologorum doctrina quam Thyræus lib. de apparit. Chriſti ad vniuerſale iudicium cap. 19. num. 59. ſtabilit ex c. 24. Matth. vbi Chriſtus iudicaturus confertur fulguri, vno momento ab Oriente vſque in Occidentẽ elucenti. Addit Suarez t. 2. 3. p. d. 57. ſ. 10. illud Malachiæ 3. *Ero teſtis velox maledicis, adulteris*, &c. perpenſum in hanc rem à D. Auguſtino 20. Ciuit. cap. 26. Iudicium item particulare quod de *Sectio 2.*
tota hominis vita plerumque prælonga inſtitui- *Breuitas*
tur, in ipſo mortis momento, non ante vel poſt, *in humanis.*
regulariter & ordinariè perficitur; vt idem Suarez t. illo 2. diſp. 52. ſ. 2. & Thyræus lib. de iudicio particul. cap. 13. num. 4. demonſtrant quorum hic Lites.
cap. 14. quæ longioribus illius iudicij moris adduci poſſe viderentur, accuratè repellit. Hæc iudiciorum omnium exemplaria, quantum per humanam imbecillitatem licet, par eſt ab omnibus Iudicibus imitatione exprimi; atque adeò par eſt, eas inutiles iudiciorum moras recidere, & in ferendis ſententiis breues ac citos eſſe.

Interdum producit lites nimia & iuſto auctior Iudicum aut Aduocatorum ſubtilitas, qua ſub auctoritate ſcientiæ iuris, creatur plerumque perniciosè, vt latè proſequitur Iaſon ad l. *ſi ſeruum §. ſed quia ff. de verb. obligat.* & DD. paſſim ad l. *in rebus C. de iure dotium.* Fusè Segura in directorio Iudic. Eccleſ. parte 1. cap. 5. qui obſeruat, ferè hoc eſſe vitium Iudicum qui ſtatuentes oculos declinare in terram, actionis ſuæ rectitudinem nimia ſubtilitate peruertunt, obtendentes iniquitati, cauilli alicuius ſiparium. Perpulchrè carpitur hæc labes à S. Gregorio in paſtorali p. 1. cap. 11. vbi cum collaudata fuiſſet diſcretio, additur. [Sed ſunt nonnulli qui dum æſtimari hebetes nolunt, ſæpè ſe quibuſdam exquiſitionibus plus quàm neceſſe eſt exercentes, ex nimia ſubtilitate falluntur. Vnde hic quoque ſubditur, *vel grandi & torto naſo.* Naſus enim grandis & tortus, eſt diſcretionis ſubtilitas immoderata; quæ dum plus quàm decet excreuerit, actionis ſuæ rectitudinem ipſa confundit.] Sicut igitur ſupina vel craſſa hebetudo negotia perfunctoriè diſcutiens, & oſcitanter, finiens quàm celerrimè, iure reprehenditur; ita nimia diligentia lites iuſto longius diffundens, meritò improbatur, vt monuit Albericus ad l. *Diuus ff. de bonis damn.* Et idem traditur can. *porrò §. Salomon*, de pœnit. diſt. 1. Et hac in parte Iudices plerumque grauiſſimè delinquere, admonet Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſ. cap. 41. § 31. & 33. Idem lib. illo 1. artic. 12. querelas nominatim hac in parte cier de foro Romano, atque lites ait eſſe immortales, per artes & logamachias Cauſidicorum, quorum peruerſos mores & affectus incompoſitos latè deſcribit. Proptercáque deſiderat (quod etiam monuerat pridem S. Bernardus) t. de conſid. Pontificem per ſeipſum diſcutere cauſas, & vaniloquia Aduocatorum offundendæ veritati adornata præuidere, breuiter decidendo cauſas, abactis veteratoriis & moratoriis dilationibus, quibus artificio veteranio cauſæ perennant. Quamuis autem diſputatio Aluari eo loco, pertinet tantùm ad lites in Romana curia agitatas, rationes tamen valent vniuerſaliter, & militant pro quouis foro: quia in omnibus per malignitatem Aduocatorum inde exulat iuſtitia vbi deberet maximè vigere, ingenti conſcientiæ damno, & Aduocatorum periculo.

Mihi ſanè extra dubium videtur, cauſam illam expeditiſſimæ damnationis Aduocatorum ac Procuratorum multorum, de qua Annales Minorum, in hanc originem eſſe referendam Ioannes Parm. à Sancto Franciſco Ordinis Minorum moderator Generalis; priuſquam Ordini nomen daret, Iudicem agebat in ciuitate Caſtellonia prouinciæ Romanæ. Proſpiciens aliquando per

fenestram.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

feneſtram, aduertit ſubulcum valdè laborantem in reducendis veſpere ſuibus ad haram. Ægerrimè enim regrediebantur in ſtabulum. Subulci ſocius admonuit ſubulcum, vt ſi vellet porcos quàm celerrimè ſubire ſuile, inclamaret; *Porci, porci, intrate veſtrum ſtabulum, eodem modo quo Procuratores & Iudices deſcendunt in infernum.* Factum eſt, & dicto citiùs, porci ſuile ſubierunt, magno impetu, ac promptiſſimè. Hoc cum aduertiſſet Iudex, tactus dolore cordis intrinſecùs, ac periculum ſtatus ſui attentè conſiderans, munus Iudicis abiecit, & ſæculo valedicens, Minoribus eſt adiunctus inter quos inſigni ſanctimoniæ exemplo conſpicuus, tandem in Generalem Ordinis eſt electus; ex vno verbo per vilem ſuarium iacentem prolato, ad ſanctimoniæ verticem tractus à Spiritu ſancto, dum extimeſcit ruinam celerem, tot tractâtium forenſes cauſas, eáſque prolongantium ad quæſtum ſuum, cum ingenti damno & euerſione partium.

Lites.

Dictum hactenus de litium breuiatione, & cita cauſarum forenſium terminatione per Aduocatos & Iudices. De ipſis verò litigantibus, quàm miſeri ſint, ſi conſultò lites protrahant, nihil attinet dicere: cum hæc ſit triſtiſſima via, quà exitium infertur familiis; præter alia incommoda quæ proſtare Mediolani in Marmore ad ſcalas Palatij, ſcribit Ioannes Neuizanus lib. 7. ſyluæ nupt. & ex Iuone refert Rebuffus f. 1. cõſtit. Reg. *in proœm.* gloſſa 5. num. 134. Nimirum, quod è litibus inimicitiæ progerminant, expenſæ multæ exiſtunt, corpus & animus fatigantur, multæ Dei offenſæ oriuntur, bona & vtilia opera impediuntur. Nec rarò qui ſpem conceperat victoriæ, ſuccumbit; vel ſi euadat causâ ſuperior, ſubductis laboribus & expenſis, nihil acquiſiuiſſe deprehenditur. Quare ſaniſſimum conſilium eſt, vel litem non inire, & auferenti tunicam, dare etiam pallium, iuxta Chriſti conſilium, vel initam ſopire quàm primùm, compoſitione amicabili; ad quod Iudicem teneri (ſi poſſit,) partes inducere, fusè proſequitur ibidem Neuizanus, atque adeò etiam partes ſuapte motu, ferri eodem teneatur. Nec rebus ſemel iudicio legitimo deciſis, poſſunt, tantùm ad faceſſendum aduerſario negotium, litem ex lite ſerere, & iuſtæ ſententiæ obluctari; vt præclarè ſtatuit Rex Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 1. epiſt. 5. ſic edicens. [In immenſum trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur diſcordantibus pax, ſi nec legitimis ſententiis acquieſcant? Vnus enim inter procellas humanas portus inſtructus eſt, quem ſi homines feruida voluntate prætereunt, in vndoſis iurgiis ſemper errabunt.] Itaque ſtatuit, vt in cauſa quadam comitis Annæ, quæ decreta erant, ſeruarentur; rationémque ſubijcit: [quia ſicut nolumus oppreſſis negare iudicium, ita irrationalibus querelis non præbemus aſſenſum. Cogi enim debet vt ſit quietus, qui ſuo vitio renuit eſſe pacificus. Nam & medendi peritus, inuitum frequenter ſanat ægrotum, dum voluntas recta in grauibus paſſionibus non eſt; ſed potiùs illud appetitur, quod à ſalutis Iudice, grauare poſſe ſentitur.] Erĝ pars damnata, cogenda eſt acquieſcere iuſtæ definitioni, exciſis inutilibus tricis atque cauillis, nonniſi ad temeram eius cui victoria adiudicata eſt, excogitatis; quibus inſiſtere, mera iniuria eſt, & obducta velo forenſis iudicij profligatio iuſtitiæ, dum in rediuiuis litibus (vt idem Theodoricus ait, lib. 4. epiſt. 37.) non tam vincendi votum, quàm tenuis aduerſarij quæritur detrimentum: nec abſque diſpendio litigantis, nolentis acquieſcere ſententiæ, & litem ex lite ſerentis. Cui malo proſpiciens idem Theodoricus, iubet ei qui cauſa ceciderat, ſilentium imponi. [Ne longa quæſtio litigantium, non tam augeat patrimonia, quàm euertat; & quod ſit ambitio lucri, cauſa videatur eſſe diſpendij. Gargilianum vicenaria lite diſtentum, ſic mordebat Martialis l. 7. epig. 64.

Lis te, bis decima numerantem frigora bruma
Conterit vna, tribus Gargiliane foris.
Ah miſer & demens! viginti litigat annis;
Quiſquam cui vinci, Gargiliane licet?

Vndecumque verò proueniat litium longa productio res eſt triſtiſſima: Plinius lib. 9. cap. 25. iure crimen appellat. Referens enim poſt Ariſtotelem 2. hiſtor. cap. 14. remoram piſcem, infamem, amatoriis veneficiis & iudiciorum ac litium mora infamem eſſe; addit, *penſare ea crimina vna laude, ſiſtendi fluxus*: Habet ergo pro crimine infamiam inurente productionem litium: Et quamquam Aldrouandus lib. 5. de piſcibus c. 22. § *vſus*, eam remoræ vim, meritò pro fabula habet, nec niſi ex Latino *echneidis* vocabulo, à nauium remoratione (fortaſſis conficta) ſiue piſciculo, conſimile efficacitate videtur malè attributa. Tamen vix ſiue verè, ſiue falsò attribuatur. Plinius *criminis* nomine iure inſigniuit, à quocũque demum proficiſcatur; hoc eſt ſiue à Iudice, ſiue ab Aduocatis aliiſve iuris adminiſtris, ſiue à partibus aut quocumque demũ alio. Eſt enim (vt præmittebam) res triſtiſſima & teterrima, ac inter orbis peſtes meritò numeranda. Videndus Quintilianus Mandoſius in praxi tit. de Ingratitud. cap. 77. Camillus Borellus in Regia Aragonum §. 1. gloſſa 1. à num. 1. & paſſim DD. ad cap. *finem litibus*, de dolo & contumac. Sequitúrque apertè ex damnis & incommodis litium, quæ proportionalia ſunt damnis bellorum; quibus lites reſpondere, inſinuarunt iura: ſiquidem ſcitè Ferrandus Adduenſis lib. 2. explicationum Iuris in l. *Aduocati*, C. *de Aduoc. diuerſ. iud.* comparans litem cum bello; obſeruat ea ex cauſa, in ea lege Aduocatos quoque dici *militare*. [Quid enim (inquit) tantoperè bello ſimile videri poteſt quàm lis & iudicium? Bellum mouent partes, ſimiliter & litem. Ibi duces, quorum Imperio res adminiſtretur; hìc Aduocati deliguntur. Ibi milites operam ſuam præſtant; hìc Procuratores & alieni negotij curatores. Ibi armis contenditur, hìc ſcriptis & teſtibus. Ibi de ciuitatibus & regnis diſceptatur, hìc pariter poſſeſſiones & cæteræ opes in controuerſia verſantur. Ibi ſpeculatores magnoperè proſunt; hìc quoque vt quid aduerſarij cogitent, quid moliantur, intelligatur: Duces ſtratagematis vtuntur; Aduocati conſiliis. In bello vigilantia plurimum iuuat; itidem in iudicio. In hoc igitur tantùm differunt, quod in bello caſus multùm valent, hìc nihil poſſunt. Ibi ſolùm viribus contenditur, hìc ratione. Ibi Iudice fortuna, hìc grauiſſimis viris. Quo fit vt Aduocati ducibus & militibus longè præponendi videantur, cum illi, etiam contra Iuſtitiam, hi verò tantummodò pro Iuſtitia pugnent.] Hactenus Author ille, qui vtinam verè diceret, Aduocatos ſemper pro Iuſtitia pugnare. Quod ſi dicat id ſe

intelligere

ntelligere de debito, déque bonis Aduocatis, dem de ducibus ac militibus dicere adſtringetur: Nam hi quoque ſi boni ſint, & debito ſuo ſaciant ſatis, nunquam pugnabunt niſi pro Iuſtitia. Cæterum litem eſſe bellum quoddam, vltrò damut; & inde infertur, celerem debere eſſe, ſicut bellorum, ita & litium finem. Tanta enim bellorum mala, quanta expoſui in tractatione de homine Dominico Loricato Pronunciato 2. §. 2. Apodixi 10. & fusè Eraſmus, libello cui titulum fecit, *dulce bellum inexpertis*, planè perſuadent, bellum debere quàm citiſſimè finiri; & omnem eius iniuſtam prolongationem, eſſe peccatum longè maximum. Idem ergo ſtatuendum eſt de litium productione, quarum tot & tanta ſunt damna, de quibus varij DD. adducti à Cenedo parte 2. Collectan. ad caput *Calumniam* de pœnis, collect. 60. num. 1. Quanquam ea damna & incommoda adeò cuius explorata eſſe poſſunt, vt nihil attineat in eam rem libros euoluere. Eorum certè conſcius Themiſtocles apud Ælianum lib. 9. var. hiſtor. dixit, è duabus viis quarum altera ad tribunal, altera ad infernum duceret, prælecturum ſe eam; quæ rectâ ad infernum tenderet.

His de litium breuiatione pridem prelo ſubiectis, incidi in Opus Iurga Valentini Vvinier, cui titulus *Parthenius litigioſus*, de breuiandis litibus. Auidè librum arripui, ratus occurſurum quod ad huius puncti illuſtrationem & roborationem conferret. Sed præter ſtoices indigeſtarum farraginum, & denſa in Miſſam, in Papam, in Ieſuitas conuicia digna plagis, nihil ſelectum & notatu dignum reperi.

XI. *Longa & tarda ægritudinis medicatio ſecurior, ideóque præferenda.*

SVnt, qui cum infirmitate grauantur, præ impatientia doloris, aut vt feſtinè redeant ad ſolita munia, vrgent Medicos vt celerem curationem admoueant, & magno impetu expugnent ægritudinem; quibus ſi indulgentior Medicus obſecundet, tantùm abeſt vt optatam valetudinem citò recuperent, vt potiùs in longè grauiora incommoda incurrant. In primis, quia violentia Pharmacorum, quæ ad expugnandum præproperè morbum admoueri necesse eſt, non poteſt non labefactare corporis habitum, illúdque malè afficere. Deindè quia morbi contumacia, cum mulcenda fuiſſet lenta & longa applicatione remediorum quibus morbi vis pedetentim acciſa faciliùs vinceretur, ſubito illo impetu quaſi exacerbata, aduersùm vim infeſtam connititur, vnde deterior hominis ſtatus: ac plerumque pro leuicula febri, quæ intra aliquod tempus reſtincta fuiſſet, in ægritudinem aliquam incurabilem inciditur. Quanto ergo conſultius fuiſſet, non agi præcipitem impatientia, nec furere aduersùs morbum, ſed molli ac lenta curatione eum frangere? Vix itaque alibi vſpiam opportunius occinitur, *Feſtina lentè*. Hoc & Medico curationem admouenti, & ægro expetenti ſanitatem, debet eſſe quàm commendatum. Vterque enim omnia ad ſanitatis conſecutionem apta, catenus curare debet, vt tamen ſpatium domandæ per otium ægritudinis, ne vnâ æger vaſtetur, nolit prætermiſſum. Habet hîc locum monitum Siracidis c. 2. *Ne feſtines in tempore obductionis. Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* Tempus morbi, eſt tempus obductionis, ſiue nubilum: éſtque hominis humilitas & deiectio. Itaque ad eam humilitatem depellendam, non eſt ægro feſtinandum; ſed quod Deus vult hominem pati, ferendum eſt, ſubiungenda patienter voluntatem noſtram diuino decreto, vt vita vlteriùs prorogetur. Non quod omnia curationis media conuenienter non ſint adhibenda; ſed quod per patientiam expectanda ſit morbi depulſio; quæ per feſtinationem, non ſit morbo ipſo damnoſior. De hoc argumento legendus Antonius Gazius in Florida corona cap. 292. & 293. confirmans reſolutionem propoſitam, prolatis variis locis Hippocratis, Galeni, & Auicennæ; necnon allegato Ariſtotele 1. problem. q. 8. ſubitas corporum alterationes ad medendum, damnante.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Medicatio.

§. 2. *Artificioſa morbi per Medicos aut Seplaſiarios productio, ſpecie benignæ curationis, perfida eſt & iniuriâ referta.*

EST genus inſidum, quod *Medicorum* nomen iniuriâ præfert, cum carnificum potiùs tortorúmve nomine ſint donandi. His vt in rem ſuam, & auctiorem quæſtum producatur morbus, ſolemne eſt, ementiri ſtudium non opprimendæ per citam curationem naturæ. Atque ita in longa tempora protelant infirmitatem; quam fas ſit breui tempore excludere, ſi mens non læua fuiſſet, eóſque auaritia vndecumque lucrum captans non obcæcaſſet; & quod exercitatione vel familiari quopiam remedio curabile erat, nonniſi poſt longa tempora curatum voluiſſent, petitis è Pharmacopolio artefactis ingentis pretij, quorum operoſa ſit & longa confectio.

Difficile ſit percenſere quanta in vno facinore ſint crimina. Nam & Charitas eo agendi modo violatur, & Iuſtitia, & debita ex munere fidelitas. Charitas quidem, quia amor proximi ferebat vt ægri morbo atque doloribus, lenimentum citum, ſi morbus patiebatur, beneuolè adhiberetur. Iuſtitia verò, quia & damnum irrogatur ægro corpori, diuturniore illa vexatione; quæ malignè fouetur; & crumena eo truculento artificio, dolo inanitur. Denique peccatur in debitam Medici ex munere fidelitatem, ex qua iniiciebatur obligatio admouendi ſincerè curationem. Itaque Medicus artificiosè producens morbum, & grauiſſimè delinquit, & obligatur ad reſtitutionem impenſarum in quas per fraudem induxit, & damnorum conſequentium illam infidelitatem. Ita diſertè Binsfeld. in cap. 9. de iniur. & damno dato q. 11. concl. 6. poſt S. Antoninũ 3. p. ſummæ tit. 7. cap. 2. Syluestrum V. *Medicus* q. 1. dicto 3. Condronchum lib. 5. de Medico Chriſtiano cap. 10. & paſſim alios. Feriunt hanc malignitatem, Medici curationem ægri meditato differentis, illa Tertulliani lib. 1. in Marcionem, cap. 22. [Quid tam malignum, quàm nolle prodeſſe cum poſſis? quàm vtilitate cruciari, quàm iniuriam ſinere. &c.

Sectia 2. Breuitas in humanis.

Quid de tali Medico iudicabis, qui nutrlat morbum mora præſidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo precioſiùs aut famoſiùs curet.]

Negutia.

Nec poteſt pro Medico vltro & ſine cauſa curationem differente vt pretioſius aut famoſios curet, id eſt vt plus lucretur, quàm ſi citò curaret; & celebritatem maiorem conſequatur longa ægritudine diſtentum ſanando; non poteſt inquam pro tali Medico vrgeri exemplum *Dei, Galeni Maximi*, (vt eum Piſidas nominauit,) qui infirmitatem, qua magnus in terris ægrotus laborabat, ad multa ſæcula dimiſit inſanatam, cum poſſet iam à ſæculi initio adhibere remedium, miſſo iam ex ſæculi initio, ad ſanandum ægrum hominem, Chriſto ſuo: ſapientiſſimè enim & ex ſumma arte medica, Deus plenam curationem dilato Chriſti ſui aduentu diſtulit; quia carcinoma nondum maturuerat; nec ſcalpellum ante maturationem humoris corrupti admouendum erat; quod maiore cum damno ægri efficeretur, vt ratiocinatur Gregorius Nyſſenus in Orat.Catech.cap.29. & egregiè quoque Orat. de Natiuit. Chriſti *ſub initium*, ac multi Patres ſuo loco producti tractando de congruo tempore Incarnationis. Itaque nihil in eo exemplo Medicis præuaricatoribus ſeritur, aut metitur.

Iura Canonica & Ciuilia, huiuſmodi præuaricationem aorerſantur; & plectendam decernunt, quod benè præter cæteros attigit Ioannes de Capiſtrano in ſpeculo conſcientiæ tractat. de vltimo ad perſonam Iudicis pertinente, n.546. *pag.mihi* 363. Statuit enim, Medicum, qui ſciens ac volens omittit dare debitam medicinam, peccare; ſicut ſi ex malitia propinaret indebitam. Itaque iuxta eum, Medicus qui ad augmentum lucri, vel ad alium quemcumque finem extrinſecum, contra artis præſcripta ſe gerit erga ægrotum, vt diutiùs morbo diſtineatur, aut relabatur in ægritudinem, extraordinariè puniendus decernitur; vt ex l. *Medicus, ff. de var. & extraord. cog.* tradunt Hoſtienſis & Anton. ad cap. *tua nos*, de homicid. & Ibidem Innocentius. Eodem faciunt quæ habent, Gloſſa, & Archidiaconus ad cap. *ſi quis adeò*, 3.q.7. vbi ſuppeditatur optimum argumentum ex comparatione Medici cum Aduocato, qui grauiſſimè delinquit & grauiter puniendus decernitur, cum de induſtria lites protrahit, vt videre eſt l. *properandum*, C. de Iudic. Videnda inſuper quæ in Medicum præuaricatorem, & longa curandi ſpatia vltrò captantem, colliguntur ex iis quæ notant DD. ad l.1. ff. *de var. & extraord. cog.* & l. *Medicos*, C. *de profeſſ. & Med.*

XII. *In rebus agendis, vt proſperè cedant, neceſſaria cunctatio, & longa mora; celeritas & feſtinatio exitialis.*

GRauiter hoc admonet præcipitem filium Sapiens pater 10. Theb.

—— *Ne frana animo permitte calenti,*
Da ſpatium, tenuémque moram, malè cuncta miniſtrat,
Impetus.

Dixit hoc ipſum aliter Thucid. lib.3. [Duo aduerſiſſima rectæ menti, celeritas, & ira.] Tacitus quoque 5. hiſtor. ſcelera impetu, bona conſilia, morâ valeſcere affirmauit. Item Liuius lib.31. ex Democriti Ætolorum Prætoris viri prudentiſſimi ſenſu, ait, nihil magnis conſiliis tam inimicum eſſe, quàm celeritatem. Idem l.22. ex ſenſu magni Imperatoris Fabij, cum de Annibale. [Omnia non properanti, clara; feſtinanti, improuida & cæca.] Hoc eſt, quod habet parœmia; *Canis feſtinans, catulos cæcos parit.* Cunctationem Fabij celebrat immenſum Florus lib.2. cap.11. & Silius lib.16. & Liuius lib.21. Adamandæ ſupra celeritatem cunctationis, rationem ſuppeditat Ariſtoteles 7. Phyſic. cap.10. quia quæ quieta eſt, reſidérque anima, ſciens fit ac prudens: quæ verò præceps & feſtina eſt, nihil liquidò perſpicit in eo cogitationum tumultu, ſed præ multa caligine iudicio offuſa, fœdè impingit. Hoc rectè vidit Seneca tractans iræ remedia lib.3. de ira cap.12. [Nemo (inquit) ſe differt. Atqui maximum remedium iræ, dilatio eſt, vt primus eius feruor relangueſcat, & caligo quæ premit mentem, aut reſidat, aut minus denſa ſit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantùm dies molliet: quædam ex toto euaneſcent. Si in hoc erit petita aduocatio, apparebit iam iudicium eſſe, non iram. Quidquid voles quale ſit ſcire, tempori trade. Nihil diligenter in fluctu cernitur.] Dabit alia in hanc rem Lipſius 3.polit.c.8. Illud Iſidori Peluſiotæ lib.5. epiſtol.170. meritò non prætermittetur. Scribens enim ad Timotheum, qui ſubuerebatur aliquod gloriæ detrementum ex cunctatione in operis honeſti exercitio, ſic habet. [Noris oportet, longè id eſſe vtilius, quod cum tarditate tutum & ſecurum eſt, eo, quod cum celeritate eſt periculoſum. Nam non minus, ſed & magis illuſtres ſunt, qui conſulto conſilio & cunctabundè ſimilia opera faciunt, quàm qui ob celeritatem celebrantur. Hi namque, & facultatum, & corporum impendio viciſſe videntur: illi verò ſine vllo detrimento victoriam decerpunt. Et hi quidem puram ſollicitudinis ac tædij voluptatem non habent: illi verò ſyncerum ac liquidum animi gaudium percipiunt.]

Non eſt prætereundus Apologus, quo cunctationis commoda in hunc modum aperit quiſquis demum Author, Cyrillus lib.1. Apologorum moralium c.12. [Cum agiliter equus hinc inde diſcurreret, onuſtum bouem obuium habuit grauiter incedentem, cui dixit: Quid diuiſa eſt tibi vngula, cum ſub tanto pondere, magis tibi nunc eſſet ſoliditas opportuna? Cui ille reſpondit. Nimirum qui me condidit, hoc prouidit vt ſemper lens procedam, quo ſub onere, magis incedam ordinata grauitate. An ignoras quod ſæpè periclo à pede celeri deriuetur? Nam mortalia omnia, plena ſunt periculis. Quare vbique oportet cum grauitate incedere, vt poſſis ſtatuto pede vno, vbi ponendus ſit alius, ſalubriter prouidere. Similiter tarda ſapientia eſt hominibus: nam ſenſibus membriſque mortalibus aggrauati, ſapientiæ lumen abſconditum, in altiſſimis ſitum, longis temporibus vix attingunt: & ob hoc quanto maturiùs eam quærunt, tanto ſecuriùs inueniunt. Nos verò ſi grauitate tarda incedimus, moderatiùs laboramus, & hoc quod agimus, lucidiùs intuemur, & quieſcente anima, cuncta meliùs iudicamus. Nam & ſapientia attingit

attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter. Quamobrem ſi cum tarditate procedimus, velociùs id quod intendimus, expedimus; quia hôc modo lucerna prudentiæ ducimur, qua per directum veritatis, amoris deuiis, meliùs fini operis prouidemus. Nónne mutari cœleſtis facies non videtur, & tamen rapidiſſima regularitate defertur? Repentinum ſagax natura non patitur, & quæ ſubitò ingruunt, plus confuſa mentem ſubuertunt. Immoderato curſu, niſi grauitate præpediatur, nauis diſſoluitur, & feſtinato partu, fertur catulus, natus cæcus. Moderatiori verum imbre, tellus pinguis efficitur, & ordinato greſſu non ſolùm decentiùs, ſed etiam ſalubriùs grues incedunt. Tu autem chariſſime, quia indiuiſa vngula velocior agitatis, ſæpè lapſu confunderis, quo nimirum, etiam immundum animal indicatis. Quo audito, recedens equus, erubuit.]

Cunctatio igitur & mora, eſt admodum commoda, & habet æquè locum hæc veritas in omni rerum genere & ordine. In naturalibus, nihil niſi poſt longas moras perficitur. [Mundus ipſe (inquit Sanctus Ambroſius Epiſt. 12. qua Symmachi relationem euertit) qui vel primum coactis elementorum per inane ſeminibus tenero orbe conerenerat, vel confuſo adhuc indigeſti operis caligabat horrore, nónne poſtea diſtincto cæli, maris, terrarúmque diſcrimine, rerum formas, quibus ſpecioſus videtur, accèpit? Excitæ humentibus tenebris, nouum terræ ſtupuere Solem. Dies in exordio non refulget, ſed in proceſſu temporis, incremento luminis micat, & caloris exæſtuat. Luna ipſa quæ Propheticis oraculis *ſpecies Eccleſiæ* figuratur, cum primùm reſurgens in menſtruas reparatur ætates, tenebris noctis abſconditur, paulatímque cornua ſua complens, vel è regione Solis abſoluens, clari ſplendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus, terræ ante neſciebant; poſt vbi imperare atuis ſollicitus cœpit Agricola, & informe ſolum veſtire vinetis, ſylueſtres animos domeſticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipſius ætas prima, quæ nos viſu parili colorauit, nuſu gignentium: ſed in proceſſu, lapſuris floribus vernat, poſtremis adoleſcit fructibus. Nos quoque æui rudes ſenſus habemus infantiæ, ſed mutati in annos ingenij rudimenta deponimus.]

Quod ſi aliqui ante tempus deponant, & præcoci ſapientia miceant, vt Oſiris cuius pueri alatum ingenium, exhibet Syneſ. lib. 1. de prouid. ſuſpicionem mouent breuis vitæ, vt Cato Cenſorius apud Plinium lib. 7. pronunciauit; & Ceſtius apud Senecam lib. 1. controu. 1. agens de Alſii Flauij ingenio. Vnde illud ab Apuleio Apolog. 2. ex neſcio quo Poëta prolatum,

Odi puerulos præcoci ſapientia.

Quod ipſe quidem aliò torquet; paſſim tamen vſurpatur ad ſignificandum, ſapientiam præcocem eſſe argumentum citæ mortis, vel hebetudinis pueri, ſi vita ſit ſuperſtes ad longum tempus. Nimirum ſi puer ſapiat, ea tempus præmittens ſapientia, indicat, ſiccum ſupra debitum modum eſſe cerebri habitum: quod ſi more ſolito humectet, obnubilatio rationis vt in pueris ſolet, conſequetur. Itaque nimia pro ætate cerebri ſiccitas, temperiem non vitalem indicat; habétque tunc locum illud Senecæ in conſolat. ad Marciam cap. 23. [Quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat. Eripit ſe, aufértque ex oculis perfecta virtus. Nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citiùs extinguitur. Viuacior eſt qui cum lenta difficilique materia commiſſus, fumóque demerſus, ſordido lucet. Eadem enim detinet cauſa, quæ malignè alit. Hinc ingenia, quo illuſtriora, eò breuiora ſunt. Nam vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. Fabianus ait, quod noſtri quoque parentes videre puerum Romæ fuiſſe, ſtatura ingentis viri: ſed hic citò deceſſit, & moriturum breui, nemo non prudens dixit. Non poterat enim ad illam ætatem peruenire, quam præceperat. Ita eſt indicium imminentis exitij, maturitas; & appetit finis vbi incrementa conſumpta ſunt. Ibidem ad eandem mentem c. 18. [Iuuenis citò prudens, citò pius, citò maritus, citò curio, citò ſacerdos, omnis tam propera. Nulli ferè magna bona, & diuturna contingent. Non durat, nec ad vltimum exit niſi lenta fœlicitas.]

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Negotia.

Quod ſi vitales eſſe contingat huiuſmodi feſtinatæ ſapientiæ pueros; tamen cum adoleuerint, ingenio hebeſcunt, quod in Hermogene notatum ferunt. Is enim admirabili vi ingenij claruit in ima ætate, ita vt annos natus octodecim, Rhetoricam conſcriberet omnibus admodum probatam; & ad eum audiendum non modò magni vir nominis Muſonius, ſed ipſe quoque Imperator adiret. At idem nulla euidenti cauſa, ſub annum ætatis quartum & viceſimum, omnium rerum oblitus, & mente lapſus; comprobauit illius effati veritatem, de odioſa præcoci ſapientia & infœlicitate, citò ac præmaturè florentium ingeniorum; quod fuit etiam Fabij iudicium lib. 1. Inſt. c. 4. Cuius etiam ſunt illa in hanc ſententiam eximia. [Celeriùs occidit feſtinata maturitas: & eſt neſcio quæ inuidia, quæ ſpes magnas decerpit, ne vltra quàm datum eſt, res prouehantur. Itaque periti agricolæ prohibent frugum præcociam in nouellis arbuſculis, donec robur quoddam capiant, & radices altiùs fundum petant, & firmiùs hæreant, adeóque ſuccus valentior in ramos diffundi queat.] Eodem recidit vulgatus verſiculus.

Qui ſapit ante pilos, vix ſapit ille diu.

Corporum incrementa feſtinata, non vacant infœlicitate. Audi Solinum cap. 5. [Non omiſerim Salamiam Euthymenis filium creuiſſe in triennio tria cubita ſublimitate; ſed inceſſu tardo, ſenſu hebeti, robuſta voce, pubertate feſtina: ſtatímque obſeſſum morbis plurimis, immoderatis ægritudinum ſuppliciis, compenſaſſe præcipitem incrementi celeritatem.] Fœminæ quia viris ſunt infirmiores & debiliores, citiùs faciliúſque perficiuntur. Vnde ſicut citiùs gignunt, ita citiùs ſeneſcunt, vt notauit Ariſtoteles 4. de generat. anim. cap. 6. & lib. 7. hiſt. cap. 3. ac Columella lib. de arbor. cap. 3. Indéque petenda eſt ratio, cur legibus, fœminæ biennio citiùs tutela liberentur; non ob virorum feſtinationem, vt ineptè Macrobius l. 1. in Som. c. 6. ſed ob cauſá propoſitam, quæ à grauiſſimis Iuriſperitis eſt aſſignata. Baldo l. *qua ætate* ff. de Teſtam. ioan. Andr. &

Sectio 2. Breuitas in humanis. Hoſtienſi C. *literas* de deſponſat. Impub. Panormitano & Card. Alexandrino cap. *ibi non eſt*, eodem. Videndus Antonius Contius lib. 2. lect. ſubſec. cap. 12. & Tiraquellus ad lib. 6 connub. n. 38. è quorum diſcurſu conſtat, quæ celeriùs perficiuntur,

Negotia. eſſe imperfectiora. Ex pomis idem confirmat Theophraſtus lib. 4. de cauſ. plant. cap. 9. & 11. Nam poma robuſta tardiùs matureſcunt, quàm imbecilliora. Imò vniuerſè Leuinus Lemnius l. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 39.] In omni (inquit) ſtirpium genere ac fructibus, obſeruamus, ſerotina quæque diutius aſſeruari; quæ verò feſtinantiùs matureſcunt, flaccida, vietáque fieri ac putredini obnoxia; celeriùs ſiquidem occidit feſtinata maturitas.]

In ipſis ſcriptionibus probatur tarda maturitas, ita vt non cenſeatur expedire, ſcriptorem cum primùm ad ſcribendum appellit animum, ea nitere iudicij in ſcribendo laude, quam conſummatus Author obtinet. Qua de re pulchrè pronunciauit Actius apud Agellium lib. 13. cap. 2. cuius hæc eſt narratio, de Actio Poëta, ad Pacuuium grandem iam ætate Tragicum digreſſo, eíque Tragœdiam ſuam cui nomen *Atreus* communicante. [Tum Pacuuium dixiſſe aiunt, ſonora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet, & grandia, ſed videri tamen ea ſibi duriora paulùm & acerbiora. Ita eſt (inquit Actius) vti dicis, neque id ſanè me pœnitet. Meliora enim fore ſpero, quæ deinceps ſcribam. Nam quod in pomis eſt, itidem (inquit) aiunt eſſe in ingeniis; quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & iucunda; ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia; atque ita in principio ſunt viuida; non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur viſum eſt in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.]

Deus vniuerſæ ſapientiæ metrum, & idea, eodem quaſi ſtylo & in naturæ & in gratiæ operibus vſus eſt, ac etiamnum vtitur. [Nihil ſine ætate eſt (ait Tertul. lib. de vel. Virg. cap. 1.) & omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes; *Tempus* (inquit) *omni rei.*] Perſpiciens id Nazianzenus orat. 1. ſeuerè increpat præproperos aliorum Doctores, homines (vt ait) ad omnia celeres, nec ſatis cautos, facilè ædificantes & diruentes. Theologus è contrario ſic pronunciat. [Nec extrema quidem ſenectus huic rei præſtituta, longum tempus cenſeri debet. Senectus enim cum prudentia coniuncta, imperitæ iuuentuti præſtat, & conſiderata tarditas inconſultæ temeritati, & breue regnum diuturnæ tyrannidi: quemadmodùm & exigua portio maximi pretij multis vilibus & periculoſis opibus; & parum auri multis plumbi libris, & parua lux denſiſſimis tenebris. Alioqui verendum eſt ne lubrica hæc celeritas præcépſque ſtudium, ſeminibus illis nō abſimilis ſit, quæ in petras ceciderunt; & quia terræ altitudinem non habebant, ſtatim exorta, ne primum quidem Solis calorem ferre potuerunt; aut etiam fundamento in arenam iactu, quod pluuiæ ac ventis ne tantillum quidem reſtitit. *Væ tibi ciuitas*, ait Salomon, *cuius Rex iunior eſt.* Idémque rurſus. Ne ſis celer in verbis: minorem ſcilicet rem eſſe aſſerens celeritatem in verbis, quàm feruentem in actione feſtinationem. Et quis eſt qui contra hæc omnia celeritatem priùs quàm ſecuritatem, & vtilitatem expoſcat? Quis eſt qui veritatis propugnatorem, vnius diecula ſpatio, velut è luto ſtatuam fingit?]

In vnoquoque Eccleſiæ membro, gradus, id eſt, incrementa ſenſim facta ſapientiæ & virtutibus aduenientia, Iob annotauit & egregiè expendit S. Gregor. 22. Moral. cap. 21. & 22. qui eodem accommodat viſum, obiectum Ezechieli cap. 47. de viro qui menſus cubitus mille, traduxit Prophetam per aquam vſque ad talos; & rurſum menſus mille, traduxit per aquam vſque ad genua; & repetita menſura ac traductione, primum ad renes vſque pertigit aqua; tum adeò excreuit, vt præcluſa ſit tranſnadatio. Petrus Damiani ſerm. 28. qui eſt de S. Alexio, præter alia, comparationem quoque Euangelicam ex Marci 4. huc aduocat. [Sancto (inquit) cuilibet viro conſummatæ perfectionis repentè tribuitur meritum; ſed ad hoc, paulatim per piæ deuotionis & ſpecialis exercitij peruenit incrementum: & dum mens diuini amoris igne percepto, per cæleſte deſiderium in acta ſuſtollitur, ad perfectionis internæ faſtigium, quaſi quibuſdam aſcenſionis gradibus promouetur. Vnde vir ille ſanctus aiebat; *per ſingulos gradus meos pronunciabo illum.* De his quippè meritorum gradibus dicitur; *Ambulabunt de virtute in virtutem.* De his idem Propheta dum ſanctam contemplatur Eccleſiam, dicit: *Deus in gradibus eius dignoſcetur, dum ſuſcipiet eam.* Nec enim repentè (ſicut dictum eſt) ad ſumma pertingitur, ſed paulatim per piæ deuotionis votum & ſancti laboris exercitium, humana mens ad virtutum ſpiritualium celſitudinem ſubleuatur. Hinc eſt quod per eundem Prophetam dicitur, *exercitatus ſum, & defecit pauliſper ſpiritus meus.* Quid eſt enim, quod ait: *ſpiritus meus*, niſi ſpiritus elationis? ſpiritus carnis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata deſuper menſura proficimus, quo magis quotidie diuinus in nobis ſpiritus creſcit, eò magis noſter, hoc eſt, carnalis deſiderij ſpiritus deficit. Qui nimirum noxius & abominabilis ſpiritus, quia non à nobis ſubitò penitùs amputatur, nec protinus, vt conamur, abſcinditur; rectè *pauliſper*, hoc eſt paulatim, defeciſſe perhibetur. Tunc in Deum plenè proficimus, cùm veraciter à nobis noſmetipſos defeciſſe ſentimus. Hæc autem perfectio creſcentium inſuper virtutum, ſenſim, atque morosè per quotidiani profectus cumulum ad conſummatæ ſanctitatis peruenit incrementum. Electus enim quiſque à rudimenti ſui teneritudine priùs incipit, & ſic ad robuſta poſtmodùm & fortia conualeſcit. Quod apertè veritas innuit, dum in Euangelio dicit; *ſic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi iactet homo ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die; & ſemen germinet & creſcat, dum neſcit ille.* Cuius nimirum ſeminis incrementa denuncians, addidit, dicens: *Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.*

Itaque vbiq; maturitas in negotiis probanda, præpoſtera verò feſtinatio tanquam infelicitatis comes, ablegenda. [Non improbamus tarditatem (ait S. Bernardus epiſt. 144.) quæ grauitatem redolet, leuitatis abolet notam. Nam & Maria, non ſtatim reſpondit Angelo ſalutanti, priùs cogitans qualis eſſet illa ſalutatio. Et Timotheo præcipitur, *nemini citò manus impoſueris.*] Non in igne vehementi, aut in commotione Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis. Sic videmus magnos viros (& coram Domino magnos intellige,) nihil

per æſtum præferuidum aggreſſos eſſe ſed maturè ac cunctanter ſuſcepiſſe omnia, poſt diuturnam animi agitationem, & ſeriam librationem. Prudenter Sanctus Hieronymus lib. 1. in Iouin. *ferè initio*. [Baliſta quantò plus retrahitur, tantò fortius mittit. Non eſt damnum dilatio, vbi certior fit ex dilatione victoria.] E contrario Iulianus, ſpe falſus eſt; cum prudens conſilium, celeritate facere totum tentauit, vt Ammianus lib. 17. memorat. Nimirum vt ſuprà ex Philone lib. de Dei immutabilit. referebam, affinitas magna eſt, etiam vocum Græcarum, inter violentum & breue. Ac ferè quæ violenta ſunt, infœliciter cedunt, nec diu perdurant. Iuxta Senecam lib. de tranquill. animi cap. 1. [Omnium virtutum tenera ſunt principia: tempore ipſis duramentum & robur accedit, etiam quæ in ſpeciem laborant (dignitatem dico & eloquentiæ famam & quidquid ad alienum ſuffragium venit) mora conualeſcit, & quæ veras vires parant, & quæ ad placendum fuco quodam ſubornantur, expectant annos, donec paulatim colorem diuturnitas ducat.] Conſuetudo rebus affert conſtantiam, & iuxta parœmiam, *qui properat, ſeriùs abſoluit*. Vſus eſt eo adagio Plato dialog. de regno & lib. 7. de repub.

Hoc eſt quod Athenienſes, ſcribit Liuius l. 35. monuere Ætolos, cauerent ne Græciam vniuerſam celeritate nimia conſiliorum euerterent. [Conſilia calida & audacia, prima ſpecie læta, tractu dura, euentu triſtitia eſſe.] Paſſim legitur, *callida conſilia*, & *tractatu dura*. Sed legendum eſſe, *calida*, bene vidit Henricus Stephanus lib. 5. Schediaſm. 31. Nam ſimilis macula irrepſit apud Tullium in verbis illis ex lib. 1. offic. [Multos reperies quibus periculoſa & calida conſilia, quietis & cogitatis ſplendidiora & majora videantur.] Codices propè omnes habent *callida conſilia*, & *quietis cogitationibus*. Sed vt contrapoſitio conſiliorum cum conſiliis, qualem ibi inſtituit Tullius conſtare poſſit, legendum eſt, & *cogitatis*. *Calida* item conſilia eo loco à Tullio proferri, componique cum quietis, Nonius Marcellus cap. 4. num. 76. docet, ex Varrone item confirmans, *calidum* dici *citatum & velox*. Itaque calida, id eſt, celerrima conſilia, ſunt pleniſſima diſcriminis; veráque eſt ea ecphraſis loci è Liuio propoſiti:

Inimica conſiliis celeritas omnibus.
Sed ſi qua magni conſilia diſcriminis,
Illis celeritas omnis inimiciſſima.

Romanorum Imperatores duo laudatiſſimi, Octauius Auguſtus, & Titus Veſpaſianus, delectari admodum ſunt alia parœmia verborum tenus, ſed eiuſdem notionis σπεῦδε βραδέως, *feſtina lentè*. Id Latine vno verbo dici (*matura*) cenſet Gellius, lib. 10. cap. 11. De Auguſto feſtinationem temeritatémque admodùm improbante, Græco illo adagio frequenter vſurpato, diſertè Suëtonius. Et idcirco in eius nummis, terminum fulmini coniunctum, conſtat expreſſum, vt tarditas celeritati iungenda ſignaretur. De Tito idem tulit imago eius Ænigmatica, Anchoræ cuius medium ceu temonem, obuolutus Delphin complectebatur. Anchora tarditatem, Delphinus ex Plinio lib. 9 cap. 8. & Oppiano lib. 2. de natura piſcium, perniciſſimum & celerrimi impetus animal; promptitudinem *Sectio 2,* tarditate temperandam, & coërcendam ſignabat. *Breuitas* Theodorum Laſcarin ſua celeritate omnia *in humanis.* turbaſſe, notauit Nicephorus Gregoras initio libri ſecundi. S. Hieronymus ſcribens ad Pammachium, ſimile adagium ex Catone retulit, verbis illis conceptum, *ſat citò, ſi ſat benè*. Omnia Negotiis. ſubita probantur incauta, aiebat Rex Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 1. Epiſtol. 17. De Rege Ludouico Vladiſlai filio, qui ſuis Hungaris breue gaudium, luctus æternus fuit, hæc ſcribit Sigiſmundus Baro in rerum Moſcouiticarum commentario. [De Ludouico vulgò dictum eſt, quod immaturo partu editus, immatura ætate vxori iunctus, & barbatus fuerit; ac regno quoque immaturus, immaturam mortem obierit.] Ominoſam exitialem, cum ipſi Ludouico, tum regno vniuerſo fuiſſe hanc immaturitatem, euenta monſtrarunt.

§. 2. *Mora exitioſa negotiis. Auolat à cunctabundo, benè agendi opportunitas.*

SAlluſtij verbum eſt, ex Iſocratis ad Dæmonicum monitis expreſſum. [Priuſquàm incipias conſulto; vbi conſulueris, maturè opus eſt facto.] Simile eſt illud Demoſthenis exord. 22. probatum Ariſtoteli 6. Ethic. cap. 9. [Conſulere quidem oportet lentè, conſulta vero exequi feſtinanter.] An hoc etiam ſignabat ara ſubterranea Dei Conſi, præſidis conſiliorum, additis ad ſacrificia ſubtus terram celebrata, equitationibus equorum non iunctorum ac etiam iunctorum? Ita recitat Dionyſ. Halicarn. lib. 2. deſcribens raptum Sabinarum, & illuſtrat Syntagm. 5. hiſtor. Deorum Gyraldus. Conſilij enim occulta & cæca captatio, eius maturitatem innuere videtur; Equitatio verò & curſus, executionem celerem, quibus vſi fuerant in Sabinarum raptu Romani.

Commendat hoc quoque Leo Imperator filio lib. de appar. beli. & Emmanuel Palæologus in Parænet. cap. 30. Huc ipſum volebat Socrates, cuius illud erat referente Xenophonte lib. 2. Memorab. eius dict. & factor. [Quidquid agas, promptiſſimè atque optimè, & diligentiſſimè agas.] De Alexandro Magno Q. Curtius lib. 5. cap. 11. dixit. [Nullam virtutem Regis illius magis quam celeritatem laudauerim.] Agnoſcebat Curtius tot victoriarum originem fuiſſe Alexandro, celeritatem impigram. Ipſemet Alexander rogatus quomodò tot regna domuiſſet, reſpondit μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Parem habuit geſtorum claritate & celeritatis laude Alexander, Iulium Cæſarem; quem Tullius ſæpè in Epiſtolis, ab incredibili celeritate collaudat. Iaſonem Theſſaliæ inſignem Ducem, idcircò tam multa perfeciſſe, quòd prius adeſſet, quàm venturus audiretur, ſcribit Xenophon lib. 6. Græcor. De Carolo Martello Stephanus Abbas in vita S. Modoaldi cap. 8. hæc habet, quibus eius in negotiis pernicitas exprimitur. Patrios tranſiliens limites, antiquas Patrum victorias, nouis excedens, mirabiles triumphos de ducibus ac regibus, de populis & Barbaris nationibus reportauit. Nam & Saracenos, tribus eorum regibus

Sectio 2. *Breuitas in humanis.*

peremptis vſque ad internecionem fudit, vrbéſque eorum famoſiſſimas expugnans, vſque ad fundamenta ſubuertit. Vnde & cognomen *Tudites* à tondendo accepit, eo quod à Sclauis vſque ad Hiſpanos, tot regna, tot vrbes, tot caſtra & oppida, tam Saracenorum, quàm Chriſtianorum, ferrei inſtar mallei tundens propitio Deo tranſuolaſſe dicitur potiùs quàm ſuperaſſe.

Negotia.

Nec ſanè eſt in bellicis negotiis momentum par exequendi celeritati vt Onoſander in ſtrategico cap. 39. benè monuit, necnon Vegetius lib. 4. cap. 31. & exemplis illuſtrat Bleſenſis Epiſt. 121. *in fine.* Notum illud Lucani, *Semper nocuit differre paratis*, & illud Heſiodi, *Dilatorem hominem oppugnant incommoda ſemper.* Conclamat item in cunctationem bellicis rebus illatam, Virginius Tribunus plebis in calce ſuæ orationis ad Senatum, quam repræſentat Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 10. Et ſimile eſt quod apud eundem habetur lib. 6. in oratione Agrippæ Menenij ad Senatum. Audendo agendóque creuiſſe rem Romanam, non his ſenſibus ac conſiliis quæ timidi *cauta* vocant, ait Magiſter Equitum apud Liuium lib. 22. Sed quod ibi ex felicitate Fabij qui dictus eſt ab Ennio, rem cunctando reſtituiſſe, celeritas in bellicis rebus oppugnari videtur, facile eſt clauum clauo trudere. Nam præter iam recitata exempla eorum qui promptitudine & celeritate aſſecuti ſunt prænobiles victorias. Nigrum cunctando omnia perdidiſſe, Seuerum impigra celeritate nihil non effeciſſe; Herodianus libr. 3. notauit. Venantij Patrem laudat Caſſiodorus lib. 2. cap. 15. quod prudentiæ ratione flammatus ſic eſſet ad repentina ſolicitus, quaſi per moram crederetur inſtructus.

Sed ſuppetunt recentiora multa, & apud Laonicum in colloquio Amurathis & Charatini, aliáque propè calentia, in quibus notatum eſt plumbeis hominibus, dum nimium ſapere volunt, omnia infœliciter cedere præ tarditate; contra verò accidere volucribus ingeniis; quæ impigrè feruntur in executionem conſilij animo præconcepti. [Rectè Profectò (ait laudans Theodoſium Latinus Pacatus.) Germana illa Pictorum, Poëtarúmque commenta, victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non curſus eſt, ſed volatus.]

Minima malorum exordia, quæ improuidi, plerumque præ nimia ſecuritate, ob rei paruitatem, dum deſpiciunt, fouent; & ad immane incrementum perduci ſinunt, celeritate ſapientis viri nec impigri oppreſſa fuere, quibus cunctatio vires ſubminiſtraſſet, atque exitij materiam. Idem Pacatus teſtis eſto. [O quam paruis (inquit) veniunt ſumma mala principiis. Sic in vltimum propè Italici generis excidium, effracto Cn. Lentuli ludo, Mirmillonum agmen emicuit; ſic bella conſulibus ancipiti Marte pugnata, Cilix pirata conflauit. Sic tenentibus arma fugitiuis, Romana diu pila ceſſerunt ferro ergaſtulorum. Quis non ad primum noui ſceleris nuncium, hominem riſit? Nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cum pauci homines & Inſulani, totius incendium continentis adolerent, & regali habitu exulem ſuum, illi exteriles orbis inducerent. At quantos parturiebat fortuna motus, quantum Reipublicæ malum peſtis augenda, quantam tibi gloriam reſtinguenda ſeruabat.] Itaque cunctatio vel negligens, vel pigra & ſegnis, ex parua ſcintilla magnum fouet incendium, quod celeritas præuenit potiùs, quàm excitatum ægrè reſtinguit.

Ad priuata quæque negotia conficienda, & augendam rem familiarem, gradúmve aliquem inſignem ineundum, nihil opportunius celeritate impigra, moras excludente, iuxta illud Prouerb. 22. *Vidiſte virum velocem in opere ſuo? Coram Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles:* hoc eſt promouebitur, & præficietur etiam illuſtribus viris. Nam ſi domui tantùm ſuæ præeſſet, non eſſet niſi ante perſonas ignobiles, id eſt obſcuro loco ſatas, atque priuatas. Ipſe autem præ alacritate & agendi celeritate, maximis quibuſque negotiis præficietur; & ſuberunt ei magnates, tanta erit eius apud Regem prouectio.

In omni opere bono, celeritas in laude eſt; & è contrario cunctatio, idem propè quod operis dimiſſio. Quod agnoſcentes Stoïci, cunctationem dixerunt fontem eſſe omiſſionis, vt eſt apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 4. quæſtione de Stoïcis dogmatibus. Et hoc planè eſt quod Sapiens admonebat. *Qui mollis eſt & remiſſus*, atque adeò tardus & cunctator in *opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Nihil enim procliuius eſt, quàm vt diſſipet, id eſt vel dimittat, vel aliter euertat opus bonum ſuſceptum, qui in eo exequendo languet, & moras trahit: è contrario impigrè & alacriter operanti, omnia cedunt feliciter. Et hoc quoque Spiritus ſanctus elocutus eſt per Ieſum Sirach. cap. 31. cum dixit; *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi*; id eſt planè nulla te infirmitas vel calamitas atteret; ſed omnia quæcumque facies proſperabuntur.

XIII. Pace longa nihil optabilius atque felicius.

QVid enim in humanis pace dulcius? Intelligi id facile poteſt ex belli incommodis, quæ tot & tanta ſunt, vt nulla oratio illis recenſendis par eſſe queat. Mandabat Apoſtolus 1. Timoth. 2. orationes fieri pro Regibus, vt fideles eorum muniti potentia, quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate, & caſtitate. Græca vox, quam vulgatus per *caſtitatem* expreſſit, eſt *σεμνότης*, quæ iudice ibi Theophilacto, ſonat *honeſtatem*, nec modò comprehendit caſtitatem illuuiei carnis aduerſantem, ſed etiam ſanctimoniam, & morum rectè compoſitorum decentiam. Iungit autem hæc Apoſtolus cum vita quieta & tranquilla, qualis in pace exigitur; quia vigente bello, nullus eſt pietati, & caſtimoniæ ac morum honeſtati locus; vt optimè ad eum textum monuit creditus Ambroſius. Templa quidem & ſacra omnia profanantur, expilantur delubra, euertuntur aræ, homo ſanguinem & odia ſpirat: inter quæ quis poſſit eſſe ſenſus pietatis, & erga diuinum cultum propenſio? Æquè peſſundatur caſtitas, in Virginum violatione, & Matronarum fœdatione, omniſque morum honeſtas concidit, militari furore & licentia fœdéque omnia miſcentibus, in quam rem fusè Eraſmus, ea lucubratione cui titulum fecit, *Dulce bellum inexpertis.*

Pax ergo quæ omnia hæc mala profligat, eximium

minum omnino eſt bonum, quod nulli vnquam ſatis celebrent Panegyrici. Eáque eſt cum Chriſtianorum Doctorum, tum Sapientum inter Ethnicos, vnanimis ſententia. Ex noſtris Naz. variis de pace orationibus, & Nyſſenus orat.7. de beatitudine. Chryſologus ſerm.149. paſſimque alij. Inter externos benè Ariſtides cap.2. orat.3. & 4. Dio Pruſæus orat. 40. quamcunque pacem bello optabiliorem pronuncians: & orat.37. vbi multa paucis in hunc modum conſtipat. [Ne diuina quidem ſenſimus ſigna, quæ nos docent, etiam laude propoſita concordes eſſe. Etenim caduceatores, à Dijs miſſi dicuntur. Atque ideò apud nos pax à caduceatoribus annunciatur: bella autem ferè pleraque non denunciata geruntur. Et nudi legatione funguntur ad armatos, pro pace; neque illorum quemquam iniuria licet afficere, vt qui Deorum ſint miniſtri, quicunque amicitiæ nuncij ſunt. Et quum exercitus congreſſi fuerint ad prælium, ſi repentè Deorum prodigia appareant, aut terræ fiat concuſſio, auertuntur ſtatim homines, atque diſcedunt alteri ab alteris, tanquam Dijs prohibentibus in pugnam congredi. Belli autem ſignum diuinitus dati, nullum eſt deprehenſum. Et quæcunque hominibus iucundiſſima ſunt, atque felicitatis ſigna, ea omnia facimus poſtquàm facta eſt pax; ſertis ornamur, ſacrificamus, diéſque faſtos agimus. Contraria verò omnia fiunt in bellis, quemadmodùm in luctibus: concludimur inter portas, metuimúſque omnia, imò & de nobis ipſis deſperamus: túneque mulieres pro maritis plorant, & gnati pro patribus, vt in maximis calamitatibus.] Cum tot & tanta ſint pacis bona, nemo non videt quàm optandum ſit, longa pace potiri. Bonum enim quò diuturnius eò melius. Nihil itaque felicius pace longa, ac ſi fieri poſſet, perpetua, & ſempiterna.

§. 2. *Pax decrepita, vel etiam annoſa, exitialis, & bello pejor.*

DEprehenſum id eſt in Romanis; qui rerum potiti ſunt, quandiu fuere bellis exerciti. At vbi altam pacem adepti, luxui ſe dediderunt, ſubacti ſunt, & partis bello decoribus exciderunt. Quod præſentiens Cato, obſtitit pro viribus ne Carthago euerteretur, timens ne Romana iuuentus, pacatis vndecunque omnibus, belli ſtudia dediſceret, & otio diffluens ſolueretur in luxum, cum aperta ſubneruatione Reipublicæ mox ruituræ, vt reipſa eſt conſecutum. Senſit id quoque Epaminondas, cum Meneclidem pacis buccinatorem, & Græcos à bello auocantem, ſugillans, dixit. Decipis, & ciues tuos ſub otij ſpecioſo nomine ad ſeruitutem vocas. Nuper Sinæ, longo (vt ita dicam) ſitu & veluti marcore pacis, adeò emolliti ſunt & effœminati, vt numero licet propè infiniti, à paucis Tartaris bello aſſuetis fracti ſint? & cumulaſſent victorias Tartari, niſi modica Luſitanorum fœderatorum manus accurriſſet, à qua repreſſus eſt Tartarorum impetus, & Sinarum regio, ab hoſtilibus armis, queis opprimebatur, tum liberata; ſed tandem oppreſſa. Nimirum ex diuturna pace ſecuritas, ex ſecuritate effœminatio, & inexperientia ad agendum contra hoſtes. Inde ad minimum incurſum hoſtilem, contritio & clades immedicabilis.

Itaque pax breuis de ſuis diffiſa viribus, atque adeò nunquam ſecura, ſempérque erecta animo in malorum ab hoſte impendentium præcluſionem, tutior & commodior eſt, pace marcida atque vieta. Simile eſt quod Aſcetici tradunt, ſtrum animi valde diuturnum, & perpetuam malaciam, debere eſſe ſuſpectam; & in maiore eſſe periculo, quàm pacem interturbatam. Medici haud aliter pronunciant de habitudine corporis, nullo vnquam inualetudinis vel leuiculæ, incommodo tentata. In humanis denique nihil periculoſius, quàm nulla vnquam infelicitate grauari. Idem ergo eſt de longa pace. Et ſanè ſi Onoſander cap.9. Strateg. valdè timet cohortibus ad hyberna miſſis, ſi illud tempus in otio exigant; ideoque ſeriò admonet Imperatorem quem informat, vt pacem illam, & quietem breuem, velit eſſe bellicoſam per exercitationes militares tunc vſurpatas, in quam rem optimè diſſerit, (Theodorico aſtipulante apud Caſſiodorum l.1.Epiſt.40.& l.3.Epiſt.1.& 49.) quanto magis diuturnæ paci atque annoſæ timendum eſt? Ferocia corda, pace longa molleſcunt, & eneruantur, ex eodem Caſſiodoro l.3. Epiſt.1.

Sectio 2. Breuitas in humanis.

Negotia.

XIV. *Diu lugendum ſuper mortuo, ſiue probus, ſiue improbus fuerit.*

SI qui mortuus eſt, exceſſit in malo ſtatu, æternis lachrymis deflendus eſt; cecidit enim abſque ſpe reſurrectionis, iuxta illud. *Non reſurgent impij in Iudicio.* Et quamquam reſurgent corpore, tamen ad extenſiorem cruciatum & mortem æternam reſurgent. Itaque vt benè monebat S.Hieronymus Epiſt.25. quæ eſt de Bleſillæ obitu; [Lugeatur mortuus, ſed ille quem gehenna ſuſcipit, quem Tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æſtuat.] Seruatum id à Danide, qui mortem innocentis pueri, ſiccis oculis audiuit: ſciebat enim eſſe cœlo deſtinatum, quia in gratia exceſſerat. Mortem autem Abſalonis in peccato ſuo mortui, inconſiderabiliter defleuit. Notarunt hoc S. Ambroſius orat. de obitu Satyri, & S.Auguſtinus lib.3. de doctr. Chriſt.cap.21. Similiter ergo quiſquis in peccato ſuo moritur; ſi fieri poſſet, lacrymis nunquam ſiccabilibus deflendus eſſet. Et verò ſi is qui ſuperſtes eſt, quando adhuc ſpes ſuperat reueniendi ad mentis ſanitatem, omnium lachrymis deflendus eſt, iuxta Chryſoſtomum homil. 23. in ad Hebræos *in morali*, quantò acerbiùs deflendus erit, ſuper quem vrſit puteus os ſuum, & præciſa omnino ſpe emergendi, irreparabiliter cecidit?

Si autem qui mortuus eſt, vir probus fuit, lugendum quoque, & fortaſſis acerbiùs ac diuturniùs. Neque enim vicem illius, ſed ſuperſtitum dolere par eſt. Egregiè enim Philo quem expreſſit S.Ambroſ.lib.2. de Abel, & Caïn cap.3. monſtrauit, quantum ſit orbi præſidium in prorogatione vitæ ſancti viri. Præter innumera ſiquidem bona opera & exempla quibus homines iuuat & informat ſua præſentia ad omnem ſanctitatem, admiſtio eius cum mortalibus, objectiuè Deum mouet ad conferenda maxima bona, & auertenda mala grauiſſima, qua de re ego pleniùs cum de Fraternitatis literis. Nouerat hoc Stilico cum S. Ambroſium morti proximum

vrgebat,

Sectio 2. vrgebat, vt vitæ prorogationem à Deo poſceret. *Breuitas in humanis.* Nec immeritò in Simeonis Stylitæ obitu, qui ſua ætate orbis columna erat, tantus luctus editus eſt, vt ſcribat Antonius eius diſcipulus. [Aues volabant ſupra columnam, clamantes & quaſi *Luctus mortui.* lugentes, ita vt omnes viderent. Planctus etiam populi & iumentorum, reſonabat per milliaria ſeptem. Sed & montes, & campi & arbores contriſtati ſunt circa loca illa; vbique enim nebula tenebroſa facta eſt per circuitum.]

§. 2. *Luctus mortui ſeptem dies.*

ITa quidem Siracides cap. 22. Sic Ioſeph Geneſ. 50. efferens corpus Patris in terram Chanaam, perueniens ad aream Atad, vbi tumulandum erat, celebrans, exequias planctu magno, impleuit ſeptem dies. In quem locum Diuus Auguſtinus libr. 1. quæſtiuncul. in Exod. quæſt. 172. [Neſcio (inquit) vtrum inueniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratum eſſe luctum nouem dies; quod apud Latinos *Nouendial* appellatur. Vnde mihi videtur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſeruant; qui magis eſt in Gentilium conſuetudine. Septimus verò dies autoritatem in Scripturis habet.] Nimirum diſertè apud Siracidem, lugendo mortuo aſſignantem ſeptiduum, ſed breuiorem adhuc conuenientis luctus terminum, ſtatuere videtur cap. 38. verbis illis. *Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & conſolare propter triſtitiam, & fac luctum ſecundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionem.* Delaturam, & detractiones vocat oblocutiones impiorum, qui ſaxeum pectus amici non deflentis amicum defunctum, lacerarent ore maledico; quibus iuſtum eſt os oppilare, debitam charitatem impendendo defunctis amicis aut neceſſariis. Et doloris quidem acerbitas vno vel altero die pro perſonæ merito, aut qualitate, vel neceſſitudine terminari debet, dandúmque inſuper dolori nonnihil ad ſeptimum vſque diem; ſed poſt eum terminum, remittendus eſt, vel etiam abſtergendus dolor. Cauſas ſic breuiandi luctus, proponit in hunc modum Siracides. *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem: & triſtitia cordis flectit ceruicem.* In abductione, (id eſt in receſſu, à communi ſocietate propter mœrorem) *permanet triſtitia;* ſequitur enim à ſeceſſu quo homo ſeipſum excedit; *& ſubſtantia inopis, ſecundùm cor eius;* nihil proclinius, quàm vt homo præ mœrore non intentus in rerum ſuarum curam, euadat inops: atque ita per triſtitiam diuturnam, & corporis & facultatum ſubiungit ea diſpendium. *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, & memento nouiſſimorum.* Conſidera omnibus eſſe moriendum, atque adeò nihil obtigiſſe amico tuo, præter ſortem communem. *Noli obliuiſci, neque enim eſt conuerſio. Quantumcumque doleas, eum non reuocabis à morte: Et huic nihil proderis, & teipſum peſſimabis.* Immoderatus tuus luctus, nihil defuncto proderit ad reueniendum; te autem potiùs ad illum trahet, vt David poſt adulterini paruuli obitum philoſophatus eſt. Non potuit Spiritus ſanctus, congruentiùs monſtrare quantoperè conueniat luctum decurtare propter obitum eorum, quos amamus.

Pauca quæ præterea propoſuit Tertullianus, erunt inſtar omnium. Sic igitur ille lib. de patient. cap. 9. [Ne illa quidem impatientiæ ſpecies excuſatur in amiſſione noſtrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur aſſertio. Præponendus eſt enim reſpectus denunciationis Apoſtoli, qui ait; *Ne contriſtemini dormitione cuiuſquam, ſicut nationes quæ ſpe carent.* Et meritò, credentes enim reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos ille & obiuit & reſurrexit. Ergo cum conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum interim, quem credis reuerſurum? Profectio eſt, quam putas mortem. Non eſt lugendus qui antecedit, ſed planè deſiderandus: id quoque deſiderium, patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras abiiſſe, quem mox ſubſequeris? Cæterum impatientia in huiuſmodi & ſpei noſtræ malè ominatur, & fidem prævaricatur. Et Chriſtum lædimus, cum euocatos quoſque ab illo, quaſi miſerandos, non æquanimiter accipimus. *Cupio* (inquit Apoſtolus) *recipi iam & eſſe cum Chriſto.* Quantò meliùs oſtendit votum Chriſtianorum. Ergo votum, ſi aliquos conſequutos impatienter dolemus, ipſi conſequi nolumus.

In hanc ſententiam multa dabit Seneca in conſolat. ad Marciam, & ad Polybium; Plutarchus item in nonnullis ſimilis argumenti opuſculis. Multa nos quoque in eandem luctus breuiandi conuenientiam collegimus lib. 5. de virtut. à num. 125. & Antonius Sanctorellus in poſtpraxi Medica à cap. 11. ad 17. Ad nonum vſque diem prorogatam eſſe familiæ impuritatem atque adeò tempus lugubre habetur ex Seruio, illud V. Æneidos exponente.

Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora Extulerit.

Inde Nouendialia ſacra, & Nouendiales feriæ à dierum illorum lugubrium numero dictæ. Poſtquam enim cadauer ſeptiduo domi aſſeruatum erat, octauo die incendebatur, non ſepeliebatur; vnde illud Flacci. Nouendiales diſſipare pulueres. Vbi Porphirion Nouendiale ſacrum interpretatur, quod fiebat nona die in luctus clauſula, cum oſſa legebantur, & vino reſpergebantur, iuxta illud Propertij:

Hoc etiam graue erat, nulla mercede Hyacinthes.
Iniicere, & fracto buſta piare cado.

Erat igitur luctus pro mortuo ſolemnis & publicus nonniſi ſeptidui, vt retuli ex Seruio, conſentaneè ad effatum Sapientis quod initio retuli; ſed addebatur ad ſepulturæ officia biduum? Quod ſpatium non erat admodùm longum, ſed arctis concluſum metis. Quæ de luctu apud Romanos annuo ſiue decimeſtri diſputat Renardus lib. 5. variar. cap. 20. ad pompam potiùs, &

nonnullum

nonnullum defunctorum honorem, quàm ad internum verumque luctum pertinuiſſe, certum eſt. Quare ad hunc locum non pertinent.

XV. Epitaphium vt fini ſuo ſeruiat, iuſta magnitudinis ſit neceſſe eſt, atque adeò breue eſſe non poteſt.

NOn ſunt Epitaphia, ſed monita moralia, illa breuibus ſententiolis ſignata.

> *Fui, non ſum, Eſtis, non eritis.*
> *Nemo immortalis.*

Et illa non multo diffuſiora.

> *Vixi dum vixi benè, iam mea peracta,*
> *mox veſtra agetur fabula. Valete & plaudite.*

Theodoſius IV. vnico verbo *ſanitas*, quod ſepulchro ſuo inſcribi voluit; æternam corporis & animi, nullo vnquam morbo temerandam ſanitatem, ſignificatam voluit. Hæc tamen non ſunt Epitaphia, quæ adeò breuibus ſpatiis coërceri non poſſunt. Quomodò enim comprehendi paucis poſſint, tam multa, quorum cauſa Epitaphium conſcribitur, nomen, genus, Patria, functio, geſta? Homo emunctiſſimæ naris, & limati per omnia iudicij, Maro; deberi Epitaphio longitudinem; monſtrauit dicens,

> *Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.*

En Epitaphium *carmen* vocat, quod de breui ſententiola, aut verbo vnico, nemo dixerit. Præter Epicedia & Nænias haud exiguæ longitudinis, extant Lemmata ſepulchralia complura prælonga apud Gruterum, Franciſcum Vvertſium, & alios. Nec certè vita eius cui Epitaphium ponitur, tam anguſtis aliquorum verſuum limitibus coërceri poteſt, ſed iuſto carmine Lectori exhibenda.

§. 2. *Epitaphium breue eſto. Prolixitas in eo præter ſcopum, & illaudata.*

ALiquos etiam vltra vitam, ſequitur ambitio. Etiam in monumentis & Lemmatibus ſepulchralibus produnt vanitatem. Sanctus Chryſoſtomus, ſepulchrorum magnificè conſtruendorum inſaniam, fortiter contundit in Pſalmum 48. De Lemmatum ſepulchralium, & Epitaphiorum diffuſione; idem dici poteſt. Non debet certè Epitaphium eſſe Epicedium, qualia nonnulla apud Statium. Neque Monodia, cuiuſmodi habentur apud Nazianzenum. Neque Noëmia laudes continens in funere decantandas, Qualis apud Sidonium lib. 7. Epiſtol. 17. Debet ergo vt ab his & aliis diſcrepet; de quibus Scaliger 1. Poët. cap. 50. & lib. 3. cap. 122. Debet inquam eſſe Epitaphium, ſeu breuis titulus aut metro aut ſoluta oratione conſcriptus, de nomine, genere, factis ſepulti, quem titulum vltra quatuor verſus diffundi vetuit Plato. Et conſcribitur ſanè Epitaphium in gratiam viatoris, quem par non eſt longo carmine remorari, iuxta illud Propertij.

Sectio 3. Breuitas in humanis. Epitaphium.

> *Hoc carmen media, dignum me, ſcribe columna;*
> *Sed breue, quod currens vector ab Vrbe legat:*

Non præſcribo eam non vltra quatuor verſus protenſionem; ſed tantùm aſſero, quo breuius fuerit Epitaphium, eo habitum iri elegantius, & dignius. Audio, Scriptorem Gallicum elegantiſſimum in ſuo de Clelia ſoluto numeris Poëmate, quod legere nunquam vacauit, iucundam de hoc Argumento inſtruiſſe diſſertationem, ac tandem pro breuitate concluſiſſe. Quam enim Elegans illud docti Poëtæ.

> *Daphnis ego in ſyluis, hinc vſque ad ſydera notus,*

Et illud de ſe ipſo.

> *Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc*
> *Parthenope, cecini paſcua, rura duces.*

Epitaphium Sanctæ Agathæ, in tabula marmorea ab Angelo, loculo eius inſcriptum, perbreue fuit, ſed fœtum inſignibus ſenſibus. *Mens ſancta, honor in Deum voluntarius, patria redemptio.* Quid ea breuitate diffuſius?

LAVS BREVITATIS,

SECTIO III.

DICTTACA DE BREVITATE ET *longitudine in naturalibus*.

NATVRALIA dico quæ ſpectant ad eſſe, aut accidentia, aut ad functiones fouendæ vel retinendæ humanæ vitæ neceſſarias, tametſi rerum illarum aliquæ ſint artis opera, nec exiſtant à natura. Eiuſmodi ſunt vita, ſtatura, barba, veſtitus, menſa, ſomnus: de quibus longáne an breuis conuenientiùs eſſe debeant, quærendum ſupereſt. Et quamuis de cibi & ſomni longitudine, aut breuitate, prout ſunt adminicula & inſtrumenta pietatis, dictum ſit, ſectione. 1. hîc tamen de eis agetur duntaxat, prout ſunt naturæ ſubſidia & vitæ fomenta.

I, *Nuptiæ immaturæ, exitiales. Seræ nomini nuptiarum conſentiunt.*

HArum Syzigiarum initium ducendum eſt à Matrimonio, quod vt Theodoretus ſect. 8. de prouid. ſcitè dixit, eſt [Generis noſtri fons, & vitæ ad vitam hanc deducentis ianua: cuius beneficium eſt quòd humanum genus non deficit: quod idem naturam hanc morte aboleri non permittit; ſed plantatione ſua, ſecantis manum vincit, & germinatione, metentis falcem ſuperat; quod verni temporis naturam imitatur, quod poſt eam quæ hyeme facta eſt, prædationem, apponens quæ per hyemem ſpoliata & cauta ſunt denuò veſtit.] Affinia habet ſub finem duodecimi contra Græcos, allegato Platone; nec non Amphilochius initio orationis de hypapante. Hinc igitur auſpicando diſcuſſionem bigarum antitheticarum ſpectantium ad res naturales; aio nuptias tardas, longè potiores videri præproperis ac immaturis.

Diſſerit in hanc rem admodùm ſapienter pro more ſuo Ariſtoteles 7. polit. cap. 16. vbi hæc præter cætera. { Eſt adoleſcentum coniunctio improba ad filiorum procreationem. In cunctis enim animalibus iuueniles, partus imperfecti ſunt; & fœminæ crebriùs quàm mares, & parua corporis forma gignuntur. Quocirca neceſſe eſt hoc idem in hominibus prouenire. Huius autem coniectura fuerit, quod in quibuſcumque ciuitatibus conſuetudo eſt, adoleſcentes mares puelláſque coniugari, in eiſdem inutilia ac puſilla hominum corpora exiſtunt. In partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. Ex quo reſponſum oraculi Trœzenis datum quidam exiſtimant ob iſtam cauſam; quaſi multis pereuntibus propter immaturitatem nuptiarum, non propter fructuum collectionem. Ad continentiam quoque, vtile eſt, nuptias fieri ſeriores. Intemperantiores enim eſſe videntur, cum puellæ veneri aſſueſcunt. At maſculorum corpora creſcere impediuntur, ſi adhuc augente ſemine, conſuetudinem ineant. Nam huius terminus quidam eſſe videtur, quem non multo excedit amplius. Quapropter puellas quidem, circa ætatem decem & octo annorum, nuptiis tradere congruit; maſculos autem circiter ætatem annorum ſeptem & triginta.] Gloſſans hunc Ariſtoteles locum Ægidius Romanus lib. 2. de regim. Princ. parte 1. cap. 16. conſiderat, in his verbis Ariſtotelem, penes quatuor capita nuptias præproperas improbare.

Nimirum primò penes prolem quæ ex talibus coniugiis exoritur imperfecta ac debilis corpore, nec admodùm firma quoad intellectum, vſúmque rationis, In omnibus quippè rebus naturalibus, ſi principia productionis, ſiue actiua, ſiue paſſiua, ſint imperfecta, effectus eorum imperfectionem redolet. Quid igitur mirum, ex coniugibus adhuc corpore imperfectis, exiſtere prolem ſimiliter corpore imperfectam? Rationem Phyſicam huius rei proſequitur copiosè Albertus Magnus libro quinto, de animalibus, tractatu ſecundo, capite primo, & libro nono, tractatu primo, capite ſecundo, demonſtrans, deeſſe ſemini maris ante tertium ætatis ſeptennium, concoctionem debitam, & perfectam maturitatem ad efformationem fœtus; ſed vt plurimum ante eam ſaltem annorum periodum, eſſe ſubtile & aquoſum, ac minus idoneum ad fœtus benè conſtitui, procreationem. Quod perſpectum habentes priſci

Germani,

Germani, ex Cæſare libro ſexto de bello Gallico turpiſſimum cenſebat, adoleſcentem iungi mulieri ante annum ætatis vigeſimum. Inſinuabat idipſum Tacitus libr. de moribus Germanorum, dicens de eis. [Sera Venus, eoquè inexhauſta pubertas, nec Virgines feſtinantur. Eadem iuuenta, ſimilis proceritas; pares validæque miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.] Quamquam hunc Germanorum morem antiquum, non approbarunt aliæ paſſim nationes, eo quod puellæ (quippè imperfectiores) citiùs pubeſcant, vt latè explicat Tiraq. ad libr. 6. connub. à num. 38. Tamen indubiè vtriuſque coniugis vites maiores liberi referunt vt Tacitus aſſirmabat. Diſpendium prolis ex vſu coniugij adoleſcentum exiſtentis, perſpicuum eſt quoad corpus. Et quia corporis habitum animi affectio conſequitur, vt Galenus integro opuſculo tradit, mirum item eſſe non debet; tales fœtus eſſe quoque ſenſu tenues, & mente imbecilles. Sanè Roboam (vt habetur Eccleſiaſtici 47.) dicitur *Gentis ſtultitia, & imminutus à prudentia; qui auertit gentem conſilio ſuo.* At is ſuſceptus dicitur anno ætatis paternæ decimo, iuxta hanc S. Hieronymi ratiocinationem Epiſt. 132. ad Vitalem. [Inter cætera deprecaris vt exponam tibi cauſas, quare Salomon, & Achas, vndecim annorum filios genuiſſe dicantur. Si enim duodecimo anno Salomon ſuper Iſraël, accepit imperium, & quadraginta annis regnauit in Hieruſalem, filiúſque eius Roboam, cum quadrageſimum & primum annum ageret ætatis, patri ſucceſſit in regnum; perſpicuum eſt, vndecim annorum fuiſſe Salomonem, ſiue decem; quia decem menſes à conceptu vſque ad partum ſibi mater vindicat.] Scio Pinedam libr. 7. de Salom. cap. 24. num. 9. & libr. 8. cap. 4. aliud ſentire; nempe Salomonem natum annos ætatis vndeuiginti, genuiſſe Roboamum; diſſerit etiam Franciſcus Connanus lib. 8. comment. iur. ciuilis cap. 4. & Torniellus anno mundi 3018. ridens Genebrardum in Chronol. anno 3150. inhærentem Sancto Hieronymo, ita opinanti, qui idem confirmat exemplo muliercula ebrioſæ, ac libidinoſæ, quæ ex deceuni puero quem nutrierat, impleta eſt, plectente Deo, mulierculæ puerili ſimplicitati illudentis turpitudinem. Hallucinatus autem eſt Couarruuias cum in Epitome decretal. 2. part. cap. 5. num 4. cum multis Iuriſperitis addenſeris de more, à Tiraquello nunc adducendo, hoc exemplum refert ex S Gregorio 4. dialog. cap. 29. Nihil enim tale ibi habetur, vt benè notauit Tiraq. ad lib. 6. connub. num. 37.

Secundum ac tertium caput, penes quod Ariſtoteles nuptias immaturas improbat, continetur maiore intemperantia mulierum, ſi iuuenculæ nuptui tradantur, & earundem maiore periculo in puerperio. Maior incontinentia inde petitur à Philoſopho, quod quæ prematurè aſſueſcunt virorum cohabitationi, ardentiùs ferantur, ac voluti œſtro percellantur in eam voluptatem. Hanc rationem penitius peruadere non placet, ſed conſulatur (ſi lubet) Tiraquellus qui eam & multiplici teſtimonio, & ratione phyſica illuſtrat ad lib. 9. connub. num. 110. Earundem puellarum maius periculum & in grauiditate, & præſertim in enixu, patet ex maiori corporis teneritudine, atque adeò etiam imbecillitate, quæ pleruṁque par non eſt cruciatui, grauiditatem ac puerperium comitanti. Quàm enim imbelles fuiſſe par eſt credere, puellas nouennes vterum gerentes; de quibus Laubertus 2. de error. popul. c. 1. & Gyraldus l. de menſibus. Facillimè ergo pereunt iuuenculæ. Quo pacto Ariſtoteles accepiſſe videtur obſcurum pro more oraculum datum Trœzeniis, apud quos multæ mulieres peribant. Sciſcitantibus autem mali cauſam, reſpondit Apollo ne tam citò agros ſererent. Quod illi abſurdè ad materialium agrorum culturam retulerunt; cum Apollo de ſatione arui genitalis intelligeret, ex metaphora vſurpata à Clemente Alexandrino 2. pædag. c. 10. *initio* & latè illuſtrata à Conrado Riterhuſio ad libros 4. Halieut. Oppiani, num. 26. *pag. mihi* 287. Mens Philoſophi eſt ſubobſcura, ſed ſenſus quem ſubieci videtur accommodatus. Abeſſat autem procul ab eius mente Ægidius eum cenſuit, Ariſtotelem voluiſſe ſignificare, *Fuiſſe conſuetudinem apud Gentiles, ſpeciale oraculum facere pro partu iuuencularum, in ſignum quod iuuencula plus periclitantur in partu quàm alia.*

Sectio 2. Breuitas in naturalibus.

Nuptiæ.

Vltimum caput probationis ab Ariſtotele adhibitæ ad præpropera coniugia damnanda, ducitur ex damno iuueni marito obueniente. Nam vſus coniugij, per totum tempus quo corpus augetur, eſt admodùm inopportunus maribus. Effluit enim quod eſt corpori augendo lectiſſimum. Et omni quidem ætate incommodat Venus corporibus, vt plenè dictum eſt libro 6. de virtut. à num. 168. poſt S. Baſilium hom. 23. quæ eſt de non adhærendo rebus ſæcularibus, & Clementem l. 1. pædag. c. 10. Ex Ethnicis Ariſtoteles 1. de generat. anim. c. 18. & Ariſtoxenus Pythagoreus adductus à Stobæo, ſerm. 101. alias 99. Luculenter atteſtantur huic veritati, & inſigniter quoque Auicenna, quem vtpotè Saracenum, annumero Ethnicis. Affirmat ipſe, per ſeminis emiſſionem, quadragecuplo plus diſſolui corpus, quàm per effluxum ſanguinis. Ex poſterioribus, immenſus in hoc argumento eſt Tiraq. ad lib. 15. Connub. à num. 6. & fuſiſſimè quoque idem verſat Mich. Medina lib. 4. de contin. contron. 4. Biſciola l. 20. ſubſec. c. 3. nec nõ Riterhuſius ad lib. 2. Cyneget. Oppiani ad verſum 82. Quamuis igitur in omni ætate, vſus coniugij ſit corpori virili incommodus; tamen id maximè valet in adoleſcentia, ante perfectè auctum & firmatum robur corporeum: quia adoleſcentes effrenatioribus aguntur cupiditatibus, & ſtimulante ac incendente calore quo abundant, acriùs ſtimulantur, nominatim ob inexperientiam, quæ vt notat Sanctus Hieronymus, ſuauiorem ſuadet eſſe voluptatem, quam alij faciliùs faſtidiunt iam veluti ſaturi.

Ad probationes Ariſtotelicas pro ſeris coniugiis hactenus expenſas, addi poteſt alia, ex eo ducta, quod quo tardiùs eſt coniugium, eo magis breuiantur cruces coniugio adiunctæ, quas non niſi morte finiri conſtat, cum tamen iuuenes longius à morte abſint, per ſe loquendo, & iuxta communem naturæ curſum. Cruces illæ coniugij (quas Apoſtolus nomine *Tribulationis carnis* complexus eſt) ſunt omnino multæ, & graues, vt fuſè tradidi in opere de martyrio part. 1. cap. 6. à numero 5. & propter eas, Democritum reieciſſe coniugium, auctor eſt Clemens Alexandrinus ſecund. ſtrom. *ferè in fine*, ac

Sectio 3. *Breuitas in naturalibus.*

Theodoretus lib. 12. contra Græcos. Eſt enim [Arbor (vt Iſidorus Pelus lib. 3. epiſt. 351. ſcite dixit,) ramos proferens cum quibus & curæ & mœrores efflorefcunt.] Pendantur porrò hi mœrores, vel ex parte viri, vel ex parte mulieris, vel

Nuptiæ.

ex parte liberorum. Vir mulieri non rarò infert angores acerrimos & vbertimos, ſi non ſapiat, ſi rem domeſticam dilapidet, ſi moroſus ſit, ſi æmulator ac Zelotypus. Inde mulieri dolorum ſementis non modica, de qua videndus S. Anaſtaſius in actis S. Syncleticæ c. 6. & S. Auxentius in allocutione ad Virgines, quæ habetur ad calcem actorum eius 14. Febr. Itémque auctor Auctorum SS. Nerei & Achillei, cum referuntur auertentes heră Flauiam Domitilam à cogitatione de ineundo coniugio; nec non S. Ambroſ. lib. 3. de virg. Mulier vice verſa viro eſt in infernû, ſi infidelis, ſi contumax, ſi pertinax, ſi præceps, ſi zelo amaro percita, ſi alio quopiam ſordeat probrorum quorum inſimulatur hic ſequior ſexus apud Eſpencæum l. 6. de contin. cap. 6. 7. & 8. Liberi, vtrique parenti ſunt in cordolium ſi malè conformati, ſi ceruicoſi, male morati, ſi ægri corpore, ſi præmaturè abrepti. Nazianzenus ſanè orat. 20. pro miraculo propè habet parentum S. Baſilij fœlicitatem in liberis: & addit. [Nam qui ſimul & multos & probos, atque honeſtos filios habuerint, in fabulis fortaſsè reperias. Videndus in hanc rem S. Paulinus Epiſtol. 39. *ſub finem* & Chryſologus ſerm. 33. ac Bleſenſis Epiſt. 79. Quid onus vtriuſque præterea coniugis, à cura famulitij, à procuratione rei domeſticæ, à cognatorum & amicorum prudenti ſtudio? Hæ ſunt tactæ compendio cruces coniugij, quas effugere propè impoſſibile eſt, ſubire verò prorſus neceſſarium; & ſubire patienter ac æquanimiter, onerosum planè ac perdifficile. Breuiat has omnes initum tardiùs coniugium. Nam eum ſola morte finiantur, & mors ætate prouectioribus celeriùs adueniat, manifeſtum eſt coniuges ſerius coniugio implicitos, breuiore tempore ærumnis illis & angoribus ſubiacere.

Concludo, argumentatione ducta ex nomine Græco coniugij, ſiue nuptiarum, quod eſt τέλος, vel vt Poullux ait lib. 3. c. 3. τέλειος. Qui verò matrimonium inibant προτέλεια; Et ipſa cupulatio, ἥρα τελεία dicebatur, à Iunone quam in primis illis ſacrificiis virgines placabant. Latiùs de Iunone nuptiali Lilius Giraldus Syntag. 3. Hiſt. Deor. ſed hallucinatus eſt, qui apud eum, Iunonem τελείαν, vertit *perfectricem*, cum vertendum fuerit *perfectam*, vt liquidè tradit Stobæus in Eclogis Phyſicis l. 2. c. 3. cum ait, inter cætera ſignificata vocis τέλος, illud eſſe, quo Doricè nuptiæ dicuntur τέλος, quod iuuentutem abſoluant; vel quod virum cum muliere congreſſum, perficiunt. Qua ratione pronubam Iunonem, *perfectam* vocarunt. Hæc ſecunda notatio, videtur alludere ad dimidium duplex à Platone in conuiuium propoſitum, & ex eo à Philone in Coſmop. & à S. Baſilio lib. de vera Virginit. quos adduxi cum de origine appetentiæ viri per fœminam, & fœminæ per marem, cupientium coagmentari ac perfici. cap. 5. libri de Sobria freq. alterius ſexus. Quòd ad priorem verò notationem vocis τέλος ex Stobæo propoſitam, expendenda eſt ea vox quæ dicit, coniugium dic. τέλος quia iuuentutem abſoluit. Igitur non ante abſolutam iuuentutem cenſebatur nuptiarum tempus aduenisse. At iuuentus, iuxta terminum ætatum à Solone conſtitutum, referente Philone lib. de mundi opif. & Cenſorino lib. de die natali, porrigitur ad ſeptennij annorum quaternarium; nec finitur niſi ſub annum trigeſimum, quo termino, coniugij ineundi tempus ſignabat ſupra Philoſophus. Exiſtimarim verò præterea, coniugium dici τέλος ſiue *perfectum*, quia depoſcit perfectam ætatem, quæ in fœmina, quia citiùs veteraſcit, obtingit ſub annum duodeuigeſimum; in viro autem qui ſeriùs conſummatur, quippe muliere perfectior, accidit ſub annum trigeſimum. Atque ita ex coniugij nomine, rectè colligitur tarditas coniugio conſentanea; Qualem adamarunt priſci illi generis noſtri ſatores, qui referuntur genuiſſe filios admodùm ſerò. Non quod priùs non vterentur vxoribus quas nacti erant. Quo enim fundamento fingi poteſt, eos poſt initum tanto antè coniugium, abſtinuiſſe eius viui. Reuera ergo tū primùm inierunt coniugium, cum primum annotatur eorum proles. Et quod S. Chryſoſtomus ad illud Geneſ. 5. *Noe cum quingentorum eſſe annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet*; exiſtimare videtur, Noëmum illuc vſque abſtinuiſſe coniugio, repudiatur ex S. Auguſtino 15. Ciuit. c. 20. qui cenſet, Noëmum ante Sem, Cham, & Iaphet, alios iam ſuſcepiſſe liberos, diluuio præmortuos, & prætetitos in Scriptura; quia eorum generatio non erat perpetuanda, quare veriſſimum videtur, Patrum illorum matrimonia, admodum ſera fuiſſe: nempe Sethi, poſt vitæ annos centum & quinque; Enos poſt annos vitæ nonaginta; Caïnam poſt annos vitæ ſuæ ſeptuaginta; Malaëlis poſt annos ſexaginta quinque, & ita conſequenter, de aliis qui annotantur cap. 5. Geneſ.

§. 2. *Nuptiarum dilatio, iuuentutis clades, prolis infelicitas.*

CLadem inferri iuuentuti ex nuptiarum dilatione, quotidiano experimento eſt manifeſtum. Pro ea enim pronitate qua homo fertur in commercium connubiale, & propè incendio quo quiſque deflagrat ea in parte, niſi ardor ille reſtinguatur interuentu thori immaculati; periculum erit, ne prorſus ſoluatur ac cinereſcat. Poſſumus vaſtitatem homini ſeriùs ad coniugium venienti impendentem, intelligere ex ea S. Chryſoſtomi ſententia homil. 21. in Geneſ. de Enocho, quem ait exemplo ſuo monſtraſſe, nuptias non eſſe in cauſa, quominùs quis Deo placeat. [Nam idcirco diuina Scriptura, ſemel ac iterum id ſignificat, dicens *Enoch genuit Mathuſale, & & tunc placuit* Et idem geminat ac repetit, & dicens, *& placuit poſtquàm genuit*; vt ne quis arbitretur, obſtaculum virtutis eſſe coniugium.] Et mox. [Si nuptiæ præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc noſtram vitam nuptias introduxiſſet vniuerſorum dominus, vt ne in rebus præcipuis & maximè neceſſariis nos læderet. Sed quia non ſolùm nihil nobis obſtant ad philoſophandum Deo, ſi voluerimus eſſe ſobrij, ſed & magnam afferunt conſolationem, dum comprimunt inſanum naturæ impetum, nec turbari, quaſi mare ſinunt, ſed efficiunt vt ſcapha feliciter in portū appellat, ideò conſolationem hanc humano generi tribuit.

Quod

Quod quàm verum ſit, oſtendit iuſtus ille, *quia poſtquam* (inquit) *genuit Mathuſala, placuit Deo, Enoch.*] En tempeſtates mare commouentes, & portum quem ſubire fas ſit ad ſeenritatem à procellarum inſania. Cymbæ certè in mari procelloſo diu agitatæ, imminet confractionis vel euerſionis ac ſubuerſionis diſcrimen. Itaque ſapienter facit qui eam in portum tutum reducit. Is portus adoleſcenti agitato inſanis naturæ intemperiis, quæ nunquam malacia interpoſita ſedantur, coniugium eſt, indice Chryſoſtomo. Itaque conſultiſſimum illis eſt non vagari libero mari, nec ventis ludibrium debere, ſed fidam coniugij ſtationem ſubire quàm primùm.

Præſentiſs hoc hypobrichium S. Ignatius Antiochenus, referente Antonio Miliſſa lib. 1. c. 14. monebat coniungendos eſſe matrimonio iuuenes, priuſquàm amicas haberent, eiſque conſueſcerent; agnoſcens videlicet nihil fore procliuius poſt eum abſconditum panem deguſtatum, quàm relabi in illud cœnum, etiam poſt initum coniugium. Aduocandus verò huc rurſum eſt, magnus morum magiſter Chryſoſtomus, qui in hoc argumento ſapientiſſimè verſatus eſt hom. 5. in 1. ad Theſſalon. his præter cætera. [Iuuenum gratia, neceſſe eſt vt admoneam. Non enim, viris duntaxat, ſed & vobis iuuenibus iſta congruunt. Et quomodo? Iam dicam. Qui ſcortari non didicerit, neque mœchari ſciet. Qui verò ſcortis fuerit inuolutus, mox & in adulterium quoque prolabetur, etiamſi non in coniugatis, ſed in ſolutis mulieribus corrumpi, deperiréque cœperit. Quid ita admoneo? vt radices huius mali, quotquot iuuenes habetis excindatis; ad honeſtam vitam eos inſtituite, ſtatimque connubiali iugo ſubdite. Dum enim adhuc in iuuentute ſunt, concupiſcentiæ fluctibus impetuntur. Priuſquàm nuptiarum quidem tempus fuerit admonitionibus, minis, terroribus, pollicitationibus & innumeris aliis eos cohibete. Vbi verò nuptiarum tempus & ætas aduenerit, nemo differat. Ecce pronubæ verba loquor, dum liberos veſtros coniungo. Sed nihil pudet ita dicere, quandoquidem neque Paulus erubuit dicens, *ne defraudetis vos inuicem.* Id quod turpius iſto eſſe videtur. At nihil erubuit. Non enim verbis intendebat, ſed ipſis operibus quæ per verba corrigebantur. Quando filius tuus fuerit adultus, antequam illum ad expeditionem aut alium vitæ genus inſtituas, quæ nuptias concernunt, procures. Et ille ſi viderit ſtatim ducendam ſibi eſſe ſponſam, & modica intercapedine diſtare nuptias, poterit ſuſtinere flammam; ſi verò cognouerit te tardare, moráſque nectere & expectare dum multum acquiſierit rerum acceſſionem, vt tunc demum nuptias paraturus ſis, mox ob longitudinem temporis deſperata continentia, in ſcortationem dilaberur. Sed heu, & hic quoque malorum radix eſt auaritia. Quoniam enim nemini curæ eſt, quomodo caſtus ac modeſtus ſit filius, ſed in aurum inſaniunt omnes, ideò nemo quoque rem illam curát. Proinde adhortor, vt primum animos ipſorum componatis; ſi ſponſam caſtus acceperit filius, ſi illius corpus ſolum viderit, & vehemens erit deſiderium, & timor Dei maior, honeſtéque reuera erunt nuptiæ, munda & immaculata corpora coniungentes, & qui ex illis naſcentur liberi, multa erunt benedictione referti; obtemperabúntque ſibi inuicem ſponſus & ſponſa; aliorum enim mores cum vtrique non ſint experti, ſubiicientur & obſequentur ſibi inuicem. Adoleſcens autem ſi laſciuire cœperit, meretriciorúmque fornicariorum experientiam acquirere, ad primam quidem & alteram & vſque veſperam, laudabit vxorem ſuam; poſtea verò ſtatim in priſtinam relabetur petulantiam, effuſum & indecorum riſum; verbáque multa illiberalitate plena, & mores fractos ac delicatos, atque omnem aliam turpitudinem (quam ſine decori læſione narrare nequimus,) exigentem. Hæc verò præſtare non ſuſtinebit puella libera & ingenua, neque ſeipſam deturpare poterit. Propter vitæ namque communionem, & puerorum procreationem adiuncta viro eſt, non turpitudinis cauſáque gratia; vt domum adminiſtret, vt virum ad honeſtatem & caſtitatem erudiat, non vt illi fornicationis incitamenta porrigat.] Nihil potuit in rem præſentem tradi efficaciùs & explicatiùs. *Sectio 3.* *Breuitas in naturalibus.* Nuptiæ.

Ex alio præterea capite deprehendi poteſt, quàm ſit optandum iuuentuti, coniugium non eſſe ſerum. Veriſſima enim eſt S. Auguſtini doctrina lib. de honeſt. mul. cap. 2. & Caſſiani l. 6. de inſtit. cap. 1. inter certamina Chriſtiana nullum eſſe durius ac difficilius certamine caſtitatis & pudicitiæ, quam caro inteſtinus hoſtis hoſtiliter perſequitur; Satan verò carnis ignitabulo vtens, atrociter inſectatur, & innumeri oblectamentorum vndecumque ſe inferentium illices, periculo obiiciunt. Tantis ergo diſcriminibus citò ſe ſubducere, & ex arce ſecurè proſpectare alios dimicantes magnæ felicitatis exiſtimari debet. Rarus enim eſt, qui in diuturna pugna aliquando non feriatur, & inimici victoris truculentiæ pateat. Atqui iuuenes donec coniugium ineant, ſunt in perpetua pugna quoad caſtitatem. Vnde cum inibant coniugium coronabantur, iuxta illud Chryſoſtomi. [Idcirco coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ ſigna ſint, quod ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demùm cubiculum ingrediantur; quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt.] Qua etiam ex cauſa, conteſtatur, eum qui ſuccubuiſſet fœditati, procedere coronatum non debere. [Cuius iam rei gratia, coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla ſubdiderit.] Coronabuntur ergo in primis nuptiis coniuges, tanquam victores poſt periculoſam pugnam. Aio in *primis nuptiis* fuiſſe vſum coronæ, ob cauſam propoſitam: quia in ſecundis nuptiis, quia cauſa adducta non interueniebat, corona non conferebatur; vt diſertè habet S. Chryſoſtomus epiſt. 2. ad viduam iuniorem. Et eodem refero quod Optatus lib. 6. expoſtulans quod virgines Dei, fuiſſent à Donatiſtis ad ſecundam mitellam adactæ, quaſi ad ſecundas ſpiritales nuptias; [Virgines (ait) quæ iam ſpiritaliter nupſerant, quaſi ſecundas coëgiſtis ad nuptias; vt crines iterum ſoluerent, imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt. Ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtiuitas. Non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.] Sublatio illa in altum ad victoriam reportatam pertinet, æquè ac corona nuptialis, de qua latè Nouarinus in Aquis Nuptial. cap. 44. Tametſi igitur glorioſum eſt, & corona dignum euadere victorem, ex tam ſeri prælio; cum tamen ſit rés periculi pleniſſima, inconſultiſſimorum fuerit hærere in certamine, cum

Sectio 2. *Breuitas in humanis.*

Ortus

poſſis te diſcrimini ſubducere, & ſecurè degere, & vt ad primam comparationem reueniam, hærere in fluctibus ac decumanis nauem ſæpè quaſſantibus, cum eos poſſis declinare. Nam eo etiam pertinebat corona naui ſubductæ impoſita, iuxta illud 1. Georg.

Ceu preſſa cum iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Fluctus & procellæ innuptis ſubeundæ, ſunt inſectationes à cupiditate corporum. Portus ſecurus eſt coniugium. In eum igitur maturè ſe recipiant iuuenes, ſi quaſſari nolunt, & ſe corona dignos præſtare.

Iam infelicitas prolis ex ſero matrimonio ſuſceptæ non eſt pendenda ex hebetudine aut vitiis ſic editæ prolis, vt perperam fiebat circa prolem ex coniugio præcoci, Roboamo in exemplum propoſito, qui ſupponebatur à patre decenni genitus, & idcirco hebes ac ſenſu minutus. Quod genus argumentationis quàm ſit imbelle, patet ex Ezechia quem Siracides c. 48. exquiſitè commendat, & tamen à patre Achaz, vndenni aut duodenni procreatum eſſe, S. Hieronymus epiſtola 132. pro conſtanti habet, probátque ex annis regni Ezechiæ, ſubſcribitque Salianus anni mundi 3285 ex tempore regni ipſius Achaz. Igitur non præcox coniugium parentum, proli incommodat, ſicut contingit proli ex thoro non ſuo ſuſceptæ à parentibus voluptariis; quorum *ſpuria vitulamina* (vt habetur Sap. 4.) *non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt, &c. Ex iniquis enim ſomnis, filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.* Non ſic de natis ex connubio legitimo tametſi præcoci. Prolis ergo ex matrimonio tardo ſuſceptæ, infelicitas tale coniugium grauans, inde attendi debet quod proles ſerò ſuſcepta, non poſſit à parentibus educari ac inſtitui, quo par eſſet modo. Cum enim ætatem prouectam celeriùs conſequatur mors, deficit miſeros natos, cura ad promotionem neceſſaria, quem defectum quanta conſequantur incommoda, nemo non videt.

Nec ea etiam liberorum exigua eſt infelicitas, quod ſerò ſuſcepti, nec per ætatem capaces magnarum rerum, vix poſſint aliquam vicem rependere parentibus. Neque enim vel ſubſidium eis reponere pro ſubſidiis collatis poſſunt; vel honorem ex illuſtribus factis aut dignitatibus, quarum per filios adeptio redundat in parentes radiis eorum collucentes. Nam filius ſapiens, gloria patris. Et quantum decus patri accedat, ex filij ornamentis, Seneca lib. 3. de benef. cap. 32. preclarè proſequitur, & agnoſcit poſſe à filio tantum decus parenti tribui, vt excedat, quæ pater filio contulit quantumuis eximia. Nihil tale ſperandum eſt parentibus à liberis ex tardo coniugio ſuſceptis. Ferè enim præmoriuntur parentes, nullo per humilem liberorum ætatem emolumento ab eis percepto; anxij metu & dubia expectatione ſortis liberorum, poſtquam eis vitæ lampada tradiderunt conſecuturæ.

Itaque haudquaquam ſeræ nuptiæ ſupra celeres placento, quod vniuerſè valet. Neque enim rectè Ægidius Romanus l. 2 de regim. princ. c. 16. quoad Principes cenſet ſera debere eſſe eorum coniugia. Imò verò, quo magis ob pacem publicam neceſſarium eſt, Principem fructus coniugij legere, & quo magis Principes præ ſumma qua pollent poteſtate, patent illecebris voluptatum, eo iuſtius eſt coniugia ab eis maturè iniri, ne agantur in fraudem pelliciente carnis prurigine, & aſſueſcant turpitudini. Et vt Reſpublica pignus tranquillitatis in ſobole principali maturè nanciſcatur. Eſt enim vita noſtra ipſo vitro fragilior, vt S. Auguſtinus ſapienter conſiderat ſerm. 1. de verb. Dom. ex hom. 28. ex 50. vitrum ſiquidem in abaco collocatum, niſi ab extrinſeco lædatur, perſtabit incolume per ſæcula, non item homo, cui & ab intrinſeco, & ab externis cauſis innumeris impendet ruina. Vt quid ergo in tanta fragilitate vitæ Principis, ad longam moram differre eius coniugium, quo ſtabilitur ſubditorum quies poteſt, ſuſcepta prole in paternas curas ſuo tempore ſucceſſura?

II. *Ortus tardus, fœtui ac matri ſecurior, ideóque præoptandus.*

NVlla eſt certa & fixa humano fœtui iam concepto, naſcendi ac lucem oriundi, lex, ſicut eſt brutis, vt notauit S. Ambroſ. 5. Hexaëm. cap. 10. ſed penes varia adiuncta ſunt ſoli homini multiplices periodi, quibus è matris vtero prodeat: quod Ariſtoteles 4. hiſt. anim. cap. 4. & lib. 6. c. 10. & lib. 7. de gener. anim. cap. 4. nec non Varro lib. 2. de re ruſt. cap. 1. & Plin. lib. 7. cap. 5. confirmant. Negat hoc Paulus Zacchia in qq. Medico leg. tit. 2. q. 1. ſed rectè repellitur ab Alphonſo Carranza in Prolegomenis ad opus de partu naturali num. 7. Eſt quidem aliquis maximè naturalis terminus à natura præſtitutus, ad emittendum è materna figlina fœtum humanum. Is tamen terminus, variis de cauſis & internis & externis ſolet anteuerti, aut poſtverti. Videndus Ariſtoteles ſ. 10. probl. q. 11. & 40.

Quæ tamen felicior cenſeri debet in materna aluo geſtatio, & ex ea eductio, illa eſt, quæ longiùs in vtero fœtum diſtinet. Et verò Eſdræ 4. cap. 6. prodigij inſtar proditur, quod ſub mundi finem, *prægnantes, immaturos parient infantes trium & quatuor menſium, & viuent.* Hoc haud dubiè prodigioſum erit, fundi adeo præproperè è matris aluo infantes, & tamen viuere. Lego quidem apud Peramatum l. de hom. procreat. cap 8. vixiſſe infantem qui quadrimeſtri duntaxat à conceptu, natus erat; eúmque ab ſe viſum teſtatur ipſe Peramatus. Sed quid ſi huic contigit quod Druſo, quem à Liuia matre, poſt trimeſtres cum Auguſto nuptias editum, Suetonius in Claudio ex vulgata ſcena retulit, vnde iocus, *Potentibus ſunt menſium, & partus trium.* Quod ſi inquam, fraude matris ante legitimas nuptias prægnantis, vel ex nondum marito, vel ex altero, ea ortus anticipatio à Peramato ſignata contigit? Hic ſanè Lugduni, ante triennium fœmina, à nuptiis die altera, ex antegreſſo ſcilicet legitimas nuptias commercio infantulum emiſit. Neque tamen intra alterum à nuptiis diem, mulier & grauida facta eſt puerpera. Et idem dicendum de eo cui cum vxor bimeſtrem aut trimeſtrem infantulum ediderat, quinas, vel ſenas coëmit cunas proſpiciens ſimilibus puerperiis intra annum fortè ſecuturis, vt narrat Boër. ep. ad l. Gallus ff. de liberis & Poſthum. nu. 83. & gloſſator Panciroli

p.2.

c. 2. lib. 10. Suſpicione igitur non vacauit præproperus ille partus, & tamen vitalis à Peramato annotatus. Quod æquè pronunciandum videtur de partu quinquemeſtri, quem idem Peramatus ſibi compertum profitetur, quodque de ſe teſtatur Cardanus in Opere contradictionum Medicarum lib. 5. contradict. 8. addens prætetea ibi idem ſibi innotuiſſe de partu ſemeſtri. Repugnantibus quidem Auicenna, & Mercuriali ac Bongo; ſed tamen ſuffragantibus Petro Aponenſi, Sperono de ſperonibus. Peramato & Nancelio, quorum loca ſignat Pineda l. 1. de Salomon. c. 10. num. 9. Audio ſanè iſta referri, ſed non omnia quæ referuntur, nituntur veritati. Interuenit plerumque implanatio, aliàs verò hallucinatio abſque dolo. Sed demus ita aliquando contigiſſet, & nulla iuſta ſuſpicione laborare huiuſmodi partus & ortus præproperos veluti præter regulam ludente natura editos. Tamen terminus natiuitatis heroum, eſt multò tardior nempe decimus menſis à conceptu, ſiu minus plenus at ſaltem cœptus. Tertullianus lib. de anima c. 37. hominum hinc ad Decalogi obſeruationem inaugurari annotat hoc menſa natum Herculem, Theocritus Eidyllio 24. prodidit; & de Pollionis filio, futuro fortunatiſſimo cecinit Maro,

Matri longa decem, tulerunt faſtidia menſes.

Eſſéque denarium menſium maximè legitimum ac proſperrimum, & fœtui & matri, partûs terminum, Brodæus 10. miſcell. cap. 11. confirmat ex Vlpiano l. *inſtato*, ff. de ſuis & legit. hæred. Eam ob cauſam Naſo 1. Faſtor. ſcribit, Romuli edicto, anni limitem fuiſſe conſtitutum, minùs accommodatè ad curſum ſolarem; ſed tamen cum correſpondentia ad legitimam commorationem fœtus in vtero, & ad congruentem viduæ pro marito defuncto luctum, hic enim canit,

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc, anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis, vxor
Suſtinet in vidua, triſtia ſigna domo.

Ob dubium (inquit ex Baldo Tiraquellus ad l. *ſi vnquam* V. *ſuſceperit liberos* pag. mihi 202.) ne mulier ex viro demortuo adhuc ſit prægnans. Apud eundem Naſonem Althea Meleagri ſic ait,

Et quos ſuſtinui menſes bis quinque, labores.

Conuenientem fuiſſe Neptuno patri, eum maturitatis terminum, dixere aliqui apud Gellium lib. 3. cap. 16. Salomon item Sap. 7. ſe menſe decimo editum profitetur. Chriſtus ipſe poſt decimum menſem inchoatum è matris aluo fuſus eſt iuxta S. Auguſtinum 3. Trin. c. 5. & q. 56. ex 83. & Bungum l. de Numeris in 45. à quo tamen perperam adduci in eandem ſententiam aliquos alios Patres, monſtrat Pineda l. 1. de Salomon. cap. 10. num. 19. Videſis iſta de termino Natiuitatis Chriſti Domini accuratè expendentem Suarem tom. 2. 3. p. d. 12. ſect. vlt. & ex variis Lorinum in c. 7. Sap. ad verſ. 2. ac Salmeronem tomo 1. prolego. 38. Pinedam ſupra num. 15. Illud certum eſt, Chriſtum Dominum, vt dixit Sophronius in 6. Synodo actione 3. *vtero virgineo portatum, exſpectaſſe tempus legitimi puerperij.* Non igitur natus eſt octauo menſe, vt fingebant Baſilidiani apud Clementem Alexandrinum 1. ſtrom. neque alio vllo anteriore termino, qui præcocem eius natiuitatem, & breuem intra vterum moram efficeret; ſed natus eſt poſt ſatis diuturnum vteri incolatum, ſeltem nouimeſtrem expletum, & dies inſuper duodeuiginti. Legeſis Petrum Damiani opuſc. 37. diſſert. 2. dub. 1. Imò Chriſtus Dominus vltra terminum aliis infantibus ordinarium, hæſit in matris vtero; atque adeò ſeriùs quàm cæteri natus eſt. Nam non fuit conceptus poſt quadraginta dies à materiæ intra vterum collocatione, vt cæteris contingit; ſed (quod malè de Chriſto quoque videtur inſinuare S. Hildefonſus ſem. 5. de Purif.) vt optimè autem affirmat S. Baſilius homil. de hum. Chriſti generat. conceptus eſt in momento, abſque quadragenaria materiæ aptatione, & organizatione. In quam rem multa profero l. 3. de Chriſto ſ. 5. c. 5. à num. 263. Cum igitur Chriſtus quia ſubitò formatus, erat potuiſſet exire quadraginta diebus ante terminum commorandi aliis ſolemnem, eo quod omnes alij per dies quadraginta effingantur, hæſit tamen ibi per eos dies quadraginta iuxta diſputata dicto cap. 5. num. 268. atque adeò tardior fuit ortus Chriſti, quàm cœterorum paſſim mortalium. Quod non parum decorat partum ac ortum tardum.

Sectio 3.
Breuitas in naturalibus.
Ortus.

§ 2. *Partus celerior, vegetior, & ſalutis certior, ac fidei minùs dubia.*

RES videtur clara ex partu octimeſtri, qui vix eſt vitalis; cum ſeptimeſtris qui celerior eſt, fœtum educat vitalem. Septimeſtrem partum edere fœtum vitalem, agnoſcit Hippocrates l. de eo, ibique Galenus, & l. de morbis vulgarib. ſ. 7. tract. 29. ac Soranus Epheſius in Iſagoge c. 17. Videndi quæ in hanc rem fusè diſſerunt Federicus Bonauentura l. de octimeſtri partu, atque Alfonſus Caranza l. de partu natur. cap. 10. Ferdinandus Mena atque Nancelius l. de partu ſeptimeſtri. Item Petrus Bungus l. de Numeris in 4 c. & multi apud Tiraquellum l. *ſi vnquam* V. *ſuſceperit liberos*, C. de reuoc. donat. à num. 210. necnon apud Menochium l. de Arbitrar. Iudic. caſu. 89. num. 36 & in Opere de præſumpt. l. 6. in 52. n. 6. præſumpt. 89. nu. 111. At partus octimeſtris, qui eſt tardior ſeptimeſtri, fœtum edit non vitalem. Non nego quin aliquando fœtus octimeſtris ſit vitalis, vt agnoſcit Ariſtoteles l. 4. de genet. anim. c. 4. & l. 7. hiſtor. c. 4. & ſ. 10. problem. 40. Idem habet Plinius l. 7. c. 5. & Nancelius l. de octimeſtri partu, ac Baptiſta Pius ſylloge tertia Annotationum; nec non Tiraquellus ad l. *ſi vnquam* V. *ſuſceperit liberos*, num. 210. Cod. de reuoc. donat. Vt plurimum tamen, partus octimeſtres, diuturnæ vitæ fœtum non edunt. Quod volunt qui negant fœtum partu octimeſtri editum eſſe vitalem. Ita Hippocrates & Galenus illic lib. de octimeſtri partu, ſic lib. de Phil. hiſtor. Item Bungus l. 6. c. 4. Vairus l. 2. de faſcin. c. 11. Muretus 15. var. c. 12. & Mercur. 4. var. c. 10. qui propterea abrogat huic fœtus editioni, nomen *partus*. Et hinc fas eſt inferre, ortum celeriorem (puta ſeptimeſtrem) eſſe fœtui commodiorem ad vitam temporiam. Item dico de vita æterna; nam in tanto diſcrimine mortis, faciliimè & ferè ſemper occupantis fœtum octimeſtri partu editum in

conixu

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Ortus.

connixu exitus ex vtero; nihil procliuius quàm vt fœtus abſque Baptiſmo emoriatur, quod in exitu celeriore infrequentius eſt, ob habitiorem & vegetiorem infantulum, cum celeriùs, hoc eſt ſeptimo menſe venit ad lucem, vt Medici ac Philoſophi, prolatis variis cauſis patefaciunt. Periculum item abortionis atque adeò mortis abſque initiatione Chriſtiana, eo eſt præſentius ac frequentius, quo fœtus in cloaca veteri diutiùs remoratur. Conſtat, fœtus aliquos præ longa in vtero mora in tantis ſordibus, computruiſſe. Aliàs verò præ diuturna commoratione lapidiuiſſe, non dubiis narrationibus eſt proditum. Exempla ſigno in Opere de ſect. Cæſarea c. 1 *ad finem*. Et vt nulla talia damna fœtui obtingerent præ tarditate puerperij; tamen certum eſt, concluſionem fœtus in vtero, eſſe perpetuam eius ægrotationem, vt rectè ſtatuit Hippocrates l. de ſeptim. partu, & confirmat Rodericus à Caſtro l. 4. de natur. mul. c. 1. Partus ergo tardior, eſt fœtui longè incommodior, quia quo diutiùs hæret in illis materni clauſtri fœculentiis, eo diuturniùs ægrotat. Celerior ergo partus eſt fœtui opportunior, vt affirmabam.

Quod verò partus ſerius, magis pateat ſuſpicionibus, & idcirco iure dicatur ſit fidei magis dubiæ, eſt ſenſus omnium communis. Enim verò, quis ſibi perſuadeat, eſſe legitimum fœtum, quem mater vidua, edit vndecimeſtrem, vel duodecimeſtrem, aut tredecimeſtrem, aut quod longè inſolentiſſimum videri meritò debeat, ſexdecimeſtrem? De vndecimeſtri, fraude aut errore matrum, vel etiam anni genitalis tarditate, infrequentia aliqua exempla leguntur apud Iuriſperitos, agnoſcentes, adeò ſerum partum poſſe eſſe legitimum. Ita Vlp anus l. *inteſtato* ff. de ſuis & legit. hæred. & Scæuola l. *Gallus*, ff. de liber. & poſthum ac Iuſtinianus Authent. de patiente vndecimo menſe. Sed in contrarium, & ex facto, & ex iure agit Gellius l. 3. c. 16. & Alfonſus Carranza l. de partu naturali c. 14. num 17. Multo incertior habendus eſt partus duodecimeſtris, qualem non tribuit Iſaaco Angelus, cum dixit de Sara Gen. c. 18 *Hoc eodem tempore iuxta condictum reuertar, & habebit Sara filium*. Non inquam intendebat Angelus, aſſerere Saram anno integro euoluto poſt conceptum: peperiſſe Iſaacum. Sed tantùm affirmabat, fore Saræ filium anno tranſacto; ſiue quia non ſtatim concepit, ſiue quia ſi Sara concepit paulo poſt illud colloquium edidit tamen fœtum ante duodecimum menſem; & nihilominus vere filium habuit menſe duodecimo, quamuis non tunc primò. Adhuc incertior habendus eſt ortus tredecimeſtris; qualem aliquibus obtigiſſe agnoſcit Plinius l. 7. c. 5. & Gellius l. 3 c. 16. notatque Cardanus, Facium patrem ſuum poſt decimum tertium à concepto menſem ad lucem veniſſe, vt refert Pineda l. 1. de Salom. c. 2. num. 21. vbi aliquos quoque narrat procreatos menſe decimo quarto. Sed neque tenemur omnibus paſſim iactatis narrationibus fidem adhibere; neque ſi ita aliquando contigit, euaneſcit quod affirmabam, partus extraordinariè tardos, eſſe magis dubiæ fidei. De muliere, quæ hauſta aqua per S. Malachiam benedicta, edidit fœtum ſexdecimeſtrem; dicere poſſumus, eam adeò diuturnam crucem diuinitus promiſſam eſſe mulieri, vt manifeſtaretur gloria ſerui Dei per eam. Cæterum naturaliter loquendo, partum adeò tardum, fuiſſe impoſſibilem. Dæmonis opera interdum huiuſmodi tarditates partuum exiſtere docet Delrio l. 3. mag. p. 1. q. 4. ſ. 3.

Iure igitur conſtitutum eſt, partum & ortum, præ tarditate infeliciorem reddi, & præoptandum eſſe celeriorem. Nec abs re dicturus videor, idem propè in ortu & partu phyſico tardo accidere, quod in ortu & partu morali, quo ſcilicet, diu quis ſecum luctatur, & ſerò prorumpit in actum bonum. Tales fœminas eſſe, non viros, ſcitè tradit Origenes hom. 10. in Exodum, agens de muliere prægnante, quo in rixa duorum virorum percutitur & abortit. [Mulier prægnans (inquit,) dicitur anima quæ nuper Dei verbum concepit. De tali autem conceptu, legimus in alio loco ſcriptum, *A timore tuo Domine, in vtero concepimus, & peperimus*. Qui ergo concipiunt, & ſtatim pariunt, iſti nec mulieres exiſtimandi ſunt, ſed viri, & perfecti viri. Denique audi & Prophetam dicentem, *ſi peperit terra in vna die; & nata eſt gens de ſemel?* Illa eſt generatio perfectorum, quæ ſtatim ſub die, vt concepta fuerit, naſcitur, &c. Perfecti ergo ſunt, & viri fortes, qui ſtatim vt concipiunt, pariunt, id eſt, qui conceptum fidei verbum, in opera producunt. Anima autem quæ concepit, & in vtero retinet, & non parit, iſta *mulier* appellatur; ſicut & Propheta dicit, *Dolores partus aduenerunt ei, & non eſt in ea virtus pariendi*.] Reprobatur itaque enixus tardus mulieris imbellis, ſiue mollis animæ. At mulier fortis laudata Prouerb. 30. aliter ſe habet; neque enim tardat parere. Hoc ſub alio ſchemate, eo capite 30. proponitur, iuxta S. Auguſtini interpretationem ſerm. 45 de diuerſis, & ſerm. 217. de tempore. Vtrobique enim iiſdem ex parte verbis, laudari ait in muliere forti quod apprehenderit fuſum, colo non contenta; Colum interpretatur propoſitum benè faciendi, non prorumpendo in actum; fuſum verò executionem propoſitorum. Generoſa itaque anima, non laudatur ob nuda propoſita ſi poſſit progredi ad opera; ſed commendatur quod promptè executa ſit quæ inſpirante Domino propoſuerat, nec diſtulerit conceptum fœtum edere, ſed celerrimè pepererit. Quare vt in phyſico quoque ortu & partu, ſtat pro breuitate & celeritate contra tarditatem & moroſitatem victoria.

III. *Vita longa, munus diuinum, cupidè appetendum.*

EX ſe vita noſtra, vaporea eſt, & adeò fragilis, vt vel vitri fragilitatem ſuperet, quod D. Aug. ſupra relatus notauit, ſer. 1. de verb. Dom. & hom. 28. ex 50. Vitrum enim eſt aptum vt in ſæcula ſeruetur, nec ferè niſi ab extrinſeco corrumpitur; puta caſu, vel impacto malleo; ſed homo omni externo caſu & vulnere remoto mortalis eſt, & nullo negotio exſcinditur: vt proinde vapori ad modicum parenti, vitam noſtram conferat S. Iacobus. Menſurabiles dies noſtros, dixit Pſaltes Pſal. 38. vbi Origenes hom. 1. obſeruat Græcè eſſe παλαιστάς: & ſenſum eſſe, quod Propheta aſſereret dies ſuos eſſe quatuor digitorum, vbi magna breuitas præſentis vitæ inſinuatur. Nec enim omnes ad dies Dauidis perueniunt, vt proinde pleríque non habeant dies, niſi duorum digitorum, vel etiam vnius. De hac vitæ humanæ

breuitate

breuitate, diſſerit inſigniter S.Hieron.in Pſal.89. quem explanat Epiſt.139. Multa enim de breuitate cuiuſque temporis præ æternitate præfatus, addit expendens Pſaltem. [*Percutiente te eos, ſomnium erunt manè, quaſi herba tranſiens mane floruit, & abijt, ad veſperam conteretur, & ſiccabitur.* Septuaginta; *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt; manè ſicut herba tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.* Iuxta Hebraïcum, hic ſenſus eſt. Multum conuerſioni noſtræ contulit, & ſaluti, quod omnis vita mortalium, quaſi ſomnium, ita veloci morte contracta eſt: quæ in ſimilitudine florum, atque fœni, eodem penè tempore ſiccatur atque deperit. Percutiente te, (inquit,) eos, id eſt homines: & illo ſermone completo; Stulte hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem præparaſti, cuius erunt? omnis humana conditio, ſomnio comparabitur. Sicut enim manè virens herba, & ſuis floribus vernans, delectat oculos contemplantium; paulatimque mareſcens, amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod conterendum eſt, vertitur; ita omnis ſpecies hominum.]

Sic ſe habet ex ſe vita noſtra; & vt plurimùm propter varios caſus, & intemperantiam, ociùs quàm ferret fragilitas, conſequens temperiem, abrumpitur vitæ filum, & exturbamur è numero viuorum. Sunt caſus illi adeò frequentes, vt rectè ſtatuat S. Paulinus in exhortatione ad coniugem, quidquid ſit de mundi duratione, breuiſne an longa ſit futura, tamen vniuſcuiuſque vitam in collecto eſſe, id eſt admodùm breuem. [Reſpice (aiebat Seneca Epiſt.99.) celeritatem rapidiſſimi temporis: cogita breuitatem huius ſpatij per quod citatiſſimi currimus.] Quamuis igitur vniuerſorũ vita ex ſe breuis ſit, tamen eſt nonnulla in ea breuitate latitudo; ita vt non omnium vita, pari breuitate anguſtetur. Valétque hìc, quod alia occaſione, dixit Seneca Epiſt.12. Vniuerſorum ætatem, orbes habere circumductos, maiores minoribus. Et cum hæc vita, ſola ſit idonea ad fructificandum, & promerendum, (venit enim mox, id eſt vitæ meta, quando nemo, ac ne ipſe quidem Chriſtus, poteſt ad meritum operari;) admodùm vtile eſt vitam prorogare, & eſſe ex his quibus circulos vitæ, obtingit diuino beneficio protenſior. Ipſe Deus in præmium obedientiæ delatæ parentibus, longæuitatem ſpondet; & iis quos ob egregia opera ſpecialiter charos habet, pollicetur longitudinem dierum adimplentem illos. Varias ſcripturas in eam rem addenſat Tiraquellus in opere de nobilit.c.31.num.557. Diſertiſſimè apud Iobum tanquam ingens benedictio proponitur longa vita. *Ingredieris* (inquit) *in abundantia*, id eſt valdè maturus, *ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo.* De Abrahamo Gen.25. & paſſim de alijs viris ſanctiſſimis legitur, quod pleni dierum exceſſerint. S.Remigius, vt ſcribit Flodoardus l.1. hiſtor. Rem.c.17. ob longæuitatem dictus eſt *Iubilans.* Moyſem 125. annos vitam produxiſſe ferunt: quam eſſe ferè menſuram eximiæ longæuitatis, notat Petrus Faber l.1.ſemeſtr.cap.8.

E contrario autem Iobi 15. de tyranno dicitur, *antequam dies eius impleantur, peribit.* Et c.22. dicitur de impiis, *qui ſublati ſunt ante tempus ſuum.* Verè id Anaſtaſio perfidiſſimo Imperij Orientalis vaſtatori denunciatum eſt, ab homine, terribili ſpecie in ſomnis apparente, & conteſtante, *ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo*; Nec ita multo poſt, fulmine contactus interijt. Illuſtre item eſt exemplum adoleſcentis propter ſcelera in crucem acti, qui ſtatim ab obitu in patibulo, inſolenti prorſus ſpecie exhibitus eſt, promiſſa barba, & canitie, qualis eſſe ſolet nonagenarij. Contigiſſe id ſuo tempore in oppido Iui Hiſpaniæ propè Valentiam, ſcribit S.Bernardinus t.2. ſerm.17. ad Dom.2. Quadrag. artic.3. cap.1. Quomodò horum terminorum vitæ noſtræ diffuſior productio vel anguſtatio, ſacta diuinitùs intelligenda ſit; & quomodò cum diuina prouidentia cohæreat, vt pleriſque impiis longior vita contingat, piis breuior, non eſt huius loci diſquirere: tractatum autem abundè eſt in Naturali Theologiæ diſt.8. à num.185. Nunc ſatis eſt ſtatuere, accidi plerumquè & breuiari vitam, in pœnam ſcelerum. Id quod Scripturæ propoſitæ apertè ferunt, & Patres agnoſcunt. Inde verò perſpicuè ſequitur, vitæ prorogationem eſſe munus diuinum; & benedictionem inter temporarias atque terrenas, veluti fundamentariam. Quin etiam ad ſupernaturalem profectum, & incrementa frugum Iuſtitiæ peropportunam; quandoquidem (vt præmittebam,) extra huius vitæ ſtamna ceſſat meritum. Quæ cauſa eſt, cur Ethnici quoque, vt videre eſt apud Macrob.l.1. in ſomn.c.13. vitæ prorogationem captandam cenſuerint: & Biothanatos vltrò in mortem ruentes, habuerint exoſos & deteſtatione dignos. *Sectio 3. Breuitas in naturalibus.* Vita.

Inde inſuper monſtrare licet, optabilem eſſe diuturnam vitæ vſuram, quod naturali propenſione planè maxima ad id ferimur. [Non quærunt homines, (ait S.Auguſt. ſerm.39. de Verb. Dom. c.3.) niſi dies bonos & vitam volunt longam, quam hic habere non poſſunt: Quia & longa hominis vita tanta breuitate conſtringitur ad vniuerſi ſæculi illius latitudinem, quaſi vna gutta ad vniuerſum mare. Quid ergo eſt vita hominis, etiam illa quæ longa dicitur? Longam vitam dicunt, quæ in ſæculo iſto breuis eſt; & ſicut dixi, abundat gemitibus, vſque ad decrepitam ſenectutem. Hoc totum, modicum, & breue eſt, & tamen quomodò quæritur ab omnibus, quanta diligentia, quanto labore, quanta cura, quanta vigilantia, quanto opere quærunt homines, vt diu hic viuant, & ſeneſcant? Ipſum autem diu viuere, quid eſt, niſi ad finem currere? Habuiſti heſternum diem, habere vis & craſtinum. Sed cum iſte tranſierit, & craſtinus, minùs illos habes. Ideò optas vt luceſcat dies, vt propinquet tibi, quò tu non vis peruenire. Exhibes aliquam ſolemnitatem amicis tuis, audis ibi à bene optantibus dici tibi, multos annos viuas, & veniat quod illi dixerunt. Quid? vt veniant anni, & anni, & non vis veniat finis annorum? Studia tua contraria ſunt. Ambulare vis, & peruenire non vis. Veruntamen, vt dixi, tanta cura ineſt hominibus, vt quotidianis, magnis, perpetuiſque laboribus cupiant vt tardiùs moriantur.]

Nec ea tanta propenſio, hominum eſt propria; nam ad beſtiolas quoque pertinet, de quibus inſigniter in hunc modum, ad noſtram eruditionem ex hoc capite philoſophatur idem Auguſt.l.3. de Geneſi ad liter.c.16. [Omnibus talibus inferioris creaturæ motibus præbentur homini ſalubres admonitiones, vt videat quantum ſibi ſatagendum ſit pro ſalute ſpirituali &

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Vita.

ſempiterna, qua irrationalibus omnibus animantibus antecellit; cùm illa videat à maximis Elephantis vſque ad minimos vermiculos, pro ſalute corporali & temporali, quàm pro ſui generis inferiore ordinatione ſortita ſunt, ſiue reſiſtendo, ſiue cauendo agere quicquid valent: quod non apparet, niſi eum quamdam refectionem corporis ſui ex aliorum corporibus quærunt; alia ſe vel repugnandi viribus, vel fugæ præſidio, vel latebrarum munimine tuentur. Nam & ipſe corporis dolor, in quolibet animante, magna & mirabilis animæ vis eſt, quæ illam compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, & in quandam ſui moduli redigit vnitatem, cum eam indifferenter, ſed (vt ita dicam,) indignanter patitur corrumpi atque diſſolui.]

Tantam propenſionem ad vitæ longitudinem etiam beſtiolis conſertam, homines quorum eſt longè pretioſior vita, meritò agnoſcunt, à natura vel potius a naturæ authore Deo, ſibi implantatam: ideóque tute ei ſeruiunt quantum poſſunt. Id quod viros etiam ſanctiſſimos feciſſe certum eſt, quibusdam fuit, hoc corpus tametſi innumeris ſpurcitiis ac ſordibus ſcatens exuere; ſed ſi fas fuiſſet, optaſſent ſuperueſtiri, ita videlicet deſiderantes exuere mortalitatem ad plenam & liquidam Dei fruitionem adipiſcendam, vt tamen oſtreum carnis abjicere præ naturali propenſione animæ ad corpus, durum & acerbum exiſtimarent. E contrario autem nulli labores in vitæ prorogationem impendendi, videntur aſperi; ſed præ amoris erga vitam magnitudine exantlantur cum gaudio; certè placidè & patienter. Omnia opificia, (& pleraque ſunt admodùm operoſa & dura,) in hunc finem collimant, vt ſeruetur vita, & quàm diutiſſimè prorogetur. Nyſſenus initio dialogi de anima, diſertè hoc profitetur. [Videmus (inquit) omne ſtudium hominum, eò ſpectare, vt in vita permaneamus. Nam idcircò domicilia quoque à nobis, ne vel per æſtum vel frigus ab aëre circumfuſo corpus affligeretur, & conficeretur, ad inhabitandum excogitata ſunt. Agricultura verò quid eſt aliud, quàm vitæ apparatus & ſubſidium? Nam cura atque ſollicitudo vitæ, metu mortis prorſus adhibetur. Quid item Medicina? qua de cauſa ab hominibus in honore habetur? Annon propterea, quia pugnare quodammodò cum morte, ea ars videtur? Thoraces verò, loricæ, clypei, ocreæ, galeæ, & innumera arma, quibus vim homines à corpore propulſant; murorum item ambitus, portæ ferreæ, foſſarum munitiones, cæteráque huiuſmodi, quâ aliâ de cauſa fiunt præterquàm metu mortis?] Diuus item Chryſoſtomus orat. de SS. Bernice, & Proſodoce, de hoc vitæ diuturnæ amore & amoliendæ mortis ſtudio, fusè diſſerit. Vnde liquidò confirmatur, vitam longam eſſe bonum ingens, meritóque capiendum & optandum.

Omne ſanè quod eſt antiquius, eſt venerabilius, quia magis accedit ad Deum, qui eſt antiquus dierum, vt ſcitè dixit Clemens Alexandrinus l. 3. Pædag. cap. 3. Videndus eſt de hac longæuitatis venerabilitate Ritterhuſius ad Oppianū l. 1. Halieut. v. 683. in Panegyrico, dicto Flauienſium nomine Conſtantino Auguſto, etiam in beneficiis, venerabilitas antiquitatis celebratur. Sic enim ibi author poſt memorata anteriora quædam beneficia. [Vetera iſta ſunt, & quidem hoc ſanctiora, quòd vetera. Bonis enim meritis, cum ætate, dignitas & pondus accedit: Atque vt magno natu parentes, magis magiſque in dies veneramur & colimus; fratrum verò æqualitas & liberorum ſoboles, blandiore licet, leuiore tamen animos tangit affectu, ita beneficia antiqua grauiora ſunt, quamuis præſentis ſuauiora videantur.] Amicitiæ item, quo antiquiores eo venerabiliores & potiores. De priuilegiis ac prærogatiuis quæ intra ciuilia & Canonica ſpectabilis iis quæ hactenùs ſunt diſputata, conceſſerunt ſenectuti, Opuſculum concinnauit Fabius Monteleonis.

§. 2. *Vita productior, longior calamitas, quare non eſt quod expetatur.*

VNiuerſam hominis vitam eſſe ingentem calamitatem, docent paſſim Scripturæ, & Patres. Legendus præter cæteros S. Ambroſius l. de bono mortis. S. Cyprianus l. de mortalitate. S. Gregorius l. 11. Moral. c. 16. 27. 28. Chryſoſtom. homil. in Eutrop. & in Pſalm. 36. ad illud, *ſed & fruſtra conturbatur.* Naz. carm. de vitæ itin. Baſilius variis locis quæ ſignat S. Damaſcenus 1. Parall. cap. 10. & 57. vbi alios item adducit. Optimè S. Auguſt. in Pſalm. 30. concione 1. ad verſum octauum. Ex tot tantiſque vitæ noſtræ calamitatibus, concludit Poſiddippus l. 1. Anthol. c. 13. præſtare, breuiſſimè viuere; Nam tametſi verum eſt vniuerſam vitam noſtram quantumuis acciſam & breuem repleri multis miſeriis, tamen eſt extra dubium, in vita productiore, augeri miſerias, tum corporis tum animæ. Et corpus quidem, quo ætas magis ingraueſcit, eo grauioribus & frequentioribus ægritudinibus fit obnoxium. Poteſt accidere vt aliquis bono & eximio corporis habitu pertingat liber grauibus corporis incommodis ad annum ætatis ſeptuageſimum; vel etiam ſi ſit ex potentatibus, vt Pſaltes loquitur, id eſt è robuſtiſſimis, ad annum vſque octogeſimum. Quamquam Plinius lib. 1. Epiſt. 12. annum ætatis ſexageſimum ſeptimum, ætatem robuſtiſſimis ſatis longam ſtatuit. Quamuis igitur aliqui ad octogenam annorum pertingant incolumes, tamen amplius eorum, labor erit & dolor. Hoc eſt, quod vltra illum ætatis terminum decurrent, mera miſeria & mera calamitas erit. Corpore fatiſcente, nec deinceps idoneo obſiſtere malis quibus vndecumque petitur, imò opprimitur; inter tot ærumnas, prorogationem vitæ expoſcere, quid aliud eſt quàm ſibi continuationem vexationis optare?

Itaque meritò Seneca Epiſt. 101. magnæ effeminationis damnauit Mecœnatem. Prælocutus enim non pauca aduersùs metum mortis, & timorem abrumpendi citò ſtaminis vitæ, ſubdit; eum timorem miſerrimum eſſe, & omnia efficere miſerrima. [Inde illud Mecœnatis turpiſſimum votum, quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & nouiſſimè acutam crucem, dummodò inter hæc mala, ſpiritus prorogetur.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa.
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum ſupereſt, benè eſt.
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, ſuſtineo crucem.

Quod

Quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur & tanquam vita ſupplicij mora. Contemptiſſimum putarem, ſi viuere vellet vſque ad crucem. To verò, inquit, me debilites licet, dum ſpiritus in corpore fracto, & inutili maneat: depraues licet, dum monſtroſo & diſtorto, temporis aliquid accedat; ſuffigas licet & acutam ſeſſuro crucem ſubdas; Eſt tanti vulnus ſuum premere, & patibulo pendere deſtructum, dum differat id quod eſt in malis optimum ſupplicij finem? Eſt tanti habere animam, vt agam? Quid huic optes, niſi Deos faciles? Quid ſibi vult iſta carminis effœminati turpitudo? Quid timoris dementiſſimi pactio? Quid tam fœda vitæ mendicatio? Huic putas vnquam recitaſſe Virgilium.

6 *Vſque adeóne mori miſerum eſt?*

Optat vltima malorum: & quæ pati grauiſſimum eſt, extēdi, ac ſuſtineri cupit. Qua mercede? ſcilicet vitæ longioris: Quid autem huius viuere eſt? Diu mori, Inuenitur aliquis qui malit inter ſupplicia tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel exhalare? Inuenitur qui velit adactus ad illud infœlix lignum, iam debilis, iam prauus, & in fœdum ſcapularum ac pectoris tuber eliſus, cui multæ moriendi cauſæ etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium eſſe naturæ, quod neceſſe eſt mori. Multi peiora paciſci adhuc parati ſunt: Etiam amicum prodere; vt diutius viuant; & liberos ad ſtuprum manu ſua tradere, vt contingat lucem videre tot conſciam ſcelerum. Excutienda vitæ cupido eſt, diſcendúmque, nihil intereſſe quando patiaris, quod quandoque patiendum eſt: quàm benè viuas referre, non quamdiu; ſæpè autem in hoc eſſe benè, ne diu.] Affine eſt Plinij conſilium l. 28. c. 1. *in fine.* [Vitam quidem non adeò expetendam cenſemus, vt quoquo modo trahenda ſit. Quiſquis es talis, æquè moriere, etiam cum obſcœnus vixeris aut nefandus; (præmiſerat enim aliquos obſcœna, alios nefaria factitaſſe vt vitam prorogarent, quæ piacula veriùs erant quàm auxilia: Et tamen illis adhibitis, moriendum nihilominus fuit.] Quapropter hoc primùm quiſque, in remedijs animi ſui habeat. Ex omnibus bonis quæ homini tribuit natura, nullum melius eſſe tempeſtiua morte, in eáque id optimum, quod illam ſibi quiſque præſtare poteſt.] Huic caudæ ſcorpij venenatæ inlido ſoleam; Nefariè enim ac ſceleratè quiſpiam manus in ſe violentas inijcit, vt vitam decurtet, anteriora exoſculor.

Quid verò eſt in hac vita, quod eius productionem corpori faciat optabilem? Lucianus ſub finē libri de luctu, ex perſona filij vita functi pro quo pater immodicè lugebat, omnia corporea, quorum vſum delirus pater filio defuncto erepta, mœrebat, ſtultè defleri demōſtrat. Conſonántque illa Greg. Nyſſeni in Pulcheriæ puellæ monodia. [Quàm pulchræ manus, quæ nunquam malum operatæ ſunt? Quàm decori pedes qui ad nequitiam atque malitiam non acceſſerunt, neque in via peccatorum veſtigium ſuum impreſſerunt? Quàm ſpecioſa tota animæ illius facies, non lapidum fulgoribus ornata, ſed ſimplicitate, integritate, & innocentia reſplendens? Sed forſitan angit te, quod ad ſenectutem non peruenit? Quid verò dic mihi, pulchri cernis in ſenectute? An pulchrum prurire ac fricari oculos, corrugari genas, ex ore defluere dentes, & linguæ balbutiem ingenerari, manibus ſubtremiſcere, ad terram incuruari, titubare atque ſubclaudicare pedibus, ducibus inniti, deſipere corde ac delirare, voce abſurda atque inepta pronunciare, qualia huic ætati neceſſariò accidunt incommoda: Et idcirco indignamur & ſtomachamur, quod ad eiuſmodi malorum experientiam non peruenerit?] Similia multa peti poſsūt ex carmine 12. S. Eugenij quod eſt lamentum contra ſenectutem, & ex Elegia 1. Maximiani, vel vt alij volunt Cornelij Galli. Sectio 5. Breuitas in naturalibus.

Iam animi in productiore vita non pauca ſunt diſcrimina, non pauca aut parua mala. Omittamus timorem Antonini, tametſi in non paucis iuſtum. Timebat ille l. 3. de vita ſua c. 1. in longa vita minutionem ſenſus, vel etiam delirium; indéque ſe vrgebat ad vitæ, dum vegeta florénſque ſuppetit, nauam inſumptionem. [Non hoc tantum, inquit, eſt conſiderandum, ſingulis diebus vitam conſumi, partémque eius ſubinde minorem relinqui: ſed & hoc cogitandum, quod etſi quis diutiùs ſit victurus, incertum tamen eſt, ſit ne ſuppeditatura eadem intelligentia ad cognoſcendas res, & contemplationem, cuius finis eſt peritia rerum diuinarū atque humanarum. Etenim ſi delirare cœperit homo, ſpirabit quidem, nihilominus nutrietur, imaginabitur, appetet, reliquáſq; id genus facultates retinebit. Ea verò vis, qua ſeipſo vti queat, rationes officij ſubducere accuratas, quæ animo percepit in ordinem collocare; de eo ipſo an iam tempus ſit vitam relinquendi deliberare, ac ſi quæ alia ſunt, ad quæ obeunda, ratione probè exercitata opus eſt; ea inquam vis, iam ante extincta eſt Feſtinandum eſt igitur, non ideò ſolùm, quod ſubinde morti propiores ſimus, ſed & quia rerum intelligentia nos antè exitum vitæ deſtituit.] Hoc tamen diſcrimen, vt infrequentius haberi poſſit, minùs grauatè annuam. Sed quid de diſcrimine labendi in grauia peccata, quod omnibus ſemper quandiu viuunt, imminet? Hoc ſpectaſſe videtur Menander, adductus à Plutarcho in conſol. ad Apollon. Dixit enim Menander: [Quem diligunt Dij, iuuenis moritur.] Spiritus Sanctus Sap. 4. hanc ob cauſam, beneficij loco fuiſſe docuit, adoleſcenti ſortito animam bonam, quod raptus eſſet, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Idque à pleriſque Patribus annotatum eſt, nominatim à Nyſſeno orat. de iis qui prematurè abripiuntur. Vita.

Video, Senecam ex hoc item capite breuitatem vitæ celebraſſe ſic enim ad Marciam differit c. 22. [Quæreris, Marcia, non tam diu vixiſſe filium tuum, quàm potuiſſet; vnde enim ſcis an diutius illi expedierit? An illi hac morte conſultum ſit? Quem inuenire hodie potes, cuius res tam benè poſitæ ſint & fundatæ, vt nihil illi, procedenti tempore timendum ſit? Labuntur humana ac fluunt. Nulla pars vitæ noſtræ tam obnoxia, aut tenera eſt, quàm quæ maximè placet. Ideóque feliciſſimis optanda mors eſt: quia in tanta inconſtantia turbáque rerum, nihil niſi quod præteriit certum eſt. Quis tibi recepit illud pulcherrimum filij tui corpus, & ſumma pudoris cuſtodia inter luxurioſæ vrbis oculos conſeruatum, potuiſſe ita morbos euadere vt ad ſenectutem, formæ illæſum præferret decus? Cogita animi mille labes. Neque enim recta ingenia, qualem in adoleſcētia

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Vita.

ſpem ſibi fecerant, vſque in ſenectutem pertulerunt, ſed intervenerſa plerumque ſunt; aut ſera, cóque fœdior luxuria inuaſit & coëgit dehoneſtare ſpecioſa principia, aut in popinam ventrémque proiectis, ſumma illis curarum fuit, quid eſſent, quod biberent.] Itaque conſultius illis fuiſſet citò abripi, & ante ſubduci è vita, quàm in huiuſmodi vitiorum voragines ruerent, malè immutati. Ac proinde exitiale eſt, vitam cuius prorogatio iuſtum metum plurimorum & grauium ſcelerum ingerit, optare longam.

Inſignis omnino S. Sebaſtiani oratio huc belle cadet, cum enim duo Martyres deſignati Marcus & Marcellianus fratres, matris primùm ac deinde patris, tum coniugum ac liberorum à martyrio auocantium orationibus, molleſcere, & ad vitæ dulcedinem cum charis prorogandam inflecti viderentur; S. Sebaſtianus (vt eius acta 20. Ianuar. referunt,) his eos præter cætera verbis firmauit. [Hæc præſens vita, fugaciſſima eſt, & vſque adeò infida, vt nec ſui amatoribus fidem ſeruare potuerit vnquam; Ab ipſa enim mundi origine, in ſe fidentes fefellit, omnes ſui cupidos deluſit, cunctos de ſe præſumentes irriſit; & ita nullum omnino certum reddidit, vt omnibus probetur fuiſſe mentita. Atque vtinam ſolius mendacij culpæ eſſet obnoxia, & non per flagitia omnia ſuos cogeret peruagari amatores. Ipſa edacitatem ſuggerit voracibus, ebrietatem temulentis, naufragium pudoris adulteris, execrabilem peruerſitatem inceſtis. Ipſa furem inſtigat vt rapiat, iracundum vt ſæuiat, mendacem vt fallat. Ipſa inter coniuges diuortia ſeminat, inter amicos diſcordias, inter pacificos lites; inter iuſtos iniuſtitiam, inter fratres ſcandala; Ipſa iudicibus eripit iuſtitiam, caſtis pudicitiam, artificibus peritiam, moribus diſciplinam; & vt immaniora quæ ſuis amatoribus ingerit crimina memoremus, ſi fratrem aliquando germanus frater occidit, ſi filius necauit patrem, ſi interemptus eſt ab amico amicus; cuius hæc inſtinctu perpetrata ſunt ſcelera, cuius intuitu, cuius vel ſpe vel fiducia hæc nefanda admiſſa ſunt facinora? Annon præſentis huius vitæ amore ducti, dum hæc committunt illámque plus æquo diligunt, iniquo odio homines proſequuntur? Cur enim Pirata iugulat nauigantem, cur latro viatorem interficit, diues opprimit pauperem, ſuperbus humilem, & nocens omnis quemcumque poteſt infeſtat innocentem? Certe hæc mala omnia illi, deſignant, qui huic vitæ obſequi cupiunt, ſibíque perſuadent, ſe eius in amore poſſe per longa temporum ſpatia durare. Non ergo alterius rei cauſa fiunt ſcelera, niſi vt infœliciſſimæ huic carnali vitæ, à carnalibus inſeruiatur. Ipſa eſt quæ eis crimina imperat, iubet facinora, ſuadet iniuſta: & poſteaquàm omni eſt crudelitate omníque ſpurcitia ſaginata, ſeruientes ſibi, tradit filiæ ſuæ, morti ſempiternæ. Ex ipſa enim, & ex eius vtero, nata eſt mors æterna, quando gulæ ſuæ, & libidini, & oculorum oblectamentis primi homines obsecuti ſunt: atq; ideò qui ad æternam capeſſendam vitam conditi erant, in hanc mortis regionem ſunt detruſi, atque hinc porrò ad inferos deuoluti, nihil ſecum aſportantes. Hæc ergo vita eſt, quæ vos fallit amici chariſſimi, vt amicos veſtros ad vitam euntes ſempiternam, iniuſto concilio reuocetis.]

Benè itaque diuina prouidentia Sanctis ſuis proſpexit, cum breuem illis vitam conſtituit, breuiáſſet ijs tot diſcriminum occaſionibus. Quod benè aduertit Hyſſeous orat. in eos qui præmaturè abripiuntur. Tametſi enim non eſt improbanda ratio Algeri qui lib. 2. de Euchar. c. 7. inſignioribus Sanctis breuiorem obtigiſſe vitam cenſet, vt ſignificaretur mortalibus, Deum non ex quanto tempore, ſed quanto animo ei ſeruiatur, attendere: Tamen ratio citatæ mortis ne fictio deciperet animam innocui, & in tot labendi diſcriminibus accerſeretur homini eiuna, in Scripturis ipſis eſt expreſſa; ideóque non poteſt non haberi idonea. Blaſphemè autem Claudius Quadrigarius hanc Dei in probos quoſque fauorem, quod non ſinantur hic diurnare ad iniquitatem traxit, iure ſugillante Lipſio cent. 1. epiſt. 42.

Quamquam ſi rem accuratè expendimus, nullius qui iuſtè & rectè vixerit, breuis eſt habenda vita: & nullius qui malè vitam impendat, longa vita eſt, quantumuis prorogata. Doctrina eſt Origenis hom. 1. in Iudic. [Longorum (inquit) dierum dicuntur ſeniores, qui poſt Ieſum fuerunt. Et quidem Dei eſt ſolius, noſſe, poſt Ieſum, qui fuerit inter ſeniores, qui longiorem diem fecerit, id eſt qui maiorem ex ſe emiſerit lucem: verum Petrus, an Paulus, Bartholomæus, an Ioannes; Veruntamen longorum dicuntur dierum Sancti. E contrario verò tunc quando venerit filius hominis, difficilè fidem inueniet ſuper terram: tunc non dicuntur futuri longi dies, ſed magis abbreuiati dicuntur, ſicut dixit Dominus, quia niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non ſalua fieret vlla caro. Mali ergo dies breuiati dicuntur: longæui autem ſunt, & multi temporis, & grandis quodammodo ſpatij, dies boni, in quibus Domino ſeruimus.] Vocat ſeniores, Sanctos illos qui plures ſanctimoniæ dies exegerunt; quos dies virtutum, ibi conſequenter perpulchrè deſcribit.

Sed quod eandem doctrinam aliis in hanc rem præclarè dictis illuſtret homil. 16. in Ioſue, iuuat illum adſcribere. [Etiam ante nos (inquit) quidam obſeruantes notarunt, in Scripturis, quia Presbyteri, vel ſeniores non ex eo appellantur, quod longæuam duxerint vitam: ſed pro maturitate ſenſus & grauitate vitæ veneranda, hac appellatione decorantur, maximè cum additur ad Presbyterum, ſermo iſte qui ſequitur, *plenus dierum.* Si enim æui prolixitate appellandus quis, Presbyter, vel ſenior videretur, quem magis oportebat, alium hoc nomine cenſeri, quàm primum Adam, vel certè Mathuſalem, aut Noë qui vtrique pluribus quam cæteri annis in hoc mundo vixiſſe declarantur? Sed nunc videmus, quod ex illis quidem nullus refertur à Scriptura Presbyter, aut ſenior appellatus; ſed is qui longè breuioris temporis vitam duxit, primus in Scripturis Sanctis, Abraham Presbyter, vel ſenior appellatur. Dictum eſt etiam Moyſi à Domino, *elige tibi ab omni populo Presbyteros, quos tu noſti, quia Presbyteri ſunt.* Sed obſerua etiam tu, ô auditor, in omni Scriptura, ſicubi inuenire potes appellationem hanc, *ſenior*, & *plenus dierum*, poſitam ſuper aliquo peccatore. Nunc ergo Sancti Spiritus vox eſt, pronuncians Ieſum Presbyterum, vel ſeniorem, & prouectum in diebus Ita enim dicit, *Ieſus erat*, inquit, *Presbyter, vel ſenior & prouectus dierum*, quod vtique de peccatore dici non poterat, quia peccator non eſt prouectus dierum. Non enim ſe extendit ad ea quæ antè ſunt, obliuiſcens ea quæ retrorſum ſunt, ſed

ſemper

ſemper retrò conuertitur, & ad vomitum ſuum redit, & ideò non aptus eſt regno cœlorum. Qui autem ad priora extenditur, & ad perfectionem fertur, ille prouectus eſt in diebus ſuis. *Et nunc ergo* dicit Dominus ad Ieſum, *tu prouectus es in diebus tuis.* Neſcio ego ſi in hoc loco, illud poteſt videri; quia hoc dicebat Dominus ad Ieſum, quod de ætate eius ſenili omnes videbant, & omnes nouerant. Et quæ ſunt tam magna reſponſa iſta diuina; quæ hominibus deferuntur, vt dicant ſeni homini, quia ſenex es, quod omnes videbant & omnes nouerant? Sed mihi videtur magnum aliquod teſtimonium à Domino per hæc dari filio Naue, cum ei dicitur, *quia prouectus dierum es.* Et quantum quidem proloqui nobis, vel aperire de diuinis myſteriis fas eſt, ego arbitror; quia ſicut ſol iſte dies facit mundo huic, ita & Sol Iuſtitiæ, faciat aliquos dies ſpiritales, qui fulgore veritatis, & lampade ſapientiæ illuſtrentur. Si quis ergo in præceptis Dei vitam hanc præſentem, quæ (ſicut Iacob dicebat) paucorum & malorum dierum eſt, tranſegerit, & immaculatum, ſed ab hoc mondo cuſtodierit, atque omnes aduerſarios & hoſtes ſubegerit ſpiritales, ab iſtis paucis & malis diebus, prouehitur. & promouetur ad illos dies æternos, & bonos, æterni ſolis luce ſignatos. Tali ergo quodam ordine intelligendus eſt & Ieſus ex diuinis reſponſis prouectos dierum pronunciari.]

Audiendus inſuper in hanc rem S. Ambroſius. lib. 2. de Caïn capite vltimo, tractans vitæ prorogationem Caïno fratricidæ conceſſam & appoſitionem ſigni ne interficeretur. [Cum eſſet (inquit) perpetuis ſuppliciis obnoxius, non remitti ſibi pœnam popoſcit, ſed vitam corporis huius obſeruandam putauit, in qua plus ærumnæ eſt quàm voluptatis. Mors enim vna eſt in ſeceſſione animæ, & corporis; & in fine iſtius vitæ: quæ ſimul vt venit, omnes corporis dolores auferre, non augere conſueuit. Metus verò qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt, mœſtitiæ, dolores, gemitus, diuerſique cruciatus, grauitatum, & ægritudinum vulnera, plurimas etiam mortes generi humano inferunt vt iſta mors remedium eſſe videatur non pœna. Non enim peremptoria eſt, per quam non adimitur vita, ſed ad meliora transfertur. Nam ſi nocentes moriuntur qui gradum à peccatis reuocare noluerint, vel inuiti; tamen finem non naturæ, ſed culpæ adipiſcuntur, ne plura delinquant quibus vita fœnus eſt delictorum. Si autem bonæ ſpei compotes ſunt migrare magis quàm deficere credendi ſunt.] Excurrit in dogma immortalitatis animarum, quod ex modo agendi Dei cum Caïno, inferri docet. Tum concludit. [Redarguuntur itaque hac ſimplici ſerie geſtorum. Ecce enim iuſtus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis, odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui, ſublatus eſt parricidio: & iniquus ſceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina. Nónne in his apertè vox Dei clamat, erratis qui putatis hîc eſſe omnem viuendi gratiam non intelligitis, non aduertitis, ſenectutem hanc miſeriarum eſſe veteranam; proceſſionémque ætatis, ærumnarum ſtipendia, & ſcyllæo quodam vſu, circumſonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in ſcopuloſis habitaculis degere, & in his delectari, ſicut illud non tam æternum animal, quàm immortale malum.] *Sectio 2. Breuitas in naturalibus.*

Adſtipulantur paſſim alij, ſenectutem & vitam longam moribus & virtutibus, non annorum longitudine metiendam, docentes, iuxta illud; *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata.* Ita Philo. lib. de illis verbis, *reſipuit Noe*, initio. Chryſoſtomus homil. 7. ad Hebr. *in morali.* Hieronymus epiſtol. ad Paulinum de inſtit. Monachi, Gregorius 19. moral. cap. 13. Caſſiodorus in præfatione libri 11. var. Caſſianus collat. 2. cap. 13. Eucherius homil 9. ad Monach. *ſub finem.* Richardus de Sacrificio Abrahæ, & in Cantic. Abacuc. Nec ipſi Ethnici ab hoc ſenſu abhorruerunt. Senecam adduco. [Nihil turpius eſt (ait lib. de tranquillitate animi cap. 3.) quàm grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem.] Addo alia eiuſdem ex epiſt. 93. [Quid inter eſt quàm citò exeas, vnde vtique exeundum eſt? non vt diu viuamus curandum eſt, ſed vt ſatis: Nam vt diu viuas, fato opus eſt: vt ſatis, animo. Longa eſt vita, ſi plena eſt. Impletur autem cum animus ſibi bonum ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit. Quid illum octoginta anni iuuant, per inertiam exacti? Non vixit iſte, ſed in vita moratus eſt; nec ſerò mortuus eſt, ſed diu. Octoginta annis vixit. Intereſt mortem eius ex quo die numeras. At ille obijt viridis: ſed officia boni ciuis, boni amici, boni filij executus eſt. In nulla parte ceſſauit licet eius ætas imperfecta ſit, vita perfecta eſt. Octoginta annis vixit; Immò octoginta annis fuit, niſi fortè ſic vixiſſe eum dicis, quomodò dicuntur arbores viuere. Obſecro te mi Lucili, hoc agamus, vt quemadmodùm pretioſa rerum, ſic vita noſtra non pateat multùm, ſed multùm pendat. Actu illam metiamur, non tempore.] Alia pete ex Plutarcho in conſolat. ad Apollonium. *Vita.*

Itaquè in breui vita nihil decedit bonis qui ſunt in omni ætate ſenes, *ὡς παιδαριογέρων* vt de Macario Ægyptio dictum olim eſt, ob eius ſenilem in ætate non prouecta ſapientiam, quod refert Palladius ſect. 17. Laus; Ne ipſa quidem æternandi nomen ſuum per ſcriptiones facultas adimitur, cum tam multi in breui vita ſcripſerint egregiè. Signat exempla Leo Allatius lib. de Apibus Vrbanis in Ioanne Argolo. Malis item nihil accedit reuera dignum æſtimatione, quamuis enim per tempus illud longius quo vita prorogatur, declinent pœnas inferni, qua ex cauſa Themiſtius (referente Stobæo ſerm. 121.) optandam dicebat in hac vita longam moram, metu futurorum, homo in alta Chriſtianitatis luce Ethnicissimus; tamen quod differtur non aufertur. Neque ſanè admodum differtur. [Quid enim diu eſt (ait Diuus Auguſtinus ſerm. 110. de diuerſ. cap. 10.) vbi finis eſt? Si Adam hodie mortuus eſſet, quid ei profuiſſet.] Præterea quod diffuſior eſt malorum vita, eo magis multiplicant peccata, & miſerabiliores ſemper euadunt. Notauit hoc egregiè vt omnia Boëtius 4. lib. de conſol. proſa 4. dicens. [Non eſt aliquid in tam breuibus vitæ metis ita ſerum, quod expectare, longum, immortalis præ-

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. ſertim animus putet; quorum magna, ſpes, & excelſa facinorum machina, repentino atque inſperato ſæpe ſine deſtituitur. Quod quidem illis miſeriæ modum ſtatuit. Nam ſi nequitia miſeros facit, miſerior ſit neceſſe eſt, diuturnior nequam: quos infeliciſſimos eſſe iudicarem, ſi non eorum *Vita.* malitiam, ſaltem mors extrema finiret.] itaque & bonis & malis, contractius vitæ curriculum, merito eſſe in votis debet.

Concludo cum S. Cypriano lib. de mortalitate, aduerſùs expoſtulantes de vitæ breuiatione per peſtem. id enim inconſultiſſimè factum monſtrat. [Conteſtans tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberam & tranquillam quietem, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis & firma & perpetua ſecuritas. Cæterum quid aliud in mundo quàm pugna aduerſùm Diabolum quotidiè geritur? quàm aduerſùs iacula eius & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus, aſſidua, & rugia & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & vndique Zabuli infeſtatione vallata, via occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat; inflat ſuperbia, violentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris malè dicere, quod lex diuina prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot pectus vrgetur periculis; & delectat hic inter Zabuli gladios diu ſtare? cum magis concupiſcendum ſit & optandum, ad Chriſtum ſubueniente velociùs morte properare; ipſo inſtruente nos & dicente; *Amen, amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſeculum autem gaudebit: vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in letitiam veniet:* Quis non ad lætitiam venire feſtinet? quis non triſtitia carere optet? quando autem in lætitiam veniat noſtra triſtitia, Dominus denuò ipſe declarat dicens; *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum, nemo tollet à vobis.* Cum ergo videre Chriſtum, gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, niſi cum viderimus Chriſtum, quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare preſſuras, & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium quod nunquam auferri poſſit.]

Seneca in conſol. ad Marciam cap. 20. pro Ethnico, admodùm in hanc rem ſapienter, exclamando philoſophatur. [O ignaros malorum ſuorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur; quæ ſiue fœlicitatem includit, ſiue calamitatem repellit, ſiue ſatietatem, aut laſſitudinem ſenis terminat, ſiue iuuenile æuum dum meliora ſperantur in flore deducit, ſiue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum, de nullis melius merita, quàm de his ad quos venit antequam inuocaretur. Hæc ſeruitutem inuito Domino remittit. Hæc captiuorum catenas leuat. Hæc è carcere educit quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc exulibus in patriam ſemper animum oculóſque tendentibus, oſtendit, nihil intereſſe inter quos quiſque iaceat. Hæc vbi res fortuna malè diuiſit & æquo iure genitos aliũ alij donauit, exæquat omnia. Hæc eſt quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Hæc eſt in qua nemo humilitatem ſuam ſenſit. Hæc eſt quæ nulli paruit.] Veriſſimè profectò habet fabella de Sileno à Mida capto; idque ei muneris pro ſua miſſione largito, (vt Tullius retulit,) perſuaſum haberet, non naſci hominem longè optimum eſſe; proximum autem, quàm primùm mori.

Non video quid obſtet quominus huc trahamus, longam illam lineam cuius Suidas meminit V. μακρὰ γράμμα, docens notam fuiſſe damnationis: ſicut è contrario, breuis linea, erat nota abſolutionis. Verè enim abſoluitur multis vinculis, qui exit è corpore mortis huius, poſt breuem moram: Addicitur autem magnis malis qui diu viuit. An hùc pertinet longa Plauti litera? Apud eum enim in Aulul. anus *Staphila* nomine, heri auari Euclionis intemperias vitatura ait.

—— Neque quicquam melius eſt mihi,
Vt opinor, quàm ex me vt vnam faciam literam
Longam; Mi laqueo collum quando obſtrinxero.

Literam longam effingit, qui ſuſpendio perit, quæcumque demum ea ſit longa litera, id eſt ſiue λ. ſiue I. gemino i. æquiualens quod Iulius Scaliger lib. 1. de cauſ. ling. Lat. cap. 1. & Lipſius lib. de recta pronunc. cap. 8. tradiderunt: ſiue T. quæ litera (vt Ludou. Cæl. lib. 10. antiq. lect. cap. 8. eſt philoſophatus) pendulum ſuſpendioſi corpus, ac tigillum è quo pendet, recto ſuo ac tranſuerſo ductu repræſentat. Vnde apud Lucianum in vocalium Iudicio *Sigma* obijcit literæ *Tau*, quod furcas exprimat Σ. enim apud Græcos, ſæpè mutatur in Τ. Vnde litera σ. expoſtulat de hac ſua deturbatione per τ. illúdque dignum pronunciat, cui inferatur ſupplicium quod figura ipſius T. exprimitur. Hanc ergo intelligebat literam Plautus, agens de ſuſpendio, & inſertione colli in laqueum. Ita exponit hanc literam longam Harpsfeldius, ſub nomine Alani Copi dialog. 4. cap. 10. Et apud Maronem in Catalectis quem locum Auſonius in monoſyllabis allegauit,

Tau Gallicum prominet, ipſemet malè illuſit.

Notauit hunc Maronis locum Ioannes Vlpius Adag. *literam longam facere.* Quamquam Romanis & Hebræis, ſoſpitalem fuiſſe T. literam, monſtrat Hermannus Hugo de prima ſcrib. orig. cap. 2x. Vt vt ſit longam literam facere in eo Plauti loco, eſt implicare collum laqueo. Eodem recidit quoad rem ipſam, tametſi longæ literæ notionem euertit. Famianus Strada lib. 3. prælect. 3. qui cum Hieronymo Aleandro legit, *ex me vt vuam faciam ad litteram, longum mi laqueo collum quando obſtrinxero*, alluſione facta ad nomen *Staphyla* Latinè expreſſum, quod eſt *vua*, per ſuſpendium autem miſera illa anus, *Staphyla* dicta fiebat, ad literam, & vt cortex literarum nominis eius ſonabat, *vua penſilis*, vt in Pœnulo

actu I.

actu. 1. ſc. 2. habetur. Iuxta hanc quoque loci Plautini lectionem, longitudo qualis vox ſuſpenſæ, ominoſa eſt. Breuitas è contrario abſolutionem à malis inſinuat, & ab omni malo omine procul recedit. Id in vitæ præſertim breuitate, veriſſimum.

Sit ſanè in brutis, quæ alteram vitam non habent, & in diem ſemper viuunt, decus aliquod vita longa in qua propterea non pauca è brutis animantibus ſuperant hominem iuxta illud Heſiodi expreſſum ab Auſonio Edyl. 18.

> *Ter binos, deciéſque nouem ſuperexit in annos,*
> *Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.*
> *Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix.*
> *Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus.*
> *Alipedem ceruum ter vincit coruus, & illum,*
> *Multiplicat nouies phœnix, reparabilis ales.*
> *Quam vos perpetuò decies preuertitis æuo*
> *Nymphæ, Hamadryades quarum longiſſima vita eſt.*
> *Hi cohibent fines viuacia fata animantum.*

Fabulis hæc annumerat Plinius lib. 7. cap. 48. Sed ſint, (ſi lubet,) veritati conſentientia. Decus id fuerit belluinum, nec tam hominem quàm bruta honeſtans. Homini quippè non diu viuere, ſed benè viuere, in laude ponitur.

IV. *Longi corpore ſpecioſiores, éſtque ea ſtatura dignior.*

Dioſcorum, Ammonium, Euſebium, & Euthymium Monachos, *longos fratres* à proceritate corporum dictos, memorat Photius cap. 96. ex Georgio Alexandrino in vita Chryſoſtomi. Eam longitudinem plurimùm conferre ad honeſtam ſpeciem, ex eo liquet, quod in vaſta mole corporis, compages organorum & totius hominis conformatio, aptior eſt quàm in breui ſtatura. Quis enim non effunditur in riſum cum audit apud Auſonium epigram. 15. ſic canentem Auicium Probinum de perpuſillo homine.

> *Fauſtulus inſidens formicæ, ut magno Elephanto,*
> *Decidit & terræ terga ſupina dedit.*
> *Móxque idem eſt ad mortem multatus calcibus eius.*
> *Perditus vt poſſet vix retinere animam.*
> *Vix tamen eſt fatus; quid rides improbe liuor,*
> *Quod cecidi? cecidit non aliter Phaëton.*

Therſites deformiſſimus, idem paruus deſcribitur, ita vt de eo dicatur, à Martiale lib. 14. Epigram. 212. *Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.* Multum ergo abeſt ab honeſta corporis ſpecie, breuitas & puſillitas corporis. Et è contrario altitudo corporis & ſtatura procera, plurimùm confert ad elegantiam, & venuſtatem corporis, vnde Cæſar. 1. Commentar. Heluetios impensè celebrat proceritate, tanquam idcirco elegantes ac ſpectabiles præ cæteris. Indidem Liuius Scipionem; Traianum Plinius Nepos; Carolum Magnum Eginhartus; Sterraterum Saxo Grammaticus commendant, tanquam corpore honeſtiſſimos, cum eſſent alta ſtatura. Adamum primum parentem, Dei ipſius manu figulatum; aliqui apud Moſem Barcepham addictis SS. Athanaſio ac Cyrillo; proceriſſimæ ſtaturæ fuiſſe dixerunt, ita vt è terra paradiſo affini, per mare in Syriam pedibus commearit. Fuiſſéque inter Gigantes maximum, cenſuit Ioannes Lucidus lib. 1. de emendat. tempor. cap. 4. & inſinuatum putarunt Ioſuë 14. verbis illis; *Adam maximus, ibi* (in Hebron) *inter Enacim ſitus eſt.* Eiúſque lectum Adricomius in deſcriptione Tribus Iuda, triginta pedum fuiſſe teſtatur. Videndus in hanc rem Magiùs lib. 1. Miſcellan. cap. 4. Et tamen Adamum fuiſſe ſpecioſiſſimum & formæ exquiſitiſſimæ, Philo Iudæus in Coſmo, elegantiſſimè proſequitur.

Sectio 1. Breuitas in naturalibus.

Vita.

Proceritas ergo multùm facit ad corporis ſpeciem ac venuſtatem; éſtque ea ſedes animæ dignior, & ad obeundas operationes congruentior, de ſententia Latini Pacati ad Theodoſium Magnum, in Panegyr. quem animo & corpore magnum celebrat, quod [Romani faſtigij apicem, non ſolùm fortitudine atque ſapientia, ſed decore etiam corporis, & dignitate poruerit æquare; velut tua hæc forma venerabilis quàm fortunæ ſuæ par eſt, quàm longè latéque conſpicua, commendat imperium: vt planè in ambiguo ſit, vtrum te magis noſtris mentibus an obtutibus vultus inſinuet. Non fruſtra planè opinione Sapientum, qui naturalium momenta cauſarum ſubtiliùs ſciſcitati, arcanis cœleſtibus nobiles curas intulerunt, auguſtiſſima quæque ſpecies plurimùm creditur trahere de cœlo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hoſpitium; ſiue cum venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo; ſiue aliud ex altero creſcit: & cum ſe paria iunxerunt, vtraque maiora ſunt, &c.] Formam longè, latéque conſpicuam, vocat proceram & commenſæ ſpiſſitudinis. *Staturam qua reſignet prolixitate regnantem*, vocat Enodius in calce Panegyrici, Theodorico dicti. Æquè ſtaturam Imperatoriam, quæ prolixa, id eſt, longa ſeu procera eſt, appellant Æmilius Probus in Iphicrate, Spartianus in Peſcennio Nigro, Capitolinus in Pertinace.

Non agitur quidem de proceritate ferè monſtroſa, qualis ſuperiore ſæculo fuit in virgine, è parentibus, & maioribus, humilis ſtaturæ progenita, quæ item ad annum vſque duodecimum, breui ſtatura fuerat; exinde verò poſt colluctationem aliquot menſium cum febre quartana, excreuit in molem Gigantæam, ita vt quæſtus gratia oſtentaretur per vrbes, vt ex Vviero teſte oculato ſcribit Schenchius lib. 6. obſeruationum medicinalium tit. de febre quartana, obſeruat. 6. Talis item monſtroſa proceritas in muliere fuit, quam lib. 15. de Ciuit. cap. 23. ex parentibus ne ad communem quidem modum longis, corpore Gigantæo viſam, & mira-

Sectio 2. *Breuitas in naturalibus.*

bili vndecumque ad eam concurſu facto frequentatam, teſtatur D. Auguſtinus. De tali igitur proceritate, non eſt nobis hoc loco ſermo. Sed agimus de longitudine conuenienti; qualem in humanis corporibus Marcus Varro ſeptem pedibus definiuit, ſuffragante Aulo Gellio lib. 3. cap. 10. & hæc altitudo cum exceditur, monſtruoſitas incurritur, qualis fuit Goliathi altitudo, quæ iuſto maior erat, ad 12. pedes pertingens ex 1 Reg. 17. ſex enim cubiti quot in altitudine Goliathi interueniſſe ibi dicuntur, duodecim pedibus correſpondent, vt ibidem confirmat Gellius ſubſannans Herodotum, quod Oreſtis corpus 12. pedes, & quadrantem longum feciſſet, cum tamen Oreſtem à monſtroſitate abfuiſſe conſtaret.

Statura.

Eandem proceritatem iuſtæ menſuræ in Heroibus celebrauere Poëtæ, vt notat. Scaliger lib. 1. Poët. & in Traiano ſuo Plinius ac in Conſtantino magno Nicephorus lib. 8. cap. vltimo, & in Theodorico celebrabam proximè ex Enodio, & celebrauit etiam Sidonius lib. 1. epiſtol. 2. dicens de eo. [Si forma quæratur corpore exacto, longiſſimis breuior, procerior, eminentiórque mediocribus.] In Odoacre Italiæ Rege, laudata eſt ſimilis proceritas. Eius meminerunt acta S. Seuerini 8. Ianu. teſtantia, cum Odoacer ſubiturus Sancti Seuerini cellam, ne verticem ſuperliminari illideret, inclinaſſet ſeſe, audiuiſſe à Sancto Seuerino, futurum vt qui ſe demiſerat, attolleretur. Anaſtaſium Imperatorem fuiſſe admodùm procerum, ſcribit Cedrenus in compend. Ipſa diuina Scriptura, formam hanc regiam commendat in Saüle quem ſupra vniuerſum populum humeris extantem, deſcribit 1. Reg. 10. Et non minùs procerum fuiſſe Dauidem ex traditis illi pugnaturo armis Saülis, rectè infert Sancius 1. Reg 21. num. 28. Cæleſtis ſponſi ſtatura Cant. 7. aſſimilata dicitur cedro, quæ inſigniter procera eſt. Vide Sancium ibi Conſentaneè ad quam Sponſi in Canticis deſcriptionem, in ea Chriſti apparitione facta Duaci in Eccleſia S. Amati quam deſcribit Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 40. num. 2. Natus Chriſti refertur fuiſſe *admodùm longus directus valdè.*

Inter Græcos ſapientes, Prohæreſium vno pede ſupra omnem extantem, quaſi coloſſum exhibet Eunapius. Cui verò non audita Sancti Chryſtophori proceritas? Multi quidem eam conantur interpretari allegoricè, vt Hieronymus Vida hymno de S. Chryſtophoro, & alius apud Vicelium in hagiologio, Villauicentius lib. 5. de rat. ſtudij theolog. cap. 5. nec abhorret Molanus lib. de imag. cap. 23. & Serarius lib. 2. Litaneut. quæſt. 20. Fauet quod in hymno Toletano ſecundùm Sancti Iſidori regulam, ſanctus hic martyr, dicitur fuiſſe elegans ſtatura, cum tamen elegantia ſtaturæ nequaquam cohæreat cum tanta vaſtitate & Gigantæa altitudine, quæ illi affingitur à pictoribus. Sicut ergo pleræque ſunt ſanctorum imagines ſymbolicæ & emblematicæ, quas imperitum vulgus falsò cenſet veras imagines, rem ad viuum referentes, de quibus pulchrè Baronius ad Romanum Martyrologium 23. April. & non rarò Molanus laudato opere de picturis, & imaginibus: ita Sancti Chryſtophori imago, ad eius animi excelſitatem ac granditatem exprimendam effingi multis viſa eſt, proceræ & Gigantææ ſtaturæ. Verùm nihil eſt opus ad ſymbola recurrere, cum eius proceritatem nihil ſit quod conuellat, aliqua etiam adſtruant. Vt quod Ludou. Viues ad lib. 15. de Ciuit. c. 9. refert de molari dente pugno maiore, quem Sancti Chryſtophori fuiſſe dicerent Valentini, & inter ſacra cimelia aſſeruarent. Nam ex tam ſpiſſo dentis modulo, Gigantæam corporis vaſtitatem colligere, cum Sancto Auguſtino ibidem, omninò licet. Videtúrque eodem modo Euagrius lib. 1. hiſtor. cap. 13. ex dentium Sancti Simonis Stylitæ magnitudine, quantus ille fuiſſet, colligere. Sed & Bernardus Brendebachius in deſcriptione peregrinationis ſuæ Hieroſolymitanæ part. 1. cap. de reliquiis, Venetiis, oſtenſum ſibi quoddam os magnum Sancti Chriſtophori, disertè notauit. Salua ergo ſit Sancto Chryſtophoro ſua proceritas exſibilantis, Chytræo ſectario in ſuo Onomaſtico, & Gaſtimergo Chamerio in epiſtolis Ieſuiticis part. 46. qui præ commentitia (vt volunt) granditate, hunc ſanctum, *Polyphemum & portentum* appellant. Plerique alij Sancti præcelſa & procera fuiſſe ſtatura referuntur: De SS. Geruaſio & Protaſio, S. Ambroſius deſcribens eorum inuentionem, teſtatur, eorum corpora abs ſe reperta, *miræ magnitudinis*, vt *priſca ferebat ætas.* Æquè S. Soſium cum inuentum eſſet eius ſacrum corpus, deprehenſum eſſe admodùm procerum, habent eius Acta 23. Septemb. Sancti Benedicti altitudinem corporis, menſura eius quæ Sublaci monſtratur, facit teſtatiſſimum. Sanctam Euphemiam fuiſſe prælto corpore, licet colligere ex capſa prælonga, qua concluſum fuiſſe eius corpus demortuum, ſcribit Euagrius lib. 2. cap. 3.

Statuæ heroum & deorum, admodùm proceræ effingi debebant, vt eorum creditæ ſtaturæ correſponderent, quod notauit Pomponius Gauricus lib. de ſculptura, & Philander ad Vitruuium lib. 2. cap. 8. Dimiſſis verò Ethnicorum figmentis, Deus verus pro nobis corporatus, vt ſpeciem corporis Deo dignam ſortiretur, longitudine fuit eximia, quandoquidem iuxta Nicephorum lib. 1. cap. 40. ad palmos ſeptem excreuit. Nec potuit eſſe parua Chriſti altitudo, cum eſſet Adam ſecundus, cuius forma erat primus Adam teſte Apoſtolo. At primum Adamum proceræ admodùm fuiſſe ſtaturæ iam vidimus.

Nec in virili tantùm ſed etiam in fœmineo ſexu celebratur proceritas corporis, vt notat Ioannes Faber. in rubr. de nupt. & multis confirmat Tiraq. ad lib. 2. Connub. num. 74. Siquidem Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 3. in proceritate Pulchritudinem conſiſtere docet. Nam paruos ait, concinnos dici, at non pulchros. Additque 4. Rhetor. cap. 5. fœminarum virtutem corporis, eſſe formam & proceritatem. Et paſſim apud Poëtas; commendatio fœmineæ pulchritudinis magnitudinem continet. Sic Polyphemus 14. Metamorph. Galateam collaudans ait, *longa procerior alno.* Et mox *platano conſpectior alta.* Propertius item de Cynthia ſua lib. 2. *fulua coma eſt, longáque manus, & maxima tota corpore;* Virgilius 1. Æneid. & Naſo 3. metamorph. Dianam Deas omnes collo tenus ſupereminentem deſcribunt. Idque eſt quod Statius 1. ſylu. Violantillæ pulchritudinem exornans ait:

Latias

——*Latias metire. quid vltra*
Emineat matres, quantum Latonia nymphas,
Virgo premit:

Virgo Latonia, ipſa eſt Diana Latonæ filia, cuius item proceritatem corporis, Homerus Odiſſe.6. nec ſemel alibi, in laude ponit. Ibidémque lib.18. Penelopem indidem commendat, & lib.15. Phœniſſam mulierem, ac Pandari filias lib. 20. Apud Lucianum pro imaginibus mulier ab adulatoribus à pulchritudine celebratur, eo quod procera eſſet inſtar populi. Mulieres ipſæ ſi puſillæ ſunt ſubmiſſo calceis ſubere, affectant grandeſcere ac pulchræ videri. Quod ridet Alexis Comicus apud Athenæum libro 13. & apud Clementem Alexandrinum 3. pæd. cap. 2. meminitque etiam huius muliebris verſutiæ Xenophon libro de tuenda re familiari. Inter recentiores conclamat in eam fatuitatem Thomas Trugillo libro de luxu veſtium, diſcurſu 26. In ipſa Scriptura, muliebris artificij ad ementiendam proceritatem corporis mentio eſt. Nam Iſaiæ 3. Deus comminatur, ſe filias Sion multaturum *pro eo quod eleuatæ erant:* hoc eſt, quia adhibitis cothurnis, apparere voluerant altiores quàm eſſent. Iuuenalis Satyra 6. notat affectatam proceritatis ſpeciem, & per cothurnos, & per ſuggeſtum comæ ſuperpoſitum capiti, ſic canens.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus, altum
Ædificat caput, Andromachen à fronte videbis,

(Vxor ea erat Hectoris admodùm procero corpore,)

Poſt minor eſt; aliam credas, cedo, ſi breue parui,
Sortita eſt lateris ſpatium, breuiórque videtur,
Virgine Pygmæa; nullis adiuta cothurnis,
Et leuis erecta conſurgit ad oſcula planta.

Et quod attinet ad ſuggeſtum capitis, ob quod mulier puſilla, videbatur à fronte Andromache, fuerunt qui cenſerent Magdalenam cum in vanitate ſenſus ſui ambularet, dictam eſſe ea cauſa *turritam.* Ita Ioannes Vvouerou. ad Petronium pag.451. Sed Diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ, aliud habet. Et fortaſſis quia *Magdal*, ſiue *Migdal* Hebræis, *turrim* ſonat; idcircò Magdalena *turrita* nomine apud Latinos, Hebrææ vocis expoſitiuo eſt inſignita, abſque alio myſterio. Vt vt verò is titulus quoad Magdalenam exponatur, affectari à mulieribus proceritatem vt pulchriores appareant, docent quæ præmiſimus, & habetur etiam ex Statio in Epithal. Violantillæ ſuggeſtum comatum memorante, Cant 7. in laude pulchritudinis ſponſæ, ponitur quod ſtatura eius aſſimilaretur palmæ. Vbi Sancius. Videri poteſt magnitudinem fœminei corporis, à pulchritudine eius alienam ſtatuiſſe Catulus, cum de Quintia dixit.

Quintia formoſa eſt multis, mihi candida, longa,
Recta eſt, hæc ego, ſic ſingula, confiteor.
Totum illud formoſa, nego: nam nulla venuſtas, Sectio 3.
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis. Breuitas in naturalibus.

Theoph. Rayn. Philologica.

Non (inquam) magnitudinem in muliebri corpore depreciat eo loco Catullus, ſed inuenuſtatem & inſulſitatem mulieris, quæ nullis ſalibus condiret ſermonem; cæteroqui pulchra; quippè procera, recta, candens. E contrario autem apud Maronem in obſcœno carmine, (ſi ipſe autor,) inter probra puellæ numeratur, Statura.

O non candidior puella Mauro;
Pygmeo breuior gruem timente.

Et aſtipulati ſunt Lacedæmonij, qui Archidamum Regem ſuum per Ephoros mulctarunt, quod puſillam accepiſſet vxorem, vt ſcribit Plutarchus in Ageſilao, & Athen. cap.17. libro 13. tanquam ea ſtatura Reginam dedeceret, nec ſpes foret ſuſcipiendam ex nana muliere, niſi nanam ſobolem, parùm admodùm aptam imperio, nec cogitarunt quod facetè à Thoma Moro reſponſum eſt, cum rogaretur cur duas vxores ſucceſſiuè acceptas, elegiſſet breues corpore, iocatus enim eſt, è duobus malis minus fuiſſe eligendum, vt refert in eius actis Stapletonius cap. 13. Nec aliter Democritus apud Anton. Meliſſam libro ſecundo, cap. 34. Quæ per iocum ab hominibus facetis prolata, non excindunt quæ præmiſimus.

Quare extra dubium ſtatuamus, corporis proceritatem in vtroque ſexu, ad inſignem ſpeciem pertinere. Sicut è contrario, Iudas Iſcariotes deformoſiſſimum pecus, ſtatura puſillus fuit; Sancta Brigitta lib.4. reuel. cap. 99. confirmat ex Chriſti ad eum oſculandum inclinatione. Sed & Dæmon quia ſpiritus eſt deformiſſimus, & cum aptat ſibi corpus, congruum eſt vt nonniſi deforme aptet; viſus eſt ſpecie pumilionis, vt eſt in vita Sancti Antonij cap.5. Et idem habent acta Simonis Sali, 1. Iul. Ingreſſus eſt enim Satan, effugatus Simonis precibus, officinam veſicis refertam, ſpecie Æthiopis pumilionis, omnéſque confregit. Et cum Gera quis ille Æthiops eſſet ignoraret; Simeon deſignauit illum, dicens mulieri, *Pumilio, Pumilio.* In Italiæ ſpecu Vulſino degit Sybilla de qua Pius 2. epiſtol. 46. Eam apparere ſtatura puſilla (eſt autem dæmon,) ex confeſſione cuiuſdam Magi ſcribit Creſpetus diſcurſu 6. de odio Satanæ. Et idem de Magorum Magiſterulo habet Nider libro quinto, Formicarij. Veriſimile item mihi eſt Dæmones eſſe qui ob pumilam ſtaturam dicuntur *virunculi montani*, à quibus dicunt proficiſci nocturnos tumultus: Agunt de eis Scaliger in libro ſecundo de Plantis *pagina mihi* 142. & Agricola cap.12. Berchmanni, ac libro de animal. ſubterr. cap.37. Et Thyræus quidem libro de terrificis capite ſecundo, rectè negat hos virunculos eſſe ſpeciei peculiaris animalium ratione prædi orum; ſed eſſe Dæmones ea breui ſtatura gaudentes, non videtur negandum.

Pygmæi quorum tota cohors pede non eſt altior vno, ad exhibendam deformis corporis ſpeciem, gratis confictì videntur. Cteſias quidem

Sectio 3. *Breuitas in naturalibus.* in Indicis apud Photium Cod. 72. integros Pygmæorum populos deſcribit, quorum maximi ſeſquicubitum, binóſve cubitos non excedant; homines promiſſa ad talos vſque coma & barba, quæ illos antica parte planè operiat. Statura. Sed hoc ille ſcripſit eadem fide qua cætera; nam etiam ibidem, oues paruulas eſſe refert inſtar duntaxat agnorum, bouéſque & aſinos, arietum ferè magnitudine; equos item & mulos, ac cætera iumenta omnia, nihilo eſſe noſtris arietibus maiora. Æquè in actis Sancti Macarij Romani cap.6. memoratur gens Pichitorum quæ ſtatura eſſet non ſuperante cubitum vnum altitudine. Et inferiùs cap.14. referunt Theophilum & Sergium ac Hyginum, tres peregrinantes, veniſſe in locum quemdam in quem, [Venit populi innumerabilis multitudo virorum ac mulierum, obuiam in vnum conglobati. Non autem inter illos longiorem, præterquam vnius cubiti ſtatura, vidimus.] Quem adeo populoſum exercitum, ſubito à tribus hiſce peregrinis, in eum ſolutis faſciolis & capillis inſilientibus exturbatum; ita vt arreptis confeſtim liberis, & ſtridentes dentibus aufugerent omnes. Verùm nihil ex ea narratione pro vera Pygmeæ gentis exiſtentia, erui firmum poteſt; cum tam multæ fabulæ ibidem addantur, nominatímque de aduentu in locum, vbi cœlum terram contingit.

Scio pleróſque ſcriptorum, vt Ariſtotelem 8. hiſtor. cap.12. Plinium libro 7, cap.2. & lib.6. cap.3. & lib.4. cap.11. Gellium lib.9. cap.4. Ionſtonum in Thaumatogr. cap.4. artic.4. Cardanum lib.8. de varietate cap.4. & alios quos Viues addenſat in librum 16. de Ciuit. cap.8. ac Martinus Vratiſlanienſis libro de Monſtris cap.23. & Maiolus colloq. 2. videri agnoſcere verum eſſe quod de Pygmæorum populo iactatur. Non pauci tamen (ac nominatim Diuus Auguſtinus quem Maiolus perperam pro hac fabula allegat aſſertorem; referunt duntaxat, non autem aſſeuerant, quod vulgò de his homulis iactari acceperant: & rem vniuerſam fabulis accenſet Magnus Albertus lib.21. de animal. cap.2. Eſſe verum dari Pygmæos, ſed bruta eſſe non homines, cenſet Delrio 2. Mag. quæſt.15. in fine. Eſto verò fuerint interdum aliqui admodum puſilli, vt ille ſub Theodoſio, qui ſtatura perdicem non excedebat, teſte Nicephoro lib.12.cap.37. qui alium eiuſdem ſtaturæ abs ſe viſum refert, & ſpectatum magno concurſu, vt rem infrequentem & perraram. Nemo tamen Nanorum breuem & permodicam ſtaturam de ſpecie & conformatione ad vitæ operationes opportuna, concedere iuſtæ proceritati. (niſi Nanus ſic ſibi abblandiens,) auſit differri?

Quid plura? Nulli in cœlo erunt parui. Omnes enim reſurgunt in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, quam eſſe traditionem Eccleſiaſticam, ait Sanctus Hieronymus Epiſtol.17. Ex Apoſtolo Epheſ. 4. id erunt communiter Scholaſtici in 4. diſt. 44. & Anſelmus, Sedulius, Diuus Thomas, alíique paſſim in illud cap.4 epiſtol. ad Epheſ. necnon Hugo Victorinus libro de Reſurrectione, cap.15. Et Diuus Auguſtinus 22. Ciuitat. cap. 20. negat eſſe multùm contendendum, cum eo qui aſſereret ſingulos reſurrecturos in ea corporis quantitate & ætate in qua obierint, ſiue infantili, ſiue virili, ſiue ſenili. Tamen ipſe Diuus Auguſtinus ita ibi & cap. 15. affirmat allegato Apoſtolo, & Suares tomo ſecundo, tertia parte, diſtinct. 50. ſect. 5. concluſ. 1, ait, etiamſi non ſit ex fide, tamen eſſe ita certum, vt contrarium non ſit probabile, quod omnes ſint reſurrecturi in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; id eſt in ea plenitudine ſeu perfectione ætatis quam habet corpus cum pertingit ad augmentum perfectum, quod per naturales animæ vires non impeditas, ſed perfectè operantes comparare potuiſſet. Valentia quoque tertia parte, diſputatione vndecima, quæſtione tertia, puncto tertio, id negare, damnat temeritatis. Itaque nulli in cœlo erunt parui. Et quamuis non omnes ſint futuri eiuſdem quantitatis; quia in menſura, à quolibet perfectum augmentum conſecuto parabili, eſt inæqualitas; tamen nemo erit paruus qualis natus eſt, aut qualis erat priuſquam perfectè creuiſſet, etiamſi moriatur in ætate parua aut quæ nondum attigiſſet crementi terminum. Miranti hanc doctrinam Ioanni Hieroſolymitano S. Hieronymus epiſt.16. quæ eſt ad Pammachium, reponit; [Miraris ſi de infantibus, & ſenibus in perfecti viri ætatem reſurrectio fiat, cum de limo terræ abſque vllis ætatum incrementis, conſummatus homo factus ſit?] Quare ratum eſto, nanos & pueros in quantitate perfecta reſurrecturos, vt expreſsè tradit Diuus Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſt.1. articul.2. quæſtiuncul. 4. ad 3. ſupplente (vt ait,) Deo, quod deerat materiæ. Quod non eſt contra reſurrectionis veritatem, dummodò corpus quod præfuerat reueniat, vt Suares notauit tom.2.3. parte diſtinct. 44. ſect.2. confirmátque Thyræus libro de apparition. ad iudicium vniuerſale cap.4. num.109. & quem poſt hæc edita videre licuit, Ioannes Bagotius demonſtrat dogmatum Chriſtian. parte 2. lib.4. diſp.5. ſect.4. Atque ita vt dicebam nulli erunt in cœlo puſilli.

§ 2. *Breues corpore vegetiores, animoſioreſque, nec parcioris duntaxat impenſæ; ſed & inſignis ad res gerendas efficaciæ.*

IN minore ac breuiore corpore conſtipari ſpiritus, & virtutem adunatam, fieri diſperſà fortiorem, notatum eſt à Philoſopho libro tertio de partibus anim. cap.4. cum reddit rationem timiditatis maioris eorum animantium, quibus eſt cor amplum & mole diſtenſum. Itaque ea prima eſto puſillorum hominum prærogatiua, quod puſilli & breues corpore, fortes ſunt, in quam rem legendus Naudæus libro de Militia, pagina 85. Eam puſillorum dotem, Poëta 1. Thebaïdos, apertè agnouit cum dixit.

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Corpore in exiguo, res numeroſa fuit: aie-

bat

bat alius, vt eſt in veteri epigrammate, quod Vrſinus ex antiquo lapide Romano deſcripſit. Dixit aliter hoc ipſum Seneca lib. de Tranquill. animi cap. 8. verbis illis. [Habiliora ſunt corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt: quàm quæ ſuperfunduntur, & vndique magnitudo ſua, vulneribus obiecit.]. Sic Virgilianus pugnator.

——— Bellis acer haleſus
Tendit in aduerſum ; ſéque in ſua colligit arma.

Tydeus Iliad. 2. ingenio pugnax, corpore paruus erat, ob propoſitam cauſam: & ideò proceros corpore, minùs aptos eſſe ad comparandam victoriam Vegetius lib. 1. cap. 5. confirmat, tametſi principio videatur alio inclinare, & aſtipulatus Ioannes Redin. lib. de maieſtate princip. num. 92. allegans quoque è ſuis Iuriſperitis, Cynum, Bartholum, & alios, ad l. *imperium* V. *latiſſimum* ff. *de iuriſd. om. Iud.* E contrario Carthaginenſes, corpore puſillos, ad victoriam idoneos, exhibet Silius Italicus lib. 3. deſcribuntur enim ab eo.

————— Tyria Carthagine pubes,
Membra leuis, celsique decus fraudata ſuperbum,
Corporis. ——— ———

Similiter Claudianus de bello Getico deſcribit gentem Alanam.

Cui natura breues animis ingentibus artus.
Finxerat, immaniqui oculos infecerat ira.

Exiguos homines ſed audaciſſimos, in Nili Inſula degere, qui crocodilis adeò efferis animalibus, ſeſe offerant obuios, memorat in Polyhiſtore Solinus cap. 45. & multos ſignat Erricus Puteanus in paruorum encomio.

Alexandrum animo magnum, corpore breuem, angusto domicilio tantos ſpiritus concludentem, demirata eſt antiquitas; vt propterea Gualterus, Autor Alexandreidos haud ineptus, dicat de Regina Amazonum cum primùm illum conſpexit.

Mirata eſt fama non reſpondere Thaleſtris,
Exiguum corpus: taciturnáque verſat apud ſe,
Principis indomiti virtus vbi tanta lateret.

Miltiades, Theomiſtocles, Coriolanus puſilli fuere. Xantippus Lacedæmonius breuiſſima ſtatura homo, res Carthaginienſium attritas reſtituit Pipinum Francum, Ægidius Corbolienſis in Carolo ſic depingit, demirans in tam breui corpore tantam vim animi.

Quod licet vt moduli bipedalis homunculus eſſet,
Mente Gigas, & vi fuit auctior ille Pipinus.

A modica ſtatura, cognominatus eſt *breuis* hic Pipinus, & tamen erat animo & fortitudine ſummus. In Sancti Modoaldi rebus geſtis cap. 9. ob hanc cauſam; Pipinus breuis, virtutum ſuarum meritis excreuiſſe dicitur: quis primus è ſua ſtirpe, deiecto ignauo Principe, Regis titulum obtinuit. Attila mundi terror, & Dei flagellum ſtatura puſillus erat. Ætate Caroli Magni celebratus eſt Naldus qui à paruo corpore *Naldulus* dicitur à Theodulpho, & ab Alcuino. Quantus tamen animo fuerit, iidem idonei teſtes, prodiderunt. Theodulphus lib. 3. carm. ad Carolum Regem his verſibus. *Sectio 2. Breuitas in naturalibus.* Vita.

Nardulus huc illuc, diſcurrat perpete greſſu:
Vt formica tuus pes redit itque frequens,
Cuius parua domus habitatur hoſpite magno,
Res magna & parui temporis antra colit.

Eidem iam vita functo, hoc Epitaphium poſuit Alcuinus carm. 256.

Ianua parua quidem, paruus habitator in æde eſt:
Non ſpernas Nardum Lector, in corpore paruo,
Nam redolet nardus ſpicato gramine multum.
Me lapis egregium portat tibi corpore paruū,
Parua quidem res eſt oculorum, cerne, pupilla,
Sed regit imperio, viuacis corporis actus:
Sic regit ipſe domum totam ſibi Nardulus iſtam.
Nardule! dic Lector pergens, tu paruule ſalue,

Quid multa? Hercules excelſorum ſpirituum prototypon, puſillus corpore fuit, vt ex Hieronymo Philoſopho tradit Clemens in Protreptico. Nimirum vt eſt apud Ariſtotelem 4. de part. cap. 18. carnis pondus tardiorem reddit hominem: impedit enim ne ſe expeditè, & agiliter circumferre ac ciere poſſit, & variis occaſionibus ne illidatur, circumſpectione remorante opus habet, vt contigit Begoni illi, grandis ſtaturæ homini, quem acta Sancti Rigberti Rhemenſis Epiſcopi, admodùm procerum exhibent; vndè cum in oſtio cuiuſdam oratorij caput grauiter alliſiſſet, quia ingrediens non ſe ſubmiſerat, iuſſit oratorium dirui, non non abſque ſubita cœleſti vltione, quam eadem acta deſcribunt.

Hanc puſillorum corporum expeditionem, & agilitatem maiorem, notare quoque licet in brutis animalibus; quorum non quæ maxima & grandiſſime, eadem vegetiora & potiora, vt benè aduertit Calcagninus initio encomij Pulicis; conſiderans, videri naturam cum exigua corpora animalia compegit, id ante omnia procuraſſe, vt quidquid magnitudini detraheret, illud vi aut aliqua certè vtilitate compenſaret. Id quod diligenter & ingenioſè monſtrat in Pulice. Et idem notari facilè poteſt in aliis vnius puncti animalibus. *Puncta corporum* dixit Sanctus Hieronymus Ioëlis ſecundo poſt Tertullianum libro de anima capite decimo nono. Et verè iuxta ſapiens Plinij monitum lib. 11. cap. 2. [Turrigeros Elephantorum miramur humeros, taurorúmque colla, & tru-

Sectio 2. *Breuitas in naturalibus.*

ces in ſublime iactus, cum rerum natura nuſquam magis quàm in minimis tota ſit.] Videſis Plotinum Enneade 3. lib. 2. cap. 13. Tertullianum 1. contra Marcio. cap. 14. Sanctum Auguſtinum epiſtol. 3. & 28. & in Pſalmum 148. & alios quos profero in ſcalis à viſibili creat. ad Deum gradu 9. à pagina 138.

Statura.

Quæ cum ita ſint, diminuta videri poteſt Theodoreti ratio quam adhibet ſerm. 5. de prouident. Nimirum, datum eſſe nobis corpus breue, ne efferremur & inſaniremus; quaſi breuitas corporis, materia ſit humilitatis, quod ſecus habere monſtratum eſt. Meliùs Manilius in calce quarti Aſtronum. agens de noſtri corporis breuitate, præ qua ne deſpondeat animum, hominem monet.

> *Ne contemne tuas quaſi paruo in corpore vires;*
> *Quod valet immenſum eſt. Sic auri pondera parui,*
> *Exuperant pretio numeroſos æris aceruos.*
> *Sic Adamas, punctum lapidis, pretioſior auro eſt.*
> *Paruula ſic totum peruiſit pupula cœlum,*
> *Quòdque vident oculi minimum eſt, cum maxima cernant.*
> *Sic animi ſedes tenui ſub corde locata,*
> *Per totum anguſto regnat de limite corpus.*
> *Materiæ ne quære modum, ſed perſpice vires,*
> *Quas ratio non pondus habet.*

In ipſis baliſtis ac catapultis, & ſcorpionibus, brachiorum breuitas miſſiones, iaculationéſque facit multò vehementiores; contrà longitudo, multam ictui affert mollitiem & remiſſionem, vt eſt apud Vitruuium lib. 10. cap. 19. & Philandrum ibidem.

Nec tantum vigor & efficacia puſillitati corporum comitatur, ſed etiam pulchritudo, quod eo diſticho ſignatum eſt;

> *Vilior haud pars eſt Alci, nec dignior vnguis:*
> *Ergo etiam paruis, gratia magna, data eſt.*

Hanc paruorum concinnitatem & gratiam, Plinius lib. illo 11. cap. 2. non omiſit cum dixit. [Nuſquam alibi ſpectatius artificium, quàm in his tam paruis atque tam nullis.] Concinitque Diuus Auguſtinus 22. Ciuit. cap. 24. notans inter animalia plus admirationis habere, quàm molis minimum. Plus enim formiculas & apiculas ſtupemus, quàm immenſa corpora balænarum. Item inſigniter lib. 11. eiuſdem operis cap. 22. [Deus ita eſt artifex magnus in magnis, vt minor non ſit in paruis; quæ parua non ſua granditate (nam nulla eſt,) ſed artificis ſapientia metienda ſunt. Sicut in ſpecie viſibilis hominis, ſi vnum radatur ſupercilium, quàm propemodùm nihil corpori, & quàm multum detrahitur pulchritudini? quoniam non mole conſtat; ſed parilitate ac dimenſione membrorum.] Idem lib. 3. de Geneſi ad liter. cap. 14. de minutiſſimis animalibus differens, agnoſcit, [In omnibus quoddam naturæ ſui generis decus: ſic vt in minimis maior ſit admiratio benè conſiderantis, & laus vberior omnipotentis artificis; creantis minima corpore, acuta ſenſu animantia, vt maiore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem iumenti gradientis, ampliúſque miremur opera formicarum, quàm onera camelorum.] Videndus in eandem ſententiam Philo lib. quis rerum diuin. hæres ad illud, *& diuiſit ea per medium*. & Tertullianus lib. 1. in Marcio cap. 14.

Ipſe homo ad molem mundanam vniuerſam habet ſe vt breuiculus, vt proinde paſſim audiat *mundus minor*, & *maioris mundi epitome*, in quam rem multos protuli in ſcalis à viſib. creat. gradu 10. & addendi qui idem optimè proſequuntur. Hugo Victorinus lib. de Medicina animæ cap. 1. & Rabbi Moſes in directorio dubitant. cap. 72. Neque tamen pulchritudo, vel ipſo *mundi* nomine expreſſa, minor eſt in homine quantumcumque præ mundana mole anguſto, quàm in ipſo vniuerſo granditatis propè immenſæ. Rectè enim ſtatuit Plotinus Enneade 3. lib. 2. cap. 9. [Homo tam pulchrum opificium eſt, quàm pulchrum eſſe poteſt.] Nec illud prætermitto, celebratam legi, muliebrem ſpeciem in puſillis corporibus. Nuper ex reſoſſis SS. Virginum Agnetis atque Ceciliæ corporibus manifeſtum fuit, corpore fuiſſe puſillas, vt ex ocularis teſtibus refert Cornelius in cap. 4. Zachar. ad verſ. 10. & tamen ferunt, fuiſſe ſpecioſiſſimas.

Nec quod dæmones viſi quandoque nanorum ſpecie, argumento certo aſt puſillitatem ad deformitatem pertinere. Nam etiam, quod varij referunt; plerumque obuerſati ſunt ſpecie corporum Gigantæa, vt notat Agricola libro de anim. ſubterr. & Bodinus præfat. ad dæmonum. *ſub medium*. Eámque ſpeciem ad deformitatem ſpectare, rectè vidit Sanctus Cyrillus lib. 9. in Iulianum, agnoſcens in prima mundi ætate, cum omnis caro viam ſuam corrupiſſet, Deum ſcelerum vltorem, immania mole corpora naſci voluiſſe, vt deformitas vaſtitatem illam conſequens, pœnas quas de tam impiis ſumere fixum habebat, integraret.

Ludere videar, ſi illud præterea ex parte corporum conſiderare velim, minorem eſſe impenſam corporum minorum. Nam procera corpora, ſiue victum, ſiue veſtes, ſiue lectum, & habitationem ſpectes, cariùs conſtant. Sed hæc cuminimiſcea quiſpiam vegeat. Ea potiùs conſideranda eſt eximia dos breuiorum corporum, quod cum in grandi corpore, vaſta moles organorum ſit minus opportuna ad corporeas operationes intellectuali negotiationi ſubſeruientes, (oportet enim intelligentem, phantaſmata ſpeculari;) è contrario breuitas functiones intellectus, prout per concomitantiam iuuari à corpore poſſunt, egregiè promouet. Quod ſignificabat Eunapius, cum in Iamblico dixit, [Alypius paruus corpore, totus animus.] Exempla monſtrant quod Oppianus lib. 5. de piſc. de piſce paruulo ingentia cete ductante dixit, valere proportione circa homines. Ferè enim qui ſagacitate, & prudentia, ac ingenio valuerunt, fuere puſillo corpore. Teſtes Philippus Macedo, Xantippus Lacon, Ageſilaus, Vlyſſes; omnes

parui corpore,ſed ingenio magni. Diomedes ingenio pugnax & corpore paruus erat.

Iulianus Apoſtata, vt de eo ſigillatim dicam, tametſi ob eiuratam pietatem infamis, tamen ingenio, quali dæmones abundant, valuit plurimum. Et hanc fuiſſe cauſam ſcribendi voluminis inuectiui, quod Antiochenſe vel Miſopogonem appellauit, ſcribit Ammianus l.22. [Quia ridebatur vt Cercops homo breuis, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens hirquinam, grandiaque incedens, tanquam Oti frater, & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit.] Erat hæc geſticulatio, & pompa inceſſus, in minuto homine multo magis ridicula. Itaque eam meritò exprobrabant Iuliano Antiochenſes. Quod autem Ammianus laudem Iuliani quantum potuit amplificans l.23. mediocrem ei fuiſſe ſtaturam tradit, redarguitur per hæc ſcommata, quibus diſertè homo breuis nominatur. Et idem innuit quod *Cercops* dicitur. Nam quamuis ea vox apud Suidam V. *κέρκωπες* ſonet impoſtorem ac planum; & idem latè confirment Adagiographi Iunius V. *Cercops* & Vlpius V. *κέρκωπες*: tamen locus Ammiani apertè fere, eam vocem ſumi pro *ſimia*, quæ eſt ſtatura breui & fœdum animal, in quod verſos Cercopes fabula XV. metam. deſcripta tradit.

> *Quippè Deum genitor fraude & periuria quondam*
> *Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſa,*
> *In deforme viros animal mutauit.*

Iulianus ergo *Cercops*, id eſt figura & ſtatura, erat ſimiæ ſimilis corporis, & puſillus, id quod Aurelius Victor in codicibus non lacunoſis teſtatum reliquit. & ex eo Landulphus ſagax lib.11. Hiſt. Miſcel. dicens de Iuliano. [Corpore validus quidem, ſed breuis fuit.] Ingenio tamen præcelluit. Id quod ipſe agnoſcens, vultus ſimiaticam ſpeciem tegebat vmbone illo verborum, quæ illi frequenter fuiſſe vſurpata teſtatur Ammianus l.25. [Turpe eſt ſapienti, cum habeat animum, captare laudes ex corpore.] Diceres alluſiſſe ad acroma D. Antonij de Didymo cæco; captantem abſurdè oculos formicarum, cui eſſent oculi mentis adeò vigentes. Nimis multa de magno impij Iuliani ingenio, in paruo corpore.

Conſtat in Eccleſia Dei præcipuos quoſque Doctorum, ingenij gloria præcellentes, puſillo fuiſſe corpuſculo. S.Paulus propter cœleſtia munera quæ in eo ſuperfluebant, ingenium ſortitus eſt omnino eximium: corpore tamen fuit breui, & in eum quadrauit *Pauli* ſeu *modici* denominatio à paruitate, à qua genti Æmiliæ referente Sigonio l.de Nom.Rom. adhæſit cognomen *Paulorum*. Eſtq; nomen illud nouum, quod abiecto vetere *Sauli* nomine aſſumpſit, ab animi puſillitate ac demiſſione ſit ſortitus, vt cenſet S.Auguſtinus l.de ſpir. & lit. cap.7. Latinè enim *paulum* & *paululum* idem ſonant quod *modicum* & *puſillum*; atque adeò *Paulus* idipſum eſt quod *modicus*, & depoſito anteriore tumore *exiguus*. Qui fuit in S. Paulo inſignis effectus præcellentis vnctionis, docentis illum, vnde verè factus eſſet magnus coram Domino. Reipſa tamen S. Paulus erat Paulus corpore, ſiue ſtatura puſillus. [Tricubitalis eſt, (ait de eo S.Chryſoſtomus in Encomio Apoſtolorum, & cœlos tranſcendit.] Nicephorus l.10.c.37. diſertiſſimè [Paulus paruo fuit corpore & contracto.] Sanctum item Ioannem Euangeliſtam, Proclus orat.15. *tricubitalem hominem* appellat, ſignans eius puſillitatem. Ipſum S. Chryſoſtomum Menæa 5. Septembr. puſillum exhibent, ſicut etiam Nazianzenum. De S.Hieronymo idem notauit vitæ author: & ſatis ſuadetur ex acrimonia & vigore, vbique in eius ſcriptis ſpirante. His ingenijs quid Eccleſia Dei habuerit ſplendidius, planè me latet. S Maximus Monachus & Martyr, erat ſtatura valdè breui, vt eſt in hypomneſtico Anaſtaſij Apocr. Remigius, Linconienſis apud Anglos Epiſcopus, (ait Malmesbur. l.4. de Pontif. Anglor. eum de Linconenſibus;) pro exiguitate corporis, penè portentum hominis videbatur. Ludebatur excellere, & foris eminere animus, eratque

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Statura.

> *Gratior exiguo veniens è corpore virtus.*

Quem adeò natura compegiſſe videtur, vt ſciretur, beatiſſimum ingenium in miſerrimo corpore habitare poſſe.] Apud eoſdem Anglus portentoſi vir ingenij Ioannes Baceondorpius, ſiue de Baccone Carmelitanus, punctum hominis fuit, demirantibus omnibus, in tam exili corpore tantas animi vires habitaſſe. Author Catalogi ſcriptor. Brit. Centuria V. *initio*, ex Paulo Panſa Italo, & Ioanne Fuſſa l. de viris illuſtribus, necnon Piſſæus in Opere de Angl.ſcript. quãtus fuerit in tanta corporis puſillitate Bacconus, fuſiùs produnt. Dionyſius gente Scytha, Abbas Romanus aot ſodalis eius Caſſiodorus, immenſum pangit elogium, l.de lection.c.23. cognomento dictus eſt *exiguus* vtique à puſillitate corporis. Non enim eam denominationem tolit ex eo quod præ Chriſtianæ demiſſionis affectu, aliquoties ipſemet ſe appellet *Dionyſium exiguum*; vt in Epiſtolis ad Petronium & Bonifacium de ratione Paſchæ. Ex quo item affecto Ferrandus Diaconus Epiſtola ad Pelagium & Anatoliũ; & in Epiſtola ad Ægyptium ſe Ferrandum exiguum appellat. Quo æquè modo Creſconius in Præfatione Breuiarij Canonum ſe exiguum cognominat, necnon Rabanus in præfationibus Commentariorum ad librum Iudicum, & Deuteronomium. & Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtoriæ myſticæ, & in præfatione interpretationis Actorum Dionyſij Martyris. Hi omnes non ab alijs ſed à ſeipſis præ modeſtia dicti ſunt exigui. At Dionyſius Abbas paſſim ab omnibus denominatur *exiguus* præ corporis breuitate & puſillitate. S. Antonino Florentino omnigenæ literaturæ viro; & qui iam à pueritia clarus ingenio eſt habitus, puſillitas ſtaturæ, nomen inflexit, ita vt qui *Antonius* luſtrico nomine audiebat, inde appellatus ſit *Antoninus*. Petrus Bleſenſis ingenio valuit plurimùm, vt eius ſcripta & geſta produnt. Fuiſſe verò alterum Zacchæum ſtatura puſillum, ipſemet epiſtol.14. *initio*, teſtatum facit. Sub Bonifacio VIII. Ioannes Maria de Caſtello, præcellens Iuriſperitus, *alter Zachæus* dictus eſt, quod cum ſtans verba faceret coram Pontifice, genuflexus putaretur, vt ſcribit Ioannes Andræas in proœmio ſexti V. *à multis*. Ioannes de Capiſtrano vir doctiſſimus ac dexterrimus, ſtatura puſillus erat,

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. vt etiam Thomas de Via Cardinalis Caietanus ingenio vir ſummo & ſubtilitate eximia. Idem dicas de Iacobo Latomo. Noti mihi inter operos duo viri ingenio magni, corpore puſilli, Iacobus Gualterius & Cornelius à Lapide, ille præ

Statura. ſtaturæ breuitate facetè, à Nicolao Clero, qui mediocri erat ſtaturæ ad puſillitatem potiùs accedente exceptus eſt, eo inter amplexandum ad primum occurſum, dicterio, *Ecquis ſubtus iacet? Qui eſt Nanus?* Erat tamen doctrinæ & ſapientiæ nomine ſummus, quippè & Theologus eximius, & ſacræ hiſtoriæ, ac trium linguarum apprimè peritus, ſed in tractandis hæreticis dexterrimus. Cornelium à Lapide, homulum potiùs quàm hominem ſi corpus attendas ſuſpexit Belgium & Gallia & Italia, imo Europa vniuerſa, præ ingenij ſublimitate, & tot fœtuum mentalium capace mentis vtero. Itaque Gilbertus Ionnus Odarum l.4. in 14. quæ eſt ad ipſum Cornelium ſic eum affatur,

Qualis Dædalus improbo
Natura ingenio cedere pertinax
Vita quæ licet æmulis
Pygmæus animam mobilibus dedit
Humanaque ſonitum parem
Voci, fictitia clauſit imagine
Talis te facili manu
Cum docta egregio fingere te luto
Natura ingenium arduum
Et mentem exiguo corpore maximam
Incluſit temeraria;
Artis conſilio, maſſa & inutili
Et anguſta pretium addidit.

Excucrrit in varias eius lucubrationes, quæ poſtea doctiores multo prodiere. Tum addit,

O quantum ingenij, quàm modicis parens
Incluſit Deus artubus,
Nec rerum medicarum ingenium capax,
Sic aptus adamas nitens
Et puris radiat noctibus æmulus
Et magnum exiguus licet
Anguſto pretium colligit ambitu
Sic magno imperio parem,
Quam mentem æthereâ ſede trahunt apes
Celant exiguo ſinu
Et puri ingenium nectaris artifex.

Vt omnia alia deeſſent, ex his duntaxat exemplis conſtare ſufficienter deberet, paruos corpore, ad ingenij & ſcientiæ gloriam eſſe aptiores.

Verſatur in hoc argumento rationibus illuſtrando Richardus à Mediavilla quodlib.2.q.18. cuius titulus eſt, *vtrum melius ſint diſpoſiti ad ſcientiam Nani, quam Gigantes, & parui, quàm magni.* Ad quæſtionis expeditionem varios articulos conficit, tractans in primis correſpondentiam quatuor illuſtrium complexionum cũ quatuor elementis, & quatuor anni tempeſtatibus, ac quatuor humoribus. Deinde declarans quæ complexio ſit magis apta ad magnitudinem corporalem. Tertiò, quæ complexio ſit magis accommodata ad ſcientiæ vbertatem, per ſe loquendo. Quartò, quæ complexio idem meliùs præſtet per accidens: Vnde denique quintò eruit, qui homines ad ſcientiam & ingenij laudem ſint accommodatiores, magnine an parui? Hunc quintum articulum quo vniuerſus Richard: in cæteris diſcurſus, admodùm diffuſus, contrahitur, placet adſcribere. [Quintò (inquit) ex his declarandum eſt, qui homines magis diſpoſiti ſunt ad ſcientiam, magni, vel parui? Patet enim ex dictis in ſecundo articulo, quod cholerica complexio maximè diſponit per ſe ad magnitudinem, ſecundùm longum non ſecundùm latum, nec ſecundùm ſpiſſum. Et in tertio articulo declaratum eſt etiam, quod cholerici maximè diſpoſiti ſunt per ſe ad ſcientiam: & ex conſequenti patet, quod magni ſecundùm dimenſionem longitudinis, & parui ſecundùm alias duas dimenſiones, maximè vt in pluribus & per ſe ſunt diſpoſiti ad ſcientiam: cum etiam declaratum ſit in articulo ſecundo, quod melancholica complexio reddit hominem per ſe indiſpoſitum ad ſcientiam. Et hoc patet, quod parui ſecundùm omnem dimenſionem, non ſunt ita diſpoſiti per ſe ad ſcientiam, ſicut ſunt magni ſecundùm dimenſionem longitudinis. Et cum declaratum ſit in quarto articulo, quod multi maximè ſunt diſpoſiti per accidens ad ſcientiam, ſequitur quod parui ſecundùm omnem dimenſionem ſunt maximè diſpoſiti per accidens ad ſcientiam. Cum autem declaratum ſit in ſecundo articulo, quod complexio phlegmatica maximè diſponit ad magnitudinem ſecundùm omnem dimenſionem; & declaratum ſit in tertio articulo, quod illa complexio minimè reddit hominem diſpoſitum per ſe ad ſcientiam, & minùs quàm melancholica complexio: patet, quod notabiliter magni ſecundùm omnem dimenſionem maximè diſpoſiti ſunt ad ſcientiam. Cum autem declaratum ſit in ſecundo articulo, quod ſanguinea complexio diſponit ad mediocrem quantitatem, benè proportionatam ſecundùm omnem dimenſionem; & declaratum ſit in tertio articulo, quod illa complexio poſt cholericam reddit hominem maximè diſpoſitum per ſe ad ſcientiam: patet quod mediocriter magni & benè proportionati ſecundùm omnem dimenſionem, maximè ſunt diſpoſiti per ſe ad ſcientiam, poſt illos qui ſunt magni ſecundùm longitudinem & non ſecundùm quaſlibet dimenſiones. Hi enim ſunt magis diſpoſiti per ſe, vt in pluribus, ad ſcientiam quàm omnes alij. Secundò, mediocriter magni & benè proportionati ſecundùm omnem dimenſionem, malè ſunt diſpoſiti per ſe ad ſcientiam. Sed peius illi qui ſunt notabiliter magni, ſecundùm omnem dimenſionem.] Hactenus eo articulo Richardus, ſubtilius pro ſcholæ more, quàm amœniùs. Mens tamen eius perſpicua eſt, de præcellentia paruorum ſupra magnos corpore, quoad aptitudinem ad ſcientias parandas, & cumulandam ingenij laudem. Suffragatur Paulus Vecchi obſeruat. Phyſiognom. 34. argumentans ex proximiore cordis ac cerebri vicinia in paruis corporibus, vnde negotiatio phantaſiæ præ ſpirituum feruore maiore meliùs obitur, quod ingenij celeritatem ac breuitatem promouet.

Optimè verò ſuffragatur experientia. In vaſtis enim corporibus, vt plurimùm non eſſe micam ſalis & ingenij. (vt Catullus epigram.87. dixit) deprehenſum eſt iampridè. Et qua ratione verum ſit, enuclear accuratè Bernardinus Gomeſius in ſalito Opere de ſale lib.5.à num.74. Itaque Polyphæmus

phæſios ducentos longus pedes, vt Lucilius Satyr. 15. apud Nonium, eam carneam turrim deſcripſit, mentis fuit perpuſillæ; & quales vaſtos homines deſcribit in Electra Euripides, vocans *pulpas mente & intelligentia vacuas.* Fidus Cornelius Naſonis gener, ob longum corpus & mentem breuem, *ſtruthiocamelus* audiuit, ab aduerſario Corbulone; vnde illi excitæ in ipſa curia vberes lacrymæ: *ἀνα·δείτερα φυμάδα*, Græcis dicti qui plurimum habent molis, at mentis perparùm, Suida teſte, tracto à Philonide procero & hebeti homine adagio. Piſander à procera tarditate dictus *Caidius Aſinus.* Aiax Telamonius, à longo & lato corpore, ſæpè ſtultos & ſtolidus, necnon imbellis repræſentatur apud Homerum. Bacilus amens & effœminatus, valdè longus, locum præbuit parœmiæ in longos & inſulſos, vt eſt apud Apoſtolium Byzãtium Symmachum quendam, ob corporis proceritatem, ſuperbia elatum, ſic comprimit & criſtas demittere ſuadet, S. Iſidorus Peluſiota l. 1. Epiſtol. 165. [Si ob capitis proceritatem omnium mortalium maximum te eſſe imaginaris; Gigas Nemrod longè te altitudine vincebat, & Gigantes Aſtaroch; & Saül qui Iſraelitas omnes, humeris ſuperabat. Verùm nihil eos ſublimitas iuuit, diuina benignitate, ac facilitate, altiùs de ſe ſentiente.] Franciſcus Philelphus l. 26. Epiſtolarum, in prima quæ eſt ad Leodryſium Cribellum, quem vt vaſti & longi corporis, ita vix vllius eſſe indic; confirmat, Phyſicos (sit) eiuſmodi homines habere pro ſemiſanis. [Rariſſimos enim iſtiuſmodi Agilleos, Capaneóſque reperias, qui minùs ſeſe fatuitati dementiæque addixerint. Itaque apud Homerũ Vlyſſes, qui eſſat breuis, & verſutus ſemper, & prudẽs inducitur: at Aiax Telamonius qui foret longiore latioréque corpore, perſæpè ſtultus, & aliquando furens oſtenditur: Polyphemus verò ſtolidus & inſanus. Hoc autem ea ratione fieri volunt, quod cerebrum ſua natura frigidum; nequeat ob nimium interuallum ſpiritalibus illis igniculis concaleſcere, qui tolluntur à cordis vitali veluti, vigentíque fomite: priùs enim quàm eo peruenerint, reſoluuntur: quo fit vt imaginatiua illa, ratiocinatiuáque vis, quæ ex cerebri manat cellulis, ſit hebetior, atque obtuſa adeò, vt iſtiuſmodi, neque quid ipſi, neque quod alij fantur, intelligant, inſaniantque frequenter.] Quid multa? Gigantes vt proceriſſimi, ita ferè ſtupidi fuerunt, nec alia magis dote quàm brutæ naturæ malignitate claruerunt.

Non agnoſco Gigantes quales fabulæ iactarunt, supernè homines, infernè angues. Vnde Chriſtus à S. Ambroſio in Hymno, *geminæ Gigas ſubſtantiæ* dictus eſt, à concurſu rationalis, (hoc eſt diuinæ,) & ſerpentinæ, id eſt, humanæ naturæ, non autem à proceritate corporum, qualis in veris Gigantibus fuit, & quos duntaxat agnoſco. Memorantur ſæpè in ſacris literis huiuſmodi Gigantes, vt monſtrant qui de his ſplendidè diſſerunt Martinus Vratiſlauienſis l. de monſtris c. 18. & 22. Pineda in c. 26. Iobi *ad verſ.* 5. digreſſion. de Gigãtibus, & Pererius in c. 6. Geneſeos, *ad verſ.* 4. Multos præterea qui Gigantes agnouerunt, adducit Maiolus colloq. 1. & Ioſtonus in Thaumatog. c. 1. art. 1. & Delrio qui ad id multorum ampliſſimorũ cadauerum effoſſorum hiſtorias cõſignat 2. Mag. q. 15. *ſub finem*, & alia recẽtiora notat Chifletius in ſua Veſuntinois hiſtoria parte 1. c. 47.

Nec deſunt qui illud Ioſue 14. *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*, accipiant de primo parente, inter Enacim, ſiue Gigantes tumulato Hebrone: quod alij de quopiam maximo homine molis Giganteæ, dictum maluntijs vt *Adam* ibi ſit appellatiuum nomẽ, ſonétque *terrenum* atque *mortalem*; Nam primum parentem qui abſolutè *Adam* dicitur, non Hebrone de qua agitur cap. 14. Ioſue, ſed in monte Caluariæ eſſe tumulatum, multorum Patrum doctrina eſt apud Suarem 3. p. q. 46. art. 10. & apud Serariũ in c. 15. Ioſue q. 5. necnon apud Malonium ad c. 16. Palæoti n. 10. Verum eſt, aliquos Hebræos Adamum Protoplaſtum dixiſſe pluſquàm Gigantem. Sanè Rabbi Salomon qui Hebræis Chriſti obitum ſubſecutus fuit quaſi pro Deo ſapientiæ ac doctrinæ, in cap. 4. Deuteronomi. ad illud, *Creauit Deus hominem*, pro mãgno Adami protoplaſti ornamento profert; quod eſſet adeò proceræ ſtaturæ, vt in terra exiſtens, capite cœlum contingeret. Sed hic tantæ ſapientiæ apud ſtultos Iudæos Magiſter, & hac in parte inſaniuit, & ſæpè aliàs, vt cum in caput 1. Geneſ. ad illud, *Duo luminaria magna*, & in cap. 28. Numer. ad illud *in Calendis offeretis holocauſtum Domino*; ipſe legit *holocauſtum Domini*, ſit indictum eſſe ibi, holocauſtum pro ipſius Dei peccato, quod admiſit cum deminuit lumen lunæ. Eiuſdem inſipientiſſimam ſpurcitiem, de monſtroſis Adami protoplaſti libidinibus, quas execrabiliter aſſeruit in c. 2. Geneſ. ad illud, *hoc nunc os ex oſſibus meis*, nolo his chartis illinere ne putore ſuo inquinent ſẽtem. Itaque huius Rabini inſipientia, in extollendo immanitate proceritatis corporeæ, Adami protoplaſti, prodita quoque eſt in alijs pleriſque materiis: nec eſt cur moueamur eius authoritate ad Adamum Gigantibus proceritate monſtroſis annumerandum. Eſto fuerit proceræ ſtaturæ, nec Gigantibus communiter dictis, ea in parte ceſſerit. Vt vt ſit, ille inter Enacim Hebrone ſitùs Adam maximus, fuit è veris illis (quos dicebam,) Gigantibus vnus. Nec mirum debet nobis nunc videri, cum terra malos homines atque puſillos educet, (vt Iuuenalis Satyr. 15. & Solinus cap. 5. querebantur,) quod olim homines ſtatura fuerint longè proceriore, & plerique Gigantes. Experimur enim quantumuis reclamet Lipſius l. 3. Phyſiologiæ Stoïcæ diſſertat. 5. corpora in dies decreſcere: ita vt galeæ quas ab antiquis habemus, ſint iam multo maiores capitibus; & thoraces multo prolixiores iuſto, ad pedes æui noſtri hominibus defluant, qui olim erant commenſi thoraci. Quod euincit verè pronunciatum eſſe à Plinio l. 7. c. 16. ac Solino c. 5. & confirmatum à S. Auguſtino 15. Ciuit. à c. 9. minorem in dies fieri ſtaturam, & ab initio corpora hominum fuiſſe maioris molis, nec paucos Giganteæ: qualis Antæus ille, cuius ſepulchrum Sertorius refodit, & inuentum eſt cadauer ſexaginta cubitorum, vt Strabo l. 7. & in Sertorio Plutarchus prodiderunt.

Temeritatem verò Sectarij Chronologi Temporarij, nemo ſatis demiretur, qui Chronologiæ ſuæ *pag.* 10. effutiuit, nunquam, ac ne antè diluuium quidem, homines maiore fuiſſe quàm nunc ſint, ſtatura. Hoc ille licenter, ac digne Sectario dixit. Nam & Scripturæ, & Patres, & Interpretes omnes ſacrorum librorum, atque Hiſtorici, quorum pleroſque ſignauimus, agnoſcunt, olim corpora fuiſſe proceriora. Nam diuinæ

Sectio 5. Breuitas in naturalibus.

Statura.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. literæ locis iam notatis, & Baruch 3. ac Amos 2. memorant homines ſtaturæ proceriſſimæ. Id quod nominatim de Og Rege Baſan proditum eſt Deuter. 3. & de populo Amorrhæorum Num. 13. Qua fronte ergo Sectarius, contra tam expreſſa
Statura. ſcripturarum loca, audet aſſerere, nunquam homines fuiſſe ſtaturæ altioris quàm nunc ſint? Quod eſt dicere, nullos vnquam fuiſſe Gigantes; quod niſi Gigantæa audacia proferri potuit, cum tot ſacris & humanis teſtimoniis ſit exploratum, datos aliquando eſſe Gigantes, præ quibus homines hodierni, homuli & locuſtæ videantur.

Huiuſmodi ergo Gigantes, quales verè aliquando fuiſſe Lipſius ſupra rectè ſtatuit, (& pono vt certum,) bruti ferè & ſtolidi ac inſipientes fuerũt, quod D. Auguſtinus 15. Ciuit. c. 23. *in fine*, eruit ex cap. 3. Baruch; Præfatus enim de filiis Seth exortos eſſe Gigantes, ſubdit. [Nec mirandum eſt quod etiam de ipſis Gigantes, ſed magis multi vnque tunc fuerunt, quàm poſt diluuium temporibus cæteris; quos propterea creare placuit creatori; vt etiam hinc oſtenderetur, non ſolùm pulchritudines, verùm etiam & magnitudines, & fortitudines corporum, non magni pendendas eſſe ſapienti, qui ſpiritualibus atque immortalibus longè melioribus, atque firmioribus, & bonorum propriis, non bonorum, malorúmque communibus, beatificatur bonis. Quam rem alius Propheta commendans ait; *Ibi fuerunt Gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt, ſtaturoſi, ſcientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam ſcientiæ dedit illis, ſed interierunt; & quia non habuerunt ſapientiam, perierunt propter inconſiderantiam.* [Quam D. Auguſtinus apud Baruch, legit *inconſiderantiam*, vulgatus vertit *inſipientiam*. Vox primigenia æquè fert ſtoliditatem, & ingenij penuriam, quæ vaſtorum ferè corporum comes. Notum adagium, *Antronius Aſinus*, in prægrandem ſtatura hominem, ſed aſinis ex Antrone Theſſaliæ vrbe prææltis conſimilem, vt memorant Stephanus & Suidas, ac Scholiaſtes Iliad. 6. Nota item caliga Maximini è gregario poſtremarum claſſium milite, Imperatoris proceritate inſignis, cum tamen eſſet aſiniſſimus. Audi In eius vita Capitolinum. [Cum eſſet Maximinus (vt diximus) pedum octo & propè ſemis, calceamentum eius id eſt compagium regium quidam in luco qui eſt inter Aquileiam & Arciam poſuerunt, quod conſtat pede maius fuiſſe, hominis veſtigio atque menſura: vnde etiam vulgò tractum eſt cum de longis atque ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini.*] Et iuuabat naturalem ineptiſſimi Thracis proceritatem, Caligæ quoquè altitudo, præſertim ſpeculatoriæ, Tertulliano memoratæ, c. 1. de Cor. mil. & perbellè expoſitæ à Balduino lib. de calceo c. 13. Neronem qui ſtupidiſſimus, ac propè brutus erat, voluiſſe effingi ſpecie Coloſſi, Plinius reſtatur lib. 35. cap. 7. & lib. 37. cap. 9. At Coloſſicarum molium proceritas neminem latet, cum inde nomen ducatur. Videſis adagium, *Coloſſi fragmenta.* Longurio item erat maritus ille, quem Praximon virum tredecim cubitorum appellabat. Erat autem adeo inſolitus, vt pro nitro ſalem è mercatu afferret. Homeri iudicium de hac re profert his verbis Alexander, Aphrod. problem. 27. [Cur breui ſtatura homines, proceris vt plurimùm ſunt prudentiores? Quoniam conſtipata atque compacta illis eſt anima in vniuerſo corpore, proceris verò in longitudinem diſtenta reſoluitur. Quapropter Homerus Vlyſſem breuem ac prudentem; Aiacem verò procerum ac ſtolidiorem deſcribit.] Plautinum mancipium, deſcribens heri ſui, hominis proceri barditatem, vocat illum elephanti corio circumtectum. [Meus (inquit) herus. Elephanti corio circumtectus, non plus habet ſapientiæ quàm lapis.] Nimirum quod Ludouicus Cœlius l. 6. lect. antiq. cap. 1. notauit, magnos ſtupidóſque, *Elephantorum* nomine appellabant, Græco ſuffragante prouerbio, de quo ibidem. *Clematides Ægyptios* appellabat huiuſmodi longuriones, Demetrius Phalereus in opere de Elocut. Græci paſſim vocabant *Cannabos.* Eſt enim cannabus Polluci lib. 10. c. 52. lignum gracile, cui imaginarium fictores lutum applicant. Itaque prælongi homines dicti cannabini, vel cannabi, ob inſulſitatem. Perſtrinxit eo ſcommate Sannyrionem Stratides Comicus. Μέγα apud Ariſtophanem, ſæpè tale quid ſonat. Nec diſſimiliter Lucilius duo illa nectit, *magnus & nequam homo.* Recentioris memoriæ eſt, quod de puella Gigantea ex Schenckio Vvierum ex ſcribente ſupra referebam. Erat enim ei proceritati adiuncta inſignis ſtupiditas, & totius corporis torpor, vt iidem Autores prodidere.

Scitè ergo ac iure Gregorius Nazianzenus agens pro nepte ſua Alypiana S. Gorgoniæ filia, contra ſannas Nicobuli mariti, eam ob puſillitatem non habentis in pretio, aliam eſſe ingenij, aliam corporum menſuram ſapienter monet. Eſt epiſt. apud Theologum 155. quam pro huius puncti coronide iuuat adſcribere. [Alypianam (inquit) apud nos cauillis inceſſis vt paruam, ac tua proceritate indignam, ô magne, & vaſte, ac Gigantine, tum forma, tum robore. Nunc demum intellexi animum menſuræ ſubijci, & virtutem expendi, ac lapides margaritis præſtantiores eſſe, coruóſque luſciniis anguſtiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere: nec Aldydis illis, vllo modo inferiorem te præbe. Equum enim ducis, & haſtam vibras, & feræ tibi curæ ſunt. Ipſa autem nibil operis patrat: nec magni roboris eſt radium ferre, & colum tenere, ac telæ aſſidere.

—— *Id enim fœminarum decus eſt.*

Quod ſi hoc quoquè adijcias, eam orationis cauſa humi curuam eſſe, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo conſuetudinem habere, quid hic de tua ſublimitate corporiſque menſura te iactabis? Vide tempeſtiuum ſilentium; loquentem audi: quàm incompta ſit, animaduerte, quámve fœmina fortis ac ſtrenua; quas rei domeſticæ vtilitates afferat, quàm viri amans ſit. Ac tum illud Laconis dices, certè animus in menſuram minimè cadit; atque externum hominem, oculos in internum contectos habere oportet. Si hæc ad hunc modum conſideres, iocari deſines, eámque vt paruam deridere, tuúmque coniugium, fauſtum, ac felix iudicabis.]

Dixi de paruis ingenij, & ſapientiæ gloria illuſtribus. Fuerunt etiam viri ſanctitate inſignes citra ingenij & ſapientiæ decus, quorum paruitas celebratur. S. Conſtantinum Manſionatium, fuiſſe corpore perbreuem, liquet ex S. Gregorio 1. dialo. c. 5. De S. Gregorio Turonenſi, aurea Cathedra in ſignum beneuolentiæ donato à S. Gregorio Magno, ſcribunt Clerici Turonenſes apud

Surium 17. Nouembris cum Romam adiiſſet, & S. Antiſtiti Gregorio Magno ſubiiſſet cogitatio de arcana Dei prouidentia, quæ tot bonis tam puſillum hominem locupletaſſet, edoctum diuinitùs de cogitatione magni Gregorij Gregorium Turonenſem, mox ab oratione ſurgentem, placidè ac demiſsè ſuggeſſiſſe Pontifici; [Dominus fecit nos & non ipſi nos, idem in paruis qui & in magnis.] Ex quibus verbis beatiſſimus Papa Gregorius ſe deprehenſum agnoſcens, multò magis vbertatem cœleſtium donorum in Sancto aduena eſt demiratus. Ioannes Breuis (à paruitate ſic denominatus, ſanctitate illuſtris habetur lib. 5. vitæ Patrum libello 15. num. 22. quem feſtiuiſſimè deſcribit Angelinus Gazæus. Idem Ioannes *Breuis*, qui eſt *Nanus*, tametſi notatus aliquando eſt imprudentiæ ac indiſcretionis, quippè qui immemor ſe eſſe hominem affectabat viuere vt Angelus, iuxta ea quæ leguntur in verbis ſeniorum libello 10. num. 27. tamen ibidem num. 28. laudatur quoquè à virtute & diſcretione. Puſillam verò eius ſtaturam præferunt duo quæ retuli eius agnomina, *Nanus* & *Breuis*. Et is ipſe eſt, qui apud S. Ephrem in Apophtegmatis, denominatur Ioannes *Colobius*. Minùs feliciter enim, Voſſius ad eum locum putat Ioannem Colobium eum fuiſſe qui aliàs dicitur Ioannes Chalybita, de quo tabulæ Eccleſiaſticæ 15. Ianuar. At hic iuxta Nicephorum lib. 15. cap. 23. longè poſterior fuit Sancto Ephrem. Deinde non tanta eſt vicinia cognominum *Chalybita* & *Coloby*, vt inde poſſit fundamentum peti ad vnum cum altero confundendum. Si hic Abbas Ioãnnes de quo ambigit Voſſius eſſet ipſe Abbas Ægyptius in ſacris tabulis 27. Martij annotatus, & laudatus à S. Hieronymo Epiſtola ad Cteſiphontem, nec non a Caſſiano lib. 4. de Inſtit. c. 23. & à D. Auguſtino 5. Ciuit. cap. 26. & lib. de Cura pro mortuis c. 17. non dubium quin habendus eſſet magnæ ſanctitatis. Quanquam alius eſſe videtur, cum nemo eorum à quibus memoratur, cum vel *colobium* vel *breuem* denominet. Videndi præter citatos Ruffinus lib. 2. hiſtor. cap. 32. Proſper in Chron. Theodoretus 5. hiſtor. cap. 24. Sozomenus lib. 7. cap. 22. Palladius cap. 41. Lauſ. Nicephorus lib. 12. cap. 29. Quod ad præſens negotium attinet, aio hunc Ioannem *Colobium*, illum ipſum eſſe qui aliàs *Breuis* ac *Nanus*, reperitur denominatus. Dictus quippè eſt colobius à puſilla & curta ſtatura. Colobium enim erat veſtis decurtata, vt habetur ex Caſſiano lib. de habitu Monachi cap. 5. & ex S. Dorotheo doctr. 1. Non fuit tamen curtæ ſanctitatis, ſed præcellentis, vt ſatis inſinuant quæ de eo ſub cognomine, *Breuis* & *Coloby* ſunt prodita.

SS. Cæciliam & Agnetem puſillas fuiſſe, ſuprà retuli; Quare conficere iure poſſe videmur, ſcitè à Sidonio lib. 7. epiſt. 17. dictum eſſe, proceritatem in laude trabis aptiùs poni quàm hominis. Æquè dici poſſet, proceritatem in laude potiùs ponendam Ægyptiarum Pyramidum quas Solinus cap. 35. deſcribit faſtigiatas vltra omnem celſitudinem quæ fieri manu poſſit, ita vt menſuram vmbrarum egreſſæ, nullas habeant vmbras. Latè de eadem altitudine Petrus Bellonus lib. de fun. medic. Spectra dæmoniaca enormiſſimam proceritatem plerumque exhibuerunt. In Actis S. Antonij cap. 20. refertur ei obiectus dæmon excelſo corpore. Et cap. 38. dicitur de eo viro ſancto. [Eleuatis ad cœlum oculis, vidit quendam longum atque terribilem, caput vſque ad nubes attollentem,] quod de Diabolo mox exponitur. Et in actis S. Macarij Romani cap. 9. dicitur quod in media valle inter duos montes altiſſimos, apparuit homo longa ſtatura centum cubitorum, catenis conſtrictus æneis, & toto ligatus corpore, quod ſpectrum erat damnati. *Sectio 3.* *Breuitas in naturalibus.* Statura.

Comitatam plerunque proceritati, improbitatem docet exemplum Gigantum. Poſterioribus ætatibus multi proceri fuere improbi, ſicut Anaſtaſius Imperator, quem dæmonem corporatum haud iniuria diximus, Cedreno teſte, proceriſſimus corpore fuit.

Cinerarij peregrinæ erant proceritatis. Vnde Tertullian. lib. 2. ad vxorem cap. 6. exprobrat mulieri Chriſtianæ, quod à Diabolo maritum petat (hoc eſt Ethnico viro iungatur,) copioſo ac locupleti, *bonum exhibenda ſella, & mulabus & Cinerariis peregrinæ proceritatis*. Hos *Cinerarios*, Acron Horatij interpres ad illud ex 1. ſerm. Sat. 2.

—— Multa tibi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, paraſiti,

Exiſtimat eoſdem eſſe cum *cinifloribus*; ſic dictis quod ad criſpationem matronalium capillorum, calamiſtros in cineribus aſſiduè perflatis calefacerent. Videſis Gotofredũ ad lib. 49. & 65. ff. de leg. qui monſtrat, huiuſcemodi ciniflones, atque adeò cinerarios, fuiſſe viros, qui ex munere fœminas comerent. Sed quorſum in eum vſum quærere viros peregrinæ proceritatis? Itaque aliquid peius ac indignius ſub eo vocis cortice latet; quod videtur inſinuari can. 67. Illiberitano quo dicitur. [Prohibendum, ne qua mulier fidelis, vel Catechumena, aut Comatos, aut viros Cinerarios habeat.] Illi enim *Comati* ſuſpicione laborabant nefarij operis, vt videre eſt apud Tiraquellum ad l. 3. connub. & Martinum à Ros l. 3. ſingul. c. 15. Itaque Comatis adiuncti Cinerarij, nihilo maioris probitatis indicium ſubminiſtrant. Fitque veriſimillimum, quod non nemo coniecit, quæſitum eleganti ſpecie è Boreali regione procerum quempiam, qui mulieri Ethnicæ etiam coniugatæ, citra coniugium eſſet ad opus coniugij, quamuis ſpecie externa nihil tale proderetur. Ea vero turpitudo, ne irreperet inter Chriſtianas mulieres, malebat Tertullianus, mulierem fidelem pauperi marito nubere, qui non poſſet vxori ſuppeditare ſumptus ad famulitium domeſticum, cum tanta infamia coniunctum. Quod tamen propudium concubinorum etiam apertorum ac profeſſorum, inter Boreales admodum remotos, non ita pridem ſuperfuiſſe, memini legere. En fructum proceritatis corporeæ, cum elegantia (vt ſæpè aſſolet,) ſociatæ.

Concludamus ex omnibus hactenus diſputatis inre S. Chryſoſtomum agentem de Dauida paruulo per quem Deus tam ingentia patrauit, negare deſpici debere paruos corpore, & magnifieri proceros, cum è contrario videamus, quercus ſublimes, atque proceras, non habere fructum hominibus aptum, ſed porcis tantùm: vineam autem quæ parua eſt & per terram repit, fructum afferre è quo exiſtit vinum exhilarans Deum & homines, vt habet Apologus Iudic. 9. Pleniùs idem Chryſoſtomus alibi. [Si hominem (inquit)

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

videtis corpulentum, in habitudinem multam progreſſum ſublimem, & alios ſuperaſcendentem corporis proceritate, ne admireris, donec animum didiceris, &c. Paruus erat Dauid, & breuis ſtaturæ: verumtamen breuis ille & paruus, & armis nudus omnibus exercitum totum, &

Statura.

carneam illam turrim ſolo proſtrauit ictu, &c. Parua inter volatilia apis, & dulcedinis principatum tenet ipſius fructus. Hoc & de ciuitate, & de hominibus dicamus. Non eſt ergo contemnenda in terra, puſillitas corporis.

Quod verò excluſis è cœlo puſillis ſoli proceri eò inferebantur, non eſt ſolidum. Nec apparet quanto fundamento Apoſtolus Epheſ. 4. in eam rem allegetur. Nam quod ait, *donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, propriè & genuinè non ſpectat ad reſurrectionem, neque ad menſuram ſtaturæ vel ætatis corporeæ vt paſſim accipitur; ſed ſpectat ad plenitudinem ætatis & menſuram in Chriſto nobis myſticè obuenturam, cum deſierimus in Chriſto creſcere, vt ibi, optimè expendunt Cornelius & Iuſtinianus. Itaque nihil ille Apoſtoli locus ad excludendos è cœlo puſillos. Et quamuis communis Doctorum ſententia, & vt ait S. Hieronymus Epiſtola 27. *traditio Eccleſiaſtica*, eam quantitatem aſſignet corporibus Beatorum, quam per naturalem vim auctricem non impeditam aſſequi potuiſſent; ſi perueniſſent ad ætatem plenam, cuiuſmodi eſt tricenaria; tamen quàm multi ſunt, qui etiamſi non obiiſſent pueri, tamen per ſuam facultatem augmentatiuam expeditam, non acquiſiuiſſent quantitatem, ratione cuius denominandi eſſent magni, vel deſinerent eſſe puſilli? Multi item prouecta ætate vita functi, non acquiſiuerunt quantitatem tantam quæ eos puſillorum numero exemerit, nec eſt fundamentum aſſerendi quod ſint reſurrecturi proceriores. Nam reſurgent in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, eo ipſo quod reſurgent in ea quantitate ad quam in ætate tricenaria per vires naturales non impeditas potuerunt attingere, etiamſi ea quantitas non ſit qualis eſt magnorum qui ſunt in terra, ſed puſillorum. Quin potiùs eſt quod in eo Apoſtoli loco ad grandes pleroſque è cœlo excludendos pertineat. Vt enim notauit Suarez t. 2. 3. p. d. 44. ſect. 5. & Thyræus lib. de apparit. ad Iud. vniuerſ. cap. 4. num. 109. corporibus quæ hic tranſgreſſa fuerint longitudinem ætati perfectæ conuenientem, ea tantùm quantitas reſtituetur quæ conſentanea eſt prædictæ ætati; reliqua quantitas quâ homines eam menſuram fuerint ſupergreſſi, non reſtituetur redinitis corporibus, quia enormis fuerat, nec ad veritatem reſurrectionis neceſſaria. Atque ita plerique longi truncabuntur, nec eam vaſtitatem, quam hîc ſortiti fuerant, nanciſcentur in cœleſti regno, quod paruulorum eſt & benè compoſitorum, non longitudine enormium. Nam neque Chriſtus qui reſurrectionis noſtræ exemplar eſt, corpore fuit longitudinis ſimpliciter dictæ, cum eſſet ſtatura mediocri, quæ ad puſillitatem potiùs accedit. Mediocrem autem ſtaturam ei tribuit, Lentulus in epiſt. ad Senatum Romanum, & Pilatus epiſt. ad Tiberium. Eáque Chriſti ſtatura exhibetur in lapide marmoreo Baſilicæ Lateranenſis, de qua Malonius ad cap. 3. Palæoti de ſacra ſindone num. 3. Non eſt ergo quod Chriſtianos pudeat Chriſti exemplo & corpore & ſpiritu puſillos eſſe.

Antiquum in Chriſtianos conuitium, quo dicebantur *Semiſſij*, ita legunt aliqui apud Tertullianum cap. 50. Apologetici. Petrus Crinitus l. 1. de honeſta diſcipl. cap. 13. exponit de paruitate, quaſi dicerentur *Semiſſij*, eo quod eſſent homines dimidij aſſis, breuiculique & minutuli, quales dicti *Semiſſij homines*, Ciceroni ad Vatinium, ſed aberrat Crinitus. Neque enim paruitas corporis in Chriſtianis notabatur eo conuitio, ſed quod ad ſtipitem dimidij axis alligati, ac combuſti, morerentur. Ita enim illud conuicium exponit Tertullianus. [Sarmentitios (inquit) & ſemaxios appellatis, quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti, ſarmentorum ambitu exurimur.] *Semaxios*, teſte ibi Pamelio, conſtanter legunt MM. SS. omnes, Vaticani, Gallici, Belgici, & ſenſus eſt quem propoſuimus. Itaque non eſt in eo Chriſtianorum conuitio, quod ad depretiationem corporeæ paruitatis trahatur, & quo è contrario celebretur proceritas.

Nuper pumilus Theatrum ſubiens ſic breuitatem celebrauit, quam placet audire.

Impetus eſt rictum ſubitò diducere riſu,
Cum minimus bipedum, magna theatra ſubit:
Me ſpectate prius, quam ſe diaphragma relaxet;
Grandis, & in pumilo, cauſa ſtuporis erit.
Namque licet natura breuem me finxerit, amplas
Clauſit in exiguo corpore mentis opes.
Scilicet, huc mentis niſus, huc contulit artis
Auxilia, vt faceret mentis & artis opus.
Nec rerum genitrix, clari fuit irrita voti;
Eſſe dedit magnum, cui dedit eſſe breuem.
At diues breuitas, quanti ſtetit? arte, labore
Immenſo docuit me peperiſſe diu.
Tantum operæpretium eſt, illuſtrem condere Nanum!
Tantum homini eſt munus numinis, eſſe breuem.
Ite igitur, quibus eſt, pro corpore carnea turris,
Ingeniùmque leui pumilione minus.
Parua ego ſum pyxis, dolium ingens, quiſque Gigantum:
Hos faces olida, me bonus implet odor.
Eſt mihi parua domus, vobis eſt maxima: verum
Pudor habet veſtram, dum mea parua nitet.
Eſt opibus mea plena ſuis, veſtra horrida ſqualens,
Quam bene laxa patet, tam male culta vacat,
Forte humeros aliquis iactauerit, atque lacertorum
Oſſa ampla, eſt ſtupida pinguia colla gruis.
Haud equidem inuideo, miror magis, artubus illis
Illâ mole nihil roboris eſſe ſitum.

Si quiſquam ad corpus, virentem exegeris
ipſos
Ilicet, Herculeum differit eſſe genus.
Sin languore animi, ventres metimur obeſos,
Maximus illorum, vix pede longus erit.
*Quippe velut pingue*s *nimium cum ſemina campus*
Accipit, in tribulos luxuriare ſolet:
Sic inſanus adeps, commiſſa ſemina mentis
Obruit, & nocua fertilitate necat.
Quidni euanuerint in diſpare germina fundo?
Ingenij granum, iugera carnis habent.
At vero tenuis dominans in corpore ſenſus
Sede ſua maior, fit thronus ipſe ſibi.
Principio ingenti parua implet numine membra,
Tum ſuper ire caput, nobilis boſſes amat.
Verum ne faciat prolixa oratio, longum;
Qui breuis eſt, gemino carmine cuncta loquar.
Vobis, à breuibus quando breue drama paratur;
Corpore, num Prologus debuit eſſe breuis?

V. Breuitas capitis, violentiæ, ac impetus; itémque morboſitas reliqui corporis nota. Altum ergo amplúmque caput, anteferendum.

CVr breue ac puſillum caput, argumentum præbeat impetuoſi violentique genij, inde rationem ducit D. Thomas ad librum de ſenſu & ſenſili, quod caput & cor ſitu oppoſita ſibi inuicem ſint, vt cerebri frigiditate cordis calor attemperetur; ex quo fieri ait, vt paruo breuique capite homines, iuxta membrorum aliorum proportionem, cordis calore non ſatis per cerebrum reflexo, ferocians; impetúmque ac violentiam paſſim prodant; in diuerſa autem capitis diſpoſitione, contrariam exſtere affectionem neceſſe eſt. Quod autem morboſitas corporis, breuitate capitis innuatur, tradunt graues Medici. Galenus enim in arte parua, confirmat, caput paruum, eſſe malè conformati cerebri indicium. Et ad eum locum Hali Rhodoan cauſam illius rei eſſe ait, conſtrictionem, coarctationémque ventrium cerebri, ea qua contingat intercludi liberam ſpirituum animalium exſpatiationem. Inde verò efficitur, & imbecilla eſſe quæ inde producuntur omnia, & corpus reliquum malè affici. Æquè Paulus Ægineta lib. 1. capitis paruitatem ſeu breuitatem, pro malè conformati cerebri indicio habet. Quæ Ioannes Alexandrinus in Hippocratis Epidem. in hanc rem tradit, digna ſunt annotatu. [Caput (inquit) paruum, ſemper malum eſt, ſicut & paruum pectus. Hoc enim ideò malum, quia pulmonis domicilium eſt ac cordis, quæ membra latius exigunt ſpatium. Occluſum enim angoſtiis cor, minùs mouetur, indéque præfocatur naturalis calor ac debilitatur: vnde indigeſtio conſequitur, & ſuperfluitatum accumulatio. Capitis verò laxior requiritur capacitas; quia multarum eſt virtutum conceptaculum; ſenſi- *Sectio 3.*
tiuarum videlicet quæ præcipuæ ſunt & motum *Breuitas*
præſtantium: ſi enim amplum fuerit cerebrum *in natura-*
ad capitis proportionem, manifeſtum eſt calorem *libus.*
naturalem benè agere, magnis quoque ſphondylibus, magnis item pectoris oſſibus quæ obliquè *Caput.*
à ſphondylibus exoriuntur. Hinc vitalium virtutum optima prouenit conſtitutio, & mox corporis totius commenticatio percommoda.] Præſtat igitur, altum & amplum caput ſortiri, quare Pericles, inter Athenienſes ſapientiſſimi, qui ex capitis longitudine dictus eſt *Schinocephalus*; Cratinus verò vocatum κεφαληγερέταν commentus eſt, vt qui admodùm latum & altum caput haberet. Alibi ſic de eo pronunciatum: ἐκ κεφαλῆς ἑνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλει. Meletius lib. de natura hom. in breue caput conclamat, eo quod cum præ exiguitate non ſit capax plurimi ſpiritus, ob cerebri compreſſionem in anguſto illo conclaui, neceſſe ſit animalem ſpiritum velut demergi ac extingui, & cum eo vniuerſas animales actiones obſoleſcere. Alexander Toſſonus lib. 5. var. quæſtionum capite 15. in eandem ſententiam profert Palæmonem, Paulum Æginetam, & Petrum Binsfeldium, poſt Ariſtotelem in Phyſiogn. ſenſatos appellantis eos qui habent magnum caput. Volo etiam recentioris Phyſiognomi, imò Theologi, Phyſionomiam ad Theologicam amuſſim dirigentis, iudicium referre. Is eſt Petrus Ciruelo. lib. 3. Aſtrolog. iudiciar. cap. 19. cuius hæc eſt ſententia. [Caput magnum (non ex ſuperfluitate materiæ) bonitatem phantaſiæ, aliorúmque interiorum ſenſuum fortitudinem oſtendit, & hominem ſapientem ac prudentem, propter ſufficientem magnitudinem cellularum cerebri. Contra verò paruum caput, denotat hominem, fatuum, imprudentémque. Ac de talibus dicit Ariſtoteles, quod ipſi parùm dormiunt, ſomnus enim breuis inquietum, ac mobilem animum oſtendit.]

Itaque ratum eſto Galeni Medicorum principis iudicium, exigua capita, ſemper praua eſſe. Ita ſtatuit 6. Epidem. & Gallicum vulgus ſuffragatur, cui homo ſtolidus, *caput lunaria gerere* dicitur (*Teſte de linette.*) Auiculæ nomen eſt cui paruum admodùm eſt caput. Suffragatur antiquus loquendi modus Latinorum. Nam *Capitalem*, id eſt, *benè capitatum*, nec modico inſtructum capite, dixere veteres pro ingenioſo; iuxta illud Tullij de Philiſto hiſtorico lib. 2. ad Q. Fratrem Epiſtola 11. [Siculus ille capitalis, *bonus odi teſta*, creber, acutus.] Capitalem enim in ea notione dixere veteres, vt notauit Muretus lib. 2. variar. cap. 5. præſertim ex Naſone 3. Faſtor. vbi agens de templo Mineruæ captæ, ait videri poſſe dictam *captam* quaſi *capitalem*.

Nominis in dubio cauſa eſt; Capitale vocamus
Ingenium ſolers, ingenioſa Dea eſt.

E contrario (vt dixi) nota hebetudinis eſt *Capitulum*. Sic caile caput vocant Plautus in Curculione, & Terentius in Eunucho, ac Tertullianus cap. 15. Apolog. & lib. de Pallio.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

§ 2. *Caput breue nota prudentiæ; ideóque magno & amplo præferendum.*

Caput.

GRæci grandiori capite præditos pro inſulſis habent, nec aliter apud eos audiunt Bardi, quàm μακροκέφαλοι. Qui loquendi modus (vt alij plerique, obſeruante Perione) manauit ad Gallos: apud quos de homine cui grande ſit caput, adagio dicitur, magnum caput, parùm ingenij *Groſſe teſte, peu de ſens*. Ariſtoteles ſanè lib. animal 4. caput paruum anteponit grandiori, & eſſe opportunum ad prudentiam docet; quia mole non exuberat, atque adeò erectum eſſe commodè poteſt, quod inſinuat prudentiæ capacitatem. Vndè bruta quia capite ſunt grauato ac demiſſo, carent ſapientia, quia principium, animi admodum difficile motu, præ corpulentia & granditate ſortiuntur. Hac ratione Mahumetes homo planè pecuinus, erat prægrandi, capite cæteris tamen membris omninò iuſtæ magnitudinis vt ex Aly eius nepote refert Alexand. Taſſonus 5. var. cap. 15. qui addit de quodam ſtupidiſſimo ſibi noto, cui caput erat tria ordinaria capita æquans; cæteris verò membris erat exiguus. Aſiæ quidam populi, apud quos pulchrum habebatur, eſſe oblonga & præalto capite, vnde etiam *Macrocephali* ſunt appellati, hebetes fuiſſe referuntur ac bardi. Contulit eis longitudinem capitum ſtudium nutricum quæ recens editorum tenella capita manibus comprimendo, globoſam figuram capitum corrumpebant; eáque faſciis item adhibitis adſtricta, creſcere in acumen ac faſtigiari adigebant: vnde ſtudio in naturam verſo, qui ex hominibus ea capitis conformatione prodibant, oblonga ipſi quoque habebant capita, vt Hippocrates refert, notans inde dictos *Macrocephalos*. Idémque de gente quadam Italiæ iactari, ſcribit Muretus 12. var. cap. 8.

E contrario viri quibus caput puſillum, prudentiſſimi ſemper notatur. Ita nuper Nicolaus Villaregius inſigne Gallicani Conſiſtorij ornamentum, imò monſtrum prudentiæ, & veluti quidam ſui temporis Cato, capite perbreui fuit, & per comparationem ad cæteros perpuſillo, & tamen conſilia eius optima, ſaniſſima, & veluti ex quadam cortyna prodeuntia: Nimirum vt Ariſtoteles ſect. 30. probl. 3. annotauit. Et ex eo Volaterranus lib. 24. Antropol. §. *Caput* in paruo capite, potiùs quàm in grandi & amplo viget prudentia, quod inſinuauit Poëta Iliad. 2. vbi Therſitem omnium qui ad bellum Troianorum profecti ſunt ſtolidiſſimum deſcribit amplo capite, & exquiſitè ſphærico, quæ figura eſt omnium capaciſſima: & tamen is fuit Therſites qui hebetudinis & ſtupiditatis, palmam omnibus facilè præriperet. Et quamquam materiæ vbertas vnde granditas capitis exiſtit, videatur robur facultatis formatricis indicare, ideóque inſinuet laudabilem capitis conformationem, vt diſſerit Rijanus Commentario in librum Galeni de oſſibus cap. 8. tamen illa ipſa materiæ abundantia, tenuitati ſenſus non fauet. Itaquè capitis exiguitas, vndecumque potior eſt habenda, quia & materia præ paucitate tractabilior eſt, & aptior vt exquiſitè formetur; nec præ tenuitate obſtruit vim ſenſus, quam obtundit obeſitas ex materiæ vbertate, & ſpiritus meliùs vniti, nec in ampla cerebri capacitate diſſipati, functiones animales meliùs obeunt, vnde per ſympathiam & concomitanter, perfectior vſus facultatum ſuperiorum. Facit etiam paruitas capitis ad audaciam; & idcirco Paulus Vecchi obſeruat. phyſiogn. 22. adnectit ſapientem Eccleſiaſtici 25. aſſerere, non eſſe caput nequius ſuper caput colubri, & non eſſe iram ſuper iram mulieris: quia ſicut caput colubri (quippè paruum) eſt nota audaciæ ſerpentis; nam cor minùs refrigerant ob puſillitatem cerebri; ita in muliere ſignificatur vigere iram & furioſum impetum.

In ſumma S. Paulus cuius vnguem vnum orbis vniuerſus non æquaret ex S. Chryſoſtomo hom. 13. in primam Corinthi, eiuſdem S. Chryſoſtomi teſtificatione, orat. in SS. Petrum & Paulum, ac Nicephori lib. 1. cap. 37. fuit capite modico: quo vno exemplo, omnia quibus capitis breuitas & puſillitas impeti videbatur, contrita iacent.

VI. Naſus longus ſapientiæ index.

NAſum ſumi pro iudicio, vel vnum illud Horatij euincit.

— *Non quia nullus*
— *Illis naſus erat.*

Suffragatur Martialis cum ait. [Non cuique datum eſt habere naſum: Et alibi. [Naſutus ſis vſque licet, ſis denique naſus.] Quo ergo naſus erit prolixior, eo erit vberioris iudicij ac ſapientiæ nota.

Scriptura ipſa aſtipulatur, vt obſeruauit as. S. Gregorius 1. parte Paſtor. cap. 11. expendens quod Leuit. 21. homo paruo naſo, repellitur à ſacro miniſterio. [Paruo naſo eſt (ait S. Gregorius,) qui ad tenendam menſuram diſcretionis, idoneus non eſt. Naſo quippè odores fœtoréſque diſcernimus. Rectè ergo per naſum diſcretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Vnde & in laude Sponſæ dicitur; *Naſus tuus, ſicut turris quæ eſt in Libano*: quia nimirum S. Eccleſia quæ ex cauſis ſingulis tentamenta prodeant, per diſcretionem conſpicit, & ventura vitiorum bella, ex alto deprehendit.] Qui S. Gregorij locus adducitur d. 9. cap. *hinc etenim*, ad monſtrandum repellendos eſſe à ſacris ordinibus, qui ad eum modum paruo ſunt naſo. In quam rem videndi Albertinus V. *Naſus*, & Speculator tit. de diſpenſat. §. *iuxta* verſ. *item in veteri*. Eſt ergo naſus ſymbolum ſapientiæ ac prudentiæ & acritudinis iudicij. Vnde *naſuti* paſſim dicuntur, quibus perſpicacior eſt animus, & defæcatius iudicium. Poſſétque facilè eodem reuocari, quod prouerbiali locutione *homo emunctæ naris*, dicitur pro homine cordato, & terſi iudicij. Nimirum præter ea quæ ab Artemidoro lib. 1. cap. 29. in hanc rem proferuntur, dum corpori hic alligatur anima, bonitas iudicij, & acumen intellectus, nexum aliquem habet cum cerebri conſtitutione & qualitate. Nam quandoquidem anima eſt forma corporis, omnes eius operationes, etiam ſpirituales,

tuales, connexionem aliquam habent cum corpore; non quod pendeant directè & per ſe à corpore, vel à corporea aliqua facultate, ſed quod ita conſertæ ſint & implantatæ ſpirituali ſubiecto facultates ſpirituales, vt tamen erumpere in actum pro hoc rerum ſtatu nequeant, quin facultas materialis concomitanter obeat ſuam ipſa quoque functionem. Intellectus igitur, qui eſt animæ intellectualis veluti oculus, nexum habet pro hoc ſtatu cum phantaſia, quæ eſt potentia materialis inhærens cerebro. Vnde pro cerebri nitore & puritate, meliùs & commodiùs obit ſuas functiones; indéque ob concomitantiam cum phantaſia, ex cerebri expurgatione, meliùs ac perfectiùs obeuntur functiones intellectus, & potius acutiuſque eſt iudicium de rebus; quod eſt proprium facultatis intellectiuæ munus. Atqui ad cerebri expurgationem apprimè confert naſus. Quod enim rectè admonet Epictetus apud Arrianum lib. 4. cap. 11. natura nares dedit tanquam tubos quibus excrementum pituitoſum efflueret.

Itaque quo Naſus erit prolixior & capacior, eo meliùs & abundantiùs effluet mucus; ſicque negotiatio phantaſiæ erit expeditior & melior, atque adeò etiam concomitanter & indirectè, ratione connexionis cum phantaſia, iudicium exiſtet limatius, & purius atque omni ex parte perfectius. Notus longus Cyri naſus, index perſpicacitatis eius & intelligentiæ. Vnde Perſis naſuti, quos *grypos* vocant, quòd Cyrum referrent, fuere in veneratione. Hercules naſo fuit longo, vt ex Hieronymo Philoſopho ſcribit Clem. in Prot. Paſſim item acutæ nares pro acri iudicio vſurpantur, iuxta illud Flacci lib. 1. ſatyr. 8.

——— Acutis
Naribus horum hominum rideri poſſit.———

Traſcodrugitæ Hæretici apud Epiphanium hær. 48. vt naſum acutæ mentis & in negotium ſedulò intentæ, notam eſſe, teſtatum facerent, orando indicem naſo imponebant, non triſtitiæ & vltroneæ mœſtitiæ gratiâ, ſed cauſa raſtandæ attentionis, nec auerſæ aliò perſpicaciæ ingenij. Rationem nominis, hanc ſuppeditat Timotheus Presbyter utar. de iis qui accedunt ad Eccleſiam. [*Taſcodrugi*, ſua Galatarum linguam appellati ſunt, & quod τάσκος apud eos exponatur *paxillus*: δροῦγγος verò nares. Id autem ſolemne habent vt in precibus quas recitant, dexteræ manus digitum naſo impoſitum teneant, ſicque preces fundant. Per hunc ergo modum, Galatarum lingua *Taſcodrugi* appellantur.] Alij vocant *perticonaſatos*. Nec diſſimili ratione *Paſsalorincha* apud Philaſtrium cap. 77. & Auguſtinum in breuiculo hæreſeon. cap. 63. ſic dicti ſunt, quod naſo imponerent digitum; ne vel ipſimet tacendo perciperent taciturnitatem ſuam. πάτταλος quippè *palum*; ῥύγχος autem *naſum*, deſignat. Quod ergo naſus eſſet nota perſpicaciæ iudicij, ac ſapientiæ & digitus ſignum dimenſionis, (vt eſt apud Horum Apollinem,) idcirco digito naſum tangentes, innuebant cuncta ſe rectò iudicio metiri ac diiudicare. Quia igitur vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſic magis ad magis, ſi naſus ſymbolum eſt iudicij, ac ſapientiæ, naſus longior, multo acrioris & emunctioris iudicij & ſapientiæ nota *Sectio 3.*
meritò habebitur. Et quia ſapiés idem & patiens, *Breuitas*
Nahum 1. vbi nos habemus *Dominus patiens*, He- *in natura-*
bræa habent, *qui nares habet longas*. Sicut è cõtra- *libus.*
riò Prouerb. 14. vbi nos legimus, *vir impatiens*
operabitur ſtultitiam, Hebraïcè eſt *qui breuibus* *Naſus.*
eſt naribus. Vt enim notanit Paulus Vecchius obſeru. 45. phyſiognomica, ex longis naribus cor non facilè exæſtuat, ſicut ex narium anguſtia & breuitate. Nihil dico de pulchritudine, quam longus naſus conciliat; & ideirco Nicolaus Suſius in diſſertatione de pulchritudine B. Mariæ *pag.* 165. notat apud Indos, quaſdam gentes, arte & nutricum induſtria, naſum puerorum producere, vt ſint venuſtiores. E contrario autem, quàm deformes ſimi, ſi aliis oculis obijciantur quàm Æthiopum, qui quod paſſim ſimi ſint æquè ac nigri, Deorum quoque ſimulachra effingunt teterrima, & naſo penè nullo; alij omnes aliud planè ſtatuunt, & naſi breuitatem deformare hominem interpretantur. In partibus enim corporis efformandis, natura penè æquis paſſibus incedere ſtatuit concinnitatem & vſum: ac proinde ſicut naſus prolixus, eſt vtilior ad finem expurgandi cerebri, adde etiam ad finem percipiendi odores, & obeundi munus prægustatoris, reſpectu guſtus, vt Philo lib. de ſacrif. Abelis ſcitè pronunciauit; ita qui naſus eſt prolixior, idem eſt pulchrior. Flaccus ſanè in arte Poëtica id agnouit, cum dixit.

——— Hunc ego me ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quàm prauo viuere naſo
Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Iuſtinianus Rhinotmetus vtrumque defectum propoſitum, ob reſectum ſibi naſum, adeo ſenſit incommodum, vt præ ira inde concepta, quoties expurgandus eſſet magno cum labore humor excrementitius deſfluens è cerebro per patentem naſi reſecti canalem, vnum è rebellibus à quibus ſic truncatus & deformatus fuerat, interfici mandaret.

In ſumma Prouerbium eſt, vt ait Riolanus lib. 4. Anthropograph. cap. 6. naſi magnitudine, concipi mucoris quantitatem: ad ſignificandum naſutos facilè eſſe cordatiores, & locupletiores ac digniores. Sanè naſum B. Virginis fuiſſe longum, & accedentem ad aquilinum notat Aſcanius Perſius, in hiſtoria imaginis Montis Guardiæ ad Bononiam à S. Luca depictæ, in qua Imagine naſus Deiparæ ea forma & magnitudine exhibetur. Sed & Nicephorus lib. 1. cap. 23. ex Epiphanio repræſentans formam Deiparæ, faciem illi longiorem, manus item ac digitos longiores, & nominatim longiorem ei fuiſſe naſum confirmat. Et quia eodem Nicephoro teſte, Beatæ Virgini matri ſuæ Chriſtus corpore & conformatione membrorum fuit quam ſimillimus, reſtat vt Chriſti quoquè naſus fuerit oblongus, non indecenter, qualis eſt in quibuſdam deformis protenſio naſi, (quæ ſola negatur Chriſto apud Sanctam Brigittam libro quarto, c. 70. cum naſus Chriſti dicitur fuiſſe paruus, nec nimis magnus) ſed longitudine conuenienti atque decora. Principes Apoſtolorum, naſo oblongo deſcribuntur à Nicephoro lib. 2. cap. 37. Simos quibus naſus breuis eſt aut

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

ferè nullus, luxurioſos eſſe, ſcribit Ariſtoteles in phyſiog. nam propter denſitatem & duritiem materiæ vnde ſimitas exiſtit, calor quo pollent ſimi, acrem titillationem infert; vnde ad labem illam, ſumma propenſio. In ſumma, tametſi vix

Naſus.

dignus eſt Artemidorus, cuius ſomnia huc adducentur; tamen & ipſe quoque pro longo & grandi naſo pronuntianit, ſtatuens ſignum id eſſe, & ſubtilis ingenij, & magnæ in negotiis dexteritatis, & acceſſus ad viros ſublimes. Omnia autem alia ſignificari naſo breui aut nullo; idque ſi ſomniare ægrotanti contingat, præſagiri certam mortem, quod mortuorum capitibus deſit naſus; Ita ille libro Onirocrit. 1. Quæ pro longi naſi prærogatiuis ea Petro Citrelo adducit Torreblanca lib. 1. de magia cap. 9. num. 35. continentur in antedictis. Argumentum non inidoneum pro laude Naſicarum ſuppeditat, quod pro ingenti dedecore atque ſupplicio, naſus quandoque abſciſſus legitur. Sic factum diui Iuſtiniano Rhinotmeto; Idem factum Leontio item Imperatori; eſſéque eam pœnam atrocem, ſtatuit Federicus Imperator in conſtitutionibus Siciliæ. Nec dubitat Paris de Puteo tract. de re militari *pag mihi* 418. aſſerere, maius eſſe damnum & probrum naſo priuari, quàm altero oculo.

§ 2. *Naſus breuis multipliciter opportunior: nec qui naſo protenſiore, idcircò ſapientiores.*

TAmetſi per analogiam ad naſum corporeum, qui quò amplior & longior, eò videretur potiore vi odorandi pollere debere, paſſim homo naſutus, & benè à naſo conſtitutus, idem ſonat quod perſpicacem, & iudicij emuncti ac nitidi; tamen dimiſſis metaphoris, quid naſo & prudentiæ? Annon Sinæ inter omnes nationes exteras, pollent prudentia & ingenio? Et tamen omnes ſunt naſo admodùm exiguo, vix prominente, vt ſcribit Trigautius lib. 1. exped. cap. 8. Et Socrates fuit ſapientiſſimus, quamuis naſo erat breuiſſimo. Imo verò Naſicæ hebetudinis inſimulari & notari ſolent; vt patet ex vulgari adagio, quo homines alteri ſtolidè obſecundantes, & quocumque is voluerit impellendos, dicimus nare ab eo trahi, metaphora ſumpta à bubalis, qui annulo in ſummam narem inſerto, perinde atque equi, freno circumaguntur quo lubet. Vſus eſt ea Prouerbiali locutione Lucianus dialog. de hæreſibus, & in dialog. quodam Iouis ac Iunonis. Redolent ergo bubalos & nullo iudicio eſſe inſinuantur, qui naribus ſunt prælongis. Eadem apud S. Gregorium lib. 31. moral. cap. 13. nota eſt ſuperbiæ; vnde exponens illud, *nunquam volet Rhinoceros ſeruire tibi?* longum Rhinocerotis naſum iis tribuit, qui præ ſuperbia exleges fuerant, & iugum Dei detrectarant. Et Pſalmo 9. vbi vulgatus habet; *ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret:* Hebræa ſonant, *præ altitudine naſi*, id eſt, interprete Genebrardo, præ ſuperbia & arrogantia. Paſſim quoque longus naſus pro nota iræ vſurpatur. Eſt quippè naſus ſedes iræ, iuxta illud Perſij,

> *Diſce; ſed ira cadat naſo, rugoſáque ſanna.*

Et apud Pſaltem, vbi nos legimus, *liberator meus de gentibus iracundis*, Hebræa ſonant, *de gentibus naſi*. Multa in hanc rem ſubminiſtrabit Delrio Adagiali 139. veteris Teſtamenti. Quid quod Angeli Politiani diſtortos pro Sacerdote mores deſcribens Iouius, eo elogio quod cæteris eius dotibus panxit, enormitatem naſi in eo conſiderat? Helagabalus verò ſpurciſſimum planè, ac fœtentiſſimum monſtrum, ex naſi magnitudine, de aptitudine, ac procliuitate ad omnem obſcœnitatem pronunciabat. In quam rem alia quæ preſſa malo, dabit Tiraquel. ad lib 9. connub. num. 99. Eſt item longus naſus nota ſubſannatoris. Quò ſpectat illud Plinij lib 11. cap. 37. [Et altior homini tantùm, quem noui mores ſubdolæ irriſioni dicauere, naſus.] Cui verò ignotum illud Hiſpani Poëtæ,

> *Maiores nuſquam ronchi, iuuenéſque, ſenéſque,*
> *Et pueri, naſum Rhinocerotis habent.*

Id eſt omnes verſi ſunt in ſanniones; etiam pueri indulgent vncis naribus, vt loquitur Perſius, naſoque adunco ſuſpendunt ſcipientes. Sidonius carm. 3. ronchus ipſe quoque pro ſannis, & irriſionibus vſurpans, *ronchiſono rhinocerote* notari dixit, pro eo quod eſt rideri & ſubſannari. Et lib. 1. epiſt 6. *ronchantes bubulcos* dixit, pro deridentibus. Nec aliter accipio narem Rhinocerotiam, quam carm. 9. extremo, deprendam admonet.

Hæ omnes promiſſi naſi tetræ notæ, morales ſunt, ac myſticæ; illud breuis naſi decus ac commodum & Phyſicum; quod cum naſus reſpirationi & odorum perceptioni, & expurgationi cerebri ſeruiat; omnes illæ functiones videntur expeditiùs obiri per breuem naſum. Neque enim ſenſus odorandi ſedes, in ipſomet naſo eſt, ſed in proceſſibus mammillaribus, in quos cerebrum deſinit, à quo tubus narium breuior eſt, eò citiùs odor receptus ad illos proceſſus, & faciliùs quoque ac liberiùs emittitur aër, itémque mucus effluens è cerebro. Vnde ſi commoditas & concinnitas partium, in humano corpore ex æquo ſe habent, naſus breuis concinnior haberi debet, iuxta illud Martialis lib. 4. epigram. 42. aliàs 45.

> *Frons breuis, atque modus breuiter ſit naribus vncis.*

S. Paulum breui naſo, ſeu ſimum exhibet Lucianus in Philopat. tametſi diſſidet Nicephorus lib. 1. cap. 37. E contrario de longis naribus ita Ariſtoteles in phyſiogn. [Qui nares habent oblongas, & in acutum deſinentes, iracundi ſunt, & referuntur ad canes.] Canini verò naſi pulchritudinem, nemo niſi deformis commendarit. Nec ſecus ſenſiſſe videri debent Sanctæ illæ Virgines, quæ ſtudio caſtitatis ſe denaſarunt. Vt enim truculento illo ſpectaculo horrorem inijcerent, Deo gratificaturæ, & pudicitiam in tuto locaturæ, naſos reciderunt vel imminuerunt. Et quanquam naſi breuiatio iuſto maior, pro qua hîc non ſatago, qualis eſt quà vel totus, vel magna ex parte reſecatur, deformet haud dubiè faciem; tamen non id ſpectaſſe videntur ſanctæ illæ Virgines, cum ſe denaſarunt, vt ſe ea ratione deformes exhiberent, ſed vt horrendas & auerſandas

ſandas obijcerent. Alioqui quæ facie minùs illecebroſa fuiſſent, non eguiſſent eo impudicitiæ procorum amuleto: & tamen vt cæcum furorem qui etiam in deformia corpora abripit, declinarent, & vt ad earum occurſum hoſtes perculſi inſolito ſpectaculo, pedem referrent, naſis ſua manu truncatis, litarunt Deo. Sic Elba Collinghamenſis Abbatiſſa, cum omnibus ſui Parthenonis puellis Deo conſecratis, imminentibus Danis, naſum ſibi cum labro ſuperiori ad dentes vſque reſecuit, ne ludibrium impuris hoſtibus fieret. Narrat in Anglicana hiſtoria Matthæus Vveſmonaſterienſis ad annum 870. De S. Virgine Odda, cum à ſponſo Simone & patre vrgeretur ad nuptias contra addictam Chriſto ſponſo fidem, idem narrat Philippus Abbas. Galfridus apud Tilmannum in allegoriis ad cap. 18. Eſaiæ, ſcribit nobilem Virginem ſuo tempore, ne nubere cogeretur, naſum ſibi abſcidiſſe.

Exemplum aliud minus vulgatum adſcribo. Mons hilaris, vulgò *Montalegre* apud Coſſetanos, iuxta Barchinonem, locus eſt in quo Moniales S. Auguſtini, per duo circiter ſæcula, ſanctè ac religioſè Deo ſunt famulatæ. Nam poſtea is locus anno 1348. tranſlatis Barchinonem virginibus, ceſſit patribus Cartuſianis. Dum ſtaret Parthenon, Nobilis quidam exarſit in vnius Monialis concupiſcentiam, crebris aditionibus & munerum pretioſorum oblatione fatigans, & in laqueum abducere moliens piam Virginem; quæ vt rupes firmata, & ad fluctus illiſos ſemper fortior, quæſiuit denique ab impuro proco, qui tandem ipſi in ea arrideret. Eo allegante naſi pulchritudinem, nihil cunctata, arrepto cultello, qui in promptu erat naſum impacto validè ictu reſecuit, & amaſio porrexit, hæc effata; accipe quod tam pulchrum tibi videtur, & vade in pace, mihique iam ampliùs moleſtus eſſe deſine. Obſtupuit procus, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit; nec ſuſtinens pudorem quo ſuffundebatur, fuga ſe inde proripuit. Moniales demiratæ ſororis factum, acceptum cum reuerentia naſum, tanto ſtudio ſeruatæ pudicitiæ teſtem, infoderunt cœmeterio. Ibi ex hoc veluti ſemine, arbor grandis eſt enata, quæ proximis tantùm annis emarcuit; flores eius albi, ſpecie & magnitudine pomorum, miræ erant ſuauitatis. Fructus erant grana quædam quibus naturaliter naſi forma inſculpta cernebatur, ad vſum roſariorum quæ ex ea materia confici ſolita à Cartuſianis patribus, & adhuc ſupereſſe illius materiæ ſacra roſaria non pauca habet eorum Chronicon ineditum, cum de Cœnobio Montis Hilaris, cuius Chronici Auctor eſt Nicolaus Moulin Cartuſiæ ſyluæ benedictæ Prior.

Non eſt igitur in laude pulchritudinis, naſi longitudo, nec naſum ſanctæ animæ præoptauerunt perbreuem aut etiam nullum, vt procis deformes, naſi breuitate apparerent, ſed vt horrendæ & auerſandæ. Et quod in poſtremo exemplo adductum eſt, de naſi protenſione proco illecebroſa, ſtupiditatem, potiùs deliri illius amatoris oſtendit, cum naſi protenſio, non faciat ad venuſtatem. Quis enim pulchrum dixerit eum, de quo ſic Trajanus lib. 2. Anthol.

Si tuus ad Solem ſtatuatur naſus, hiante
Ore, benè oſtendas dentibus hora quota eſt.

Aut illum, de quo ſic ibidem Ammianus. *Sectio 3.*

Nunquam Procle, manu nares emungere *Breuitas*
poſſis. *in natura-*
Nam tua nare manus, magna licet, mi- *libus.*
nor eſt.
Quando Iouem inclamas ſternutans, quippè Naſus.
nec audis,
Tam procul ab, naſus prominet, aure
tuus.

Quod autem Cant. 7. naſus Sponſæ dicitur, *Sicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum* iuxta Sanchem ibi, ad paruitatem potiùs naſi pertinet, quia ſpectantibus ad Ieruſalem, ea turris, parua apparebat.

VII. Longæ aures ad organi tegmen ac ſecuritatem opportuniores, nec ad ornatum inelegantis, falsò inſimulatæ barditatis.

TRactans aurium gratiam S. Ambroſius 6 hexaëm cap. 9. omnino fauet aurium protenſioni. [Præſtantiſſimum (inquit) audiendi munus eſt, & viſui ſuppar gratia; ideò aures extenſiores, vt & ornatus decorem præferant; & excipiant omne illud quidquid de vertice, ſordium humoriſve defluxerit; ſimul vt in earum ſinibus vox repercuſſa, ſine offenſione interiores ingrediatur anfractus. Nam niſi ita eſſet, quis non ad omnem fortioris ſonum vocis, attonitus redderetur, cum inter ipſa ſubſidia frequenter, improuiſo ictos clamore, nos obſurdeſcere ſentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætendere aduerſùs frigoris aſperitatem, caloriſque flagrantiam, vt neque frigus penetret ductus patentes, neque nimius adurat æſtus, ſinuatio autem interiorum aurium modulandi quendam numerum præſtat & diſciplinam; ſiquidem per anfractus aurium quidam rithmus efficitur, modulis quibuſdam ingreſſæ ſonus vocis capiuntur. Tenaces præterea ſermonis accepti, ipſos eſſe anfractus aurium, vſus ipſe nos docet, ſiquidem velut in concauis montium, vel in receſſu rupium, vel in anfractu fluminum, vox auditur dulcior, & reſponſa ſuauia referens, Echo reſultat.] Hæ omnes aurium externarum vtilitates, multo magis ſe produnt in auribus longis atque protenſis, quàm in breuibus. Itaque meritò longæ aures breuibus anteferuntur.

Nec verum eſt, auricularum protenſionem barditatis eſſe argumentum, vt iactatum eſt ex fabula Midæ, qui ob ſtupidum de Marſya Tibicine iudicium, cuius cantum, Apollinis cantui antetulit; mulctatus eſt prælongis auribus in ſtupiditatis argumentum. Hoc totum fabuloſum eſt, nec vniuerſaliter valet, nam inter impensè auritos, recenſentur Dionyſius Areopagita in Menæis Græcorum, & Cardinalis Bellarminus apud R.P. Iacobum Fuligatum, vitæ ſcriptorem lib. 4. cap. 4. Quis tamen Dionyſio plus valuit ingenio? Immenſas ei laudes ab ingenij ſublimitate pangunt Menæa; & eam ob cauſam à Sancto Chryſoſtomo hom. in falſos Prophetas, dictus

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. dictus eſt *volucris cæli.* Cardinalis verò Bellarmini ſapientiam, ingenium, iudicium, & alias inſignes dotes tot eximiis ſcriptionibus proditas, nemo ſatis demiretur: & tamen vterque admodùm longas aures prætulit. Quare euaneſcit calumnia de ſtupore longis auribus comitante. Aures.

§ 2. *Aurium longitudo Aſinina, breuitas elegantior & vndecumque commodior.*

AVrium breuitatem ad elegantiam & vſum opportuniorem eſſe protenſione, perſpicuum eſt ex incommodis, quæ nimiùm extantes aures conſequuntur, & ex communi ſenſu, quo longæ aures in ſannarum & deriſionis argumentum vertuntur; & qui eas præferunt, pecuariis Arcadicis annumerantur, & ſannæ poſticæ obijciuntur. [Apud Scythas, Faneſios eſſe referunt in quibus, nuda alioqui corpora, prægrandes ipſorum aures tota contegunt.] Verba ſunt Plinij lib.4.cap.13. Meminit eorundem Mela lib.3. Vocans *Sarmatas.* Meminit & Strabo vocans [illegible], eo quod dormituri, auri vnâ ve ſtrato incubarent, & altera totum corpus contegerent. Nouata voce Græca Iſidorus lib.11. Originum cap.3. vocat *Panotios* quaſi toti eſſe aures viderentur. *Panaſios* legit Turnebus 6. aduerſ. cap.19. exiſtimans apud Plinium, corruptiù legi *Faneſios* cùm ibi legendum fuiſſet *Paneſios.* Neminem latent Neronis & Claudij dedecora, At vterque prælongis fuit auribus, & idcirco Perſius Neronem admorſurus Satyra 1. dixerat.

Auriculas Aſini Mida Rex habet.

Tametſi Cornutus Perſij in Philoſophicis magiſter & ſcriptorum cenſor, ac poſtea interpres, quem ipſe Perſius Satyr.5. effusè celebrat; declinans temporum inuidiam, fertur eum verſiculum hoc modo immutaſſe.

Auriculas Aſini, quis non habet?

Sed Cornuti Commentarius habet, eam mutionem à Perſio ipſo factam, ne ſuſciperet Nero, ſe notatum & ſugillatum animaduertens. Vt vt ſit, fuere Neroni, fuere Claudio, probroſiſſimia hominibus, aures protentiſſimæ; ac proinde longæ aures, ominoſæ haberi debent. Sanè quorumcumque brutorum aures, præ longitudine ſunt mobiles: (præterquam ſimij qui rude hominis imitamentum eſt quoad corporis compagem.) Hoc autem non obſcurum argumentum eſt, aures oblongas, ad brutam conditionem accedere. Et idcirco Ethnici, vt Chriſtianorum Deum deridiculum exhiberent, auribus aſininis dehoneſtarunt, dixerúntque *Onenychiten*, vt eſt apud Tertullianum cap.16. Apolog.

VIII. Barba promiſſa, virilitatis index: decus hominis.

ESſe barbam virilitatis teſtem, & quo longior ac promiſſior eſt, roboris & virilitatis auctioris argumentum ſuppeditare, habetur ex egregia Epicteti diſſertatione apud Arrianum lib.1.cap.16. [Barba (inquit Sancti Hieronymi in cap.5. Exech.) virilitatis indicium eſt.] Eodem ferè recidit, quod barbam virilis ætatis ornatum, nominat Sanctus Hilarius in Pſal.132. Ergo quo promiſſior eſt, eo auctioris virilitatis eſt teſſera. Suffragatur Scriptura. Collaudat enim *barbam*, *barbam* ſummi Sacerdotis, id eſt barbam admodùm promiſſam. Nam congeminatio illa de more Scripturæ, ad magnitudinem & amplitudinem pertinet; vt cum dicitur *Rex virtutum dilecti, dilecti*, id eſt dilectiſſimi. Eam itaquè barbam promiſſam ſummi Sacerdotis Pſalmo 132. memoratam, ſignaſſe virilitatem & ingentes animos Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum, auctor eſt ibi Beatus Auguſtinus, cuius hæc eſt oratio. [Barba ſignificat fortes, barba ſignificat iuuenes, ſtrenuos, impigros, alacres. Ideò quando tales deſcribimus, *barbatus homo eſt*, dicimus. Ergo illud primum vnguentum deſcendit in Apoſtolos, deſcendit in illos qui primos impetus ſæculi ſuſtinuerunt. Deſcendit ergo in illos Spiritus ſanctus. Nam & illi qui primùm in vnum habitare cœperunt, perſecutionem paſſi ſunt, non victi. Etenim & caput iam paſſum præceſſerat, vnde deſcendit vnguentum. Præcedente tali exemplo; quis vinceret barbam? Ex illa barba erat Stephanus Sanctus.] En qua ratione Spiritus ſanctus, fortitudinem virilem perfectam, *barba prolixa* nomine expreſſam voluerit. Vt iam videas non in fabulis duntaxat haberi, typum fortitudinis eſſe barbam promiſſam, quod in Hercule ab antiquis traditum, totam eius fortitudinem in barba ſtatuentibus, S.Auguſtinus refert ſerm.6. ex 4. nouit *pag. mihi* 79. Habet item barbam promiſſam, pro fortitudinis ſymbolo, S.Hieronymus Iſaiæ 7. ad illud, *radet Dominus pilos, & barbam vniuerſam*, & Rupertus in cap.24. Leuit. Videndus Georgius Venetus Cantico 2. toto, & Cantico 18.

Eſt præterea barba decus hominis, ac proinde quo prolixior eſt, eo maiorem conciliat homini cum venuſtate dignitatem. Hoc ornamento deſtitui hominem, aut breue & acciſum præferre, inhonorum duxit Lucianus dialogo *Cynicus*; perinde eſſe cenſens homini adimi barbam, vel admodùm breuem eſſe, atque leoni iubis vacare, eáſve habere perexiguas. Prætextat Cynicorum anteſignanus Diogenes, naturam accuſari ab eo dicens, qui barbam raſerat, quaſi doleret ſe non factum fœminam, qui decus viri proprium abiecilſet. Vide an non concinat his verſibus Alexis.

Si quem reciſa fortè barba videris
Tonſáve; facturum quid horum dicito.
Mihi videtur militare velle, vel
Feciſſe barba cuncta quæ contraria;
Ingénſve prorſus contigiſſe huic malum.
Quid per Deos villi moleſtiæ afferunt,

Ob quot viri videmur eſſe ſinguli ?
His quid putas feciſſe niſi contrarium ?

Artemidorus libro 1. Oniroctit. cap. 32. non ſecùs honeſtari hominem per barbam dixit, quàm honeſtatur pater per filios, quos gloriam eſſe parentis, Spiritus ſanctus profeſſus eſt. Polyphemum Naſo ſic inducit loquentem.

—— Turpis ſine frondibus arbor;
Turpis equus niſi colla iuba flauentia velent.
Pluma tegit volucres, ouibus ſua lana decori eſt,
Barba viros, hirtaque decent in corpore ſetæ.

Quàm verò deformes ſolici Conſtantini Copronimi, omnes barbaſpoliati? Acta ſiquidem S. Stephani Auxentiani, produnt ſponteum illum ea deformitate lætatum, vt Moyſi Leuit. c. 19. barbæ reciſione interdicenti contradiceret. Et idcirco omnibus tam iuuenibus quàm ſenibus, barbam ad cutem vſque radere præceperat, vt qui eos tanquam ſalaces equos, ad benè ſemper curandam cutem, atque ad laſciuiæ ſtudium extimularet. Deformiſſima profectò raſio; ſed qui fœditates Copronymi nouit, minimè mirabitur, & hanc quoque ei placuiſſe. Diſertè autem decora viri à barba, agnoſcit Clemens Romanus 1. Conſt. cap. 3. his ſanè grauibus verbis. [Oportet præterea non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare. Ait enim lex, *non radetis barbas veſtras.* Mulieres namque vt deceret non eſſe barbatas, fecit natura Autor Deus, viros contra vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc facias, vt alicui placeas (id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris qui te ad imaginem ſuam effecit.) In huius loci defenſione, Turrianus exiſtimat vetari raſionem barbæ in viro ſæculari & laico, de quo ſolo agitur toto eo libro à Clemente; quia barba decus eſt viri ſecularis, & ei data eſt ad gloriam virilitatis, vt ſcilicet qui ſecundum naturam præeſſe debet mulieri, ex barba admoneatur vt fortis & virilis ſit, & mollitiem atque impudicitiam omnem fugiat. Hæc eſt gloria & hoc decus barbæ, vt iam ſi quis effœminatè aut impudicè eam radat contra naturæ ipſius doctrinam faciat, & legi morali in Leuitico latæ de barba non radenda aduerſetur. Sic accipit Clementem Romanum Turrianus, necnon Epiphanium in hæreſi Meſſalianorum, quos Sanctus Epiphanius increpat ob detonſionem barbæ, quæ eſt forma viri, & inſinuatam ea muliebri ſpecie effœminationem virilitatis atque laſciuiam. Qua ex cauſa Mahumetani, & paſſim alij infideles propter mollitiem & impudicitiam, omnes nullo ætatis diſcrimine barbam radunt. Non ita Iudæi, aut olim Chriſtiani laïci, ad quos Clemens ſcribebat. Ac ne Ethnicos quidem valdè antiquos aliter ſtatuiſſe de barbæ decoro, monſtrant quæ præmiſimus. Sed præclarè præterea decus hominis à barba expreſſit Dio Pruſæus orat. 33. *in fine*, vbi barbæ reſectionem qualis eo tempore in vſu erat, non aliud eſſe ſtatuit, quàm effœminationem dehoneſtantem ſexum virilem & deriſionem artificij naturæ, quæ hominem barba decorauit. Non minùs

ad hominis venuſtatem conferre barbam, quàm criſtas ad ornatum galli gallinacei, & iubas ad ornatum leonis, admonet Epictetus apud Arrianum libro 1. cap. 16. Vt proinde quemadmodùm gallus ſine criſta, & leo abſque iuba, deformis & fœdus appareret; ita homo, ſi barba deſit, inconcinnus & turpis appareat. Quæ omnia rata habet Muſonius apud Stobæ. ſect. 6. & Clemens Alexandrin. 3. pædag. cap. 3. addens Deum tanti facere barbam, vt eam ſimul cum prudentia iuſſerit adeſſe hominibus, & hanc eſſe pulchritudinem congenitam, generoſam, & ingenuam, quam nefas ſit exterminare. In Scripturis barbæ reſectionem probro duci, notat Sanctus Cyrill. in cap. 7. Iſaiæ.

Sectio 5. Breuitas in naturalibus.

Barba.

Agnouerunt priſci Philoſophi, quæ hactenus dicta ſunt de barba maſculam ſapientiam notante, & hominem decenter exornante, & vtrumque eo aptiùs & meliùs præſtante, quo eſt prolixior: Itaque barbas habuere promiſſas. Primus inter Philoſophos barbam aluiſſe proditur Antiſthenes vt eſt apud Suidam V. κα-[illegible]. Inde verò vſus manauit ad omnes Philoſophos, ita vt barba promiſſa, & baculus, & pallium, tanquam profeſſæ Philoſophiæ, vulgares notæ haberentur, vt Theodoretus tradit ſerm. 1. de prouid. *initio.* Notas boni viri vocabat Phocion; arguens Alcibiadem Laconem, referente Plutarcho in Phocione, quia ſcilicet eſt nota Philoſophi. Idem de Socrate ferunt illa Perſij Sat. 4.

—— Barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

Vniuersè idem conſtat ex Luciano in Gallo, vbi Philoſophus inducitur barba mirè tragica, hoc eſt hircina. Item conſtat ex Agellio libro nono, capite ſecundo, vbi refert palliatum quemdam & crinitum, barbáque propè ad pubem vſque porrecta, adiiſſe Herodem Atticum conſularem virum; & interrogatum quis eſſet vultu, ſonitúque vocis obiurgatorio, Philoſophum ſe eſſe dixiſſe; miratúmque cur quærendum putaſſet Herodes, quod videret in barba promiſſa & pallio. Nominatim de longo Cynicorum barbitio, res eſt vulgatiſſima. Eáque eſt cauſa cur Prudentius in Apotheoſi, Cynicos nominet *hircoſos*, à barba videlicet profuſa, cuiuſmodi eſt hircorum. Sed Apuleius libro vndecimo Mileſ. vniuersè omnibus Philoſophis hircinam barbam videtur adſcribere, promiſſam ſcilicet & hirſutam in acutum deſinentem, quæ eſt notio *hircinæ barbæ* apud Ammianum libro vigeſimo quinto. Ait ergo Apuleius. [Nec ille deerat qui Magiſtratum faſcibus purpuráque luderet, nec qui pallio, baculóque & baxeis, & hircino barbitio Philoſophum fingeret.] Lucianus ſubinde in *βαθυπώγωνα*, Philoſophorum incurrit, Theſmopolidis Philoſophi barbam mirè hircinam vocat in Gallo. Eáque eſt barba de qua Horatius 2. ſerm.

Iuſſit ſapientem paſcere barbam.

Meminit eiuſdem promiſſi barbitij Philoſophici S. Chryſol. homil. 57. ad Pop. Apud Plutarchum lib. de diſcr. adulat. & amici, barba

Sectio 3. *Breuitas in naturalibus.*

philoſophantis, ad talos vſque demiſſa, refertur. Virum ſapientiſſimum Thomam Morum prolixa barba delectatum, ſcribit in eius actis Stapletonus cap. 16. Nec prætereitum volo Carolum Magnum virum profectò ſapientiſſimum, cuius barbam ad pubem vſque promiſſam referunt; vt ſcribit Heruetus orat. de alenda barba poſt Turpinum in opere de geſtis Caroli cap. 20. Sanctus Eduardus Rex Angliæ, cum eius ſacrum corpus multis poſt annis educeretur è loculo, conſpectus eſt habere barbam ad pectus vſque demiſſam.

Barba.

Priſci Monachi quos S. Chryſoſtomus ſolet *Christi Philoſophos* nominare, inſigne iſtud philoſophiæ adamarunt, ita vt eſſent plerique omnes barba valdè prolixa. Barbam S. Arſenij ad ventrem vſque profundam, exhibendam eius acta apud Surium 19. Iulij. Cyrillus Monachus qui acta S. Euthymij accuratiſſimè conſcripſit, barbam ei ad zonam vſque fuiſſe promiſſam, teſtatur. Danielis Stylitæ barbam longiſſimam, eius Acta deſcribunt. Res eo deuenit, vt pleriquè Monachorum non ſecus ac Philoſophi Ethnici, longitudine barbæ definirent vitam monaſticam; & reprehenſioni obnoxij euaſerint, qualem inſtituit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtol. 92. & S. Hieronymus epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtoch. de cuſtod. virginis. vbi hæc obiter in monachos ementientes perfectionem externa ſpecie, & oſtentantes Philoſophiam Chriſtianam. [Fuge quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes.] Non perſtringit nudipedalia quæ ſanctè & religioſè obeuntur. Neque nigrum pallium quale olim erat omnium Monachorum, neque admonitionem quamcumque catenarum quibus pleriquè viri ſanctiſſimi vſi referuntur; ſed tantùm in his omnibus, atque adeò etiam in barbæ promiſſione, reprehendit oſtentationem & ementitionem ſapientiæ Monaſticæ, per eiuſmodi animalia gloriæ.

Clericos item initio barbam aluiſſe, & promiſſam geſtaſſe, habetur ex Clemente Alexand. 3. pædag. cap. 3. & ex S. Cypriano lib. 3. teſtimon. ad Quirinum cap. 85. ac S. Epiphanio hær. 80. quos allegat Sauaro ad Sidonium lib. 4. epiſtol. 24. inferens hanc eſſe traditionem Apoſtolicam. Qua in parte valdè commodat cauſæ Ioannis Pierij Valeriani, qui audita Pontificis voluntate de barbis Sacerdotum minuendis, Apologiam conſcripſit pro barbis Sacerdotum, qua totus eſt in tuenda barbarum promiſſione, etiam quoad Sacerdotes. Præter vſum porrò Ethnicorum quibus barba promiſſa venerationi fuit, adducit quæ habentur in lege Moyſi, de non corrumpenda facie barbæ, vt habent 70. Leuit. 19. vbi Heſichius lib. 6. [Non oportet (inquit) barbam radere, vel ſecundùm 70. corrumpere faciem barbæ, quia perfectionis noſtræ ſignum barba eſt. Virtutes autem deſignant veram noſtram perfectionem quas incongruum eſt corrumpere, operantes non verè, ſed ſub falſo & ficto habitu.] Adducit præterea Pierius, vſum nouæ legis, in qua & Chriſtus ipſe barba promiſſa fuiſſe deſcribitur, & Apoſtoli; Paulus in primis, quo nihil barbatius eſſe vit, ſi picturis omnibus etiam antiquioribus credimus. Adde & viſo diuino talem exhibitam eſſe eius barbam apud Bedam. 4. hiſtor. c. 14. An D. quòd Pauli imitatione, homo Apoſtolicus S. Macarius, ex Antiocheno Patriarcha, pius in Belgio Aſceta, barbam promiſit? In procinctu, ſiquidem ad viam patrum ſuorum, barbæ ſuæ partem præſcindi, & ad matrem in Orientem tranſmittendam teſtamento leganit, pignus filij nunquam redituri, vt in Actis eius notatur 10. Aprilis, cum eius obitus ex peſtilentia deſcribitur. Oportuit verò admodùm prolixam eſſe barbam, cuius partem tam procul tranſmitti placuerit, & ad vſum prædictum inſeruire.

Quod verò nonnulli barbæ Sacerdotalis oſores, aduersùs eius promiſſionem, decretum 44. Concilij Carthaginenſ. 4. proferunt his verbis conceptum. [Clericus neque comam nutriat, neque barbam;] ex vitiatione Codicum profectum, contendit Pierius, allegatis in contrarium codicibus perantiquis Bibliothecæ Palatinæ, hoc eſt, Vaticanæ; quos item in hanc rem profert Sauaro ad librum 4. Sidonij epiſt. 24. Allegat item ſuum quendam M.S. codicem, & & alium bibliothecæ S. Victoris Gandenſis. Ex horum ergo & aliorum incorruptorum codicum fide, Canon Carthaginenſis vna voce auctior, ſic habet. [Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.] Huius autem vltimæ vocis raſio per aliquem malè feriatum Miſopogonem, magnas turbas excitauit, nonnullis ad antiqui Canonis vigorem retinendum, in Clericorum barbas inſurgentibus. Simili flagitio alius iuxta Pierium, interpolauit decretum Alexandri tertij, quod in hæc verba referri ſolet [Clerici qui comam & barbam nutriunt, etiam inuiti à ſuis Archidiaconis tondeantur.] Hic ingeſtam eſſe à corruptore quopiam, vocem *barbam*, inde confirmat idem Auctor; quod decretum Alexandri verbis ipſis Concilij Agathenſis exaratum ſit; in Concilio autem Agathenſi, ſolius comæ tonſura per Archidiaconos ſit indicta, ne Clerici muliebriter comati, redolerent mollitiem aut turpitudinem comatorum, qui iam olim & apud Græcos, & apud Latinos, olebant & audiebant peſſimè, tanquam fœmineum quid referentes: cum barba è contrario faciat vt viri ſint, & videantur, qui barbam geſtant: idque eò luculentiùs faciat, quò eſt prolixior. Idem decretum de barbæ ſacerdotalis abraſione quod Aniceto tribuunt Martinus Polonus in Chronico, & Petrus de Natal. lib. 4. cap. 57. ab Aniceto reuera non manaſſe, monſtrat ſupra Sauaro. Pius verò V. in motu proprio anni 1566. cuius initium eſt, *Sacroſancta Tridentina*, tantùm præcepit barbam ſuperioris labij tonderi in Sacerdotibus qui hauriunt diuinum ſanguinem.

Clericis igitur & Sacerdotibus Chriſtianis, barbæ promiſſio, non repugnantibus Pontificum & Conciliorum decretis, vſurpata eſt iam olim; contra quam Ethnicorum Sacerdotes, quippè effœminati, & impuri, barba erant raſi, vt habetur Baruch. 6. Ibi enim de idolorum Sacerdotibus dicitur, *in domibus eorum*, id eſt idolorum *Sacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita & barbam raſam.* Argumentum id erat mollitiei & effœminationis ipſorum: ſicut etiam apud Romanos, molles & elegantiæ ſtudentes, barbam raſitabant, vt monſtrant il-

la

in Tertulliani libro de cultu fœmin. [Proprias præſtigias formæ, & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere.] Conſtantium, raſis aſſiduè genis iuuenibus ad decorem fuiſſe, ſcribit Ammianus lib. 21. In luctu tamen cùm, vt elegantiam abs ſe abijci oſtenderent, demittebant barbam, vt ex Gellio lib. 3. cap. 4. Scipionis, cum reus factus eſſet, barbam radere pergentis narrationem referente, liquere poteſt. Item ex facto Auguſti accepta clade Variana, vt narrat Sueton. in Octauio cap. 23. qui in Iulio cap. 67. idem narrat de Cæſare, audita clade Tituriana. Idem liquet ex Seneca conſol. ad Polyb. cap. 32. ac ex Siſenna apud Nonium. V. *vicatim*. Alia adducit Cunc. 6. obſeru. cap. 5. Itaque quod apud Sidonium lib. 4. epiſtol. 13. Germanicus tuſus barba deſcribitur, & quidem barba intra rugarum latebras verſa, ad cutem ſecta forcipibus, non rectè Baronius anno 58. de Epiſcopo dictum cenſuit, quem diſertè Sidonius Sacerdotis patrem filiúmque Pontificis, non autem Pontificem appellat; & comptulum in graui iam ætate fuiſſe, apparet ex ea Epiſtola. Studioſus item elegantiæ Theodoricus Gothus, tametſi de more ſuorum Gentilium, hiſpidum & hirſutum robur eo habitu præferentium, hirtas genas erat, tamen barbam in mento habebat raſam, quod ſonant illa Sidonij lib. 1. epiſtol. 2. [Pilis infra narium antra fruticantibus, quotidiana ſuccisio; barba concauis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus, genas ad vſque forcipibus euellit, menti lactea cutis.] Hoc Theodoricus, ſtudio elegantiæ, pro abuſione inter Romanos vigente vſurpabat. Neque enim erat, ea in viro vera elegantia ex menti glabredine malè petita exemplo mollium, qui effœminationem ſuam ea vultus fœminei captata imitatione prodiderunt: cum verius & naturale, ac fuci expers viri ornamentum ſit barba, præſertim luculenta atque prolixa, pro quo decore aliqui olim *Fortunæ barbatæ* ſupplices facti teſte D. Auguſtino 6. Ciuit. cap. 1.

Hinc petenda cauſa, cur barbæ vulſio, vel reciſio, aut etiam contrectatio, vertatur probro, quod Foreriius in cap. 50. Eſaiæ quod ad vulſionem attinet, olim interdum vſurpatam, omnino æquale exiſtimat eſſe exputitioni in faciem. Nec leuiùs de ea ignominia ſtatuit M. Antonius Vlmius libro de fine barbæ humanæ ſect. 3. cap. 4. De reciſione idem monſtrat quod 2. Reg. 10. refertur de legatis Dauidis, quibus barba ad ignominiam eſt raſa. Benè id probrum ibi expendit Abulenſ. quæſt. 5. & 6. De Petro præfecto ab Othone Imperatore dedito ad arbitrium Ioannis Papæ quem violarat, dehoneſtato abſciſſione barbæ & impoſitione ſuper aſinum, auerſa verſus caudam facie, videndus Nauclerus anno 965. Vitaldus Lituanus, Princeps ſuo æuo potentiſſimus, vt ſcribit in Europa ſua Æneas Siluius cap. 26. ſubditis adeò pauendus fuit, vt iuſſi laqueo ſe præfocare, parerent potiùs quàm principem irritarent: detrectantes imperium, vrſina pelle inſutos, dilacerandos obijciebat in eum finem. Equitabat ſemper arcum tenſum geſtans in manibus, eóque illicò confodiebat quemcumque conſpicatus eſſet incedentem aliter quàm iuberet. Sanguinarius hic Princeps, tot tantíſque terroris argumentis, euincere nunquam potuit, vt populares quod maximè auebat, ad diſcrimen à principe, barbam raderent. Meliùs etiam viſum eſt Lituanis, ceruicis quàm barbæ iacturam facere. Itaque adactus eſt Vitaldus ipſe, barbam & capillum ponere, & edicto cauere, ne quis prouincialium pilos faciei capitíſve deponeret, vt eſſet inter ipſum & prouinciales, diſcrimen. Hinc apparet, quanto probro eſſet apud Lituanos, barbæ reciſio. Alia in eam rem habet Petrus Faber. libro tertio ſemeſtrium, capite 11. Eſt etiam conſiderandum quod refert Gul. Tyrius lib. 2. belli ſacri cap. 2. de Balduino comite Edeſſeno, qui vt ſocerum Michaëlem, nummoſum hominem emungeret, finxit oppigneratam abs ſe barbam fuiſſe, pro triginta millibus nummum. Eam ſummam vel creditoribus militibus annumerandam illicò eſſe à ſocero in gratiam generi, vel huic ſubeundam tam grauem infamiam reciſionis barbæ, quod opprobrium à facie generi amoliturus credulus ſocer, ſummam quæ pacta ab eo dicebatur, annumerauit. Ex ea ſtropha intelligitur, quàm fœda macula olim haberetur barbæ minutio; vnde natum videtur adagium, quo ei qui dehoneſtatur, dicitur *facta barba*. Sectio 3. Breuitas in naturalibus. Barba.

Contrectatio denique barbæ, quamquam alicubi beneuolentiæ index eſt, tamen alibi nota fuit, ac etiamnum eſt vilipenſionis & dehoneſtationis. Nota eſt Papyrij apud Liuium hiſtoria. Is cum Senones Romam hoſtiliter irrupiſſent, pro foribus domus ſuæ ſedit, barbæ prolixæ oſtentatione tutus inter hoſtes: id quod alij item Patres fecere, Barbaris barbitium illud venerabile demirantibus & veneraritibus diu indemnes; donec Gallorum vnus Papyrij barbam manu demulſit, quam apud Gallos poſteriores adorationis imaginem teſte Aymoino libro 1. hiſtor. cap. 20. è contrario magnam interpretatus iniuriam Papyrius, impacto baculo hoſtem abegit, vnde Papyrij & cæterorum Patrum quos eatenus barba texerat, clades à Senonibus. Eſt nimirum barba grande hominis decus, & vt eſt apud Vlmium in fragmentis de fine barbæ compendio exceptis *ſub initium*, pars præcipua humanæ faciei, quam inter membra numerant Iuriſperiti, probante Menochio de arbitr. caſu 392. num. 32. Videndus Majolus de irregul. lib. 5. cap. 50. num. 3. & Cenedo collec. 11. ad decretal. num. 7. vbi quærit, an vellens barbam, puniendus ſit vt membri truncator; quod volunt Baldus & Angelus. Siue autem barba ſit membrum, ſiue non, eſt tamen inſigne hominis ornamentum: ac proinde eam attrectare, familiaritas nimia & contemptio eſſe exiſtimatur.

Fixum igitur eſto, barbam longam & prolixam, virile decus eſſe & ornamentum, Chriſtianos quoque decens; vt propterea S. Epiphanius, hær. 80. Maſſalianos reprehendat, quòd barbam quæ forma viri eſt, reſecarent, quod ait in Apoſtolicis conſtitutionibus improbari, & à ſtatutis Apoſtolorum; ac ab Eccleſia Dei eſſe alienum. In hanc rem pleniſſimè Antonius Ocomanus, Hortenſius Landus lib. de perſecutione barbarum, Gentianus Heruetus orat. de alenda barba, Adrianus Iunius commentario

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

de coma cap.2. Gueuarra ad illud Abacuc 3. *denudaſti fundamentum eius.*

Barba.

§. 2. *Longa & promiſſa barba, infidus ſapientiæ index, & debile Virilitatis animi argumentum.*

IN Philoſophos barbæ profunditate ac promiſſione metientes ſapientiam, conclamatum ſæpè eſt. vt notaui in proœmio ad moralem diſciplinam §.5. num.58. Feſtiuè in Anthol. Græcus Poëta, Latinè ſic expreſſus.

Reddere ſi valeat ſapientem barba profunda,
Eſſe poteſt doctus, barbiger hirce Plato.

Martialis, paulo aliter, ſed diſcrimine permodico.

Si promiſſa facit prudentem barba, quid obſtat
Barbatus poſſit quin caper eſſe Plato?

Alluſit huc repulſus à Maximiliano Imperatore Venetus legatus quod barbitio careret. Conteſtatus eſt enim ſi ad grauia negotia apud Imperatorem tractanda, barbam promiſſam exigi ſciuiſſet, adducturum ſe fuiſſe hircos barbitio promiſſiſſimo, vel ſi ex Africa petendi fuiſſent. Tragelaphis item (genus ceruorum eſt circa Phaſidem,) barba eſt promiſſa, ex Solino cap.22.

In Monachis fictis qui barba tenus Chriſtianam ſapientiam præferebant, hoc ſapientiæ ludibrium deriſit Nazianzenus carm. in monachos fictos, his præter cætera.

Barba tibi ſit longa, ſibi pro tegmine ſaccus;
Ceruicémque terens, dogmata cude noua.
Quod ſi barbariem ſpires, omnéſque laceſſas
Angelus es; tantum barba pilúſque poteſt.

Polyphemus Cyclops, barbam ſuam prolixam iactat apud Naſonem in metamorph. Iulianus Apoſtata, totius impietatis eloaca, barbæ promiſſione delectabatur, eóque nomine à nonnullis *Capella* dictus eſt, teſte Ammiano lib.17. maximè autem ob barbitium à Chriſtianis deriſus eſt, funes ex eo necti oportere dictantibus, vt ipſemet refert ſub initium Miſopogonis, quem ea de cauſa exarauit, vt Chriſtianorum ſannas depelleret. Longobardi inata aliquos, dicti truces barbati, qui horridis ad Boream oris deſertis in Italiam migrarunt, & conſederunt ad Padum. Hi teſte Otthone Friſingenſi lib.2. cap.14. & Paulo Diacono lib.1. de eorum geſtis cap.8. ab intacta ferro longa barba dicti primùm Langobardi; nam *lang* eorum lingua, *longam*; *bard* barbam ſignificat. Et concinit Guntherus cum ait.

Dicitur à longis ea Longobardia barbis.

Taléſque deſcribuntur Longobardi apud Boccacium l.9. de caſibus illuſtrium virorum *pag.*105: Et ex fabulis, apud Lucium Ioannem Scopam l.1. Collect. cap.9. Similique ea cauſa, Ennodius Iouinianum cui longa barba erat & veſtitus Romanus, deriſit eo diſticho.

Barbaricam faciem Romanos ſumere cultus
Miror: & in modico diſtinctas corpore gentes.

Diabolus ipſe ſpecie humana obiectus, prolixam barbam præ ſe tulit, vt videre eſt in S. Vincentij Ferrerij vita cap.79. E contrario, & in Chriſtianiſmo viri ſanctiſſimi, & olim in Ethniciſmo ſapientiſſimi quique, extra gloriæ animalia (notio Philoſophi eſt apud S.Hieronymum) breui barba & reciſa, vel raſa fuere. Sanctus Petrus barba fuit omnino breui, vt ſcribit Nicephor. lib 2.cap.37. Modicam Sancti Gregorij barbam deſcribit Ioannes Diaconus lib.4. vitæ cap.84. Et hunc fuiſſe priſcum vſum totius Cleri, teſtatus eſt S.Gregorius 7. epiſt. ad Iacobum Calaritanum.

Apud Romanos ſoli iuuenes ad annum vſque 21. barbam aluere, cæteri veluti iam maturi & ſapientes, barbam radebant, & diem poſitæ barbæ, tanquam plenæ tempus ſapientiæ, exigebant valdè feſtiuum, munerâque peti ac dari tum ſolita. Quò ſpectant ludi Iuuenalium, non illi à Salinatore in prælio voti, de quibus Tullius in Bruto, ſed qui celebrabantur ob iuuentutem cum barba depoſitam. Feſti diei ea ex cauſa, mentio eſt in Anthol. ex Apollonide. Et eodem pertinet illud Iuuenalis.

Ille metit barbam, crinem hic depoſuit amati.
Plena domus libis venalibus.

Nero apud Suetonium, barbam primam in aurea pyxide pretioſis margaritis ornata locatam, conſecrauit in Capitolio. Meminit etiam Petronius pyxidis aureæ puſillæ, in qua barbam Trimalcionis conditam eſſe dicebant. Lucianus explicatiſſimè in calce libelli de Dea Syria. [In ſacra ciuitate, adoleſcentes barbas ſuas conſecrant; iuuenes autem capillos ſacros à natiuitate vſque conſecratos demittunt; quos poſtquàm in templo, reſecant, & in vaſa depoſitos, alij quidem argenteа, multi verò etiam aurea in æde affigunt atque abeunt, inſcripto vniuſcuiuſque nomine. Atque hoc ego quoque, cum iuuenis adhuc eſſem, feci, & in templo, meus capillus adhuc, meúmque nomen reſtat.] Videndi de hoc vſu Lipſius ad lib. 4. Annal. Taciti. num. 34. Raderus ad Martialem lib.3. epigr.3. & ibidem Ramirez epigr. 6. Torrentius ad Suetonij Neronem cap.12. Alex. Neapol. 5. Genial. cap. 18. Plura apud eos legere eſt, de barba poſita ea qua dixi ætate, vel ſub eam. Quod addo quia aliquando terminus non erat adeò ſtatus; ſicque Caligulam ex Suetonio cap.10. & Dione lib.48. anno vigeſimo poſuiſſe teſtatur Macrobius in ſomn. Scipi. Et ex quo barbam ſemel poſuerant raſi perſtabant. Tantùm in luctu cum omnia ſibi funeſta & lugubria præferebant, barbam promittebant, vt monſtrat Bernartius ad 6.Thebaid. v.165. obſeruans quod in morte Germanici notatum eſt à Suetonio cap. 11. Caligulæ, Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus; de iis tantùm dictum eſſe, qui ritu barbarico, etiamſi ætate grandes, (quod Romanis non erat in vſu)

pro

promittebant barbas. Qui verò rectè compoſiti erant, barbas non promittebant niſi in luctu, vt de Romanis vicenario maioribus iam dixi, & de Hebræis liquet ex 2.Reg.19. vbi Miphiboſeth deſcendit in occurſum Dauidis regredientis, illotis pedibus, ac veſtibus, & intonia barba. Quæ cauſa eſſe poteſt vna de pluribus, præter eas quas profert Tardinus lib. de pilis cap.2.n.5. cur Religioſi quidam certus barbam prolixam retineant. Volunt enim more Romano agentes, oſtendere verſari ſe in luctu perpetuo.

Quod verò obtenditur, barbam prolixam eſſe virilis animi notam; non poteſt conſiſtere cum vſu antiquo militantium, qui quantumcumque ritu barbarico eſſent, militaturi ponebant barbas, iuxta illud Alexidis.

Si quem reciſa fortè barba videris:
Mihi videtur militare velle:

Idque Alexandrum ducibus ſuis imperare ſolitum vt barbas raderent, ſcribit Plutarchus in Theſeo. Quis autem credat, tam bellicoſos homines, notas animoſitatis poſituros, cum bellandum erat? Scribit Gentianus Heruetus oratione contra Pierium de radenda barba, Scotos barba raſos, Anglorum barba promiſſa pugnantium, exercitum fudiſſe: ita vt Anglorum quingenta millia deſiderarentur, cæde omnino inſolita, niſi error irrepſit in numerum. Scotos autem victores, in huius tetraſtichi ſententiam, deriſiſſe longè barbatos Anglos, ſubdit idem Auctor.

Quid iuuat, ô ſtulti, tantam promittere barbam,
Plurima promittens, quæ nihil ipſa facit?
Cædibus ex veſtris, ne fidere diſcite barbæ:
Non fortes animos pendula barba facit.

Haud quaquam igitur, promiſſa barba index certus eſt virilitatis ac generoſitatis militantem decentis; & quod de Carolo Magno, Principe bellicoſiſſimo dictum eſt à Turpino, de eius promiſſiſſima barba, æquè verum eſt, ac quod idem fabulatur de Caroli ſtatura Gigantea; cum ex Eginharto in vita Caroli conſtet, eius ſtaturam non exceſſiſſe iuſtam. Quoad barbam autem Ingobertus Caroli ſcriba, eum exhibet mento raſo, in fronte Bibliorum iuſſu Caroli exaratorum. Idem referunt ex muſiuo Lateranenſi, M. Velſerus, & Nicolaus Alemannius lib. de parietinis Lateranenſibus reſtitutis cap.13. Non eſt ergo barba promiſſa, generoſitatis certa nota. Quid quod mulieres quoque, abſque animis virilibus barbatæ ſunt viſæ, & quidem barba prolixa? Mitio præfectam ſacris Mineruæ apud Pedaſenſes quam barbitio ornatam oportuit, vt Pierius in Apol. pro barbis ſacerd. teſtatur. Hæc nimis antiqua ſunt, vt & quæ habet Ariſtoteles lib.8. de anim. hiſtor. cap.11. Noſtra ætate virgo Leodienſis, cui *Helena Antonia* nomen, barbam habuit denſam, & ad vmbilicum vſque promiſſam, cum myſtacibus. Vt quid igitur iactatur barba vt ſignum virilis animi, eò luculentius quò eſt protenſior?

Planè verò ridiculi haberi debent, qui grauitatem ex promiſſa barba, nec hirtina & incompta, deſinente in acumen citra curam & cum neglectu, ſed benè & ſtudioſè exculta captant. Deriſam fuiſſe à Dionyſio iuniore in Æſculapio, huiuſmodi ex barba grauitatem, ſcribit Arnobius lib.5. Poſt alia enim de eiuſdem Dionyſij facetis iocis in Deos, ſubdit. [Nam quid Æſculapij grauitatem ab eo eſſe commemorem tiſemrquem cum barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis & Philoſophicæ denſitatis, facinus eſſe dicebat indignum, ex Apolline procreatum, patre læui & glabro, ſimillimóque impuberi, ita barbatum filium fingi, vt in ancipiti relinquatur, vter eorum pater ſit, vter filius, imò an ſint generis & cognationis vnius?] Itaque vt Alcibiadem Sophiſtam barba prolixiſſima & inceſſu plumbeo, decus grauitatis captantem, benè admonuit Phocion, aliundè quàm ex barba & extrinſecis adiunctis, quærenda & colligenda eſt laus grauitatis. Homini Chriſtiano, idem multo magis licet occinere. Veros ſanè ſapientes, & nomine Philoſophorum dignos, inter Philoſophos, (vt Stoïcos, & Socraticos,) non aluiſſe barbam, ſed Cynicos duntaxat; ac nec omnes quidem Cynicos, ſed eos tantùm qui præ impudentia fortiore, nomen *canum* merebantur, inſinuat Martialis lib.4. epigram. aliàs 53. negans Cynicum eſſe ad canem,

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Barba.

Cum baculo peráque ſenem, cui cana putriſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit.

Idque ad eum locum plenè confirmat Heraldus.

IX. Coma longa, & elegantiæ & tutelæ capitis opportuna.

Eſſe capillos naturalem capitis galerum ſcitè dixit S.Chryſoſtomus hom.11.ad pop. Quò ergo capilli ſunt prolixiores, eo meliùs ac perfectiùs tali funguntur munere. Multi ſanè ſi hoc tegumentum adhiberent capitibus, non indigerent aſcititiis tegminibus. Ratiocinatio eſt Dionis Chryſoſtomi orat.35. vbi præfatus, quoſdam ſapienter noluiſſe videri tonſos & incomptos, vt apud Celænos Phrygiæ erant Sacerdotes, ſubdit. [Comam nutrire, non oportet prorſus credere virtutis eſſe indicium. Multi enim iam homines, Dei alicuius gratia, comam nutriunt & ruſtici in vicis, qui Philoſophiæ ne nomen quidem audiuerunt vnquam; atque herclè pluſimi barbatorum, partim velamenti cauſa, partim ſibi decere exiſtimantes. Horum nemo inuidioſus eſt, neque ridiculus. Fortaſſis enim id rectè faciunt; quoniam & lepores videtis valdè alioqui imbecilles, propter pilorum ſeruatos denſitatem; & volucribus imbecilliſſimis alæ ſufficiunt ad arcendum ventum & aquam, quare illis à natura datæ ſunt. Nos autem comam quidem auferimus, quemadmodùm Paſtores ſolent equabus, quas aſinis voluerint admouere, & barbam abradimus: ſuper capita verò teximus ſiſyras & pileos, & huiuſmodi alia conſuimus. Gallos autem gallinaceos, videmus nullo horum indigere quo homines, neque ſiſyris, neque pileis. Verùm qualiſnam poſſit fieri pileus, vel Arcadicus, vel Laconicus, qui meliùs capiti

 quadret,

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

quadret, quàm ſua coma? Rectè negat comam eſſe virtutis indicium, vt videbatur illis comâ tenus ſapientibus in quos agit; ſed pleríque mortalium, vel voto de ea alenda nuncupato, vt ſubiectionem ſuam erga numen quod venerari

Coma.

volunt ritè reſtentur ea comæ promiſſione; vel certè ad velandum & fouendum caput, qui videtur naturalis & primarius comæ finis, comam promittere aſſueuerunt. Ianiſſarium ſuo tempore Conſtantinopoli, tanta capillorum congerie circumſeptum habuiſſe caput, vt ſclopetorum ictus illæſum eluderet, ſcribit Busbequius in itinerario. Annon ea tutela capitis eximia?

Addit Dio, aliquos item comam nutrire, quia arbitrantur eam ſe decere, proindéque comati eſſe volunt ad ornatum. Eſt enim comæ promiſſio, pulchritudinis non exiguæ; quod patet in ſexu molliore, philocoſmo & pulchritudinis perſtudioſo. Quæ enim mulier benè comata eſt, habetur pulchrior; cui verò reciſa eſt coma, cenſetur deformiſſima. Apuleius id benè expreſſit l. 2. Miles, verbis illis. [At verò quod nefas eſt dicere, ne quod ſit vllum huius rei tam dirum exemplum, ſi cuiuſlibet eximiæque, pulcherrimæque fœminæ caput capillo ſpoliaueris; & faciem natiua ſpecie nudaueris; licet de cœlo iacta, mari edita, fluctibus educata, licet inquam, Venus illa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo.] Et inferiùs. [Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis, auro, veſte, gemmis, omníque cætero mundo exornata mulier incedat; tamen niſi capillum diſtinxerit, non poſſit pulchra videri.]

Quod Lacedemonios, lege lata vetuiſſe mulieribus comæ nutritionem, ait Heraclides lib. de politiis, accipiendum eſt de cura impenſiore comæ; alioqui voluiſſent Lacones ſibi eſſe vxores deformiſſimas. Intelligebant itaque id Ethnici tondentes Chriſtianas fœminas, vt deformes facerent, quod habent Acta S. Charitatis. Sic etiam virgo illa Chriſtiana quam Iſidorus Peluſ. lib. 2. epiſt. 53. refert, cum aduertiſſet ſuam ſpeciem omnino inſignem adoleſcenti improuido ignitabulum factam, abraſo crine vniuerſo, & facie cinere aqua permiſto delibuta, occurrit amaſio, illud elocuta. Túne hanc deformitatem amas? Quo abiecto omnem in eo libidinis flammam extinxit, quia ſubductus erat decor omnis reciſione capillitij.

Et hæc eſt cauſa, cur quæ Deo ſe ſe addicunt, nec ſpeciem ſuam humanis oculis obiectam volunt, attondentur. Id quod variis olim locis, vſu receptum eſſe conſtat, tametſi non omnibus. Ex Optato quippè lib. 6. perſpicuum eſt virgines ſacras Africanas, inſtar ſponſarum, ſparſis & ſolutis crinibus fuiſſe. Ambroſius item ad virginem cap. 8. Author eſt, vt amputarentur crines qui occaſionem luxuriæ præſtiterant. Spurca item illa quæ Bethleémi Sabiniaco ſacrilego Diacono ſe permiſit, capillos ei ſceleris præludium ac pignus tribuit. Non igitur vbique tondebantur virgines ſacræ, ſed pleriſque tantùm locis; vt de Ægyptiis & Syris virginibus ſcribit S. Hieronymus epiſt 45. & de Tabenneſiotis virginibus Palladius. Veſtales Ethnicas id feciſſe, habet Plinius lib. 16. cap. 44. & S. Ambroſius lib. 6. epiſt. 30. Nec quoad Chriſtianas repugnat Canon. 17. Concilij Gangrenſis ſedis Apoſtolicæ auctoritate comprobati, ex Symmacho Papa in 6. ſynodo Romana. Non inquam obeſt canon ille damnans mulieres detonſas ſpecie religionis. Nam ex Sozomeno lib. 3. liquet ferri eo Canone, mulieres hæreticas, ſpecie religionis deſerentes viros ſuos, & induentes habitum virilem. Quæ verò virgines amore ſponſi Chriſti ſpeciem corpoream comæ reciſione à ſe calcari profitentur, non improbantur eo canone. Spectat ergo coma in muliere ad elegantiam.

Hoc facilè dabitur. Quin etiam in viro, (quidquid caluis aut tetricis videatur,) comæ prolixitas ad venuſtatem & elegantiam eſt accommodata, vt benè ex Charilao, hoc *ſumptus minimi ornamentum* vocanto, Lud. Cœlius lib. 15. cap. 8. Idem expreſſit Sidonius lib. 1. epiſt. 2. vbi eximiã Theodorici pulchritudinem deſcribens, proponit nominatim capitis apicem rotundum, in quo paululùm à planitie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur: hoc eſt capillus in verticem ad gratiam reflectitur, & tornatur in occipitium. Qua forma, Alexandri capillum propoſuere, Apelles quidem pictura, ære autem Polycletus. Apuleius 1. Florid. de Alexandro loquens vocauit *gratiam reciſſimæ frontis*. Nam reciſſima coma idem eſt quod reflexa, & vt Iſidori gloſſæ habent refractata, ſiue à fronte repulſa, vt frons vnda refugo capillo careat. Verba ſunt Alcimi Auiti lib. 1. Hæc autem elegantia, à reflexa cæſarie, ſupponit comam promiſſam: ſicut etiam illam ſupponit erotundatio & circumtonſio comæ, cui Tertullianus lib. de cultu fœm. nomen dedit *circumdationis capilli.*

A contrario licet intelligere comam eſſe capitis elegantiam. Nam,

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus:
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Verè item Petronius, exprobrans deformitatem ob capillitij profluuium.

Quod ſolùm formæ decus eſt, cecidere capilli;
Vernantéſque comas triſtis abegit hyems.

Agebat ille quidem de muliere, in qua comæ defectus eſt probroſiſſimus; vt propterea Martial. lib. 2. epigram. 34. Philænium repellat ob caluitium. Idque etiam Plautiæ exprobrat. lib. 10. epigram. 57. Viſúmque eſt non nemini, ea ex cauſa delubrum excitatum Veneri caluæ, ad auertendum ſcilicet fœminarum caluitium; quo tametſi (vt ait Plinius) rarò tentantur, aliquando tamen (præſertim ſæuiente intemperantia) tentantur, & capillorum quos Veneris reticula vocant, defluuio laborant. Quamquam veram cauſam excitati delubri Veneri caluæ, Giraldus ſyntag. 13. & Ioannes Neuiz lib. 4. ſyluæ Nupt. num. 19. retulere ad capillos à mulieribus ſuppeditatos, vt iuuarent obſeſſos. Id quod in ſimili feciſſe Maſſilienſes mulieres, ſcribit Veget. l. 4. c. 9.

Sed quamuis mulieri probroſiſſimum ſit caluitium, & inſignem ei deformitatem inferat, tamen viros quoque maximè deturpat, velit nolit

Syneſius

Syneſius: Sanè Iulius Cæſar qui *mœchus caluus* audiuit, caluitij deformitatem agnouit, & iniquiſſimè tulit ſe inde obtrectatorum iocis patere, vt ſcribit Suetonius. Tiberium quoque Seianus apud Dionem lib. 58. deriſit ob caluitiū. & quod cum caluus eſſet, omnia in Floralibus menſis caluorum miniſterio perfici, ad noctem vſque voluiſſet. Caligulæ item Seneca lib. quod in ſapientem non cadat iniuria; caluitium exprobrat, & Galbam indidem ridiculum viſum, notat Suetonius cap. 21. qui idem habet de Domitiano. quem *caluum Neronem* dicit Iuuenalis Satyr. 4. Et eum imitatus ferè initio carminis de Cæſaribus, Auſonius. Piſonem Tullius, Cæſonium Cabarntium per ſummum opprobrium dixit, quod caluus eſſet, ac teneræ ætatis maſturbator. In ſumma, Silenus quem deformiſſimum fingunt, caluus efformatur, qui ſibi abblandiens in Iuliani ſympoſio, Iulium Cæſarem, caluum & ſibi capite perſimilem à pulchritudine collaudat.

De argumento pro comæ elegantia, ducto ex caluitij deformitate, ſatis. Directè verò venuſtatem hominis ex coma, expreſſit S. Ambroſius 6. Hexaëm. cap. 9. [Ipſe (inquit) vertex capitis, quàm ſuauis & gratus? Quàm ſpecioſa cæſaries! Quàm reuerenda in ſenibus! Quàm veneranda in Sacerdotibus; Quàm terribilis in bellatoribus! Quàm decora in adoleſcentibus! Quàm compta in mulieribus! Quàm dulcis in pueris! Alium ſexum crinites, alium tonſa, non decet. Ex arboribus licet quæ homini ſit gratia capitis, æſtimare. In capite arboris, omnis eſt fructus, ibi omnis eſt pulchritudo. Illius coma nos, aut à pluuiis regit, aut defendit à Sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt. Quanto igitur maior humani capitis ornatus eſt, qui cerebrum noſtrum hoc eſt ſedem originémque noſtrorum ſenſuum, capillis capitis munit & vestit; ne aut frigore vexetur, aut æſtu? Illic enim fons vniuerſorum eſt, & ideò vbi iniuria nocet, ibi gratia præeminet.] Quod S. Ambroſius comam crinitam decere alterum ſexum negat, non pertinet ad abrogationem comæ prolixæ in viris. Sic enim ſibi contradiceret, agens de cæſariei multiplici pulchritudine; cum tamen cæſaries ſit coma prolixa. & longa, vt per ſe liquet. Agit ergo de crinibus variè contortis, & diuerſimodè denominatis, vt apud Adrianum Iunium, varias illas denominationes minutè perſequentem videre eſt, commentario de coma cap. 1. vbi crines propriè à diſcretione, per vittas, quæ fœminarum eſt, dictos monſtrat ex Feſto. Ibidem de affinitate comæ, & foliorum quæ etiam Koſſai dicuntur in arboribus, quam S. Ambroſius tetigit, pluſcula; nominatim verò aduertit capillitium *κόμας* Græcis dici; eóque ſenſu Paridem dictum ab Homero *κέρᾳ ἀγλαὲ* notat, quaſi qui comæ ſuæ pulchritudine ferirer, ac inneſcaret. Ab Archilocho autem *κεροπλάστην* nominatum ait, hominem comæ ſtudioſum. In quem ſenſum quoque, accepta à nonnullis notat cornua apud Maronem, eo hemiſtichio.

——*Et rubra cornua criſtæ.*

Quod ad intortos longos crines referri à nonnullis obſeruat; tametſi explodendi ſunt, quatenus dixerunt non aliter cornutum fuiſſe Moſem, ſicut Armenij & Lydi Sacerdotes crobilis quos Iuuenalis quoque *cornua* appellat, ſpectabiles viſuntur. Hoc dico reijciendum, quia non *Sellio 3.* caput, ſed facies quæ inueſtis eſt, cornuta in *Breuitas* Moſe apparuit, à lucis copioſæ reflexione; quam *in natura-* vt ferre poſſent filij Iſraël, operienda fuit. Quâ *libus.* de re aliàs. Nunc cornuum nomine donatam comam, quod tutelæ ſit & ornamento, vt bubus *Coma.* cornua, obſeruaſſe, ſat eſto.

Confirmat hoc quod diximus de tutela & elegantia à coma prolixa, quod olim morituris præcidebatur coma, quaſi non vlteriùs neceſſarium, tutamen & ornamentum, quod non videretur morti voranti permittendum. Sicut enim virgo morti dedenda, priùs virgo eſſe deſinebat, vt monſtrat exemplum filiæ Seiani; eo quod tale decus corporum, videretur morti mox ſubituræ ſubducendum: ita capillitium promiſſum, ſub mortis articulum ea proportionali cauſa recidebatur; & capilli reciſi, ex Euripide in Alceſtide, ſontibus mortui appendebantur. De reciſione docet hoc Statius extremo l. 7. verſibus illis.

Audio iam rapidæ curſum Stygis, atráque Ditis
Flumina, tergeminóſque mali cuſtodis hiatus.
Accipe commiſſum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas.

Et 2. ſyluar.

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

Putabant enim Proſerpinam moribundos tondere. In obitu Didûs id expreſſit Poëta 4. Æneid. Seneca item in Hypolito Actu 5. tonſuram moribundi ſic demonſtrat.

Placemus vmbras, capitis exuuias cape:
Laceraque frontis, accipe abſciſſam comam.

Ex hoc vſu, qui in mari iam iam mergendi videbantur, comas ſecabant. Et ſicut extra tempeſtatem, forfices ad tondendum vel nouaculam ad radendum in naui contrectare, ominoſum erat & planè auerſandum, vt apud Petronium cum de facto, Eumolpi videre eſt; ita cum actum de vita videbatur, capillum ſecabant, quod ibidem refertur. Vndè apud Artemidorum lib. 1. cap. 23. ſomnium nauigantis de tonſura capitis, naufragium portendit. Nec deſunt qui illud Apoſtoli Actor. 17. poſt diuturnam tempeſtatem, *Oro vos accipere cibum pro ſalute veſtra, quia nullius veſtrum capillus de capite peribit*, referant ad eſſenerationem, certæ omnium qui in naui erant ereptionis à periculo. Quod tamen ingenioſiùs quàm ſolidiùs dictum videtur: cum Paulus ibi adagiale Hebræum vſurpet, æquè ac Chriſtus, cum dixit; *capillus de capite veſtro non peribit:* qui vtique de nauigantibus non agebat. Denique Iob, cum iam moriturus ſibi videretur, tonſo capite ſedit in ſterquilinio, id eſt in ſepulchro. Nam Hoſſitas in ſterquiliniis ſepelire mortuos ſuos conſueuiſſe, ex Strabone & Giraldo, confirmat Stellartius lib. 2. de coronis cap. 7. Nō ineptè igitur, ex hoc vſu tondendi & recidendi comas iam iam morituris, tanquam ea tutela & ornatu vlteriùs non egentibus, eóque abeuntibus quo decus illud tranſmitti par non videretur, colligi poſſe videtur ſenſus priſcorum, de tutela & ornatu hominis à coma prolixa.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Barba.

Promiſſionem comæ (vel vt Tacitus, Suetonius, Pliniúſque loquuntur capillorum *ſubmiſſionem*, Forcatulus *immiſſionem*, eodem ſenſu à Fabio lib. 1 2. cap. 3. vſurpatam notauit dialog 58. Necyomantiæ,) tutelæ eſſe ac ornamento, hactenus monſtrauimus. Ac ne formoſulos duntaxat elegantiæ ſtudioſos ea capillitij prolixitas decere putetur, multos & ſanctitatis & ſapientiæ laude claros, prolixè comatos accepimus. S. Theotimum Sozomenus amplè comatum exhibet, vt & S. Iuſtinum vetus eius imago. Danielis Stylitæ prolixiſſima coma, notatur in eius Actis. Quem verò latet S. Onuphrij promiſſiſſimum capillitium? S. Paphnutius ſic de eo [virum procul aſpectu terribilem, vidi in modum beſtiæ pilis vndique circumſpectum, cui tanta ſcilicet capillorum prolixitas erat, vt corpus illius ipſorum diffuſione tegeretur. [De Sancto Macario Romano in eius Actis cap. 15. ſic habetur. [Ipſius capilli capitis ac barbæ, erant candidi, vt lac; faciéſque eius ſicut vultus Angeli: erat enim ſicut lignum ſecus aquarum decurſus plantatum, & præ ſenectute nimia, oculi eius non aperiebantur, eo quod ſupercilia eos cooperiebant. Vngulæ quoque manuum ei, ac pedum, longæ nimis. Barba verò & capilli, corpus eius omne circumdederant.] De S. Theodoſio, ita Theodoretus cap. 10. Relig. hiſtor. [Geſtabat comam ſordidam, & quæ ad ipſos vſque pedes pertingebat, & vlteriùs etiam progrediebatur, & ideò erat lumbis eius alligata.] Sancti Danielis Stylitæ coma & barba prolixiſſima, deſcribuntur in eius Actis 11. Decembr. *ſub finem.* [Capillis capitis (aiunt illa acta) adeò euaſit comatus, vt quadruplici quidem coma diſcriminaretur; longitudo autem eorum ad quatuor cubitos produceretur.] Quod Elias 4. Reg. 1. dicitur vir piloſus, de prolixè comato à nonnullis expoſitum eſt. Nazaræi capillum promittebant. Vnde S. Paulinus Carm. ad Cytherium Patrem, de filij Citherij educatione, præter cætera admonet.

Sanctúmque Chriſto Nazaræis verticem
Paſſis adornet crinibus.
Animaque pulchrum crine virtutis caput
Armetur operoſa fide.
Nec huius vnquam deſecans nouacula
Aſcendat in damnum coma.
Et vt ille Samſon vi capillorum potens
Virtute crinium ſacra,
Sternat Leonem, ſtrangulatum fortibus
Orationum brachiis:
Dulcémque fructum nobilis victoriæ
Decerpat ore mortui.

Fecit iſta Samſon, quandiu comatus prolixè, ritu Nazaræorum fuit. Nam ex quo comam perfidia coniugis amiſit, ſpoliatus ſimul eſt eo robore quod illi ex coma capitis aderat tanquam Nazaræo. [Nazaræus enim (ait Proſper de promiſſi cap. 21.) virtus ſonat in capite. Natus igitur eſt Samſon ille fortiſſimus, plenus virtute ex coma capitis ſui. [Qua ſemel exutus virtute, eam denique recretis crinibus, & renata prolixè coma (vt benè ſupra proſequitur S. Paulinus) recuperauit in maiorem hoſtium cladem.

Quod Nazaræorum capillitium promiſſum, Prado ad cap. 3. Ezech. *ferè initio*, refert ad nobilitatem qua potiebantur Nazaræi tanquam Deo cōſecrati, & domeſtici ac Filij altiſſimi; rectè conſentit cum vſu perantiquo, quo nobiles & liberi, prolixa coma vtebantur, ſerui vel detonſis vel raſis. Nota Abſalonis cæſaries prolixa. Apud Ariſtophanem in auibus, illud adagium vſurpatur, ex quo firmatur quod dicimus. *Seruus cum ſis, comam geris?* Rex Bulgarorum vt ſe ſeruum Eccleſiæ profiteretur, præciſam ſibi comam, ad S. Petrum per legatos Apoſtolicos miſit, notam ſubiectionis vt ſcribit Anaſtaſius in præfat. hiſtorica ad 8. Synodum. In Scriptura item, quoties intentatur ſeruitus, aut captiuitas, mentio eſt decaluationis, aut raſuræ vel tonſionis. Sic enim Micheæ 1. *decaluare & tondere, ſuper filios deliciarum tuarum; dilata caluitium tuum ſicut aquila;* quæ ſcilicet ſenio grauata, non capitis modò, ſed etiam totius corporis plumas excutit. Hoc lugubri, quia ſeruorum proprio habitu, apparere vult populum ſuum Propheta; & vt Iſaïas eandem miſeriam denunciat, cap. 3. dicens, *decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit; & erit pro criſpante crine caluitium;* id eſt ſeruitus & captiuitas, cuius nota crines demeſſi. Enim miſeriæ ſtatum exprimentes Romani, in luctu comas ponebant; de quo vſu latè Kirmannus l. 2. de funer. c. 14. & Bernartius ad lib. 6. Thebaïdos, v. 196. vnde Præficæ ex Lucilio, referente Nonio cap. 1. capillos ſcindebant. Item apud Græcos vſus tondendi in funeribus, erat receptiſſimus; Proptereáque Euripides in Alceſtide Actu 1. & 2. comæ præciſionem, & pullum veſtium vſum in luctu memorat. Ægyptiis quoque, teſtandi luctus cauſa, ſi canis in aliqua domo obijſſet, domeſticos omnes radi vniuerſo corpore iuſſos, ſcribit Euſebius lib 2. præp. c. 1. Reciſæ comæ ſomnium, præſagire ingens dedecus, ait Achmed Onirocriticus cap. 31. In hanc rem plenè Adrianus Iunius, toto cap. 5. libri de coma. Non procul aliò ſpectaſſe ardens Sinenſium ſtudium pro retinendo capillitio. Nuper ſanè, hoc eſt anno 1644. cum Tartari magnam partem Sinici Imperij ſubegiſſent, & in tanta conſternatione, abſorpturi facilè fuiſſent quod ſupererat; reſumpſerunt tamen Sinenſes animos, & aduersùs Victores Tartaros magnis animis inſurrexerunt, cùm primùm innotuit edicto Tartarico conſtitutum eſſe, vt omnes pro Tartarorum more, crines abraderent, & ponerent capillitium. [Tunc enimuerò (ait Martinus Martinius in belli Tartarici hiſtoria,) milites ac ciues arma in Tartaros exacuerunt, pro capillis magis quàm pro regione ſua ſolliciti, pugnarúntque egregiè, ac Tartaros non modò ex orbe, (Xaoking totius Sinæ pulcherrima quam iam occuparant,) eiecerunt, ſed ad Centhang fluuium vſque repulerunt; imò eos ad tranſitum fluuij coëgerunt, quamplurimis eorum occiſis.] Tanti apud Sinas fuit, comam retinere, tanquam notam (quantum arbitror) nobilitatis & ingenuitatis.

Sed vt ad Nazaræos reueniam, rectè confirmat quod de ſignata per comam prolixam eorum nobilitate, & libertate, præmiſimus, indicta eis detonſio, cum complerentur dicti dies. Nam tunc ex libertis domini, & domeſticis Dei, qui ſummus eſt nobilitatis gradus, tranſibant in plebeiorum ignobilem conditionem, eramque capaces ſubijci alterius dominio, qui antea ſacram comam tenentes ſoli Deo ſuberant. Quo ſenſu

vbi

vbi nos 1. Reg. 1. legimus, *nauacula non aſcendet ſuper caput eius*, Chaldæus habet, *terror non aſcendet*, id eſt dominium ſiue imperium quod homini eſt terrori. Nam & Iſaias cap. 8. monens vt haberent Deum pro Domino; *Dominum* (inquit) *ſanctificate, ipſe ſit terror veſter*. Alia in eandem ſententiam luculenter diſſerit Prado ad cap. 24. Ezech. v. 17. Ariſtoteles item 1. Rhetor. comam promiſſam habet pro nota libertatis, ac nobilitatis, quod in Gallia olim erat perpetuum; ita vt rei conſpirationis effectum non ſortita, lege Caroli Magni quæ extat libro tertio, articulo nono, condere ſe inuicem iuberentur, quæ erat degradatio à nobilitate. Similitérque in ſignum ſeruilitatis, & ignobilitatis, Sanctum Petrum ab Ethnicis fuiſſe detonſum, ſcribit Sanctus Germanus in rerum Eccleſ. theoria. Et Pruſias Bithiniæ Rex apud Polybium, vt ſe Romanorum ſeruum profiteretur, raſo capite legatis Romanis obuiam proceſſit. Nec refert quod ſeruis manumittendis raderentur capita in templo Feroniæ, vt Seruius notat; ſicque exquiſite raſi Prætorem adirent; & ſeruitutem excuterent, iuxta illud Iuuenalis Satyra 5.

——Omnia ferre,
Si potes & debes, pulſandum vertice raſo.
Præbebis caput.

Et illud Serui Plautini in Amphitryone. [Vt ego hodie raſo capite caluus accipiam pileum.] Hoc inquam non refert, neque probat capillitium reciſum vel abraſum, cum libertate quam ſeruus tunc aſſequebatur, non congruere. Idcirco enim radebantur mox adituri prætorem, & ab eo vindicta (ſic dicta virga à vindicio) contingendi ac manumittendi, quia par erat vt ad prætorem venirent habitu ſeruili; ita vt ea notæ eſſent vltima profeſſio captiuitatis ac ſeruilitatis, quam deinde comæ nutritione abs ſe alienam eſſent profeſſuri. Eſt igitur coma promiſſa, ſymbolum & nota libertatis ac nobilitatis, qua ratione Lucanus 1. Pharſal. in ſeruitutem redactum Ligurem, tonſum dicit his verſibus.

Et nunc tonſe Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate comata.

Hinc ortum, vt ſapientiſſimi quique nonquam nobilitatem ſuam ex ſapientia & probitate oſtentantes, prolixa coma ſint vſi inter Ethnicos. Eam enim cum pallio albo & promiſſa barba iungit Theodoretus orat. 1. de prouid. Cynici inter eos liberrimi audire geſtiebant, & quod Lipſius in manuduct. ad Philoſophiam Stoïcam lib. 1. diſſertat. 13. benè proſecutus eſt, erant inter Philoſophos laude inſignis virtutis & ſapientiæ illuſtres, (ſi paucos impudentes excipias, qui nomen illud dehoneſtarunt,) Cynici inquam vt Iulianus Imperator orat. 6. ait, habuerunt pro ſuo ſchemate prolixam comam, & detritum pallium. Fusè id illuſtrat Deſiderius Heraldus lib. 2. aduerſ. cap. 16. & ad 4. Martialis epig. 53. Empedocli profundam comam, ex Phauorini aſſertione tribuit Laërtius. Eodémque ex capite Apollonium ſuum celebrat Philoſtratus; ex cuius quadam epiſtola in comæ prolixæ laudem hæc ſunt notanda. [Caput crinibus luxurians, amœnius eſt longè, Palladis germine. Hanc enim arcem, minimè omnium glabram atque incomptam conſpici decet.] Reges denique quorum ſumma & libertas & nobilitas, plerque omnes effusè comati & cæſariati. Trajanum Eutropius (à promiſſione haud dubiè crinium) dictum refert, *Vlpium Trajanum crinitum*. Scipionem Majorem lib. 8. belli Punici, Regiam pro populo Romano perſonam in Africa referentem, prolixa cæſarie decoratum legimus. Apud Francos, ſoli Reges prolixè comati; plebs omnis tonſa, vt ſubiecto ſignificaretur, teſte Agathia: legiturque in eam rem lex Clodionis cognomento *capillati*, ne quis Francorum, niſi ex ſanguine regio, promiſſum capillum & barbam longam geſtaret. Edem habet Aymoinus lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 61. & Hotomanus in Francogall. c. 4. Itaque ſi cui regnum eriperetur, aut iure ad illud excluderetur, tondebatur. Vnde Crotildis Regina, duobus filiis caput abſcindi, quàm comam maluit, vt videre eſt apud Gregorium Turonenſem lib. 3. cap. 18. apud quem etiam lib. 6. cap. 24. habetur exemplum tonſuræ Gondubaldi, vt ſignificaretur ſpe regni deiectus. De huius ſignificationis fundamento, videnda lex Salica, tit. 38. de homic. paruul. Et quamquam id poſtea extenſum eſt, ita vt non ſoli Reges in re, (vt ſic dicam,) aut iure, vel in ſpe, capillitio eſſent promiſſo; illud tamen ſemper olim viguit, vt ſoli ingenui ac liberi, comam geſtarent, vt innuitur in lege Caroli Magni, extata apud Anſegiſum lib. 1. c. 137. fuiſſéque id ius antiquum Lacedæmoniorum, Plutarchus notauit. Vnde illud Ariſtophanis in Auibus, δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις. [Seruus cum ſis, comam habes?] Coma ergo profuſa, ingenuitatem ac nobilitatem, vel etiam Regium ſtemma præfert. Deus ipſe Rex Regum, promiſſa cæſarie repræſentatus eſt apud Danielem cap. 7. Vt taceam Deos Ethnicos, quos prolixè comatos exhiberi ſolitos, fusè proſequitur Adrianus Iunius comment. de coma cap. 3. & quoad Heroës Dio Pruſæus, eo comæ encomio quod Syneſius operi de caluitio interuit, *initio*; nam apud ipſum Dionem deſideratur.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Coma.

§ 2. *Viro, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.*

ORaculum Apoſtoli eſt primo Corinth. vndecimo, ex quo manarunt plurimæ leges Eccleſiaſticæ, de Coma clericorum recidenda; Ita enim ſtatutum eſt variis canonibus quos collegit Sauaro ad librum quartum, Sidonij epiſtola vigeſima quarta, notantis Maximi ex Palatino clerici comam breuem. Ita igitur ſanxit Anicetus, vigeſima tertia diſtinctione, capite *prohibete*. Quod decretum Martyrum Papæ, commune ſanxit Vſuardus 15. Calend. Maij. Item idem ſtatuit Gregorius 2. in Concilio Romano Canon. 17. in hæc verba. [Si quis ex

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Clericis relaxauerit comam, anathema ſit, Et reſponderunt omnes tertiò, Anathema ſit.] Clericis item comæ prolixitate interdicunt Concil. Carthaginen. 4. cap. 45. Tribur. c. capite vigeſimo. Toletanum 4. cap. 40. Agath. cap. 20.

Coma.

Græcarum quoque Synodorum in eam rem canones, collegit Martinus Braccarenſis Cano. 63. & 67. Eodem quoque pertinet quod in Concilio primo Brachar. cap. 29. Lectores ſacri, vetantur ritu Gentilium demittere granos. Corruptè aliqui Codd. legunt *gradus*, inanita prorſus loci illius ſententia quæ legendo *granos* voce Iſidoro vſurpata lib. 16. cap. 23. optimè quadrat. Sunt enim grani effuſi crines, vt rectè notauit Sauaro ad Sidonium libro primo, epiſtola ſecunda. Alia decreta aduerſus Clericos comam nutrientes, videre eſt apud Doctores qui de Clericorum tonſura egerunt, & ſunt relati à Cenedo Collectan. 11. ad decretal. num. 2. éſtque id tanta grauitate cautum ab Eccleſia, vt non dubitent aliqui, mortalis peccati arguere comæ nutritionem in Clerico. Ita Albertus Trucius de vero & perfecto Clerico libro ſecundo capite 36. numero ſexto. Syluester V. *Clericus* 2. numero ſecundo. Bernardus Dias in praxi crimin. cap. 70. *in fine.* Nauarrus in ſumma capite vigeſimo quinto num. 110. Atque ita Sanctus Benignus, quia presbyter erat, ex tonſura capitis agnitus eſt, & Aureliano delatus à Terentio Comico, vt eius Acta habent. Si qui verò ſancti Anachoretæ, deficiente omni veſtitu, promiſſo capillitio quo toti tegerentur, vſi ſunt; non eſt trahenda ea tanta neceſſitas in exemplum; præter quam quod aliqua in eo genere figmenta redarguit Sanctus Hieronymus in prologo ad vitam Sancti Pauli primi Eremitæ. Græculos poſteriores iſta aduerſatos, & reſectionem capillitij vt violationem diuinæ imaginis criminatos, caſtigat Manuel Calecas libro 4. contra Græcos tom. 13.

Neque eſt quod Eccleſia comatos auerſata ſacros homines, nouum quid induxiſſe videatur; cum conſtet iam olim apud Ethnicos ex quodam naturali inſtinctu, perſonas Deo ſacras, non modò non fuiſſe prolixè comatas, ſed etiam fuiſſe ad cutem vſque detonſas, aut exquiſitè raſas. Ægyptios Sacerdotes Herodotus in Euterpe, anxiè raſiſſe non caput tantùm, ſed & corpus vniuerſum autor eſt; idque ait tertia quaque die ab eis repetitum, ne quis fortè alicubi pilus ſuccreſceret. Et quamquam Pollux raſa ab eis ſupercilia negat, quod ea, vt & pili palpebrarum à primo ortu enaſcantur; tamen Herodotus ſuperciliorum raſuram non excepit: & eam quoque ſignauit Laërtius, agens de Eudoxo Geometra. Attiputârunt Syneſius in caluitij encomio, cum ait: [Ægyptios Sacerdotes, ac numinis cultores, vel ab iis quæ in genis naſcuntur cilia, abhorrere animaduerti: qui erant illi quidem viſo ridiculi, ſed prudens tamen eius faciendi conſilium, iis non defuit.] Iſiacos raſo fuiſſe vertice, notiſſimum eſt. Vndè à Iuuenale Satyr. 6. *caluus grex* denominantur; idque de Commodo ſacris Iſidis operante, produnt Capitolinus & Spartianus. Voluit hoc ipſum Martialis hoc verſu.

Linigeri fugiunt calui, ſiſtratáque turba.

Item lib. 10. hoc ſenſu ſacrificulos Iſidis pilatos nominat ſic canens.

Nunciat octauam Pharia, ſua turba, iuuenca;
Ecce pilata redit, iámque ſubitque cohors.

Corruptè olim legebatur, *Et pilata redit* priore Syllaba producta. Sed legendum *pilata* id eſt glabra, & omnibus extirpatis capillis, vt idem clarè eam vocem ſumpſit libro ſexto dicens.

Extirpa (mihi crede) pilos de corpore toto,
Téque pilare tuas teſtificare nates.

Vbi *pilare*, clarè ſonat quod dixi. Pilata ergo cohors ſacrificulorum Iſidis, id eſt glabra vndique, & exactè calua. Idque etiam apertè expreſſit Tertullianus carm. ad Senatorem Apoſtatam cap. 2. cum dixit.

Nunc etiam dicis quod te non fecerit ætas,
Sed tua religio caluum.

Nam hæc caluities ſuperſtitionem raſuræ, in ſacris illis adhibitam, ſignat. Sanctus Ambroſius epiſtola ad Sabinum agens de Sancti Paulini ſeceſſione à ſæculo, & referens querelas ſæculi filiorum, de intercepta familiæ nobilis ſucceſſione per eam mutationem, addit. [Et cum ipſi capita & ſupercilia ſua radant, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra; ſi fortè Chriſtianus vir attentior, ſacroſanctæ religionis veſtem mutauerit, indignum facinus appellant.] Meminit huius exquiſitæ raſuræ miniſtrorum Iſidis, etiam Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, negans confeſtim Iſiacum eſſe, cui vertex ſit raſus: ſicut neque Philoſophus protinus eſt qui barbam crinémque promittit, & vili lacerna vtitur.

Vniuerſalius Beatus Hieronymus in cap. 44. Ezech. ait, ſuperſtitionem Gentilium Sacerdotum, raſa præferre capita. In colluuie Turcica, quotquot ſacri homines audiunt, toto capite raſi vtuntur, vt videre eſt apud Nicolaum Nicolai libro nauigat. & peregrinat. Turcic. cap. 15. 16. & 17. Mexicani qui Religioſi habebantur, capite erant tonſo, vt notat Ioſephus à Coſta lib. 5. hiſtor. Ind. Occid. cap. 16. qui de ſacris virginibus Peruanis æquè tonſis, meminit eiuſdem libri cap. 15. Sed horum Indorum raſura, manifeſtum eſt Satanæ Chriſtianos ritus æmulantis artificium, vt vileſcerent apud eum populum Chriſtiani ritus, ſi quando illuc inducerentur. Id quod æquè dicendum eſt de adulteratione & mimica imitatione omnium propè nouæ legis Sacramentorum, quam locum habuiſſe apud eas gentes, cum ad eas illata eſt fax Euangelij, idem Autor refert. Si quando igitur Chriſtiani Clerici comas prolixas contra tot ſacra edicta, & ipſius Apoſtoli oraculum circumferre deprehendantur, ſuffundendi ſunt pudore, exemplo Gentilium, qui ſacros homines tecíſis comis eſſe voluerunt. An Satanâ peruersè de more æmulante, quod Numer. 8. mandabatur, *Leuitæ radant omnes pilos carnis ſuæ?* Quod Sanctus Gregorius 5. mor. cap. 23. de impedienda curarum ſæculi fruticatione in

perſona

ſons Deo addicta interpretatur in ſenſu myſtico.

Neque verò poſſunt noſtri Clerici comæ ſtudioſi, obtendere promiſſam Nazaræorum comam. Id enim optimè reijcit Sanctus Epiphanius hær. 80. refellens Maſſalianos comatos: ſed in verſione Cornarij adeò obſcure loquitur, vt ægrè intelligatur. Quare audiendus eſt è nupera nitidiore & accuratiore interpretatione. Refert ibi c. 7. Sanctus Epiphanius in Apoſtolorum conſtitutionibus vetitum eſſe [ne meretricius cultus & ornatus vſurpetur; ac ne per arrogantiam & faſtum, affectata quædam iuſtitiæ ſpecies in congreſſu ac conſuetudine præferatur. Illud enim Nazaræis, duntaxat ob figuram congruebat. Quippè veteres per futurarum rerum adumbratas imagines traducti ſunt; velut cum comam ex voto promiſſiorem habuerunt, donec mundi votum aduenit, & impletum eſt; hoc eſt apparuit Chriſtus Dominus vnicus Dei Filius, & innoteſcere mundo cœpit ille ipſe, ſempiternus quidem, ſed ab omni genere hominum nequaquam agnitus; verùm à quibuſdam duntaxat qui in ipſum crediderunt: vt cognito capite, nullam huic ignominiam imponamus. Nam non tam de proprio cuiuſque capite loquitur Apoſtolus, quàm ab eo in Chriſtum ipſum, ludibrium contumeliámque deriuat: *Nonne* (inquit) *natura ipſa vos docet, quod vir comam ſi nutriat, ignominia eſt illi?* Quod quidem ignominiæ genus laudabile non eſt; vt illa quæ dicit ignominiam contempſiſti. Neque enim quaſi quoddam virtutis officium Dei illud cauſa ſuſcipitur, tametſi ad Deum pertinere videatur. Sed à contentione ac pertinacia profectum eſt, cùm iampridem legis vmbrâ, figuráque prætergreſsâ, veritas ipſa ſucceſſerit. Quare ſic Apoſtolus decernit. *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Quibus verbis, eos qui tale aliquid faciunt & contentioſè refragantur, ab Apoſtolorum regula, ac Dei Eccleſia ſummouendos putat.]

Aliter de coma Nazaræorum, & quorumvis olim ſacrorum hominum, promiſſa, & ferro intacta, nunc verò iiſdem ſacris hominibus breui, philoſophandi cauſam ſuppeditat agens de voto Nazaræorum S. Cyrillus lib. 16. de adorat. qui putat eam capilli promiſſionem indictam eſſe à Deo Nazaræis, ad abolendam impietatem Ethnicorum, comam nutrientium Dæmoniis. [Et hic quidem illam Oreadibus Nymphis, ille viciſſim fluuio alicui, certo tempore tondebat, eáque res religioſa putabatur.] Inſtitutum ergo eſt, vt coma Deo vero nutriretur, non Dæmonibus. Quod periculum nunc ceſſat, ac proinde etiam comæ promiſſio. Sanctus Paulinus carm. ad Cytherium, aliam præterea diſcriminis propoſiti cauſam adducit, ſic canens.

Quare vetuſtis abſoluti legibus
Iam non in vmbra degimus.
Quos nube legis, & ſtatutorum iugo
Quaſi comarum ſarcina,
Chriſtus leuauit, ipſe Deus, ille ſuis
Factus redemptus in caput.
Quo capite, libero ſuper tetrum caput,
Dracone victo incedimus.
Illos decebat impedimentum coma,
Vmbraculúmque verticis;
Quibus tegebat corda velamen, ſacra
Obnubilans myſteria.
At nos remoto literæ velamine
In luce corporis ſui.
Enubilatam veritatem cernimus
Faciem reuelati fide.

Sectio 3. *Breuitas in naturalibus.*

Cons.

Dicat idipſum ſoluta oratione paulò diſtinctiùs Sanctus Auguſtinus libro de opere Monach. capite trigeſimo primo. Ibi agens contra Afros quoſdam Monachos, qui operari nolebant, & comam alebant, & in errorem eundem pertraxerant aliquos ex bonis Monachis, laborem manuum non refugientibus, ſic diſſerit. [Quid iniquius quàm velle ſibi obtemperari à minoribus, at nolle obtemperare majoribus? Apoſtolo dico, non nobis, in tantùm vt etiam contra eum comam nutriant; Vnde ille nec diſputare omnino voluit, dicens; *ſi autem quis vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*; hoc autem præcipio, vt ſcilicet non diſſerentis ſolertia requiratur ſed præcipientis auctoritas attendatur; Nam & hoc quò pertinet quæſo, tam apertè contra Apoſtoli præcepta comari? An ita vacandum eſt, vt nec tonſores operentur? An qui Euangelicas volucres imitari ſe dicunt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint? Vereor in hoc vitium plura dicere, propter quoſdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa & penè omnia veneramur. Sed quod magis eos in Chriſto diligimus, eò ſollicitiùs admonemus. Neque enim metuimus, ne humilitas eorum reſpuat admonitionem noſtram, quandoquidem & nos à talibus, vbi fortè titubamus, aut aberramus, cupimus admoneri. Hoc ergo admonemus tam ſanctos viros, ne ſtultis vanorum hominum argumentationibus moueantur, & eos in hac peruerſitate imitentur, quibus ſunt in cæteris longè diſſimiles. Illi enim venalem circumferentes hypocriſim, timent ne vilior habeatur tonſa ſanctitas quàm comata; vt videlicet qui eos videt, antiquos illos quos legimus cogitet, Samuelem & cæteros qui non tondebantur. Nec cogitant quid interſit inter illud Propheticum velamentum, & hanc Euangelij reuelationem de qua dicit Apoſtolus; *Cum tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen.* Quod enim ſignificabat velamentum interpoſitum inter faciem Moyſis, & aſpectum populi Iſraël, hoc ſignificabat illis temporibus, etiam coma Sanctorum. Nam idem Apoſtolus, etiam comam pro velamento eſſe dicit, cuius auctoritate illi vrgentur. Apertè ait, *vir quidem, ſi comatus ſit, ignominia eſt illi.* Ipſam ignominiam (inquiunt) ſuſcipimus, meritò peccatorum noſtrorum, ad hoc obtendentes ſimulatæ humilitatis vmbraculum; vt ſub eo proponant venalem typum: quaſi Apoſtolus ſuperbiam doceat, cum dicit, *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, confundit caput ſuum: & vir quidem non debet velare caput ſuum, cum ſit imago & gloria Dei.* Qui ergo dicit, *non debet*; neſcit fortè docere humilitatem? Sed ſi hanc ignominiam tempore Euangelij, quod erat Sacramentum tempore Prophetiæ, pro humilitate iſti appetunt, tondeant, & cilicio caput velent: ſed non erit tunc ſpecies illa venalis, quia Samſon non cilicio, ſed coma velabatur.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. Exclamat paulo poſt S. Auguſtinus cap.32. in dementiam ſingularem, & luctuosè ridiculum commentum eorumdem crinitorum & comatorum Monachorum, qui doctrinam Apoſtoli, cumæ nutritione viris duntaxat interdicere dicebant, non autem Eunuchis, qui ſeipſos propter regnum cœlorum caſtrarunt.

Com. Quod longa refutatione profligat, tandémque concludit. [Illud ergo quod de non velando capite viris præcipitur, in corpore quidem figuratur, ſed in mente agi vbi eſt imago & gloria Dei, verba ipſa indicant. *Vir quidem*, inquit, *non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei.* Vbi autem ſit hæc imago, declarat cum dicit. *Nolite mentiri inuicem; expoliantes autem vos veterem hominem cum actibus ſuis, induite nouum, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundùm imaginem eius qui creauit eum.* Quis dubitat hanc renouationem in mente fieri? Sed & qui dubitat, audiat apertiorem ſententiam. Eadem quippè admonens, ita dicit alio loco; *ſicut eſt veritas in Ieſu, deponite vos ſecundùm priorem conuerſationem veterem hominem, eum qui corrumpitur ſecundùm concupiſcentias deceptionis: renouamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, eum qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Quid ergo mulieres non habent hanc innouationem mentis, vbi eſt imago Dei? Quis hoc dixerit? Sed corporis ſui nexu, non eam ſignificant: propterea velari iubentur. Illam quippè ſignificant partem, eo ipſo quo mulieres ſunt, quæ concupiſcentialis dici poteſt, cui mens dominatur etiam ipſa ſubdita Deo ſuo, quando rectiſſimè & ordinatiſſimè viuitur. Quod ergo in homine eſt mens & concupiſcentia; illa regit, hæc regitur; illa dominatur, hæc ſubditur: hoc in duobus hominibus viro & muliere, ſecundùm ſenſum corporis figuratur. De quo Sacramento loquens Apoſtolus, dicit virum non debere velari, ſed debere mulierem.]

Ex dictis liquet, de Scripturæ quoque ſententia, prolixam comam tanquam naturale capitis velamentum ſubjectionem deſignans, congruere mulieri; à viro autem abhorrere, tanquam redolens mollitiem muliebrem & effœminationem. Itaque iure S. Ambroſius ſcribens ad Irenæum qui percunctatus erat cur lex adeò ſeuerè alteri ſexui notas alterius aſſumere prohiberet, reſpondet præter cætera. [Quàm deforme autem virum facere opera muliebria. Ergo & pariant, ergo parturiant; qui criſpent comas ſicut fœminæ; & tamen illæ velantur, iſti belligerantur. Verùm habent excuſationem qui patrios vſus ſequuntur; ſed tamen Barbaros; vt Perſæ, vt Gothi, vt Armenij. Maior quidem eſt natura quàm patria. Quid de aliis dicimus, qui hæc ad luxuriam deriuandum putant, vt calamiſtratos & torquatos habeant in miniſterio, ipſi promiſſa barba, illos remiſſa coma? Meritò illis ſeruatur caſtimonia vbi non tenetur ſexus diſtinctio: in quo euidentia naturæ magiſteria ſunt dicente Apoſtolo; *decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipſa natura docet vos. Quod vir quidem ſi comam habeat, ignominia eſt illi: mulier verò ſi capillos habeat, gloria eſt illi*, quoniam quidem capilli pro velamine ei ſunt.] Viget etiam in hanc rem eundem locum Apoſtoli lib.2. de Noë & Arca cap.7. dicens. [Capillis capitis quàm grato amictu caput veſtiunt, velut quidam aulæ regiæ ſtipatores, ne cerebrum aura lædat, aut imber feriat, aut ſol adurat. Quos ita tamen dedit natura vt pro ſexu, aut prolixiores placeant, aut reciſi; & pro ætate, aut plerumque pro temporis & anni qualitate; in ſenibus grata canicies, in pueris prodigioſa. Æſtate delectat preſſiùs, hyeme indulgentiùs: mulieribus ornamento eſt coma, dedecori eſt viris. Denique Apoſtolus euidentiùs expreſſit hoc dicens. Nam *ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat ignominia eſt illi. Mulier verè ſi capillos habeat, gloria eſt illi.* [Comam viro pertinere ad ignominiam, ſi promittatur, vt Apoſtolus tradit, argumento eſſe poteſt, quod rei olim, Romæ comam promittebant; ſic enim Sabinus rogatus à Cretenſibus, vbi magiſtratum capillitij nota decorum; dixit ſe bis Romæ id obijſſe, bis enim reus fuerat. Et è contrario ſomnium de reciſa coma apud Plinium lib.7. epiſt.27. exponitur de liberatione à dedecore & damno graui: ſicut Ioſeph è carcere eductus, tonſus eſt Gen.41.

Gloria mulieris, viri ignominia eſt coma, quia ſapit effœminationem & ſubiectionem mulieris ad virum vt propterea adulteræ olim, quod Tacitus prodidit lib. de moribus German. & fusè proſequitur Petrus Faber lib.3. ſemeſtr.c.21. reciſa coma dehoneſtarentur & decaluarentur, tanquam quæ malè aboleuiſſent notam ſuæ ad viros ſubjectionis. Monſtroſè autem Riphæi apud Solinum cap.21. omnes mulieres coma priuabant. Effœminationem item ſapit coma prolixa, ob mollitiem animi, quam eius ſtudium & ſupponit & infert. Supponit quidem, quia maſculus animus, nunquam à ſe extorqueri pateretur, vt tempus quod multum in comenda & excolenda prolixa coma inſumendum eſt, adeò inutiliter prodigeret. Item virilis & maſculi pectoris homo, nunquam adducetur, vt infirmi ſexus notas aſſumat, confundens naturæ Inſtituta. Verbum Syneſij eſt ſub finem libri de caluitio. [Effœminati omnes; fucato comæ nitore gaudent.] Multa in eam ſententiam profert, quæ honeſtiùs apud eum leguntur, quàm hìc exſcripta referuntur, de Parthicis qui omnes comati; id quod longa exemplorum ſerie teſtatum facit Adrianus Iunius comment. de coma cap.4. Referturque eodem quod de cincinnis comæ promiſſæ affectis, olim libidinis titulis tradit Tiraquel. in lib.5. connub. & à Ros lib.9. ſing. cap.15. Neque duntaxat comati, ſpurci omnes; queis fœminas (quod eſſe non poterant) apparere & quàm maximè geſtu, inceſſu, voce referre ſtudio fuit, vt Saluianus tragicè deplorat lib.7. de prouid. non (inquam) duntaxat hæc ſpurcitiæ monſtra comata; ſed inuertit etiam Syneſius propoſitionem, & ex veteri adagio quod nonnihil truncatum referre audet honeſtatis, & pudoris gratia, addit nullum eſſe comatum, qui non ſupple malè audiat ea in parte. Quod ex vſu illius temporis à Syneſio ibi & in epiſtolà ad fratrem (vbi vt oraculum id vult haberi) pronunciatum, non alia de cauſa profero quàm vt intelligatur quis fuerit veterum, ac ipſius etiam Syneſij, & æqualium eius adagium illud vſurpantium, ſenſus de prolixè comatis.

Addebam, comæ prolixitatem inferre quoque mollitudinem & imbecillitatem, fœminæ quàm viro congruentiorem. Nam ex capitis &

cerebri firmitate, ferè pendet firmitas valetudinis corporeæ. At grauat caput coma prolixa, & euaporationem excrementorum obſtructis meatibus impediens, morbis pleriſque aditum aperit. Quod inſinuantes Ægyptij (vt Syneſius lib. de caluitio refert) Æſculapium medicinæ præſidem effingebant capillis capitis planè deſtitutum. Qui fortiſſimi inter athletas erant, capite ad cutem vſque tonſo viſebantur, vt Lucianus prodidit in amatoriis dialogis. In hanc rem multa pulchrè adducit Riolanus lib. 6. Anthropographiæ, cap. 52. Addit Syneſius exempla capitum, quorum acerui duo, post ſtragem in bello confecti ſunt, Ægyptiorum vnus, Medorum alter, inter eos enim fuerat pugna. Ægyptiorum ergo veſtita capita fragilia & vel tenui calculo forabilia, ſi quis vellet deprehenſa ſunt. Medorum verò quæ nuda & comis ac pileis deſtituta fuerant ſolida ſunt inuenta ita vt pugillari ſaxo offendi non poſſent, ſed admouenda claua eſſet. At ſingulare eſt exemplum quod tum cum Syneſius ſcribebat, eáque ipſa in vrbe, commune & omnibus perſpectum erat. [Eum hominem (inquit Syneſius,) qui in theatro diuturno iucundiſſimóque ſpectaculo plebem detinet, ſingulis Calendis ſpectare licet, ei qui primus ſubſellia ad ſpectandum occupauerit. Is non natura quidem, ſed artificio caluus eſt, eadem die ad tonſtrinas ſæpiùs ſeſe conferens, proditque coram populo, vt capitis robur, ac firmitatem oſtentet, cui nihil terribile eſt eorum quæ videntur terribilia. Quippè cum feruente pice conſſ ictatur, & cum educto ariete coniſcat, qui eminùs concinnus quadam agitatione, & capitis micatione fertur. Megarenſium quoque figlina, validò huic capiti tiliſa deficiunt: ſcinditur, contunditur, nihilque non eorum fit quæ horrorem ſpectantibus incutiunt, cum eodem capite accuratiùs quàm Attico calceo præſiliat.] Non videbuntur hæc incredibilia ei qui apud Chryſoſtomum homilia 21. in 2. ad Corinthios ſub homiliæ finem legerit, quo egeſtas, & omnium ex admiratione iniecta captandi cupiditas, mendicabula quædam adegerat ea tempeſtate, ita vt Clauis quoque in eam rem capita pertunderent. Nobis in præſentia ſat eſt agnoſcere veriſſimè dictum, infirmiora & imbecilliora reddi capita prolixitate comæ, atque adeò hominem inde molleſcere, & in fœmineam infirmitatem degenerare, etiam ſpectatis phyſicis principiis, roboris vel infirmitatis noſtrorum corporum. Quæ propterea non rarò vel qui comæ ſunt ſtudioſiſſimi, coguntur degrauare & exonerare. Sicut iuxta Tertullianum lib. de anima, Deus, cum orbis terrarum multitudine gentium grauatur, immittit luem & bella, quæ ille *cenſuras generis humani* ſcitè nominat.

Ex iiſdem verò principiis phyſicis conſtare poteſt, capillitium promiſſum, officere acumini ingenij, & præſtantiæ intellectus, quæ in hac vita ob nexum animæ cum corpore concomitanter redolet cerebri puritatem, liberationem ab excrementis obtundentibus aciem animi. Atqui ea excrementa, addenſat & aceruat coma prolixa, ob meatuum quibus vapores efferrentur, obſtructionem, & grauationem ſenſorij interni. Iure proinde Syneſius in ſermone ad Pæonium de dono Aſtrolabij, agens de verè ſapientibus expoſtulat de erroneo tunc vulgi ſenſu, circa verè ſapientes. [Etiamnum (inquit) maximè rerum abſurditati vulgus adhærens cirratos, intonſos, & omnes audaciores primos & eximios quoſdam viros eſſe cenſet. Reliqua verò magis varia & callidiora ſophiſtarum genera, tantùm non omni cultu & veneratione proſequuntur; eos præſertim qui cum clauo aut ſcipione incedunt, & ſputa ante quàm verba fundunt.] *Sectio 3. Breuitas in naturalibus.* Coma.

Hos comæ quoque prolixitate affectaſſe decus & nomen ſapientum, præmiſſum ſupra eſt. Nam ſapientiores quique tonſi erant, vel etiam raſi. Syneſius libro de caluitio, prouocat ad imagines. [Licet (inquit) eas intueri quas in Muſæo habemus depictas clarorum virorum imagines. Diogenes (inquam) illos, & Socrates, alióſque ab hominum memoria ſapientes. Caluorum theatrum conuentúmque eſſe dixeris. Ariſtotelem attonſo vertice, & recisa coma fuiſſe, ſcribit Laërtius. Marcus Antonius cognomento Philoſophus, ἐν χρῷ, id eſt vna cum tenus fuit deraſus, quem morem heroïc filius noxa, aurea coma ſuperbiens Commodus, vt alia pleraque à Patre ſapientes vſurpata, incommodus, mutauit. Pythagoreos fuiſſe attonſa coma Soſicrates prodidit libro 3. ſucceſſ. Philoſophorum. Effigies Palamedis priſci & Philoſophi, & Medici apud Philoſtratum, ad ipſam vſque cutem tonſa profertur. Quod apud eumdem Philoſtratum, Apollonius Magorum ſuo æuo facilè princeps comatus exhibetur, Syneſius ad præſtigias refert; ita vt cum comatus eſſet Appollonius, eiuſmodi tamen appareret. Sed planum illum non inuitus comatis ceſſerim. De Stoïcis notum illud Iuuenalis Satyr. 2. *atque ſupercilio breuior coma:* Et eorum auditores, Perſio Satyr. 3. dicti *detonſa iuuentus*, vt rectè legit Turnebus lib. 23. aduerſ. cap. 23. vbi ante perperam, legebatur *indetonſa:* Videndus Heraldus ad lib. 4. Martialis, epigram. 53.

Concludit vero eam diſputationis partem in hæc verba Syneſius. [Prope eſt, vt ex iis quæ dicta ſunt hactenus apta ſit orationis conuerſio; ſi quis ſapiens ſit, eum itidem & caluum eſſe oportere; qui non caluus ſit, eum neque ſapientem. Atque eodem modo in Diis & Dæmonibus ſe res habet.] Probat ex Sileno, qui glaber & caluus, cæteris omnibus Dæmonibus à Ioue prælatus eſt, conſtituto ipſo Sileno Bacchi pædagogo: Quæ cauſa fuit, cur Socrates ſui & Sileni collationem tantopere adamarit. Euidentiſſimo iſto argumento vult eſſe Syneſius [ibi demum menti ac prudentiæ locum eſſe, vnde effluxerint pili, ibíque pilos eſſe, vnde prudentia effluxit.] Præmiſerat à beſtiis quoque argumentum in hanc rem, quod placet adſcriptis eius verbis adducere. [Inter bruta animantia, quæ à ratione alieniora ſunt, per totum corpus pilis veſtiuntur. Hominis autem quia vita ſyncerior eſt, unde eſt oneris cognati pars maxima; qui ne arrogantius inſoleſceret, ſi nulla ei eſſet cum caducis, ac interituris rebus ſocietas, aliquot ſui partibus pilos habet. Quod fit vt qui vel in his paucis partibus pilis caret, hic ſi cum altero homine compararetur, tantumdem eo ſit quantum homo belluis præſtantior. Sed vt animantium omnium ſagaciſſimum iuxtà & nudiſſimum homo eſt, ita oues cæterorum omnium ſtolidiſſimas eſſe, nemo eſt qui diffiteatur; hoc autem ipſum animal eſt quod non diſtinctos diſcretóſque pilos, ſed

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

conuoluta denſitate collectos emittit. Ita eò fermè iam res redit, vt capillitium iſtud omne, cum prudentia, ſapientiaque pugnare videatur; nec enim in quoquam ſimul eſſe queunt. Quod ſi quid dicendum eſt quod venatoribus ex vſu ſit, quibuſcum nobis amicitia eſt; & illorum artis quoque peritiſſimi ſunt canes ij qui auribus & ventre glabri ſunt, villoſi; contra attoniti omnes temerarij ac venatione interdicti meliores ſunt. Cum verò ſapiens Plato in bigis illis, quorum auriga eſt anima, alterum equorum; quem improbum vocat, ſurdum atque auribus hiſutum faciat, quàm honorificè demum de capillis exiſtimat.]

Coma.

Nexum hunc prudentiæ & defectos capillitis videri poteſt inſinuare vſus antiquus, iam puberes tondendi anno ætatis 14. vt contendit Ræuardus lib. 4. Varior. cap. 15. aut quod Iunius mauult ſub annum vigeſimum; ſed Ræuardo præiuit Porphyrio in Flaccum; imo Martialis ad Phœbum, qui ideirco etiam lib. 10. ephebos vocat *pilatam cobortem*: crinitos pueros vocat Seneca epiſt. 120. cincinnatulos & calamiſtratos & comatulos. S. Hieronymus epiſt. 8. & alibi, *capillatos*; Pileatos Catullus epigr. 35. & Petronius agens de Trimalcione pila Ludente, inter pueros. Vſus ergo erat iam ephebos tondendi, & capillum ſolemni pompa conſecrandi; quaſi ad agendas gratias pro conceſſo vſu prudentiæ, & reciſione infantilium antehac & puerilium morum. Apud Plutarchum quidem in Theſeo, primitiæ tantùm comæ offerebantur, & ita ab eo factum Delphis refertur, antica tantùm capillorum parte reſecta, Abantum more. Totos tamen à vertice crines (vt Encolpo ex ephebis excedenti factum memorat Martialis lib. 1.) recidebant tunc Romani. Incommode enim aliquis ad Taciti Annalium quartum eam lectionem ſollicitans legit *tortos*: vt ſit ſenſus reciſos calamiſtratorum retortos crines. Sed nihil mutо. Idem habet de Earini liberti Domitiani coma agens lib. 9. necnon Statius, & vterque comam Earini, cum gemmata pixide & ſpeculo miſſam ad Aſclepium prædicat. Fuſè hunc ritum capillos reſecandi in exceſſu ex ephebis, eo Epigrammatarij verſiculo lib. 9. aptè notatum.

At tibi ſi dederit vultus coma tonſa viriles.

Illuſtrat Adrianus Iunius cap. 4. Commentarij de coma. Eum vſum fuiſſe nobilium Ægyptiorum, tradit Lucianus in nauigio. Eundem vero morem à Romanis tranſiiſſe ad Chriſtianos, & id genus fuiſſe filiationis, docet exemplum Conſtantini Auguſti Pogonati, qui mallones, id eſt, vellus capitis filiorum, tranſmiſit ad Benedictum ſecundum. Sicut Carolus Francus, referente Paulo Diacono lib. 6. cap. 53. Pipinum filium à Luitprando tonderi voluit, vt ei pater efficeretur reciſione & ſuſceptione capilli. Cuius ritus alibi mentio facta per Pithœum lib. 1. aduerſ. cap. 1. Nota hæc erat, perſonæ cincinnos deinceps & puerilia ornamenta cum capillitio neglecturæ, quippè quam per ætatem grandiorem, alia iam ſtudia, aliæ curæ decerent. Sicut ille Regulus Batauus apud Tacitum Annali 20. deuictis Romanis legionibus, pexam ad eam diem, & calamiſtratam cæſariem totondit, vt monſtraret ludicra ſibi deinceps oblectamenta curæ non fore. Pueri idcirco intonſi ante maturam ætatem iuxta illud Iuuenalis ſaty. 8. *ſi nemo tribunal vendit Acerſecomes*: id eſt intonſus puer, ex qua cauſa Pythios Apollo, intonſus Deus Propertio in 3. apud Pollucem & Philoſtratum dicitur Acerſecomes. Videſis Gyraldum ſyntagm. 7. hiſtoriæ Deorum. Erat ergo coma prolixa, nota imprudentiæ; reciſa prudentiæ. Et verò quis prudentiæ laude vacare non dixerit, homines deſidioſè occupatos in cura, promiſſæ comæ ex neceſſitate impendenda, ne præ hiſpiditate horreſcat? Quis imprudentiæ labem amoliatur ab otioſis illis à Seneca ſugillatis lib. de breuit. vitæ cap. 12. vbi cum ironico ſarcaſmo ait; [Quid? illos, otioſos vocas, quibus ad tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, decerpitur ſi quid proxima nocte ſucreuit, dum de ſingulis capillis in cōſilium itur, dum aut disiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illhinc, in frontem compellitur? Quomodò iraſcuntur, ſi tonſor paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? Quomodò exardeſcunt, ſi quid ex iuba ſua decīſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderint? Quis eſt iſtorum, qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam ſuam? Qui non ſollicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute? Qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior? Hos tu otioſos vocas, inter pectinem ſpeculumque occupatos?] Hæc non modò à prudentia, ſed etiam à mentis ſanitate longè abſunt. Et tamen, non poſſunt comati eam curam declinare, ni velint in Satyros, & horrentes formas degenerare.

Tot probris onerata coma promiſſa, quomodo poteſt Chriſtianum decere?] Tibi (inquit Clemens Romanus 1. Conſt. cap. 3.) qui fidelis & homo Dei es, & non licet nutrire comam, & in vnum colligere: hæc enim luxuria eſt, & mollities: neque effuſam geſtare, neque diſcriminatam, neque facere vt tumeſcat; neque eam carpendo & formando criſpare, neque flauam reddere, quod etiam lex Deuteronomij vetat Siſoëm facere, aut Anaayridas. Oportet præterea non barbam radere; neque formam hominis contra naturam mutare; ait enim lex, *non radetis barbas veſtras*: Mulieres namque vt deceret non eſſe barbatas, fecit earum autor Deus; viros contrà vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc facias, vt alicui placeas, id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris, qui te ad imaginem ſuam effecit. Si ergo placere Deo volueris, abſtine iis omnibus, quæ idem odit, nihilque efficias quod ei diſpliceat.] Quid obſcuriores quædam in iſtis voces ſonent, videndus ibi Turrianus.

Auſcultarunt fideles Apoſtolicæ doctrinæ, in qua exemplo præiuerat S. Petrus. Nam eum in diuino viſo quod refert Beda 4. hiſtoriar. cap. 14. attonſum apparuiſſe vt Clericum, proditum eſt. Cauſa veſtigatur ibidem lib. 5. cap. 22. Nec erat ea attonſio, qualis nunc ita in pleriſque, ſolius verticis in coronam nudati, ſed totius capitis; cuiuſmodi nunc eſt puerorum ſymphoniacorum corona, vt alibi annoto, & liquet ex Concilio Toletano 4, Canon. 40. Idem alij Sancti ſeruauerunt, de S. Cypriano Carthaginenſi (quem tamen cum Mago confundit, errore à Græcis

quibuſdam

quibuſdam hauſto,) Prudentius hymno 13. Cathemer. deſcribens eius conuerſionem, ait.

> *Iámque figura alia eſt, quàm quæ fuit ori, & oris.*
> *Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeuerum:*
> *Deſluæ cæſaries compeſcitur ad breues capillos.*

S. Lebuinum totondiſſe caput, vt reſectis crinibus, appareret liber crinibus, habent eius Acta cap. 4. Extant apud Surium 12. Nouembr. vbi etiam de duplici Sacerdotum corona per raſuram & tonſuram, de qua etiam S. Germanus Conſtantinopolit. in theoria rerum Eccleſ. *pag. mihi* 135. Sanctos quoſuis Monachos fuiſſe tonſos, monſtrat admonitio ſuperiùs ex Auguſtino adducta, de iis qui comati & capillati profusè, eſſe delegerant. Et confirmatur ex Saluiano lib. 8. de prouid. qui agens de nequitia Carthaginenſium & Afrorū in Monachos, ait. [Inter Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis vſque ad cutem tonſum, videre tam infelix ille populus, quàm infidelis ſine conuicio atque execratione non poterat.] Vſque ad cutem tondebantur tunc Monachi, vt vides, quamuis non radebantur: quod Clemens Alex. 3. pædag. cap. 11. omnibus Chriſtianis ſeruandum monuit. Ad rem tamen præſentem ſatis eſt, quia æquè tollitur comæ prolixitas.

Paſſim comæ tonſura pro adſcriptione in Dei familiam vſurpata reperitur. Quare S. Gregorius lib. 8. epiſt. ad Fortunatum Neapol. vetat ante biennium probationis tranſactum, quemquam in Monaſterio tonſurari; id eſt fieri planè Monachum, ita vt reſilire nequeat pro arbitrio. Et ex hoc numero in probatione verſantium, oportuit eſſe S. Placidum, cum à B. Mauro prehenſus eſt per capillitium ad vocem S. Benedicti. Cauſas vſurpatæ à domeſticis Dei reciſionis capillorum, veſtigat Bellarminus lib. de Monach. capite 40. & diligenter tractatur in Hipparcho §. 3. à numero 79. & referri eodem poſſunt, quæ egregiè de tonſura ſpirituali tradit S. Paulinus epiſt. 4. ad Senerum qui etiam de hac capilli in ſeruis Dei ad cutem cæſura, & inæquali ſemitonſione legendus epiſt. 7. ad eundem Senerum.

Contrarium & Sapientibus Ethnicis & Chriſtianis Philoſophis vſum, promittendi comam, approbarunt gentes Barbaræ, vt Getæ quorum barbaries notiſſima. Idcirco enim Claudiano lib. de bello Getico *criniger*i ſunt dicti, alibi abſolutè *capillati*, ſic enim teſtatur Iornandes in ſuorum Gotthorum ſiue Getarum hiſtoria, aſſerens ſolos Sacerdotes apud eos fuiſſe pileatos, eóque nomine appellatos, quia pileis operiebant capita; reliquos omnes à profuſione comæ dictos *capillatos*. Ex quo duci poteſt ratio, cur Concilium Agathenſe in Gotthorum prouincia celebratum ſub Alarico Gottho. Can. 15. præſcribat, pœnitentes qui comas non depoſuerint, abijci; cum tamen alibi ab iis in Eccleſia, pœnitentes, quippè in luctu verſantes, intonſi eſſent, vt diſertè habet S. Iſidorus lib. 2. de offic. Eccleſ. cap. 16. & apertè quoque tradit S. Columbanus in ſuo pœnitentiali, ac Ordericus Vitalis lib. 8. Eccleſ. hiſtor. Et fortaſſis hanc ob cauſam S. Hermogenes vt eſt in Actis S. Menæ 10. December. in ſuſceptione Baptiſmi comam reſecuit, quia pœnitentia Baptiſmo præmittebatur. Inter Gotthos ergo, vbi capillitium promiſſum, erat nota nobilitatis & gloriæ, iubebantur pœnitentes comam ponere, quam alibi tanquam ominoſam, & luctus indicem nutriebant, contra quam ferebat ſenſus Getarum crinigerorum. His Scythis, Gallos, id eſt Germanos conterminos, adiungit Clemens Alex. lib. 3. pædag. cap. 3. horribiles in bello comæ prolixitate, & profuſione capillitij ſic deſcribens. [Ex gentibus quidem, Galli & Scythæ comam nutriunt, ſed non ſe immodicè colunt. Et terribile quidem quid per ſe fert denſum Barbari capillitium, & flauus ille color bellum minatur, vt quæ videatur cognationem habere cum ſanguine.] Quantum tamen horribilitatis ex capillitij profuſione accedit bellanti, tantùm aliundè incommodi, ea faciliore per hoſtem prehenſione accedit. Quod agnoſcentes Græci qui ſub Alexandro militabant, comas reciderunt. Audi Syneſium in caluitij encomio. [Experientia edocti, pilos ſummo militibus eſſe detrimento, publicitùs iaſi, Deo, fortunáque, & virtute auſpice, de ſumma rerum dimicarunt. Euſmodi autem damnandorum pilorum fuit occaſio, vt Author eſt Ptolomæus, Lagi filius, qui cum rebus geſtis interfuiſſet, rei veritatem non ignorauit: & quia Rex dum hæc ſcriberet, fuit, nequaquam mentitus eſt. Macedo quidam ſubmiſſa mirum in modum cæſarie, aliáque denſiſſima barba, Perſam adoritur: hic quamquam in tanto diſcrimine conſtitutus, ſeſe colligens, ſcuto haſtáque abiecta, quaſi haud idonea eſſent aduersùs Macedonem arma, obuiam proſilit, cominúſque hoſte intra ipſius arma occupato, barba comáque prehendens, militem crinibus piſcis inſtar attractum citra pugnam proſternit, proſtratúmque educto acinace confodit. Vidit hoc alius Perſa, ſtatímque alius, & alius, omnéſque ſubinde clypeis abiectis, alium alius crinitorum eiuſmodi interceptum, patentibus campis inſecuti ſunt; ibat enim per totum agmen Perſarum quaſi teſſera quædam, homines crinibus arreptos, facilè expugnari. Soli igitur (vt veriſſimile eſt) quotquot in Alexandri acie calui erant, in ordine permanſerunt. Dum hæc geruntur, Rex in ſumma conſilij inopia conſtitutus eſt, cum nudis cedendum ſibi eſſet, cui vel armati reſiſtere non poſſent, iamiámque futurum erat, vt pudendo belli coitu oppreſſus Alexander in Ciliciam pedem referret, ſeſéque ridiculum Græcis omnibus præberet, inſana capillorum affectatione ſuperatus. Verùm vt erat in fatis, Heraclidis Achæmenidas imperij ſceptra dedituros, claſſico receptui cani iubet, longiúſque abducto exercitu, ac opportunè poſitis caſtris, tonſores immittit; atque hi quidem muneribus à Rege pellecti, paſſim Macedonas omnes, nouacula detaſerunt. Dario verò, Perſiſque deinceps pro voto res non ſucceſſit: ſublata enim prehendendi anſa, cum multo ſuperioribus, iniquo certamine congrediebantur. Quamobrem coma ipſa, neque terribiles vt ſint, neque vt videantur, facit, niſi infantium fortè ſpectra, terriculaque eſſe velint.]

Concluditur ex omnibus antedictis, prolixitatem

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Coma.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus. tatem comæ eſſe viro merum grauamen capitis, & dedecens ornamentum. Quod non diffitentur qui laudant comam. Neque enim *coma* nomine quidquid ex Donato tradat Iunius cap. 1. Commentarij de coma, ſemper intelligitur pro-
Vestis. miſſum capillitium, ſed abſolutè tegmen capitis à pilis etiamſi tecſis, dummodò cutis non appareat. Itaque remouentes longam & prolixam comam, non tenemur ſubſcribere Syneſio, caluitium ingenioſiùs quàm fortiùs & veriùs celebranti: quod item factum metrico opere ab Hugbaldo Monacho ad Carolum Caluum quem memorat Tritemius in opere de ſui ordinis ſcriptoribus. Opus eſt 133. verſuum heroïcorum, quorum ſingulis vocibus initialis eſt *C. litera*. Extat ea ſcriptio metrica, pridem cuſa, in Collegij Lugdun. Soc. IESV Bibliotheca. Non tenemur item amplexari raſuram ad cutem vſque, quam Sacerdotes Ethnicos vſurpaſſe, Author eſt Hieronymus in cap.44. Ezech in cuius locis difficilibus, plenè id excutit Franciſcus à Meſſana, V. *barba* & Veloſillus q.9.

IX. *Veſtis oblonga venerabilis, & propria ſapientum.*

PAllium Philoſophorum ad talos vſque fuiſſe demiſſum, notauit Elias Cretenſis ad orat.4. Nazianzeni; circa illud quod ibi habet Theologus de Philoſophis, qui profundas barbas geſtant, ac ſcitum & venuſtum pallium trahunt. Hanc tractionem Elias accipit de pallij ad terram vſque longitudine. Chriſtianorum item Philoſophorum oblongam fuiſſe veſtem inde liquet, quod S.Ephrem.tract. de abſtinendo, improbat in Monacho veſtitum ſupra crura ſubſtrictum. Eiuſmodi enim veſtis redolet inuerecundiam, eóque nomine in Lacænis mulieribus damnatur à Clemente Alexandrino 2. pædag.cap.10.Chriſtus ipſe qui totius ſanctimoniæ fons & exemplar fuit, Apocal.1. apparuit veſtitus podere, id eſt veſte oblonga corpus vniuerſum tegente, & ad talos vſque demiſſa; vnde *talaris* dici ſolet; & iuxta S.Gregorium 1.mor. cap.vltimo, ſignificat perſeuerantiam. Sic enim ſcribit de Polymita Ioſephi tunica. [Ioſeph qui inter fratres, vſque in finem iuſtus perſeueraſſe deſcribitur, ſolus talarem tunicam habuiſſe perhibetur. Nam quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata? Quaſi enim protenſa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos vſque ad vitæ nos terminum tegit.] Expreſſit iſta Author ſermonis octaui ad fratres in Eremo, referens eodem tunicam Sacerdotalem, ad pedes vſque pertingentem. Clemens Alex.2. Pæd.cap.11. veſtem Chriſti talarem, vt floruleutam laudauit. Eccleſia in ſacris perſonis amplexa eſt eam veſtitus formam, tanquam auguſtiorem & pleniorem reuerentiæ, ac opportuniorem pudori & honeſtati. Perſæ ſanè quos obſeruantiſſimè pudenda quæque declinare tradit Ammianus lib.23. extremo, ita vt neque ſtando mingentem, neque ad requiſita naturæ ſecedentem, facilè viſum quandoque Perſam teſtetur; iſtiuſmodi oblongæ veſtis vſum idcirco, probaſſe videntur. Ait enim Ammianus, inter calceos & verticem nihil in eis apparuiſſe intectum, licet veſtium ſinus & latera diffuſa, relinquerent flatibus agitari ventorum. In quam rem plura Briſſonius lib.2. de regno Perſ.

§. 2. *Veſtis oblonga in viro cum lege præſcripta non ſit, impendium, impedimentum; vel etiam turpitudo.*

SEponuntur hoc loco veſtes fœmineæ, quarum longitudinem neceſſaria ſecretio à virili ſexu indicit. In virili igitur veſtimento, longitudo inprimis infert diſpendium, ex neceſſariis maiore panni quantitate, & faciliore ob prolixitatem detritione, quam inſinuant illa Tertulliani lib. de pallio num. 85. [Prorſus ſi quis Mæandrico fluxu delicatam veſtem humi protrahat, audiat ponè ſe quod & Comicus, *qualem demens iſte chlamydem diſperdit?*] Sed hoc damnum à veſte oblonga, viro honeſto non ſit tanti.

Eiuſdem impedimentum eſt per ſe manifeſtum in omni ferè operoſa & virili apta actione, ſed nominatim ad bellandum. Vnde Herodianus lib.4. ſemel ac iterum tradit, Parthis infeliciter ceſſiſſe prælium, eo quod oblongis veſtibus vterentur. Eſt verò belli præludium aut præexercitamentum venatio, vt dico lib.5.de virtut. num.54.& lib 6.num.200.poſt Platonem in Sophiſta & Theæteto, Tullium 2. de natura Deor. Athenæum lib. 1. dipnoſoph. & Pollucem in præfatione libri quinti. Itaque ad eam quoque belli meditationem, valdè incommodat veſtis oblonga, vt Oppianus admonet libro 1. Cyneget. verſu 97. & 103. Incommodiſſimus item eſt vſus veſtis oblongæ ad decurrendam viam, & iter faciendum. Vnde Hebræi migrantium ſpeciem referentes, inter comedendum agnum, iubebantur renes accingere, id eſt veſtem ſubſtringere, vt ſignificaretur expeditio ad iter. id quod etiam ſpectabat Chriſtus, monens ſuos vt eſſent præcinctis lumbis, hoc eſt veſtem haberent fluxam, quæ iter agentibus impedimento eſſet, vt Tertullianus eſt interpretatus lib.4. in Marcionem, cap.9. Nec id oblongæ veſtis incommodum, omiſit lib. de Pallio cap.5.ſic ſcribens. [Conſcientiam denique tuam perrogabo, quid te priùs in toga ſentias, indutúmne an onuſtum? habere veſtem an baiulare? Si negabis, domum conſequar. Videbo quid ſtatim à limine properes. Nullius profectò alterius indumenti expoſitio, quàm togæ gratatur.] Id eſt nihil gratatur, ſiue gratius eſt magis, cum primùm venitur domum, quàm abiectio togæ, præ impeditione qua grauat: *Expoſitionem* enim hîc pro *depoſitione* accipi perſpicuum eſt, & ſæpè eodem modo vſurpatur à S. Cypriano. Grauat ergo & impedit iter agentem veſtis oblonga. Et idcirco Apuleius Apolog.1. vt monſtraret, diuitias iuſto maiores grauare, contra Æmilianum, qui paupertatem exprobrarat, ait de Claudio Maximo. [Erras Æmiliane, & longè huius animi fruſtra es. ſi eum putas, Fortunam velut tunicam, magis concinnam quàm longam probare: quippè etiam ea, ſi non geſtetur & trahatur, nihilo minùs quàm lacinia prependens impedit & præcipitat. Etenim in omnibus ad

vitæ

vitæ munia vtendis, quicquid aptam moderationem ſupergreditur, oneri potiùs quàm vſui cauberat. Igitur & immodicæ diuitiæ, velut ingentia & enormia gubernacula, faciliùs mergunt quàm regunt quod habent irritam copiam, noxiam nimietatem.] Meritò itaque grauationem & impeditionem in veſte oblonga agnoſcebat Tertullianus.

Turpitudinem denique eiuſdem oblongæ veſtis, una ibidem attingit Tertullianus, vocans calceos togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam. Non eſt inuerisſimile, Tertullianum calceos dixiſſe *togæ tormentum*, id eſt tetrimenum: Tamen omnes codices legunt *tormentum*, nec malè; Calcei enim perpetuò lutulenti, aut ſaltem puluerulenti, afficiant ſordes ſuas veſti prolixæ, quæ etiam cœnum contrahit ea improuido ſoli contactu, per ſyrma verrens, ac veſtem non reductam.

Taceri non poteſt alia oblongæ veſtis in viro turpitudo, quam credimus Cyprianus ſermone de ieiunio, deſcribens regnum malitiæ, his verbis exagitat. [In domo huius Regis, ſunt qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes capillis muliebribus ſe in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non ſine iniuria dehoneſtant.] Athenienſibus hanc nequitiam tribuit Clemens Alexandr. 2. Pædag. cap. 12. verbis illis. [Athenienſium principes qui eiuilem vitæ formam expulerant, togæ virilis obliti, aurum geſtabant, & talaribus tunicis amiciebantur: Crobulo (quod eſt veſtimenti genus) aureo induebantur, adiunctis cicadis ornati, otium ſuum tenera terreſtrem Cynædico quodam faſtu, & arrogantia monſtrantes. Horum autem Principum æmulatio ad alios quoque Ionas peruaſit, quos Homerus eſſe effœminatus oſtendens, vocat ἑλκεχίτωνας hoc eſt *veſtimenta trahentes.*] Milites in feſto Calendarum de huius turpitudinis infamia, notat Aſterius homil. de eo feſto. [Nonne (inquit) velato ore in fœminam degenerat, ille fortis, ille animo præſtans, ille in armis ſuis admirabilis, hoſtibus formidabilis? Tunicam ad talos demittit, Zonam pectori circumuoluit, calceamenta muliebria ſumit, & more fœminarum capiti crobylum imponit; quin etiam cum lana colum circumfert, dextráque filum ducit, qua trophæum antè tulit, ſpiritúmque & vocem in acutiorem & muliebrem ſonum extenuat.]

Pax pudicorum luminum præfanda eſt, ea relaturo quæ in eam ſententiam aduerſùs Romanos iam Chriſtianos exagitat Saluianus libro 7. de prouid. Et quamuis ambiguum videri poteſt, de Afriſne qui item Romani, hoc eſt Romano imperio obnoxij dicebantur, an de ſpecialiter dictis Romanis, tradat quæ nunc referam, vt tamen Romam mundi verticem ab eo denotari cenſeamus, facit, quod de vrbe agit Eccleſiaſtica, quondam ab ipſis Apoſtolis inſtituta, quæ in Carthaginenſem vrbem non quadrant. Ait ergo Saluianus, aliquid ſupra fornicationum ſordes turpe, geſtum illuc eſſe, quod ſic exprimit. [In vrbe Chriſtiana, in vrbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis Martyres coronarant, viri in ſemetipſis fœminas profitebantur; & hoc ſine pudoris vmbraculo, ſine vllo verecundiæ amictu; ac quaſi parùm piaculi eſſet, ſi malo illo malorum, tantum inquinarentur Autores, per publicam ſceleris profeſſionem, fiebat etiam ſcelus integræ ciuitatis: Videbat quippè hæc vniuerſa ciuitas, & patiebatur.] Et mox. [Quis credere aut etiam audire poſſit conuertiſſe in muliebrem tolerantiam viros non vſum ſuum tantùm, atque naturam, ſed etiam vultum, inceſſum, habitum, & totum quidquid penitùs aut in ſexu eſt, aut in vſu viri? Adeò verſa in diuerſum omnia erant, vt cum viris nihil magis pudoris eſſe oporteat, quàm ſi muliebre aliquid habere videantur, illic nihil viris quibuſdam turpius videretur, quàm ſi in aliquo viri viderentur.] Et inferiùs.] Vniuerſa Romani nominis dignitas, facinoris prodigioſi mouebatur infamia. Cùm enim muliebrem habitum viri ſumerent, & magis muliebrem gradum fingerent, cum indicia quædam ſibi monſtruoſæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent, atque hoc publice in ciuitate Romana, vrbe illic ſumma & celeberrima; quid aliud quàm Romani imperij dedecus erat, in medio Reipublicæ ſinu, execrandiſſimum nefas palam licere admitti?] Inſigniter de miniſtris Iſidis id tradit Tertullianus carm. ad Senat. Apoſt. cap. 1.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Veſtis.

Horreamus & refugiamus longiorem in his propudiis veſtis oblongæ in viro moram. Huiuſmodi ſtolam, adeò eſſe veſtem muliebrem, vt quæ ſine ea produſſet mulier, pro ſtupro plecteretur Lentuli Auguris conſultis, Tertullianus Autor eſt lib. de pallio cap. 4. & ſubſannatos Romæ Aſros qui veſtem talarem inducrentur, tanquam veſtem matronarum propriam vſurpantes, his verbis docet Seruius ad illud libri 8. Æneid. *Diſcinctos Mulciber Afros.* [Habitum eorum oſtendit qui vſque ad talos fluebat. Quod Plautus in Pænulo ridet, dicens; quæ eſt illa auis? cum Afrum vidiſſet, veſtem demiſſam trahentem.] Memini etiam Palæphatum lib. de fabuloſ. narration. cap. de Amazonibus, negare fuiſſe vnquam Amazones quales iactatum eſt, fœminas bellatrices. Sed donatos eo nomine eſſe viros barbaros, [Qui oblongas veſtes & ad talos vſque demiſſas ad inſtar Thracenſium mulierum gerebant, comámque mitris continebant, ac barbas radebant.] Tales enim videntur fœminæ. Sicut Nerò ob cauſas proportionales dictus eſt *Neronia* & *Domitia* vt ex Bunduicæ Britannæ ſcommate refert Dio Caſſ. lib. 62. Malè item hoc nomine audierunt olim Maſſilienſes, quod talares veſtes vnguentis obliti inducrentur. Qua de re Suidas V. *ἐκ μασσαλίας ἥκεις*, & Athenæus lib. 12. Videndus Eraſmus, Adagio, *ex Maſſalia veniſti*: & adagio, *nauiges in Maſſiliam*: vbi quæ ea fuerit Maſſilia, & an potiùs Maſſylia Maurorum vel Maſſalia legendum ſit, fusè diſquirit. Non adeò igitur viris Romanis in vſu primùm erant ſtolæ vt procul amandarent qui huiuſmodi veſtium prolixitate redolerent mollitiem ſexus ſequioris. Nam veſtis talaris habebatur mulierum propria & ideò apud Romanos flagitioſum cenſebatur ac probroſum vti ea veſte, vt tradit S. Auguſtinus lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 12. & Seruius ad illud 9. Æneid.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sectio 3. *Breuitas in naturalibus.*

Vbi Varronem idem vituperantem adducit. Æquè Fabius lib. 1 s. *initio*, agnoſcit talarem veſtem eſſe mulierum propriam. Et idem ſeitè expreſſit Iuuenalis Satyr. 6. vbi de muliere doctrinæ decus affectante, ait.

Veſtis.

> *Crure tenus medio, tunicam ſuccingere debet,*
> *Cadere Syluano porcum, quadrante lauari.*

Quandoquidem enim quod virorum eſt præſtare volebat, mulier quid fœminam deceret deſciens, Autor eſt, vt veſte breui & crure tenus medio ſuccincta, vteretur, vt viri faciunt; itémque vt Syluano ſacrificaret, cui ſacrificio adeſſe ſolos viros licebat; & more pauperum Philoſophorum quadrante lauaretur; annumerans (vt vides,) veſtem breuem, aliis quæ ad viros duntaxat, non etiam ad fœminas pertinent. Et è contrario, veſtis talaris mulierum propria habebatur, non virorum; niſi ſi quando aliud extorqueret neceſſitas tegendorum pedum; Cum enim tibialibus non vterentur, vt Pancirolus notauit in Antiquis deperditis cap. de fibula, interdum tegendorum pedum neceſſitas extorquebat oblongæ togæ vſurpationem: Sic enim Plutarchus Tullium ad pedes tegendos quos variſcos habebat, oblonga toga vſum deſcribit. Extra huiuſmodi aliquam neceſſitatem, adeò oblonga veſtis, vt talos attingeret, & pedes tegeret, inſolens fuit priſcis Romanis, quandiu eos Afra mollities poſt Afros domitos non domuit.

Aliud in oblonga veſte probrum, notatum quandoque deprehendo. Sic Clemens Alexan. l. 2. Pædag. cap. 11. [Trahere veſtes ad ſummos vſque pedes demiſſas, valdè eſt arrogans & ſuperbum quod ambulandi actionem impedit; cum veſtis inſtar verriculi, quæ in ſoli ſunt ſuperficie ſordes ſecum attrahat: ne fractis quidem & eneruatis his ſaltatoribus, qui Cynædicam turpitudinem mutatam in ſcenam transferunt, veſtem cum tanto dedecore diffluentem deſpicantibus: quibus exquiſitæ veſtes, fimbriarúmque dilatationes & curioſi figurarum numeri, illiberalem ac ſordidam ſyrmatum mollitiem indicant.] Item eruditus Proſper lib. 2. de vita contempl. cap. 4. in quibuſdam ſacris perſonis illum næuum ſugillat, dicens. [Taceo de illis qui vndante lapſabundi corporis motu, defluentibus in talos veſtimentis incedunt; & vagis laterum flexibus quodammodò fluctuantes, animorum diſſolutionem veſtigiis ſinuoſa mobilitate nutantibus produnt.]

Erat ergo partus ſuperbiæ & faſtus in nonnullis, ille veſtium oblongarum vſus, quo ſolum verrebant, vt etiam S. Ambroſius expoſtulat lib. 5. in Lucam ad illud, *hominem mollibus veſtitum*, de iis agens qui tectis veſtigiis ſericas veſtes terram verrentes trahebant. Et haud dubiè non aliò ſpectabat illorum. Tornacenſium vſus, quem Rathbodus Epiſcopus anno 1092. graſſante immani peſte correxit, vt habet tabularium Eccleſiæ Tornacenſis exſcriptum à Stellartio lib. 2. de coronis cap. 11. [Facto cunctis (inquiunt Acta) generali ſermone, omnibúſque nimium perterritis, pluſquàm mille iuuenum comas totondit; veſtéſque per terram defluentes, & libidini potiùs quàm neceſſitati ſeruientes, præcidit.] Nihil eſt in actis quod inſinuet præciſas fuiſſe fœminarum iuſto longiores veſtes. Itaque de virorum oblongis veſtibus dictum videtur; ſeruiſſe libidini, id eſt luxui & oſtentationi, quam per tempus illud bellantis Dei repellendam ea ratione cenſuit optimus Antiſtes. Eſtque veriſimile tunc temporis viros talibus veſtibus vſos, cum referatur apud Philippum Abbatem libro de continentia Clerico. cap. 5 s. alicubi per illud tempus viros quoque excluſis fœminalibus, vſos oblongis veſtibus, antè & retrò clauſis: ſubtúſque duntaxat apertis in ora laterali. Vanitas ergo & pompa ſolum longo ſyrmate verrentium, potuit Rathbodum mouere ad eam veſtium iuſto longiorum nonniſi gloriæ ſeruientium reciſionem.

Quid quod veſtis oblonga præſertim fluxa, ſymbolum eſt vitæ voluptuariæ, quam par ſit recidi, vel adhibito cingulo reſtringi? Audi Nyſſenum libro de vita Moſis exponentem ritum manducationis Agni, ſignificantem vitam puram & ſanctam. [Ad hanc vitam faciendam talaris veſtis & effuſa, id eſt voluptuoſa & vitioſa viuendi ratio, quæ latiſſimè patet, nimiúmque effunditur impedimento eſt. Quare cingulo quodam ſurſum trahenda eſt, & coarctanda, ne huc & illuc circumfluat. Cingulum verò modeſtia eſt, & diligens viuendi ratio, quæ nos monet ad neceſſitatem, non ad voluptatem rebus vti.] Apud Iuonem Carnotenſem, ſerm. de adulterino habitu virorum ac mulierum, ſic habetur. [Impudicus habitus corporis, eſt in viris ſuperflua & inordinata capillatura, veſtimentorúmque muliebrium affectata ſimilitudo; calceamentorúmque metas neceſſitatis excedens ſimulata longitudo.] En inter notas impudici & merſi voluptatibus animi, veſtium longitudo, ad muliebris veſtimenti longitudinem accedens.

Metrum omnium optimum, vt neceſſitati non voluptati veſtis ſeruiat, neque honori; quod Sanctus Ambroſius lib 5. in Lucam, ad illud, *ecce qui mollibus veſtiuntur*, noſtro vitio inuectum quærebatur; cum enim veſtis ſit excogitata vt arceret nuditatem, ſicque aduersùs aëris iniurias eſſemus tuti, & verecundiæ proſpiceremus; neceſſitas facta eſt porta, per quam ſubiret vanitas: de quo expoſtulantem quoque memini Gregorium Nyſſenum homil. 3. in Eccleſ. & orat. de mortuis *ſub finem*; Præiueratque Philo, altero libro de ſomnis *pagina mihi* 862. Subiuit inquam per neceſſitatis oſtium vanitas circa veſtes, tum quoad colorem & materiæ pretium, tum quoad amplitudinem & longitudinem. Cui malo proſpectum volens Tertullianus libro de Pallio; ſtatuebat, vt veſtes neque ſupra genua inuerecundæ eſſent, quæ nimia breuitas foret; neque trans crura prodigæ: id eſt, longitudine nimia improbandæ: quin potiùs quantum vſus receptus & decentia; vel præceptum myſticam aliquam ſignificationem ſpectans patitur, breuitas præeligenda eſt, non autem refugienda. In quem ſenſum Lælius Biſciola tomo ſecundo, ſubſec. libro decimo ſexto, capite 8. numero ſeptimo, accipit concilium Gangrenſe cap. 12. damnans anathemate Euſtathianos Monachos, qui palliati incedebant, & ſugillabant vtentes Byrrhis, id eſt breuiore indumento quàm eſſet pallium longum, & latum; proindéque

diffluens,

diffluens, quo ipſi vtebantur. *Byrrhum* tamen Zonaras, & Balſamon ad eum canonem, pro veſte ſerica accipiunt: quo ſenſu Canon ille ad rem præſentem non faceret.

XI. *Mora non exigua in refectione corporis, & congrua & neceſſaria.*

QVi adeò breues ſunt in corpore reficiendo, vt tanquam Hebræi comedant agnum feſtinantes, non tam comedere quàm vorare dicendi ſunt, nec vno modo ſibi incommodant. Ac primùm fraudant ſe ferè ſenſu ſaporis, idcirco à Deo cibis conſerti, vt ſuauius, vnáque fructuoſior ſit perceptio. Operibus enim ad indiuidui vel ſpeciei conſeruationem neceſſariis, Deus admiſcuit delectationem; non modò ne ea opera intermitterentur, (quod plerumque accideret, ſi iſtiuſmodi calcar deeſſet,) ſed etiam vt abſque faſtidio fierent, sicque perfectiùs obirentur. Quæ cauſa eſt, cur magnæ inſulſitatis damnandi videantur, qui ſpecie pietatis, grato ſenſu ſapidorum ſe fraudant pro viribus inter comedendum, aliquatenus fruſtrantes Dei conſilium, qui eo fine ſaporem cibis immiſit, & guſtui obiecit, vt perciperetur. Æquè autem qui præpropere comedunt, vorantes potiùs quàm edentes, nec ſuauitantes eſcam perceptam, priuant ſe honeſta illa cibationis appendice.

Præterea ea præfeſtina cibatio excludens moram non modicam, tedolet hominis in cibum effuſi ingluuiem, vixque caret pleriſque ſordibus, & immunda conſpurcatione aliſcentium omnium; hoc eſt tum veſtis, tum mantilium, atque mapparum: lucúmque circa huiuſmodi lurcones habet, quod à Clemente Alexandrino ſcriptum eſt lib 2. pædag. cap. 7. *ad finem*, nonnullis hominibus, idem eſſe præſepe, & ſterquilinium; ſicut bobus & aſinis. S. Iudas hoc aliter dixiſſe verbis illis, *in epulis ſuis maculæ.* Honeſtati item & vitæ ciuili ſeruitur, per eam in menſa remoram, quæ aliis negotiis non officiat. Sic Bernardinus Gomeſius l. 3. de Sale à num. 52. ſecularibus non opificibus, duas horas ad menſam præſcribit, ad veſcendum vnam, alteram ad colloquendum.

Ad ſanitatem verò dici non poteſt, quantoperè conferat, imò quantoperè neceſſaria ſit longa in comedendo mora. Nam prima cibi digeſtio, iuxta vulgare pronunciatum, in ore peragitur. Cibus enim quem ad vitæ ſuſtentationem vſurpamus, primùm in os immittitur, vt ibi tanquam in piſtrino molatur & in ſpeciem farinæ contundatur. Tum potu addito, pinſitur in ſtomacho; ac demum partim ibi, partim in hepate tanquam in clibano coquitur. Comparationes ſunt Meletij lib. de hom. ſtructura *pag. mihi* 36. Sicut ergo granum, niſi in piſtrino molitum, non poſſet in mactra ſubigi, vt neceſſe eſt ad panis confectionem; ita neque cibus poſſet per chyloſim & hæmatoſim aptari in alimentum proximum, niſi præceſſiſſet eiuſdem bona atque adeò longa contritio in ore. Et inde fit, vt calor natiuus in ſtomacho poſſit faciliùs & meliùs in alimentum iam ſubactum agere, vt Philoſophus diſertè annotat. 2. de part. cap. 3. monens cibi per dentes commolitionem, inſtitutam eſſe in leuamen ventriculi. Vnde 3. de partibus cap. 4. admonet, animalia quæ huic muneri per dentium primum laborem non ſatisfaciunt, vel multos ventres accepiſſe, vel ruminationem aut aliquid aliud quod circa aues variè denominatur. Videndus Philoſophus 9 hiſtor. cap. vltimo, & Mercur. 5. var. cap. 13. & ſequentibus. Cum igitur homo his ſupplementis commolitionis ciborum in ore factæ deſtituatur; non eſt dubium quin tranſmiſſio ciborum ad ſtomachum, abſque debita manſione in ore, præ feſtinatione vorante potiùs quàm aſſumente edulia, magnam perniciem homini ereet; quia vis concoctiua multùm poſtea laborabit in frangenda cibi malè per dentes commoliti contumacia: commolitio autem per dentes, vt accuratè fiat, lenta eſſe debet; atque adeò non cohæret cum breui mora in corporis refectione.

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Refectio.

Huic damno auertendo, proſpicientes viri Sancti, quibus ſtudium non erat carnis curam facere in deſideriis, vel propter eſcæ ſuauitatem menſæ tempus extendere, tempus tamen ſatis longum addixerunt corporis refectioni; ita vt aliqui ad binas horas id tempus diffudiſſe legantur. Sic Climacus gradu 4. agens de Abbate Laurentio, quem præfectus Monaſterij initio prandij auocauerat à menſa, & coram ſe ſtare fecerat, ait eum hæſiſſe in tali gradu, prolixam horam, atque fortaſsè duas. Hora item vna pro refectione ſolitario aſſignatur à S. Baſilio epiſtol. ad Gregorium de vita ſolitarij.

§ 2. *Breuis ad menſam mora, eius eſt qui de ſpiritu potiùs ſaginando ſollicitus, torporem à crapula iniiciendum anteuertit.*

SApienter Chriſtianus pædagogus lib. 2. cap. 7 allegato Siracide cap. 31. longas menſæ moras recidendas præſcribit, tribuens modeſtiæ ſeu temperantiæ, necnon diſciplinæ, id eſt modeſtiæ à diſciplina præſcriptæ, ante multos ſurgere, & conuiuio excedere, ac ſe oſtendere alienum ab affectione, id eſt ab acriore comedendi cupiditate, diuturnum accubitum poſtulante. Nec immeritò diſciplinæ tribuitur reciſio morarum ad menſam. Nam quo quis diutiùs ad menſam hæret, diutiùs gulam prouocat ad effringenda modeſtiæ repagula, & profligandam morum in homine diſciplinam. Quidquid ad modeſtiæ ſiue temperantiæ fines retinendos, vſurpandus eſt modicus cibus, cui longa mora in menſa non eſt neceſſaria? Et inde etiam creſcit libertas, à nebuloſitatibus quibus longa cibatio obducit cerebrum: vnde conſequetur opportunitas ad diuturniorem animi cibationem per intelligibiles epulas, ad quas nemo non videt ineptos eſſe comeſſatores illos, qui ſolidos dies in menſa exigunt, quibus Deus venter eſt, & aqualiculus altare, ac pulmo templum, vt de lurconibus dixit Tertullianus lib. de ieiunio cap. 16.

Recolendum etiam opportunè hic eſt, iuſſum diuinum ad Hebræos agnum comedentes in cœna typica. Quia enim per eam cœnam

Sectis 3. recolebant tranſitum ex Ægypto ; ideóque ſumebant cibum perindè atque iter facturi, vt minùs ſibi hærendum in menſa aduerterent, iubebantur ſtantes comedere, vt rectè docent Philo lib. de ſacrificio Abelis. Nyſſenus lib. de vita Moſis *ſub medium*. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. & homil. 23. in ad 1. Epheſ. Macarius Chryſocephalus orat. de Crucis exalt. & ex recentioribus Vvalterus cœna 1. cap. 9. nequicquam reclamantibus Ribera lib. 5. de templo, cap. 3. num. 45. Baronio anno 34. Suare tom. 3. p. 3. d. 41. ſ. 2. & Baſilio Legionenſi opuſc. de temp. immolat. Agni typici c. 38. quos reieci in tractatione de Iuda cap. 9 n. 18 Cur autem ſtantes Iudæi comederent in ea cœna, ratio erat, quia comedebant ſpecie viatorum, quorum non eſt diu ad menſam hærere. Vndè ſi maturandum ſit, & abeundi cauſa vrgeat, non recumbunt, vel accumbunt menſæ, ſed ſtantes cibum neceſſarium cum feſtinatione deguſtant. Atqui omnes ſumus hîc viatores, vt S. Gregorius pulchrè tradit 15. Moral. cap. 27. ad illud, *interrogate quemlibet de viatoribus*. Omnes peregrinamur quamdiu hîc à vera patria extorres vagamur, quo nihil in Scripturis aut Patribus frequentius. Et plenè in eandem ſententiam Gretſerus lib. vltimo de ſacris peregrinationibus. Itaque ſtantes potiùs quàm accumbentes cibari debemus, ne moras longas ad menſam nectere, conciliata per ſeſſionem quies inuitet.

Breuitas in naturalibus.

Somnus.

XI. Longior ſomni vſura, vires meliùs inſtaurat, ſenſus vegetat, vigorem conciliat, membráque ad exquiſitius animæ miniſterium accommodat.

SOmnum *naturæ portum* ſcitè vocat Iſid. Peluſ. lib. 3. epiſt. 199. Id quod aliter dixerat Tertullianus lib. de anima cap. 43. aſſerens eſſe ſomnum, [tam vtilem, tam neceſſarium, vt abſque illo nulla anima ſufficiat ; recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum ; cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.] Quæ omnia ſomni breuitati aduerſantur. Neque enim medicari corpori poterit, illúdve reficere, ſi perbreuis ſit, & qui vix nomen quietis mereatur. Reparatio ſiquidem ſpirituum, & negotiatio circa cibum coquendum, ac homini aggenerandum ; quæ ſunt ſomni beneficia, feriantibus interim ac per illud iuſtitium, ſpiritus aliò non auertentibus externis ſenſibus, neceſſariò exigunt notabilem ſomni moram : quæ ſi negetur, & ſomnus valdè recidatur, corpus ſcatebit crudis humoribus, & per ſpirituum in vigilia aſſumptorum nec reparatorum egeſtatem, ſenſus omnes marceſcent, atque flacceſcent. Vnde quod rectè aduertit Galenus lib. 7. methodi medendi. & lib. 3. de ſanit. tuenda, ſæpéque alibi, vitæ corporeæ, & omnium eius functionum oblæſio exiſtat neceſſe eſt. Quin etiam functionum quoque ſpiritualium labefactatio conſequetur ; quandoquidem functiones ſpirituales, per naturalium facultatum ſymphyſim, & miniſtrationem intellectus in anima cohærente corpori, nexum aliquem habent cum actionibus corporeis ; & his oblæſis, læduntur & ipſæ, vt docent phrenetici & deliri qui mentis ſtatu præ corporis vitio exciderunt.

Hoc agnoſcentes viri ſanctiſſimi & ſapientiſſimi, illos in corpore vigiles fere perpetuos, (ac nominatim S. Arſenium cuius ſomni parcitas prodigioſa videri poteſt,) non ſunt æmulati, perſpectam habentes infirmitatem noſtram, ſed horas non paucas ſomno dederunt. Nolo in hanc cauſam aduocare Sanctos ſomni longiſſimi, quales fuiſſe putantur ſancti ſeptem Epheſij, qui per annos circiter ducentos, dormierunt ſomnum admodùm longum, vt Cedrenus anno 23. Theodoſij, & Nicephorus lib. 14. cap. 45. cenſuerunt, & ex viſo S. Eduardi, Malmeſbur. lib. 2. de geſtis Reg. Angl. cap. 13. ac Aëlredus in ſancti viri Actis, necnon Sigebertus anno 447. Memorantur etiam ſeptem alij ſimiliter longiſſimi ſomni dormientes, à Gregorio Turonenſi epiſt. ad Sulpitium ; qui iidem videntur eſſe cum germanis illis quos Paulus Diaconus refert lib. 1. de geſtis Longob. cap. 3. Hos inquam dormientes huc non aduoco, quia rectè opinatus eſt Gregorius Turonenſis, eos non ſomni, ſed mortis dormitione eſſe perfunctos ; & vi diuina, cum res tulit ad vitam eſſe poſtliminio reuocatos.

Ad fabulas autem ablego, atque adeò huc multò minùs aſciſco, ſomnum Epimenidis Cretici, vltra annorum quinquagenam protenſum, vt Apuleius in Floridis lib. 2. deſcribit, & Laërtius lib. 1. cap. 11. itémque Pauſanias, Agellius, Plinij & alij paſſim. Nec abſimilia ſunt quæ Plinius lib. 7. cap. 52. de puero quodam recitat, & quæ Olaus Magnus lib. 1. rerum Aquilon. cap. 3. & Albertus Krantius lib. 8. Vandal. cap. 39. de ſeptenni ſomno adoleſcentis, Lubecæ recentiore memoria accidiſſe ſcribit. Hæ ſomni (vt ſic dicam) enormitates, partim fabuloſæ, partim ex aceruatione crudorum humorum profectæ, non ſunt præſenti negotio accommodatæ, cum ſpectemus tantùm ſomnum prout vitæ vtilem, & functionibus animæ ritè obeundis opportunum ; cuiuſmodi non eſt illa tam diuturna rationis velut infoſſio ac ſepultura. Qua meritò ablegata, ſomnum comparatione quorumdam Acœmetarum haud breuem commendare eſt animus. Horum vita inſomnis (vt præferre videtur cortex vocis *Acœmeta* dicta à *κοιμάω* quod eſt *dormio*, & ſomni priuationem ſonans ; ſicut vox *cœmeterij* iuxta Athenæum *dormitorium*, & ſomni capiendi locum deſignat,) nihil promouet cauſam aduerſantium ſomni vſuræ productiori. Neque enim dicti ſunt Acœmetæ Monachi, quod nullo modo dormirent, vel quod perbreuem ſomnum caperent. In quo hallucinatus eſt Alardus Gazæus ad collationem 13. Caſſiani cap. 6. dicens dictos *acœmetas* ſiue *inſomnes*, *quod nec vnius horæ ſpatium ſibi ad ſomnum indulgerent*, quam ſomni menſuram adhibuiſſe legitur S. Arſenius. At de familia Acœmetarum hoc dici non poteſt ; nec Euagrius quem Gazæus allegat libro 3. cap. 15. & 20. tale quid habet, aliúſve antiquorum quiſpiam. Sed *Acœmetæ* dicti ſunt, quod eſſet apud eos laus Dei perpetua, ita vt die ac nocte ſuccedentibus ſibi per vices varijs Monachis

chis pſalmodia, ſine interruptione continuaretur, quo ipſo cœnobium ratione alicuius ſuæ partis d ❘ poterat vigilare. Primus hanc indefeſſam Dei laudationem excogitaſſe dicitur S. Alexander Abbas Magiſter S. Marcelli. Illúdque ſanctum inuentum æmulati ſunt, cum alij multi in Occidente, ſignati ab Oliuerio Bonafſcio lib. de Horis Canon. cap. cum nominatim varij Pontifices, referente Anaſtaſio, in Monaſteriis à ſe conſtitutis aut directis, hanc perennem Dei laudem inducentes, vt Gregorius II. in Monaſterio ſecus S. Pauli Baſilicam, Gregorius III. apud SS. Stephanum, Laurentium, atque Chryſogonum. Paulus I. in Monaſterio S. Stephani Papæ. Adrianus I. in multis ſacris cœnobiis; & Sergius II. in erecto abs ſé cœnobio. Hæ erant piæ imitationes Acœmetarum Conſtantinopoli inſtitutorum qui alij erant à Studitis à Studio Exconſule Romano, ſub annum 456. fundatis: quicquid contra opinetur Baronius anno 459. Nam quamuis inter Studitas viguerit laus perpetua Acœmetarum, tamen cum eſſent Conſtantinopoli plura cœnobia Acœmetarum, vnicum duntaxat à Studio fundatum, dicebatur *Studitarum*: ſic expoſita functio & notio Acœmetarum, nihil iuuat cauſam Gregoriorum (vt ſic dicam) ſiue vigilum, diuturniorem ſomni vſuram impugnantium.

§. 2. *Somni breuitas, vitæ maior vſura eſt, prolixus ſomnus naturæ ignauia, ſenſuum detritio, & mortis vicinia.*

PRæcidi per ſomnum rationalis vitæ vſuram, in confeſſo eſt. Non quod anima interdum in ſomno non vtatur intellectu & ratiocinetur; in quam rem pulcherrimè Tertullianus lib. de anima cap. 43. ſed quod non ſit adeò expeditus & plenus eo tempore rationis vſus, vt libertatis exercitio ſit locus, extra miraculum; quale plerique omnes in Salomone agnoſcunt, qui per ſomnum promeruit vbertatem ſapientiæ, atque adeò raro exemplo liber fuit. Igitur ſomnus naturaliter loquendo, priuat hominem vſura vitæ ſibi propriæ. Et hoc eſt, quod & Sancti & profani, ſomnum lethi conſanguineum nominauerunt. [Somnus (inquit Tertullianus cap. illo 43.) tam ſalutaris, tam rationalis, etiam in publicæ, & communis, iam mortis affingitur exemplar. Voluit enim Deus & alias nihil ſine exemplaribus in ſua diſpoſitione molitus, paradigmate Platonico plenius humani, vel maxime initij ac finis, lineas quotidiè agere, nobiſcum manum porrigens, fidei faciliùs adiuuandæ per imagines & parabolas, ſicut ſermonum, ita & rerum. Proponit igitur tibi corpus amica vi ſoporis eliſum, blanda quietis neceſſitate proſtratum, immobile ſitu, quale ante vitam iacuit, & quale poſt vitam iacebit, vt teſtationem plaſticæ & ſepulturæ, expectans animam quaſi nondum conlatam, & quaſi iam erectam. Sed & illa patitur, vt alibi agere videatur, diſſimulatione præſentiæ futuram abſentiam ediſcens. [Ita cum euigilauerit corpus redditum officiis eius, reſurrectionem mortuorum tibi affirmat. Hæc erit ſomni & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem imitaris, ſpem imitaris, diſcis mori & viuere, diſcis vigilare dum dormis.] Vides, ſomnum mortis imaginem dictum? *Fratrem mortis* ſcitè nominat Athenagoras orat. de reſurr. [Neque enim (inquit) poſtquàm ſenſualem vitam interſcindere videntur in quiete oborientes naturaliter ſupitiones ſenſuum, nec non & naturalium virium, idque ad certa temporis interualla dormientibus hominibus, & quodammodò reuiuiſcentibus, illud ipſum recuſamus vitam ducere. Qua de cauſa exiſtimo, nonnullos ſomnum fratrem mortis appellitare; non quòd genus vtriuſque indicare velint, quaſi ex iiſdem maioribus & parentibus ſint nati; ſed quod ſimilia accidant ſopitis & defunctis, ratione quietis, otijque ſenſuum, quum nihil intelligant de rebus præſentibus, aut quæ tunc fiant, imò nec ſeipſos eſſe aut viuere ſentiant.] *Sectio 3. Breuitas in naturalibus.* Somnus,

Apertè hi patres, ſomnum ratione conſequentis illum iuſtitij ſenſuum, vocant mortis imaginem; quare minus commodè Dauſqueius ad orat. 33. Baſilij Seleuc. notat, & profanos & ſacros Scriptores, ſomnum mortis imaginem appellare; ſed Sanctos, ob facilem Deo reſurrectionem, tanquam ſi eſſet mera excitatio à ſomno: profanos autem, ob ſimilitudinem ſomni & mortis in vtriuſque effectibus, & inducta ſenſuum externorum & rationalis actualis quaſi morte. Atqui vidiſti, Chriſtianos quoque Doctores & perantiquos Patres, hoc ipſo modo, de ſomno mortis imagine eſſe philoſophatos. Id quod etiam pulchrè tradit Clemens Alexandr. 2. pædag. cap. 8. hanc de qua agimus vitæ rationalis actualis abruptionem per ſomnum, attingens. [Eſt ſomnus (inquit) qui nos deprimit, morti ſimilis, eò deducens per ignorationem, vt ſenſu careamus, & clauſis à ciliis oculis lucem abſcindit.] Itaquè concludit in calce capitis. Nobis autem, (vt ſemel dicam,) omnibus, aduersùs ſomnum decertandum eſt; nos paulatim acceſſione facta, aſſuefacientibus vt maiore parte temporis per vigiliam ſimus vitæ participes. Somnus enim non ſecus ac Publicanus, dimidium vitæ tempus nobiſcum diuidit.] Hoc eſt diſpendium formaliter nexum cum multo ſomno, & ab eo citra miraculum inſeparabile.

Sunt autem alia inſuper longi ſomni damna ab eo conſequentia, tanquam ab efficiente cauſa; ac nominatim torpor grauans ſenſoria externa, ob nimium receſſum ſpirituum. Vnde nonnullis per nimium ſomnum adeò obtorpuit viſus, vt cæcutirent. Nimirum externum ſenſorium, deſtitutum diutiùs viuifico illo nectare, riget & corrugatur, ægrúſque poſtea regreditur ad operandum, præſertim oculus; cuius vt ſenſatio præſtantior, ita operoſior eſt; & apparatus ad eius actionem multo exquiſitior requiritur, vnde ex ſeriatione à viſione ob ſpirituum animalium receſſum, ſubit incommoda. V. G. fabri quia vt opus ſuum ad amuſſim dirigant, ſolent alterum oculum claudere, ſolemne eſt vt eum oculum habeant debiliorem, quod docet experientia; & notauit Naauanaeus carmine de Virg. Scripſit etiam Appianus lib. 4. belli ciuilis, cum quidam Geta præ metu obducens alterum oculum ſe luſcum finxiſſet, & de-

Sectio 3. Breuitas in naturalibus.

Somnus.

pulſo metu oculum retexiſſet, luſcum tamen perſeueraſſe, ob nimis diuturnum ſpirituum receſſum ab oculo; quem conſecuta eſt tanta eius frigefactio, & rigor ac torpor, vt derigeſcere deinceps nequiuerit, ablato tegmine, quod viſum intercluſerat per longum tempus. [Immodicus ſomnus (ait ſupra Clemens) nec corporibus, nec animis noſtris vllam affert vtilitatem, nec iis quæ circa veritatem verſantur omninò conuenit actionibus, etſi ſit ſecundùm naturam.] Aceruat ſomnus plurimos humores prauos, ob vehementem coctionem factam ab animalis tunc non diſtenta, vt eſt apud Ariſtotelem libr. 2. moral. Eudem. cap. 1. *ad finem*. Deficiente autem poſt coctionem validam cibo, calor natiuus in ipſum viuens ſæuit; vnde congeries humorum malignorum de qua Vega lib. 4. artis medicæ. Et inde etiam naſcitur obliuioſitas, ſocordia, ſtupiditas, inutilitas ad quiduis generoſum aggrediendum, vt obſeruarunt Hippocrates lib. 2. Aphor. 3. & Auerroës 6. Colliget. cap. 4.

Horum damnorum longi ſomni, nequaquam rudes, viri & ſanctitatis & ſapientiæ laude clari, breuitatem ſomni adamarunt, & indixerunt iis quos informabant. Priſci Aſcetici, ad ternas, aut vt plurimum quaternas horas ſomnum arctauere, teſte Caſſiano collat. 12. cap. 15. S. Dorotheus ſolitus erat dicere. [Sufficere Monacho ſi dormierit vnam horam, ſi tamen pugnator eſt.] Idem cum tota nocte vigilaſſet, ſub auroram, ſi ſomno grauaretur, dicebat ſomne veni ſerue male. Et ſubripiebat parum ſomni ſedendo, vt ſtatim ſurgeret. Dorothei Thebæi in ſomno excutiendo obfirmatiorem refert Sozom. c. 29. lib. 6. Ariſtotelem ſcribit Laërtius, vt diutius viueret, longiùs vigilando, ac breuiùs dormiendo, ſolitum ſubjecta ænea pelui pilam æneam manu concludere cum ad quietem ſe componeret, vt alliſa ſphæræ ad peluim excitaretur, & vigil ſtudia repeteret. In quo vir intellectus excolendi cupidiſſimus, & ingenij miraculum, non eſt dedignatus grues habere magiſtras, vt de illis prodit Plinius lib. 10. cap. 23. & Plutarchus lib. de animal. induſtria; tanti apud principem Philoſophum fuit copioſi ſomni ablegatio, & vitæ rationalis maior vſura, per ſomnum breuiorem & longam vigiliam.

XII. CRISIS.

Victoria breuitatis.

PAria pugnantia hactenus commiſimus. Hinc pro longitudine, inde pro breuitate, ſatis hactenus certatum. Cuinam cedit victoria? Diua Themis, ritè, & vtraque parte priùs audita atque diſcuſſa, victoriam addicit breuitati. Siue bono, ſiue malo operi adiungatur breuitas, vincit. Malum breue, minus malum eſt, minúsque tetrum; & eatenus inter bona numerandum. In bonis, breuitas expedita & alacris, arcet faſtidium quo honeſti ſapor obtunditur; & nauſeabundus ac languens boni vſus eliminatur. Ac ne pro breuitate in breuitatem peccetur, hic finis eſto.

Breuitati Victoria.

SYLLABVS

SYLLABVS BIGARVM, ANTIRRHETICARVM.

SECTIO I.

DICTTACA de breuitate & longitudine in ſacris. pagina 393

I. Bonũ eſt orationẽ prorogare. ibid.

§. 2. Non eſt bonum orationem diu protendere. Breuis Oratio feruidior & vegetior, atque adeò vtilior eſt ac Deo acceptior. 394

II. Accuratio, atque adeò prolixitas ſacramentalis confeſſionis adamanda. 396

§. 2. Longa Sacramentalis Confeſſio, vltra quam Sacramenti ſubſtantia poſtulat, improbanda, breuis laudanda. 397

III. Non quantulacumque, ac vel breuiſſima mora pœnitentiæ ad peccati expiationem eſt accommodata, ſed aliqua eius longitudo & continuatio depoſcitur. 398

§. 2. Pœnitentia vera non eſt ad longitudinem vel durationem admetienda, ſed vel vno momento poteſt perfici. 399

IV. Pœnitentia in longum tempus, & vel ad ipſas vſque lethi & Erebi fauces dilata, perperam vocatur in ſuſpicionem, cum ſit optima & accepta Deo; in cuius trutina, pœnitentia æſtimatur potius voluntate, quam tempore. ibid.

§. 2. Fatuum planè & perniciosum eſt, pœnitentiam vltro differre in longum tempus, præſertim verò ad vitæ metam. 401

V. Ad diuinæ Eucharistiæ ſumptionem, accurata & Deo hoſpite digna, atque adeò longa præparatio eſt præmittenda. 404

§. 2. Non longa, ſed idonea, qualis breui tempore haberi poteſt ſubjecti aptatio, ad Diuinæ Eucharistiæ participationem exigitur. ibid.

VI. Diuturna ſpecierum diuinæ Eucharistiæ, intra ſtomachum aſſeruatio, captanda; quippe ferax nouæ gratiæ ex opere operato. 405

§. 2. Christi diuturnior in ſtomacho mora inutilis eſt quoad vberioris gratiæ feracitatem ex opere operato, nec vacat periculo, ſi ex ſpecierum conſecratarum addenſatione captetur, vnde meritò eſt refugienda. .ibid.

VII. Diuiniſſimum Miſſæ ſacrificium, decet longitudo. 406

§. 2. Breuitas ſacri, citra immodeſtiam & præcipitationem, eſt prolixitate melior, & vndecumque laudabilior. 407

VIII. Eccleſiaſtes pro Concione, ſacræ orationis habenas laxet, quà docendo, quà piè mulcendo, quà fortiter auditores permouendo. Itaque longitudo inter dicendum innoxia eſto, præſertim cum Diuini Spiritus aura proſperè afflabit, & paſſis velis copioſa ſe inferet. 409

§. 2. Eccleſiaſtes niſi oleũ & operam perdere velit, fruſtráque auditores fatigare, breuis eſto. 412

IX. Commentationes ſacræ quibus Diuinorum librorum pars aliqua ſuſcipitur exponenda, vt pares vtcumque ſint argumenti dignitati, in longum diffundi ac expandi debent. 416

§. 2. Non qui Scripturarum Commentarij prolixiores, meliores. Longitudo illa & moles, non rarò exigui iudicij, & ineptiarum interpretis, partus eſt & argumentum. 417

X. Sicut Vigiliæ ex virtutis ſtudio ſuſceptæ in laude haberi ſide Catholica ſanctum eſt; ita inſigne earum decus eſt diuturnitas. 418

§. 2. Vigiliarum prolixitas immodica, corpore per longam feriationem, & ſpirituum abſentiam inuicto ſenſiceritis, religioni ac pietati incommodat: tantum abeſt, vt tanquam virtuti ſeruiens, ſit amplectenda. 419

XI. Inedia longa, corpori in ſeruitutem redigendo eſt accommodatiſſima, atque adeo vſurpanda. 410

§. 2. Ieiunij protenſio ad valdè diuturnam moram, peruerſionem inducit finis ad quem maceratio corporis legitimè aſſumitur, atque adeò eſt improbanda. ibid.

XII. Adiuncta quorumuis bonorum, ac perpeſſionum ex virtute exceptarum longa duratio, ad honeſtatis & meriti augmentum confert plurimùm, ideóque eſt adamanda. 421

§. 2. Vegetior plurium breuium actuum interciſorum repetitio, poteſt honeſtatem ac meritum diuturni actus languidi & eneruis æquare, aut etiam ſuperare. Perpeſſionum item pro Deo exceptarum breuitatem ſupplere poteſt voluntas plena, & ad finem vſque perſeuerans. 422

XIII. De ſtatu vitæ ineundo deliberandũ diu eſt: atque adeò ad ſacrã militiam, grandes duntaxat natu, quorũ conſtantia minùs ſit dubia, conſultiùs admitterentur, & vt id Principalibus reſcriptis ſtatuatur, curandum. 423

§. 2. Longa de ineundo ſacræ militiæ ſtatu deliberatio, & vltra adoleſcentiam, ſiue ad iuuentutem vſque dilata, iudicio verè ſapientum reproba eſt, & à ſenſu Sanctorũ aliena. ibid.

XIV. Præſtat in via ſpiritus, pedetentim ac lentè progredi, nec magnis itineribus ſtadium ſanctimoniæ decurrere; vt per longiorem moram, ſoliditati ac perennitati, (cui ferè incommodat feſtinatio) in negotio quod tanti hominis intereſt, conſulatur. 425

§. 2. Alacritas neſciens tarda molimina, munus Spiritus Sancti eſt; Atque adeò prompta in Dei opere & Chriſtianæ perfectionis ſtudio nauitas, moroſitati difficultates palpanti longè præſtat; quippè Deo acceptior & homini quæſtuoſior, ac certum auctioris erectionis animi & generoſitatis argumentum. 426

XV. Deus vndecumque, & ſecundùm omnem differentiam

differentiam & temporis & loci, longiſſimus eſt, ac protentiſſimus. 428

§. 2. *Breuitati diuina, nulla par breuitas.* 429

SECTIO II.

D*ICtyaca de breuitate & longitudine in Humanis.* pag. 431

I. *Bonum eſt moderatorem etiam non ſupremum, longa rectione perfungi.* ibid.

§. 2. *Præſtat moderationem inferiorum moderatorum eſſe duratione moderatam, nec in longa tempora prorogari.* 432

II. *Multis ac ſæpè philoſophandum, in tanta rerum difficultate, & reconditiſſimis latebris à veritate captatis.* 433

§. 2. *Omnino præſtat, breuiter & paucis, quam prolixè philoſophari. Enitendum duntaxat, vt verè quis philoſophetur ac ſolidè.* 434

III. *In ſtudiis mitioribus longa detentio, & vel in ſenium vſque porrecta vtilis, honeſta, peramœna.* 436

§. 2. *Longa in mitioribus ſtudiis inhæſio, diſpendium infert decentioris literaturæ; ideóque ſi plusquàm obiter hominem iam per ætatem altiorum ſtudiorum capacem, inferiora diſtineant, meritiſſimò improbantur.* ibid.

IV. *Bonũ eſt longos libros conficere, quibus argumẽta propoſita, pro dignitate explicẽtur.* 437

§. 2. *Longitudo ſiue ſpiſſitudo librorum, plena & tædij & multiplicis diſpendij, iuxta adagium μέγα βιβλίον μέγα κακόν.* 439

V. *Longa ſcriptionum expolitio euulgationi præmittenda.* 442

§. 2. *Longa libri punicatio, autorem fructu fraudat operis ſui, lectores commodo; nec rarò ipſimet officit libro.* 443

VI. *Longa & indefeſſa lectione, nihil ad doctrinam vndecumque abſolutam comparandam, opportunius.* ibid.

§. 2. *Longa & diuturna lectio, plus internis oculis quam corporeis eſt infeſta; ingenia quippè grauat, obruit, & obnubilat.* 444

VII. *Longis amicorum allocutionibus, nihil iucundius, fructuoſius, honeſtius.* ibid.

§. 2. *Breues amicorum allocutiones, vndecumque meliores.* 445

VIII. *Beneficẽtia ne cita & preceps, ſed tarda atq; matura ſit, vt cunctatio profuſione prohibeat, & largitatis collocatione in indignos.* 447

§. 2. *Muneris dilatio, beneficentiæ eſt detritio, & verè iam olim pronunciatum eſt, qui citò dat, bis dat.* ibid.

IX. *Longi tituli potentiæ auctioris argumenta, vel anteriorum decorum inſignia.* 448

§. 2. *Longi tituli, longa vanitas. Breues, modeſtiæ teſtes, & vigentis ſanitatis animi, argumenta.* 449

X. *Cauſarum forenſium matura & lenta, ideóque longa diſcuſſio neceſſaria.* 450

§. 2. *Affectata cauſarum forenſium prolixitas, plena ſceleris eſt ac iniuriæ, & ſarciendis damnis ex procraſtinatione illatis obnoxia.* 452

XI. *Longa & tarda ægritudinis medicatio, ſecurior, ideóque præferenda.* 457

§. 2. *Artificioſa morbi per medicos productio, ſpecie benigna curationis, perfida eſt & iniuriæ referta.* ibid.

XII. *In rebus agendis, vt proſperè cedant, neceſſaria cunctatio, & longa mora; celeritas & feſtinatio, exitialis.* 458

§. 2. *Mora exitioſa negotiis. Auolat à cunctabundo, benè agendi opportunitas.* 461

XIII. *Pace lõga, nihil optabilius atque felicius.* 462

§. 2. *Pax decrepita, vel etiam annoſa, exitialis & bello pejor.* 463

XIV. *Diu lugendum ſuper mortuo, ſiue probus, ſiue improbus fuerit.* ibid.

§. 2. *Luctus mortui ſeptem dies.* 464

XV. *Epitaphium vt ſitus ſuo ſeruiat, iuſtæ magnitudinis ſit neceſſe eſt, atque adeò breue eſſe non poteſt.* 465

§. 2. *Epitaphium, breue eſto. Prolixitas in eo præter ſcopum & illaudata.* ibid.

SECTIO III.

D*ICtyaca de breuitate & longitudine in Naturalibus.* 466

I. *Nuptiæ immaturæ, exitiales. Seræ, nomini nuptiarum, conſentiunt.* ibid.

§. 2. *Nupt. dilatio, iuuẽtutis clades, & prolis.* 46. &c.

II. *Ortus tardus, fœtui ac matri ſecurior, ideóque præoptandus.* 470

§. 2. *Partus celerior vegetior, & ſalutis certior ac fidei minùs dubia.* 471

III. *Vita longa, munus Diuinum cupidè appetendum.* 472

§. 2. *Vita productior, longior calamitas. Quare non eſt quod expetatur.* 474

IV. *Longi corpore, ſpecioſiores; éſtque ea ſtatura dignior.* 479

§. 2. *Breues corpore, vegetiores, animoſioréſque; nec parcioris duntaxat impenſæ, ſed & inſignis ad res gerendas efficaciæ.* 482

V. *Breuitas capitis violentiæ, ac impetus, itémque morboſitatis reliqui corporis nota. Altum ergo amplúmque caput anteferendum.* 491

§. 2. *Caput breue, nota prudentiæ; ideóque magno & amplo præferendum.* 492

VI. *Naſus longus ſapientiæ index.* ibid.

§. 2. *Naſus breuis, multipliciter opportunior.* 494

VII. *Longæ aures, ad organi tegmen ac ſecuritatem opportuniores, nec ad ornatum inelegantes, falsò inſimulatæ barditatis.* 495

§. 2. *Aurium longitudo Aſinina; breuitas elegantior & vndecumque commodior.* 496

VIII. *Barba promiſſa, virilitatis index, decus hominis.* ibid.

§. 2. *Lõga & promiſſa barba, infidus ſapiẽtiæ index, & debile virilitatis animi argumentum.* 500

IX. *Coma longa, & elegantiæ & tutelæ capitis opportuna.* 501

§. 2. *Viro ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* 505

X. *Veſtis oblonga venerabilis, & propria ſapientum.* 512

§. 2. *Veſtis oblonga, in viro cui lege præſcripta non ſit, impendium, impedimentum, vel etiam turpitudo.* ibid.

XI. *Mora non exigua in refectione corporis, & congrua & neceſſaria.* 515

§. 2. *Breuis ad menſam mora, eius eſt qui de ſpiritu potiùs ſaginando ſollicitus, torporem à crapula inijciendum antouertit.* ibid.

XII. *Longior ſomni vſura, vires meliùs inſtaurat, ſenſus vegetat, vigorem conciliat, membráque ad exquiſitius animæ miniſterium accõmodat.* 516

§. 2. *Somni breuitas, vitæ major vſura eſt; prolixus ſomnus naturæ ignauia, ſenſuum detritio, & mortis vicinia.* 517

XIII. *Criſis. Victoria Breuitatis.* 518

ANAGNOST,

ANAGNOSTES
AD
ECCLESIASTICAM MENSAM,
INSTRVCTVS SYLLABO
LECTIONVM EX PATRIBVS,
In ſingula totius anni feſta primaria,
atque Dominicas, & præcipuas
Ferias, aliáſque varias
occaſiones.

Reuerendo in Chriſto Patri.

FERDINANDO DEL PLANO
SOCIETATIS IESV.
GANDAVVM.

THEOPHILVS RAYNAVDVS, Soc. IESV.

DEDICARI *alicui de Societate, ab alio eiuſdem inſtituti ſocio Libros moribus vix vſurpari ſatis video; quamuis nuncupatum Andreæ Schotto à Ioanne Mariana opus, Franciſco Suarè à Florauentio, Vaſqui ab Alarcone nemo neſciat. At tria quæ hoc anno operum meorum eduntur volumina, ad te mihi charum in paucis ante omnes non mittere, nefas eſſe ducerem magnúmque ingrati animi probrum. Quare accipe Amantiſſime Pater hoc leuidenſe manuſculum, tuum certè antequàm tibi deſtinatum. Quis enim neſcit quanto ardore animi & affectu allaboraueris Editioni earum ex meis Lucubrationibus quæ in Belgio prodierunt. Nam quamuis literatos omnes foueas, amplectaris, promoueas, & populares tuos è Societate noſtra quos Gallia in literis humanioribus, viros palmarios demiratur, quandiu præfuiſti Maioribus Prouinciæ tuæ Collegiis, omni ope adiuueris, Pietatem ac Doctrinam ratus geminum Columen huius Societatis; Mirum ſane eſt, me extraneum ac remotum ab oculis tuis hominem, in oculis tibi, atque adeò continenter in ore ac corde verſari. Amorem ergo mutuum tantæ in me caritati quod poſſum refero, te viciſſim amplector & diligo, & quando librum non licet, totum me ex aſſe tibi conſecro. Vale. Lugduni 1. Septemb. 1662.*

INDEX CAPITVM.

ARGVMENTVM.
Proloquia ad Anagnoſtæ inſtructum.
I. *Vſus legendi ſuper religioſam menſam, antiquus & Sanctis Cœnobiorum informatoribus admodùm probatus.*
II. *Alios extra Cœnobitas magni viros nominis, lectionem ſuper menſam adhibuiſſe iam olim.*
III. *Sapientes quoque externi, ſuper menſam, ſilentes audire legentem, aut diſſertantem, ſolsti.*
IV. *Quorſum adhibitus ſuper menſam Anagnoſtes.*
V. *Qualis quæſitus, & quomodò ad functionem ſuam obeundam aptatus, Religioſus Anagnoſtes.*
VI. *Quæ Anagnoſtæ ſeruanda inter legendum.*
VII. *De quotidiana per totum annum Martyrologij lectione ad Religioſam menſam.*
VIII. *Quæ idonea Anagnoſtæ ad legendum ſuper menſam; vaga & variabilis materia generatim.*
IX. *Digeſtio lectionis pro Religioſo Anagnoſte, in varias ſeries; & quid circa eas præmonendum.*
BIBLIOTHECA NOVA HOMILIARVM.
Series 1. *Duodecimeſtris complectens feſta immobilia: Commune Sanctorum.*
Series 2. *Comprehendens feſta mobilia, & iis nexas Dominicas, ac ferias.*
Series 3. *Continens lectionem variis occaſionibus accidentariis accommodatam.*
Series 4. *Lectiones per annum.*

ARGVMEN

ARGVMENTVM OPERIS.

ANAGNOSTEN Græca voce, ſed Latio pridem donata, appello lectorem aliis audientibus ex libro legentem, quæ eſt vocis huius notio apud Tullium *a*, cum ait [puer

a Lib.1. ad Attic. ep.9. feſtiuus, Anagnoſtes noſter Soſitheus. Vatinius quoque ad ipſum Tullium ſcribens; [dicitur mihi, (inquit,) tuus ſeruus Anagnoſtes fugitiuus cū Vardæis.] Idem Tullius agens pro Sextio conclamat in Gellium, quod Anagnoſtæ libelli, ſæpè pro vino ei pignorarentur. Apud Glycam patrueles Conſtantij Auguſti, Gallus & Iulianus, dicuntur Anagnoſtæ facti Antiochiæ, hoc eſt lectores in ea Eccleſia. Omnibus his locis, eadem notio ſubijcitur voci *Anagnoſta*; hominem ſignans, qui è libro audientibus aliis legit. Aliter vſurpata ea vox eſt à Platone cum Ariſtotelem appellauit *Anagnoſtem*, eo quod (vt interpretatur Ludoui-

b Lib.17. c. item 17. cus Cœlius *b*,) lector eſſet infatigabilis, & *κατα-κόρως* planè, ac ſititor librorum inexplebilis. Neque enim inde Ariſtoteles hoc cognomen à Platone retulit, quod ad alios audientes de libro legeret; ſed quòd lectionis eſſet inſaturatæ; quamuis nunniſi ſibi ipſi legens. Illi quoque quos legendo Tullio, adeò iuges ac indefeſſos fore pronunciatum eſt in veteri epigrammate apud Pli-

c Lib.31. cap.2. nium *c*, vt eam ob rem prouiſum tunc primùm à natura anchore fontem, cuius aquæ oculis mederentur, ſic exiſtimatum, Anagnoſtæ erant in hac notione poſteriore; neque enim aliis, ſed ſibi ipſis, tam iugi contentione legebant Tulliani. Quare nec ipſi Anagnoſtæ erant in priore vocis vſu, tametſi lectores erant indefeſſi, ſed tantùm in hoc poſteriore ſignificatu vocis *Anagnoſtes*, quod in hac tractatione non attendimus. Inſiſtimus enim lectoribus, qui aliis audientibus de libro legunt.

Quanquam neque ad omnes tales Lectores diffundenda erit oratio; ſed ad eos duntaxat, qui legunt ad Religioſam menſam: ni malis Eccleſiaſticam dicere; nam etiam aliis Eccleſiaſticis, & nominatim Epiſcopis, admodùm conſentaneū eſſe, adhibere ad menſam Lectores, vſo Sanctorum compertum habetur, & variis conciliaribus decretis apprimè commendatur; & nominatim Conci-

d ſeſſ. 26. c.7. lium Tridentinum, *d* & Toletanum 3. ex quo,

e diſt.44. Gratianus cap. *Pro reuerentia*, *e* in ſuam farraginem immiſit. Idem habet Concilium Turon.3. cap.5. & Moguntinum 1. cap.9. necnon Rhemenſe. c.17. item Nannetenſe cap. *quando Presbyteri* diſtinctione 44. ac Rhegiaticenſe celebra-

tum anno Chriſti 850. capite primo. Sancta Bri-

gitta *f* vno loco ex parte Chriſti, tametſi primùm contenta eſt, vt in menſa Epiſcopi deuitetur ſcurrilitas & vanitas in colloquendo; nec vnquam tale aliquid proferatur, vel audiatur quo aſtantibus præbeatur occaſio ad peccandum; tamen poſtea timens moderationi debitæ ex in parte; præeligit lectionem Sacram.] Sicut enim (inquit,) in menſa corporali deficientibus pane & vino, omnia ſunt inſipida: ſic in menſa Epiſcopali & ſpirituali, deficiente bona doctrina & exhortatione, omnia appoſita inſipida ſunt animæ. Et ideò vt euitetur vanitatum occaſio, legatur vel recitetur aliquid in menſa, tale vnde ædificentur aſſidentes.] Rurſus alio loco *g* ex parte Deiparæ. [In menſa ſedens Epiſcopus habeat moderatum ſolatium cum conſedentibus. Summoperè quoque caueatur, ne talia loquatur vnde alij corroborentur in vitiis ſuis, ſeu habeant occaſionem ad peccatum. Nam qui lucere debet aliis, tenetur conſiderare quid dicat, & quid liceat apud Deum, quid ædificat alios & quid expedit ad ſalutem. Verumtamen ſicut in menſa corporali, omnis cibus inſipidus eſt ſi deficit panis & vinum: ſic in menſa ſpirituali, omnia erunt inſipida animæ, ſi deficiat vinum ſpiritualis lætitiæ, & panis doctrinæ Dei. Ideò Epiſcopus loquatur aliquid in honorem Dei in menſa, quo corroborentur conſedentes in anima, aut legi faciat aliquid ædificatiuum, vt in vna & eadem refectione corporali, & corpus reficiatur, & anima cibo ſpiritualiter inſtruatur.

f Lib.3. Reuelat. c.3.

g diſtinct. 14. c.12 ad.

Nec tantùm decere Eccleſiaſticos lectionem ſuper menſam, ſed etiam illis neceſſariam eſſe ex præcepto, cenſuit Aluarus Pelagius *h* lib. de planctu Eccleſ. Numerat enim quadrageſimo ſecundo loco, inter Antiſtitum noxas. [Quod in conuiuio, non faciunt legi, Sacras lectiones diſt.44. cap. *Pro reuerentia*. Nam dum corpus diuerſis ferculis reficitur, niſi lectione retrahatur, lingua in detractionibus relaxatur, vt dicit Gregorius in moralibus:] Hoc confirmat ex eodem Gregorio atque Chryſologo; iuxta quos diues in tormentis nominatim propoſuit refrigerari ſibi linguam; quia inter epulandum quotidie ſplendide, lingua multipliciter deliquerat. Sed quidquid ſit de veritate rigidi hac de re præcepti, etiamſi aliud incitamentum lectionis Sacræ ad Epiſcopalem menſam curandæ deeſſet, quàm deuitationis ſermonum decentium: illud videri deberet, ad hanc curam non prætermitten-

h Artic.18. §42.

dam ſufficiens. Et accedit, conuenientia reficiendi animam dum corpus reficitur.

Non in menſa tantùm Religioſa & Eccleſiaſtica, ſed in Laïca quoque, S. Ambroſius ſermone in cineralibus qui item apud D. Auguſtinum c legitur, Anagnoſtem adhiberi depoſcebat, ſic agens cum plebe ſua. [Non pigeat in menſa aliquid de diuinis Scripturis legere; vt quomodò caro paſcitur cibo, ſic anima reficiatur Dei verbo; & totus homo, id eſt exterior & interior de ſancto & ſalubri conuiuio ſatiatus exurgat. Nam ſi ſola caro reficitur, & anima Dei verbo non paſcitur, ancilla ſatiatur, & domina fame torquetur. Et hoc quàm ſit iniuſtum, Sanctitas veſtra non poteſt ignorare.] Optari iſta potiùs, quàm expectari poſſunt, in tam præcipiti torrente humani moris in contrarium. Non deſunt quidem exempla nonnulla ſecularium & Laïcorum, quibus hic vſus viſus eſt vſurpandus; vt infra ex Gregorio Turonenſi & Eginartho, monſtrabo. Nec nos exempla hodierna prorſus deficiunt. Plerique enim honorati Patres familias induxerunt in morem his in oris, vt liberorum quiſpiam dum menſæ accumbitur ſacras tabulas pridie veſperi legat, attentè audientibus omnibus, vt poſſint captare ſibi cœlitem diei ſequentis patronum. Sed quod hoc nonniſi veſperi fiat & ſub cœnæ clauſulam nec niſi ad breue tempus quantum decurrendis legendo ſacris tabulis eſt neceſſarium, aptius erit exemplũ Ephebiæ cui hîc Lugduni præeſt vir optimus D. Foreſterius. Eſt ea Ephebia longè alia quàm ea cuius mentio eſt 1. Machab. 1. & alia ab impio Iaſone conſtituta de qua 2. Mach. 4. Erant enim eæ ſecundùm leges nationum conſtitutæ Ephebiæ, turpitudinis loca penè theatrum ad deſpumandam libidinem turpi ſpectaculo proritatam, vt Petrus Faber ac Bullengerus exponunt, Gymnaſium de quo ago (ita enim Græcam vocem expreſſit vulgatus locis annotatis) eſt Gymnaſium Chriſtianum in quo iuuenes nobiles benè multi ad omnem exercitationem nobili adoleſcente dignam formantur; ſaltandi nimirum ad numeros, arma tractandi, equum agitandi; & ſi quæ ſunt alia congruentia ei ætati ac ſtatui opera. Abeſt ab hoc Gymnaſio turpiloquium & profanitas abutentium Dei nomine, abeſt petulantia omnis & morum incompoſitio: ſignantur ſtata precandi tempora. Super menſam verò excludendis contentionibus quas corpus cibo & potu concalefactum facilè ciet, item excludendis allocutionibus, ſcurrilitatibus ac ſtultiloquiis Anagnoſtes adhibetur qui pij alicuius aut ethici libri lectione paſcat conuiuas. Cauſſini aula ſancta aliúſve ſimilis amænus liber prælegitur accumbentibus more nunquam ſatis commendando. Vt igitur nobilibus quoque Laïcis adſit ad menſam Anagnoſtes, & olim receptum fuit, & nunc haud eſt planè defectum. Veruntamen vſus contrarius ferè præualuit & vt ad ſacras duntaxat menſas, (præſertim Religioſorum, vnde Caſſiano, a teſte manauit,) remigraret lectoris ad menſam adhibendi praxis, diuturna conſuetudine eſt euictum. Itaque Anagnoſtem ad huiuſmodi menſam iuuandum hac lucubratione ſuſcipio.

c ſerm. 56. de temp.

Lib. 5. Agoneſt. c. 27. & 28.

Lib de theatro cap. 50.

a Lib. 4. c. 17

Iuuerunt alij aliter. Nam fuere, qui non leui, ſed admodùm fructuoſo labore annotarent legitimè pronuntiandi peritiam. Quamquam enim non deeſt, qui eundem proſodiæ lectorem, inter legendum dirigat, & ceſpitantem firmet: tamen huic ipſi directori, aliquando ſtudium euoluendi libros illos quantitatis indices, non erit inutile: quandoquidem plerumque reperiuntur correctores, correctione egentes, vt ex abſurdæ correctionis exemplis eſt manifeſtum. Itaque iuuando ac ſubleuando, & lectori, & lectorum præfecto, ſiue correctori qui legenti ſuper menſam inuigilat, ne præ ignorantia ceſpitent, & ſe literatis ridendos, propinent peropportunum eſt ſtudium, quod duxi adhibitum à compluribus quos infra *b* ſignabo & à non paucis lexicographis, & Onomaſtographis.

b Prolegom. V.

Hac tractatione, ex altero capite iuuandos ſuſcipio, & lectores & lectorum Præfectos: nimirum ſuppeditando idoneam materiam ad legendum, annotatis ad ſingulos dies, ſelectis SS. Patrum & Doctorum Antiquorum homiliis. Erit cui videatur, operam in hanc rem collocaſſe Muſæus Maſſilienſis, quem Gennadius lib. de Scriptor. teſtatur excerpſiſſe lectiones, totius anni diebus feſtiuis aptas. Sed hæ lectiones, nonniſi è Sacris Scripturis decerptæ erant, nec ſpectabant vſum cui hîc ſeruire quærimus, ſed diuinum officium, & (vt olim loquebantur) *curſum Eccleſiaſticum*: quale ſe confeciſſe, ac proinde etiam lectiones ei aptas ordinaſſe ſcribit Gregorius Turonenſis. Idem teſtatus de S. Sidonio Apollinari lib. 2. hiſtor. cap. 22. Sicut etiam ipſe S. Sidonius de Claudiano Viennenſi hæc habet. [Hic ſolemnibus annuis, parauit quæ quo tempore lecta conuenirent.] Igitur hæc omnia, nihil ad rem præſentem attinent; quia Scopus noſter non eſt, conficere lectiones ſacri Breuiarij, ſed ſuppeditare idoneas lectiones pro ſingulis anni feſtis, ſiue ſuper menſam, ſiue ad concionem ſacram adornandam.

c Lib. 10. hiſtor. Franc. ſub f.

Nec eſt cur hic labor videatur hac ætate ſuperuacuum, poſt non pauca pridem hac de re edita volumina. Alcuinus enim iam olim mandante Carolo Magno emiſit quod inſcripſit *homiliarium*, quæ fortaſſis ſunt duo illa volumina lectionum pro feſtis, compilata iuſſu Caroli Magni iuxta Sigebertum. Poſteriorum diligentia (vt in huiuſmodi vſuariis libris contingit,) pleraſque homilias poſt Alcuini æuum conſcriptas, immiſit homiliario eius: ſicut Suidæ & Ambroſij Calepini lexica, nouis ſubinde acceſſionibus poſt primas editiones locupletata, veluti alluuione accreuerunt. Multò item poſt Alcuinum, ac noſtris propè diebus, prodiit Bibliotheca homiliarium, à Laurentio Cumdio Collectore affecta, denique autem perfecta à Gerardo Moſano, & diſtributa in ſpiſſos Tomos complures. Cartuſiani quoque anno 1585. ſuam Bibliothecam homiliarum in tria diſtinctam grandia volumina, grandibus & perpolitis characteribus, ſibi curarunt. Hæc ad inſtitutum de quo agimus percommodè, pridem prodiiſſe lubens admitto. Non tamen idcirco præcluditur nouus quiuis labor: Supereſt enim latè patens campus in quo excurrat poſteriorum diligentia: Siquidem poſt omnia illa volumina publico data, multa emerſerunt quæ hactenus latuerant SS. Patrum ſcripta, inſignibus homiliis differta, quas deſiderari in ſyllabo librorum idoneæ lectionis, cum non exiguo diſpendio, eſt manifeſtum. Multorum item Sanctorum pridem editæ inſignes homiliæ, anteriorum illorum collectorum diligentiam

gentiam fugiſſe videntur; quas ad ſignatas ab iiſdem homilias adiungi, opera pretium eſt. Non omnia item lectionis in vſum venientis argumenta, in anterioribus illis collectionibus. Sunt propoſita: quæ tamen coniunctim cum iis quæ ſunt exhibita, ad plenum Anagnoſtæ inſtructum, cumulandæ anteriori diligentiæ videntur exhibenda, hoc itaque præſtitutum hac lucubratione venio, eo ordine quem infra declarabo.

Neque tamen ita vni Anagnoſtæ ad Religioſam menſam ſeruiet hic labor, vt non etiam Tractatores Sacri qui quandoque ſuper menſam Lectoris munus ſupplent, (vt infra referam,) habeant vnde Tractatus ſuos ad menſam Religioſam in cœnaculo, vel ſacram in templo, impleant & ditent. Habebunt enim ipſi quoque in hoc opere, cum ad vtramque illam menſam Chironomus agent, vnde conuiuis ſuis eſcas apparent: nec qualeſcumque, ſed lautas & ſplendidas. Binas menſas diſtinguo, ad quas Chriſtianus tractator, poteſt agere, Tricliniarem vnam, in qua (vt attigi) orator interdum non è libro, ſed è memoria recitans, ſupplet locum Anagnoſtæ, ſiue Lectoris: alteram ad quam ſæpè dixiſſe D. Auguſtinum *a*, variarum eius concionum tituli docent. Et pulchrè idem S.D. ſermone de S. Cypriano, vbi agens de loco in quo cæſus fuerat S. Cyprianus, ſic habet. [In eodem loco menſa Deo conſtituta eſt: Tamen *menſa* dicitur Cypriani, non quia ibi eſt vnquam Cyprianus epulatus; ſed quia ibi eſt immolatus: & quia ipſa immolatione ſua, parauit hanc menſam, non in qua paſcat ſiue paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Sed vt menſa illa quæ Dei eſt etiam Cypriani vocetur, hæc cauſa eſt, quia vt illo modò cingatur ab obſequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à perſequentibus. Vbi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frequentibus calcabatur. Poſtremò vbi illa erecta eſt, ibi proſtratus eſt.] Liquet menſam S. Cypriani ad quam dicebat ad populum S. Auguſtinus, fuiſſe altare Deo erectum, ad S. Cypriani memoriam, eo ipſo in loco in quo ceciderat. Dicentibus ergo ad huiuſmodi menſas, & quaſcumque ſacras conciones in religioſæ domus cœnaculo, vel in ſacris ædibus ad aram quampiam, aut Sanctorum memoriam habentibus, multa & ſelecta materia ad paſcendam plebem fidelem ſubminiſtrabitur: vt quas olim exquiſitas animorum epulas atque lautitias eximij condimentarij appararunt, qui nunc eidem miniſterio dant operam poſſint regerere, præmanſas, (vt ſic dicam;) & quod fieri à nutricibus aſſolet, in ſuam prius ſubſtantiam, meditando & quaſi maſticando tranſmiſſas. Nos hic per ſe primò, non nutricibus ſacris, (ſic enim congruè nominari poſſunt, Tractatores vt (docco *a* agens de Agno Dei,) præmandendas apparamus; ſed adminiſtris intactas dapes, ad conuiuas deferentibus fercula exquiſita ſuppeditamus: Tametſi quod in aliom item eximium vſum commodaturum ſit quod hic molimur, gratulamur labori noſtro.

* * *

a ſer. 94. & 117. de temp. & tract. in Pſal. 39. & ſect. 26. ex 40. nouis & ſect. 113. de diuerſ. c. 2.

Proloquia ad Anagnoſtæ inſtructum.

VT quanti ſit Anagnoſtæ vſus liquidò pateat, & tanto ſollicitior eius cura habeatur per eos quibus incumbit, proloquenda ſunt nonnulla de huius antiquitate, & fructu, & ritè ipſius obeundi modo. Erudiè ac diligenter præ cæteris hoc negotium verſauit Iulius Nigronius *b*; & qui eum ſublegit Benedictus Haëftenus *c*, autor diſquiſitionum Benedictinarum. Nos hinc inde atteremus alia quibus præmiſſis, intactam his autoribus digeſtionem materiæ ad ſacras lectiones accommodatæ, ſuſcipiemus exponendam: Ipſa enim eſt, cui hoc loco eſt maximè inſiſtendum.

b tract. 4. Aſ. ti.
c l. 10. toto tract. 2.

I. *Vſus legendi ſuper Religioſam menſam, Antiquus, & Sanctis Cœnobiorum informatoribus admodùm probatus.*

HOc facilè erit euincere, annotatis, ſeruatâ quantum licebit, temporum Serie, antiquis Patribus in cœnobiis, ex conſtituta mihi lege. Legi qui S. Paulum huic vſui aſtipulatum dicerent 1. Timo 4. vbi redarguens eos qui immunditiam ciborum obtendebant, ait, *eos ſanctificari per Verbum Dei & orationem*: Et hanc quidam accipiunt de benedictione de: *r*: catoria. *Verbum* verò *Dei* interpretantur de lectione ſuper menſam, quæ petitur ex diuinis libris, ſiue quibus diuinum Verbum exponitur. Accedit ad hanc interpretationem Cornelius (adducens Vatablum) necnon Salmeron *b*, & Magalianus *c*, atque Pererius *d*. Vereor tamen ne huiuſmodi interpretatio paucis arrideat; præſertim quia omnes veteres latuit: & eo loco, *Verbum Dei* atque *oratio*, idem iuxta multos ſignificant, vt latè refero tractans ſuaam crucis picturam. Quare aliunde monſtrandum eſt, hunc vſum in ſacris cætibus fuiſſe receptum. Id quod haud difficile præſtabo, ſi præmiſero, perinde videri ad hoc negotium, ſiue lector ex libro, ſiue ex memoria, ſuper menſam agat: Nam ex parte audientium, res eodem modo ſe habet in vtraque illa dictione. Ex parte verò eius qui ad illos agit, diſcrimen non eſt niſi materiale; & vtrolibet modo paſcantur auditorum animi, æquè obtinetur, finis ob quem adhibetur Anagnoſtes. Suffragatur vſus. Nam hodie (præſertim ſolemnioribus diebus) loco lectionis è libro, adhibetur concio, aut diſſertatio facta tempori accommodata. Itaque ſiue Anagnoſtes dicat ex libro, ſiue ex memoria, perinde eſt; & æquè monſtratus manebit Anagnoſtæ vſus, veterus modus agendi ad conuiuas aſtuatur.

a 1. Timot. 4. v. 5.
b ibid. q. 1 3.
c ibid. ſect. 6.
d Rom. 14. diſp. 2.

Peruetuſtum ergo vſum Anagnoſtæ, ad Religioſam menſam, licet petere ex Philone, ex commentario quem conſcripſit *de vita ſupplicum*, hoc eſt, iuxta admodùm communem ſententiam, Religioſorum qui ſub S. Marci diſciplina Alexandriæ ſeruabant vitam cœnobiticam iam ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ cunabulis! Deſcripto quippè eorum diſcubitu, & dapibus, ſubijcit: [Poſtquàm conuiuis ordine ſuo diſcumbentibus,

aſtiterunt miniſtri decenter parati ad obſequium, nullàne ſequitur compotatio? imò ſilentiú maius quàm antea; ita vt ne mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehementiùs. Proponit quiſpiam quæſtionem è ſacris literis aut ſoluit ab alio propoſitam, nihil de ſolutione ſollicitus: nec enim captat laudem argutiarum ac eloquentiæ: hoc tantùm agit, vt rem diligentiùs perſpiciat: tum perſpectam non inuideat minùs perſpicacibus, ſed non minùs diſcendi cupidis. Atque ita immoratus doctrinæ, ſubinde inculcans impriménſque animis ſententias. (Nam expeditam elocutionem, & vna ſerie continuam, mens auditorum non valens aſſequi, à tergo relinquitur, nec ſatis audita percipit,) totum verò auditorium, attentum auſcultat in vno eodémque habitu: intelligere ſe, nutu vultúque indicans; probare verò hilaritate ac exporrectis frontibus; Interdum & dubitare, hæreréque moto leniter capite, ſommóque dexteræ digito. Nec minori attentione, iuniores qui aſtant, audiunt.] En perantiquum, iámque Apoſtolorum æuo vigentem vſum Anagnoſtæ ſuper talig oſam menſam. De recepto poſterioribus temporibus eodem vſu, abundamus teſtimoniis.

a ad q.180. Bren. Sanctus Baſilius *a* hanc interrogationem proponit, quæ apertè ſupponit quod intendimus. [Cuiuſmodi animi affectione, attentionéve, ea debemus audire quæ ad menſam accumbentibus nobis leguntur?] Reſponſio ſubnectitur huiuſmodi: [Maiore multo cum delectatione quàm cum quanta, aut edimus, aut bibimus; ſique vt appareat mentem nequaquam diſtrahi ad corporis voluptates; ſed maiorem in modum ſe in verbis domini oblectare; quod ille faciebat qui dixit ea dulciora ſuper mel & fauum.] Caſſianus non referendus, hunc vſum ad menſam legendi tribuens Monachis Cappadocibus, non Ægyptiis, eo ipſo inſinuat ſe hoc inuentum S.Baſilio adſcribere: nam Monachi Cappadoces S.Baſilij inſtituta amplectebantur.

Sanctus Auguſtinus in Regula pro Sanctimonialibus *b*. Cum acceditis ad menſam donec inde
b Ep.109. cap.5. ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite. Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum.] Et in regula viris
c cap. 8. conſcripta *c*. [Sedentes ad menſam, taceant audientes lectionem.]

d Lib.4.c.17 Caſſianus *d*. [Illud vt reficientibus Fratribus Sacræ lectiones in cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum proceſſiſſe, ſed de Cappadocum nouimus, quos nulli dubium eſt, non tam ſpiritalis exercitationis cauſa, quàm compeſcendæ ſuperfluæ otioſæque confabulationis gratia, & maximè contentionum quæ plerumque ſolent in conuiuiis generari, hoc ſtatuere voluiſſe; videntes eas aliter apud ſe non poſſe cohiberi. Apud Ægyptios, & maximè Tabenneſiotas, tantum ſilentium ab omnibus exhibetur, vt cum in vnum tanta numeroſitas fratrum, refectionis obtentu conſederit, nullus ne mutire quidem audeat, præter eum qui ſuæ decaniæ præeſt: qui tamen ſi quid menſæ ſuperinferri, vel auferri, neceſſarium eſſe præuiderit, ſonitu potiùs quàm voce ſignificat.] Quod ait Caſſianus, lectionem ad menſam non proceſſiſſe ex Ægyptiorum inſtituto, conſonat S.Hieronymo, qui epiſtola 22. deſcribens probatos mores Cœnobitarum Ægyptiorum, ſeruatum quidem ab eis ſuper menſam ſilentium, prodit; dicens, *comedunt nemo loquitur*, id eſt quiſque accumbens menſæ tacet: de obita tamen, ab vno non accumbente lectione ſuper menſam, planè tacet, eámque neque aſtruit, neque inficiatur: nam quod ait; [Nullus in cibo ſtrepitus eſt;] non eſt referendum ad ſtrepitú à lectore editum quaſi inficietur fuiſſe qui legeret; ſed referendum eſt ad inconditam aliquorum comedendi rationem indecentem & incompoſitam; itémque ad collocationem accumbentium. Eo ipſo tamen quod non meminit apud Cœnobitas Ægyptios ad menſam adhibitum eſſe Anagnoſten, videri poteſt S.Hieronymus, fauere potiùs Caſſiano, non numeranti inter Ægyptiorum inſtituta lectionem ad menſam, quam vſurpabant Cappadoces, ea fine quem expreſſit Caſſianus; notans Cappadoces cenſuiſſe, non aliter potuiſſe apud ſe cohiberi contentiones, quàm indicto ſuper menſam ſilentio; inſinuat contentioſum genus Cappadocum de cuius tetris notis non ſemel Iſidorus Peluſiota, *e* ſed nominatim ſcribens ad Didy- e Lib.1.ep. 281.
mum. Quia autem ſilentium abſque auditione ſilentes diſtinente, plenum eſſet odij, induxere lectionem.

S.Benedictus in regula. *f* [Menſis fratrum f cap.47.
edentium, lectio deeſſe non debet.] Et mox. [Summum fiat ſilentium ad menſam, vt nullius muſſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis ibi audiatur. *g*] Egregiè in locum diſſerit Turrecre- g tract.18.
mata.

S.Cæſarius in regula Sanctimonialium. *b* [Se- h cap.16.
dentes ad menſam taceant, & animum lectioni intendant; cum autem lectio ceſſauerit, meditatio ſancta de corde non ceſſet. Si verò aliquid opus fuerit, qui menſæ præeſt ſollicitudinem gerat; & quod eſt neceſſarium, nutu magis quàm voce petat. Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures audiant verbum Dei.] Idem S.Cæſarius in regula Monachorum. *i* [Ad menſam i cap.9.
dum manducant, nullus loquatur: ſed & vnus legat quemcumque librum, vt ſicut corpus reficitur tantum cibo, ita anima reficiatur Dei verbo. Sic dicit Dominus; *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo Dei.* Qualis eſt terra ſine pluuia, & caro ſine cibo, talis eſt anima ſi non reficiatur Dei verbo.]

S.Iſidorus in regula. *k* [Tempore conueſcen- k cap.9.
tium matrum, omnes diſciplinæ gerant ſilentium, obtemperantes Apoſtoli præcepto qui dicit, *cum ſilentio operantes, ſuum panem manducant*: vnus tamen in medio reſidens, benedictione accepta, de Scripturis aliquid legat: cæteri veſcentes tacebunt, lectionem intentiſſimè audientes, vt ſicut corporalis cibus refectionem corpori præſtat, ita mentem ſpiritalis ſermo reficiat.]

S.Fructuoſus in regula. *l* [Cum hora nona l cap.5.
ad conueſcendum conuenitur, dicto Pſalmo, reſidentibus aliis, vnus legat in medio. In cibo ſit ſtrepitus nullus. Nemo comedens loquatur. Si quid deeſt in menſa, is qui præeſt, ſigno dato, vel nutibus ſilenter petat, & indicet miniſtranti quid auferri, vel quid inferri, ſit à menſa neceſſe.]

S.Aurelianus in regula. *m* [Sedentibus ad men- m cap.4.
ſam, quotidie omni tempore dum cibus ſumitur, legatur: vt vterque homo exterior cibo, interior verbo Dei reficiatur, quia ſcriptum eſt,

non

non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.]

a cap. 19. Magiſter, in regula. *a* [Numquam deſit carnali refectioni eſca diuina, ſicut ſcriptum eſt. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei, vt dupliciter fratres reficiant cum ore manducant, & auribus ſaginantur.]

b cap. 19. Paulus & Stephanus in regula. *b* [Reficientes cum gratiarum actione & timore Dei, lectiones audiamus.]

c cap. 3. Anonymus in regula, *c* [Ad menſam nullus penitus præter Abbatem, vel cui ipſe præceperit, pro communi neceſſitate fratrum, loqui præſumat; ſed omnes intento animo, gratias reddentes creatori, in cordibus ſuis, cibi ac potus ſolidæ menſuræ largitione fruantur, *&c.* Antè menſam verò ſemper capitulum regulæ vnum aut amplius, ſi Abbati placuerit legatur: vt cum cibus carnem reficit, lectio animam ſatiet: hæc omnia cum grauitate animi & moderatique leni fiant, quatenus in his omnibus, Dominus delectetur.] Irrepſit mendum in verbis illis *ante menſam*. Legendum quippe eſt, *ad menſam*: alioqui non eſſet verum quod ſubijcitur, lectionem fieri, vt dum venter paſcitur, animus reficiatur.

d cap. 29. Ex regula item magiſtri *d* compertum habetur, vſum viguiſſe, legendi regulam non ante menſam, ſed quotidie in ipſa menſa, niſi cum externi aderant.

e cap. 9. S. Bernardus *e* in regula Templariis præſcripta. [In prandio & cœna, ſit ſemper ſancta lectio recitata. Si Dominum diligimus ſalutifera eius verba atque præcepta intentiſſima aure deſiderare & audire debemus, lector autem lectionum, vobis indicat ſilentium.] Item in Apologia

Cap. 8. ad Gulielmum Abbatem, tanquam valdè incongruum notat in Cluniacenſibus defectum lectionis ad menſam. [Nobis (inquit) conuenientibus in vnum, vt verbis Apoſtoli vtar, iam non eſt Dominicam cœnam manducare; Panem quippè cæleſtem nemo eſt qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum, quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum neſcias in edendo.]

f cap. 4. Regula Carmelitarum. *f* In omni refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem S. Scripturæ audiendo, vbi commodè obſeruari poterit, ſumatis.] Ita quidem Innocentius 4. Regulam Alberti molliens: Nam in ipſa Alberti regula, ſicut non erat communis menſa deerat lectio. Quiſque enim apud ſe cibum ſingulariter ſumebat.

De S. Radegunde Pictauienſis Parthenonis Antiſtite, ſic Baudonina ſupplens Fortunatum. [Inſtituit ipſa vt menſæ aſſidentibus, ſemper lectio adhiberetur, ne ſolæ fauces haurirent cibum; ſed aures etiam, ſuſciperent Dei verbum.]

Recentiores religioſi ad vnum omnes, lectionem ſuper menſam indicunt ſuis, tanquam rem ſtatui religioſo congruentiſſimam; vt ſuperuacuum videatur, in ſingulorum ordinum decretis huc transferendis, laborare.

II. *Alios extra Cœnobitas magni viros nominis, lectionem ſuper menſam adhibuiſſe, iam olim.*

DE Chriſtianis ago, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue Laïcis, quos huic vſui firmando iuuat adſcribere. De Ethnicis vero idem factitantibus, ſeorſim dicam.

De Origene ſic ſcribit S. Hieronymus *g.* [Ambroſius, quo, chartas, ſumptus, notarios miniſtrante, tam innumerabiles libros verè Adamantius & Chalcenterus noſter explicauit, in quadam Epiſtola quam ad eundem Athenis ſcripſerat, refert, nunquam ſe cibum Origene præſente ſine lectione ſumpſiſſe; numquam iniſſe ſomnum, niſi vnus è fratribus, ſacris literis perſonaret, hoc diebus egiſſe & noctibus, vt & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem.] g Epiſt. 18.

S. Nicolaus, vt eſt in eius actis per Leonardum Iuſtinianum B. Laurentij fratrem adnotatis, ſemel duntaxat in die, idque veſperi ſumebat cibum, quo per diem liberiùs ſe aliis commodaret. De eius autem cœna, ſic ſcripſit idem Author. [Numquam ſine ſacrorum librorum lectione, cœnatum eſt.] Cap. 9.

Pœnitentiale Romanum, poſt ablegata ab Epiſcopi menſa quæcunque indigna, ſubdit. [Recitetur ſacra lectio, ſubſequatur viuæ vocis exhortatio, vt non tantùm corporali cibo, imo verbi ſpiritalis alimento, conuiuantes ſe refectos gratulentur, & in omnibus honorificetur Deus.] Ex decreto Euſebij Papæ cap. 12. referuntur prædicta à Burchardo & Iuone quos adducit Antonius Auguſtinus in notis ad Pœnitentiale Romanum. tit. 5. c. 8.

S. Auguſtinus iam Epiſcopus, nec in cœnobio cum fratribus, ſed in Epiſcopio cum Coëpiſcopis, aliiſve grauiſſimis perſonis cibum ſumens, lectionem ſuper menſam adhibebat, quod his verbis prodit Poſſidius. *h* [In ipſa menſa, magis lectionem vel diſputationem quàm epulationem potationémque diligebat: & contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis, in ea ita ſcriptum habebatur. h cap. 22.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Et ideò omnem conuiuam, à ſuperfluis et noxiis fabulis & detractionibus, ſeſe abſtinere debere admonebat. Nam & quoſdam ſuos familiariſſimos Coëpiſcopos, illius ſcripturæ oblitos; & contra eam loquentes, tam aſperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos illos eſſe de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod ego & alij qui illius menſæ interfuimus, experti ſumus.] Ne ergo ad hæc moleſta deueniret, merito S. Antiſtes magis probabat lectionem, aut vnius de ſacro quopiam argumento diſſerentis, audientibus cæteris, diſputationem.

De S. Germano Pariſienſi Epiſcopo, ſic in eius actis Fortunatus. *i* [Cum venit ad menſam, confeſtim affuit miniſter recitans diuina colloquia; vt inter cibi fercula, animi paſtus alimento, plus ſaturaretur conuiua.] i cap. 79.

Ioannes Epiſcopus Syracuſanus *k* S. Gregorio Magno amicus curabat ad menſam ſuam legi ipſa S. Gregorij ſcripta, vt ex his S. Gregorij ad k L. 6 indict. 15. Epiſt. 9.

eum

eum verbis habetur. [Audio quod aliqua de his quæ ſcripſiſſe me memini, fraternitas veſtra ad menſam ſuam coram extraneis legi faciat: quod mihi non videtur eſſe faciendum; quia hoc quod vos pro charitate facitis, poſſunt quidam quantum ad me eſt, vanæ gloriæ deputare, ideoque coram extraneis, antiquorum dicta legite; ex quorum authoritate valeant qui audierint, informari.]

S. Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus, vt in eius rebus geſtis recenſet Berno Augienſis; [Ad menſam cum aliis ſedens, illis manducantibus & bibentibus, ipſe penè manebat ieiunus. Erat ei cibus, aut dulcis pſalmorum ſuauitas, aut ſacrarum lectionum aſſiduitas; inter quas maximè delectebatur audire ex quarto libro Dialogorum S. Gregorij, qualiter multi è corporibus exempti in ſpiritu rapiebantur, ac iterum reuertebantur.]

S. Anſelmus referente Edinero *a*, abductus è Cœnobio, & in Cathedra ſeniorum collocatus, lectionem ad ſuam menſam adhibebat, ſed diſputationibus ſacris conditam, vt hæc Edineri verba diſertè ferunt: [Anſelmus ad refectionem corporis ſedens, modò de ſacra quæ coram eo legebatur lectione, materia loquendi ſumpta, conueſcentes ædificabat; modò ex ſua parte ſacra verba ediſſerens loco ſacræ lectionis præſentium mentes inſtruebat; modò de aliqua re vtili vel neceſſaria requiſitus, requirentem pariter & coaudientes mira ſuauitate reficiebat:] Interſerit Edinerus longam diſputationem quam S. Antiſtes habuit de ſumma vtilitate vitæ ex obedientia exactæ, etiamſi cum aliqua guſtus ſenſibilis intercisione; tum addit. [Quibus inter epulas occupari ſolitus erat, leui exemplo monſtrauit: Nam ſi de humilitate, de ſapientia, de manſuetudine, & de hac quam paululum nunc tetigi obedientia, necnon de aliis innumeris ac profundis ſententiis, eum vt ſingulis ferè diebus audiebamus diſſerentem, introducerem; aliud opus cudendum, & quod in manu habebamus, eſſet intermittendum. Quando ergo (ait aliquis,) manducabat? Manducabat planè inter loquendum, parcè quidem, & vt mirateris vnde viueret. Verumtamen ſatebatur, (& verum eſſe cognouimus,) quia dum alicui longæ diſputationi occupatus erat, magis ſolito neſcienter edebat, nobis qui propinquiores ſedebamus, clanculo panem ei nonnumquam ſubminiſtrantibus. Cum verò abſentibus hoſpitibus, priuatim cum ſuis ederet, & nulla quæſtio ſpiritualis cuiuſvis ex parte prodiret, prælibato potiùs quàm ſumpto cibo, mox ceſſabat, lectionique intendens manducantes expectabat.] Itaque lectio exordium menſæ faciebat, tum diſputatio ſuper lectionis materia, aliáve quapiam alicunde ingeſta, ſuccedebat: & ſi quæſtio deerat, lectio continuabatur per totum menſæ tempus.

De S. Thoma Cantuarienſi, quod ad menſam adhibuerit lectorem habent eius Acta. De S. Cæſario Arelatenſi Antiſtite, ſic ſcribit Cyprianus. [Ad prandium, & ad cœnam, menſæ ſuæ, ſine ceſſatione, quotidie legebatur; vt vterque, interior exteriórque homo, ſatiatus refectione duplici lætaretur.] Expendendum illud *ſine ceſſatione*, quod duplicem ſenſum facere poteſt. Nimirum, vel quod nunquam omitteretur lectio, tametſi duntaxat ad partem aliquam prandij aut cœnæ, vt ex vſu nunc eſt multorum Antiſtitum: vel certè quod toto tempore prandij, & toto tempore cœnæ, lectio continuaretur, vt fit in cœnobiis benè compoſitis. Et hunc poſteriorem ſenſum verborum Cypriani, magis probo, quia meliùs congruit rationi à Cypriano adductæ, cur vir Sanctus, lectionem ſuper menſam, vſurpatam vellet.

S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, referente in eius actu Guigone, Carthuſiano. [Moltoties per lacrymas ſibi & ſociis, conuiuium (maximè aliquos ante finem annos,) vel impediebatur, vel fuſcabatur. Habebat quippè lectorem, à quo ſanctos codices (quorum non paucos ſcribi fecerat,) & alibi, & præcipuè ad menſam, ſibi legi faciebat, vt duplicatis deliciis ſeſe ſuóſque ſaginaret: cúmque lectori de diuinis vel ſeueritatibus vel commiſerationibus aliquid occurriſſet inſigne, idipſum bis aut ter dicere compellebat. Nec mora, ſpirituali per ſcripturam voluptate guſtata, concuſſis ab imo viſceribus, tantis lachrymarum infundebatur irriguis, vt voluptatem ventris & gutturis, & ſibi funditus tolleret, & in ſociis mitigaret. Edocti itaque per experientiam comites, cum tales motus cernerent imminere, innuebant lectori cedere, & aliquantiſper à legendo ceſſare, vt taliter moleſtiam hanc poſſent ad tempus declinare.] cap. 11. vitæ.

S. Carolum, Antiſtitum æuo ſuperiore gemmam, pia lectione ad menſam vſum; aliquando etiam ab vno aliquo è ſeminarij clericis, audientibus ſilentio cunctis, ſacram concionem loco lectionis habitam ſcribit Petrus Guiſſani, *b* nec non Carolus à Baſilica Petri, Nouarienſis Epiſcopus, *c* vterque in ſancti viri actis. b *Lib. 1. de vita eius cap. 9.* c *Lib. 7. cap. 16.*

Non inferiores tantùm Præſules ſiue Epiſcopi ſiue Cardinales, ſed ipſi etiam Epiſcoporum Epiſcopi, Pontifices inquam Romani, adhibere lectorem ad menſam, ſua dignum pietate cenſuerunt. Ita enim de Stephano VI. teſtatur Anaſtaſius. De Gregorio item XIV. ſic habet Auguſtinus Card. Valerius, Opuſculo de benedictione Agnorum Dei, *pag. mihi* 174. [Laudabilem illum morem verbis extollerem, quem adhibendum in toto conuiuio cenſes, vt ſummorum virorum lectione condiatur; aut ex S. Bernardi libris quinque de conſideratione; aut è B. Chryſoſtomi Dialogo de Sacerdotio, ſex libris diſtincto; vel de S. Gregorij Nazianzeni Apologetico; vel demum ex Paſtorali Beatiſſimi Patris Gregorij, vt huiuſmodi lectionibus, menſa vicarij Chriſti, dignis epulis ſpiritualibus ac ſalutaribus, ſummi Pontificis animus, & conuiuarum Cardinalium, recreari maximè poſſit.]

Minus fortaſsè mirum videatur, homines ſacros & paſtores caulæ Chriſti ſic ſe geſſiſſe, cum etiam homines ſæculi, vſurpârint ſanctum morem de quo agimus. Vettium virum illuſtrem deſcribens *d* Sidonius hoc decus non omiſit. [Sacrorum (inquit de eo,) voluminum lectio frequens, per quam inter edendum ſæpiùs ſumit animæ cibum, *&c.* nouóque genere viuendi Monachum complet, non ſub pallio ſed ſub paludamento.] Addit rectè ſub epiſtolæ finem Sidonius, eum interim habitu impoſuiſſe præſenti ſæculo: ſe verò plus admirari ſacerdotalem vitam, quàm ſacerdotem. d *Lib. 4. Epiſt. 9.*

Merouei Franci poſtulatum huiuſmodi refert Gregorius Turonenſis. *e* [Quadam die ad conuiuium e *Lib. 5. Hiſt. Franc. cap. 14.*

conuiuium

a *Lib. 2. ſub initium.*

alum eius accitus, dum pariter ſederemus, ſuppliciter petiit, aliqua ad inſtructionem animæ legi.] Hunc tamerſi presbyterum, inter laïcos refero, quia vitam viuebat laïci: nec niſi per vim, aut ſimulationem, vt Chilpericum patrem ac Fredegondem nouercam leniret, ſacræ adſcribi militiæ ſuſtinuit.

Carolus Magnus Germanis ac Gallis inter ſanctos cælites recenſitus, lectionem ſuper menſam adhibebat, referente his verbis Eginharto. [Inter cœnandum, aut aliquod acroama, aut lectionem audiebat. Legebantur ei hiſtoriæ, & Antiquorum Regum Geſta, delectabatur libris S. Auguſtini, præcipuè de Ciuitate Dei. [Eadem habet Krantzius *a*, niſi quod non meminit acroamatis, ſiue diſſertationis de aliquo amœno argumento, ſed tantùm lectionis librorum.

a lib. 2. Saxoniæ c. 8.

B. Romaricus Comes Auſtraſius, ab Euſtaſio Abbate Sancti Columbani ſucceſſore, ad curandum Dei negotium & idololatriæ reliquias penitus euellendas, ac vitiorum ſentes eradicandas, ſubmiſſo B. Amato Loxouienſi monacho ſalutatus eſt. [Amatus (aiunt acta.) Metas cum veniſſet, à S. Romarico benigniſſimè hilariſſiméque acceptus, priſtinam in eo perfectionis vitæ flammam, ardentibus piiſque ſermonibus renouauit: die præſertim quodam, cum ab illo rogatus fuiſſet, vt ſuper menſa dum cibo reficeretur animus, diceret; ille verò menſam videns aureis argenteiſque lancibus onuſtam, occaſionem exinde accepit, vt de fluxa horum ſimiliúmque bonorum natura, & inconſtantia diſſereret. Qui eorum (aiebat) poſſeſſores ſunt, ij ſæpiſſimè illorum non tam Domini quàm ſerui ſunt: verè autem Domini ſunt, qui ils ad ſummi æternique Domini voluntatem ac nutum ad animarum ſuarum vtilitatem ac ſalutem, benè vtuntur, & cum illum in rem plura diſſeruiſſet, ita ſermonem claudebat, vt ſapientiſſimum & quodammodò felicem monſtraret, qui Domini vocem audiret, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Commouerunt valdè, hæc & ſimilia, omnium qui ad bonum ſemen terra bona erant, ſed in primis Romarici principis animum, in quo vetus religionis amor, ac deſiderium quo flagrarat adoleſcentior, inflammari rurſum, ac reuiuiſcere cœpit illico.]

De B. Geraldo comite Aureliacenſi, ſic ſcribit S. Odo vitæ eius author. [Refectionis tempore, ingens ei reuerentia ſeruabatur. Non ibi loquacitas aut ſcurrilitas præualebat, ſed vel neceſſarij vel honeſti ſermones, vel certè diuina eloquia dicebantur; Per omne enim tempus, ſemel in die prandebat &c. Ad eius menſam primò diuinus legebatur: ſed vt ſæcularibus condeſcenderet, lectionem interdum ſuſpendens, quærebat à Clericis, quid in ea diceretur: ab ipſis tamen quos nouerat poſſe reſpondere, ſic quidem nobiles Clericos nutriebat &c. Cum ergo illi quos de lectione requirebat, illum rogarent, vt ipſe potius loqueretur, tandem ſolebat proferre, quod ei non pompoſa diſertio, ſed docta ſimplicitas miniſtrabat. Interim verò cum è veſtigio non deeſſent, qui facetias quaſdam (vt aſſolet,) aut iocularitates mouerent, non eas mordaci indignatione, ſed quaſi iocando compeſcebat. Numquam tamen vanitatem coram ſe protrahi ſinebat. Nouerat enim, quod omnibus in commune Chriſtianis iubeatur, vt vnus quiſque cum ſilentio ſuum panem manducet. In refectionis autem fine, lectionem ſemper lector iterabat. Ita Geraldus vel de Deo loquens, vel Deo ſibi per lectionem loquente, maximum refectionis tempus expendebat.]

Non fuit ergo infrequens, viros magnos vtriuſque ordinis ſuper menſam audire, vel lectorem, vel diſſertatorem, imò Dionyſius Richelius *b* ex Ægidio Columna author eſt Regibus ipſis, vt id inducant in vſum ad menſas ſuas, recidendi oblocutiones & multiplices nominis offenſas. Ac ne cui videar ex me abſona quædam proferre, Ægidij Columnæ locum iuuat adſcribere ex ipſa meta libri ſecundi de Regimine Principum [Si ad menſas Regum & Principum, aliqua vtilia legerentur, vt ſimul cum fauces recumbentium cibum ſumerent, eorum aures doctrinam perciperent, eſſent omnino decens & congruum. Ordinare igitur deberent Reges & Principes, vt laudabiles conſuetudines regni, ſi tales ſunt in ſcripto redactæ, vel etiam laudabilia geſta prædeceſſorum ſuorum, & maximè eorum qui ſanctè & religiosè ſe habuerunt ad diuina, & qui iuſtè & debitè regnum rexerunt, legerentur ad menſam; vel legeretur ad menſam, liber de regimine Principum; vt etiam ipſi Principantes, inſtruerentur qualiter principari deberent, & alij docerentur quomodò eſt principibus obediendum. Hæc ergo vel alia vtilia tradita ſecundùm vulgare idioma, vt omnes per ea edoceri poſſent, in menſis Regum & Principum legenda eſſent.] Hoc iure commendat Richelius: videndus item Antonius Gueuara. *c*

b Lib. de regim. Princ. artic. 19.

c Lib. 2. c. 18 horol. Princ.

III. *Sapientes quoque externi ſuper menſam, ſilentes audire legentem aut diſſertantem ſoliti.*

EMbolum hoc appono ad amœnandam potiùs diſputationem, quàm ad neceſſitatem. Ergo pij Chriſtiani, ſiue Laïci ſiue Eccleſiaſtici, æmulati hac in parte ſunt ſapientes Ethnicos, quibus vſus Anagnoſtæ ſuper menſam placuit, vt ſubjecta exempla monſtrabunt.

Titum Pomponium Atticum, ſic conuiuantem deſcribit Cornelius Nepos. *d* [Vſus eſt familia, ſi vtilitate iudicandum eſt, optima: ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri literatiſſimi, Anagnoſtæ optimi, & plurimi librarij; vt ne pediſſequus quidem quiſquam eſſet, qui non vtrumque faceret;] hoc eſt qui & ſcribendis libris, & ad herilem menſam legendis, eſſet peridoneus. Subdit Nepos. [Nemo in conuiuio eius, aliud acroama audiuit, quàm Anagnoſten, (quod nos quidem iucundiſſimum arbitrabamur:) Neque vnquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt; vt non minùs animo, quàm ventre, conuiuæ delectarentur.] Pro hoc Romano more, viros magnos adducit idem Cornelius Nepos.

d in Attici vita.

De Plinio patruo ſic iunior *e* ſcribens ad Marcum. [Super cœnam liber legebatur, adnotabatur, & quidem curſim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronunciaſſet, reuocaſſe & repeti coëgiſſe. Huic auunculum meum dixiſſe: intellexeras nempè?

e Lib. 3. Epiſt. 5.

Cum ille annuiſſet? Cur ergo reuocabas? Decem ampliùs verſus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis.] De correctoris tamen commodo, dicendum poſtea. a lib. 9. epiſt. 36. Item Plinius Iunior de ſeipſo. a [Cœnanti mihi ſic, cum vxore vel paucis, liber legitur. poſt cœnam comœdi aut Lyriſtes.] Similis eſt & hic alius apud eum locus. [Quàm multi cum Lector, Lyriſtes, aut Comœdus inductus eſt, calceos poſcunt?] Abſurdè prorſus. Nam tum maximè hærendum erat & attendendum, quod in lecto iacentibus faciendum erat abſque calceis; quos cœnaturi, propterea ponebant, iuxta illud Martialis. b lib. 5. b

Depoſui ſoleas, adfertur protinùs ingens
Inter lactucas &c.

Terentius item agens de accingente ſe ad cœnandum. [Accurrunt ſerui, ſoleas detrahunt. Video alios feſtinare, lectos ſternere, cœnam parare.] Excalceari ſanè oportebat Iudæos recubituros; quandoquidem pedes lauabant vt fert illa Chriſti cum Simone expoſtulatio. [Intraui in domum tuam aquam pedibus meis non dediſti.] Vtique pedibus pro more ante menſam lauandis: è contrario qui à menſa regreſſurus erat poſcebat ſoleas. Vnde illud Horatij, *Et ſoleas poſcit.* Plinius ergo vt incongruum proponit, quod multi cum erat cœnandum, & Lector, vel Lyriſtes, vel Comœdus qui inter cœnandum conuiuas diſtineret, inductus eſſet, calceos poſcerent.

c lib. 15. c. 11. Varronis locus, apud Gellium c exſcriptus legitur, quo ille, Auguſtino iudice doctiſſimus Romanorum, agens de conuiuiis, excludere ab eis videtur Anagnoſtem. Ait enim tum demum fore conuiuium omnibus ſuis numeris abſolutum, ſi attendantur adiuncta omnia; & præſertim qui allegantur conuiuæ.] Nam nec loquaces conuiuas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro & apud ſubſellia; ſilentium non in conuiuio, ſed in cubiculo eſſe debet. Sermones igitur temporis habendos cenſet, & non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed iucundos atque inuitabiles, & quadam illecebra & voluptate vtiles; ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat, & amœnius. Quod profectò (inquit,) eueniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ vſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium.] Videntur iſta excludere Anagnoſten, & tantùm pro ſermonibus conuiuialibus facere. At audi quid ex eodem Varronis libro, ſubijcit Gellius. [In conuiuio legi non omnia debent, ſed ea potiſſimùm, quæ ſimul ſint βιωφελῆ, id eſt vitæ vtilitatibus conducentia, & delectent.] Itaque non excludebat Varro à conuiuio, Anagnoſten, ſed plenum duntaxat ſilentium; quod ſilentibus licet conuiuis, ſolui poterat per adhibitum Anagnoſten; cuius ex parte vſus probatus videtur Varroni; ex parte autem prudentis, & tempori accommodæ conuiuarum confabulationis: quali ſuper menſam vrbana cum ſuis aulicis congreſſione, vſum S. Geraldum Comitem Aurilliacenſem, ſuperiùs ex S. Odone retulimus.

De Alexandro Seuero, ſic Lampridius. [Cum inter ſuos conuiuaretur, aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari dicebat, & paſci: habebat & cum priuatim conuiuaretur, librum in menſa, & legebat.]

Marcum Aurelium Imperatorem, per totum tempus quo ad clauum Imperij ſedit, numquam cibum ſumpſiſſe abſque Anagnoſte, vel Philoſopho diſſertatore, proditum eſt.

Phauorinus philoſophus eidem Gellio frequenter laudatus, lectorem ad menſam adhibebat. Ea quod Romanis frequentius eſſet, nónniſi veſperi cibum ſumere, *Cæna* vocatur apud prædictum Gellium, qui ſic alicubi d habet. d lib. 15. c. 19. [Apud cœnam Phauorini philoſophi, cum diſcubitum fuerat, cœptúmque erat apponi cibus, ſeruus aſſiſtens menſæ eius, legere incœptabat, aut Græcarum quid literarum, aut noſtratium velut eo die quo affui ego, legebatur C. Baſſi eruditi viri liber de origine ventorum & vocabulorum.] Item alibi. e [Nuperrimè apud menſam, e lib. 9. cap. item 9. cum legerentur vtraque ſimul Bucolica Theocriti, & Virgilij, &c.] Æquè ſupponi videtur habita in conuiuio lectio apud Herodem Atticum f, f lib. 1. c. 2. cum ſugillatur vaniloquium adoleſcentis qui ſe Stoïcum dicebat; [Et in conuiuio ſermonibus qui poſt epulas haberi ſolent multa atque immodica de philoſophiæ doctrinis intempeſtiuè atque inſubidè diſſerebat.] Nam ſermones in conuiuio poſt epulas, ij videntur dicti, qui confeſtim à conuiuio, poſtquàm dempta fames, epulis, & lances remotæ, habebantur à conuiuis; cum ſuper ipſum conuiuium ſilerent, & Anagnoſtem attenti audirent.

Etiam Turcæ, tametſi omnium mortalium inculiſſimi, & à literarum ſtudio prorſus auerſi, tamen hac in parte à moribus agreſtibus queis ſordet eorum natio, deſciuerunt: Itaque Leunclauius g teſtatur, Turcarum Imperatores quoties g In Annalibus Turc. inuitaſſent conuiuas, curaſſe legi Alcoranum ſuper menſam, & adhibuiſſe Taliſmanos, qui ſapientibus diſſertationibus, animos reficerent conuiuarum.

IV. Quorſum adhibitus ſuper menſam Anagnoſtes.

VT intelligatur ex quo fine adhibeatur ad menſam Anagnoſtes, præmittenda eſt neceſſitas ſilentij inter veſcendum. Eam Clemens Alexandrinus h petit ex indecentia. [Cauendum h lib. 2. pæd. cap. 1. (inquit) ne inter comedendum loquaris. Fit enim vox indecora, & non ſatis expreſſa, ac ſignificans; vt quæ plenis maxillis in anguſtum coërcetur & lingua quæ nutrimento premitur, à naturali operatione præpedita oppreſſam edit prolationem.] Sed ſunt multo grauiora incommoda quæ ſilendum veſcentibus ſuadent. In primis quia concalefacta per cibum & potum corpora, linguam quæ non fruſtrà in vdo eſt quia facilè labitur, vt D. Auguſtinus i ſcitè dixit, ſi loquendo ſoluatur, in i Ieſſit Nouit. c. 18. varias noxas facilè impellunt. Et idcirco iuxta Hugonem. [Taciturnitas inter epulas neceſſaria eſt, idcirco lingua quæ omni tempore prona ad peccatum labitur, periculoſiùs, cum per crapulam inflammata fuerit ad loquendum relaxatur: propterea enim diues qui inter epulas loquacitati ſeruierat, poſt in Inferno poſitus, vehementiùs in lingua ardebat.] S. Auguſtinus referente Poſſidio, k maximè timebat oblocutiones per conui- k cap. 22. uas cibo ſaturos, & vino rigatos. Non difficilè eo-

dem retulerim quod de laceratione abſentium in cibi ſumptione, Hieronymus inuitans Marcellam ad rus Bethleëmiticum, & ſeceſſionem à Romanæ vrbis ſtrepitu, captandam de mente preſſa prandijs, & frequentia ſalutandi, queſtus, *a epiſt. 18.* addit *a*. [Deinceps itur in verba, ſermo teritur, lacerantur abſentes, vita aliena deſcribitur, & mordentes inuicem, conſumimur ab inuicem. Talis nos cibus occupat & dimittit.] An legendum, tales nos cibus occupat & dimittit? vt ſcilicet ſit & ſuper cibum, & poſt eum ſumptum tales ſumus in ſermonibus & confabulationibus. Cappadoces Monachi à quibus vſus lectoris Cœnobitici ortum duxit, proſpectum voluere rixis ac con- *b lib. 4. c. 17.* tentionibus, alioqui apud eos vt Caſſianus *b* ait vix impedibilibus, eo quod genius Cappadocum eſſet rixoſus ac contentioſus, & accedente irritamento per eſculenta & poculenta multo ma- *c lib. de vita contemp.* gis efferaretur petulantia. Philo *c* poſt deſcriptam ſupplicum in cibo ac potu moderationem, eo quod ederent ne eſurirent; biberent ne ſitirent, nit eos caniſſe ſaturitatem, vt inimicam animo pariter & corpori. In quam rem, quanta mala conſequantur rixas & contentiones inter conuiuandum enaſcentes, graphicè exhibet, truculentiores huiuſmodi Gaſtrimargos côuiuas ſtatuens, Cyclope Polyphæmo, frutta humanarum carnium mandente. [Nam Cyclops hoſpitaliter tractabat quos habebat inimicos. Iſti verò cum familiaribus & amicis, interdum cognatis, communi ſali menſæque adhibitis, contra iura hoſpitalitatis omnia, nihil veneriti ſacra libamina quibus conciliari debuiſſent, ſic conflictantur tanquam in arena vel pancratio; eò deuenientes ſoluto conuiuio, vt ad medicos confugiendum ſit, ac iudices, mulctandi maioris cauſa.] *d Baſſus Epigr. 1.* *d* Nimirum nihil adeò calefacit corpora, quàm ciborum, & præſertim vini congeſtio. Nam vinoſus,

Dulce bibit, non dulce furit: tũ turgida vena eſt,
Mars ſubit & calidus arma virúmque canit,
Ilicet exiliunt ad iurgia Centaurea,
Ad Centaureas exitiúmque neces.
Tum petitur durus Cœlum; tum vapulat æther;
Tũ Phlegeton nihil eſt; ſtyx Acherónq; nihil.
Omnia vinchiſono tunc ſunt ludibria naſo,
Quidquid Auernus habet, quidquid Olympus habet.

e lib. 2. Diſ. Et ideirco noſtram ſapientiam vino hebeſcere, aut (vt alia verſio habet) obumbrari, ex Eubulo & Philæta, aſſerit Athenæus: & è contrario, aquæ potum iudicio ac ingenio commendare, ſubiectis *f ſect. 1. hy. drag. cap. 3. n. 18.* pleriſque exemplis monſtrat Marſilius columna *f*.

Auertendis igitur adeò grauibus incommodis concalefacta per cibum ac potum corpora conſequentibus, ſi ſuper menſam conuiuæ in ſermones effundantur, peropportuna fuit ſilentij per illud tempus obſeruatio multis ideirco *g lib. 23.* gentibus adamata, referente Ammiano; *g* & be- *h lib. 3 in Iobum.* nè his paucis Origene *h*. [Perſarum ac Medorum atque Chaldæorum regna & gentes, omnes puſilli ac magni, cum manducauerint, non loquuntur; cum biberint, non ſermocinantur: maximam notam irrationabilitatis hanc eſſe exiſtimantes, ſi manducans quis, loquatur, vel bibens concionetur. Idcirco in eſcis & potibus os non aperiunt ad loquendum; neque qui miniſtrant, neque quibus miniſtratur, ſed nutibus, omnibus miniſtrantibus præcipiunt. Hanc conſuetudinem pro mandato a prioribus accipientes, & velut legem, hanc cum ſollicitudine obſeruantes. Et qui hanc violauerit, tanquam maximè tranſgrediens iura torquetur.] In Tauri philoſophi menſa cum primùm ad reficiendum corpus ventum eſt, tempus tacendi aduenitſſe ait Gellius *i*. Et alio loco, *i Gellius l. 17 cap. 8.* [Erat initiũ loquendi, & tacendi finis.] *k*. Arctiſ- *k lib. 6. c. 24.* ſimè idem inſtitutum tacendi in menſa tenuerũt probatiores ſapientes, noſtri inquam, & præſer- *l cap. 47.* tim Aſcetæ. S. Benedictus *l* ſummum, (ſic enim appellat,) id eſt nulla voce interciſum, præſcribit in menſa. Allegant hunc locum ſtatuta Clu- *m cap. 22.* niacenſia *m* & valdè commendant ſilentium ad menſam, eſſéque omnium modernorum Religio- *n c. 9. Reg.* ſorum vſum teſtantur. Tetradius *n* item omnem loquendi facultatem, eunuis ſuorum in menſa, interclufit. Et præiuerat S. Pachomius in regula per Angelum dictata, quæ legitur apud Palla- *o cap. de Tabennſium.* dium *o*. Itaque de ſapientum Aſcetarum ſententia ſilendum eſſe veſcentibus, ratum eſto; idque maximè Religioſos decere, confirmat Andreas *p lib. 1. c. 18.* Schottus, ſua de ſilentio tractatione *p*.

Nec verò eſt quod quis obtendat inſignem fructum piorum ſermonum dextrè ingeſtorum inter conuiuandum. Teſtatur ſanè Gregorius 3. *q* *q epiſt. 126. inter Bonifacianas.* [Plerunque contingere, vt quos correctio diſciplinæ tardos facit, ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum ſedula & blanda admonitio ad vitam perducat veritatis ac iuſtitiæ.] Itaque author erat S. Bonifacio, vt menſas etiam improborum, (dummodò non Hæreticorum,) ne refugeret. Et viri ſanctitate inſignes, hanc ob cauſam, à conuiuiis ſæcularibus non abhorruerunt, vt per eam occaſionem corporalium epularum ſpiritales inferrent; quod Serarius *r* exem- *r ad dict. epiſt.* plo SS. Arnoldi, & Anſgarij, atque Macarij Ale- *s lib. diu. lect. c. 23.* xandrini, & Dionyſij corpore exigui, animo maximi apud Caſſiodorum *s*, necnon S. Xauerij, *s lib. 2. c. 5.* Turſellino vitæ eius authore referente, confirmat: ſed nullum poſſit proferri exemplum ſimilec ei quod Lucæ 7. ac 14. & Ioannis 2. ac 12. legitur de Chriſto, qui conuiuia non eſt dedignatus, vt per ſermones in iis habitos, doctrinam vitæ pro corporalibus dapibus inferret. Inter ipſos Ethnicos, Xenocrates Palæmonem ebrium, ad frugem bonam repentè conuertit; inter epulas quibus differtus erat philoſophicis ſermonibus mutatum in virum alium, vt D. Auguſtinus *t* *t ep. 130.* notauit: Auguſtus Philone teſte, ſermones huiuſmodi ſuper menſam adamabat, & idem à Macrino factum, Capitolinus eſt author. Itaque poſſent fortaſsè pij ſermones, poſthabita ſilentij lege in conuiuiis vſurpari citra noxam, & ſecluſis incommodis quæ timeri dicebantur. Non malè hæc dicerentur, ſi ex ſemper eſſent perſonæ quæ propoſitæ ſunt; & ſi par neceſſitas indulgendi cætera diſcolis vel ſpiritualium rerum rudibus intercederet. In communi autem vſu Religioſorum, longè aliter ſtatuendum eſt: [Prorſus quippè (ait quoad eos Laurent. Iuſtinianus, *u*) lin- *u lib. de diſcipl.* gua refectionis tempore religanda eſt à ſeruis Dei, quibus omnis congruit diſciplina ſanctitatis. Quis autem explicet verbo, quanta inania, diſſoluta, & detractoria proferantur in conuiuiis verba? Quantum diſtrahuntur animos, repleatur venter, & offendatur Deus? Si verò hæc in ſæcularium comeſſationibus deteſtanda ſunt, quantò magis in refectionibus ſeruorum Chriſti, quibus omninò interdicitur huius conuerſatio ſeculi?] Quare pro certò eſt ſtatuendum, arctè

eſſe tenendum ſeruis Dei ſilentium inter corpus reficiendum. Quod ſi vrgens neceſſitas ad aliquid aliud ſignificandum vrgeret, adhibeant digitos, ſicut olim numeri exprimebantur varia & multiplici conformatione digitorum; (*Indigitatio* vocatur apud Bedam, Opuſculo de loquela per motum digitorum, quod habetur Tomo 1.) vt alia quoque per digitos variè diſpoſitos manifeſtentur, induci poteſt. Allegatur de his ſignis, & eorum notitia, Caput integrum in lib o conſuetudinum Cœnobij Cluniacenſis, *a* quos non vidi, nec habentur in Cluniacenſi Bibliotheca.

a cap. 52. aduerſ. ſacr. n. 6.

Meminerunt eorum ſignorum Ethnici: ſic in Epiſtola Helenæ ad Paridem Naſo,

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notaui,
Signa ſupercilio, penè loquente dari?

Eam ob rem Claudianus de Manlij conſulatu, *manum* vocauit *loquacem*.

Qui de mutorum Sacramentali confeſſione agunt, non excludunt eos obligatione exprimendi peccata, ſi per nutus poſſint ea aperire. Varios in eam rem adducit Diana parte 5. tract. 6. & eſt ſanè Arelatis in Prouincia, familia nobilis *de Berne*, cui hæreditarium ferè (aliquando tamen interciſum,) incommodum eſt, mutos habere. Hi ad ſtuporem, ſignis ſolis mota manu adhibitis, ſua ſenſa exprimunt; & ſuo tempore confitentur de peccatis, contrahunt matrimonia, nuncia quæ vndecumque excipiunt, effundunt ad alios, & ab eis intelliguntur, ſequeſtro domeſtico famulo, ea longa eum hiſce mutis conſuetudine, perito ſignificationis geſticulationum quibus euolgant quæ mente conceperunt. Vt videas non debere ludicrum exiſtimari quod aiebant, Monachos in neceſſitate, potuiſſe certis nutibus, abſque ſilentij per voces violatione, exprimere quod occurrebat ſignificandum alteri. Quæ eorum praxis, confirmat ſenſum veterum de ſumma neceſſitate ſeruandi omnimodè ſilentium ſuper menſam.

Quid ergo tunc faciendum? Num quod in regula Tarnatenſi præſcribitur? [Ad inſtar cibi, ſacrarum Scripturarum meditatio ruminetur, ne eſcam tantum, corpus accipiat, ſed verbo Dei anima paſcatur eſuriens.] Affine eſt, quod omnibus fidelibus præſcribebat S. Eligius de rectitudine Catholicæ conuerſationis. Et habet etiam S. Baſilius, ſcribens ad Gregorium Theologum de vita agenda in ſolitudine. [Inter epulandum, hoc cauere conuenit, ne helluantium ſpeciem præbeamus, ſed & conſtantiam, & manſuetudinem vbique retineamus; atque in percipiendis voluptatibus, æquabilem continentiam. Ne tum quidem porrò, ita animis eſſe feriatis nos oportet vt commentatione rerum diuinarum vacemos? Quippè qui alimentorum naturam corporiſque aliti officium, argumentum habeamus diuinas laudes exordiendi: vtique cum in mentem nobis venit, quomodò varia cibi genera, corporum qualitati accommodata, ab eo ſint inuenta, qui omnia moderatur & regit.] Guillelmus Pariſ. lib. de virtutibus *b*, tractans varios ſapores animæ, tertium ſtatuit comedere, non vt iumenta faciunt purè bruto modo, ſed ad modum à S. Baſilio tactum; hoc eſt meditando diuina inter comedendum. Qua ratione anima inſidens iumento corporis, epulas ſibi conſentaneas deguſtat. [Corpus (inquit,) habendum eſt vt iumentum; & propter hoc ipſa menſa corporalis, vt præſepe, & totum habitaculum. Cum autem iſte ſapor palatum cordis benè diſpoſiti erubeſcat; indubitanter ſpiritus ſeſſor vel aſcenſor iſtius equi, comedet ad præſepe equi vel aſini ſui, atque comedet cum equo vel aſino ſuo, & reijciens à ſe cibum corporalem tanquam fœnum vel auenam equi vel aſini ſui, quæret ſibi cibum congruentem & proprium; ſcilicet ſpiritualem ad cuius delicias pertingere non poteſt equus prædictus, vel aſinus. Propter hoc ergo dictum eſt, Hier. 15. *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris*; Spiritum ſcilicet ſeſſorem, à carne, equo, vel aſino; & delicias ſpirituales à fœno & auena corporis, menſámque à præſepio, & cæleſte palatium à corporis ſtabulo. Quis enim niſi inſenſatus, non ſolum non erubeſcat, ſed etiam abominetur, & perhorreſcat, comedere cum aſino ſuo in præſepio, aut cum porco vel porca ſua, in vaſe ſulphureo? Porcus autem ſpiritualis, aut porca, corpus humanum eſt, ſi quis immunditiam aut ſpurcoſitatem eius attendit.] An igitur ſat erit ſilentem in menſa meditari ſpirituale quippiam, nec comedere vt aſini ac porci faciunt; non ſumendo cibos, niſi ſecundùm quid, quia ſecundùm corpus tantùm, (vt poſtea ibidem ſubdit Gulielmus,) cibos potiùs ſumendo quàm comedendo *c* Ita faciebat inſignis Monachus Ciſtercienſis apud Cæſarium: Percontante enim Priore [quid in menſa cogitaret, eo quod non intelligeret lectionem, reſpondit. Ego habeo ibi lectionem meam. Quando manducare incipio, retracto mente, qualiter pro me Dei Filius ſit ab Angelo nunciatus, & in vtero Virginis, de Spiritu Sancto conceptus, ſicque primum folium verto. Deinde cogito quomodò Angelis concinentibus ſit natus, & pannis vilibus inuolutus, in præſepio reclinatus, & ecce perlectum eſt folium ſecundum. In hunc modum tranſcurro Circumciſionem, aduentum Magorum, oblationem eius in templo, Baptiſmum, Ieiunium, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Sancti Spiritus aduentum, extremúmque Iudicium. Talis eſt lectio mea quotidiana, cuius finis, finis eſt prandij.] Sic igitur à ſilente tranſigebatur prandium.

b cap. 1.

c lib. 7. mirac. c. 39.

Verùm vt habet verus adagium à Simplicio relatum *menſa muta, præſepe*. Itaque omnes expoliti ac culti ingenio homines, iam olim ſollicitè fuerunt de aliquo leuamento ſilentij inter veſcendum obſeruati. Multi idcirco cantum adhibuere, quod à Maſiniſſa Lybiæ Rege factum, Ptolomæus *e* prodidit. Manaſſe ab Hebræis ad Græcos hunc vſum, notauit Clemens Alexandrin. *f* Frequens verò id Græcis fuiſſe, monſtrant exempla. Nam Alcinoi menſam Demodorus, Didonis apparatum Iopas, Phemius Penelopes epulas, muſico concentu cohonestarunt. Romanis referente Tullio *g* idem in more fuit. Ait enim Tullius. [Eſt in originibus, ſolitos eſſe in epulo canere conuiuas, ad tibicines de clarorum hominum laudibus.] Veteribus Chriſtianis idem placuiſſe, docent illa Clementis Alexandrini *h*. [Ante cibum fiunt Scripturarum lectiones: pſalmi autem & hymni, dum cibus ſumitur.] Sed & S. Cyprianus extrema ad Donatum epiſtola *i*. [Ducamus (inquit) hunc diem læti, nec ſit vel hora conuiuij, gratiæ cæleſtis immunis. Sonet pſalmos conuiuium ſobrium. Et vt tibi tenax

d ad c. 45. Enchir. Epict.

e lib. 8. ommenidar

f 2. Pædag. cap. 4.

g in inſtit. 4o.

h 7. Strom.

i epiſt. 2.

memoria

memoria eſt, voce canora aggredere hoc munus de more. Magis chariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.] Theodoſio Magno idem fuiſſe in more

a lib. 7. c. 23.

poſitum, habemus ex Sozomeno *a* referente, quem dexterè Flauianus implacabiliter ſuis Antiochenis infenſum, flexerit lugubri cãtione, per aliquos adoleſcentes quos ſuper menſam Theodoſij adhiberi eſt deprecatus. Multis tamen contra hoc ſilentij ſuper menſam leuamen, certat Max.

b diſſert. 12.

Tyrius *b*, nec ſecus ſe habere putat hanc oblectationem ex nudo cantu vel concentu muſico, præ alia quæ ingeſtis ſermonibus conciliatur, quàm odores ad cibos; [Quorum hi quidem validiſſimè nutriunt: odor verò qua odor eſt, res viliſſima, & ad nutriendum nihil aut parum confert.] At verò ita aures noſtræ oblectandæ ſunt, vt ſimul paſcantur; quod fiet ſi vnà odorem harmoniæ cibúmque verborum, illis largiamur.] Hæc tamen non prorſus excludunt cantum à menſis, nec obſtabunt quominus poſſit lectionis vſum supplere, ſi benè articulatus ac diſtinctus ſit, & quæ modis Muſicis innectuntur, pia & vtilia, percipiantur à conuiuis. Qua temperatione adhibita, cantum ſuper Principis menſam, pro lectione eſſe poſſe tradit ad hunc modum Gerſo, præſcribens Principi lectionis vſum, eo tractatu quem inſcripſit, *de conſiderationibus*

Particula 4.

quas debet habere Princeps, [Legimus induſtriam fuiſſe apud veteres, quod in conuiuiis ad tibias egregia ſuperiorum opera carminibus comprehenſa pangebantur; quò ad ea imitanda, iuuentutem alacriorem redderent. Quod laudans Valerius Autor huius hiſtoriæ, proclamat. Quas Athenas, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia, domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Hæc fama, (quę vtinam de Franciæ regno (apud alias nationes glorioſior eſſet;) fertur adhuc apud inclytum Ducem Borbon. huius diſciplinæ clarum decus obſcurari.]

Inter ſermones, plerique antiquorum admodùm probatæ ac frequentatæ ſunt quæſtiones conuiuiales, ſeu ſympoſiacæ, celebratæ magnificè à Xenophonte, initio ſympoſij. Egere de eis veterum non pauci, ſignati in opere de virtuti-

d lib. 6. c. 91.

bus *c*, & fusè Athenæus *d*. E recentioribus eru-

e tom. lib. 10.

ditè præter cæteros. Serarius, *e* Paſchalius *f*,

c in Epiſt. 14. Iud. q. 11.

atque Creſolius *g*. Huc pertinet quod Samſon in conuiuio, propoſitionem, ſiue problema, aut ænigma protulit vt narratur. Iudic. 14. *e*

f lib. 2. de Cor. c. 75.

Affine & illud quod apud Eſdam lib. 3. cap. 3. de

g lib. 2. Vacationum c. 14. ſect. 1. 2. 3. 4.

omnium fortiſſimo diſquiſitum eſt ſic per menſam. Sed quamuis eſt ſua hiſce ſermonibus ac

h lib. 7. Saturn.

velitationibus iucunditas, vt benè Macrobius *h* notauit, opponi tamen aduerſus eius vſum poteſt, nec ſemper adeſſe qui argutari & ingenium ad eum modum promere poſſint: & vt adeſſent, lectius tamen ſemper futurum, ſaltem vt plurimum pabulum mentis à viris magnis, non ex tempore, ſed meditatò ſuppeditatum, & chartis immiſſum. Quid quod non rarò difficultas exiſtit, in aſſignanda materia ſermonum conuiuio accommodatorum, qui neque acumine ſuo fatigent veſcentes, non abſque valetudinis detrimento; neque alieni ſint à perſona conuiuarum, quorum magna planè eſt varietas. Facilè denique eſt, contentiones ſubnaſci ex varietate ſententiarum; dum quiſque ſenſum ſuum antefert. Sunt ergo ſua incommoda in vſu quæſtionum ſympoſiacarum:

Itaque reſtat ad ſilentij in menſa præſcripti leuamentum, nihil potuiſſe commodius adhiberi; quàm Anagnoſtes; ſiue ex memoria per diſſertationem aliquam; ſiue quod magis obuium eſt, per lectionem è libro ingeſtam audientibus. Sic enim & omnia incommoda per indebitos ſermones, inferenda declinantur; & faſtidium pleni ſilentij auertitur, & ſimul anima cum corpore iucundiſſimè paſcitur; contra quàm faciunt homines, *bucca* atque *maxilla*, vt Clemens Ale-

i Pædag. c.

xandrinus *i* appellat qui toti comedunt; imò non toti, quia ieiunante potiore ſui parte, hoc eſt anima, carnem duntaxat ſaginant, cum tamen iuſtum ac dignum ſit iuxta Sanctum Baſilium *k* de

k Ser. de Abdicat.

reficienda anima immortali ſollicitiorum curam gerere, quàm de tenero hoc corpore per cibum reſtaurando. [Si cum corporis tui ſuſtentandi cauſa cibum capis, ægrè admodùm à menſa potes auelli, niſi naturale priùs deſiderium expleueris, neque ita facilè hoc facturus ſis, niſi te magna inde aliqua neceſſitas auocet; qui non tandem ab epulis iis auelli ægriùs debes, quibus ſpiritus alitur tuus, &c. Etenim quanto nobilitate cœlum terra præſtantius eſt, & dignitate cœleſtia terrenis præponderant, tanto ſine dubio anima corpore præſtantior eſt. Siquidem ea quaſi cœli imago eſt quædam; quippè in qua domicilium dominus habet: at caro ipſa ex terra conſtat, quæ à mortalibus hominibus, & rationis expertibus incolitur animantibus.] Infert inde Sanctus Baſilius, quanta cura debeat eſſe paſcendi ac reficiendi animam potiùs quàm corpus. Idque eſt quod ex Epicteto ſapientiſſimè admonebat Ioannes Stobæus *l*, [inter epu-

l Ser. 5.

landum, (ſtabat claudus ille, corpore, animo vt in illis tenebris, rectipes, S. Chryſoſtomo

Hom. in Act.

idcirco laudatus,) conſidera duos tibi excipiendos conuiuas, corpus & animam; cum quod omne in corpus collatum, ſtatim rurſus effluxurum ſit; quod autem in animam perpetuò ſeruandum ſit.] Piget tam puros latices de ſcrobe lutoſa haurire, cum ſuppetant quid tradant, lectiſſimi Magiſtri ſpiritus; & regularum Religioſarum autoritate idem inculcatur, quoties vſus lectionis ſuper menſam præſcribitur, vt videre eſt in regula Magiſtri, & S. Aureli, S Iſidori;

cap. 24.

ac S. Ignatij: nimirum adhibendum eſſe lecto-

cap. 48.

rem, vt ſua etiam animæ refectio præbeatur, nec

cap. 2. 3.

homo tantùm exterius cibis materialibus, ſed homo interior ſpiritualibus epulis inſtauretur. Vnum inter tam multos Laurentium Iuſtinianum iuuat adſcribere ex lib. de diſciplina & perfectione monaſticæ conuerſationis. [Indignum

cap. 20.

(inquit) & à via Spiritus eſt prorſus alienum, vt mens quæ nullo corporali eget alimento, corpore ſe reficiente, ieiuna permaneat. Propter quod ſemper refectionis tempore aliquid de diuinis Scripturis legendum eſt, quatenus interior homo habeat vnde nutriatur. Diuina namque eloquia, & lectio Scripturarum, ſic animæ, ſicut corpori panis tribuit nutrimentum, iuxta Domini ſententiam dicentis, *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Ea propter SS. Patres cœleſti afflati Spiritu, & ſapientiæ lumine radiantes; ſanxerunt vt in congregationibus & refectionibus Chriſto militantium, cum menſis diſcumbitur, Martyrum certamina, aut Sanctorum geſta ſeu ipſorum dicta ab vno alta voce contextus, vt ex iis quæ

pronuntiantur exteriùs, eleuata mens ab infimis, in ſenſus carnalium non tranſeat delectationum. Igitur lingua omnino ſub ſilentij rigore perſiſtente, tota mens in conſideratione eorum quæ leguntur, delectabiliter occupetur & ſaginetur.]

Hinc maniſeſtiſſimus eſt fructus lectionis ſuper menſam religioſam; paſcitur enim anima per hoc ſilentij ad menſam neceſſarij veluti medicamentum aut leuamentum; quo per ſe primò collimat vſus lectionis. Proptereàque lectorem commonere ſilentij, habetur in regula Templariorum concinnata à S. Bernardo, vbi ſic legitur *a*. [In prandio & cœna, ſemper ſit ſancta lectio recitata. Si dominum diligimus, ſalutifera eius verba atque præcepta, intentiſſima aure deſiderare debemus: Lector autem lectionum, vobis indicat ſilentium.] Nempe quia, idcirco adhibetur lector, vt ſilentium quod ſuper menſam ſeruandum omnino eſt, minore cum faſtidio, imò cum voluptate teneatur. Illque muta denunciatione indicat lector, eo ipſo quod auditur lectionem pronuncians. Iure autem depoſcit S. Bernardus in ea regula, conuiuarum attentionem, alioqui caſſus erit fructus tam auidè captatus, reficiendi animam dum corpus eſcis carnalibus ſaginatur: vt verò proſpiceretur audientium attentioni, viſum eſt aliquando conſultum, vt lectione peracta fas eſſet Abbati, de lectione interrogare. Imò etiam poſt aliquam partem lectionis, idem præſtari potuiſſe, docent illa Magiſtri. *b* [Tempore ipſo refectionis, cum legitur regula, vt ſolliciti omnium fratrum excitentur auditus, de ſingulis menſis, quos voluerit, fratres, quod dictum eſt, Abbas interroget; ne cum vnuſquiſque frater recitare nequit quod audiuit, plus carnem iudicetur amaſſe quàm animam. Qui mox de negligentia ab Abbate iuſtè corripi debet, vt dum vnuſquiſque frater interrogatus timet erubeſcere, mentem ſuam alibi non faciat aberrare, ſed in hoc intendat quod legitur.]

a cap. 9.

b cap. 29.

V. Qualis quæſitus, & quomodò ad functionem ſuam obeundam aptatus, religioſus Anagnoſtes.

TAnti apud Chriſtum Dominum fuit, publicum in Eccleſia lectoris munus, vt inter ordines quibus ad Sacerdotium proluditur, recenſeri iſtum voluerit. *Simplicem Papam* vocant lectorem iſtum Græci, vt habetur ex continuatione Iſaaci Comneni, inſerta Codici iuri Orientalis. Hoc ergo munus quo functum Iulianum poſtea Apoſtatam teſtatur Naz. prima in eum oratione, refero ad ordinem Eccleſiaſticum. [Eſt enim certum, ordinem lectorum, & alios tres minores, (ſic dictos, quia remotè pertinent ad Euchariſtiam.) eſſe veros ordines; cum Synodo Florentina in literis Eugenij, & in Tridentina ſeſſ. 23. cap. 2. inter veros ordines annumerentur; quamuis non ſit ita certum, ſintne vera Sacramenta; quod Vaſq. negat *c*, & Victoria *d* putat exploratum. Mihi tamen cum Bellarmino atque Valentia probabilius videtur: & inſinuatur in illis teſtimonijs Conciliorum quæ attigi, & rectè ponderantur a Philibert. Marchino in tractatione de ordine *e*. Addi etiam poſt, canon. 14. Septimæ Synodi, qui depoſcit imponi manus lectori ab Epiſcopis. Munus ergo quod Chriſtus tanti æſtimauit, mirum non eſt, apud Patres Spirituum, & informatores ſacrorum cœtuum, tanti habitum eſſe, vt magno delectu, & pleriſque adhibitis obſeruationibus ad illud in religioſis domibus agendum, admiſerint qui illud eſſent obituri, quamuis eis ordinem conferre non potuerint, quod vnius Chriſti fuit.

c 3. p. d. 237. cap. 1.

d relect. de poteſt. Eccleſ. ſect. 2. n. 16.

e lib. de ord. cap. 8.

Et in primis habendum eſſe delectum perſonæ, cui legendi ad menſam prouincia demandatur, S. Benedictus *f* diſertè præſcripſit, verbis illis: [Menſis fratrum edentium, lectio deeſſe non debet. Nec fortuito caſu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi.] Addit inferiùs. [Fratres non per ordinem legant, ſed qui ædificent audientes.] Nimirum ſi per ordinem omnes legerent, non haberetur delectus, quem adhibendum circa lectoris perſonam volebat. Ad eam verò audientium ædificationem cui conſultum vult S. Benedictus, pertinere poteſt linguæ expeditio, & vigor vocis ab omnibus diſtinctè exaudiendæ. Item peritia in pronunciando. Tum probe connectendo, ne quod S. Hieronymus opponebat, totum incipiat, totum pendeat ex altero; & vbicumque ſpiritus defecerit, ibi finis fiat:) tum ſyllabarum quantitatem ex proſodiæ regulis accuratè retinendo. Alterutrius enim prætermiſſio, vulnerat audientium aures; & pro delectatione ac fructu, faſtidium adſtantibus peritis ingenerat, non ædificationem, quam S. Benedictus captabat. Hanc maximè ob cauſam alicubi vetabantur Nouitij legere ſuper menſam. Nam ſtatuta domus S. Victoris Pariſienſis ſic edicunt. [Nouitius ad legendum in Refectorio, *g* & ad graduale, non ita citò ponendus eſt, donec vſum, & ordinis diſciplinam perfectiùs ſciat.] Idem à S. Anſelmo fuiſſe præſcriptum tradit in ſuo Roſeto ſpirituali Ioannes Mauburnus *h* Idem anteriùs præſcripſerat Lanfrancus *i*, vt patet ex eius Epiſtola ad Nepotem ſuum, cui Tyrocinium Becci poſitum mandarat, ne per annum tyrocinij legeret ad menſam, quod cum iuueniliter eſſet tranſgreſſus, & importunè extorſiſſet vt ad legendum adhiberetur, ſcribit ad eum Lanfrancus ſe inde magnum rancorem contra eum concepiſſe, nec condonaturum fuiſſe eam noxam abſque graui mulcta, niſi Sanctus Anſelmus deprecator pro eo interueniſſet. Non exprimit quidem ibi Lanfrancus, hanc nepotis ſui tranſgreſſionem; ſed in extrema ad S. Anſelmum Epiſtola, inter Epiſtolas S. Anſelmi *k* collocata, rem patefacit, ſic ſcribens de eo ſuo nepote. [Diſcedenti ipſi à me, rogando præcepi, & præcipiendo rogaui, ne hoc anno (Tyrocinij) aliquam vel in Refectorio, vel in Capitulo, aut Monaſterio lectionem legeret; quoad vſque pſalmorum ſcientiam, ſuique Ordinis aliquem vſum haberet. Hanc voluntatem meam, omnino deſpexit, & vt legeret, ſuarum precum nimietate à vobis extorſit. Pro qua te amariſſimas literas tranſmittere ſibi diſpoſui; ſed viſis alijs literis veſtris conceptum, aduerſùs eius temeritatem, mentis rancorem omiſi.] Vt ergo ſeruiretur ædificationi, iuxta S. Benedicti præceptum, arcebantur à publica lectione Nouitij. Eadémque ex cauſa, rudes quique, & qui legendo, graues futuri eſſent audientibus, ſimiliter ab eo munere

f cap. 47.

g lib. 2.

h Alph. 23. tit. 4.

i Epiſt. 47.

k lib. 1. epiſt. 22. vel apud ipſum Lanfrancum epiſt. 41.

nere cæcebantur. Vno verbo id complexus eſt *a cap. 29.* Magiſter, cum in regula *a* popoſcit, vt lectores adhiberentur literati. Propterea̋que admonebat, vt [Præpoſiti ſingulis vicibus, ea legẽdo ad Miſſas, cum ſingulas expleuerint hebdomadas, ſingulos fratres literatos, per ſingulas vicibus ſeptimanas, ad legendũ conſtituant, vt omnes poſſint vicibus de ſingulis decadis legere literati, &c. vt numquam deſit refectioni eſca diuina, dupliciterque fratres reficiant, cum ore manducant, & auribus ſaginantur.] Non ſaginarentur autem nec reficerentur animæ, ſi lector per ruditatem & imperitiem adeò inconditè legeret, vt contextus *b epiſt. 24. cap. 3.* libri miſerè luxaret. S. Cyprianus *b* Sanctum, lectorem conſtituit, ſemel & iterum, priùs probatum, & præmiſſo cum presbyteris doctoribus examine, an hoc ei congrueret.

Eſt in hanc rem locus egregius in Concilio Aquis-Granenſi quod exſcripto S. Iſidoro, in *c lib. 2. c. 11.* opere de Eucharisticis officiis *c*, ſic ſtatuit, de lectore ordinato; eſt autem par ratio de quocumque lectore. [Qui ad huiuſmodi, (inquit,) prouehitur gradum, iſte erit doctrina & libris imbutus, ſenſuúmque ac verborum ſcientia perornatus; ita vt diſtinctionibus ſententiarum, intelligit vbi finiatur punctum, vbi adhuc pendeat oratio, vbi ſententia extrema claudatur; ſicque expeditus vim pronuntiationis tenebit, vt ad intellectum omnium mentéſque promoueat, & ſenſum; diſcernendo genera pronuntiationum, atque exprimendo omnium ſententiarum proprios affectus; modò indicantis voce, modò dolentis, modò increpantis, modò exhortantis, ſiue his ſimilia ſecundùm genus pronuntiationis, in quo magis illa ambigua ſententiarum adhibenda eſt cognitio. Multa enim in Scripturis ſunt, quæ niſi proprio modo pronuncientur, ea in contrariam recidunt ſententiam, ſicuti eſt. *Quis accuſabit aduersùs electos Dei? Deus qui iuſtificat?* Quod ſi confirmatiuè, non ſeruato ordine pronunciationis ſuæ dicatur, magna peruerſitas oritur. Sic ergo pronunciandum eſt, ac ſi diceret; *Deuſne qui iuſtificat?* Subaudiatur, *non:* neceſſarium eſt ergo, in tantis rebus ſcientiæ ingenium, quo propriè ſingula conuenientérque pronuncientur. Propterea & accentuum vim oportet lectorem ſcire, vt nouerit in qua ſyllaba vox protendatur pronunciantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant; & ſolent nos irridere imperitiæ, ſi qui videntur habere notitiam, detrahentes, & iurantes, penitùs nos neſcire quod dicimus.] Hactenus Concilium, cum S. Iſidoro.

Porrò quod ad primum eius monitum attinet, quantæ exerrationes circa ſenſum Scripturæ contingant, ex indebita minutiarum appoſitione, ita vt plerumque, comma aut punctum malè collocatum, euertat totum ſenſum Scripturæ; idémque præſtet, appoſita vel adempta parenthesis, aut nota interrogandi, vel certè vocis inflexio, dico plenè in opere cui titulus, *Minutalia Sacræ Scripturæ*. Ex his liquet idoneum lectorem debere pollere ſcientia. Quod verò attinet ad alterum monitum; ſubleuauere lectorem, qui libris editis tradiderunt legitimæ ſyllabarum quantitatis notitiam. Pridem laborauit in eo genere F. Ludouicus Caualli, qui nuperrimè, apud S. Ioannem Lateranenſem, Apoſtolicus Pœnitentiarius finiuit vitam. Recèns idem duo prodiere libelli ea de re: Nomen vni *Elenchus prodicus*. Alteri, *Amuſſis pronunciationis*. Sed & alius de Grammaticorum gente edito *Amaltheo proſodico*, in eam rem contulit operam, notato vt in libris ritualibus, (Miſſali præſertim, ac Breuiario aſſolet, accentu, quantitatis indice. Quod quia non potuit in omnibus libris qui ad menſam leguntur præſtari, ſeorſim in vocabulario ad id confecto, præſtitum eſt. Huiuſmodi ergo librorum anticipata peruolutatione, ſubleuatur lectoris imperitia, & riſus indebitam pronuntiationem conſecuturus, auertitur.

Lector ad eum modum præparatus, ne ſic quidem in lectionem debebat inuolare, ſed præmittendæ erant obſeruationes illæ quas S. Benedictus verbis illis complexus eſt *d*. [Lecturus tota *d cap. 47.* hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt Miſſas, & communionem, petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab ipſo Deus ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in oratorio tertio ab omnibus, ipſo tamen incipiente, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et ſic, accepta benedictione ingrediatur ad legendum.] Quidam Codices exprimunt benedictionem, quæ tribus verſiculis, ſubjecto cuique ſuo reſponſorio, & oratione ſuper lectorem à Priore recitata, continebatur in hunc modum. V. *Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto. R. Et de Sion tueatur te. V. Conuertere Domine aliquantulum. R. Et deprecabilis eſto ſuper ſeruum tuum. V. Dominus cuſtodiat introitum tuum. R. Et exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.* [Oremus. Auerte quæſumus omnipotens Deus, ab hoc famulo tuo ſpiritum elationis, & cor eius diuinis inſtrue lectionibus: quatenus te opitulante, mereatur perficere officium.] *e* Smaragdus hanc orationem his verbis *e ad c. 47. reg.* conceptam exhibet. [Auerte quæſumus Domine ab hoc famulo ſpiritum elationis, vt humiliter legens, ſenſum & intellectum capiat lectionis.] Elationis metum in lectore, adhibita benedictione diſcuſſum Petrus Damiani inde repetit, quod benedictio, ab alio quàm à Sacerdote petatur *f*. Verba Petri ſunt. Lectoribus non- *f Opuſc. 11. c. 18.* nullis, vitium arrogantiæ familiare eſt, præſertim ſi cui lepor eloquentiæ ſuppetit dum patentes Scripturæ campos effrenis lingua percurrit, populari fauori cor deditum ſpiritus elationis inuadit, & dum alios per recti itineris tramitem dirigit, ipſe diuerticulum erroneæ confuſionis incurrit. Hinc eſt etiam quod menſæ lectoribus ex more dicitur, Auferat à te Deus ſpiritum elationis. Vt ergo imminenti forſitan arrogantiæ, tam in ipſo lectionis exordio humilitas opponatur, rectè tanta ſubjectionis arte benedictio petitur, vt lectuto, non Sacerdos, ſed cui ipſe iuſſeris, benedicat.] Imitantem lectoris humilitatem Sacerdotem exhibuerat eodem opere Petrus, verbis illis *g*. [Lecturus magnæ hu- *g cap. 2.* militatis gratia, non à Sacerdote, ſed ab eo cui Sacerdos iuſſerit, ſe poſtulat benedici dicens, *Iube domne benedicere.* Sacerdos autem vt tantæ humilitati vicem reddat, non ſubiecto cuiquam benedicendi delegat officium; non per ſemetipſum benedictionem dare præſumit, ſed potiùs vt à Deo qui eſt ſuper omnia, benedictus, prærogetur, expoſcit.] *h* Varias minutias circa hanc *h lib. 5. c. 1. & c. 44.* benedictionis à lecturo petitionem dabunt Auctor

rationalis

ectionalis diuinorum officiorum Stephanus Durantus atque Gauantus *a*.

a *lib. 3. de rit. c. 28 n. 6. in Rubr. in Breu. ſect. 5. cap. 11.*

Hæc omnia ſpectant petitionem benedictionis in procinctu ad legendum, lectore iam conſtituto in triclinio. Potuiſſe tamen ſi Lectori liberet, hanc benedictionem Miſſa peracta ante Altare dari à Sacerdote, notat laudatus ſupra Smaragdus. Nam S. Benedictus, nihil circa hoc diſtinctè exprimit. At Capitula Aquiſgranenſia, ſtantem Lectorem benedictionem poſtulare decernunt: facta hac benedicendi poteſtate, Abbati, Præpoſito, vel Decano, quamuis non ſint Presbyteri, quod intelligendum eſt, ſi deſit Presbyter: ne incurratur in reprehenſionem S. Hieronymi *b*, qui ne Diaconis quidem præſente Presbytero benedicendi in domeſticis conuiuiis copiam facit; idque à ſe alicubi viſum, reprehendit *c*. In regula Magiſtri, petitio & collatio benedictionis, præſcribitur intra triclinium. Sic enim habetur. [Ad ſextæ horæ refectionem, poſt verſum & orationem menſæ, cum Abbas in ſua Cathedra ſederit, antequàm caniſter cum conſuetis panibus trochleæ fune deſcendat; tunc inſinuet voce ſua, is qui lecturus eſt, dicens. *Iubete Domini mei orare pro me, quia ingredior in hebdomada lectionis menſalis.* Mox ſurgens Abbas, cum omni congregatione, fixis in terra genibus, oret cum eo; & cum ſurrexerint dicat nouus hebdomadarius, hunc verſum. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Reſpondentibus ſecum cunctis. Poſt verſum verò dictum, mox primò Abbati, deinde omnibus panem tradat; deinde in medio omnium menſarum ſibi ordinet ſellam, & poſt omnium ſeſſionem, ad menſas, petita benedictione, ſedeat ipſe in ſella cum Codice. Et cum primùm menſæ Abbas cum omnibus acceperit merum, & ipſe ſimiliter ſuum merum propter ſputum Sacramenti accipiat, & ſic incipiat legere.]

b *epiſt. 85.*

c *cap. 19.*

Quod à Magiſtro dicitur, *merum*; à S. Benedicto appellatur *mixtum*; atque id lectori ſumendum eſſe, & propter communionem ſanctam, & ne diuturnius ieiunium faſtidiat; ſitque minus vegetus ad legendum. Hæc ſecunda ratio eſt vniuerſalis, & ſemper locum habet: prior non item, ſi communio intelligatur de perceptione diuinæ Euchariſtiæ, vt factum eſt à Magiſtro, mandante ſumi à Lectore ſuum merum propter ſputum Sacramenti: ne fortè ex priùs percepto Sacramento, aliquid per ſputum eijciat. Quo ipſo modo, communionem de qua agit S. Benedictus, accepit Smaragdus. Nec id ſemper aliàs inſolitum. Nam etiam inter capita criminationum S. Chryſoſtomo impactarum, viceſimum octauum fuit, quod poſt communionem paſtillum ſumeret. Et ſumebat ea ipſa ex cauſa, proſpiciendi ne per ſputum, aliquid diuinæ Euchariſtiæ eijceret. Quæ admodùm ſollicita accuratio, tametſi fortaſsè minùs neceſſaria, tamen præ ſumma reuerentia tanto Sacramento debita improbari non poteſt. Sic igitur prior illa ratio ſumendi meri, non eſt vniuerſalis; quia Lector non ſemper communicauit, quoties ad legendum venit, Turrecremata *d* tamen, eam quoque rationem facit vniuerſalem; cum communionem ſanctam, accepit non de vſu Euchariſtiæ, ſed de Communione cum fratribus; & vt beneuolentia erga alios foueatur; periculo committenda, ſi Lector planè ieiunus, laborare aliis legendo iubeatur. Sed altera interpretatio, & ſimplicior eſt, & genuina. Accipit itaque ob binas illas cauſas cum concurrunt, vel ſaltem ob earum alterutram, qui lecturus eſt, mixtum: quod Magiſter à potiori parte vocauit *merum*, quamuis abſolutè, *merum*, non dicatur *mixtum*, iuxta illud Martialis in Cauponem Rauennatem,

d *tract. 1. in.*

Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Qui *mixtum* de pane intincto, vel de pane ſimul ac vino interpretantur, non mihi videntur vocis cortici inhærere.

VI. Quæ Anagnoſta ſeruanda inter legendum.

OMnia hactenus propoſita quoad Anagnoſtæ perſonam, ſpectant antecedentia lectionem. Nunc ſubijcienda ſunt, quæ Lector inter legendum, vt cum ſuo & Auditorum fructu legat, ſeruare debet multa, hic non adeò multis complexus eſt Eſdras lib. 2. cap. 8. v. 7. *Populus ſtabat in gradu ſuo, & legerunt Leuitæ in libro legis Dei, diſtinctè, & apertè ad intelligendum; & intellexerunt cum legerentur.* Horum verborum idoneam Gloſſam continebunt quæ ſubijciam. Iuuat enim Patrum de hac re ſenſum proferre, vt liquidior ſit hæc veritas.

Præclarè in primis, in hanc rem admonet S. Ephrem *e*, verbis illis. [Frater chariſſime, ſi onus legendi mandatum tibi fuerit coram fratribus, aduerte diligenter, vbi qui præiuerat, finiuit: & reſumptis verbis lectionem incipe, vt ſit lectio tua inſtar catenæ ex auro contextæ. Nam qui verbum vnum contemnit, & verſus tranſilit, hic neque dicere vult ſicut oportet, neque eos docere qui attendunt: ſolum enim finem ſermonis expetit, & quando abſoluatur liber. Tu autem chariſſime, ſobrius eſto ac vigilans, vt & tibi ipſi proſis per lectionem tuam, & iis qui te auſcultant. Quod ſi repentè imperetur tibi vt legas, ex ſiniſtra parte lectionem aggredere, ſi autem initium ſermonis ſit, dic titulum, atque inſcriptionem: ſic enim quod legitur, intelligetur.] Quod hîc primùm à S. Ephrem præſcribitur *f*, mandatur in Magiſtri regula, & Lectori & ei qui præceſſit in legendo. Nam ſi hic debitè ſignum apponat, quo dignoſcatur vbi finierit, non aberrabit ſucceſſor, niſi vltrò velit; quod meritò per ſequentia excludit Sanctus Ephrem, admonens lectorem, vt ſobriè agat; neque per lectionis præſcriptæ faſtidium, aliqua volens dimittat non lecta, cum ſuo & auditorum detrimento. Si tamen lector ex improuiſo ad legendum aſſumatur, & qui præiuerat, officio minùs accuratè ſit functus, prætermiſſa appoſitione notæ, finem deſignantis præteritæ lectionis, conſultum tunc eſt ad paginæ ſiniſtram partem, quæ Græcis, ac Latinis anterior eſt, accipere lectionem, vt minus periculi ſit ne lector auditores fraudet parte aliqua codicis perlegendi. Tituli libri, ac inſcriptionis lectio, quam conſequenter mandabat S. Ephrem, verè facit ad perſpicuitatem, & clariorem intelligentiam lectionis: cum titulus libri, Ruperto *g* iudice, ſit eius veluti *Titan*, aſtipulatúrque Philippus Abbas *h*, quorum vterque notat, à titulo affundi libro vniuerſo lucem, vt à Titane affunditur.

e *paræn. 36.*

f *cap. 19.*

g *lib. 1. in Gen. c. 2.*

h *in Moral. in Cant.*

Caſſiodorus

Caſſiodorus ſcitè primò libri titulos, operis index, cauſarum præco, totius orationis breuiſſima vox.] Itaque commodat claritati lectionis, tituli lectio.

Ad eandem claritatem in auditore procreandam, confert plurimum obſeruatio aliorum quæ Petrus Damiani *a* proponit, his verbis. [a Opuſc. 13. c. 18.] [Menſæ lector, ſollicita conſideratione perpendat, quàm diſtinctè, quàm apertè, quàm denique intelligibiliter legere debeat; quandoquidem cum refectione corporum, ille pabulum exhibet animarum. Dixit Apoſtolus; *Eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem, hunc, & illam deſtruet.* Per alios igitur offeruntur eſca corporibus quæ mox in putredinem vertuntur: per hunc diuina miniſtrantur eloquia, quæ cœlo terráque tranſeuntibus, non tranſibunt. Sic ergo legendum eſt, vt dum caro ſua ſtipe reficitur, anima quoque cœleſtibus epulis ſaginetur. Legatur itaque, non lectori, ſed auditori: nec aucupetur propriæ rumuſculos famæ, ſed ædificationi potiùs conſulat alienæ; nec curet quid de lectore dici, ſed quid de lectione poſſit intelligi.] Vt lector non ſibi ſed auditori lege teneatur, modus vocis congruus eſt adhibendus. Vocem itaque talem cordatus Lector adhibeat, quæ exaudiri à conuiuis, citra contentionem queat. Sunt enim quidam ſibi parcunt, & vel pectori, vel capiti timent, humili admodùm voce loquuntur, non abſimiles ei de quo Iſaias cap. 29. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum; & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* Hi ſibi veriùs, quàm aſtantibus legunt. At ne ſibi quidem, quantum ad corpus attinet, cui ea vocis humilitate tentant conſulere. Nam vocis elatio conueniens & exercitatio, non modò imbecilli ſtomacho confert, vt Cornelius Celſus *b* agnoſcit, ſed etiam in dolore capitis, à Cœlio Aureliano *c* præſcribitur: neque ad vocis duntaxat conſeruationem, & veluti deterſionem prodeſt, ſed etiam ad tuendam bonam valetudinem vtpotè quæ thoracem ac vocalia inſtrumenta ſitu prohibeat, & calorem excitet naturalem: partibus autem vitalibus vigorem indat, vt ex Plutarcho *d* tradit Mercurialis *e*. Præterquam ergo quod ipſi lectori commodare poteſt debita vocis elatio, auditori eſt planè neceſſaria, ne fructu lectionis planè excidat. Idque nominatim eſt, quod Petrus Damiani præſcribebat, cum monebat, lectorem non ſibi, ſed auditoribus legere debere.

[b lib. 1. c. 8.]
[c lib. 1. Chron. c. 3. & lib. 2. c. 6.]
[d lib. de tuen. valetud.]
[e lib. 3. Gymnaſt. c. 7. Videſis à Roa l. 2. lib. 6. c. 6.]

Non eſt incongruum, quod tanquam valdè faciens ad fructum ex lectione percipiendum, commendat continenter auditoribus menſæ accumbentibus, idem autor, cum ait, [Edentibus etiam ſuggerendum eſt, vt ſic refectionem ſobrietas temperet quatenus commolentium ſtrepitus faucium, meatus aurium non obtundat. Sic mediatrix inter os & menſam, manus ſcilicet moderata diſcurrat; ſic ſe ſub grauitate freno ſuſpenſa cohibeat, vt dum terrena per fauces eſca trahitur, nequaquam à diuinis ieiunare dapibus, eſuriens animus compellatur.] Hoc & reſpectu auditoris comedentis, & reſpectu cæterorum conuiuarum æquè valet. Nec minùs in eam rem conſiderandum videtur, vt qui menſæ aſſidet, neque nimia exſcreatione, neque emunctione violenta, & ſupra neceſſitatem ſummam excitata, & ſibi, & aliis, lectionis intercîſionem nimiam creet. Aliqui enim (vt ait Pædagogus Clemens) ſunt ſicut boues; ſimul comedentes & excernentes ſuperflua: eaque ratione, & ſibi & aliis aures obtundunt, ne poſſint lectioni intendere.

Sed hæc quæ ad auditores ſpectant, miſſa ſanè hoc loco fiant. Ad lectorem cui vnt inſiſtimus, vt intelligentiæ auditorum velificetur, maximè pertinet, vocem *f* (ex Fabij monitu,) ita conformare, vt neque acumine inſolito verberet auditores, (quod cauendum ſacro lectori, nominatim ſtatuebat Sanctus Iſidorus *:*) neque per eiuſdem inflexionis continuum modum, auditorum tonchos euocet, (quod ſcitè deſcripſit, & magna inferre incommoda Fabius *g* notauit;) neque rapiditate inconditâ, auditorum intelligentiam ſuffocet. *h* Tullius fuiſſe dicitur *Gradarius*, non *Veredarius*, vt eſt apud Senecam: qui tota ea epiſtola in hunc torrentis more rapidum legendi ac dicendi morem conclamat agens de Serapione Philoſopho: qui magno curſu verba conuoluebat, ea non effundens, ſed vrgens ac premens. Concludit ibidem Sapiens. [Sic itaque habe, vt iſtam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem eſſe circulanti indices; quàm agenti rem magnam ac ſeriam, docentique *i*.] Hoc & lectorem religioſum admonebat Magiſter cum diceret. [Legat diſpoſitè, non vrgendo, vt apertiùs occupari ea auditores agnoſcant, quæ eos factis oporteat adimplere; & vt ſi qua ſunt ambigua aut obſcura, & apertiùs ea non intelligunt fratres, aut interrogatus à fratribus, aut vltrò aliquis Abbas exponat.] Præclarè in hanc rem diſſerunt informantes Chriſtianum Oratorem, præcellentes ſcriptores duo, Carolus Regius *k*, & Claudius Clemens *l*. Eadem porrò quo ad hoc eſſe debet informatio lectoris ad menſam paſcentis animos conuiuantum, quos aliò iam auerſos, nihil attinet ea veluti grandinatione obruere. Et facit quidem ea verborum conuolutio, nonnullam apud vulgus admirationem *m*: ſed quæ doctum hominem non efficiat vt S. Hieronymus ad Nepotianum ſcribens confirmat.

[f c. cap. 19. l. 11. c. 3.]
[g lib. 11. c. 3.]
[h Epiſt. 40.]
[i cap. 17. reg.]
[k lib. 1. orat. Chriſt. c. 24.]
[l lib. 4. Muſæi lit. c. 6.]
[m epiſt. 2.]

Quamquam neque contractis vocis affectio probanda in lectore eſt. [Æquè ſtillare orationem nolo, quàm currere, (ait Seneca *n*) nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia & exilitas, minùs intentum auditorem habet tædio interruptæ tarditatis.] Et quanquam faciliùs incidit quod expectatur, quàm quod prætervolat, & tradere homines præcepta dicuntur; non traditur autem quod fugit; attamen ſomnum conciliant qui verba vellunt. nec inficetè Auguſtus, huiuſmodi tractum dicentes, aiebat ingenium habere in numerato. Quare circumſpectio illa ſuimet, per dicentem aut legentem deuitanda eſt, ne auditores langueſcant, & oſcitatione ſoluantur, in nimia legentis tarditate. Sed optima eſt moderatio, vt liceat etiam reſpirare, cum opus eſt. Sic recreatur lector, ſic auditor reficitur. Vtrumque lector verba non ponens, ſed projiciens, fatigat, & grauat *o*.] Accuratè vtrumque hoc dicentis vitium excutitur in vacationibus autumnalibus *o*.

[n epiſt. 40.]
[o lib. 1. & 9. act 10. & 18. & 19.]

Cuiuſmodi verò ſatagendus lectori ſit vocis

 modus,

modus, benè expreſſit Concilium Aquiſgranenſe *a* poſt S. Iſidorum è quo hæc verba exſcribit. [Vox Lectoris ſimplex erit & clara ad omne pronunciationis genus accommodata; plena ſucco virili; agreſtem & ſubruſticum effugiens ſonum: nun humilis, nec adeò ſublimis; non fracta vel tenera, nihilque fœmineum ſonans, neque cum motu corporis, ſed tantum cum grauitatis ſpecie. Auribus enim & cordi conſulere debet lector, nõ oculis, ne potiùs ex ſeipſo, eos ſpectatores magis, quàm auditores faciat *b*.] Bona pars huius moniti, ex S. Ambroſio petita eſt, qui tamen, affectationem, cum alibi, tum hac quoque in parte repudiat. Et quidem ſtudium moderatum in voce ritè librandâ probandum eſt; & multis innata naturæ commodè ceſſit, & naturam reformauit. Demoſthenem ſanè ſcribit Photius *c*, cum vocis claritate præ anguſtis vocis meatibus non poteretur, oleum in os immiſiſſe, & per accliuia loca decurriſſe, vt oleum motu ad nares alliſum & abſorptum, tenuiores illos meatus redderet claræ voci accommodatos, vt reuera fecit. Iuuit alios vocis contentio, quæ & valetudini plerumque confert, vt Mercurialis monſtrauit, & nominatim vocem perpolit *d*. Vt enim eſt apud Madaurenſem Philoſophum, profectò vt gladius vſu ſplendeſcit, ſitu rubiginat *e*; ita vox in vagina ſilentij condita, diutino tempore hebetatur. Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit. Tragædis adeò ni quotidiè proclament claritudo arteriis obſoleſcit; igitur identidem boando purgant rauim.] Expreſſius Seneca *f*. [Medicus iubebit vt legas clariùs, & Spiritum cuius iter & receptaculum laborat, exerceas.] Idem habet Clemens Alexandrinus *g*. De hoc toto argumento ſplendidè & quàm accuratè, Creſolius in vocationibus autumnalibus.

a cap. 3. — *b lib. 1. offic. c. 18 & 27. & 23.* — *c Cod.* — *d lib. Gymnaſt.* — *e 3. Florid.* — *f Epiſt. 78.* — *g lib. 3 pæd. c. 3. art. 3.*

Caueat lector, ne præ ſuperbia veſtigium fiat peccatoris *h*. Hoc de eo pronunciatũ eſt, qui corripientem auerſantur. Poteſt autem lector, altero tro modo corripientem ſe auerſari. Nempe primò ſi ſubducat correctionis materiam, tranſiliens quæ timet, quæve ignorat, quomodo efferenda ſint; aut ea ita commolans, vt veluti ſcopulum declinet lubricam vocem. Memini lectorem cuius poſtea laus fuit in multiplici rectione, cum eum Beati Petri locum lecturus eſſet, quo queritur eſſe qui deprauent Scripturas, ignarum eſſet ne ea vox paroxytona, an proparoxytona vocem in qua illi hærebat aqua, commutaſſe alia; dicendo eſſe qui *corrumpant Scripturas*: Reoictum autem malæ fidei, & interuerſionis contextus ſacri, propinaſſe ridendum aliis, tanquam deprehenſum facere quod legebat ab Apoſtolo reprehenſum: corrumpere ſcripturam. Alios inter legendum illud apud Tobiam, *& iterum ſepelis mortuos*, anceps an verbum *ſepelis*, eſſet penultima correpta, an producta legendum, mandauit humo verbum illud, ſic legens, *& iterum mandas humi mortuos*; non abſque peritorum riſu, ignorantiæ ſparium à ſuperbia prætentum, iure non ferentium. Eſt enim manifeſtum ſuperbiæ argumentum, ſic celare inſcientiam ſuam refugiendo superuenturam correptionem: meritóque multo arctius confunditur, qui confuſionem extimeſcens, eiuſmodi perizomate ſe contexit. *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix*; vt dicit Concilium Toletanum agens de confeſſione, per malum pudorem dimidiata.

h lib. 3. c. 3. alſ 10. & 16. & 17. — *i Conc. Tol. 10.*

Nec minùs apertè, fœtus ſuperbiæ eſt, quod ſecundò præſtari poteſt à lectore aliter auerſante correctorem, iiſque occurſit, qui de indebita pronunciatione cum obleſione quantitatis, aut illegitimo vocum nexu reprehenſi, concitantur in correctorem præſertim ſi malè corrigat, quod non rarò contingit. Tunc ſanè, *qui odit correptionem veſtigium eſt peccatoris*, iuxta ſapientiam. At religioſus humilis ac Deo inhærens, humilitatis ſtudium multò magis probat. Et ita à Sancto Platone factum. De eo enim nepos ipſius Sanctus Theodorus *k* ſtudita, ſic ſcribit. [Cum fratribus audientibus legeret, idque rectè faceret, increpatus tanquam perperam legiſſet, vir prudentiſſimus verecundè ac timidè ſe gerebat.] De Sancto Bernardo ad prauam inter legendum correctionem nihil commoto, ſed obediente, videndus Petrus Sutoris *l* in opere de vita Cartuſiana Lancfrancus quadam die (ait vitæ ſcriptor capite ſecundo,) dixit quidam inter legendum, ſicut dicere debuit; quod non placuit præſidenti, & aliter dicere iuſſit. Velut ſi ille dixiſſet, *docêre* media producta, vt eſt: & iſte eadem media correpta emendaſſet, *docĕre*, quod non eſt; non enim prior ille litteratus erat: at vir Sapiens, ſciens magis obedientiam Chriſto debere, quàm donato, dimiſit quod benè pronunciauerat, & dixit quod non rectè dicere iubebatur. Nam producere breuem, vel longam corripere ſyllabam, non capitale nouerat crimen: verùm iubenti ex parte Dei, non parere, culpam non leuem eſſe ſciebat.] Notiſſimum item eſt in eo euentu factum D. Thomæ Aquinatis: Malè enim inter legendũ correctus, non obſtrepuit ignorantiæ, ſed temeritatem correctoris carpentibus quibuſdam, & iuſtum correcti dolorem extollentibus, Reſpondit, parum referre ſyllabam producere, aut corripere; plurimum verò intereſſe, humilitatem atque obedientiam retinere, tametſi ineptus ac ignarus corrector abuſus eſſet corrigendi poteſtate. Sunt huiuſmodi inſulſorum correctorum exempla, & vetera & nupera omninò multa. S. Auguſtinus *m* fuiſſe refert, imperitos quoſdam qui illud ex ſecundo Æneidos *Parſim fruſta ſecant*, contra Canones Grammaticos dictum contenderent, & numerum multitudinis abijciendum vellent, dicendo potiùs *Pars in fruſta ſecat*: quæ tamen non erat Poëtæ ceſpitatio, ſed Ariſtarchorum illorum imperitia. Dionyſius Richellius *n*, vulgatum illum verſiculum.

k Orat. de S. Platone — *l lib. 1. tr. 4. c. 3.* — *m lib. 22. contra Fauſt. c. 25.* — *n de doctr. Scholar. art. 16.*

Non ſpuit ille procul, qui barbam conſpuit ipſe.

Ab inſulſo correctore per aſinitatem pecuniam ſic teſtatur caſtigatum, cum omnimoda coerſione proſodiæ, & Canonum Grammaticorum.

Non ſpernit ille procul, qui barbam conſpuit ipſe.

Inſulſus literio (ſi Manlio fidendum eſt,) cum in ſuo Codice ita ſcriptas haberet eas voces Cantici Virginei *o*, *Diſperſit ſuperbos*, vt ſyllabæ illæ *ſuper*, extremam ſuperiorem lineam occuparent, vltima verò ſyllaba *bos* nouam lineam inchoaret, ratus præpoſitionem *ſuper*, iungendam cum caſu accuſandi, ſyllabam *bos* craſit, & nouam dictionem

o in doctr. log. præcep. 8.

dictionem ſubſtituit, *boues* emendans, aſinus bipes, ſolœciſmum (ſcilicet,) declinaturus. Alia huiuſmodi inepientium ludicra, paſſim & vbiuis occurrunt; ſiue per humanam cæcutiationem, ſiue per imperitam audaciam. Verè enim D. Hieronymus, Euagrium admonebat cani apud Græcos, *Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat.* Quod ex illo Thucydidis expreſſum eſt ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. *Imperitia confidentiam, conſideratio cunctationem infert.* Videſis Adagium *Imperito nihil iniquius.* Si igitur lector muneris ſui benè conſcius, per temeritatem aut oſcitantiam correctionis, malè arguatur, non exiguum edet ſolidæ virtutis ſpecimen, ſi humilitatem teneat, ſileátque à bonis: hoc eſt, (pro vſu Scripturæ antiphraſes ſæpè adhibentis,) à murmuratione, parcat linguæ, nec calces conuitiorum remittat pro inſulſitate, correctori magis quàm correcto probroſa. Commendatur maximè ea lectoris correcti demiſſio in ordinario Carthuſiano *a*.

a cap. 10.

Extremum lectori obſeruandum eſt, quod in regula Magiſtri præſcribitur. *b* [Leuantibus ſe à menſa Fratribus, poſito in regula ſigno, leuans ſe & ipſe cum codice, verſu vel oratione ab omnibus adimpleta, reſpondeat cum omnibus *Deo gratias.*] Notandus eſt libri perlecti locus ad quem legendo deuentum eſt, ne altera quæ ſuccedet lectio, inutili repetitione cum auditorum faſtidio laboret aut aliquid earenus intactum eű eorumdem fraudatione prætereatur. Additúrque ibidem, vnum, alio quidem ſpectans, ſed tamen obſeruatu non indignum; accumbentem illico menſæ ſoæ lectorem, menſuras, eſculentorum & poculentorum, aut Abbate aut à Præpoſitis *ſignatas*, (hoc eſt, *ſigno Crucis benedictas*) percipere debere. An quod è cibo & potu in communi menſa tam benedicto per Abbatem aut triclinij præpoſitos ſupereſſet? An quod noua & peculiaris pro cibo lectoris benedictio per Abbatem, aut vnum è Præpoſitis vſit recepta eſſet, nec ipſius Lectoris (etiamſi fortè Sacerdotis) pro demenſo ſui cibi ac potus, rata haberetur.

b cap. 19.

VII. *De quotidiana per totum annum Martyrologij lectione ad Religioſam menſam.*

PErgo ad lectionis materiam, quæ ſi agatur de quotidiana, & vix vnquam intermiſſa, vel eſt diuina ſcriptura, vel Martyrologium; quod ex vſu eſt ad religioſam menſam legi, ſaltem vbi non legitur in Choro. Legitur autem ad menſam, nō ex præſcripto Eccleſiæ, ſed ex peculiari mandato religioſi cœtus, in quo is vſus viget, ſed de priori materia lectionis quotidianæ, non eſt quod hoc loco agatur; cum res ſit à pleriſque grauibus ſcriptoribus luculenter, & copioſè agitata. Videndi nominatim Serarius *a*, Delrio *d*, atque Franciſcus Mendoça *e*. Adderem Andream Hipperium, cuius extant libri duo, de quotidiana & aſſidua S. Scripturæ lectione. Sed eum hinc arcet hæreſis qua ſordet. De altera quotidiana materia, ſiue de breui hagiologio dietim concinnato, quod à prima ſtructura, nunc quoque, *Martyrologium* dicitur aliquid attingere operæ pretium videtur.

a in prolog. Bibl c. 9.
d Prolog. 1. in hæreſ.
e 1. Reg. annot. 1. Proœm.

Vſus ergo perantiquus in Chriſtiana Eccleſia ſolit annotare diebus ſingulis, quis fidelium Martyrio eſſet perfunctus. Hoc primùm in vnaquaque Eccleſia factum eſt, concinnato Calendario, cui inſerebantur Martyres inibi mortem pro Chriſto paſſi. Ita factum in Africa, vt infrà dicam, ex S. Cypriano. Varia huiuſmodi Calendaria, in quæ ſubinde illati ſunt alij, qui ſanctitate conſpicui, ſicca morte exceſſiſſent, præfixit ſuos in pſalmos commentario, Genebrardus; nimirum Hebræorum, Syrorum, Græcorum, Romanorum. Et addendum eſt Calendariű Ruthenorum, Græcanico ſatis affine, quod Antonius Poſſeuinus in ſacro Apparatu *f* diuulgauit. Romano vtuntur Fr. Minores Hieroſolymis, inſarto Sanctis propriis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Exhibet ſic commiſtum Calendarium, Vuadinghus ad annű 1342. *g* Præiuiſſe in conficiendis Calendariis, Ethnicos, conſtat ex Ouidij faſtis, & ex laterculo Polemæi Syluij, qui anno 448. Calendariű confecit, (vt ita dicam,) Epicœnum, quo & priſca Ethnica feſta, & Natales Martyrum Chriſtianorum complexus eſt, vt videre eſt apud Bucherium *h* qui eum laterculum exhibet mutilum: Conſimile fuit ſtudium eorum, qui dimiſſis Ethnicis gerris, Chriſtianorum temporum finibus contenti. Calendaria, Sacro-profana emiſerunt; ſignatis ad vnam quamque diem, & iis, quæ ad Chriſtiana ſacra, & iis quæ ad res humanas pertinent. Ita factum Italicè à Conſtantio Felicio, Medico Italo anno 1577. Et Gallicè in pleriſque Calendariis initio libelli precatorij ad vſum laïcorum concinnati, ſimilis miſtura cernitur.

f 5. Ruthen.
g Num. 49.
h in Comm. ad Canonem V. Bertu.

Ex Calendarij confectione, Pamelius ad S. Cypriani Epiſtolam 37. rectè petit Martyrologij originem. Quod tamen non eſt ita intelligendum, quaſi confectio calendarij, eſſet confectio Martyrologij aut quaſi Martyrologium ex vno Calendario ſolo coaluerit: id enim nulla ratione ſubſiſtit, cum Calendarium qualibet die, vix niſi vnum aliquem cœlitem, cuius ea die defuncti, memoria recolatur, adſcriptum habeat. In Martyrologio autē quacumque die multi cœlites ex variis oris adnumerantur. Sententia ergo Pamelij, ita eſt intelligenda, vt ex variis Calendariis ſimul adunatis, confectum ſit hagiologium, complectens cœlites variis locis ea die cœlo illatos: atque adeò variis Calendariis ad feſtiuum cultum inſertos. Et hoc primus videtur feciſſe Gregorius Cordubenſis, ſi vera de eo refert Valafridus Strabo *i*, dicens eum fuiſſe à Theodoſio Imperatore collaudatum, quod *omni die Miſſas explicans, eorum Martyrum, quorum natalitia eſſent, nomina plurima commemoraret.* Audin' *nomina plurima*? Non igitur ad eam commemorationem, vtebatur vnico ſuæ Eccleſiæ Calendario, in quod vnaquaque die, vix niſi vnus ea die cœlo illatus, erat inſcriptus; niſi ſi quando plures ſocij, alicubi ſimul cæſi recolerentur. Vſus ergo videtur Gregorius ille ſyntagmate quopiam plurium Calendariorum, in quod qualibet die, ex variis Calendariis relata eſſent plurima Sanctorum variis locis ea die cæſorum nomina. Vnde præ multitudine, vt memoriæ infidelitas præcaueretur, ſcripto comprehenſa erant, & ex ſcripto recitabantur. Hæc fuiſſe videtur germana origo Martyrologij.

i lib. de reb. Eccleſiaſt. c. 29.

Alij tamen aliam Martyrologij originem proponunt, nimis commodam. Cenſent enim, martyrologij confectionem ad S. Clementem eſſe re-

ferendam. Is quippè proditur regionatim diuiſa vrbe, ſeptem conſtituiſſe Notarios, quorum quiſque in ſibi aſſignata vrbis regione, conſcriberet martyrum acta. Præfecit poſteà, ſingulis Notariis, vnum Subdiaconum, S. Fabianus Papa, vt eſſet, qui iung laret Notariis, & ne quid falſæ mixturæ in notata ab eis irreperet, ſtudioſè curaret. Et non conſcribebant quidem plena Martyrum acta; ſed duntaxat quæ Martyres, dum caperentur, aut torquerentur, feciſſent, dixiſſéntve, adhibitis notis de quibus Diuus Auguſtinus *a*, & Auſonius *b*, quàm celerrimè ſcripto committebant. Quæ verò intra cancellos obducto velo, à Iudicibus interrogati dixiſſent, feciſſéntve Sancti Martyres, ea à publicis exceptoribus, ac commentarienſibus, in acta publica referebantur; quorum exemplaria magno ſtudio conquirebant Antiſtites, non parcentes pecuniæ, ſi res ferret. Ob quod ſtudium, periiſſe Sanctum Anterum Papam à Maximino in eo deprehenſum, cenſet Baronius ad Chriſti annum 238. Colligitúrque ex Anaſtaſio *c*. Ex adunatione porrò eorum quæ Notarij Chriſtiani annotaſſent, & quæ ex actis publicis per exceptores conſcriptis habebantur, conficiebantur plena Martyrum acta, labore alicuius ad id per Antiſtites adhibiti, vel per ipſos Antiſtites. Ex his igitur liquet, minùs commodè Martyrologij originem relatam eſſe ad S.Clementem. Is enim principium dedit ſoli confectioni actorum, in quibus plenè ac proliſè exarabantur res Sanctorum Martyrum, vt habetur ex Pontio in Cypriano *d*, & ex Euſebio *e*. Martyrologium autem, diem duntaxat paſſionis, & genus, ac locum obitæ mortis, ſignabat. Hi ſunt faſti Chriſtiani, ad quos Tertullianus *f*, amandabat eos, qui Ethnicæ ſuperſtitionis faſtis intendebant. Commendabat ſuis Carthaginenſibus huiuſmodi faſtorum confectionem S. Cyprianus *g* inde celebrans, Tertulli in hoc genere curam. Et quanquam vniuerſus Tertulli ac Carthaginenſium labor, Calendarium duntaxat Carthaginenſis Eccleſiæ proprium ſpectabat, tamen ex variis diuerſorum locorum Calendariis, coaluiſſe poſtea vnum aliquem ſyllabum Sanctorum Martyrum, quo dietim annotarentur qui variis locis paſſi ea ſingulari die eſſent, quoquè mortis genere acceſſiſſent, manifeſtum eſt ex S. Gregorio *h*: qui reſpondens S.Eulogio Alexandrino Martyrum geſta ab Euſebio collecta ab ipſo expoſcenti, negat ſe ſciſſe tale aliquod opus ab Euſebio eſſe confectum; atque nonniſi pauca quædam ab Euſebio conſcripta de eo argumento in vnius codicis volumine collecta, Romæ haberi; addens eſſe tamen in vſu Romanæ Eccleſiæ codicem, in quo diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vnum legebantur, penè omnium Martyrum nomina, per dies eorum natales digeſta. En *omnium penè Martyrum*, non igitur vnius duntaxat aut alterius, ad quod ſuffeciſſet Calendarium: ſed variorum variis locis diuerſo mortis genere ea die conſummatorum, nomina in eum Romanorum ſyllabum digeſta erant. Cautè autem dixit S Gregorius, *omnium penè*, non ſimpliciter *omnium*. Nam *omnes*, vnus codex non complecteretur, cum fuerint propè infiniti. Vt aduertit S.Gregorius *i* poſt S.Cyprianum *k*. Delecti itaque erant præcipui quique, vtiliores ad exemplum, & congruentiores ad cultum. Huiuſmodi à S.Gregorio memoratum Martyrologium, eſſe quod S. Ado Roma Aquileiam tranſmiſſum exſcripſit, nupérq; eſt euulgatum ſub nomine veteris Romani Martyrologij, cenſuit Roſuedius; ſed refragantur aliqui, & ipſe Roſuedij aſſecla Bollandus *i*, nec abſque fundamento. Eſto enim, exſcripſerit S.Ado, Aquileiæ, Martyrologium aliquod Româ tranſmiſſum, idque S. Ado ante ſuum Martyrologium ſtatuerit ac euulgarit: non ſequitur tamen, iſtud Martyrologium Româ Aquileiam tranſmiſſum, & ibi à S.Adone exſcriptum, eſſe illud vetus Martyrologium, quod Romæ in vſu eſſe, ſcribebat S.Eulogio S.Gregorius. Imò, quæ S.Gregorius tradit de eo vetere Romano Martyrologio, omnium penè Martyrum nomina complectente, non quadrant in Martyrologium à Roſuedio euulgatum, & præfixum à S.Adone, ſuo Martyrologio. Sed hoc alibi diſcutiendum eſt accuratiùs.

a l. 2. doctr. Chr. ſ. c. 26 — *b* Epigr. 137 — *c* lib. de RR. Pontif. in Iulio. — *d* Initio. — *e* 4. hiſt. c. 14. & lib. 5. c. 2. & 3. & lib. 6. c. 33. & 34. & lib. 7. c. 10. — *f* de cor. milit. c. 3. — *g* Epiſt. 34. & 37. — *h* l. 7. indict. 1. Epiſt. 29. — *i* hom. 27. in Euang. — *k* lib. de exhort. mart. c. 11.

Hæc Martyrologij à quocunque demùm confecti initia, cumularunt poſtea varij, vt S. Hieronymus, teſte Bedâ *m*, & Vſuardo *n*, ac Valafrido *o*. Quanquam Beda, & Valafridus, Euſebij ſimul ac Hieronymi titulo prænotant Martyrologium: Fortaſſis, quia S.Hieronymus, ex actis Martyrum Euſebianis à ſe contractis, ac dietim digeſtis, breue Martyrologium confecit. Aut quia latinè vertit Euſebij breuiculum vno codice comprehenſum, pauca quædam de hoc argumento continentem, vt ex S.Gregorio retulimus. Cenſuit Baronius anno Chriſt. 388. hoc S Hieronymi Martyrologium, illudmet eſſe, quod à Caſſiodoro *p* cum laude memoratur, ſub nomine *Epiſtola ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos*; etiamſi ea epiſtola, longè alia ſit, quàm quæ Vſuardi Martyrologio atteri ſolet, & à Mariano Victorio *q*, inter quiſquilias meritò ſepoſita eſt, ac reiecta; æquè ac eorumdem Chromatij & Heliodori Epiſtola ad ipſum S. Hieronymum, qua eum vrgebat ad conficiendum Martyrologium. Omnes enim illas Epiſtolas, eſſe ſuppoſititias, Molanus *r*, Baronius *s*, Bellarminus *t* rectè pronunciarunt. Fuit igitur aliquod S. Hieronymi labore contextum Martyrologium, quod eſſe à S.Villibrordo deſcriptum, multis Hieronymo poſterioribus additamentis ſaginatum, Bollandus in generali præfatione ad Sanctorum vitas *u*, exiſtimauit. Poſteriores S.Hieronymo, Martyrologiorum ſcriptores, multi fuere, & inprimis Beda; quem verè fuiſſe autorem proprij Martyrologij, rectè contra Baronium perſpexit Sauſſayus *x* tametſi Martyrologium, quod nomine Bedæ inſertum habetur tomo 3. operum eius, ſuppoſitum Bedæ fuiſſe contendit Bollandus *y* in generali ad vitas Sanctorum præfatione. Subſecuti ſunt Bedam, Florus magiſter, Rabanus, Notkerus Balbulus, & inuitatu Caroli Magni, vel potiùs Caroli Calui aggreſſus ad Martyrologij ſcriptionem Vſuardus, ad S.Germanum Monachus: necnon Vvandelbertus Carmine inter Bedæ opera malè intruſo, inſupérque Ado, non Treuirenſis Epiſcopus, (vt malè exiſtimarunt Lippomanus, Moſander, Molanus, Bellarminus, Gaulterius, reiecti in SS.Lugdunenſium Indiculo *z*) ſed Viennenſis in Gallia Antiſtes: Et multo etiam poſt, eandem molam verſarunt, & Martyrologia conſcripſerunt Maurolycus, Caniſius, Galeſinius, Ferrarius, qui de ſupplendo Romano Martyrologio, & Sanctis in eo prætermiſſis annotandis ſollicitudinem ſuſcepit, nouáque Topographia Martyrologium illuſtrauit.

i Tom. 1. in Præfat. generali §. 5. — *m* lib. 5. in Marc. c. 26. & initio tractat. in acta Apoſt. — *n* in præfatione ſui Martyrolog. — *o* lib. de reb. Eccleſ. c. 28. — *p* lib. diu. lect. c. 32. — *q* T. m. 9. Serie 3. — *r* tractat. de Martyrol. c. 2. — *s* in prolud. ad Martyrolog. c. 6. — *t* lib. de ſcript. in Chromatio. — *u* §. 4. — *x* in appar. ad Martyrolog. Gall. c. 11 §. 1. — *y* §. 6. — *z* prolegom. 3. ad Socm.

Præter

Præter hos, Oecumenicorum (vt ſic dicam,) Martyrologiorum ſcriptores, qui ſcilicet non ſe striſtarunt ad Sanctos alienius Regionis, aut Ciuitatis, vel Religioſi Ordinis, fuere multi particulares, qui operam poſuere in colligendis, & in dies eorum proprios referendis, Sanctis nationalibus, aut patriis, vel vrbicis; itémque variarum Regionum. Ita præſtitit quoad Sanctos Germaniæ, Petrus Canisius; quoad Belgas, Molanus, Rayſſius, Miræus, Henricus Adriani, Andræas Boyna, atque Villerius; quoad Italos, Ferrarius, & ſpecialiter quoad Siculos, Octauius Caëtanus; quoad Gallos, Andræas Sauſſayus; quoad Hiſpanos, Ioannes Tamayo Salazarius; quoad Coletanos, Vincentius Domenecus; quoad Luſitanos, Patres Conimbricenſes; quoad Anglos, Ioannes Vuilſonus; quoad Scotos, Dauid Camerarius, & Adamus Regius; quoad Hibernos, Henricus Fitzimon. Ex iis, quos *Vrbicos* vocabam, id eſt qui certarum vrbium Sanctos collegerunt, & in certas dies natales eorum proprias retulerunt, ſaltem in Indice hiſtoriis eorum adiuncto, multos recenſui in opere *de pietate ſpeciali*, a quos poterit ibi videre, qui noſſe velit. Ex iis, qui Ordinum Religioſorum Martyrologia confecerunt, ſaltem in Indice hiſtoriis eorum appoſito multi ſuppetunt. Quoad Benedictinos, eam curam ſuſcepit Arnoldus Vuion, & Hugo Menardus, ac Antonius de Yeppes; quoad Ciſtercienſes, Chryſoſtomus Henriquez; quoad Dominicanos, Caſtillo, Maluenda, Didacus de Roſario. De hoc proprio eorum Martyrologio, quod extra Chorum legebatur, accipio miraculum triginta nouem Sandomirienſium in Polonia, pridiè quam à Barbaris opprimerentur, inſertorum Martyrologio aureis literis, non abſque ſtupore lectoris, qui aliquandiu hæſit attonitus. Rem deſcribit in appendice ad ſuum Deiparæ Calendarium, Antonius Balinghen. Quoad Minores, Martyrologia confecere Ianetinus Nino, Ioannes à S. Ioſepho, & Artutus à Monaſterio; quoad Carmelitanos, Baptiſta Lezana, & Hieronymus à S. Ioſepho; quoad Auguſtinianos, Thomas de Herrera; quoad Præmonſtratenſes, Ioannes Chryſoſtomus Vvander Sterre; quoad Canonicos Regulares, Conſtantinus Ghini; quoad noſtros, Ioannes Nierembergius.

a pend.s.

Horum omnium de Sanctis in ſuos quoſque dies digeſtis lucubrationes, donantur *Martyrologiorum* nomine; tametſi iam olim alios habent inſcriptos Cœlites, quàm Martyrio ſtrictè dicto perfunctos. Retenta enim eſt priſca appellatio *Martyrologij*, per ampliationem vocis, etiam in ſcriptura non rarò adhibitam, vt notauit S. Chryſoſtomus, b & dictum eſt in Tractatione de Martyrio. c Vbi etiam monſtratum eſt, d ſolum Romanum Martyrologium, eſſe immune ab errore quoad ſubſtantialia; Cum in alia Martyrologia, graues ſæpè errores irrepſerint, etiam in Græcanicum Menologium, in quod Ioannes Iemnator, & Gregorius Palamas, aliique quorum ſimulata ſanctitas duplex iniquitas fuit, titulo Cœlitum irrepſerunt. In Romanum tamen, leuicula quædam menda, extra ſubſtantiam incidiſſe, admittit Philippus Ferrarius, e & Franciſcus Biuarius. f At iuſto licentiùs F. Franciſcus Combefiſius ad acta Anonymi apud Nicæam, g menda Romanarum

b hom 7. in addititia in Geneſ.
c part. 3. c 6. n. 8.
d part. 3. c. 2. n. 4. & 5.
e in noua Topographia Martyrologij, ad finem.
f indice ad dextrum V. Martyrologij lectio.
g num. 6.

Tabularum recenſet. In qua etiam damnatione ſunt; qui non habent Martyrologium Romanum, quod nunc eſt in vſu, niſi pro Baronij Martyrologio; cum tamen, quod vulgatum eſt ex Baronij recognitione anno 1584. a Gregorio XIII. & poſterioribus Pontificibus ſit comprobatum, tanquam authenticum. Eſt verò figmentum caſtigatione dignum, quod vnus quiſpiam, ad eludendum argumentum inde petitum, pro martyrio charitatis, conſignato in Romanis tabulis 28. Februarij, ſparſit eraſum eſſe iuſſu Alexandri VII. titulum *martyrum*, SS. Alexandrinis ea die attributum, in Martyrologio Romano per Baronium recognito: quod eſſet admittere, errorem in ſubſtantialibus inquinaſſe tabulas Romanas. Nam in Tractatione de Martyrio, monſtratum eſt, talem errorem, fore in ſubſtantialibus, ſi verè error eſſet. Quare merum falſiloquium eſt, quod Alexander VII. iuſſerit eum titulum è Martyrologio deleri. An enim Pontifex, doctrinam eo titulo inſinuatam, iam vltra annos 70. inſonantem in omnibus Eccleſiis, expunctam voluerit, impacta tot deceſſoribus ſuis dira erroris? Sapiunt iſta, technas eorum, à quibus tentata per cuniculos eſt ſuffoſſio veritatis per annos vltra centum atque triginta, receptæ in omnibus Eccleſiis, tanquam piæ; de nitente ac pura Deiparæ Conceptione paſſiua. Sudarunt quippè & alſerunt, ne quod decantatiſſimum integro ac ferè dimidio ſæculo fuerat, deinceps audiretur; iactato ſuppoſititio decreto, de eo ſilentio. Sed fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.

Pergo ad vſum publicum lectionis Martyrologij, qui locum habet, vel in Choro, vel ad menſam communem ſacrorum cœtuum. In Choro legitur Martyrologium, ad finem horæ primæ diei præcedentis, vt recurrat tempori memoria cœlitis, cui die ſequenti exhibendus eſt cultus, ex perantiquo Eccleſiæ more quotidiè memorandi ad Altare cœlites ea die conſummatos. Quod Gauantus h putat traditum à S. Auguſtino, i teſtante locum perhonorificum aſſignatum eſſe ſuper ſacrum, Martyribus & defunctis ſanctimonialibus; comprehendendo ſub hac appellatione, ſanctas quaſcumque mulieres, etiam coniugatas, vt liquet ex filo diſcurſus S. Auguſtini, eo loco. Verùm ibi S. Auguſtinus, agit de ea Martyrum, & Sanctimonialium defunctarum recitatione ad Altare, quæ fit in ea parte Canonis, qua recenſentur Sancti, & Sanctæ Hic autem agimus de ea ſpeciali Sanctorum memoria, quæ tantùm quotannis recurrit certa die, qua Sanctum aliquem conſummatum fuiſſe, contigerit; delecto ad eam memoriam & Sancti ex nomine recitationem, fine horæ primæ pridianæ; hoc eſt ante illos verſus, *pretioſa in conſpectu*, &c. Inde enim incipit Appendix ad primam, vt notat Honorius in Gemma animæ: k Fiebàtque ea appendix, in loco Capitulari, interiecto quandoque poſt exactam primam, ſpatio non modico, vt ex variorum ordinum praxi notat Aëphtenius. l Alibi autem, illicò poſt primam, ſubitur locus capitularis, ad mulctandos noxios, & audiendam Martyrologij lectionem. Appoſitè, vt ex Dionyſio Carthuſiano, notat Molanus. m Nimirum Fratres, etiamſi ſi citrà culpam mulctentur, patienter ferent, incitati tanta patientia & fide

h in rubr. Breu. ſect. 5. cap. 21.
i l. de Sanct. Virg. init. cap. 45.
k l. 3. c. 58.
l l. 8. diſq. 2.
m tract. de mort. c. 14.

a 13. *vita.* Sanctorum ad ductura. Sicut S. Pachomius, *a* acerrimos ſuos dolores leniebat propoſito ſibi SS. Martyrum exemplo. Continenter ibidem, b *de canon. obſer. prop.* 14. pleriſque locis, teſte Radulpho Tungrenſi, *b* ad memoriam, & ſubſidium benefactorum morte perfunctorum, legitur *Necrologium*, ſiue *liber* c 4. *hiſt. c.* 14. *obituum*, aut *liber defunctorum.* Beda *c* vocat *librum annalem.* Aliqui ridiculè nominant *Mortilogium.* Quibus peractis, & decurſis omnibus, quæ ſubnectuntur verſiculis illis *Pretioſa*, &c. concludebatur conuentus capitularis, breui aliqua lectione ex ſcriptura. Ob quam cauſam, ea lectio, fieri dicitur ad *ad abſolutionem*, id eſt ad conſummationem *Capituli*, ſiue *cœtus capitularis.* Neque enim ibi *Capitulum* ſumitur pro precatione prolixiore, præconis ſolemnitatis tunc celebratæ, instructa, prout aliquando ſumi vocem *Capituli*, habetur ex Epiſtola Vigi- d *cap.* 10. lij Papæ ad Eucherium; *d* idémque ex veteri e *ad* 17. *Nou.* Breuiario Toletano, aperit Baronius; *e* ſed ſumitur in ſenſu recepto, hoc eſt pro conuentu in Capitulo. Ad hanc lectionem publicam in Choro, vel in Capitulo poſt primam, ſpectant Rubricæ præfixæ Martyrologio, vt ibi diſertè notatur.

Alia eſt (vt dicebam,) lectio publica Martyrologij ad Religioſam menſam, in pleriſque Religioſis cœtibus. Vſum hunc legendi ad menſam Martyrologium, valde commendat f *tract. de martyrol. c.* 16. Molanus, *f* quia præter commodum aſſumendi certum patronum in ſequentem diem, mens iucundè diſtinetur ea ſtrictim propoſita varietate Sanctorum, præſertim ſi, (quod Molanus in votis habet,) accedat nonnulla menſalis ventilatio de Sanctorum vita & morte, & pleriſque eius adiunctis. Ea tamen menſalis ventilatio, non poteſt habere locum in Cœnobitica menſa, quæ ex regula, debet muta eſſe. Hæc Martyrologij lectio, in gratiam neſcientium latinè fit ex Martyrologio vernacula lingua expreſſo; nec fit ex præſcripto Eccleſiæ, ſed ex præſcripto Religioſi cœtus; quod præſcriptum, interdum poteſt diſſentaneum eſſe præſcripto Eccleſiæ circa Martyrologij lectionem in Choro. Exemplum, eſto, quod in Choro, triduo ante Paſcha, iubetur omitti lectio Martyrologij. Nec mirum. Nam in Choro, toto illo triduo, reticentur verſus illi *Pretioſa*, &c. quibus immediatè præmittenda eſſet lectio Martyrologij, cum illis verſibus nexa. Vnde etiam Sabbato ſancto omittitur lectio Martyrologij; quia eius lectio in Choro incurreret in tempus adhuc lugubre, & addictum recolendæ morti Chriſti: quo toto tempore Eccleſia omittit ſuffragia Sanctorum, & Litaneuticam formulam premit, vt apertiùs deprehendatur dignitas meritorum Paſſionis Chriſti; & fructus ſanguinis Agni, meliùs clamantis quàm Abel. Sacrum autem, quod tunc ſub meridiem conficitur, pertinet ad noctem ſequentem. Vnde liquet, debuiſſe ad primæ horæ officium, quod benè manè decurritur, omitti lectionem Martyrologij, ſubſequentis diei; hoc eſt diei Paſchatis; Cui lectioni præmittendus eſt verſus, *hac dies quam fecit Dominus, exultemur, & lætemur in ea:* Vbi autem Martyrologium non legitur poſt Primam, ſed cum legitur ad Religioſam menſam, ad quam acceditur ſub horam meridianam; iam inſonuit *alleluya*, ob anticipatam ſacri veſpertini celebrationem; vnde ſine incommodo; eo loci ac temporis, poteſt, (ac etiam debet ſi ita ferat vſus receptus) legi Martyrologium ſequentis diei, præfixo verſu; *hac dies quam fecit Dominus*, &c. quamuis Rubricæ Martyrologij pro Choro, aliud præſcribant. Sanè in vernaculo Martyrologio, quod ad vſum præcipuè Religioſæ menſæ confectum eſt, notatur, vt in peruigilio Paſchæ, legatur Martyrologium ſequentis diei, & vt dicantur tunc, quæ in Latino ad vſum Chori concinnato, præſcribuntur dicenda die Paſchatis. Hoc ego, inter nos, iam per annos ſupra ſexaginta ſeruatum ad hunc vſque diem, recolo: niſi quod ante hoc trinoctium, nouelli quidam, mouerunt ea in parte, terminos, quos poſuerant Patres noſtri, luctuoſúmque ritum prorogarunt ad tempus quo iam eſt abruptus; & incongruè Dominica die Paſchatis, cum legitur Martyrologium feriæ ſecundæ, vſurpantes verſum: *hac dies quam fecit Dominus*, qui per ſe primò addicitur Dominicæ *regina dierum*, vt eam Nazianzenus, *g* & S. Ephrem *h* denominarunt. g *orat.* 19. Retinendus ergo eſt extra Chorum, vſus h *ſer. de Cruce.* receptus, & Sabbatho ſancto Martyrologium pro Dominica Paſchæ legendum eſt ad menſam: etiamſi in Choro præſcribatur dimittendam eſſe Martyrologij lectionem: ob potentiſſimum diſcrimen proximè expoſitum.

VIII. *Quæ idonea Anagnoſtæ ad legendum ſuper menſam vaga & variabilis materia, generatim?*

HIc locus non depoſcit magnam diſquiſitionem, quia prudenti iudicio patet, quodcumque lectionis genus non eſſe Religioſo triclinio accommodatum, ſed tantum quod ſit pium; nec adeò difficile, vt magnam audientis contentionem exigat; vtrumque paucis illuſtro.

Aio ergo in primis, materiam lectionis ad Religioſos, eſſe debere piam. Religioſos enim alia lectio non decet ſuper menſam, ſi ſatisfaciendum ſit præſcriptis maiorum, qui ferunt, vt dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animæ refectio præbeatur. At quamuis eruditi quique ſermones, dicantur animæ pabula, ex Nyſſeno, *i* i *hom.* 7. *in Cant.* Nazianzeno, *k* & aliis à Claudio Clemente *l* k *orat.* 1. annotatis: de mente tamen maiorum, refectio l *l.* 1. *muſei ſect.* 7. *a.* 1. quæ curanda animæ dicitur, ſpectat animam aut ſollicitam de Chriſtiana perfectione; cui parandæ aut cumulandæ, ſubſeruit quæuis lectio; ſed tantùm quæ pia eſt & aliquatenus perlita, rore ſupernaturali per Chriſtum perſperſo. Quis verò abſurditatis non damnet, ſi liber quiſpiam hominis Ethnici, in quo nullatenus Chriſtus ſonet, legatur in Religioſo triclinio? S. Auguſtinus *m* ait, deſipuiſſe ſibi libros Platonico- m 7. *confeſſ. cap.* 9. 20. & 21. rum, tametſi refertos ſapientiæ, ac etiam de diuinis non pauca continentes recondita, & cothurno doctrinæ ſublimioris elata, quia in eis Chriſtus non legebatur, qui ſolus eſt panis vitæ confortans animam. Itaque omnis alia eſca animorum, etiam in ſuo genere probata, & philoſophicè edulis, procul à Religioſis menſis eſſe debet. Nec ferendus eſſet qui Mercurium Triſmegiſtum, quia multa de Deo habet, Au-

thorémve

thorémve Theologiæ ſecundùm Ægyptios, aut ſimiles, pleraque diuina proponentes ſcriptores, inferret Religioſo triclinio. Ac ne ij quidem Ethnici ſcriptores qui de moribus inſigniter diſſeruerunt; v.g. Epictetus aut Seneca, vel Plutarchus, in eam rem videri poſſunt accommodari; tantùm quia nullibi in eis Chriſtus ſonat, ſine quo nihil ſapidum, nihil paſcendæ Chriſtianæ animæ (nedum religioſæ) aptum videri debet. Philonem Iudæum, *a* S. Auguſtinus vocauit *liberaliter eruditiſſimum*; elegantia verò tanta, vt iudicibus pleriſque Græcis æquiparari Platoni poſſit in ea parte. Multa in veteris Teſtamenti libros ſcripſit. Non poteſt tamen huic inſtituto commodare, & idoneus haberi qui ad menſam legatur. Nam præterquàm quod aurum in plurima arena continet, & allegoriis plerumque implexis ac violentis genuinum ſcripturæ ſenſum diſtorquens, ingenium lectoris fatigat; nullibi apud eum Chriſtus legitur. Quam cauſam cenſet eſſe D. Auguſtinus, cur homo tanto ingenij acumine abeſſet, plerumque adeò miſere in expoſitione ſcripturæ, quæ tota ad Chriſtum veluti ad ſcopum refertur. Exemplum adhibet D. Auguſtinus, interpretationis ab eo prolatæ de oſtio Arcæ Noëticæ, ad humanum corpus ſignificandum aptatæ; Quanquam vt ſunt iudicia hominum varia, illam ipſam oſtij interpretationem, in Philone à S. Auguſtino exploſam, S. Ambroſius Philonem ſæpenumero exprimens, ſuam fecit, atque comprobauit. Nunc ſatis ſit, Philonem, quia apud eum Chriſtus non ſonat, non eſſe idoneum qui audiatur in religioſis tricliniis. Ne Chriſtianorum quidem omnium libri, eidem vſui commodare poſſunt, tametſi eo ipſo quod à Chriſtianis Authoribus prodierunt ægerrime accidat quin occurrat in eis quandoque, vel obiter, vel quaſi obliquè, mentio Chriſti. Quid ſi enim nihilominùs argumentum ſit planè prophanum, & cum religioſo ſtatu non conſentiens? Stomacatos ſanè aliquando memini, grauis & primæui ſpiritus retinentes aſcetas, cum contigiſſet ſub Abbate Beſtia, (quidni enim cum Hildeberto, ſic nominetur homo omnibus omnia indulgens, & omnia omnibus factus, vt omnes lucrifaceret & bonus audiret, & interim omnem religioſam diſciplinam peſſundans:) legi ſuper menſam; hiſtoriam bellorum quibus eo ipſo tempore, inter Catholicos Principes ardebant omnia. Et aderant ex ſciſſis inter ſe nationibus varij, quorum pectora per proſciſſionem gentis ſuæ, transfodiebantur. Nemo non videt, quàm deficeret iudicium, talia probantem moderatorem. Igitur fixum eſto, lectionem in Religioſo triclinio, aliam non eſſe admittendam, quàm piam.

a l.12. contra Fauſt. c.39.

Sed hoc aliqui ſupra iuſtum arctant. Videntur enim velle, ſolas ſacras ſcripturas eſſe ad Religioſam menſam legendas; quod ſonant loca quorundam Patrum. Sic enim S. Iſidorus *b* in regula. [Vnus in medio reſidens de Scripturis aliquid legat.] Item Carmelitarum regula. *c* [In communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint communiter ſumatis, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo.] Nec aliter Concilium Toletanum 3. *d* [In omni Sacerdotali conuiuio, lectio diuinarum Scripturarum miſceatur.] Item Nannetenſe adductum à Gratiano *e* decernens quæ ſeruanda eſſent in conuiuiis quibus adſunt Presbyteri. [Aliquis de illorum Clericis, aliquid de S. Scriptura legat.] Et negari ſanè non poteſt, quin Scriptura diuina, ſit, & lectu, & auditu ſuauiſſima. Sunt enim literæ ſacræ, *de melle cæli mellea*, & *de Dei lumine luminoſa*, vt D. Auguſtinus *f* dixit. Sed & Damaſus Papa ſcribens ad S. Hieronymum, tali animæ pabulo, ait omnia mella ſuperari. Omne ſaporis ſuauiſſimi genus redundare in ea eſca animorum, diffuſiſſimè proſequitur Franciſcus Mendoça. Breuius ſed benè quoquè Delrio *g* in ſuis ad Pharum prologuiis. Quinetiam longè fructuoſiùs legi, atque adeò etiam audiri ſcripturam quàm alium quemuis pium librum, eo quod auxilia plura & potentiora dentur ad diuinorum ſcriptorum lectionem, monuit Serarius; *h* hæc lubens admitto.

b cap. 9.

c cap. 4.

d cap. 7.

e c. quando autē d. 44.

f conf. c. 4.

g epiſt. c. 14. inter Hieronymianas.

h annot. 1. proœm. in S. ſcrip. 3. & n 64. c. 1.

Nihilominus non eſt cenſendum, religioſæ ad menſam lectionis materiam, ſolis Scripturæ diuinæ finibus eſſe concludendam. Quæ enim noſtra eſt infirmitas, facilè fieri poſſet, vt obreperet faſtidium ex aſſidua ingeſtione ſacri huius manna: Nec ſatis ſeruiretur captui plurimorum, quibus ſcripturæ in Sanctorum libris præmanſæ & illuſtratæ, aptius percipiuntur, quàm ſi nudæ proponerentur. Habemus inſuper exemplum Eccleſiæ, quæ lectoribus quos ad legendum publicè in Eccleſia extra ſacrificium adhibet, tametſi in forma ordinationis, quæ apud Clementem Romanum extat, *i* dicuntur ordinari ad legendas ſcripturas; tamen alia quoque legenda publicè aſſignauit. Sic epiſtolam S. Polycarpi ad Philippenſes, ſuo tempore in Aſiæ conuentu legi ſolitam, ſcribit S. Hieronymus lib. de ſcriptoribus Clementis Epiſtolam ad Corynthios, in plurimis Eccleſiis legi ſua memoria ſolitam, teſtatur Euſebius. *k* Et de plurimis eiuſdem Clementis epiſtolis, idem refert Epiphanius. *l* Tabulæ Eccleſiaſticæ 8. Aprilis, produnt, S. Dionyſium Corynthium, Romanorum Pontificum epiſtolas, publicè legi in Eccleſia diebus Dominicis induxiſſe in vſum. S. Ephrē opuſcula, poſt ſcripturas publicè in Eccleſia legi ſolita, notat S. Hieronymus. Itaque alia quàm diuinas ſcripturas, ad menſam Religioſorum legi, conſonat vſui Eccleſiæ, alia publicè legi curantis, atque probantis.

i c. 9. proleg. Bibl. q. 3.

k l. 3. c. 12.

l 3. hiſt. c. 12.

Quæ in contrarium ſunt adducta, facilè expediuntur. Rectè quippè conſtitutum eſt, aliquid de Scripturis eſſe legendum: quia etiamſi alia inſuper legantur, nunquam tamen prorſus omittitur lectio diuinæ Scripturæ. Addo verò non quoties memoratur *ſcriptura*, intelligendam eſſe diuinam. Sicut neque quot es dicitur *ſicut ſcriptum eſt*, neceſſitate adigimur id accipere de ſcripto in aliquo diuino libro. V. G. Innocent. III. *m c. cum Martha*, ait in ſcriptura tradi, quod *iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. At hoc, nullibi legitur in Bibliis, ſed apud D. Auguſtinum. *n* Similiter S. Benedictus, ſic habet. [Sicut dicit Scriptura, *voluptas pœnam, & neceſſitas parit coronam*.] Neque tamen vſpiam comparet ea ſententia in ſacris Bibliis. S. Valerius in dictis de generibus Monachorum apud S. Benedictum Anianenſem *o* [Scriptura teſtatur, quod omne peccatum quod remiſſus indiſciplinatúſque admiſerit frater, ad negligentem protinus reuertatur ſeniorem]; & propter ſe

m ſerm 30. Ebion.

n l. 17. de verb Apoſt. c. 13 arg.

o c. 5. 5. 7.

ſe & pro illo, duplam redditurus eſt rationem.] Fruſtra hæc verba quæras in diuina Scriptura. Magiſter item in regula. *a* Scriptura dicit de S. Heliano, *repauſare factus matutinus conuenit.*] Denique Petrus Lombardus, *b* nomen ipſum *Sacra Scriptura* adhibet ad deſignanda Patrum ſcripta. Par ratio eſt illius modi loquendi *ſicut ſcriptum eſt*; quo non ſemper denotari libros diuinæ Scripturæ, eſt extra dubium. Sic S. Benedictus. *c* [Monachus non ſit clamoſus in voce, ſicut ſcriptum eſt, *Sapiens verbis innoteſcit paucis.*] Quod tamen non eſt ſcriptum in Bibliis, ſed in ſententiis Sexti Pythagoræi. Et in dictis S. Valer.] proximè adductis. [Scriptum eſt, *quoniam quem dirus ſuperbia infecerit ſpiritus, ſimilem eum efficit Diabolo; & quem ſimilem fecerit vitio, ſimili cum ſine fine cruciandum tradet exitio.*] Nihil horum in diuinis libris habetur. Itaque neque cum allegatur aliquid *ex Scriptura* abſolutè, neque cum dicitur *ſicut ſcriptum eſt*, neceſſe eſt ſemper id accipere de diuinis libris, niſi fortè quoad ſenſum, qui interdum in eis reperitur abſque eatimo verborum cortice, vt notaui in opere de martyrio, adducto loco ex c. 7. Ioan. *d* vbi Chriſtus ait, *qui credit in me*, ſicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quamuis ſolus ſenſus horum verborum in Scripturis legatur, vt ad eum locum Ribera, Toletus, Franciſcus Lucas, & alij benè perpendunt. In hanc rem, videndi Molanus in quodlibeto trium quæſtionum, & Menardus ad Concordiam Regularum S. Benedicti Anianenſis. Ex his ſufficienter extricantur, quæ adducta erant pro ſolis ſcripturis ad Religioſam menſam legendis; conſtátque, aliam piam lectionem eſſe ad hoc idoneam.

a *cap. 53.*
b *in 1. d. 26. lit. B.*
c *cap. 10.*
d *p. 2. c. 6. n. 13.*

Neque tamen quæcumque ſcripto pia, eſt ad eum vſum accommodata: ſed debet eſſe intellectu facilis, ita vt non tranſcendat communem captum auditorum; ſiue ratione argumenti, ſiue ratione modi ſcribendi. S. Dionyſij Areopagitæ Scripta, ſunt omninò pia, & Chriſtianorum myſteriorum cognitione refertiſſima. Quod tamen S. Dionyſij ſcribendi ratio adeò emineat, & profunda ſenſis ac hypermyſtica ſit verbis, priuato potiùs ſtudio, & quidem cunctanti apta eſt, quàm lectioni decurrenti: nam & à S. Chryſoſtomo *e* ea ea cauſa *auis cœli* dictus eſt, tanquam qui nuſquam repat, ſed ſublimè aſſurgens ſubtus iacentes prætervolet. D. Hilarius, & ipſe piiſſimus eſt: præ eloquentia autem iure à D. Hieronymo dictus *Latinæ eloquentiæ Rhodanus.* Eiuſdem tamen Hieronymi Paulinum informantis iudicio. [Gallicano cothurno attollitur: & cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, & à lectione ſimplicium fratrum, procul eſt.] In Tertulliani pleriſque tractatibus, multa ſunt pia, & ad mores formandos perutilia. Eſt tamen ſcriptor adeò in loquendo difficilis, quod Hieronymus de eo pronunciat; id eſt, adeò ſcabri ingenij & ferrei ſtyli eſt, vt ad hunc vſum commodari non poſſit. Inter Aſceticos, via eſt qui palmam præripiat Richardo Victorino. Semper enim & vbique, præcellit eruditione ſacra, & pietate. Eius tamen ſcribendi modus, paulò plus contentionis infert, quàm accumbentibus menſæ conueniat. Idem dicendum videtur, de nonnullis, piis quidam, ſed hypermyſticis ſcriptoribus, vt de Rusbrochio; quem male aliqui exagitant tanquam erroribus in fide ſordentem, quod tamen à vero alienum eſt, vt monſtrat Leonardus Leſſius. Meritò tamen à Gerſone eſt exagitatus, ob cimmeriam ſcribendi rationem. *f* Et eam ob cauſam, non eſt lectioni tricliniari accommodatus. Quod æquè dixerim, de Harphio, atque Taulero, & ſimilibus ſanè piis ſcriptoribus; ſed ſalebroſis, nec cuiuis abſque magna animi contentione facilè peruiis. Multo magis idem pronunciauerim de Bertramo Presbytero, quem aliqui quia non intelligunt, notant hæreſeos, & ſacramentariorum antesignanum ſtatuunt. Et fortaſſis liber qui eius nomine circumfertur, ei fuit ſuppoſitus, vt alibi latè trado. Vt vt verò ſit, ab errore per Berengarium inuecto, procul abeſt. Sed adeò implexè agit de magno pietatis ſacramento, vt quamuis pleraque pia contineat, nimiam exigat ingenij contentionem vt capiatur, & impegiſſe videri poſſit.

e *hom. de pſeudop.*
f *epiſt. 1. & 2. ad Barth. Carthuſ.*

Quare quæ regula ab Agellio *g* ex Varrone circa ſermones conuiuales conſtituta eſt, eadem circa libros legendos ad menſam, locum habeat. Ne ſint de rebus anxiis aut tortuoſis, ſed iucundi atque inuitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtiles. Simul ſint *ὠφελεῖ*, & delectent. Auguſtus probante Philone, *h* tempus ſuper menſam tribuebat eruditis fabulis, vt non ſolum corpus, verùm & anima ſuis reficeretur deliciis. Eruditæ autem fabulæ, non ſunt inanes illæ argutiolæ, quas apud Taurum Philoſophum, Athenis ſuper menſam agitatas prodit Gellius, *i* aut ob quas etiam poſt menſam illatas, exploſus eſt ab Herode Attico tumidus philoſophaſter; ſed quas Apoſtolus ſecundæ epiſtolæ c. 1. vocanit *doctas fabulas*; diſſertationes inquam de rebus ſublimibus & grauibus, ſed complanatæ & amœnatæ multiplici illecebra. Nam à menſa, contentio ingenij & quærendi anxietas abhorret, alioqui officeretur bonæ concoctioni ciborum per ſpirituum auocationem; vnde facilè exiſteret macies, & valetudinis detritio. Quod ergo de ſympoſiacis ſermonibus, ac problematibus conuiuialibus dicitur, de libris ad menſam legendis, proportione ſtatuitur. Hinc efficitur, hiſtoricos ſacros eſſe maximè accommodatos vſui pro quo in præſentia ſatagimus. Nam pro ingenito mortalibus ſciendi aliena deſiderio, oblectant mirificè auditorem, abſque faſtidio percipientem quæ alio tempore geſta ſunt, & præteritis æſtimantem futura. Qui inſignis fructus lectionis hiſtoricæ, ad prudentiæ morum aurigatricis comparationem, alibi *k* illuſtratur, & à Nicephoro Gregora, *l* in hiſtoriæ præconio, nequaquam prætermiſſus. Extra hiſtoricos verò ij præeligendi ſunt, qui vel morali argumento inſiſtunt, vel myſteria ita verſant, vt amœnitate ſua diſtinere auditorem abſque faſtidio queant. Excellit in vtroque genere S. Ambroſius. Nam & perelegantet ſcribit, vt propterea à Pelagio, *m* referente ac ſuffragante S. Auguſtino, dictus ſit *flos ſpecioſus Romanæ facundiæ*; & nuſpiam ſtylum demittit adeò profundè, vt multa contentione fatiget.

g *l. 3. c. 11.*
h *l. de legat. ad Caium.*
i *l. 6. c. 13.*
k *l. 2. de vir. n. 77.*
l *l. 1. initio.*
m *l. 1. de nupt. vlt.*

Et quanquam magnam partem, antiqui præeligendi ſunt, tamen debet etiam ſuus locus

ſeruari

ſeruati poſterioribus, non tantùm cum deficiunt antiqui, (vt fragarum de ſancto cœlite, aut de ritu ſacro noui vſus, quem proinde veteres agnoſcere aut celebrare nequiuerint.) Verùm etiam cum ſuppetunt veteres, quia Spiritus ſanctus, habuit omni æuo quos voluit collustratos & luce ſua abundè perfuſos, qui proinde potuerint à ſcriba velociter ſcribente, velut apti calami adhiberi ad exaranda conuenienter permulta. Itaque eſſe ſuam laudem ſcriptoribus poſterioribus, alibi monſtro diffusè. Vt plurimum tamen in antiquis eſt ſapientia meracior, ſúntque maioris auctoritatis; vnde plus afficiunt, & idcirco eos nominatim adhibebimus præſertim pro homiliis.

I X. *Digeſtio lectionis pro religioſo Anagnoſte, in varias ſeries; & quid circa eas præmonendum.*

QVatuor ſeries exhibebo in quas referri poſſint quæcumque ad hoc negotium pertinent. Prima erit duodecimeſtris, complectens omnia *feſta fixa*, ſignata in Romano Calendario, & alia quædam eodem ſtato die recurrentia, quibus ſubnectendum erit *commune Sanctorum*, propter varios Sanctos, qui certis ſaltem quibuſdam locis eadem die quotannis recurrunt, obſignabitque eam ſeriem *dedicatio Eccleſiæ*. Secunda ſeries complectetur *Feſta mobilia*, quæ non aſſignantur ſemper vni ac eidem diei menſis, cuiuſmodi ſunt *Paſcha*, *Aſcenſio Domini*, *Pentecoſte*, *Dominica Aduentus* & *Quadrageſima*, ac cæteræ per annum *Dominicæ*, necnon *feria quatuor Temporum* & *Vigiliæ* Feſtis mobilibus præcurrentes. Ad tertiam ſeriem pertinebunt lectiones pro variis accidentariis occaſionibus; cuiuſmodi ſunt *initiatio alicuius in Sacerdotem*, *cooptatio in religioſum ſtatum*, *emiſſio profeſſionis*, *renouatio votorum*, *depoſitio alicuius*, *allocutio ſanctimonialium*, *coalitus in ſynodum*, *aut in comitia*. Poſtrema ſeries erit lection *per annum*, extra feſta, & accidentarias occaſiones.

Vniuersè autem præmittendum videtur, incumbere curam vel lectorum præfecto vel ipſiſmet lectoribus, ſi per iudicium & peritiam ſint ad hoc idonei, legere ſaltem perfunctoriè quod ad menſam legendum eſt, vt occurratur faſtidio audientium per nonnullam lectionis incongruitatem, perſæpè ſecuturam à longioribus exordiis aut excurſionibus. S. Chryſoſtomus

a homil. de ferendis reprehenſ.

ſacrorum oratorum idea, *a* fatetur ſe notatum ob nimis longa exordia: id quod etiam notari poteſt in laudatiſſimo cæteroqui ſcriptore Laurentio Iuſtiniano. Excurſiones, interdum opportunæ ſunt & vtiles iuxta illud S. Bernardi. *b*

b ſ. 16 in Cant.

[Quandoquidem incidimus, non pigeat nos paululum immorari, conſequenter ad id quod intermittimus poſtea reuerſuros. Siquidem animarum cibus, nihilominus eſt iſte. Canibus quoquè, ac venatoribus, plerumque contingit, à beſtia quam aggreſſi erant deſiſtere, & ſequi aliam quæ inopinantibus fortè occurrit.] Interdum excurſio eſt ex ſpeciali Spiritus ſancti prouidentia, vt contigit D. Auguſtino, referente Poſſidio. Concionans enim, abreptus in diſputationem non congruentem themati propoſito, valdè incubuit in confutationem quorumdam capitum Manichæiſmi. Cúmque digreſſum è pulpito puderet excurſionis, agnouit diuinam manum in ea excurſione interueniſſe. Siquidem mercator cui nomen *Firmo*, poſt biduum ad Sancti viri pedes accidit, eiurans Manicheiſmum; séque ea excurſione ad mentis ſanitatem reductum profitens. Cum excurſiones ſunt huiuſmodi, non modo ſunt extra vitium; ſed etiam collaudandæ. Quæ ſecus accidunt, aut ex iudicij interdum inopia (quam in Patribus, qui Dei ora ſunt, atque adeò nihil extra rem dixerint, iuxta Chryſoſtomi de Prophetis ſententiam, *c* nemo ſanus, ſuſpicetur aut criminetur) aut ex ingenij ſerenitate ortum habent. Et quia negotij præſentis quod ad manum eſt, filum abrumpunt, tranſiliendæ vel recidendæ prudenter ſunt, facta dextrè concatenatione apta, eorum quæ reueniunt poſt auulſum parergon.

c hom. 1. de verb. Eſaiæ.

Haud abs re tamen, depoſco prudentem eſſe tranſultum, aut recisionem; cuiuſmodi ſana non erit, ſi fiat abſque cauſa idonea, aut ſi lector minùs verſatus, faſtidio potiùs ſuo velificetur, ac guſtui ſeruiat: ex quo aliqui, recidentes minutias, (vt putabant,) ab Origene & Hieronymo reprehenſi ſunt, haudquaquam minimæ aberrationis. Ille quoſdam qui nominum catalogos, tanquam nullius momenti tranſiliebant, ſic ſugillat. (Dicimus ne cum faſtidio hæc legatis, & putetis vilem eſſe aliquam ſcripturam, pro eo quod eſt multis nominum appellationibus conſita: quin potiùs ſcitote, ineffabilia per hæc myſteria contineri, maiora quàm poteſt vel humanus ſermo proferre, vel auditus mortalis audire; quæ (vt arbitror,) dignè ac integrè explanari, non ſolùm à me minimo non poſſunt, ſed nec ab ipſis quidem, qui me multo meliores ſunt. Neſcio autem, ſi vel ab ipſis ſanctis Apoſtolis plenè ac integrè proferuntur. Recide vel tranſili ea (vt rebare,) minutias, & ingentis theſauri quæ grandia ſunt, diſpendium feceris. In eadem catalogi nominum cauſa, verſans Chryſoſtomus, *d* multa primùm præfatur, de pretio diuinæ ſcripturæ quæ non eſt vt vena auri aut argenti; multa excrementitia materia commiſti aut impuri; ſed vt aurum purum & argentum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

d hom. 1. de verb. Eſaiæ.

His præmiſſis, ſubdit S. Chryſoſtomus; [Hæc mihi non temerè dicta ſunt, neque fortuitò ſermonem produxi; ſed ob id quod ſunt homines quidam opifices, qui poſtquàm ſacros libros in manus ſumpſerint, deinde reperierint vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſionem; illicò prætercurrunt; & incuſantibus reſpondent, nomina tantùm ſunt neque quicquam habent vtilitatis. Quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere, nulla eſt dictorum vtilitas? etenim ſi ad nudam ſcripturam aſpexeris tantùm, dic mihi, nónne teſtes eum ſtudio, repoſitáſque ſcrutaberis opes? Sed quid loquor de temporibus, & nominibus,

bus, tituliſque? Diſce quantum valeat vnius tantùm literulæ adiectio, ac deſine tota contemnere numina.] Monſtrat ex adiecta nomini *Abrahami* litera vna, quæ ſignum honoris immenſi Abrahamo diuinitus collati, tanquam aurea tabella, principatus delati ſignum fuit; numeros quos rupices illi memorati paulò ante à Chryſoſtomo, negligebant, iudice D. Auguſtino, q. 152. in Geneſ. in ſcripturis ſacratiſſimos eſſe, & myſteriorum pleniſſimos, quod ex quibuſdam quos inde poſſe potuerat, digniſſimè ab ſe credi confirmat. Itaque non ſunt temerè tranſiliendi, aut recidendi inter legendum.

Sic ſuppoſitis quæ viſa ſunt generatim animaduertenda venio ad ſingularum ſeriei rum propoſitarum diſpoſitionem. Aſteriſcus additus, indicat homiliam ſignatam eſſe præcellentem.

BIBLIOTHECA

BIBLIOTHECA NOVA
HOMILIARVM.

***CONCIONATOR ET ANAGNOSTES** ad Eccleſiaſticam menſam, inſtructi ſyllabo lectionum ſelectarum in ſingula totius anni Feſta primaria atque Dominicas, & Ferias præcipuas, aliáſque varias occaſiones.*

PRÆDICENDA.

I. NVMERVS ad læuam marginem notatus, deſignat vnitatem vel multitudinem homiliarum de eodem argumento, apud Authorem cui is numerus appingitur.

II. Cùm abſolutè notatur Author, nullo adſcripto loco, ſignificatur diſpoſitas apud eum eſſe homilias, ſiue iuxta ſeriem Calendarij & Breuiarij Romani (vt contingit apud eos quorum homiliæ de tempore notantur ſeorſim ab homilijs de Sanctis) ſiue iuxta ordinem quem myſterij tempus depoſcit. Prior diſpoſitio homiliarum, locum habet apud Auguſtinum, Bedam, Rabanum, & aliquos alios: Poſterior apud Nyſſenum, Nazianzenum, & reliquos, quorum extant homiliæ in pauciora feſta.

III. Authores homiliarum ferè hîc adhibiti ſunt, Patres duntaxat, quos habes in Bibliotheca Patrum fere omnes; præter paucos poſteriores haud planè nuperos. Bruno Signienſis, plerumque hîc annotatus, is ipſe eſt, qui admodum indiligenter à pleriſque nomine *Euſebij Emiſſeni* eſt prænotatus. Qui antehac ferè audiuit *Cyprianus de Operibus Chriſti Cardinalibus*, reipsâ (vt eſt alibi monſtratum) eſt Arnoldus Abbas bonæ Vallis. Itaque dimiſſo Cypriano, & detracta ei larua, nomine *Arnoldi* hîc allegabitur. Gloſſam Ordinariam, Catenam auream, Titique Boſtreni, Haymonis, Theophylacti, Euthymij, ac ſimilium Commentarios, queis Laurentius Condius vulgatæ pridem Bibliothecæ Homiliarum concinnator, eam inſerſerat, conſultius viſum eſt dimittere, quòd ad præſens inſtitutum non faciant; quippe Commentarij, non homiliæ, vel ſermones; aut (vt veteres vocabant) *Tractatus ad populum*; quo nomine SS. Auguſtini, & Gaudentij, Tractatus meritò admiſimus.

IV. Quia hoc opus lectoribus ad Religioſam menſam æquè ac Concionatoribus addiximus; & tædioſum eſt ſuper menſam audire aliena à myſterio quod eâ die recolitur, & in quem finem lectio homiliæ adhibetur; Patres autem interdum excurrunt in aliqua ad eum modum aliena; Idcirco in duodecimeſtri indiculo, qui maximè lectoribus menſariis inſeruit, notata ſunt in ſubiecto, quæ videntur tranſilienda, aut recidenda; vt conſuleretur lectorum (qui ferè iuniores ſunt,) ruditati. Quæ cura non eſt adhibita circa homilias feriarum & Dominicarum per annum, quæ ferè ſolis Concionatoribus ſunt vſui. Ipſi enim vno oculi ictu, per ſeipſos decurrentes homiliam, quid præter ſcopum primarium in eam inciderit, deprehendent.

V. Hoc quicquid eſt operæ, ante annos quinque ſupra viginti elaboratum, noſtro etiam iudicio de cuiuſvis homiliæ præcellentia, manibus piceatis ſublectum; nouo labore vrgentibus maioribus refectum datur; dimiſſo eo de præcellentia iudicio, ne cui videretur fieri præiudicium. Eam primæ operæ reciſionem compenſabit non vna acceſſio ſubinde facta; vt deprehendere poterunt qui eum laborem publico vſui iam per tot annos inuiderunt. ſi Autographum quale ſublegerunt, componant cum nouo hoc opere. *Fruere lector & faue.*

SERIES I.

Duodecimeſtris complectens Feſta immobilia, in Romano Calendario deſcripta.

IANVARIVS.

Circumciſio Domini.

1. AMPHILOCHIVS.
1. Petrus Chryſologus ſerm. 155.
1. Andreas Cretenſis.
1. Rabanus Maurus Ser. de Octaua Nat. Domini.
1. Bruno Carthuſianus.
1.2.3. Bernardus.
1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Guil. Pariſ.
1.& 2. Gerſo 1.p.ſer.de Circumc.& alius 4.p.
1.2.3. Biel ſerm.de Circum. Dom.

De ratione Circumciſionis.

1. Zeno Veronenſis ſer.de Circum.
1. Beda.
1. Creditus Cyprianus, reuerà Arnoldus bonæ Vallis.
1. Petrus Abelardus.
3. Bonauentura.
1. Card. Vigerius chorda 3.

De nomine Ieſu.

Richardus Pampolitanus.
1. Innocentius III.
1. Bonauent.ſer.4.de Circumc.

Videſis citatos in Diptychis Marianis parte 1. punct.8.n.13.

De anni principio.

1. Gregorius Taurominit.
Chryſoſtom.tom.6.ſerm.59.
Theophanes Ceram.hom.1.

Scholia.

Ex Amphilochij homilia faciunt ad hoc feſtum quæ habentur à pag. 10.*vſque ad* 15. *his verbis concludendo* ſuſcitauit Pontificem *Tum veniendo ad paginam* 20. in fine *à verbis illis* Quotquot ab eo didicimus, *vſque ad calcem ſermonis.*

In homilia Andreæ Cretenſis, excerpenda quæ habentur à pag. 28. *vſque ad* 33. *concludendo in illis verbis*, Feſto aggratulemur.

Ex tribus S. Bernardi ſermonibus, tertius eſt inſignis, ad illa vſque verba, Factus eſt qui legem dedit.

In Richardo Pampolitano dimittendum eſt aſſumentum ad finem appoſitum à verbis illis, Cum erga propoſitum. *Extat tomo vltimo Bibliotheca Colon.*

Homilia Georgij Taurominitani, eſt de anno ineunte initio Septembris; nec multa habet de eo argumento.

Epiphania Domini.

1. S. Chryſoſtomus hom. 1. ex variis in Matth.
10. S. Auguſt. ſer. 29.30.31.32.33.34.35. de temp. Item ſerm. 64.66.67. de diuerſ. & ſerm. 1. ex additis.
8. S. Leo.
5. Petr. Chryſologus ſer. 156.157.158.159.160.
1. Eucherius.
5. S. Maximus.
1. S. Fulgentius.
1. S. Gregorius homil. 10. in Euang.
1. Beda.
1. Sedatus.
1. Rabanus.
1. S. Odilo Cluniac.
1. Petrus Damiani.
1. Bruno Carthuſianus.
3. S. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
4. Guerricus Abbas.
1. Petrus Abelardus ſerm. 4.
1. Petrus Bleſenſis ſerm. 7.
1. Innocentius III.
4. Guil. Pariſ.
4. Bonauent.
1. Gerſo 4.p.
1.2.3. Gabrie Biel.
Card. Vigerius chorda 4.

Legeſis notata in Diptychis Marianis parte 1. punct.8.à num.14.

Scholia.

Homilia ex Chryſoſtomo notata, eſt egregia, ſed videtur Authoris latini.

In ſermone 4. S. Leonis, omittendum à c.4.

In Eucherij homilia, dimittendum ab illis verbis pagina nona, ſepultura prædicatur: *Tum reſumendum pag.* 10. *ab illis verbis*, agnoſcimus itaquè *vſque ad illa verba pag.* 11. conſcientiis redditurі.

S. Maximi ſermonum primus recidi poteſt ab illis verbis, Sed iam ad.

Sermo S. Odilonis, breuiandus eſt ab illis verbis, intellige baptizatum. *Tum addenda quæ habentur* 446. *ab illo verbo* Solemnitatem.

Octaua Epiphaniæ, de Chriſto. Baptiſmo.

1. Gregorius Neocæſarienſis in Theophan.
1. Gregor. Nazianzeo. in SS. Lumina. Eſt oratio 39.
3. Ambroſius ſerm. 18.21.& 41.
Chryſoſtom. hom. 24. Tomi 1. Græco-lat. & 6. ſerm. 36.
2. Auguſtinus ſerm. 36. de temp. & ſerm. 65. de diuerſ.
3. Maximus homil. 6.7.8. de Epiph.
1. Chromatius Aquil. tom. 4. Bibl. Colon.

1. Proclus

1. Proclus orat.7.
2. Beda ſer.de Epiph. & ſerm.de eius Octaua.
1. Anſelmus hom.de Epiph.
1. Bernardus ſerm.1.& 4.de Epiph.
1. Richardus Victorinus ſerm. de ſuperexcellenti Chriſti Baptiſmo.
1. Arnoldus de Baptiſmo Chriſti.
1. Pantaleon Diaconus Orat.in SS. Lumina.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholia

In oratione Nazianzeni, tranſiliendum ab illis verbis, pollutos luſtrans, *vſque ad illa verba de quinte Baptiſmo*, corrupti pabolum: *Ex Sedati homil. excerpendum ab illis verbis*, illud fratres chariſſimi, *vſque ad*, in gratia ſuæ adoptionis.

Bernardi ſermo primus, quoad hoc negotium auſpicandus eſt à verbis illis Cùm iam Chriſtus.

S. Hilarius.

1. Petri Damiani

S Felix Nolanus.

S. Gregorius hom.13.Euang.
Immemor eſt in hoc ſuo Dominædio exornando S. Paulinus, quem in ſertum floſculentum carpſit Generus lib.2.de peregr.c.19.

S. Paulus Eremitarum primus.

De Euangelio S.Aug.ſer.9.& 10.de verb. Dom. Hiſtoriam dabit S. Hieronymus.

S. Antonius.

2. Guilielmus Paris.
4. Gerſo p.1.ſerm.1.& p.4.ſerm.1,2,3.
2. Biel ſer.1.& 2.
Legeſis *Symbola Antoniana.*

Cathedra S. Petri Romæ.

1. S. Odo.
1. Iuo Carnotenſis.
1. Petrus Abelardus ſer.22.
Legeſis *Coronam auream ſuper Mithram* pagina 446. Sermo S. Odonis eſt exceptus ex Sancto Leone.

S. Sebaſtianus.

2. S. Auguſtinus ſer.100.de diuerſ.& hom.37. ex 50.
1. Guliel.Pariſ.
1. Gabriel Biel ſerm.10.de Sanctis.

S. Agnes.

1. Ambroſius ſerm.90.
1. S. Auguſtinus ſerm.102.de diuerſ.
2. S. Gregorius hom.11.& 12.in Euang.
1. S. Maximus.
2. S. Bonauentura.
2. Thoma a Kempis ſerm. 26.& 27. ad Nouitios.

Scholia.

Sermo notatus ex Ambroſio videtur ei ſuppoſitus, nec eſt niſi narratio Actorum Sanctæ Agnetis.

In ſermone Diui Auguſtini auſpicandum à cap. 6.

In binis S. Gregorij homiliis, vix quicquam de Sancta attingitur.

S. Vincentius.

6. Auguſtinus ſerm.12.ac 13.de Sanctis, & ſerm.102.& 44.de diuerſ.& ſerm. 8.ac 9. ex additis.
1. S.Leo.
1. S.Fulgentius ſer.nouo 83.
1. Petrus Bleſenſis ſer.8.
2. Guiliel.Pariſ.ſer.1.& 2.

Scholion.

In ſermone 1. S. Auguſtini de diuerſ. verendum, cap.8.in verbis illis, loqui vobis: *In ſecunde, ordiendum à cap.33.*

Sermo notatus ex S. Fulgentio, eſt apud Auguſtinum ſer.12.de Sanctis.

S. Anaſtaſius.

1. Petr.Damiani, ſerm.21.

Conuerſio S. Pauli.

2. Chryſoſtomus homil.13.& 47. Tomi V. Græco-Lat.
1. Auguſt.ſerm.35.& 31.de diuerſ.& ſerm.14. ex 40.nouis, & ſerm.14.de Sanctis; & ſerm.9.& 10.de verb.Apoſt.
1. Aſterius ſerm.in SS.Petrum & Paulum.
1. Theophanes homil.41.
2. Bernardus.
1. Petrus Abelardus ſer.23.
2. Innoc. III.
1. Petrus Bleſenſ. Tract.de Conuerſ.S.Pauli.
1. S. Bonauent.
2. Laurentius Iuſtinianus.

Scholia.

In prima Chryſoſtomi homilia, auſpicandum eſt ab illis verbis: Redeamus ad ſermonem. *In ſecunda ordiendum ab illis verbis*, Totum debitum inſcriptionis, *vſque ad illa*, date nos coëgit. *Tum addenda illa*, Proœmio derelicto, ad Paulum, *&c.*

In ſerm. 36. notate ex Auguſtino pergendum vſque ad finem capitis ſexti.

S. Chryſoſtomus.

1. Proclus orat.20.
1. Leo Imperator.
1. Philotheus in Trinitatem Theologorum.

FEBRVARIVS.

S. Ignatius Antiochenus.

1. CHryſoſtom. homil. 42. Tomi 1. Græco-Lat.

Purificatio B. Mariæ.

1. Sophronius Hieroſol. apud Bollandum. 2. Febr.
1. Hildefonſus.
1. Eligius Nouiom.
1. Beda.
1. Odilo Cluniac.
1. Fulbertus.
1. Ambroſius Ansbertus.
1. Bruno Carthuſianus.
3. Bernardus.
1. Adamus Perſennas.
1. Abelardus ſerm. 5.
6. Guerricus.
1. Goffridus Vindoc. ſerm. 7.
1. Richardus Victorinus de differentia ſacrificij Abrahæ & Mariæ offerentis par turturum aut duos pullos columbarum.
1. Anſelmus homilia de Euangelio.
1. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
2. Gerſo 1. part. ſerm. 1. & 4. p. ſerm. 5. Card. Vigerius chorda 5.
4. Biel.

Scholia

Maxima pars ſermonis S. Hildefonſi eſt de nitore partus. Nec deeſt qui eam homiliam S. Hildefonſo abroget.

Inter ſermones Guerrici primus minùs arridet. 2. & 3. ſpectant ad occurſum: In quinto ordiendum ab illis verbis, Hi ornatus thalami Sion. *Ser. 6. eſt de Purificatione noſtra.*

Richardus & Innocentius pauca habent de hoc myſterio.

Specialiùs de hypapante ſiue occurſu.

1. S. Methodius.
1. S. Athanaſius.
1. Cyrillus Hieroſolymitanus.
2. Amphilochius.
1. Gregorius Nyſſenus.
1. Chryſoſtomus.
1. Auguſtinus ſer. 20. de temp.
1. Cyrillus Alexandrinus tom. 5. part. 2.
1. Leontius Cyprius.
1. Timotheos Presbyter.
1. Rabanus.
1. Leo Imperator orat.
2. Guerricus ſer. 2. & 3. de Purific.

Scholia.

Homilia 2. Amphilochij cenſetur ſuppoſititia.

In Chryſoſtomi homilia ordiendum ab illis verbis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus

S. Agatha.

1. S. Bonauentura.
1. S. Thomas.

S. Dorothea.

1. Thomas à Kempis.

Cathedra S. Petri Antiochiæ.

1. Baſilius Seleuc. orat. 2.
1. Beda.
2. Bonauentura.
1. Guilielmus Pariſ.
   Legeſis ſuprà 18. Ianuarij.

S. Matthias.

1. Auſpertus Caſſionenſis ſermone de S. Matthia, apud Bollandum 24. Febr.
1. Theophanes homil. 54.
2. S. Bonauent.
1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Guilielmus Pariſ.

Scholion.

In ſermone Laurentij Iuſtiniani auſpicandum ab illis verbis, Propoſuimus electionem.

Sancti Martyres Alexandrini, ex charitate vita functi. 28. *Febr. Dionyſius Alexãder apud Euſebium 7. hiſt. cap. 17. aliàs 20. Legeſis opus de Martyrio per peſtem parte 3. cap. 4. à num. 2. ad 4. & totam propè partem quartam eiuſdem operis, qua illuſtriſſima Martyrum illorum decora expenduntur; fides eximia, ſpes & charitas flagrãtiſſima, ſupernaturalis fortitudo ſuprà heroicam, perfecta cum Chriſto configuratio, oblatio ſui vndecumque conſummata.*

MARTIVS.

S. Thomas Aquinas.

DIploma Canoniſmi per Ioannem XXII. & alterum Pij V. de eius allectione inter Doctores Eccleſiæ.

Videſis Thomæ Radiui opus cui titulus, *Sydera lis Abyſſus.*

Sanctæ Perpetua & Felicitas.

3. S. Auguſtinus ſerm. 103. 102. & 105. de diuerſ.
1. S. Fulgentius ſerm. nouo 70.

S. Franciſca Romana.

Diploma Canoniſmi per Paulum V.

Sancti Quadraginta Martyres.

1. S. Baſilius.
2. S. Ephrem.
3. Gregorius Neſſenus.

1. Gre

1. Gaudentius ; tract. in dedicatione Baſilicæ eorum.

Scholion.

In 1. Nyſſeni oratione, ordiendum ab illis verbis, ſiue conditores. *Tertia eſt edita à Greſero in appendice.*

S. Gregorius Magnus,

1. Hugo Victorinus ſerm.81.
1. Innocentius III.
2. S. Bonauentura.
1. Guilielm. Pariſ.

S. Ioſeph.

1. Bernardus ſerm. 2. ſuper. *Miſſus eſt.*
   Gerſo part. 3. in ſerm. de Natiuit. Virg. & 4. parte binis de eo Epiſtolis.

Videſis multos de eo lugentes, notatos in Diptychis Marianis, part. 1. punct. 4.

Scholion.

In ſermone notato ex Sancto Bernardo, auſpicandum eſt ab illis verbis: Placuit Deo, eo potiùs modo, *vſque ad illa*, adimpletæ promiſſionis.

S. Ioachim.

Legeſis agentes de eo, adductos in Diptychis Marianis, part. 1. punct. 1. à num. 1.

S. Benedictus,

In Vigilia.

1. Petrus Damiani, ſerm. 8.

In Feſto.

1. S. Odo.
1. Aymoinus Floriacenſis.
1. Bruno Carthuſianus ſerm. 2. de Confeſſoribus.
1. Goffridus Vindocinenſis, ſer. 11.
1. Petrus Damiani ſerm. 9.
1. S. Bernardus.
4. Guerricus.
1. Guilielmus Pariſ.

Scholia.

Sermo Bedæ de S. Benedicto, eſt de S. Benedicto Biſcopio Anglo, non de Benedictinorum Patriarcha.

In ſermone Aymoini, omittendi ſunt verſus, ab illis verbis, corpore inuenit, *addendo poſtea quæ ſequuntur ab illis verbis* : Ad extremum proprij.

Petrus Damiani, pauca habet de Sancto : immoratur Euangelio.

S. Bernardus in ſermone notato multa interſerit aliena.

Guerricus in tribus primis ſermonibus, ferè diſcedit ad alia.

In quarto hærendum in verbis illis, intuens quod ſpiritus eſt.

Annunciatio B. Virginis,

5. Gregorius Neocæſar.
1. Athanaſius ſer. de S. Deipara.
1. Baſilius Seleuciæ orat. 39.
1. Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis.
5. Chryſologus ſer. 140. 141. 142. 143. & 144.
4. Proclus orat. 1. 2. 3. & 6.
1. Epiphanius iunior, Laudatio Deiparæ.
1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-Lat. ſer. 35.
2. Anaſtaſius Antioch.
1. Andreas Cretenſis.
2. Eleutherius Tornac. ſerm. de Annunc. & alius de Incarn.
1. Beda.
1. Theophanes homil. 53.
1. Odilo ſerm. de Incarnat. Dom.
1. Petrus Damiani ſerm. 11.
1. Bruno Signienſis ſerm. in Feriam VI. quatuor tempor. Decembr.
1. Bruno Carthuſianus, & benè etiam huc facet ſermo eius ſecundus de Natiuitatè Virginis.
7. Bernardus homil. 1. 2. 3. & 4. ſuper *Miſſus eſt*, & ſerm. 1. & 2. ac 3. de Annunc.
1. Petrus Bleſenſis ſerm. 19.
1. Amedeus Lauſan. hom. 3. ex octo.
1. Adamus Perſennias.
1. Iuo Carnotenſis.
3. Guerricus.
1. Leo Imperator orat. 7.
1. Innoc. III.
1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Iſidor. Theſſalonienſ. orat. 3.
2. Guilielm. Pariſ.
2. S. Thomas.
2. Card. Vigerius chorda 1. & 2.
4. Biel.
1. Tractatus S. Ephrem de Margarita pretioſa, eſt de Incarnatione ſub ea allegoria, admiſtis aliis allegoriis & inuectionibus in Hæreticos.

Videſis alios annotatos in Diptychis Marianis part. 1. punct. 5.

Scholia.

In homilia 2. Gregorij Thaumaturgi hærendum in verbis illis, Virginitatem coluerit.

Notatus Petri Damiani ſermo, legitur apud S. Bernardum, in miſcella ſermonum adſcriptitiorum.

In 2. homilia S. Bernardi ſuper Miſſus eſt, *hærendum in illis verbis*, appareret & fortior. *In quarta, recedendus eſt limbus, continens excuſationem. In eiuſdem ſermone 1. de Annunc. initium ducendum ab eo verſiculo*, vt inhabitet gloria in terra noſtra. *In tertio ordiendum ab illis verbis*, Miſſus eſt Gabriel.

In Cardin. Vigerij chorda 1. eminent quæ habentur à cap. 17. & in chorda 2. quæ habentur cap. 26.

APRILIS.

S. Franciſcus Paulanus.

1. LEo X. in Diplomate de eius Canoniſmo. *Legeſis Oromaſden Chriſtianum*, 2. *part. Tractationis de Trinitate Patriarcharum.*

S. Georgius.

1. Andreas Cretenſis oratione de eo, quæ plena legitur apud Surium.
1. Petrus Damiani ſerm. 13.
1. Laurent. Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

In ſermone Petri Damiani, auſpicandum ab illis verbis, Recogita ô.

Videſis de S. Georgio, Serarium lib. 2. Litanent. quaſt. 19.

S. Marcus.

3. Petrus Damiani, ſerm. 14.15. & 16.
1. Laur. Iuſtinia.
1. Guilielm. Pariſ.
2. S. Thomas.
2. S. Bonauent.

Scholion.

In Laurentij Iuſtiniani ſermone, ordiendum eſt ab illis verbis, Beatus planè enius.

S. Marcellinus Papa & Martyr.

1. Petrus Abelardus ſerm. 26.

S. Vitalis.

2. Petrus Damiani ſerm. 17. & 18.

S. Petrus Martyr.

1. Guilielm. Pariſ.

Sancta Catharina Senenſis.

1. Pius II. in diplomate de eius Canoniſmo. S. Antoninus 3. p. ſummæ hiſtor. c. 14.

MAIVS

Sancti Philippus & Iacobus.

1 Laur. Iuſtinian.
1. Bruno Signienſis, hærens in Euangelio.
2. Bonauent.

Scholion.

In ſermone Laurentij Iuſtiniani, ordiendum ab illis verbis ante numerum 4. Sine Dominus nos feriat.

S. Anaſtaſius.

1. Nazianz. orat. 21.

Inuentio S. Crucis.

1. S. Paulinus Epiſt. 31.
1. Petrus Damiani ſerm. 19.
1. Theophanes homil. 3.
1. Bruno Signienſis.
1. Anonymus de Inuentione venerandæ ac viuificæ Crucis.
1. Alexander Monachus orat. de hac Inuentione.
2. Berengoſius in opere tribus libris diſtincto de Inuentione Crucis, & ſerm. de myſterio ligni Crucis.
1. Guilielm. Pariſ.
2. Bonauent.

Scholia.

In oratione Alexandri, incheandum ab illis verbis, Conſtantinus Synodum Oecumenicam, *& herendum in illis verbis*, & Septuaginta quinque.

Totus liber tertius Berengoſij conſumitur in laudibus Conſtantini Magni, ac Helenæ matris eius. Eiuſdem ſermo de myſterio ligni Crucis, pauca habet de hoc feſto.

S. Monica.

S. Auguſtinus libr. 5. Confeſſ. c. 8. & 9. & lib. 9. cap. 10. & 12.

S. Ioannes ante portam Latinam.

1. Beda.
2. Guilielmus Pariſ.

Apparitio S. Michaëlis

1. Rabanus, homilia (etiamſi inſcribitur Epiſtola) quæ habetur Tomo vltimo, hoc initio, *Memoriam beati.*

S. Gregorius Nazianzenus.

1. Philotheus orat. de Trinitate Theologorum.

Sancti Nereus & Achilleus.

1. S. Gregorius hom. in Euang.

S. Pancratius.

1. Gregorius homil. 27. in Euang.
1. Theophanes homil. 57.

S. Bonifacius.

1. Petrus Damiani ſerm. 20. imò 21.

S. Felix Papa & Martyr.

1. S. Gregor. hom. 13. in Euang.

Scholia.

Ex Philothea excerpenda pars orationis ſpectans Nazianzenum.

Rauſcatè Rabani ſermo de S. Bonifacio, ab aliquo allegatus eſt, quaſi eſſet de hoc Sancto Bonifacio, cum tamen ſit de Sancto Bonifacio Moguntino.

Tres homiliæ proximè ex Sancto Gregorio ſignatæ, ferè conſumuntur in Euangelij explanatione, intactis propè Sanctis ipſis in quorum feſto ſunt habitæ.

IVNIVS.

Sanctus Barnabas.

1. ALexander Monachus in eius encomio.
1. Guilielmus Pariſ.

S. Antonius Vlyſſipouenſis.

1. Gregor. IX. in Diplomate de eius Canoniſmo.
1. S. Bonauentura.

S. Baſilius.

1. Gregorius Nyſſenus in Monodia.
1. Nazianz. orat. 20.
1. S. Ephrem tom. 3 ſerm. 26.
1. Amphilochius orat. de Circumciſ. Dom.
1. Andreas Cretenſis orat. de Circumciſ.
1. Philotheus orat. de Trinitate Theologorum.

Scholia.

In oratione Amphilochij, auſpicandum eſt à medio, in verbis illis, Chriſtus diuina quadam maieſtate, *vſque ad illa verba quæ habentur ſub finem orationis,* debito honorem habeamus.

In oratione Andreæ, ordiendum eſt ab illis verbis quæ habentur poſt orationis medium, Dei feſto adgratulemur.

Sancti Geruaſius & Protaſius.

1. S. Ambroſius ſerm. 91. qui eſt, ſerm. 5. de Sanctis.
1. S. Auguſt. ſerm. 39. de diuerſ.
1. Petrus Damiani ſerm. 1. de S. Vitale.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholia.

Sermo Petri Damiani auſpicandus eſt ab illis verbis: Sed quoniam interrogata Valeria.

Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.

2. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 55.
7. Petrus Chryſologus ſerm. 86. 87. 88. 89. 90. 91. & 92.
1. Eucherius homil. 1. de S. Ioanne quæ eſt in hoc Euangelium.
1. Beda.

Theophili Raynaudi Philologica.

Natiuitas S. Ioannis.

3. Sanctus Ambroſius ſer 63. 64. 65.
1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 56.
5. S. Auguſtinus ſerm. 20. & 23. de Sanctis & 40. de diuerſ. & 23. ex 40. nouis, & homil. 4. ex 50.
3. S. Maximus.
1. Eucherius.
1. Anonymus, Encomium Baptiſtæ.
3. Fulgentius ſerm. nouo 53. & 54. & 56.
1. Beda homil. 1. poſt Commune Sanctor.
1. Rabanus.
1. S. Odilo.
1. Bruno Signienſis.
3. Petrus Damiani ſerm. 23. 24. & 25.
2. Bernardus ſermone vno, de Baptiſta & altero de eius priuilegiis.
4. Guerricus.
2. S. Bonauent.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Innocentius III.
2. Guilielm. Pariſ.

Scholia.

Sermo Sancti Bernardi qui prior notatus eſt, auſpicandus eſt ab illis verbis, Singulariter Apoſtolis. *Poſterior idem eſt cum primo apud Petrum Damiani, ſed ſtylus magis ſapit Bernardum.*

Guerrici ſermo 2. pauca habet de Baptiſta, in principio & fine. *Quartus pertinet ad Dominicam II. Aduentus.*

In Iuſtiniani ſermone, initium faciendum ab illis verbis, tibi non ſibi.

S. Ioannes & Paulus.

1. Guilielm. Pariſ.

Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

1. Auguſt. ſerm. 62 de verb. Dom. & ſerm. 24. de Sanctis & ſerm. 22. de diuerſ.
1. Beda.
1. S. Odilo.
1. S. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
1. Theophanes homil. 37. quæ eſt de hoc Euangelio.

SS. Petrus & Paulus communiter.

1. Gregorius Nyſſenus inſigni oratione à Greſſero vulgata.
2. Ambroſius ſerm. 67. ac 68.
8. S. Auguſt. ſerm. 41. 106. 107. 108. de diuerſ. & de Sanctis ſerm. 24. 25. 28. & 29.
1. S. Eucherius.
1. Aſterius.
3. S. Leo ſerm. 1. 2. & 3.
4. S. Maximus.
1. Fulgentius ſerm. nouo 58.
1. Theophanes homil. 55.
1. Beda.
1. Rabanus.
1. Petrus Damiani ſerm. 27.

3. S. Bernardus.
1. Hugo Victorinus tom.2.ſerm.64.
2. Guerricus.
1. Innoc.III. ſerm.2. de eo feſto.
2. Laurentius Iuſtinianus.
1. S.Thomas.

S. Petrus ſeorſim.

1. Auguſtinus ſerm.de diuerſ.106.
1. S.Leo ſerm.2.in Natali Apoſtolor.
1. Fulgentius ſerm. nouo 57.
1. Theophanes hom.55.
1. Petrus Damiani ſerm.26.
1. Petrus Abelardus ſerm.12.
2. Innocentius III.
1. Bruno Signienſis.

Chryſologus ſerm.107. perperam huc inſertur. Eſt enim ſermo de alio quodam Epiſcopo, cui nomen *Petro*.

De Pœnitentia S. Petri, eſt ſermo 46. Sancti Ambroſij.

Qui ibidem habetur ſermo de fide S.Petri, numero 47. habetur apud Max. quanquam vtrumque eiuſdem eſſe auctoris, initium ſermonis poſterioris præfert, & ſtylus docere videtur eſſe potiùs Maximi.

S. Paulus ſeorſim.

9. Chryſoſtomus orationibus octo de Laud. Pauli, & alia de Pauli charitate.
1. Auguſt. ſerm.24. ex 40. nouis, qui tamen potiùs agit de eius conuerſione.
1. Proclus orat.18.
1. Fulgentius ſerm.nouo 59.

IVLIVS.

Viſitatio B. Virginis.

1. Greg.Thaum.orat.1. de Annunc.
1. Creditus Aug. in Canticum, *Magnificat*.
1. Beda.
1. Creditus Bernardus ſerm. de Viſitat. decurrens totum Canticum Virginis.
1. Bruno Signienſ.ſerm. in Feriam VI. quatuor tempor. Decemb.
4. Biel.

Videſis ad hoc feſtum quæ habentur in Diptychis Marianis part.1.punct.6.

Scholia.

In ſermone Thaumaturgi; ordiendum à verbis illis, S.Maria in carne.

Octaua Apoſtolorum.

2. Auguſtinus ſerm.13. de verb. Dom. & de Sanctis ſerm.16.

Max. Taur.hom.vltima hyemalis.

Erad; Presbyteri ſermo,apud Auguſtinum 14. de verb.Dom.

1. S. Anſelmus.

S. Bonauentura.

1. Decretalis Sixti IV. de eius Canoniſmo.
1. Decretalis Sixti V. de eius allectione in Doctorem S.Eccleſiæ.

Legeſis etiam Indiculum SS. Lugdunenſium V. Bonauentura.

S. Alexius.

2. Petrus Damiani ſerm.28.

S. Margarita.

1. Guiliem.Pariſ.ſerm.1.& 2.
1. S.Thomas.

S. Maria Magdalena.

1. S.Auguſt.hom.23 ex 50.
1. Gregorius hom.33.in Euang.
1. Petrus Damiani ſerm.29.
1. Bernardus.
1. Beda.
1. S. Odo.
2. B.Ioannis (cognomen latet) ſerm.1. & 2. In Biblioth. Floriac.
1. Gaofridus Vindocinenſis ſerm.9.
1. Petrus Bleſenſis ſerm.23.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Gulielm. Pariſ.
2. Bonauent.

S. Apollinaris.

1. Pètrus Chryſologus ſerm.128.
1. Petrus Damiani ſerm.30.31.& 32.

S. Iacobus.

1. Theophanes homil.24.
4. Callixti ſermones de S. Iacobo.
1. Laurent. Iuſtinianus.

De Euangelio.

1. Baſil.Seleuc.orat.14.
1. Chryſoſtomus tom.1.Græcol-lat.ſerm.35.
1. Gulielm. Pariſ.

S. Chriſtophorus.

1. Petrus Damiani ſerm.33.
2. Petrus Bleſenſis ſerm.24.& 25.
1. S. Bonauentura.

Scholion.

Prior Bleſenſis ſermo nihil habet de Sancto; Poſterior pauca, ab illis verbis: Hodierna chalamo.

Videſis de S.Chriſtophoro, Serarium lib.2. Litaneutice quaſt.20.

S. Anna.

Legeſis agentes de hac Heroïna, adductos in Diptychis part.1.punct.1.à n.2.

S. Pantaleon.

S. Pantaleon.

Theophanes homil.58.

SS. Nazarius & Celſus.

Ambroſius ſerm.93.& 94.

Scholion.

Prior ſermo non poteſt eſſe Ambroſij, quia multa continet ex indubitato ſermone Euſebij Gallicani de S. Blandina Lugdunenſi. Nec ſtylus congruit Ambroſio. Ex eius tamen ſermonis decurſu, liquere poteſt SS. Nazarium & Celſum ſteriſſe ſemper in Italia, nec adiiſſe Treuerim, de quo actum in Chronotaxi Antoniana.

S. Ignatius Loyola.

1. Diploma Canoniſmi per Vrbanum VIII.
1. Gloria S. Ignatij per Nicol. Lancinium.
   Videſis in noſtro Hagiologio Lugdunenſi dictionem cui titulus, *S. Ignatius Loyola, anima mundi.* Et aliam, cui titulus; *S. Ignatius de Loyola, æmulator cura & induſtria Apoſtolica, in boris Dominica nouatione.* Ad locum ex cap. 58. Eſaiæ, *Ædificabuntur in te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis ſuſcitabis.*
   Item aliam ad idem argumentum.
   Item aliam, cui titulus; *S. Ignatius de Loyola, è mancipio ſæculi, & verna vanitatis, ductor exercitus Domini.* Ad locum ex 1. Reg. 20. *Puer Ægyptius ego ſum, ſeruus viri Amalecitæ. Dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi, heri & nudius tertius.*

A V G V S T V S.

Vincula S. Petri.

1. CHryſoſtomus homilia 8. in Epiſtol. ad Epheſ.
2. Petrus Bleſenſ. ſerm. 26. & 27.
1. Innoc. III.
1. S. Bonauentura.

Scholion.

Chryſoſtomus ea homilia agit ex inſtituto de vinculis S. Pauli. Multa tamen etiam admiſcet de vinculis S. Petri: Et vtrorumque par eſt ratio. Idem de vinculis Pauli inſigniter agit homil. 5. de patientia Iobi, ſub finem.

SS. Machabæi.

5. Ioſephus Hebræus libro de imperatrice ratione.
1. Nazianz. orat. 22.
3. Chryſoſtom. tom. 1. Græcol. hom. 44. 49. 50.
1. Gaudentius.
2. Auguſtinus ſerm. 109. & 110. de diuerſ.
1. Eucherius homil. 7.
1. Valerianus Cemelienſis ſer. 18.
1. Leo Magnus.
   Fulgentius. ſerm. nouo 69.

Scholion.

In citata Eucherij homilia, ordiendum eſt ab illis verbis, ordinatio Dei noſtri, *vſque ad finem homiliæ, attexto initio homiliæ de Innocentibus, ab illis verbis,* Hodie itaque ſacras, *vſque ad illa verba,* Inueniri nequeat iniquitas.

S. Stephanus Papa & Martyr.

1. Petrus Damiani.

Inuentio S. Stephani.

1. S. Auguſtinus ſerm. 25. ex 40. nouis. Et L. 22. Ciuit. cap. 8.
   Lucianus Presbyter apud Auguſtinum to. 10. pag. 630.
   Nicetas apud Metaphraſtem.

S. Dominicus.

1. Gregorius 9. in diplomate de eius Canoniſmo.
   S. Thomas.
1. S. Antoninus 3. p. ſ. hiſtor. tit. 23. cap. 4. §. 17. & ibid. cap. 1.

Transfiguratio Domini.

1. S. Ephrem tom. 3. ſerm. 18.
1. Baſilius Seleuciæ orat. vltima.
1. Cyrillus Alexandrinus tom. 5. parte 2.
1. S. Auguſtinus ſer. 23. & 69. de diuerſ.
1. S. Leo.
1. Proclus orat. 8.
1. Timotheus Antiochenus, reciſo initio quod eſt de Cruce.
1. Andreas Cretenſis.
1. Anaſtaſius Antioch.
1. Theophanes hom. 59.
1. Damaſcenus.
2. Pantaleon Diaconus.
1. Beda.
1. Anſelmus homil. in Euang.
1. Petrus Cluniacenſis.
1. Bruno Signienſis ſerm. in Sabbathum poſt Dominic. I. Quadrag.
   Petrus Bleſenſis tract. de Transfigur.
4. Anton. Patau. in Dominic. II. Quadrag. & in II. Quadrageſimali. Rurſuſque in III.

Scholion.

À tractatu Bleſenſis, recidendum eſt initium; & ordiendum ab illis verbis, Chriſtus de duodecim diſcipulis.

S. Donatus.

1. Petr. Damiani ſerm. 38.

S. Romanus.

Chryſoſt.tom.3.Græcol.homil.43.
Euſeb.lib.de Reſurr.

S. Laurentius.

1. S.Ambroſius ſerm.1.ſub allegoria ſinapis & ſerm.71.
4. Auguſtinus ſerm.32.de Sanctis ac 37.& 48. & 111.de diuerſ.& ſerm.26.ex 40.nouis.
1. S. Maximus.
1. Petrus Chryſologus ſer.135.
1. Fulgentius ſerm.nono 6n.
1. Beda homil.1.ex variis.
1. Rupertus lib.6. de oper. Spiritus ſancti à cap.17.ad 21.
1. Laurentius Iuſtinianus.
2. Guiliel. Pariſ.
2. S. Bonauent.

Scholion.

Sermo 71.apud Ambroſium, legitur quoque inter Auguſtini ſermones de Sanctis, éſtque numero 3n.

Sermo Laurentij Iuſtiniani incheandus eſt ab illis verbis, Præclara nimiúmque credibilis.

Hyppolitus.

1. Guilielm. Pariſ.

Videſis de hoc Sancto, Serarium lib.2. litaneutico q.21.

S. Caſſianus.

1. Petrus Damiani ſerm.39.

Aſſumptio B. Virginis.

1. Melito Sardenſis (qualiſcunque Auctor) de tranſitu Deiparæ.
3. Andreas Cretenſis.
1. Homilia de Aſſumpt. tom.9. Hieronymi, Hincmaro probatiſſima ex Flodoardo 3. hiſtor.Rem.c.23.
1. Damaſcenus orat.de dormitione Deiparæ.
1. Eiuſdem oratio de Aſſumptione.
2. S.Germanus Conſtantinopol.
1. Theophanes homil.6n.
1. Leo Imperator orat.6.

Emanuel Palæſtinus Oratio in Deiparæ dormitionem,præclara & copioſa,exſcripti ex Cod. Vaticano ab Hippolito Maranio in Cæſaribus Marianis à *pag* 53.

7. S. Ildefonſus (ſi tamen ipſe author) ſermone 7.
2. Fulberti ſermo malè adſcriptus S.Auguſtino 35.de Sanctis.
1. Petrus Damiani.
2. S.Bernardus ſerm.1.& 4.de Aſſumpt.
1. Eiuſdem de Natiuit. B.V. incipit, *Fœcunda Virginis.*
1. Item ſermo in illa verba *Signum magnum.*
3. Guerricus Abbas ſerm.1.2.3. de Aſſumptione.
2. Petrus Abelardus ſerm.25.
1. Amedus Lauſan.hom.7.
1. Petrus Bleſenſis ſerm.25.
1. Adamus Perſennais.
1. Iſidor.Theſſalonicenſis.
1. Innoc. III. ſerm.2. de Aſſumpt.

De Euangelio, *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum.*

1. Beda.
1. Theophanes hom.60.
1. S. Anſelmus.
1. Petrus Abelardus ſerm.25.
1. S.Bernardus ſerm.2.& 3.de Aſſumpt.
1. S. Odilo.
1. Bruno Signienſis.
1. Guerricus ſerm.4. de Aſſumpt.
1. Innocentius III. ſerm.1. de Aſſumpt.
4. Biel.

Scholia.

In prima homilia Andreæ Cretenſis, auſpicandum ab illis verbis, puto valdè conſequens.

In oratione Damaſceni de dormit. harendum in illis verbis, debitum quoddam perſoluemus. *Tum reſumendum ab illis verbis:* Quodnam ingens hoc.

In ſerm.4. S. Bernardi, harendum eſt in illis verbis, reducat à monumento. *Tum veniendum ad illa*, ſed quò deuenimus?

Eiuſdem ſermo de Natiuitate qui annotatus eſt, non pertinet ad ortum ex vtero S.Annæ, ſed diem natalem qui iuxta phraſim Eccleſiaſticam præclarè enucleatam à D.Auguſtino ſerm.113: de diuerſ.eſt dies obitus. Et ita eſſe, patet ex ipſo ſermonis initio, fœcundæ Virginis amplectitur cœlum præſentiam.

Laurentij Iuſtiniani ſermo, incheandus eſt ab illis verbis, Inter præcipua feſta quæ.

De accommodatione Euangelij, Intrauit &c. *ad hoc feſtum, legeſis annotata in ſyntaxi operum S. Anſelmi part.3.* ſub finem.

S. Bernardus.

1. Guilielmus Abbas 4. Claræuallenſis.
1. Guiliel. Pariſ.
1. S.Thomas.
1. Gerſo 2. part. ſerm.1.

Legeſis libellum cui titulus, *S. Bernardus Doctor melliſluus, Apis Gallica.*

S. Bartholomæus.

1. Ioſephi cuiuſdam Encomium in hunc S. Apoſtolum.
1. Bedæ ſermo inter varios.
2. Petrus Damiani ſerm.41.& 42.
1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

Sitne S. Bartholomæus, idem cum Nathanaële, videſis Gauantum iuſto opuſculo.

S.Ludo

S. Ludouicus IX.

1. Diploma Bonifacij VIII. de eius Canoniſmo.
   Eiuſdem Bonifacij de eo ſancto Rege, ſermones duo anno 1297. apud Vrbem Veterem habiti.
4. Gerſo 2. part.ſerm.1.& 4. part.ſerm.1. & 2. necnon vna collatio.

S. Auguſtinus.

3. Petrus Bleſenſis ſerm.30.31.& 32.
3. Hugo Victorinus.
1. Guilielm. Pariſ.
1. S.Thomas.

Decollatio S.Ioannis Baptiſtæ.

1. Chryſoſtomus tom.6.Græco-lat.ſerm.38.
2. Auguſtinus ſerm.10.& 11.ex additis.
1. Fulgentius.
2. Chryſologus ſerm.173.& 174.
1. Leo Imperator orat.8.
1. Beda.
1. Theophanes homil.61.
1. Bruno Signienſis.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

Homilia ex Chryſoſtomo allegata, ſi pauca demas quæ habentur initio, eſt declamatio de malis ac bonis mulieribus, nec inſiſtit argumento huius feſtiuitatis.

SEPTEMBER.

Natiuitas Beatæ virginis.

5. Fulbertus Carnotenſis.
2. Andreas Cretenſis.
3. Damaſcenus.
1. Beda.
3. S. Hildefonſus.
1. Leo Imperator.
1. Theophanes homil.14.
1. Photius orat.de Natiuit.
3. Petrus Damiani ſerm.44.45.& 46.
1. Innocentius III.
1. Iacobus Monachus.
1. Iſidor.Theſſalonic.
1. Bruno Carthuſianus.
1. Bruno Signienſis.
1. Laur. Iuſtinian.
4. Biel.

Scholia.

In Damaſceni oratione 2. auſpicandum ab illis verbis, Ad natalium feſtum rurſus. *In tertia quoque, inchoandum ab illis verbis,* Ad curriculum ſeſe,

In Laurentio Iuſtiniano faciendum principium ab illis verbis, Singula eorum quæ facta.

S. Adrianus.

1. Honorius Auguſtodunenſis.

Exaltatio S. Crucis.

1. Gaudentius Brixienſis tract.12.
1. Sophronius.
2. Andreas Cretenſis.
1. Leo Sapiens.
   Theophanes hom.4.
1. Pantaleon.
   Alexander Monach.orat.de Inuent.Crucis.
1. Petrus Damiani ſerm.47.& 48.
1. Ioſephus Theſſalonic. orat. in viuificam Crucem.
1. Laur. Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.
1. S. Bonauent.

Scholion.

In oratione Alexandri, recidenda omnia anteriora, vſque ad illa verba, Venerandum diem exaltationis.

S. Cyprianus.

1. S. Maximus binis homiliis quæ leguntur etiam apud S.Ambroſ.ſerm.72.& 73.
   S.Auguſtinus ſerm.113. 114. 115. & 116 de diuerſ. & ſerm.12. ex additis à Pariſienſibus.
1. Petrus Chryſologus ſerm.129.
1. Fulgentius.
   Pulchra de hoc Sancto Antiſtite Gretſerus lib.2.de peregrinat.cap.18.

S. Euphemia.

1. Aſterius.

Stigmata S.Franciſci.

Gregor.IX. bino de eis diplomate.
Alex.IV. in Bulla, *Benigna.*
1. S Bernardinus ad finem tom.4.
   Videſis opus de ſtigmatiſmo ſect.1.cap.10.

Vigilia S.Matthæi.

1. Beda.

S. Matthæus.

7. Chryſoſtomus homil.31.in Matth.& homil. 14. ex variis in Matth.
3. Chryſologus ſerm.28.29.& 30.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Guilielm. Pariſ.
2. Bonauent.

S. Mauritius.

1. Guilielm. Pariſ.

S. Thecla.

1. S.Chryſoſt.tom.1.Græco-lat.hom.71.
Notat de hac ſancta, quadam illuſtria Gretſerus lib.2.de peregr.cap.10.

S. Cyprian & Iuſtina.

1. Nazianz.orat.18.

Scholion.

Auſpicandum n.7. à verbis illis, Cum multa nos à melioris. *Hallucinatio Nazianzeni confundentis Cyprianum Antiochenum cum Carthaginenſi, neminem latet.*

SS. Coſmas & Damianus.

1. Georgius Nicomedienſis.
Multa de his Sanctis Anargyris collegit vndecunque R. P. Simon VVagnerech in Syntagmate de eis.

S. Michaël.

1. Maximus.
1. Beda.
2. Rabanus vno ſermone & Epiſtola.
1. Nicetas orat. in SS. Michaëlem & Gabrielem.
1. Bruno Carthuſ.
1. Laurent. Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.
1. Gerſo 4.part.

Laudatio SS. Angelorum.

1. Sophronius.
1. Michaël Syncellus.
1. Petrus Damian.ſerm.52.
1. Bernardus.
5. S. Bonauentura. Ee rurſus poſt commune Sanctorum ſerm.1.2.3.& 4.
1. Gerſo 4. part.

S. Hieronymus.

1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

Sermo Laurentij Iuſtiniani, inchoandus eſt à verbis illis, Videſne quàm decenter.

OCTOBER.

S. Remigius.

HIncmarus in Encomio.

S. Angelus Cuſtos.

S.Bernardus ſerm.10.& 11.in Pſalm.90.

S. Franciſcus.

1. Gregorius IX. in diplomate de eius Canoniſmo.
1. Lucas Tudenſis lib. 22. contra Albigenſes cap.11.
1. Guilielm. Pariſ.
1. S.Thomas.
S.Placidus,ſermo S.Benedicti in S.Placidi obitu. *Extat apud Caramuëlem comment. in opuſc. S.Bened.num.18.28.*

S. Bruno.

Diploma de eo Leonis X.
Videſis dictionem ſacram cui titulus, Stylita Myſticus.

S. Brigitta.

Bonifacius IX. in diplomate de eius Canoniſmo.

S. Dionyſius Areopagita.

1. Michaël Syngelus in Encomio.
1. Menea fusè ac ſplendidè 3.Octobris.

S. Lucas.

1. Chryſologus ſerm.170.
1. Beda.
1. Petrus Damiani ſerm.53.
1. Bonauent.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

Sermo Iuſtiniani, inchoandus eſt ab illis verbis, Summoperè vigilandum.

SS. Simeon & Iudas.

1. Laur. Iuſtinian. pauca de his Sanctis attingens, in fine.
1. Gulielm. Pariſ.
1. Bonauent.

NOVEMBER.

Feſtum omnium Sanctorum.

1. SAnctus Athanaſius homil. in SS. & venerandam Eccleſiam.
S.Ephrem ſerm.in SS.conſummatos.Et ſerm. in fideles qui obdormierunt. Habentur tom.3.ſerm.32.& 33.
1. S. Leo.
1. Leo Sapiens.
3. Beda.
1. S. Anſelmus ſerm. de beatitudine Sanctorum.
Alcuinus ſerm.85. in appendice ſermonum de diuerſ. B.Auguſtini.

1. Petrus

1. Petrus Damiani ſerm.55.
5. S. Bernard. ſerm.1. 2. 3. 4. 5. præſertim 1. & 5.
1. Hugo Victorinus ſerm.83. ex 100.
1. Guerricus.
3. Petrus Bleſenſis ſerm.33.34.& 35.
2. Innoc. III.
2. Guil. Pariſ.
2. Bonauentura.
6. Gerſo 4. part. ſerm.1. & 2. part.ſerm.1.2.3. & 4.

De Euangelio & beatitudinibus, Auguſtinus ſerm.4. ex additis. & Theophanes homil.51. poſt Nyſſenum quem de iiſdem latiùs agentem octo ſermonibus allegat.

Commemoratio defunctorum.

1. Pſeudo-Auguſtinus ad Fratres in Eremo, ſerm.44.reciſo (ſi lubet) principio.
2. Beda 3.hiſtor.3.cap.19.& lib.5.cap.13.
B.Ephrem.tom.3.ſerm.36.
1. Damaſcenus oratio de defunctis.
1. Petrus Cluniacenſis contra Petrobuſian. §. *contra hoc quod dicunt viuos non prodeſſe defunctis.*
1. Gulielm. Pariſ.
1. S.Thomas.
1. Bonauent.
1. Anton. Patau. ad calcem communis Sanctorum.
4. Gerſo 4.part.ſerm.1.2.& 3.& ibid. *Querela defunctorum.*

De igne Purgatorij: Auguſtinus ſerm.41. de Sanctis.

SS. Vitalis & Agricola.

1. S.Ambroſius, initio exhortationis ad Virgines, vſque ad illud, *altaribus recondantur.*

S. Theodorus Martyr.

1. Gregorius Nyſſenus.
1. Nectarius Conſtantinopol.

S. Martinus.

Sulpitius Seuerus de virtutibus B. Martini.
1. Alcuinus.
1. Rabanus.
1. Petrus Damiani ſerm.56.
1. S. Bernardus.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Gulielm. Pariſ.
1. Bonauent.

Scholia.

Non eſſe Petrum Damiani Authorem ſermonis illius de S. Martino, ſed Authorem fuiſſe hominem Gallum, liquet ex ſermonis ferè initio, vbi Author ait, Martinum eſſe. Regibus ac Regno noſtro, *prouiſum à Deo. Fuit tamen antiquus Author, cum hunc, vt æqualem, allegat Fulbertum qui ſæculo 11. ineunte florebat. Hic ſermo præter luculentum exordium nihil habet de S. Martino.*

Serm. S.Bernard. inchoandus eſt ab illis verbis, Opportunè iam Martinus.

Item ſermo Iuſtiniani decurtandus eſt, ordiendo ab illis, Age gratias Deo, qui.

S. Gregorius Thaumaturgus.

1. Gregorius Nyſſenus.

Præſentatio Beatæ Virginis.

4. Georg. Nicomed.
S.Germanus Conſtantinopolit.
1. Leo Imperator orat.2.
1. Iſidor.Theſſalonic.

S. Cæcilia.

1. Guilielm. Pariſ.
1. S Bonauent.
1. S.Thomas.

S. Clemens.

1. S. Bernardus.
1. Gulielm. Pariſ.

S. Felicitas.

1. Chryſologus ſerm.134.

S. Catharina.

1. Gulielm. Pariſ.
1. S.Thomas.
1. S. Bonauent.

Legeſis de ea Serarium lib.2. Litaneutica, quæſt.12. & Gretſerum lib.2. de ſacris peregrin.cap.20.

Vigilia S. Andreæ.

1. Beda.
1. S. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.

S. Andreas.

1. S. Athanaſius.
1. Baſilius Seleuciæ orat.30.
1. Chryſologus ſerm.133.
1. Proclus.
1. Heſychius.
1. S.Gregorius Magnus homil.5.
1. Rabanus.
1. Theophanes homil.50.
2. Petrus Damiani ſerm.57.& 58.
3. S. Bernardus.
1. Laur. Iuſtinian.
3. Guilielm. Pariſ.
3. Bonauent.
2. Biel.

Scholia.

E tribus ſermonibus S. Bernardo adſcriptis, tertius tribuitur quoquè Petro Damiani, & ferè conſumitur

conſumitur, in exponenda Confeſſione Sacramentali.

In ſermone Laur. Iuſtiniani, ordiendum eſt ab iſtis verbis, Moras omnes abiicite.

DECEMBER.

S. Nicolaus.

1. Andreas Cretenſis.
1. Theophanes homil.51.initio.
1. Leo Imperator.
1. S.Bernardus. Et iterum in Miſcell. ſerm. cuius initium eſt, *Nicolaus idoneus.*
3. Petrus Bleſenſis ſerm.3.
1. Guhelm. Pariſ.
4. S.Thomas.
1. S. Bonauent.
1. Gerſo 4.part.
2. Biel.

Scholia.

Sermo Bleſenſis, perpauca habet de S.Nicolao. Paulo plura Bernardus, ſi tamen ipſe. Nam is ſermo legitur quoque apud Petrum Damiani.

S. Ambroſius.

1. S.Bonauent.
1. S.Thomas.
1. Guilielm. Pariſ.

Conceptio immaculata B.Virginis.

1. Encomium B.Virginis apud S.Cyrillum t.3. part.2.
1. Aliud per S.Ephrem ſerm.22.tom.3.
1. Aliud per Arnoldum bonæ Vallis.
S.Anſelmus in fragmentis adonatis.
3. Gregorius Nicomedienſis de Conceptione B.Annæ: orat.1.2.& 3.
1. Iſidor. Theſſalonic.
2. Gerſo 2.part.ſerm.1.& 4.p.ſerm.1.
4. Biel.

Scholion.

Encomia primo loco poſita, ideo huic feſto ſunt aſſignata, quia adeò extollunt puritatem omnimodam B. Virginis, supereminentem puritati Angelorum, vt non poſſit peccatum mortale (cuiuſmodi eſt peccatum originis,) conſiſtere cum tanto nitore, quantum in vniuerſa vita B. Virginis agnoſcunt prædicti Patres.

S. Lucia

1. Aldelmus lib.de laude Virginit.
1. Bleſenſis ſerm.3. ſed perpauca habens de feſto.
1. Guilelm. Pariſ.
2. S. Bonauentura.

S. Euſebius Vercellenſis.

S.Ambroſius ſerm.69.& 70.

S. Thomas.

1. Chryſoſtomus tom.6.ſerm.32.
1. Petrus Chryſologus ſerm.84.
1. Laur.Iuſtinianus.
3. Guhelm. Pariſ.
1. Biel.
Stapletonius in opere de tribus Thomis part.1.

Scholion.

In ſermone Iuſtiniani, auſpicandum eſt à n.4. verbis illis, Audiuimus pro oſtenſa.

Vigilia Natiuit. Domini.

1. S. Maximus.
1. Pſeudo-Auguſtinus ad Eremitas ſerm.19.
2. Rabanus.
1. Petrus Damiani ſerm.60. de riuis fluminis, qui item apud S.Bernardum legitur.
1. Petrus Cluniac.lib.1.mirac.cap.15.
5. S Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
3. Guilielm. Pariſ.
1. Bonauent.
1. Biel.

De Euangelio huius Vigiliæ.

Origenes homil.1.in diuerſ.
Chryſologus ſerm.145.

Scholia.

Omiſſi ſunt in hac ſerie ſermones qui apud D. Bernardum numerantur 1. & 6. quia ſunt de ipſo myſterio Natiuitatis. Vnde pertinent ad ſequentem diem.

Natiuitas Domini.

3. Zeno Veronenſis ſerm.1. ſed præſertim 2. & 3.
1. Baſilius homil. de hum. Chriſti generatione.
1. Gregorius Nyſſenus orat.de Natiuit.
1. Amphilochius.
1. Nazianz.orat.38.
4. Ambroſius ſerm.12.13.15.& 16.
6. Maximus Taurinenſis.
1. Chryſoſtomus, tom.5. Græco-lat. ſerm.31. & tom.6.ſerm.53.ac 54.à n.12.
Auguſtinus, à ſerm.52.de diuerſ.ad 62. & à ſerm.5.de temp.ad 28.
2. Theodotus Ancyranus hom.1.& 2. in Concilio Epheſino.
3. Leo Magnus ſerm.1.2. & 3.
1. Chryſologus ſerm.148.149.& 175.
1. Eucherius ſerm.1.& 2.
1. Sophronius Hieroſol.
2. Proclus orat.4.
1. Fulgentius, ſerm. de duplici Natiuit. Dom. & ſerm. de laud. Mariæ ex partu Saluatoris, & ſerm.nouo 1.
1. Gregor.Magnus homil.in Euang.

1. Eleu

1. Eleotherius Tornac.
3. Beda.
2. Rabanus.
1. Odilo.
2. Petrus Damiani.
1. Bruno Carthuſ.
6. Bernardus, ſerm. 1. de hoc feſto, item 3. & 4. ac 5. & ſerm. 1. ac 6. de hac Vigilia.
1. Arnoldus bonæ Vallis.
1. Petrus Bleſenſis.
1. Amedeus Lauſan. hom. ex ſeptem.
4. Goffridus Vindoc.
2. Innocentius III.
2. Adamus Perſennas.
1. Laurent. Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.
9. Bonauent.
3. Gerſo 2. part. ſerm. 1. & 4. p. ſerm. 1. & 2.
1. Card. Vigerius chorda 2. à cap. 20.
5. Biel.

Scholia.

In homilia notata ex S. Baſilio, hærendum eſt in verbis illis quæ habentur poſt ſermonis medium, citra virginitatis Conceptionem. *Tum veniendum ad illa verba,* Magi videntes, gauiſi ſunt.

Qui apud Ambroſium numeratur ſerm. 14. eſt S. Maximi.

Ex S. Leone recenſiti tantùm ſunt tres ſermones, quia cæteri ſpectant ad Domini Aduentum.

Sermo 2. Petri Damiani de hoc myſterio, legitur etiam apud Bernardum; cuius tamen eſſe non poteſt, quia in eo ſermone allegatur ipſe S. Bernardus, qui fuit Petro Damiani poſterior. Itaque neutrius eſt. Tamen eſt ſcriptoris, eiuſdem æui cum S. Bernardo, vt docet elogium quod ei pangit.

Sermonibus S. Bernardi de hoc feſto, adiungendi ſunt 1. ac 6. de Vigil. Natiuit.

Petri Bleſenſis ſermo, media tantùm ex parte eſt de hoc feſto.

Sermo Laurentij Iuſtiniani, inchoandus eſt à verbis illis, Homo delinquendo grauiter.

S. Stephanus.

1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 33.
1. Gregorius Nyſſenus.
8. Auguſtinus ſer. 51. de diuerſ. & ibid. à ſerm. 92. ad 99. & de Sanctis, ſerm. 3. 4. & 5.
1. Atticus.
1. Maximus.
1. Chryſologus ſerm. 154.
1. Eucherius.
1. Proclus homil. 17.
1. Fulgentius ſerm. 2. & 3. nouo.
1. Petrus Damiani.
1. Bernardus in Miſcellan. ſermo qui incipit, *Adhuc filium Virginis.*
1. Petrus Abelardus, ſerm. 30. & meliùs Epiſtola 7.
1. Bruno Signienſis.
1. Laurentius Iuſtinianus.
1. Gulielm. Pariſ.

Scholia.

Sermo adſcriptus Petro Damiani, legitur etiam apud S. Bernardum Miſcella, & videtur potiùs eius eſſe.

Fulgentij ſermo 2. inter nouos, eſt apud Auguſtinum 1. de Sanctis. Item ſermo qui ibidem locatur tertius, eſt apud Auguſtinum 99. de diuerſ.

In ſermone Iuſtiniani, ordiendum eſt ab illis verbis, Ad roborandam poſteriorum.

S. Ioannes Euangeliſta.

1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 67.
1. Theophanes hom. 57.
1. Beda.
2. Petrus Damiani ſerm. 63. & 64.
1. Bruno Signienſis.
1. Petrus Abelardus ſerm. 24.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Guilielm. Pariſ.
1. Adamus Præmonſtrat. ſerm. 33.

Scholion.

In ſermone Iuſtiniani, faciendum eſt initium ab illis verbis, Meritò ab Angelis.

SS. Innocentes.

1. Origenes homil. 3. in diuerſ.
1. Chryſoſtomus hom. 3. in variis in Matth.
1. Baſil. Seleuc. orat. 37.
1. Auguſtinus ſerm. de Sanctis 8. & 9.
4. Chryſologus ſerm. 150. 151. 152. & 153.
1. Fulgentius ſerm. nouo de Epiphan.
1. Theophanes homil. 52.
1. Beda.
1. S. Bernardus.
1. Arnoldus.
1. Bruno Signienſis.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Guilielm. Pariſ.

Scholion.

Duo primi ſermones ex Chryſologo ſignati, ſunt tantùm de fuga in Ægyptum.

Sermo Arnoldi inchoandus eſt ab illis verbis quæ habentur ſub medium ſermonis, Deluſum ſe Herodes.

Iuſtiniani ſermo, ab illis verbis eſt auſpicandus, Deus quibus largiflua manu ſuam.

S. Thomas Cantuarienſis.

4. Guilielm. Pariſ.
Videſis Stapletonum tract. de tribus Thomis part. 2.

S. Syluester.

1. S. Greg. hom. 9. in Euang.
1. Innocentius III.

COMMVNE Sanctorum.

Commune Apoſtolorum.

1. AVGVSTINVS ſer.43. de Sanctis.
1. Fulgentius.
1. S.Gregorius homil.17.in Euang.
1. Theophanes homil.56.
1. Rabanus.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
2. Innoc. III.
9. Anton. Patau.
1. S. Bonauent.

Videſis eminentiam gradus Apoſtolici accuratè diſcuſſam à Benedicto Iuſtiniano diſp.proœm.in Paulum, & in tractatione de Iuda, cap.3.

Commune Euangeliſtarum.

1. Innoc. III.
3. Antoo. Patau.
1. Bonauent.

Commune vnius Martyris.

1. Aug.ſer.27.ex 40.nouis, & ſer.44. de Sanct.
3. Valerianus Cemelienſis homil.15.16. & 17. quæ ſunt de S.Pontio inibi paſſo.
2. Fulgentius ſerm.nouo 46.& 47.
2. Innoc. III.
6. Anton, Patau.
S. Bonauentura.

Commune plurimorum Martyrum.

1. Cyprianus lib.de laude Martyrij.
2. S.Ephrem tom.3.ſerm.28. & 29.
3. Chryſoſtomus tom.1. Græco-lat. ſerm.74. & tom.5.ſerm.59.& 65.
1. Aſterius.
3. Auguſtinus ſerm.28.29.ac 30. ex 40. nouis, & ſerm.45.47.48 49. & 50. de Sanctis, & ſerm.de diuerſ.117.118.& 119.
2. Maximus apud Ambroſium ſerm.74.& 76.
1. Fulgentius.
1. S.Gregor.hom.35. In Euang.
2. Beda.
1. Rabanus in illud, *cum audieritis prælia.*
2. Berengoſius.
3. Bruno Carthuſ.
2. Bruno Signienſis.
2. Innoc. III.
5. S.Bonauent.

Commune Confeſſoris Pontificis.

1. S. Fulgentius.

Commune Doctorum.

1. Bruno Carthuſ.ſerm.11.de Confeſſoribus.

Commune Confeſſorum abſolutè.

4. Chryſologus ſerm.22.23.24.& 25.
1. S. Fulgentius.
1. Berengoſius.
4. Beda.
3. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
3. Anton. Patauinus.

In Euangelium *ſint lumbi veſtri præcincti*, Auguſt.ſerm.39.de verb.Dom.

Commune Doctorum.

2. Bonauent.

Commune Virginum.

1. Cyprianus lib.de habitu Virginum.
1. Gregorius Nyſſenus lib.de Virginit.
1. S.Ambroſius lib.de Virginibus.
1. Chryſoſtomus de Virginit.
1. Adelmus de laud.Virginit.
1. Rabanus.
1. Petr.Damiani ſerm.67 & 68.
2. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
4. Bonauent.
1. In Euangelium de parabola decem Virginum Chryſoſt.tom.6.Græco-lat.ſer.40.
2. Auguſt.ſerm.23.de verb.Dom.
1. Bruno Carthuſ. Bernardus in Miſcell.

Commune Viduarum.

1. Ambroſius lib.de viduis.
7. Chryſoſtomus lib.ad viduam iuniorem.
2. Hieronymus ad Saluinam, & ad Ageruchiam.
1. Beda de muliere forti. Item Auguſt. latè ſer. 45.de diuerſ.

Dedicatio Eccleſiæ.

1. Gaudentius.
5. Eucherius in editione auctiore.
1. Maximus, eſt ſerm.89. apud Ambroſium. S.Auguſtinus de temp.ſerm.252.& 256. & ſerm.16.ex additis.
2. Beda.
2. Rabanus.
4. Petrus Damiani ſerm.69.70.71.& 72.
1. Bruno Carthuſ. in calce libri de laudibus Eccleſiæ.
6. S. Bernardus.
1. Petrus Abelardus ſerm.27.
1. Iuo Carnotenſis ſerm. de Sacramentis dedicationis.
3. Hugo Victorinus in opere centum ſermonum.
1. Bruno Signienſis.
1. Berengoſius.
1. Innocent. III.
4. Bonauent.

7. Biel.

7. Biel.
De Euangelio, & Chriſto apud Zachæum excepto, Theophanes hom. 15.

Scholion.

E ſex ſermonibus ſignatis apud S. Bernardum 1. 4. & 6. ſunt valdè appoſiti. At 2. & 5. ſunt de templo ſpirituali abſque relatione ad dedicationem. Tertius item monſtrat religionem eſſe domum Dei, abſque ordine ad dedicationem Eccleſiæ.

In dedicatione Altaris.

1. Augſtinus ſerm. 255. de temp.
1. Beda.
1. Innoc. III.

SERIES II.

Comprehendens Feſta mobilia, & iis nexas Dominicas ac Ferias officio proprio donatas.

Aduentus Domini.

SANCTVS Leo à ſermone 4. de Natiuit. Dom. ad 10.
Auguſtinus ſerm. 2 & 3. de temp. & homil. 28. ex 50.
2. Maximus.
1. Chryſologus ſerm. 147.
1. Theophanes homil. 14.
1. Iuo Carnotenſis de duplici Aduentu.
7. S. Bernardus.
Idem: Sermones ſuper *Miſſus eſt.*
Item ſermo 2. de Natali Dom. qui eſt de tribus mixturis.
Richardus Victorinus lib. de Incarnat. Verbi, præſertim à cap. 7.
1. Guerricus ſerm. 2. & 3. Reliqui infrà habebunt ſuum locum.
11. Aëlredus de undecim oneribus Aduentu Domini excuſſis.
6. Bonauentura.
3. Petrus Bleſenſis ſerm. 1. & 2. ac 4. meliùs 5.

Legeſis de hoc argumento diſſertationes in opere de Chriſto, lib. 2. ſect. 1. quibus hoc myſterium exponitur ſub duodecim hiſce allegoriis, *Verbum prolatum, Verbum ſcriptum, Verbum veſtitum, Verbum calceatum, Verbum inumbratum, ac tenebratum, Verbum effuſum, Verbum infuſum, Verbum abbreuiatum, Verbum inequitans, Verbum negotians, Verbum hamatum, Verbum fermentans.*

Affines ſunt etiam diſſertationes illæ quæ habentur lib. 3. ſect. 3. de adumbratione verbi Incarnati, in *Pane, Manna, vino, Margarita pretioſa, cereo, lucerna, laterna, Sole, iride, ſale in vas nouum immiſſo, lapide exciſo de monte ſine manibus, virga Aaronica, eiúſque frondibus, floribus, fructibus.*

Theoph. Rayn. Philologica.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Puer Ieſus duodennis, *Lucæ* 2.

3. Origenes hom. 18. 19. & 20. in Lucam.
1. Maximus homil. 1. de Epiph.
1. Beda.
1. Aeltedi ſermo, malè S. Bernardo ſuppoſitus.
1. S. Aoſelmus hom. in hoc Euang.
1. Bruno Signienſis.
4. Guilielm. Pariſ.
1. Anton. Patau.
6. S. Bonaoent.

Dominica II. poſt Epiphan.

Nuptiæ in Cana. *Ioannis* 2.

3. Ambroſius ſerm. 19. 20. & 22.
1. Chryſoſtomus tom 6 Græco-lat. ſerm. 14.
2. Gaudentius tract. 8. & 9.
1. Maximus homil. 1. de Epiph. à verbis illis, *ad illud præcipuum.*
7. Auguſtinus ſerm. 41 de temp. & ſerm. 41. de verb. Dom.
2. Eucherius hom. 2. de Epiph.
1. Beda.
1. S. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
5. Guilielm. Pariſ.
1. Anton. Patau.
4. Bonauent.

Dominica III. poſt Epiphan.

Leproſus adorans. *Matth.* 8.

1. Origenes homil. 5. in diuerſ.
1. Chryſoſtomus homil. 26. in Matth.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
5. Guilielm. Pariſ.
2. S. Bonauent. hîc, & ſerm. 2. in Domin. 2. poſt Epiph.

Dominica IV. poſt Epiphan.

Mare & venti, increpiti. *Matth.* 8.

1. Origenes homil 6 in diuerſ.
1. Baſilius Seleuc. orat. 12.
1. Chryſoſtomus homil. 29. in Matth.
1. Auguſtinus ſerm. 4. ex additis à Pariſ.
2. Chryſologus ſerm. 20. & 21.
1. Theophanes hom. 46.
1. Beda.
1. Hugo Victorinus ſerm. 4. ex centum.
1. Bruno Signienſis ſerm. in Dom. V.
3. Guillelm. Pariſ.
1. Anton. Patau.
4. Bonauent. ſerm. 2. 3. & 4. in Domin. II. poſt Epiph. & ſerm. 1. in Dom. IV.

Dominica V. poſt Epiphan.

Bonum ſemen & zizania *Matth.*13.

1. S.Athanaſ.homil.de ſemente.
1. S.Auguſtinus ſerm.46.de diuerſ.
1. Chryſoſt.homil.47.in Matth.
2. Chryſolog.ſerm.96.& 97.
3. Guilielm. Pariſ.
4. Bonauent.ſerm.2.3.& 4.in Domin.IV. poſt Epiph.

Dominica VI. poſt Epiphan.

Sinapi, & fermentum. *Matth.*13.

3. Ambroſ.ſerm.1.& 2.& 5.
2. Chryſologus ſerm.98.& 99.
1. Chryſoſtomus hom.47.in Matth.

Dominica Septuageſimæ.

Operarij vineæ, *Matth.*20.

1. Chryſoſtomus tom.6.Græco-lat.ſerm.60.
1. Auguſtinus ſerm.59.de verb.Dom.
1. Cyrillus Alexandr. homilia edita ab Achille Statio.
1. Gregorius Magnus homil.19.in Euang.
1. Iuo Carnotenſis ſerm.de Septuageſima.
1. Bernardus.
2. Hugo Victorinus ſerm.51.& 32.ex 100.
1. Bruno Signienſis.
1. Innocentius III.
1. Guilielm. Pariſ.
1. Bonauent.

Dominica Sexageſimæ.

Semen in varia iactum. *Luca* 8.

S.Auguſtinus tract.de quarta Feria. Eſt quartus Tomi noni.
1. S.Gregorius homil.15.in Euang.
1. Theophanes hom.6.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
3. Guilielm. Pariſ.
1. Anton. Patauin.
4. Bonauent.

Dominica Quinquageſimæ.

Paſſio prædicta. Cœcus curatus.

Luca 18.

2. Baſil.Seleuc.orat.31.& 36.
2. Chryſoſtomus tom.6.Græco-lat.ſerm.65. & tom.3. Latino ſerm.6.de Paſſione, qui tamen videtur tribuendus Chryſologo.
   Auguſtinus ſerm.20.de verb.Dom.
1. Fulgentius ſerm.nouus 7.
1. S.Gregorius homil.2.in Euang.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
2. Guilielm. Pariſ.
4. Anton. Patauin.
3. Bonauent.

In Bacchanalia.

4. Theodorus Studita ſerm. Catechetico 49. 50.51.& 52.
1. Quadrat Baſilij Seleuciæ Orat.27.quæ eſt in Olympia.
2. Item Chryſoſtomi tom.5. ſerm.9. qui eſt in Circenſes,& tom.6.Græco-lat.ſerm.52.
   Quadrant inſuper homiliæ Patrum in Calendas Ianuarij, in quibus paganiæ Romanæ (vt loquitur S.Bonifacius epiſtol. 32.) tantoperè obſtant conuerſioni infidelium. Agunt autem aduersùs diei illius Bacchanalia.
1. Chryſologus ſerm.155.
1. S.Maximus,homil.de Circumciſ.
2. S.Auguſtinus ſerm.7.ex 40.nouis,& ſer.59. de diuerſ.
1. Fauſtinus Epiſcopus apud Bollandum 1.Ianuar.
1. Aſterius in Feſtum Kalendarum.

De Capite ieiunij, & de Quadrageſ.

Euang. huius feriæ. *Matth.*6.

1. Origenes homil.4.in diuerſ.
2. Baſilius homil.1.& 2.de ieiunio.
1. Nyſſenus homil.de ieiunio, tom.3. Baſilij in *fine.*
3. Maximus homil.1.41.& 46.
14. Auguſtinus ſerm.de diuerſ.68.70.71.72.73. 74. & ſerm.3. poſt 40. nouos & ſerm.55. 56.ac 69.& 64.ac 65.& 172. de temp. & tom.9.tract.de vtilitate ieiunij.
12. Leo Magnus à ſerm.1.ad 12.
4. Chryſologus ſerm.7.8.22.& 166.
1. Eucherius hom.de initio Quadrageſimæ.
1. Valerianus Cemel.homil.19.
1. Eligius hom.5.
2. Cæſarius.
1. Theophanes hom.16.
3. Bernardus ſerm.3.4.& 7.in capite ieiunij.
1. Guerricus.
3. Bleſenſis ſerm.10.11.& 13.
1. Bruno Signienſis.
2. Innoc. III.
1. Anton. Patau.
6. Bonauentura.
   Multa de præparatione ad Paſcha per ieiunium Quadrageſimæ, Cyrillus Alexandrinus in homiliis Paſchalibus. *Videſis etiam opus de Roſa mediana.*

De Pœnitentia.

1. S.Baſilius homil. de Pœnitentia.
11. S.Ephrem tom.1.à ſerm.54. & tom.3.tract. 4.& 5.
2. Amphilochius orat.8.
11. Chryſoſtomus, ſerm.10. de Pœnitentia & ſeorſim alia homilia quæ eſt 77. tom.1. Græco-lat.
7. Auguſtinus homil.27. & 41.& 50.ex 50. & ſerm.57.ac 50.de temp.

1. Paciani

1. Paciani Paræneſis.
1. Victor Cattenneoſis de pœnitentia apud Ambroſium.
1. Laurentius Nouarienſis.
4. Cæſarius homil.1.13.14.& 17.
1. De nectenda ieiunio ac pœnitentiæ eleemoſyna, Chryſoſtom. tom.6. Græco-lat. ſerm.71.

Feria V.

Seruus Centurionis. *Matth.8.*

1. Chryſoſtomus homil.27.in Matth.
1. Baſilius Seleuc.orat.19.
2. Chryſologus ſerm.15.& 102.
1. Theophanes homil.44.
1. Fulgentius ſerm.6. nouo.
1. Bruno Signienſis ſerm.1.in Domin.III. poſt Epiphan.
1. Anton. Patau.

Feria VI.

De dilectione inimicorum. *Matth.8.*

2. Chryſoſtomus tom.6.Græco-lat.hom.50. & homil.8.ex variis in Matth.
7. Auguſt.homil.6.& 40. ex 50.& 59.ſermone 168.& 170.de temp.& ſerm.de verb. Dom.
1. Chryſologus ſerm.9.
1. Eucherius auctior. ſermo in illud, *Ecce quàm bonum.*
1. Cæſarius hom.11.
1. Beda, homil. in illud, *Attendite ne iuſtitiam veſtram.*
1. Etin idem dictum, Chryſoſtomus tom.6. Græco-lat.ſerm 57.
5. Anton. Patauinus.

Sabbatho.

Tempeſtas. *Marc.16.*

1. Baſil.Seleuc.orat.12.
2. Chryſologus ſerm.20.& 21.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Chriſti ieiunium & tentatio. *Matth.4.*

1. Chryſoſtomus homil.5.ex variis in Matth. Eſt Author Latinus.
1. Auguſtinus de diuerſ.ſerm.64.
4. Maximus.
2. Ambroſius ſerm.34.& 35.
3. Chryſologus ſerm.11.12.& 13.
1. S.Gregorius hom.16 in Euang.
1. Arnoldus in perſona S.Cypriani ſerm. de ieiunio & tentatione.
1. Beda.
1. Rupertus lib.3.in Matth.ad cap.4.
1. Bleſenſis ſerm.12.
1. Innocentius III.
1. Bruno Signienſis.

5. Guilielm. Pariſ.
3. Anton. Patau. & in 2. Quadrageſimali, rurſuſque in tertio. Quadrag.
4. Bonauent.
1. Gerſo 4.part.ſerm.de tentat.

Feria II.

Iudicium. *Matth.25.*

1. Origenes homil.9.in diuerſ.
4. S.Ephrem. tom.1.ſerm.60.& 70. ac 71. & tom 3.tract.7.
1. Nyſſenus in illud iudicis, *Quatenus feciſtis, &c.*
1. Chryſoſt.tom.7.Græco-lat.ſerm.73.
4. Auguſt. ſerm.67. de temp.& ſerm.38.39. & 40.de Sanctis.
1. Cæſarius hom.39.
1. Theophanes homil.18.
2. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patau.

Feria III.

Eiectio de Templo. *Matth.21.*

1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Feria IV.

Quatuor Temporum. Signum Ionæ. *Matth.12.*

1. S.Ephrem tom.3.ſerm.14.
2. Baſil.Seleuc.orat.12.& 13.
1. Ambroſius ſerm.40.
1. Chryſologus ſerm.7.
1. Chryſoſtomus hom.44.in Matth.
1. Fulgentius ſerm.nouo 16.
1. Victor Cattenenſis lib. de pœnit. cap.5. & 6.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
Guilielm. Pariſ. ſerm.1. ad Dominicam III. Quadrag.
1. Anton. Patau.

Feria V.

Chananæa. *Matth.15.*

1. Origenes homil.7.in diuerſ.
4. Chryſoſt. tom.5. Græco-lat. ſerm.27. ſub finem, & tom.6. ab eo loco, *Quid Publicanus?* & hom.54. in Matth.ac hom.17. ex variis in Matth.
2. Auguſtinus ſerm.74.de temp. & ſerm.70.de diuerſ.
1. Chryſolog. ſerm.100.
1. Beda ſerm.in Dominicam II.Quadrageſ.
1. Bruno Signienſis.
3. Bonauent.ſerm.2.3.5.Dom.II. Quadr.
2. Guilielm. ad eandem Dom.II.
3. Anton. Patau. & in 2. Quadrag. ſerm. in Dom.II. ad Dom. poſt Trinit.

Feria VI.

Piſcina. *Ioannis* 5.

1. Gaudentius tract. 1 1.
1. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. ſerm. 7. & 62.
2. Athanaſius ſerm. 15. ex 40. nouis, & ſermone 42. de verb. Domin.
1. Fulgent. ſerm. nouo 63.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Sabbatho.

Transfiguratio.

1. Innoc. III.
Bonauent. ſerm. 4. in Dom. II. Quadrag.
De horum quatuor temporum ieiunio S. Leo.

Dominica II.

Transfiguratio. *Matth.* 17.

V. Serie I. Auguſti 6.

Feria II.

Mors in peccato ſuo. *Ioan.* 8.

1. Beda homil. in Sabbathum præcedens.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Feria III.

Cathedra Moſis. *Matth.* 23.

1. Chryſoſtomus homil. 73. in Matth.
1. Anton. Patau.
1. Bruno Signienſis.

Feria IV.

Mater filiorum Zebedæi. *Matth.* 20.

2. Chryſoſtom. homil. 66. in Matth. & tom. 1. Græco-lat. homil. 33.
1. Baſilius Selenc. orat. 24.
1. Theophanes homil. 24.
2. Anton. Patau.

Feria V.

Lazarus & diues. *Luca* 16.

7. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 63. & tom. 1. ſerm. 1. 2. 3. 4. 5. & 9.
2. S. Auguſtinus ſermone 24. & 25. de verb. Domin.
5. Chryſologus ſer. 66. & ſerm. 121. 122. 123. & 124.
1. Aſterius homil. de Lazaro & diuite.
1. S. Gregor. homil. 40 in Euang.
1. Theophanes homil. 8.

1. Beda ſerm. in Dominic. I. poſt Trinit.
1. Bruno Signienſis.
1. Gulielm. Pariſ. ſerm. ad eandem Domin.
7. Anton. Patau. in Quadrag. & ſerm. in Dominic. I. poſt Trinit.

Feria VI.

Plantatio vineæ. *Matth.* 21.

1. Chryſoſt. homil. 69. in Matth.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Sabbatho.

Prodigus. *Luc.* 15.

2. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 37. & tom. 2. Latino ſerm. 4. ex iis qui ſunt in Lucam.
5. Chryſologus ſerm. 1. 2. 3. 4. & 5.
1. Theophanes homil. 17.
1. Beda.
1. Guerricus.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Dominica III.

Eiectum dæmonium mutum. *Luca* 11.

1. Baſil. Seleuc. orat. 23.
1. Beda.
1. Innoc. III.
4. Gulielm. Pariſ.
2. Anton. Patau. & in 2. Quadrageſ.
4. Bonauent.
2. Gerſo 4. part. ſerm. 1. & 2.

Feria II.

Medice cura te ipſum. *Luca* 4.

1. Anton. Patau.

Feria III.

Correptio fratris. *Matth.* 18.

2. Chryſoſtomus homil. 61. in Matth. & rurſus 19. & 20. ex variis in Matth.
1. Auguſt. ſerm. 15. & 16. de verb. Dom.
1. Chryſologus ſerm. 131.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Feria IV.

Traditiones ſeniorum. *Matth.* 15.

1. Chryſologus ſerm. 171.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Feria V.

Feria V.

Socrus Simonis. *Lucæ* 4.

1. Chryſoſtomus homil. 28. in Matth.
1. Chryſologus ſerm. 18.
1. Beda.
1. Innocentius III.
1. Anton. Patau.

Feria VI.

Samaritana. *Ioan.* 4.

1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 43.
1. Auguſt. ſerm. 92. de temp.
2. Maximus de diuerſ. duplici ſermone de eleemoſyna.
1. Bruno Signienſis.
1. Theophanes homil. 38.
1. Anton. Patau.
Videſis pleraque de ea, lib. *de Pietate ſpecials*, part. 13. num. 84.

Sabbatho.

Adultera. *Ioan.* 8.

1. Fulgentius ſerm. 9. nouo.
1. S. Bernardus ſerm. 3. de Annunc.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Dominica IV.

Quinque panes & duo piſces. *Ioan.* 6.

1. Baſil. Seleuc. orat. 33.
1. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
1. Guilælm. Pariſ.
2. Anton. Patau. & in 2. Quadrageſimali.
4. Bonauent.

De hac Dominica ſub titulo Lætare, *&*
de Roſa tunc benedicta per
Pontificem.

2. Bleſenſis ſerm. 13. & 15.
1. Innocent. III. duplicem ſuum ſermonem memorat, ſed alter intercidit.
Videſis librum cui titulus, *Roſa mediana*.
De ſolemni apud Græcos adoratione Crucis hac die.
1. Theophanes homil. 22.

Feria II.

Zelus domus Dei. *Ioan.* 2.

1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.
1. Bonauent. ſerm. 4. in Dominic. IX. poſt Pentecoſt.

9. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 68.
1. Sophronius Hieroſolymit.
1. Theodorus Studita.
2. Germanus Conſtantinopolit.
1. Ioannes Xiphilinus.
1. Philotheus Conſtantinopolit.
1. Theophylactus.
1. Anonymus.

Feria III.

Quomodo ſcit, cum non didicerit.
Ioannis 7.

2. Chryſologus ſerm. 48. & 49.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patauin.

Feria IV.

Cæcus natus. *Ioan.* 9.

1. S Anaſtaſius hom. noua de hoc cæco.
1. Chryſoſt. tom. 6. Græco-lat. ſerm. 44.
1. Auguſtinus homil. 43. ex 50.
1. Chryſolog. ſerm. 171.
1. Aſterius.
1. Leontius Cyprius.
1. Fulgentius ſerm. nouo 17.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patauin.
1. Gerſo 4. part.

Feria V.

Vidua Naïm. *Lucæ* 7.

1. Chryſologus ſerm. 103.
1. Baſil. Seleuc. orat. 10.
1. Fulgentius ſerm. 62. nouo.
1. Beda homil. in Dominic. XVI. poſt Trinit.
1. Theophanes hom. 6.
1. Bruno Signienſis.
1. Guilielm. Pariſ. in dictam Dominic.
2. Anton. Patau. & inter ſermones 7. de temp. ſerm. ad eandem Dominic. XVI.
4. Bonauent. ſerm. in Dominic. XV. poſt Pentecoſt.

Feria VI.

Lazarus quatriduanus. *Ioannis* 11.

1. Zeno Veronenſis ſerm. de Lazaro.
1. Amphilochius orat. 5.
3. Baſilius Seleuc. orat. 40. 41. & 42.
2. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. ſerm. 12.
1. Auguſtinus ſerm. 104. de temp. & ſerm. 52. de verb. Dom.
1. Fulgent. ſerm. nouo 22.
3. Chryſolog. ſerm. 63. 64. & 65.
1. Theophanes hom. 25.
1. Andreas Cretenſis.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Sabbatho.

Sabbatho.

Chriſtus lux mundi. *Ioan.8.*

1. Bruno Signienſis.
2. Anton. Patau.

Dominica in Paſſione.

Chriſti innocentia. *Ioan.8.*

1. Chryſologus ſerm.131.
1. S.Gregorius hom.18. in Euang.
1. Bruno Signienſis.
3. Guilielm. Pariſ.
2. Anton. Patau.& in 2.Quadrag.
3. S.Bonauent.ſerm.2.3.4.in hanc Dom.
1. Gerſo 4. part.

Feria II.

Miniſtri miſſi vt apprehenderent Ieſum. *Ioannis 7.*

1. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patau.

Feria III.

Scenopegia. *Ioan.7.*

1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Feria IV.

Oues audientes vocem. *Ioan.10.*

1. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patau.

Feria V.

Mulier peccatrix. *Lucæ 7.*

1. Amphilochius orat.6.
2. Ephrem tom.3.ſerm.24.& 25.
1. Chryſoſtomus tom 6.Græco-lat.ſerm.41.
1. Auguſt.ſerm.23.ex 50.
1. Gregor.Nyſſen.in acerbiùs iudicantes.
3. Chryſologus ſerm.93.94.95.
1. S.Gregor.homil.33.in Euang.
2. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patau.

Feria VI.

Concilium. *Ioan.11.*

1. Chryſoſtomus tom.6.Græco-lat.ſerm.38.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patau.

Sabbatho.

Gentiles ad Chriſtum, per Philippum. *Ioannis 12.*

1. Bruno Signienſis.
1. Anton.Patauinus.

Dominica in Ramis Palmarum.

Matth. 21.

1. Methodius.
3. Athanaſ. homil. in illud, *Profecti in pagum.* Et homil. noua in illud, *Ite in caſtellum.* Et alia in illud, *Sternebant veſtimenta.*
1. Ambroſ.ſerm.24.
1. Chryſoſtomus homil.66.in Matth.
1. Epiphanius.
1. Cyrillus Alexandrinus tom.5.part.2.
1. Proclus orat.9.
1. Titus.
1. Andreas Cretenſis orat.9.
1. Petrus Damiani ſerm.20.
1. Iuo Carnotenſis.
1. Theophanes homil.26.
1. Rabanus.
1. Leo Imperator orat.5.
1. Beda homil.1.de aduentu Dom.I.
1. Bruno Carthuſianus.
2. Bernardus, tertius ſermo vſque ad medium. Et alius optimus qui incipit, *Redemptor noſter.*
1. Richardus Victorinus ſerm. de gemino Paſchate.
4. Petrus Abelardus.
2. Guerricus ſerm.3.& 4.
1. Petrus Bleſenſis ſerm.15.
1. Bruno Signienſis hom.1.de aduentu.
1. Laurentius Iuſtinianus.
5. Guilielm.Pariſ.
2. Anton.Patau.& in 2. Quadrageſimali.
4. Bonauentura.
2. Gerſo 4. part.
1. Card.Vigerius chorda 6.

Feria II.

Ante ſex dies Paſchæ. *Ioan.12.*

1. Fulgentius ſerm.nouo 27.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
Ogerius Abbas ſerm.1. de Cœna Domini ſuppoſitus S.Bernardo.

Feria III.

1. Bernardi ſermo qui incipit, *Vigilate animo.*

Feria IV.

De Iuda qui ea die pepigit de proditione.

1. Gaudentius tract.13.

2. S.Chryſoſt.

2. S. Chryſoſtomus in homiliis de proditore.
1. Maximus apud Ambroſium ſerm. 51.
1. Proclus orat. 10.
Videſis opus cui titulus, *Optima vitæ finis peſſimus*, ſiue *de Iuda*.

Feria V.

In Cœna Domini.

1. S. Athanaſius hom. noua in V. Feriam.
1. Eucherius homil. 4. de Paſch.
1. Cyrillus Alexandrinus tom. 5. part. 2.
1. Pſeudo-Auguſtinus ad Fratres in Eremo ſermon. 28.
4. Fulgentius ſerm. nouo 23. 14. 25. & 26.
4. Eligij homiliæ homil. 10. 11. 12. & 15. Sunt ferè, ad pœnitentes tunc exſoluendos.
1. Beda.
1. Rabanus.
3. Arnoldus Cypriani nomine.
1. Petrus Damiani ſerm. 10.
1. Bruno Carthuſianus.
2. Bernardus, ſermo duplex genuinus.
3. Apud eundem Ogerij Abbatis ſermon. 2. de Cœna Domini, reliqui ſunt de ſermone poſt Cœnam. Et alius qui incipit, *Panem Angelorum*.
3. Petrus Bleſenſis ſerm. 16. 17. & 18.
1. Innocentius III.
1. Anton. Patau.
6. Bonauent.
1. Laurent. Iuſtinianus de triumphali Chriſti agone cap. 2. & 3.
2. Gerſo 2. part.
5. Biel.

Feria VI.

Paſſio Domini.

1. S. Athanaſius ſermo in Paraſceuen.
2. S Ephrem tom. 3 ſerm. 19. & 21.
8. Chryſoſtomus tom. 3. Latino; ſermones ſeptem de Paſſione falsò inſcripti, *De myſteriis Cœnæ Dominicæ*, & tom. 6. Græco-lat. ſerm. 42.
4. S. Auguſtinus ſerm. 76. de diuerſ. & ſermone 114. 120. & 122. de temp.
19. Leo Magnus.
1. Proclus orat. 11.
1. Leo Imperator orat. 6.
1. Beda, homiliâ totam paſſionem complectente.
1. Theophanes hom. 27.
1. Drogo ſermone de Sacrament. Domin. paſſionis.
1. Anſelmus ſermone qui incipit, *Ieſum Nazarenum*.
2. Bernardus ſermon. in Feriam quartam hebdomadæ pænoſæ, cuius initium eſt, *Vigilate animo*, iam notato ſupra Feria III. Et apud eundem tract. in illud, *Ego ſum vitis vera*.
2. Petrus Abelardus ſerm. 11. & 14.
2. Guerricus ſerm. 1. & 2. in Ramis Palmar.
1. Arnoldus ex perſona Cypriani.
6. Bonauent.
2. Laur. Iuſtinian. ſerm. de Paſſion. Domin. & *Theophili Raynaudi Philologica*, diffuſiùs lib. de triumphali Chriſti agone, præſertim à cap. 13.
1. Biel hiſtoria Paſſionis Domini, *inter ſermones*.
1. Card. Vigerius chorda 7.
1. Alfonſi Palæoti liber de ſtigmatibus Chriſti in ſindone exhibitis.

De variis argumentis Paſſioni Chriſti innexis.

9. S. Maxim. apud Ambroſium à ſermon. 44. ad 51.

Oratio in horto.

1. Baſil. Seleuc. orat. 32.

De negatione Petri.

1. Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 70.
1. Auguſtinus ſerm. 124. de temp.
1. Maxim. apud Ambroſ. ſerm. 46.

Barabbas prælectus.

1. Innocent. III. ſerm. 1. in Paraſceue.

Crux abſolutè, vel pro hac die.

1. S. Ephrem tom. 3. ſerm. 21.
2. S. Maximus apud Ambroſium ſermon. 55. & 56.
9. Chryſoſtomus tom. 3. Latin.
1. Abelardus ſerm. 14.

Septem Chriſti verba.

1. Arnoldus bonæ vallis.
S. Latro.
1. Auguſtinus ſerm. 122. de temp.
1. Eucherius.
2. S Maxim. apud Ambroſium ſerm. 44. & 45.
4. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. homil. 32. & tom. 3. Latino homiliæ tres.
1. Goffridus Vindocin. ſerm. 10.
Videſis diffusè, in opere cuius titulus, *Peſſima vitæ finis optimus*.

B. Virgo ſtans ad Crucem.

1. S. Ephrem tom. 3. ſerm. 20.
2. Georgius Nicomed. orat. 1. & de eiuſdem conſtantia ad tumulum, orat. 8.
1. Amed. Lauſan. homil. 7.
1. Maximus Planudes.
Apud Bernardum lamentatio Virginis Mariæ, adeò inſulſa eſt, vt non ſit hîc recenſenda.
Videſis ad rem *Diptycha Mariana*, part. 1. part. 9. à num. 6.

Sepultura Chriſti.

2. Auguſtinus ſer. 132. & 133. de temp.
1. Epiphanius.
1. Germanus Conſtantinopol.
1. Gregorius Antiochenus.

1. Leo Sapiens.
1. Rabanus.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

1. Auguſtinus deſcriptus ſerm.de temp.137.

Sabbathum Sanctum.

1. Amphilochius homil. in magnum Sabbathum.
1. Auguſtinus ſerm.2.de Paſchate.
1. Eucherius homil.1.de Paſchate.
1. Damaſcenus orat.de Sabbatho Sancto.
2. Bonauentura.

In Euangelium.

Veſpere autem Sabbathi. *Matth*.28.

1. S.Gregor.homil.21.in Euang.
1. Euſebius Cæſar.
1. Theophanes homil.29.& 31.
1. Beda homil.1.æſtiuali.
1. Bruno Signienſis.

De Vigilia Paſchæ.

5. S. Auguſtinus de diuerſ.à ſerm.77.ad 81.

Paſcha Reſurrectionis.

1. S.Athanaſius orat in S.Paſcha.
4. Nazianzenus.
4. Nyſſenus.
2. Epiphanius orat. Græco-lat. & altera quæ nonniſi Latinè legitur.
1. Chryſoſtomus tom.6. Græco-lat. ſerm.45. & tom.3. Latino ſerm.2.3.4.5. & 7. de Reſurrect. & oratione in ſacrum Paſcha, eſt 72.tom.6.Græco-lat.
1. Maximus ſer.22.
4. Auguſt.ſerm.de temp.136.150.153.& 154.
2. Leo Magnus.
12. Eucherius homiliæ 11. ſed quinque anteriores, extant apud Cæſarium & Maximum.
3. Proclus orat.12.13.& 14.
5. Chryſologus ſerm.72.73.74.75.& 76.
1. Gregor.Magnus homil.21.in Euang.
1. Beda.
1. Heſychius Presbyter.
1. Leo Imperator orat.2.aliàs 7.
1. Rabanus.
3. S. Odilo.
1. Petrus Damiani ſerm.12.
4. S. Bernardus.
2. Richardus Victorinus ſerm.in die Paſchæ.
1. Goffridus Vindocin.ſerm.5.
1. Petrus Abelardus ſerm.12.
3. Guerricus.
1. Laur. Iuſtinianus.
4. Guilielm. Pariſ.
1. Anton. Patau.& in 2.Quadrageſ.
6. Bonauent.
2. Gerſo 1.part.ſerm.1.& 4.p.ſerm.1.& 2.
4. Biel.
Card.Vigerius chorda 8.à cap.4.

De gaudio Deiparæ in Chriſti Reſurrectione.

Amed.Lauſan.homil 6.
S. Anſelmus libro de excellentia Virginis Mariæ, cap.6.
Videſis Diptycha Mariana p.1.punct.9.à n.13.

De Reſurrectione noſtra ad inſtar Chriſti.

1. Methodius de Reſurrectione.
1. Zeno Veronenſis ſerm.de Reſurrectione.
1. Chryſoſtomus tom.5.Græco-lat.ſerm.33.
1. S.Ephrem tom.3.ſerm.7.
1. Ambroſius de fide Reſurrectionis.
1. Cyrillus Hieroſol.catech.18.
7. Auguſt.ſerm.34.de verb.Apoſt.& ſerm.17. de verb. Dom. & de temp.139. & 143.ad 147.& ſerm.de diuerſ.120.& 121.
Multa ſunt in reſurrectione contra Ethnicos propugnanda, antiqui plerique annotati in Theologia Naturali, d.8.à num.279.

De Alleluya.

3. Auguſtin. ſerm.18.ex 40. nouis & hom.16. ex 50.& ſerm.1.de diuerſ.

Feria II.

Diſcipuli Emmauntē abeuntes. *Luc*.24.

4. S. Auguſt. ſerm.140. & 146. de tempor. & ſerm.87.& 88.de diuerſ.
2. Fulgentius ſerm.nouo 35.& 36.
1. S.Gregorius homil.23.in Euang.
1. Theophanes homil.32.
1. Rabanus.
1. Bruno Signienſis.
2. Bonauent.

Feria III.

Ieſus in medio diſcipulorum, eiſque conueſcens. *Luca* 24.

1. Chryſologus ſerm.18.
1. Auguſtinus ſerm.4.ex additis à Pariſ.
1. Beda.
1. Rabanus.
1. Bruno Signienſis.
3. Bonauent.

Feria IV.

Ieſus rediuiuus ad mare Tiberiadis. *Ioannis* 21.

3. S.Auguſtinus de diuerſ. ſermon.4. & 5. & ſerm.148.de temp.
1. Chryſologus ſerm.78.
1. S.Gregor.hom.24.in Euang.
1. Rabanus.
1. Theophanes homil.36.
1. Bruno Signienſis.
2. Bonauent.

Feria V.

Feria V.

Magdalena ad monumentum. *Ioan.*20.

s. Creditus Origenes, reuera autor Latinus.
2. Ambroſius ſerm. 58.
3. Chryſoſtomus tom. 3. Latino ſermone qui incipit, *Maria veniens*, & ibid. homil. 2. ac 6. de Reſurrectione Dom.
3. Auguſtinus ſerm. 17. ex 10. nouis & ſerm. de temp. 55. & de diuerſ. ſerm. 6.
1. Fulgent. ſerm. nouo 39. & 44.
2. Theophanes homil. 30. & 34.
1. S. Gregorius homil. 25. in Euang.
s. Rabanus.
s. Bruno Signienſis.

Feria VI.

Chriſtus in Monte Galileæ. *Matth.*28.

2. Theophanes homil. 28. & 30.
s. Beda.
1. Rabanus.
1. Bruno Signienſis.

Sabbatho.

Petrus & Ioannes ad monumentum. *Ioannis* 20.

1. Athanaſius orat. de hoc Sabbatho.
2. S. Gregor. homil. 22. in Euang.
s. Rabanus.
2. Theophanes homil. 32. & 33.
s. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.

Dominica in Albis.

Chriſtus à Thoma atteſtatus. *Ioan.*20.

s. Gregor. Nazianz. orat. 43. quæ eſt in hanc nouam Dominicam.
2. Chryſoſt. ſerm. vltim. de Reſurrect. tom. 3. Latino & tom. 6. Græco-lat. ſerm. 32.
5. Auguſt. ſerm. 19. ex 40. nouis & ſer. de tempor. 156. 160. 163. & 164.
1. Chryſologus ſerm. 84.
3. Fulgentius ſerm. nouo 40. 42. & 43.
s. Theophanes homil. 35.
s. S. Gregor. homil. 26. in Euang.
2. S. Bernardus.
1. Innocent. III.
s. Bruno Signienſis.
5. Guilielm. Pariſ.
s. Anton. Patauinus.
4. Bonauent.

Dominica II. poſt Paſcha.

Paſtor bonus. *Ioan.*10.

s. Chryſologus tom. 6 Græco-lat. ſerm. 25.
s. Baſil. Seleuc. orat. 26.
3. S. Auguſtinus ſerm. 50. de verb. Domin. & libro de Paſtoribus à cap. 11. ac libro de Ouibus à cap. 4.
2. Chryſologus ſerm. 10. & 40.
Theoph. Rayn. Philologica.

1. S. Anſelmus.
2. Bruno Signienſis.
s. Innoc. III.
5. Guilielm. Pariſ.
s. Anton. Patau.
4. Bonauent. ſermon. in Domin. I. poſt octau. Paſch.
1. Gerſo 2. part.

Dominica III.

Riſus poſt fletum. *Ioan.*16.

s. Beda.
s. Bruno Signienſis.
1. Guilielmus Pariſ.
s. Anton. Patau.
4. Bonauent. ſerm. in Domin. II. poſt octau. Paſchæ.

Dominica IV.

Spiritus arguet mundum. *Ioan.*16.

1. Gaudentius Brixienſis tract. 14. qui eſt de promiſſione Paracleti.
2. Auguſt. ſerm. 60. & 61. de verb. Dom.
1. Beda.
s. Petrus Abelardus ſerm. 21. qui eſt 5. de Pentecoſte.
1. Bruno Signienſis.
1. Guilielm. Pariſ.
s. Anton. Patau.
4. Bonauent. ſerm. in Dominic. III. poſt octau. Paſchæ.
Huc ſpectant homiliæ vtriuſque Leontij in feſtum Mediæ Pentecoſtes, quod peragebatur poſt Paſcha, ante Pentecoſten.

Dominica V.

Petite & accipietis. *Ioan.*16.

1. Beda.
s. Bruno Signienſis.
2. Guilielm. Pariſ.
s. Anton. Patau.
4. Bonauent. ſerm. in Dominic. IV. poſt octau. Paſchæ & ſerm. 3. 4. 6. & 7. rogat.
Pertinent ad hunc locum Encomiaſta precationis, quales nominatim.
1. S. Ephrem tom. 1.
s. Chryſoſtomus libris duobus de Oratione.
s. Auguſtinus Epiſtola 121.
1. Fulgentius Epiſtola 4.
1. Guilielmus Pariſ. in Rhetorica diuina.

Feria II. & III.

Rogationum.

1. Sanctus Auitus.
2. Eucherius homil. de Litaniis, & in auctiore editione ſerm. 6. de oratione.
s. Chryſologus ſerm. 30. & 55.
s. Sanctus Maximus homilia in Litanias.
s. Cæſarius homilia 37.
2. Rabanus.
1. Beda.

1. S. Bernardus.
1. Petrus Abelardus ſerm. 13.
1. Petrus Bleſenſis ſerm. 20.
1. Guerricus.
1. Bruno Signienſis.
4. Bonauent. ſerm. 1. 2. 5. & 7. Rogat.
Videndus Sidonius lib. 7. Epiſt. 1.
De Euangelio Auguſt. ſerm. 2. 9. de verb. Domin.

Aſcenſio Domini.

1. Athanaſius.
1. S. Gregor. Nyſſenus.
9. Chryſoſtomus.
1. Epiphanius in Chriſti Aſſumptionem.
9. Auguſtinus ſerm. 12. & 13. & 90. de diuerſ. & ſerm. 174. 175. 176. 177. & 178. de temp. & ſerm. 6. ex additis à Pariſ.
2. Fulgentius ſerm. 6. nouo 48. & 49.
2. Eucherius.
1. Leo Magnus.
1. Chryſologus ſerm. 83.
1. Beda.
1. Leo Imperator orat. 1. aliàs 3.
2. Theodorus Studita ſer. Catech 7. & 8.
1. Theophanes homil 39.
1. Rabanus.
1. S. Odilo.
2. Bruno Carthuſianus.
7. Bernardus ſermones ſex de Aſcenſ. præſertim ſecundus & ſerm. 18. ex paruis.
1. Hugo Victorinus ſerm. 98. ex 100.
2. Abelardus ſerm. de Aſcenſe. qui eſt ſerm. 15. & rurſus ſerm. de octaua qui item eſt de Aſcenſione, éſtque nom. 16.
1. Goffridus Vindocinenſ. ſerm. 6.
2. Guerricus.
1. Petrus Bleſenſis ſerm. 21.
1. Arnoldus bonæ vallis.
4. Bonauent.
1. Laur. Iuſtinianus.
1. Gerſo 1. parte coram Alexandro Papa.
4. Biel.
1. Card. Vigerius chorda 9.

Dominica infra octauam Aſcenſionis.

Abſque Synagogis. *Ioan.* 15.

1. Gaudentius tract. 14.
1. Beda.
2. Guilielm. Pariſ.
1. Anton. Patau.
3. Bonauent.

Dies Sanctus Pentecoſtes.

1. Gregor. Nazianz. orat.
2. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. ſerm. 36. & 37. & tom. 3. Latino ſerm. cuius initium eſt, *Hodie nobis*.
3. Maximus apud Ambroſium ſermon. 60. 61. & 62.
6. Auguſtinus ſerm. 20. 21. 22. ex 40. nouis, & ſerm. 183. 185. ac 186. de temp.
1. Fulgentius ſerm. nouo 50. 51. & 52.
1. Eucherius.
3. Leo Magnus.
1. Proclus orat. 16.
1. Leo Imperator orat. 9. aliàs 4.
1. Beda ſerm. 1. & in cap. 2. Actor.
1. Rabanus.
1. Iuo Carnotenſis.
1. S. Odilo.
1. Theophanes homil. 40.
5. Petrus Abelardus ſerm. 4. de Pentecoſt. & ſer. 31. perperam inſcriptus in Feriam VI. poſt Natiuit. Dom.
2. Bruno Carthuſianus.
3. S. Bernardus.
1. Richardus Victorinus ſermon. de miſſione Spiritus ſancti.
1. Bruno Signienſis.
2. Guerricus.
1. Arnoldus ſub Cypriani nomine.
3. Innoc. III.
1. Laur. Iuſtinianus ab illis præſertim verbis, *Reſtaurationis humanæ*.
1. Guilielm. Pariſ.
2. Anton. Patau.
12. Bonauent. ſermon. 1. in Feriam II. Pentecoſt. rurſúſque ſerm. 3. in Feriam III.
2. Gerſo 4. part.
4. Biel.
Videſis latè tractationem de prima Miſſa ſect. 1. ad cap. 5.

De Spiritu Sancto.

2. Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 16. & 17.
1. Ambroſius luculento opere.
1. Baſilius ſerm. de Spiritu ſancto, eſt 27. inter homilias.
1. Chryſoſtomus tom. 3. Latino.
1. Petrus Damiani ſerm. 21. imò 22. qui eſt de Spiritu ſancto & eius gratia.
1. Card. Vigerius chorda 10. à cap. 7.

Feria II.

Pentecoſtes, Sic Deus dilexit mundum. *Ioannis* 3.

2. Bonauent.
1. Guliel. Pariſ. ſerm. 2. de Pentecoſt.

Feria III.

Paſtor per oſtium intrans. *Ioan.* 10.

1. Auguſtinus ſerm. 49. de verb. Dom.
1. Theophanes homil. 57.
2. Bonauent.

Feria IV.

Tractatio à Patre. *Ioan.* 6.

1. Auguſt. ſerm. 2. de verb. Apoſt. à cap. 2.
2. Bonauent.

Feria V.

Inſtructi poteſtate Apoſtoli. *Luc.* 9.

1. Theophanes homil. 47.
1. Auguſtinus ſerm. 42. de Sanctis.

Feria VI.

Feria VI.

Paralyticus illatus per tectum. *Luc.* 5.

Vide Dominic. XVIII. poſt Pentecoſt.

Sabbatho.

Socrus Simonis, & alij ægri curati. *Luca* 4.

Vide Feriam V. poſt Domin. III. Quadrag.

De ieiunio quatuor Temporum Pentecoſtes.

1. S. Leo.
2. Rabanus.

Feſtum SS. Trinitatis.

2. Chryſoſt. tom. 3. Latino, *in fine.*
2. Auguſt. ſerm. 65. de verb. Dom. & ſerm. 1. de verb. Apoſt. & ſerm. de temp. 191. 192. videndus ibid. ſerm. 38.
1. Eucheriſts homil. generali de Trinit.
2. Theophanes homil. 28.
2. S. Eleutherius.
3. S. Bernardus, ſermones in viſionem Eſaiæ de Dei Maieſtate.
1. Richardus Victorinus lib. 3. de Trinit.
3. Bruno Carthuſianus.
1. Bleſenſis ſermone 22. præſertim vſque ad medium.
4. S. Bonauentura.
3. Gerſo 2. part. ſerm. 1. & 4. part. ſerm. 1. & 2.
5. Biel.
Stapletonus orat. 3. Academica.

Dominica I. poſt Pentecoſten.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater. *Luca* 6.

7. Auguſtinus homil. 29. ex 50. & de temp. ſer. 202. ac 203.
1. Beda ſerm. in Dominicam IV. poſt Trinit.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patauin. ſerm. in Domin. IV. poſt Trinit.
3. Bonauent.

Feſtum Corporis Chriſti.

Bulla Vrbani IV. inſerta Clementinæ, *ſi Dom.* de reliq. & venet. SS.
1. Gaudentius Brixienſis tract. 2.
Chryſoſtomus homil. in Encæniis.
1. Anaſtaſius Sinaïta orat. de ſynaxi.
1. Auguſtinus ſer. 83. de diuerſ.
1. Eucherius ſerm. 4. de Paſch.
3. Damaſcenus 4. fidei cap. 14. & Epiſtol. de Corp. & Sanguine Domini, ac longo ea de re fragmento, edito à Pantino.
1. Bernardus ſermone in Miſcell. qui incipit, *Panem Angelorum.*
1. Arnoldus, Cypriani nomine, ſerm. in cœna.
1. Laur. Iuſtinianus ſerm. de Euchar. præſertim ab illis verbis, *Quamquam ex Creaturis.*
1. Cabaſilæ opus de vita in Chriſto.
1. Gerſo 4. part.
3. Biel.
Videſis Candelabrum ſanctum ſeptiluſtre tota ſect. 3. & 4.

De Euangelio.

Auguſtinus ſerm. 46. de verb. Dom.

Dominica infra octauam Corp. Chriſt. 2. poſt Pentecoſt.

Cœna magna. *Luc.* 14.

1. Auguſtinus ſerm. 33. de verb. Dom.
1. Gregorius homil. 36. in Euang.
1. Theophanes hom. 13.
1. S. Anſelmus.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
1. Anton. Patau.
4. S. Bonauent.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Ouis & drachma perdita. *Luca* 15.

1. Chryſologus ſerm. 168. & 169.
1. S. Greg. hom. 34. in Euang.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis.
5. Guilielm. Pariſ.
4. Bonauent.
De conuiuio Chriſti cum peccatoribus, Chryſoſtomus tom. 6. Græco-lat. ſerm. 62.

Dominica IV.

Laxabo rete in verbo Chriſti. *Luc.* 5.

1. Ambroſius ſerm. 11.
1. Theophanes homil. 5.
1. Bruno Signienſis ſerm. in Domin. V. poſt Pentecoſt.
2. Guilielm. Pariſ. ibid.
2. Anton. Patau.
4. Bonauentura.

Dominica V.

Iuſtitia noſtra abundans ſupra Phariſaïcam. *Matth.* 5.

1. Chryſoſtomus homil. 16. in Matth.
1. S. Paulinus Epiſt. 2. *ſub finem.*
2. Bruno Signienſis ſerm. in Domin. IV.
1. Guilielm. Pariſ. ibid.
1. Anton. Patau.
4. S. Bonauent.

Dominica VI.

Refectio poſt triduanam ſuſtinentiam. *Matth.* 8.

1. Chryſoſtomus homil.54.in Matth.
1. Auguſtiour ſerm.209.de temp.
1. Beda ſerm.in Dominicam VII.
3. S.Bernardus.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Domin.VII.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patauin.ibid.
6. Bonauentura.

Dominica VI.

Attendendum à falſis Prophetis. *Matth.* 7.

3. Chryſoſtomos hom.24. in Matth. à medio, & homil.12. ex variis in Matth. ſed eſt Author Latinus & tom.6.Græco-lat. ſermon.51.
1. Beda ſerm.in Dominicam VIII.
1. Bruno Signienſis ibid.
1. Goilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.
1. S.Bonauent.

Dominica VIII.

Villicus iniquitatis. *Luca* 16.

1. Gaudentios Brixienſis tract.18.
1. Augnſtinus ſerm.35.de verb.Dom.
1. Aſterius.
2. Chryſologus ſerm.125.& 126.
1. Beda homil.in Dominic. IX.
1. S.Bernardus ſerm.de villico iniquitatis.
1. Anſelmus homil.in Euang.
1. Odo Cameracenſis.
1. Brono Siguienſis homil.in Domiu.IX.
1. Innoc. III.
1. Anton.Patau.ſerm.in Dom.IX.
4. Bonauent.ſerm.1,2.4.& in Dom.VIII.

Dominica IX.

Fletus ſuper Hieruſalem. *Luca* 19.

1. S.Gregorius homil.39.in Euang.
8. Beda homil.in Dnmiuicam X.
8. Bruno Signienſis ibid.
3. Guilielm.Pariſ.ibid.
3. Bonauent.
1. Aoton.Patao.ibid.

Dominica X.

Publicanus & Phariſæus. *Luc.*18.

8. S.Ephrem tom.3.ſerm.25.
1. Chryſnſtomus tom.6.Græco-lat.ſerm.64.
1. Auguſtinus ſerm.36.de verb.Dom.
2. Baſil.Selene.orat.35.
1. Theophanes hnm.16.
1. Beda hom.in Domiu.XI.
1. Bruno Signienſis.
8. Bernardus ſerm.20.de diuerſ.
8. Guilhelm. Pariſ.ſerm.in Domin.XI.
8. Anton.Patau.ibid.
4. Booauent.

Dominica XI.

Surdus & mutus inter fines Decapoleos. *Marc.* 7.

8. Beda homil.in Domiolc.XII.
1. Bruno Signienſis, ibid.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
4. Bouaueot.

Dominica XII.

Deſcendens Ieſus ab Hieruſalem in Iericho. *Luca* 10.

1. Chryſoſtom.tom.2. Latioo hom. in cap.10. Lucæ.
1. Auguſtinus ſerm.37.de verb.Dom.
1. Fulgentius ſerm. nouo 67.
1. Beda homil.in Dominicam XIII.
1. Bruno Signienſis,ibid.
2. Guilielm.Pariſ.ibid.
2. Bonaueut.ſerm.3.& 4.in Domio.XII.

Dominica XIII.

Decem leproſi. *Luc.*17.

8. S. Leo ſermoue in octauam SS. Petri & Pauli.
1. Anſelmus hom.in hoc Euang.
8. Beda homil.in Dominic. XIV.
8. S.Bernardus ſerm. contra peſſimum vitium ingratitudinis.
1. Bruuo Signienſis ſerm.in Dom.XIV.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonzuent.

Dominica XIV.

Nemo duobus. *Matth.*6.

1. Chryſnſtomus homil.22.in Matth.
1. Chryſologus ſerm.163.
8. Thenphanes homil.43.
1. Beda hom.in Dom.XV.
8. Bruno Signienſis ibid.
1. Gulielm.Pariſ.ibid.
4. Bouauent.

Dominica XV.

Vidua Naim. *Luc.*7.

Vide Feriam quintam poſt Domioicam IV. Quadrageſ.

Dominica XVI.

Hydropicus ante Chriſtum. *Luc.*14.

1. Beda homil.in Domin.XVII.

1. Bruno

1. Bruno Signienſis ibid.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patao.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XVII.

Mandatum magnum in lege.

1. Chryſoſt. homil.71. in Matth. & hom. ex variis in Matthæum locis.
2. Auguſtinus ſerm.234.235.de temp.
1. Theophanes homil.11.
1. Beda ſerm.in Dominicam XVIII.
1. Bruno Signienſis ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonauent.

Feria IV. quatuor temporum Septembr.

Filius ſpumans. *Marc. 9.*

1. Baſil.Seleuc.orat.13.
2. Chryſologos ſerm.51.& 52.
1. Theophanes homil.13.

Feria VI.

Mulier peccatrix. *Luc. 7.*

Vide Feria V. poſt Dominicam in Paſſione, & menſe Iulio in feſto S.Magdalenæ.

Sabbatho.

Ficus excidenda, & mulier habens ſpiritum infirmitatis. *Luca 13.*

2. Chryſologus ſerm.105.& 106.
1. Auguſtinus ſerm.31.de verb.Dom.
1. Gregorios homil.31.in Euang.
1. Theophanes homil.12.
1. Beda.
1. Bruno Signienſis hom.poſt Dom. XXVII.

De ieiunio huius ſeptimi menſis.

S. Leo ſermones nouem.
1. Rabanus ſerm.1.

Dominica XVIII.

Paralyticus geſtans lectum ſuum. *Matth. 9.*

1. Gaudentius Brixienſis tract.11.
2. Chryſoſtomus tom.5. Græco-lat. ſerm.52. poſt tractatum languidum 38. annorum & homil.30.in Matth.
1. Chryſolog.ſerm.50.
1. Fulgent.ſerm.nouo 63.
1. Theophanes homil.21.
1. Beda homil.in Dominic.XIX.
1. Anſelmus homilia in hoc Euangelium.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Domin.XIX.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XIX.

Nuptiæ & veſtis nuptialis. *Matth.22.*

1. Chryſoſtomus homil.70.in Matth.
1. Auguſt.ſerm.14.ex 49.nouis.
1. S.Gregorius hom.38.in Euang.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Domin. XX.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XX.

Filius Reguli. *Ioan. 4.*

1. S.Gregor.hom.28.
1. S.Anſelmus homil.in hoc Euangelium.
2. Bruno Signienſis ſerm.in Dom. XXI.
2. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XXI.

Ratio poſita cum ſeruis. *Matth.18.*

2. Chryſoſtom tom.5. Græco-lat. ſerm.1. reciſo longiſſimo principio, & homil.62. in Matth.
1. Paulus Diaconus.
1. Theophanes homil.2.
2. S. Anſelmus.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Dom.XXII.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XXII.

Herodiani & Pariſæi. *Matth.22.*

1. Chryſoſtomus homil.71.in Matth.
1. Beda homil.in Domin. XXIII.
1. Bruno Signienſis ibid.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
4. Bonauent.

Dominica XXIII.

Puella excitata, Hemorrhoiſſa curata. *Matth. 9.*

1. Chryſoſtomus tom.6. Græco-lat, ſerm.5. & homil.32.in Matth.
4. Chryſologus ſerm.33.34.35.& 36. Fulgentius ſerm.nouo 65.& 66.
1. Theophanes hom.10.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Dom. XXIV.
1. Guilielm.Pariſ.ibid.
1. Anton.Patau.ibid.
3. Bonauent.

Dominica

Dominica XXIV.

Abominatio deſolationis. *Matth.24.*

2. Chryſoſtomus hom.76.& 77.in Matth.
1. Bruno Signienſis ſerm.in Dom.XXVII.
4. Bonauent.

SERIES III.

Continens lectionem variis occaſionibus accidentariis accommodatam.

Quæ ad ſacros myſtas.

In primis Sacerdotum, vel alioqui ad Sacerdotes ratione Euchariſtiæ.

1. S.Ephrem opuſc.1.
1. Chryſoſt.lib.2.de Sacerdotio.
1. Theophanes Nicænus Epiſt.3.
1. S.Bernardus ſerm. de cœna Dom. qui incipit, *Panem Angelorum.*
1. Bleſenſis ſerm.47.
1. S.Franciſcus Epiſt.ad Sacerdotes.
Videſis multa in Candelabro ſeptiluſtri ſect.6. cap.1.

In conſecratione Epiſcopi.

1. S.Ambroſius lib.de dignitate Sacerdotum, id eſt,Epiſcoporum.
1. Chryſoſtomus in opere de Sacerdotio, ſiue de Epiſcopatu.
3. S.Auguſt.ſerm.39.ex 40.nonis, & hom.24. & 25.ex 50.
4. S. Leo de ſua Aſſumptione 1.2.& 3. & ad finem ſermonum, penultimus.
1. Eucherij auctioris ſerm.7.
S. Bernardus opuſc. ad Henricum Senonenſem, de officio Epiſcopi.
1. S.Gallus tom.6.Biblioth.Colon.part.1.

In Synodis allocutiones.

1. Hildebertus ſerm. in illud, *cui multum datum eſt.*
1. Apud Bernardum ſermo in Remenſi Concilio, qui incipit, *Graue eſt*, & alius cuius initium eſt, *Omnes nos.*
1. Hugo Victorinus ſerm.23.ex centum.
2. Innocentius III.ſerm.1.& 2.ante Concilium Lateranenſe.
11. Bleſenſis à ſerm.37.ad 48.
2. Gerſo 4. part. ſermone in illud, *redde quod debes.*

Quæ ad Aſcetas & Aſcetrias.

Exhortatio ad capeſſenda Euangelica conſilia, & paræneſis in cooperatione ad religionem per habitus Angelici ſuſceptionem ac profeſſionem,

1. Baſilius de laudibus Eremi.
3. Chryſoſtomus ſerm. de laude Monachorum.
Eiuſdem contra vituperatores vitæ Monaſticæ.
Item de comparatione Regis & Monachi.
1. Auguſtinus ad Licentium, Epiſt.39.
1. Paulinus Epiſt.46.
1. Hieronymus Epiſt.1.
2. Eucherius, laus religioſæ receſſionis, ſiue Eremi.
Item paræneſis ad Valerianum.
1. Bernardus ſerm.de negotiatore quærente bonas margaritas.
2. Richardus Victorinus lib. de extermi.mali & promot.boni tract.1.
Idem in Pſalm.28.
1. Petrus Cellenſis Epiſt.67.
4. Gilberti diſſertationes Aſceticæ.
1. Petrus Bleſenſis Epiſt.11.

In renouatione votorum.

1. S.Auguſtinus Epiſt.45.
1. Valerianus Cemelienſ.hom.4.
1. Cæſarius ſerm.17.
1. Marcus Eremita, præcepta ad Nicolaum.
1. Petr.Damiani opuſc.42.
1. S.Bernardus ſerm.de quadruplici debito.

Ad fratres in Capitulo.

1. S.Bernardus ſerm. de tribus Ordinibus Eccleſiæ.
Idem ſerm.2. de altitudine & baſſitudine cordis.
1. Iuſtus Abbas ad ſuos Ciſtercienſes congregatos.
S.Bonauentura de ſex aliis Seraphim,& Epiſtola ad Prouinciales, aliaque.
Ioannis Abbatis Spanheimenſis orationes ad Capitula.

In ſuffectione Prælati regularis.

1. Petrus Cellenſis Epiſt.136.

Informatio Religioſorum.

1. S.Antonius Epiſtolæ & quæ olim editæ, & recens emiſſæ.
1. Macarius homil.50.
1. Athanaſius exhortatio ad Monachos.
4. Baſil. Conſtitutiones. Ad Chilonem & ad filium ſpiritualem. Regulæ fuſiùs explicatæ.
1. Oreſiſes. Inſtructio vitæ Monaſticæ.
2. Hieronymus, Epiſt.4.& 13.
3. Ephrem, bona pars Tomi primi. Ex tom.2. paræneſes quinquaginta, & reliqua eiuſdem Tom.3.ſerm.3.
2. Auguſtinus ſerm.49.& 50.de diuerſ.
1. Nilus Aſceticus.
1. Eſaias Abbas homiliæ 29.
1. Eucherius ad Monachos homiliæ 10.
1. Caſſianus totus, dempta collatione 13.

1. Climacus

1. Climacus, Scala.
1. Nouatus ad fratres, de humilitate & obedientia.
1. Proſper (imò Pomerius) de vita contemplatiua.
1. Antiochus, homiliæ.
1. Cæſarius, homil. 18.25.& 36.
1. Dorotheus, doctrinæ.
1. Theodorus Studita, Catecheſes.
8. Petrus Damiani opuſc. 12.13.15.24.48.49.51.& 52.
4. Bernardus de Conuerſione ad Clericos, & Epiſt. 385. ad recens conuerſos.
Item declamatio in illud, *Ecce nos reliquimus omnia*. Apologia ad Guilielm.
1. Guilielmus Abbas S. Theodorici ad Fratres de monte Dei.
1. Aelredus, ſermones 31. ad fratres, de oneribus.
1. Richardus Victorinus de exterminatione mali & promotione boni.
1. Eiuſdem de ſtatu interioris hominis.
1. Item de eius eruditione.
3. Item Benjamin Major, & Minor.
1. Hugo Victorinus, inſtitutiones Monaſticæ.
2. Petrus Bleſenſis ſerm. 49.& 59.
1. S. Bonauent. tota part. 4. opuſculorum.
1. Humbertus, eruditio Religioſorum.
1. Laurentius Iuſtinianus de diſciplina Monaſt. conuerſat.

Informatio Paſtoris Regularis

1. Climacus ad Paſtorem.
Videſis opus de bono regimine ſacrorum cœtuum.

In ſuffectione Prælati Regularis.

1. Petrus Cellenſis Epiſt. 136.

In ſchiſmate contra Abbatem.

1. Petrus Cellenſis Epiſt. 41.& 41.

Ad Apoſtatam Parænesis.

2. S. Baſilius ad elapſum, & rurſus ad elapſam.
2. Chryſoſtomus, Parænesis ad Theodorum poſtea Mopſueſtenſem Epiſcopum.
Theodorus Studita.
Videſis opus cui titulus Iuda poſteri, Apoſtata à Religioſis Ordinibus.

Pro Apoſtata conuerſo ad cor, humaniter habendo.

1. Bracharius ad Iſauricum.
1. Petrus Cellenſis Epiſt. 116.

Quæ ſigillatim ad Sanctimoniales.

Inuitatione continent, tractationes de Virginitate, quæ multæ ſunt apud Patres. Eminent inter eos.

1. Ambroſius in florulentiſſimo opere de Virginibus.
1. Item in exhortatione ad caſtitatem.
1. Chryſoſtomus de Virginit.
1. Adelmus lib. 6. de laude Virginit.
1. Bleſenſis Epiſt. 55.

In velatione.

1. Liberius Papa velans Marcellinam S. Ambroſij ſororem lib. 3. de Virginibus.

Inſtitutio Virginum iam cooptatarum in Parthenonem.

1. Ciprianus de diſcipl. & habitu Virginum.
2. Ambroſius, inſtitutio Virginis, & lib. ad Virginem deuotam
1. Athanaſius de Virginit.
1. Baſilius de vera Virginit.
1. Gregorius Nyſſenus de Virginit.
2. Hieronymus Epiſt. 8.& 22.
1. Auguſtinus de Virginitate.
1. Creditus Auguſtinus de vita Eremitica ad ſororem.
1. Creditus Bernardus de modo benè viuendi ad ſororem.
3. Petrus Abelardus ſerm. 28.
Eiuſdem Epiſt. 7. ſed maximè 8.
3. Petrus Bleſenſis ſerm. 51.& Epiſt. 35.& 36.

Quæ ad communem fidelium ſortem.

In publica calamitate.
1. Cyprianus de mortalitate.
1. Nazianz. orat. 15. quæ eſt in plagam grandinis.
Eiuſdem orat. 17. ad Ciues ſuos timore perculſos ob iram Præfecti.
2. Auguſtinus de tempore barbarico tom. 9. & ibid. tract. de vrbis excidio.
3. Chryſoſtomus, ad ciues Antiochenos conterritos hom. 2. ad populum & aliquot ſequentibus.
1. Theophanes homil. 62. quæ eſt de plaga ſiccitatis.
1. Gregorius Magnus ſerm. in Litania ſeptiformi.
1. Guerricus, ſermo malè inſcriptus de Quadrageſima.

Poſt declinatam calamitatem.

1. Nazianz. orat. 3. & 4. poſt Iulianum profligatum.
2. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. ſer. 6. poſt terræ motum, & hom. 17. ad popul.
1. Anonymus antiquus in Feſtum τῆς ἀνακομιδῆς de vrbis liberatione.

Mortualia

In obitu Antiſtit.

1. Fulgentius ſerm. nouo. 19.
1. Eucherius, ſermo dicendus in depoſitione Sacerdotis. Eſt Maximi homilia de S. Euſebio.

In morte religioſæ perſonæ.

1. S. Ephrem ſerm. in dormientes.
1. Chryſoſtomus tom. 5. Græco-lat. hom. 29.
1. S. Bernardus ſermon. in depoſitione Huberti.
2. Idem ſerm. 26. in Cant. de morte Gerardi.
1. Aëlredus lib. 1. ſpeculi charitatis cap. 34.

In morte pij cuiuſque

3. Auguſt. de verb. Apoſtoli ſerm. 33. & falsò adſcriptis ſermonibus de conſolatione mortuorum tom 9.
1. Nyſſenus orat. de mortuis.
1. Andreas Cretenſ. orat. de vita humana atque defunctis.
2. Rabanus in vigiliis defunctorum.

SERIES IV.

Lectiones per annum.

HANC ſeriem (iuxta dicta initio) tribuam in libros Hiſtoricos, Interpretes, atque Morales; complectendo hoc poſtremo ordine, omnes qui neque hiſtorias ex inſtituto pertexuerint, neque ſcripturæ explanationi inſiſtunt.

Hiſtorici.

Euſebij Cæſarienſ. hiſtor. Item vita Conſtantini.
Ruffini appendix ad hiſtoriam Euſebij.
Pauli Oroſij hiſtoria.
Seueri Sulpitij ſacra hiſtoria; dialogi, & vita S. Martini.
Theodoreti hiſtoria, & Θεοφιλής.
Socrates.
Sozomenus.
Euagrius.
Victoris Vticenſis opus de perſecutione Vandalica.
Gregorij Turonenſis hiſtoria Francorum, & de gloria ſanctorum Martyrum & Confeſſorum, & vita Patrum.
S. Gregorij Magni Dialogi.
Bedæ hiſtoria Anglicana, & vitæ Sanctorum ei annextæ.
Pauli Diaconi hiſtoria.
S. Nicephorus Conſtantinopolitanus. Hiſtoria.
Damaſceni, hiſtoria Ioſaphat, & vita S. Stephani iunioris, eius operibus conſerta.
Luitprandij hiſtoria Europæa.
Eginarthi vita Caroli Magni.
Flodoardi hiſtoria Remenſis Eccleſiæ.
Glabri Rodulphi hiſtoria.
Ioannis Curopalatæ, hiſtoria.
Zonaræ Annales.
Otho Friſingenſis.
Guilielmus Neubrigenſis.
Guilielmus Malmesburienſis.
Regerius de Houedono.
Guilielmus Tyrius de bello ſacro.
Adamus Bremenſis de Fidei propagatione per Septentrionem.
Nicetas Choniates.
Iacobus de Vitriaco; Hiſtoria Orientalis, & Occidentalis.
Lambertus Schafnaburgenſis.
Nicephorus Calliſtus.
Petrus Damiani opuſc. 33. & 34.
Petrus Cluniacenſis de Miraculis.
Nicephorus Gregoras.
Ingolphus Anglus.
Ioannes Vallanus.
Albertus Krantzius Metropolis.
Ioannes Gochæus de Huſſitis Luſtero.
Baronij Annales.
Eorumdem Epitome, & continuatio per Spondanum, aut Odericum Raynaldum.
Annales veteris Teſtamenti per Salianum.
Eorumdem Epitome.
Annales veteris Teſtamenti per Torniellum.
Iidem per Spondanum.
Vitæ ſanctorum Surij, ex poſtrema recognitione.
Eædem per Bollandum.
Vitæ Patrum Roſuedij; inter quas Palladius, Moſchus, Heraclides, & quæ à S. Hieronymo ſunt conſcriptæ vitæ Sanctorum.
Hiſtoriæ religiosorum.
Thomas Kempenſis: Vitæ Gerardi, Florentij & aliorum eius familiæ; *Ad calcem tomi tertij.*

Exegetici.

Origenes in Geneſim, Exodum Leuiticum, Numeros, Ioſue, Iudices & in Pſalmos aliquot; in Iſaiam, Hieremiam, & Ezechielem; homiliæ in diuerſos.
S. Cyprianus in orationem Dominicam.
S. Baſilij in hexaëmeron, & in illud *Attende tibi* in principium prouerbiorum, in aliquot ſcripturæ locos.
S. Ambroſij in hexaëmeron; de Paradiſo, de Cain & Abel, de Noë, de Abraham, Iſaac, & Iacob, ac Ioſeph. De benedictionibus Patriarcharum, de Nabothe, de Elia, de Tobia, de interpellatione Iob, & Dauidis. Apologia Dauidis, de Salomone.
S Ephrem tomo 3. c. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
Gregorij Nyſſeni de hexaëmero ad ſupplementum S. Baſilij, deque hominis procreatione; de octo beatitudinibus: In Eccleſiaſtem, in Cantica, in orationem Dominicam, de vita Moſis.
Chryſoſtomi in Geneſim, in Pſalmos, in Paulum.
Auguſtinus, in Pſalmos, in Ioannis Euangelium, & Epiſtolam. De verbis Domini & Apoſtoli. De ſermone Domini monte.
Cyrillus Alexandrinus. Glaphy.
Proſper de prædicationibus & promiſſionibus.
Anaſtaſij Synaptæ contemplationes in hexaëmeron.
S. Gregorius in Iobum, & in ſeptem Pſalmos pœnitentiales.
Arnoldus Carnotenſis in hexaëmeron.
Petrus Damiani opuſc. 37. 44. 60.
S. Bernardus in Pſal. 109. In Cantica.

Morales

Morales.

S. Cyprianus de bono patientiæ, de mortalitate, de Eleemoſyna, de zelo & liuore, de laude Martyrij, & ad illud exhortatione, de ſingularitate Clericorum.
S. Ephrem bona parte Tomi primi, & initio Tomi ſecundi ac tertij. Teſtamentum.
S. Baſilius, homiliæ duæ de gratiarum actione, in diteſcentes ac diuites, de ira, de inuidia, in luxum & ebrietatem. De humilitate, de non adhærendo rebus ſeculi. De profecto ex Libris Gentilium Sermo tredecim capitum. Epiſtolæ.
Sanctus Ambroſius de fuga ſæculi, de bono mortis, de officiis.
Monodiæ Valentiniani, Satyri, Theodoſij. Epiſtolæ.
Sanctus Grægorius Nyſſenus, de Nomine Chriſtiani. De perfecta Chriſtiani forma, de infantibus præmaturè raptis. De pauperum amore. In Otores reprehenſionum.
S. Hieronymus, totus Tomus primus.
Chryſoſtomus, totus Tomus quintus Latinus. Epiſtolæ.
Auguſtinus de moribus Eccleſiæ. De Ciuitate Dei. De doctrina Chriſti. De Agone Chriſtiano. De opere Monachorum. De Cura pro mortuis. De Catechizandis rudibus. De Patientia. De Continentia.
S. Paulinus. Omnia, demptis Carminibus.
Theodoretus. Orationes de Prouidentia. Epiſtolæ.
Saluianus. Omnia.
S. Gregorij Paſtorale. Epiſtolæ.
Pomærius de vita Contempl.
Petrus Damiani Opuſc. 9. 10. 11. 20. 21. 22. 23. 25. 26. 29. 31. 32. 35. 39. 42. 43. 45. 46. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59.
S. Bernardus De diligendo Deo, de gradibus humilitatis, de Conſideratione, Apologeticus ad Guilelmum Abbatem. Epiſtolæ. De præcepto & diſpenſatione.
Petrus Cluniacenſis. Epiſtolæ.
Hugo Victorinus.
Petrus Bleſenſis. Epiſtolæ.
Cellenſis.
Innocentius III. libro de Eleemoſyna, de laude Charitatis, de contemptu mundi.
Guilielmus Pariſienſis. Rhetorica diuina.
Laurent. Iuſtinianus. Lignum vitæ.

MARIALE
SS. PATRVM.

De B. Virgine, & omnibus eius feſtiuitatibus, Panegyrici.

Encomia B. Virginis abſolutè.

SANCTVS Ephrem.
S. Epiphanius.
S. Cyrillus Alexandr.
Chryſippus.
Theoph. Rayn. Philologica.
S. Anſelmus de B. Virginis excellentia.
Arnoldus Bonæ Vallis.
Amedeus Lauſan.
Anonymus apud Bernardum ſerm. cuius initium eſt, *Mentem & oculos.*

Conceptio immaculata B. Virginis.

3. Gregorius Nicomedienſis de Conceptione B. Annæ.
2. Anſelmus de Conceptione B Mariæ, imperfectum opus, & Epiſtola ad Anglos.
1. Iſidorus Theſſalonicenſis.
2. Gabriel Biel.

Natiuitas Beatæ Virginis.

2. Andreas Cretenſis.
1. Beda.
3. Ioan. Damaſcenus.
1. Photius.
1. Leo Imperator.
3. S. Hildefonſus.
1. Theophanes.
3. Petrus Damiani.
2. Bruno Carthuſianus.
1. Bruno Signienſis.
1. Innoc. III.
1. Laur. Iuſtinian.
1. Iacobus Monachus.
4. Gabriel Biel.

Præſentatio B. Virginis.

S. Germanus Conſtantinopol.
4. Georgius Nicomedienſis.
1. Leo Imperator.
1. Iſidorus Theſſalonic.
Videſis Diptycha Mariana p. 1. punct. 8.

Annunciatio B. Virginis.

3. S. Gregorius Neo-Cæſarienſis Thaumaturgus.
1. S. Ephrem tract. de Margarita pretioſa, de myſterio Verbi in Virgine Incarnati, ſub allegoria vnionis ex concha margaritifera procreati.
1. Baſil. Seleuc.
1. Chryſoſtomus.
1. Auguſtinus.
1. Petrus Chryſologus.
4. Proclus.
2. Anaſtaſius Antiochenus.
1. Andreas Cretenſis.
1. Leo Imperator.
2. Eleutherius Tornacenſis.
1. S. Odilo Cluniac.
1. Iuo Carnotenſis.
1. Petrus Damiani.
7. S. Bernardus, ſuper *Miſſus eſt* homiliæ 4. & tres aliæ de Annunc.
1. Bruno Carthuſianus homil. de hoc feſto, & hom. 2. de Natiuit. B. Virginis.
1. Bruno Signienſis.
1. Amedeus Lauſanenſis.
1. Guerricus.
1. Petrus Bleſenſis.
1. Adamus de Perſenna.

1. Innoc. III.
1. Iſidorus Theſſalonic.
1. Laurent. Iuſtinianus.
1. Guilielm. Pariſ.
1. S. Thomas.
1. Marcus Card. Vigerius.
4. Gabriel Biel.

Viſitatio Beatæ Virginis.

1. Gregor. Neo-Cæſar. Thaumaturgus.
1. Auguſtinus.
1. Beda.
1. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
4. Gabriel Biel.

Partus Beatæ Virginis.

1. Fulgentius.
1. Amedeus Lauſan.

Purificatio Beatæ Virginis.

1. Hildefonſus.
1. Beda.
1. Eligius Noniomenſis.
2. Odilo Cluniac.
1. Fulbertus.
1. Ambroſius Anſbertus.
3. Bernardus.
3. Abelardus.
1. Richardus Victorinus de differentia ſacrificij, Abrahæ & Mariæ offerentis par turturum.
1. Goffridus Vindocinenſis.
6. Guerricus.
1. Anſelmus.
1. Bruno Carthuſianus.
1. Bruno Signienſis.
1. Innocentius III.
2. Gerſo.
1. Card. Vigerius.
4. Gabriel Biel.

Specialiter de Hypapante ſiue occurſu.

1. S. Methodius.
1. S. Athanaſius.
1. Cyrillus Hieroſol.
2. Amphilochius.
1. S. Gregor. Nyſſenus.
1. Chryſoſtomus.
1. Auguſtinus.
1. Cyrillus. Alexandrinus.
1. Leontius Cyprius.

1. Timotheus Presbyter.
1. Rabanus.
1. Leo Imperator.
2. Guerricus.

Planctus ad Crucem Chriſti.

1. S. Ephrem.
2. Gregorius Nicomed. Eiuſdem de conſtantia Deiparæ ad tumulum Chriſti.
1. Amedeus Lauſanenſis.

Gaudium in Chriſti Reſurrectione.

1. Amedeus Lauſan.
1. S. Anſelmus.

Dormitatio & Aſſumptio B. Virginis.

1. Melito Sardenſis.
1. Sophronius.
3. Andreas Cretenſis.
2. Ioan. Damaſcenus.
2. Germanus Conſtantinopol.
7. Hildefonſus.
1. Fulbertus.
1. Leo Imperator.
1. Theophanes.
1. Petrus Damiani.
4. Bernardus ſerm. 1. & 4. de Aſſumptione, & ſermo. in illud, *Signum Magnum*, & ſermon. de Natiuitate per mortem, ſiue de aquæ ductu.
1. Petrus Abelardus.
1. Amedeus Lauſan.
3. Guerricus.
1. Petrus Bleſenſis.
1. Adamus Perſennas.
1. Iſidorus Theſſalonic.
1. Innocent. III.
1. Laurentius Iuſtinianus.

De Euangelio, *Intrauit* IESVS *in quoddam caſtellum*, aptato Deiparæ.

1. Beda.
2. Theophanes.
1. S. Anſelmus.
1. S. Odilo.
1. Petrus Abelardus.
2. S. Bernardus.
1. Bruno Signienſis.
1. Guerricus.
1. Innoc. III.
4. Gabriel Biel.

TRACT.

TRACTATVS
DE PILEO,
CÆTERISQVE CAPITIS TEGMINIBVS TAM SACRIS quàm Profanis.

THEOPHILI RAYNAVDI,
SOCIETATIS IESV, *Theologi.*

IN EFFIGIEM D. DE MARIDAT, abſque Pileo, huic Opuſculo de Pileo, præfixam dùm primùm edebatur.

De tot honorificis Capitis, quæ pagina claudit,
Tegminibus, nullum clare Senator habes;
Nam vaſtum ingenium, ſpatioſáque gloria mentis,
Pileoli exiguo non valet orbe tegi.

A.S.C.

ALIVD.

Impoſuit Capiti nullam ſculptura coronam:
Nam malè tot meritum cingeret vna Caput.

B. D. S.

ALIVD.

Pileus eſt clipeus, Caput vndique muniat illis,
Quos tela inuidiæ non toleranda petunt,
Ingeniolorum MARIDAT dominatus in orbe,
Et ſupra Inuidiam, cur egeat clipeo?

I. D. C.

ALIVD.

Pileoli nulla in vultum diffunditur vmbra,
Sic candor animi & vera libertas patent.

C. D.

Aliud Anonymi.

Non potuit cœlum Capiti par addere tegmen,
Hoc Cœli effigiem perficientis erit.

VIRO

VIRO CLARISSIMO D.D.
PETRO DE MARIDAT, MAGNI CONSILII REGIO Pariſiis Senatori.

THEOPHILVS RAYNAVDVS E' SOC. IESV.

NON iſtud Opuſculum modò, ſed ſi quid à calamo noſtro recti vnquam profectum eſt, tuum omnino nexu ac mancipio, parum eſſet profiteri (Senator Integerrime) *ſi iis quæ in me contuliſti beneficiis, aliqua ex parte reſponderi à me poſſe aliquando ſperarem. Neque enim tantùm publicus omnium in te amor, quem vſque à puero, dum in hoc Lugdunenſi Collegio humaniorum literarum ſtudiis tenera tua ætas informaretur, mirabiter excitabas, & ſingularis animi propenſio erga te mei, pignus hoc amicitiæ à me iure quàm optimo exigebant; ſed quæ tua eſt humanitas ac morum ſuauitas amórque literarum, ceſſaſti nunquam ab eo tempore nouis me cumulare benefactis, iámque adultis virtutibus quorum olim ſemina emicuerant, magnorum virorum in te oculos atque admirationem conuertere. Nec in Vrbe modò ſapientiæ partus educas & foues, verùm etiam cùm languere ſtudia noſtra, in remotis hiſce & deſtitutis Mecænatum præſidio ac patrocinio Prouinciis, præſens aliquando oculis vſurpaſſes; quà laudibus, quà adhortationibus, & vbi è re fuit munificentia ac liberalitate adduxiſti me, vt mea quæ iacebant in ſitu ac puluere tuo iuſſu excuterem; fore enim æquiora aliquando tempora, & quorum vix exemplaria aliquot aſpirarant Pariſios, dum* ἀνεσπαρμένα *prodierant, ſi vnum in corpus compingerentur, apud eruditos aliquo numero futura. Specimen habes in hoc volumine liberatæ vaticiniorum tuorum fidei, & quæ tanto antè Augur mei amantiſſimus cecíniſti, animos porrò faciunt ad ea quæ mihi tam multa ſuperſunt, publicæ luci comparanda. Iſtud verò qualecunque de Pileo commentariolum, quod etiam me inſcio euulgari voluiſti, peccaret in amicitiæ, imò verò in iuſti officij leges, ſi aliò quàm vnde primùm emanauit, reditum ſibi eſſe ſuſtineret. Numeràs in generoſæ familiæ Nobili ſtemmate, illuſtria capita, omnibus Ciuilis ac Diuinique honoris notis inſignia, Magiſtratuum pileis, infulatorum diadematis coronata. Quid quòd debebatur maximè tibi hæc de Capitis humani integumentis Diſſertatio, qui eruditorum apex es, & diſciplinarum verticem attigiſti. Teſtis eorum omnium qui hac ætate florent in humanioribus literis, ſingularis in te cultus & obſeruantia, vt tua vti familiari conſuetudine certatim ambiant; Teſtis, Magnorum Virorum data vndecumque ad te Epiſtolæ; Teſtis denique, infinita librorum curioſorum ſuppellex quibus vndique conquirendis & in Muſæum importandis nec labori vlli, nec ſumptui à te parcitum eſt; id-*

que

quæ felici vſque eo ſucceſſu, vt priuatæ Perſonæ alicui rarò contigerit parem voluminum delectum; Principibus multis, vix maiorem Codicum breui temporè copiam parare potuiſſe. Scis quàm ex animo hæc à me commemorentur, qui ſi voluntati erga te meæ obſequi vellem, finem nullum dicendi facerem: nec porrò faciam, vbi in aliis, quæ ſuperſunt operibus noſtris locus erit ſignificandi tibi, ac eruditis omnibus gratam & immortalem tui amoris apud me vigere recordationem, Vale Lugduni 4. Calendas Octobr. 1662.

TRACTATVS DE PILEO, CÆTERISQVE CAPITIS TEGMINIBVS TAM SACRIS, QVAM PROFANIS.

ARGVMENTVM.

AD tegmina humani capitis exponenda & illuſtranda eo præſertim conſilio aggredi placuit, vt membri quod eſt in homine pretioſiſſimum & tutelam ſimul & ornamentum aperirem. Continetur autem ea tutela atque exornatio his tegminibus, vt proximè monſtrabo. Inter tegmina porrò prædicta peculiare nobis qui in Dei obſequio, titulo *Clericorum* meremur, geſtamen eſt quotidianũ & vſuarium, quo in templis, in ſcholis, etiam in foro cum publicè in Ordine Clericorum proceditur, teguntur capita: Pileum dico quadratum, cuius conſiderationi tantulam operam nauare quis improbarit? Pallium pereruditа lucubratione celebrauit Tertullian. occaſione accepta ex ſcommate quo togatus quiſpiam, ipſum Tertullian. palliatum notarat. Filius parentis qui calceariam factitarat, nuperrimè docta ſimul & amœna ſcriptione calceum exornauit. De re veſtiaria Romanorum, accuratæ complurium lucubrationes leguntur. Eandem ad ſacros homines reſtrictam, multi diligenter ſunt executi. Ius itaque nobis eſto de hoc veſtium veluti apice, pauca proponere. Et ſi vel aliæ defuiſſent cauſæ calamum ad hanc materiam admouendi, hæc poſſet idonea videri. Ne tamen ieiunior & hiulca inſtitueretur tractatio, repetito altius principio, de aliis & virilis & fœmineis capitis tegminibus, ſiue ſacris ſiue profanis, (quæ quidem verè tegmina ſunt, atque adeò coronis ſecluſis) diſſerere conſilium fuit. Argumentum hactenus intactum. Nam alio planè ſpectauit, ſcriptio Pandulphi Collenutij, cui titulum fecit, *Capitis & Pilei Dialogus*, vt eſt apud Lilium Gyraldum Syntagmate de Poëtis. Quæ fortaſſis illi cauſa fuit, de alta trabe obnuptum pendendi anno 1507. Improuidè enim communicaſſe viſus eſt, quæ caput eius, ſub pileo agitarat. Synopſim totius Tractationis habes pag. ſeq.

INDEX SECTIONVM QVÆ in hoc Opere continentur.

SECT. I. CAPITIS *in humano corpore dignitas.*

II. *Congruum fuiſſe tantæ dignitatis membrum contegi, ſiue ad tutelam ſiue ad honeſtationem.*

III. *De pileo naturali, vtrique ſexui æquè communi.*

IV. *De primo artificiali inter Chriſtianos capitis tegmine, æquè communi vtrique ſexui.*

V. *De Operimento capitis fœminei vniuersè.*

VI. *Sigillatim de profanis vſuariis capitis fœminei integumentis.*

VII. *Sigillatim de tegmine Capitis mulierum Deo deuotarum, & ſacrarum Virginum.*

VIII. *Integumenta profana virilis Capitis in vſu communi, apud varios varia.*

IX. *Tegmina capitis mundanorum faſtigiorum.*

X. *Pileus Doctorum.*

XI. *Integumenta capitis ſacrorum hominum apud Ethnicos.*

XII. *Tegmina capitis ſacrorum hominum apud Hebræos.*

XIII. *Quæ noſtrorum Pontificum, Cardinalium & Epiſcoporum capitis tegmina.*

XIV. *Pileus Sacerdotum & Clericorum.*

XV. *De Camelaucho & Cucullo Monaſtico.*

XVI. *De Galero Pontificia benedictione, initiato.*

XVII. *De Sudario capita mortuorum operiente.*

XVIII. *De tegmine capitis Sanctorum, cœlo illatorum.*

SECTIO

SECTIO I.

Capitis in humano corpore dignitas.

QVAM ob cauſam amputatis reliquis humani corporis membris benè multis, vita ſuperſtes ſit homini, reſecto autem Capite, abſque dilatione moriatur, rationem reddit D. Ambroſius lib. de Noë & arca cap. 10. quia [Non eſt eadem cæterorum membrorum prærogatiua, quæ Capitis: Ideóque abſciſſo eo, vnde ſenſus noſtri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur etiam omnia membra.] Idem lib. 6. hexaëm. cap. 9. in hanc rem egregiè. [Cognoſcamus (inquit) humani corporis fabricam, inſtar eſſe mundi. Siquidem vt cœlum eminet aeris, terris maria, quæ velut quædam membra ſunt mundi: ita etiam Caput, ſupra reliquos artus noſtri corporis, cernimus eminere, præſtantiſſimúmque eſſe omnium; tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autem hac, regalem quandam habitare ſapientiam, ſecundùm Propheticum dictum, quia *Oculi ſapientis in capite eius*. Hanc eſſe cæteris tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorem prudentiámque deferri. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, niſi Capitis velut Principis ſui imperialis quædam adminiculetur poteſtas? Ex hoc enim, aut deſtituuntur vniuerſa, aut omnia fulciuntur.] Quod S. Ambroſius humanum caput cum cœlo & arce componit, aſtipulatores habet alios. Cum cœlo ſuprema mundanæ huius fabricæ parte, Caput confert Artemidorus lib. 1. Oneirocr. cap. 37. & lib. 2. cap. 8. Fuerèque ex priſcis, qui *cœli* nomine Caput donarent, vt author eſt Euſtathius Iliad α. Ipſique Ægyptiorum ſapientes, humana ſpecie Serapidis ſimulachrum effingentes, cœlum ei imponebant pro Capite, vt idem teſtatur Euſtathius: quem Ioanni Grammatico Heſiodi interpreti in hanc rem adiungens Ludouicus Cœlius lib. 20. cap. 13. ita ſcribit. [Idem Interpres, (*Ioannes*) alibi. Olympus cœlum eſt, & vniuerſus mundi ambitus, quod vndique colluceat. Sed & cœli quadam ſimilitudine Sphæroides hominis Caput, in quo eſt τὸ ἐκλαμπτικὸν λογιστικόν; id eſt hinc inde eniteſcens rationis facultas, *Olympus* dicitur. Sed & in primum Iliados Euſtathius, *οὐρανὸν* apud Homerum, ab antiquis pro Capite accipi ſcribit. Proinde Pallada, è cœlo fingi deſcendiſſe.]

Quod prætereà Caput S. Ambroſius nomine arcis imperialis donabat, bellè confirmatur à Theodoreto ſerm. 3. de prouid. vbi de Capite ait. [Illud arcis inſtar in ſummo ciuitatis huius (humani nimirum corporis) faſtigio, ſitum conſpice, in quo opulentiſſimus quoque hominis theſaurus, nempè cerebrum, quaſi in munitiſſimo caſtro cuſtoditur.] *Capitolium humani corporis*, ſcitè Caput nominat Iſidor. Peluſ. lib. 5. epiſt. 149. tanquam arcem in corpore munitiſſimam. Hæc eſt arx ſublimis; in qua iuxta Lactantium lib. de opif. Dei cap. 8. mens hominis Imperatrix, ſedem fixiſſe videtur; quatenus ibi maximè oſtentat vim ſuam, per connexam ſibi in operando phantaſiam. Vnde Caput *κεφαλὴ* dictum, notat Ethymol. quod ſit potens in cætera corporis membra, & illis imperet. Hoc rurſus accipe ex S. Ambroſio capite illo 9. [Quid (inquit) ſine Capite eſt homo, cum totus in capite ſit? Cum caput videris, hominem agnoſcis. Si caput deſit, nulla agnitio eſſe poteſt; iacet truncus ignobilis, ſine honore, ſine nomine. Sola ære fuſa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore, ab hominibus adorantur. Non immeritò igitur huic quaſi conſultori ſuo, cætera membra famulantur, & circumferunt illud ſeruili geſtamine, ſicut Numen, atque in ſublime locatum vehunt. Vnde conſortia poteſtate, quò vult dirigit quorundam obſequia ſeruulorum, & præcepta ſingulis obeunda decernit. Videas Imperatori ſuo ſingula gratuito ſtipendio militare. Alia portant; alia paſcunt, alia defendunt, & miniſterium ſuum exhibent; parent vt Principi, ancillantur vt Domino. Inde velut quædam procedit teſſera; quam debeant pedes obire regionem, quæ militiæ munia manus conſummandis operibus exequantur; quam venter abſtinendi vel edendi formam, impoſitæ teneat diſciplinæ.] Inſigniter in hanc rem idem S. Ambroſius lib. de Arca & Noë c. 7.

Scripturas in eandem ſententiam, his verbis profert Clemens Alexand. 4. Strom. [Caput eſt quod principale, & quod principatum obtinet. Si eſt autem Dominus viri caput; mulieris autem vir; vir eſt Dominus vxoris, vt qui ſit imago & gloria Dei. Quocirca dicit etiam in Epiſtola ad Ephesios: *Subiecti inuicem in timore Dei. Mulieres ſuis viris ſubiectæ ſint, ſicut Domino; quoniam Vir eſt Caput mulieris, vt etiam Chriſtus caput Eccleſiæ; ipſe Saluator corporis. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto; ita etiam mulieres propriis viris in omnibus.*] Apertè loca Scripturæ quibus Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, & Vir caput vxoris, præferunt eam capitis poteſtatem imperialem, quam ex D. Ambroſio adduximus, & priùs etiam tradiderat Plato in Timæo illis in hanc rem illuſtribus verbis. [Eſt caput membrum corporis diuiniſſimum, reliquorum membrorum Princeps, cui totum corpus connexum, Dij ſubeſſe & parere iuſſerunt. Excogitauerant enim motuum omnium quotcunque eſſe queunt, compos id fore.]

An ob hanc ipſam rationem, cum cæteris humani corporis partibus varia minuta Numina eſſent attributa, capiti vt principaliſſimo membro dictus eſt præeſſe, præſes & caput Deorum Iupiter? Notauit hoc Fulgentius Placiades lib. 3. mythol. *in Peleo*. Quod enim Pelei & Thetidis nuptiæ, procreationem hominis ſignificarent, idcirco ex Democride in Phyſiologicis, cenſet Fulgentius Poëtam finxiſſe, Iouem eò aduocaſſe omnes Deos, vt eorum cuilibet certum fœtus membrum concrederet. Et ipſum quidem Iouem ſibi caput aſſumpſiſſe tuendum; aliis verò Numinibus, alia corporis membra adſcripſiſſe; Mineruæ oculos, Iunoni brachia, pectus Neptuno, cinctum Marti, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio. Adeun-

dus qui hoc minutiùs proſequitur Adrianus Iunius lib. 4. animaduerſ. cap. 2. Itaque per caput, tanquam per rem maximè ſacram, & ipſi deorum ſupremo addictam, receptiſſimum erat concipere iuramentum, vt Athenæus lib. 2. obſeruauit. Præſertim verò iuramentum per Principis caput, habebatur ſolemniſſimum. Quanquam deſpuendus eſt Iouius apud Zozimum lib. 5. qui ad æternum cum Alarico bellum, ſe obſtringens iuramento per Principis caput, ait huiuſmodi iuramentum eſſe firmius illo quod per Deum ipſum concipitur. Non refugiſſe ſane Chriſtianos, huiuſmodi iuramentum, & id pro magno iuramento habuiſſe, aciem mentis inter ſic iurandum dirigendo in Deum, habetur ex Tertulliano cap. 33. Apolog. reſpuente iuramentum per genium Cæſaris; approbante vero iuramentum per ſalutem, ſiue vitam, aut caput illius.

Manuducit hæc loquendi formula ad aliam, ex qua nobilitatem ac dignitatem capitis æſtimare facilè licet. Paſſim namque *Caput*, pro toto homine dicitur. Locutio eſt Græcis ac Latinis peruulgata. Græcis *charum caput*, pro amico, perperuum propè eſt. Latini *mille capita*, pro mille hominibus dicere ſoliti: & Tullius Philipp. 2. [Duo capita nata ſunt, poſt hominum memoriam teterrima & ſpurciſſima. [Congeſſit multa in eam ſententiam ex Latinis æquè ac Græcis Claudius Rangolius, 1. Reg. 15. v. 17. q. 8. & Lælius Biſciola 1. t. ſubſec. lib. 9. cap. 7 addens, frequens eſſe Græcis, & Latinis, ac Hebræis, vt quicquid principale ac ſummum in re quapiam eſt, *caput* dicatur. Qua ratione Tullius lib. 2. de offic. in omni procuratione negotij & publici muneris; *caput* eſſe ait, vt auaritiæ etiam minima ſuſpicio pellatur. Plato in Gorgia, *fabulis caput addere* dixit, pro eo quod eſt perfectionem ac conſummationem illis apponere. Apud Philonem lib. de ſacrif. Abelis & Caïni, *caput negotiorum* dicitur finis & perfectio eorum. Delrio in hanc rem plura ſuppeditabit adagiali 87. vet. Teſt. quem adeat qui hæc Grammaticalia captat.

Mihi ſatius videtur, præcellentiam Capitis humani ſupra omnia membra, colligere ex eminentia & ſupremo in homine ſitu, ac ex illis quæ continet. Fiat in eo eſt ſedes ſenſoriis omnibus, quæ nuſpiam alibi ſimul locum habent. Imo alibi ſolus tactus, qui omnium ſenſuum craſſiſſimus & maximè materialis eſt, reperitur, quia ob vitæ indemnitatem negari non potuit. Inhabitant in capite artes omnes, ex Hippocrate epiſt. ad Philopœmenen. Leguntur in eo omnes affectus, iuxta illud Fabij XI. Inſtit. cap. 3. [Præcipuum in actione, ſicut in corpore ipſo, caput eſt, cùm ad decorem, tum etiam ad ſignificationem decoris. Illa ſunt, vt ſit primò rectum & ſecundùm naturam. Nam & deiecto humilitas, & ſupino arrogantia, & in latus inclinato languor, & prædnro ac rigente, barbaria quædam mentis oſtenditur.] Vita vniuerſa per caput diſpenſatur, & ea eo pendet. Itaque Lactantius 6. inſtit. cap. 9. demonſtrans omnes virtutes morales abſque vera religione & fide inanes eſſe; & cætera iuſtum, ſi id deſit, non viuere vita iuſtitiæ, ſic diſſerit. [Omnis iuſtitia eius, ſimilis eſt corpori caput non habenti, in quo tametſi membra omnia & locis ſuis conſtent, & figura, & habitudine; tamen quoniam deeſt id quod eſt omnium principale, & vita & omni ſenſu caret. Itaque membra illa formam tantummodò membrorum habent, vſum non habent; tam ſcilicet, quàm caput ſine corpore. Cui ſimilis eſt, qui cùm Deum non ignoret, viuit iniuſtè. Id enim ſolùm habet, quod eſt ſummum, ſed fruſtra; quoniam virtutibus tanquam membris eget. Itaque vt ſit viuum, ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt, quaſi caput; & omnes virtutes, quaſi corpus: ita fiet homo perfectus, ac viuus. Sed tamen ſumma omnis, in capite eſt, quod quamuis conſtare non poteſt ſine omnibus, ſine quibuſdam tamen poteſt. Et erit quidem animal vitioſum ac debile, ſed tamen viuet: ſicut & is, qui & Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque ſine membris aliquibus, viui poteſt, ſine capite nullo modo.] Apertè ſupponit in hac ratiocinatione Lactantius, vitam vniuerſam à capite eſſe, nec niſi eo incolumi poſſe conſiſtere. S. Chryſoſtomus homil. vltima in 2. ad Theſſalon. expendit præcellentiam capitis ex directione quam debet corpori vniuerſo. Vnde vrget virum vt vxorem corrigat cum ſit eius caput. [Caput es vxoris, (inquit) corrigat ergo caput reliquum corpus. Non vides quomodo caput, non tantùm loco ſupra reliquum corpus emineat, quantum prouidentia, quaſi gubernator quidam, totum ipſum corrigens? Nam in capite ſunt tam corporis, quàm mentis oculi. Illinc dimanat iſta videndi vis, illinc tactu. Et reliquum quidem corpus ordinatur ad miniſtrandum, caput verò ad imperandum, eſt poſitum: Omnes ſenſus illinc initium habent & fontem. Organa vocalia illinc prodeunt, videndi vis, vis odorandi, & omnis tangendi virtus. Etenim neruorum radix & oſſium, illinc conſiſtit. Vides quod caput, prouidentia magis quàm honore excellat.]

De Capitis dignitate, & micante in eo Dei ſapientia, vide alia in ſcalis à viſibili creatura ad Deum, gradu XI. Videndi inſuper Riolanus lib. 4. Anthropographiæ cap. 1. Tiraquellus ad lib. 2. Genial. cap. 19. *initio*, & Commentar. in Conſuetudines tit. 3. §. 9. gloſſ. 4. Creſolius 2. vacat autumn. cap. 1.

SECTIO II.

Congruum fuiſſe, tantæ dignitatis membrum contegi, ſiue ad tutelam, ſiue ad honeſtationem.

QVanti ſit in homine, caput, conſtat ex dictis. Indidem verò eruendum eſt, conſentaneum fuiſſe, vt membrum adeò nobile ſubduceretur iniuriæ, adhibito operimento, ſine quo malè affici faciliùs poſſet, & incommodis patere. Et vt per oſtium neceſſitatis ſubiuit gloria, iuxta egregiam Gregorij Nyſſeni ratiocinationem homil. 3. in Eccleſ. & orat. de mortuis; par fuit, integumentum eſſe, quod honeſtando item capiti, ſuum vſum haberet.

Aduerſùs

Aduerſùs primum finem adhibendi operimentum capiti, quo foueretur & prohiberetur iniuria, videtur adduci poſſe frequens olim vſus (teſte Polydoro lib. 3. cap. 18. habendi ſemper caput intectum. Sic Ægyptij, tantùm in grauiſſimo luctu operiebant capita. Extra eum euentum nudi erant, vt eſt apud Herodotum lib. 3. *Sub initium.*

Iudæi in mœrore, operiebant caput; non quomodocunque, ſed illud obuoluentes vndique, lacinia togæ ab humeris reducta. Et ſic opertus inceſſit Dauid, Reg. 15. fugiens truculentiam Abſalonis. Item in ieiunio, quia lugebant, operiebant capita, iuxta illud. *Operui in ieiunio animam meam.* In mœrore item, ob defectum longum pluuiæ, Iudæi Ierem. 14. operuerunt capita. Reliquo tempore, nudis erant capitibus, vt contendit Sanctius Actor. 19. n. 10. & Sophronius digreſſ. de re veſtiar. Iudæo diſp. 2. cap. 1. §. 1. refragante licet Abulenſi in cap. 13. Leuit. q. 10. qui paſſim, & in communi vita Hebræos) vti nobis nunc ex vſu eſt) inceſſiſſe tecto capite exiſtimauit; allegans quod Leproſi vetarentur capita operire Leuit. 13. & quod ſummus Sacerdos ibidem cap. 21. caput aperire vetaretur. Quæ peculiares prohibitiones, viderentur ſuperuacaneæ, ſi Iudæi omnes in communi vita habuiſſent intecta capita. Quanquam apertio capitis ſuper mortuo, vetita Sacerdoti, intelligitur de taſura. Cæteræ verò rationes, tantum probant, in certis occaſionibus, Hebræos togam ad ceruices adhærentem, tegendo Capiti adduxiſſe, etiamſi vt plurimùm, eſſent intecto Capite, nec vllum haberent certum ac determinatum operimenti genus, Capiti duntaxat tegendo addictum, non galerum, non pileum, non aliud quidpiam tale. Erant ergo nudi Capite, vt plurimùm, in vita communi. Neque enim Capitis nuditatem excludebant teniæ illæ ſiue vittæ quibus fluentem cæſariem extra luctum coërcebant & religabant, non fœminæ tantùm, ſed & viri. Erant enim admodùm anguſtæ, putà minimi digiti latitudine, & in modum coronæ cingentes Capita, ad capillos circum tempora coërcendos. Vnde quia tempore luctus, vel tondebatur coma, vel ſinebatur fluere, dicebatur deponi corona. Et idcirco Ezechiel 24. vbi Deus vetat lugeri mortuos quos ipſe lethi daturus erat, ſic habetur. *Fili hominis, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ. Ingemiſce tacens, mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua ſint in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Et mox ad omnes, ipſe Ezech. *Filij veſtri, & filiæ, gladio cadent, & facietis ſicut feci, ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis. Coronas habebitis in Capitibus veſtris, & calceamenta in pedibus, non plangetis, neque flebitis.* Quia vetabat luctum ſuſcipi, vetat præter cætera luctus argumenta, deponi coronam Capiti circumligatam, id eſt tæniam ſeu vittam tenuem, quæ pro tenuitate non obſtabat nuditati Capitis, in communi Hebræorum vſu receptæ, vt aſſerebã: Emanuel quidem Sa, ad prædictum locum Ezechielis, cenſuit apud Hebræos in luctu, verbi gratia, deflendo mortuos, fuiſſe Hebræis in more, aperto Capite & nudis pedibus eſſe. At Bellarminus, prolatis variis ſcripturis, puta 2. Reg. 15. & Eſther. 6. ac Iſaiæ 58. confirmat, Hebræos in luctu operuiſſe Capita, & quidem arctè & validè appreſſo tegmine. Hoc enim eſt quod ait, voluiſſe Iſaiam cum dixit loco annotato; *Nunquid hoc eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum Caput ſuum?* Hanc Capitis contortionem quaſi circulum, putat Bellarminus, aliud non eſſe quàm operire vndique Caput, & tegmen arctè conſtringere. Idem volebat Dauid Pſalmo illo 68. cum dicebat, *Operui in ieiunio animam meam*; id eſt operui me, & texi Caput ieiunando. Hebræa habent, *Fleui in ieiunio animam meam*, id eſt adhibui luctus ac fletus ſignũ, operiens Caput; Sicque LXX. intellexerunt Hebræam vocem *flendi*. Nam ſæpè verbum *flendi* ſumitur pro fletus ſignificatione, ſiue pro nota luctus & doloris. Vt cum Ægyptij Geneſ. vltimo, dicuntur fleuiſſe Iacobum 70. diebus: quod Sanctus Hieronymus rectè accipit de ſignis luctus, per totum illud tempus adhibitis. Ratum igitur eſto, Iudæos in luctu & mœrore operuiſſe Capita, quamuis in communi vſu nudarent Caput, vt affirmabam.

Apud alias nationes, idem vſus frequens erat. De Annibale, Catone Vticenſi, & Maſiniſſa, notatum eſt, quantacunque cœli inclementia vrgeret, nunquam operuiſſe Capita. Idem paſſim ſeruaſſe Græcos, obſeruauit Turnebus lib. 8. aduerſ. cap. 4. Idipſum de Romanis docet Kirchmanus lib. 2. de funer. cap. 1. Sophronius tract. de re veſtiaria Hebr. diſput. 2. cap. 1. §. 2. & Lipſius lib. de Amphit. cap. 19. qui excipit paucos euentus tantùm, putà Sacrorum, Ludorum, Saturnalium, Peregrinationis, Militiæ. De Saturnalibus Turnebus 8. aduerſ. cap. 4. accipit Martialem lib. 11. epigr. 7. vocantem, *Romam pileatam*. In luctu item, operta fuiſſe Romanorum Capita, docet fortè illud Perſij Satyr. 5.

Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

Alia lectio probata Schagkio in præmeſſis Epiſtola 10. habet, *Capite obnupto.* Eodem referri poteſt, obnuptio Capitis ſuſpendendorum infelici arbori, vt loquitur Liuius lib. 1. memorans legem horrendi carminis. Et quanquam Tullius orat. pro Rabirio, id antiquatum docet, vnde Verrina V. crimini dat Verri, quod ciues Romanos obuoluto capite ad ſupplicium abduci mandaſſet, tamen in Inſtitutis viguit vſus, qui item in aliis luctuoſis functionibus tenuit; vt cum quis pro Republica ſe deuouebat & ruebat in mortem, velato Capite id faciebat, vt eſt apud Tullium lib. 3. de natur. Deor. & apud Liuium lib. 8. Tribunos item plebis, bona alicuius damnati conſecrantes, Caput velabat tanquam in re luctuoſa. Videſis Tullium orat. pro domo ſua. In vere quod ſacrum vocabant, & cæde omnium proximo vere natorum peragebatur, puerorum & puellarum velabant capita, ſicque extra fines ſuos exigebant, ſubducta majori crudelitati hoc eſt morti, vt Feſtus tradit & benè illuſtrat Pithoëus lib. 1. aduerſ. cap. 6. Hæc ergo omnia, quod luctuoſa & triſtia eſſent, adhibita Capitis velatione peragebantur apud Romanos, & manauit in Romanorum vſus in Luctu, ad pleroſque. Exemplum luculentum legitur apud Gregorium Turonenſem in vitis Patrum cap. 6. *in fine.* Ait enim mortuo S. Gallo

Epiſcopo Sanctiſſimo, Armenenſes viros, operuiſſe capita vt in morte vxorum.

Sed vt ad Romanos regrediar, quamuis in luctu, & aliis occaſionibus ex Liuio ſignatis, operirent capita; extra eos tamen euentus erant intecto capite. Quæ poteſt eſſe idonea conciliatio diſſidij quòd ea in parte agitat Pancirolus cap. de Fibula Tomo 2. qui eſt deperditorum.

Æquè primos Chriſtianos, intecto capite exhibet Lucianus in Philopatore. Et perſuaſum ſanè pleriſque olim fuit, apertione & nuditate conciliari Capiti firmitatem, quod ex Varrone habet Plinius lib. 28. cap. 6. & egregiè aſſeritur ex Syneſio in diſputatione pro Caluitio; qui euincit, Capita excæſariata firmari & obdureſcere; comata autem molleſcere ac imbecilla reddi. Id quod multò magis valet de capitibus artificioſo tegmine ſupra naturale capillorum operimentum obducta. Vnde Herodotus lib. 3. Perſarum obtecta Capita, adeò fragilia fuiſſe tradit, vt iacto lapilli pertunderentur: contra quam deprehenſum eſt accidere Ægyptiorum Capitibus à pueritia apertis. Videbantur enim ærea aut ferrea. Hæc ſunt quibus primus illeſinis tegendi humani Capitis, quæri videtur.

Negari tamen non poteſt, quin nuditas Capitis ei plurimùm incommodare poſſit. Nam idcirco non pauci, etiam cum vſus nudandi capitis vigeret, neceſſitate adacti, adhibebant Capiti integumentum. Notauit hoc de Auguſto Suetonius cap. 82. Hippocratem, eam ob cauſam pileatum expinxit vitæ Auctor, quanquam non me latet, varietas placitorum de eo Hippocratis pileo, obſeruata à Pierio lib. 40. Sed quòd diat, eſt veriſimillimum. Periclem à capite ſupra modum acuto, dictum χοινοκέφαλον, produnt pileo vti ſolitum, quo Capitis incommodum arceret. L. Tarquinius pileum ab aquila ereptum, & altè ſubuectum, mox verò Capiti reſtitutum, habuit pro regni omine, vt narrat Dionyſ. lib. 3. habebat ergo pileum. Nummos quibus Conſtantinus Caput obuelatus exhibebatur, refert Euſebius lib. 4. vitæ cap. 7. de pleriſque gentibus idem contra Polydorum notat Brodæus lib. 8. miſcell. cap. 17. Quæ omnia docent, etiam cum vſus nuditatis Capitum vigebat, fuiſſe qui ad fouendum Caput, illúdque incommodis grauibus ſubducendum, adhiberent integumentum. Idque demum in vſum communem tranſiit; ita vt extra ſacra, aut niſi debita alteri cui quis aſter veneratio, ſecus ſuadeat, Caput ſit opertum atque contectum.

Aio, in ſacris ex vſu communi nudari Capita, quod intelligo de vſu Chriſtiano. Nam apud Romanos olim, & apud Hebræos, ſecus erat. Romani omnibus falſis Numinibus ſacrificabant operto Capite, prætterquam Saturno & Honori, ac Herculi. Cauſas veſtigat Plutarchus quæſt. 11. & 13. Romana. In aliis ſacris operti capite erant. Et ex eo vſo, apud Minutium in Octauio, ſic legitur. [Nudi cruda hyeme diſcurrunt, alij incedunt pileati, ſcuta vetera circumferunt, pelles cædunt, mendicantes vicatim Deos ducunt.] *Tutulum* dictum illud Capitis operimentum, à Sacerdote ſacrificante adhibitum ex Numa Pompilio in Pontificalibus, notat Fulgent. lib. de vocibus antiquis V. *Tutulus*. Alia addit Gyraldus ſyntag. 17. Hiſtor. Deor. & Interpretes ad illud 3. Æneid. quo Helenus Æneam monebat, vt tranſgreſſus æquora, poſitis aris, meminiſſet.

Purpureo velare comas adopertus amictu.
Ne qua inter ſanctos ignes, in honore Deorum.
Hoſtilis facies occurrat.

Et ad illud,

Et Capus ante aras, Phrygio velatus amictu,

Lucretius lib. 5. eodem reſpexit cum dixit,

Nec pietas vlla eſt, velatum ſæpè videri,
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas,
Ante Deûm delubra.

Velatum ibi, non refertur ad lapidem, ſed ad perſonam velatam, quæ versùs lapideum ſimulachrum velata vertebatur. Videndus Liuius lib. 23. cum de Manitio Præneſtinorum Prætore. Idem lib. 10. [Si conſpiciatur cum capide ac lituo, Capite velato victimam cædat.] Varro lib. 4. de lingua Lat. *Ricam* ait, à *ritu* dictum, quòd Romano ritu, fœminæ, ſacrificium cum faciunt, Capita velent. Apud Propertium libro ſecundo eleg. 29.

Ante tuóſque pedes illa ipſa adoperta iacebit.

Apud Plautum in Amphytr. actu 2. ſc. 2. ab Alcmena parturiente, Dij operto Capite inuocantur: & apud eundem in Curcul. actu 3. ſc. 1. Vnus quiſpiam, operto Capite Æſculapium ſalutat. Alopſius Vates apud Valerium Flaccum lib. 5. Manes venerando, Caput obnubit. Et quia hic erat mos patrius Romanorum, Macrobium I. Saturn. cap. 10. ritum ſacrificandi Saturno, aperto Capite, vocat *inſtitutum peregrinum*. Et libro primo Saturn. cap. 8. ac lib 3. cap. 6 vocat eum ritum *Græcanicum*, à Romano quo ſacrificantes & orantes Capita operiebant, diſcrepantem. Nam Itali, Authore Ænea, operiebant Capita in religioſis functionibus, vt eſt apud Aurelium Victorem in Breuiario Rom. Hiſtor. ac apud Feſtum V. *Saturnia*. Nec aliter accipio, quod eſt apud Sanctum Cyprianum initio libri de Lapſis, vbi deſcribens conſtantiam Sanctorum Confeſſorum, qui in tormentis fortes perſtiterant, & vrgentibus Ethnicis nunquam aſſenſi erant vt ſacrificarent, ſic habet. [Illuſtres manus, quæ nonniſi diuinis operibus aſſueuerant, ſacrificiis ſacrilegis reſtiterunt. Sanctificata ora cœleſtibus cibis, poſt Corpus & Sanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. Ab impio ſceleratóque velamine quo illic velabantur ſacrificantium Capita captiua, Caput veſtrum liberum manſit.] Singulare eſt, quod velamentum quo Caput operiebatur inter ſacrificandum fidei, erat ex panno albo, vt notat Acron ad Odam 35. libri primi [iuxta Seruium in Æneid. manus obducebatur panno albo.) Factum id, inſinuando albori & puritati, quò pertinere poteſt illud Symmachi lib. 4. epiſt. 42. [Alba velamina, vno ſegmentati amictus, fidem veſtiant.] Liquet de vſu Romanorum in operiendis Capitibus inter ſacrificandum & orandum. In quam rem plura addenſat Schegkius in Præmiſſis Epiſtola X. & Briſſonius lib. 1. *pag. mihi* 40. Idem ab Hebræis ſeruatum, affirmabam. Turpe enim ac probroſum ducebant, orando aperire capita: idque ab Hebræis hauſtum, in vſu eſſe apud

Turcas

Turcas, ſcribit Giergiouitz lib. 5. de Ceremon. Turcar. cap. 6. de Hebræis latè id proſequitur Abul. in cap. 13. Leuit. poſt q. 10. cum de leproſi Capite nudando. Obſeruat enim, Hebræos cum alibi, tum maximè in templo, inſtantes orationi, velaſſe Capita, opertus capitiis: id quod eos feciſſe docet imitatione Moſis, non audentis aſpicere contra Deum, ad ſubi conſpectum, & idcirco abſcondentis faciem ſuam tegendo Caput caputio. Sacerdotes quoque, idcirco ait Abulenſis habuiſſe varia Capitis tegumenta, quæ ibi deſcribit minutatim, vt ſacris operando ſemper haberent Caput velatum, quod colligit ex cap. 28. & 29. Exodi.

Cauſam huius ritus, ſunt qui ad reuerentiam, ac veluti verecundiam comparendi coram Deo, reducant. Quod enim notauit Braſſicanus in adagiorum farragine, Capitis operimentum, nota eſt puduris. Qui enim verecundantur, (vt Theophraſtus in characteribus dixit) faciem & Caput operiunt. Vnde apud Plautum non vno loco, frons perfricta & inuerecunda ſignatur his vocibus, *adeò nudo & aperto capite*. Et in conuiuio Alcinoi Odyſſeæ β Vlyſſes canentem Demodocum audiens, præ verecundia Caput operit. Et apud Arbitrium inuenis, *Execratus anicula inſidias Caput operui*. Socrates apud Platonem in Phœdro, ad parum pudicam orationem, Caput operit; quem locum notauit Antonius Iulianus Rhetor apud Agellium lib. 19. cap. 9. Helenam verecundantem, Q. Calaber lib. 14. paralipom. Caput operientem inducit. In ipſa deniquè diuina Scriptura, quod Cherubin ſuam ad Deum reuerentiam faciei operimento teſtantur, ad totius Capitis obnuptionem pertinet. Atque ita Hebræam vocem *Panaſ*, accepiſſe videtur Chaldæus Iſaiæ 6. & paſſim Patres ac Interpretes, operimentum Capitis Seraphinorum, ad verecundiam eorum de ſuo imperfecto in Deum affectu, referunt, & ad metum reuerentialem, quo aſtantes tantæ Maieſtati corripiebantur. Similiter ergo poſſumus philoſophari de ritu operiendi Capita inter orandum, apud Hebræos recepto. Nec multum abeſt, quod eum ritum Abulenſis ſupra, refert ad ſubiectionem & timorem; quorum index eſt Capitis velatio; habere enim ſupra Caput aliquid, eſt ſignum ſubiectionis ac metus. Vnde Apoſtolus, velamen Capitis, vocat *poteſtatem*, quia eſt nota timoris & ſubiectionis, quæ ſpectabant ad legem Moſaïcam in timore & ſubjectione conſtitutam. Nec minùs commodè S. Epiphanius Hær. 80. *quæ eſt Meſſalianorum*, indictum Iudæis, in ſacris operimentum Capitis, refert ad Chriſti Capitis noſtri obductionem reſpectu Hebræorum. Neque enim patens illis & manifeſtus erat Chriſtus, vt hodie eſt: idcircóq; lectori Moſis libros, velabant Capita.

Nunc è contrario, orantes & ſacrificantes, Caput aperimus; nam lex noua, eſt lex perfectæ libertatis, vt Iacobus cap. 2. vocauit, nec timore, ſed amore ducimur: quam duorum Teſtamentorum differentiam, ipſis *Eccleſia* & *Synagoga* vocibus inſinuatam, S. Auguſtinus frequentiſſimè agnoſcit. Idcirco ſacrificamus & oramus nudatis Capitibus. Ago de Catholicis. Nam Armenij, qui communi amictu ſacrum faciebant, attendendi non ſunt. [Eorum Epiſcopi, (inquit Iſaac in 2. aduerſus eos Inuectiua, hæreſi 25.) ac Præpoſiti, nedum ſacris operando Caput tectum habent; ſed & inter celebrandum, duplex Capitis operimentum aſſumunt; ſicque duplici pileo rem ſacram peragunt.] Catholici è contrario ferè omnes, præ reuerentia nudant Capita ſuper ſacrificium. Nec poteſt opponi poſitio amictus ſuper Caput ſacrificantis. Nam amictus ſuper ea Caſulæ reuoluitur, vt notauit Rupertus lib. 1. de diu. offic. cap. 19. Tametſi primò ſuperponitur Capiti, quia ſpineam Domini coronam exhibet. Idque ſpectantem Epiſcopum Alexandrinum, cum aliis quibuſdam Epiſcopis; ſacrificaſſe tecto Capite, ſcribit Simeon Theſſalonicenſis; affirmans, viſos ſibi ea ratione meliùs repræſentare ſpineam Domini coronam, vel ſudarium quod fuerat ſuper Caput eius. Et de his valet quod Alcuinus lib. 1. de diu. offic. cap. 38. ait, Græcos inter ſacrificandum geſtare pileos, ſeu *Caphias*. At è contrario Simeon Theſſalonicenſis ait, toto Oriente, (iis paucis quos referebam exceptis,) omnes Epiſcopos & Sacerdotes, aperto Capite ſacrificare, vt iuxta Paulum honorent Chriſtum Caput ſuum. Et quia par eſt, inter ſacrificandum, eſſe eo habitu quo quis inauguratus eſt, Atqui is qui conſecratur, accipit conſecrationem Capite denudato, præſertim Capite denudato, præſertim Hierarcha, cui in conſecratione Caput nudatum habenti, liber Euangeliorum ſuperponitur. Is vſus eſt toto Occidente ſacerrimus; ita vt ne pileolum quidem inter ſacrificandum geſtare liceat, vllàve id conſuetudine præſcribere, quæ potiùs vetuſtas erroris dicenda eſt, quàm conſuetudo, vt benè ex S. Cypriano Epiſtola ad Pompeium, dixit Franciſcus Meinardus diſputatione de Iuribus Epiſcoporum *pag.* 59. agens contra perpaucos quoſdam, etiam inter conſecrandum Capite obnolutos; haud dubie pileolo ignobili. Neque enim qui ſutiles ac textiles (vt Tertullianus loquitur l. de cultu fœmin. cap. 7.) alienı Capitis exuuias Capitibus ſuis ſupparant in galeri modum, quaſi vaginam Capitis, & operculum verticis, (*Calceum Capitis*, quod ex corio fiat, appellat Martialis lib. 14. epigram. 45. alias 37. Vulgò *Perruque*) iubentur illud Capitis operculum ſacrificando deponere, cum vnum moraliter faciat cum Capite, nec à coma natiua internoſcatur; contra quàm accidit in calotica ſiue pileolo, cuius idcirco vſum ſuper ſacrificium Eccleſiaſtica decreta planè vetant, vt refert Gauantus in Comment. ad Rubr. Miſſalis p. 2. titulo 2. Vndè tametſi olim ad celebrandum ex cauſa cum pileolo, ſat erat neceſſitas celebrantis, abſque alia licentia, vt vult Vgolinus de poteſt. Epiſcopi cap. 16. §. 2. num. 3. ſaltémque ſufficiebat facultas Epiſcopi, aut facultas Superioris, ſi ageretur de Regularibus: iuxta tradita ab Henrique lib. 9. cap. 29. num. 2. & à Laymanno tract. 5. cap. 6. num. 6. tamen nunc, facultas diſpenſandi, vt ſacrificetur cum pileolo, eſt ſolius ſummi Pontificis. Notatque Scortia l. 3. de Miſſa c. 4. Gregor. XIII. ægre diſpenſaſſe cum Nicienſi Epiſcopo, vt excepto Sacro Canone, poſſet eſſe opertus pileolo, reliqui ſacrificij tempore. Excutit latè hoc ius nouum, Aonellus Perſic. l. 1. de præcipuo Sacerd. Offic. c. 5. dub. 8.

Pijs fidelibus ex vſu olim fuiſſe, pileolum deponere ad recitationem Euangelij, colligo ex

Hildeberto

Hildeberto in opere metrico de ſacrificio Miſſæ, qui veniens ad ritum recitandi ſuper ſacrum Euangelij, ait.

Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque Caput.

Tres attingit vno verſiculo ſacros vſus, in reuerentiæ notam adhiberi ſolitos ad Euangelij lectionem, poſitionem baculorum, ſtationem, & Capitis retectionem. Poſitio ſiue abiectio baculorum, vel ſpectat depoſitionem enſis per accinctos, vti nunc aſſolet cum acceditur ad tribunal pœnitentiæ, vel ad ſacram menſam: Nam præ reuerentia, & ad teſtandam ſubiectionem, qui accincti ſunt, ponunt gladios; quos non eſt nouum *dici baculos*; cum plerumque vagina, & operimentum externum enſis intus abditi, ſit baculus viatorius, qua de re alibi ex Martiale, ipſoque Christo vetante vſum huiuſmodi virgæ ſeu baculi, enſe intus abdito velut grauidi, cum ſimplicis virgæ vſum alibi concedat Apoſtolis viatoribus: vel certè poni baculos cum audiebatur Euangelium, erat, baculum materialem qui ad manum alicui eſſet, deponere ad ſignificandum non eſſe opus alio præſidio, homini qui Euangelio auſcultaſſet. Addit Hildebertus ſtetiſſe populum. Aſſurgimus enim audientes Euangelium, ad obedientiæ ſignificationem: idque feciſſe etiam Regem & ſimul depoſuiſſe diadema, S. Chryſoſtomus teſtatur homil. in illud, *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Stare enim, eſt expectantis natum mandantis heri: quanquam ſtabant fideles incurui ac cernui, vt eſt apud Anaſtaſium 1. Decretali prima, & Pamelius in Liturg. initio quinti ſæculi, rectè illuſtrat. Retectio denique Capitis, non erat ſubmotio galeri, qui in ipſo Eccleſiæ ingreſſu ſubmouebatur, multo magis inter audiendum ſacrum. Erat ergo retectio Capitis, depoſito pileolo. Nam ſi coram Rege Caput adeò nudandum eſt, vt ne pileolos quidem contegens ſuperſit; quanto magis coram Deo cuius vox eſt Euangelium, & qui adeſſe cenſetur, vbi adeſt Codex Euangeliorum, vt docebat ritus antiquus locandi ſuper throno exquiſitè ornato Codicem Euangeliorum in media Concilij aula; in ſignum præſentis & Concilio præſidentis Chriſti; quod in Concilio Epheſino ac Florentino ſeruatum conſtat. Retegebat ergo Caput ſubmoto pileolo plebs fidelis, cum Euangelium legebatur, aſtans venerabunda, & ſubiectionem ſuam teſtans Chriſto Regi ſuo, quaſi præſenti; idque volebat Hildebertus. Quare multò minùs, Sacerdotem ſacro operantem cum verbis Chriſti vtens, ipſius Chriſti Corpus conficit, obitque tremenda & horrenda myſteria, fas eſt pileolum Capite præferre, ſed nudandum eſt Caput in ſubiectionis & reuerentiæ teſtimonium. Et ita accipienda eſt mandata ſacris myſtis apertio Capitis ſuper ſacrificium.

Fuiſſe hunc quoque vſum Græcorum Ethnicorum, vt ſacrificarent aperto Capite, ſcribit ex Varrone Gyraldus Syntag. 17. hiſtor. Deor. In ara maxima idem à Romanis ſeruatum, habet Macrobius lib. 3. Saturn. cap. ex Bilbo. Et rationem addit C. Baſſus, quia ara maxima ante aduentum Æneæ in Italiam conſtituta erat; ante quod tempus ex vſu erat ſacrificare aperto Capite; quod ab Ænea primùm, aiunt immutatum, ne in agri Laurentis parte ſacrificans ab hoſte perceptus abrumpere ſacrificium cogeretur. Alij id referunt ad habitum ſimulachri, quod in ara maxima erat Capite operto. Ne igitur qui ibi ſacrificabat Numen æmulari videretur, aperiebat Caput præter morem alibi receptum ſacrificandi operto Capite. Sed ritus Romanis antiquiores in Italia, aliud ferebant; & aliud item (vt dixi) habuit vſus Græcorum, qui ſemper erant aperto Capite inter ſacrificandum. Vtique ad teſtandam Numini ſubiectionem in ſacrificio quod ad ſupremæ Dei poteſtatis recognitionem dirigitur. Ac proinde qui illud obit, eo debet eſſe habitu, qui reuerentiam præferat, qualem ex communi ſenſu præfert Caput apertum.

Erat hæc (vt præmittebam) altera occaſio aperiendi Caput: ad venerationem quippè pertinere viſum eſt, tam nobilis membri nudationem. Verum eſt, hunc vſum non vbiuis olim viguiſſe, aut etiamnum vigere. Nam alicubi ad teſtandam venerationem, non aperiebatur Caput, ſed Caput contectum inclinabatur, vel corpus vniuerſum, Capite aperto incuruabatur. Alibi oſculum manui imprimebatur; de quo vſu Pithœus 1. aduerſ. cap. 7. Sinæ, frontem humum feriunt, ex antiquo in hanc rem apud eos more. Caput autem aperire, apud eos nefaſtum eſt, nec niſi iis qui ad ſupplicium rapiuntur, aperiunt Capita. Vnde qui ex eis fidem Chriſtianam ſuſcepere, tunc tantùm Capita aperiunt, cum ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt, vt criminoſos ſe fateantur; aliàs autem operto ſunt Capite. Et cum apud eos incongruentiſſimum eſſet, Sacerdotem ſacrificantem eſſe aperto Capite, exoranda fuit facultas à Summo Pontifice Paulo V. vt fas eſſet tecto Capite ſacrificare, qua de re inferiùs, cum de pileo quadrato. Iapones pedem calceo exuunt ad teſtandam venerationem non item Caput. At Romani, quod notauit Alciatus lib. 8. parergon cap. 10. ſi tecti Capita in virum honoratum incurrerent, ea aperiebant. Idque Syllam erga Pompeium ſolum ſeruaſſe, Saluſtius in fragmentis eſt Author, & Plutarchus in Cauſis. Nimirum ſigna reuerentiæ & honoris, cum ſint ex inſtituto, poſſunt variis locis ac temporibus varia eſſe, imò pugnantia. Vſus tamen aperiendi Capitis ad teſtandam venerationem, videtur admodùm congruus; quandoquidem membrum principaliſſimum hominis, veluti exponitur ad nutum eius qui honore dignus cenſetur.

Extra binas occaſiones propoſitas, (ſacrorum inquam, & venerationis deferendæ) vſurpatum iam olim meritò eſt; vt Caput tegeretur, ad tam pretioſi membri conſeruationem atque tutelam. Et ita primùm circa puſiones ac infantes factum, appoſito Capitibus eorum cucullo, qui poſtea adhibitus eſt erga Monachos, vt docerentur infantilem ſimplicitatem ac innocentiam cuſtodire, vt philoſophatur Caſſianus lib. 1. de inſtit. cap. 4. & S. Dorotheus doctrina 1 n. 17. adducendi infra ſectione 14. vbi etiam alia de hoc tegmine proferemus.

Per occaſionem neceſſitatis tegminum Capitis, ad tam nobile membrum fouendum atque tuendum, aiebam acceſſiſſe pleraſque honorificas teſſeras, tegminibus illis aſſutas aut impoſitas;

tas ; vnde decus & honeſtatio Capitis in vſu omnium ferè gentium. Et ſanè honoris inſignia nullo corporis membro præferri conuenientiùs poſſunt, quàm Capite ; quod & membrum nobiliſſimum eſt, & eminentiſſimum, atque adeò maximè conſpicuum. Quæ enim è collo ſuſpenduntur, vt torques, aut thoraci vel pallio aſſuuntur, haud difficilè occultantur, & contuentium oculos effugiunt. Faciliùs item viſui ſubducuntur periſcelides, quæ ſunt in Anglia teſſeræ honoris ampliſſimi, & à Gallis antiquis vſurpabantur vt honoris notæ, de quo Henricus Caniſius ad epiſtolam 38. Alcuini. At quæ Capite geſtantur occultari non poſſunt. Itaquè non abs re, pleraque huiuſmodi honoris argumenta vel ſigna ad honeſtandum hominem instituta, Capiti imponuntur ; quo ipſo Caput quoque honeſtant atque condecorant. Neque verò Apoſtolus ; docens gloriam viri eſſe habere Caput obtectum, & ignominioſum illi eſſe Caput habere nudatum, abhorret à ſenſu propoſito. Tametſi mandat, virum orantem habere Caput nudum tempore orationis, quo homo ſiſtit ſe Deo, illiúſque imaginem in ſe repræſentat, per dominium quod nactus eſt in mulierem.

SECTIO III.

De Pileo naturali, vtrique ſexui æquè communi.

HAbemus duplex, tegminum (vt ſic dicam,) capitalium munus, tutelā ſcilicet & honeſtationem Capitis: In quo vtroque munere, perbellè natura nobis præiuit. Quàm bellè enim coma Caput & tutatur & honeſtat? Tutamen eſt per ſe perſpicuum: Nam & ad arcendum frigus, & ad depellendas iniurias Capitis ab aëris inclementia, nihil præſentius naturali hocce galero, vt vocat Chryſoſtomus homil. 11. ad popul. Venuſtas autem & condecoratio Capitis ab hac naturali calantica, eiuſmodi eſt, vt meritò dixerit Dio Pruſæus orat. 35. [Qualiſnam fieri poſſit pileus, vel Arcadicus, vel Laconicus ; qui melius Capiti quadret, quam ſua coma ?] Quid verò è contrario inuenuſtius, Capite caluo & capillis nudato: Renitatur quantumcunque Syneſius, & collectis omnibus viribus ingenij quo valuit plurimum, nitatur ſuadere, nihil decedere Capitis elegantiæ ob caluitium. Oculus ipſe æquus æſtimator, aliud ſtatuit. Monſtrant quod dico, artes caluorum aptantium Capiti galericulum ; & ſubdititiā comā imponentium oculis ſpectatorum, ne turpitudine nudi Capitis offendantur, quod ab Othone Imperatore factum. Suetonius cap. 12. teſtatur, & facetè de more in Phœbo deriſit Martialis lib. 12. epigr. 45. ſic ſcribens.

Hædina tibi pelle contegenti,
Nuda tempora, verticémque calue,
Feſtiuè Phœbe tibi dixit ille,
Qui dixit, Caput eſſe calceatum.

Quod enim galericulus hic, ex pellibus & coriis pararetur æquè ac calcei, non inficetè, Caput à caluo Phœbo *calceari* iocatur. Apud Ruſſum Auienum carm. X.

Caluus eques Capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.
Ridiculum populo conſpiciente, Caput exhibuit ab aduerſis Boreæ ſpiraminibus.
Nam mox deiecto nituit fronte nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Capillamentum vocat, quoque celatum Caligulam exhibuit in eius vita Suetonius cap. 11. Scio non ſemper galericulum tegendæ caluæ adhiberi, ſed plerumque à fœminis quæ ægriùs caluescunt, ad nigras vel albentes comas occulendas appoſitum, iuxta illud Tertulliani libro de cultu fœmin. cap. 7. [Affigitis præterea, neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum ; nunc in galeri modum quaſi vaginam Capitis & operculum verticis, nunc in ceruicem retrò ſuggeſtum.] Et mox. [Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti ; ne exuuias alieni Capitis, forſitan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano Capiti ſuppares. Ex variis alia in eandem rem congerit Adrianus Iunius libro de Coma cap. 7. Alias item adhibitum galericulum conſtat, ad capillos defendendos ab inquinatione: vel vt Plautinam vocem adhibeam *collutulatione* per vnguenta, iuxta illud Martialis libro 12. epigr. 50.

Ne lutet immundum, nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Itaque ad prohibendam capillitij natiui inquinationem, vel ad eiuſdem colorem externa ſpecie demutandum, & ementitionem perſonæ, (vt de Caligula in nocturnis diſcurſationibus dixit Suetonius, & de Meſſalina Iuuenalis deſcribens eam ſubeuntem Lupanar, nigrum flauo Caput abſcondente galero, quod varij de galericulo accipiunt) adhibitum quandoque galericulum, & ita applicitum vt coma vera videretur admitto. Ex primaria tamen & frequentiùs recepta inſtitutione, ad probrum nudi Capitis auertendum videtur inductus, quia naturalis illius tegminis defectus, non ſecus ſe habet ad humanum Caput, quàm viduitas foliorum ad arborem, & cornuum à cornigeris animalibus abſentia, vnde admodùm deuenuſtantur.

Neque ago de fœminis ſolùm in quibus argumentum magnum laudis, à coma ducitur, vt liquet ex poëmate de coma Berenices ; & è contrario, comæ & quidem prolixæ, defectio in muliere, ducitur ignominiæ vt Apoſtolus quoque attigit, & pereleganter expreſſit Apuleius lib. 2. Mileſ. *non multùm à principio*, ſic ſcribens. [At verò quod nefas dicere, neque ſit huius rei vllum tam dirum exemplum, ſi cuiuſlibet eximiæ pulcherrimæque fœminæ Caput, capillo exſpoliaueris, & faciem natiua ſpecie nudaueris ; licet illa cœlo deiecta, mari edita, fluctibus educata ; licet inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calua proceſſerit ; placere non poterit, nec Vulcano ſuo. Quid cum capillis color gratus & nitor ſplendidus illucet ; & contra ſolis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aſpectum ; & nunc

vt aurum coruſcans in leuem deprimitur vmbram, nunc coruina nigredine cœruleos columbarum colli floſculos æmulatus, vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis argutì dente tenui diſcriminatus, & ponè verſum coarctus, amatoris oculis occurrens, inſtar ſpeculi reddit imaginem gratiorem? Quid? cum frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticem, vel prolixa ſer e porrectus dorſa permanat? Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veſte, gemmis, omnique cœtero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtrinxerit ornata non poſſit abire.] Idem monſtrat vſus decaluandi adulteras, de quo Petrus Faber libro tertio, ſemeſtr. cap. 21, & 21. Fœminas item Chriſtianas ab Ethnicis ignominiæ cauſa decaluatas, habetur ex Actis S. Martinæ cap. 6. quæ eam ob cauſam acriter expoſtulauit cum Alexandro Imperatore. Idem habetur ex Actis S. Fauſtæ, & ex actis S. Charitinis.

Non igitur de ſequiori duntaxat ſexu ago, cum denenuſtationem à defectu naturalis galeri agnoſco; ſed etiam de viris, quos capillitio decorari monſtratú eſt in opella cui titulus; LAVS BREVITATIS, & illuſtrari præterea poteſt, ex eo quod pulchritudo cœli, quæ iuxta Siracidem ſpecies eſt in viſione gloriæ, confertur cum Pileo, à Iuliano orat. 5. cum agit de pileo ſtellato Atydi per Cybelem impoſito; quaſi eodem planè modo cœlum tellurem condecoret, quo præclarum comæ tegmen noſtra Capita. Quanquam non ſicut venuſtas fœminæ ex capillitij promiſſione proximè petita eſt, ita in viro, ſimilem comæ prolixitatem ad decus pertinere contendo; qui ſciam pleriſque ſapientibus, memorato proximè opere adductis, quin etiam Apoſtolo, diſplicuiſſe in viris comæ nutritionem. Præter cæteros verò Sanctus Geſtacus fertur in comatos conclamaſſe; & capilli quos alicui reſecuiſſet, non renaſcebantur vltra menſuram à Sancto Viro definitam, vt eſt in eius Actis cap. 9. S. Simeon Salus, petiit à Deo & exorauit, ne creſceret coma Capitis ſui. Sanctus Godefridus Ambianenſis Epiſcopus, in die Natalis Domini coram Roberto Flandriæ Comite, repulit ſuper ſacram oblationem omnium prolixè comatorum inſtar muliercularum. Quamuis igitur ſtudioſa comæ nutritio, & promiſſioris eius affectatio virum non honeſtat; tamen moderata comæ diffuſio conſentaneè ad vniuſcuiuſque ſtatum, non modicè confert ad virilem ſpeciem. Adeundus in hanc rem præter cæteros Sanctus Ambroſius lib. de Noë & Arca cap. 7.

Nugi**n**endus quiſpiam, argumentum præterea duxerit ex alio naturali pileo. Nam eſt & alius infantium naturalis galerus quem aliqui, & decori & tutelæ eſſe volunt. E triplici enim membrana qua fœtus in materno vtero obuoluitur; quarum prima χορίον ſeu *ſecundina* appellatur; ſecunda ἀλλαντοειδὴς à farciminis forma; tertia ἄμνιος à mollitudine; contingit interdum duas poſteriores, faciem ac Caput infantis ſic obuoluere, vt galeatum videatur. Nomen *Diadumeni*, tributum eſſe Imperatori, qui ſic pileatus è matris vtero prodierat, ſcribit Lampridius in *Diadumeno*. Et æquè obuolutum Ferdinandum Daualum prodiiſſe ex vtero, notauit Paulus Iouius lib. 1. Piſcar. inde coniectans eximij illius Ducis inſignia decora, poſtea conſecuta. Quod ſi veritate niteretur, (cum ſit ineptum & vanum) magnam Capitis ab eo tegmine honeſtationem contineret. Quando in hunc naturalem pileum incidi, nolo prætermiſſa quæ de eo ſcribit his verbis Antonius Mizaldus centur. 8. memorab. num. 18. [Infantes plerique in lucem prodeunt, obducto Capite velut pileo, aut vitta quadam membranoſa, vel Capitio Monachali; quod maritos in ſuſpicionem ſuarum vxorum quandoque pertraxit, vt de hiſtoria teſtatur Antonius Guainerius. Ab eo tegmine, obſtetrices & decrepitæ aniculæ, infantibus bona ex colore rubicundo; vel mala ex nigricante, præſagire ſolent. Hinc ſanè crediderim, Gallicum prouerbium natum fuiſſe, *il eſt né coiffé*, *natus eſt vittatus vel pileatus*, de eo cui vltrò ſuppetunt bona, partúmque eſt amplum à parentibus patrimonium. Non omittam, quod obſtetrices apud nonnullos, magno ſolent vendere huiuſmodi pileos infantiles, credulis aduocatis, qui hinc ſe adiuuari putant. Auctor Leuinus Lemnius.] Locus Lemnij habetur lib. 2. de occultis natur. mirac. cap. 8. Eſſéque eam fatuitatem olim Romanis Cauſidicis perſuaſam, Lampridius ſcribit *in Diadumeno*. Stulidum præfectum, Synodicè damnatú quod deprehenſus eſſet habere ἔνδυμα ad os occludendum iis qui aduersùs eum dicere conarentur, ſcribit Theodorus Balſamon ad canonem 41. Sextæ Synodi. Hoc ἔνδυμα aliud non erat quàm naturalis ille pileolus, obuoluens aliquorum infantium capita, quod obſtetrices rapiunt, & credulis cauſidicis vendunt, munimentum aduersùs eloquentiam æmulorum vt fert fabula. Ego tametſi tutelam Capitis infantilis, dum in inferioribus terræ degit, ex hoc tegmine, non inficior; tamen venuſtationem vllam capitis, aut infantis ex eo opertimento, vel præſignificationem inſignis alicuius dotis ei tegmini conſertam, non cognoſco; repudiauitque etiam eam prænunciationem Delrio 4. Magic. c. 2. quæſt. 7. ſect. 1. tractans decimam quartam ariolationem. Itaque non vtor hoc naturali galero, ad monſtrandum, naturam arti præiuiſſe in tutando & decorando per tegmina aduenticia Capite: quale argumentum ducebam ex volgato naturali galero, ſiue ex capillitio. Prætereo enim naturalem pileum qui in puello Paderbornæ nato viſus eſt, vt ſcribit Delrio lib. 2. Magic. cap. 3. quæſt. 3. & Petrus Seruius in opere de vnguento armario numero 33. Cum enim hæretica mulier Sacerdotibus Catholicis eſſet infenſiſſima, puerum peperit amictum pileo & pallio Catholicorum Sacerdotum. Hoc dimiſi tanquam miraculo factum, vt quod bos vitulum pepererit cucullatum, cum Lutherus cucullum abiecit, vt notatum eſt in opere de Apoſtaſia cap. 5. *initio*.

* * *

SECTIO

SECTIO IV.

De primo artificiali inter Chriſtianos Capitis tegmine, æquè communi vtrique ſexui.

EXpoſitis naturalibus humani capitis integumentis, progrediendum eſt ad artificialia; qualia per Satyram quàmplurima congeſſit Hadrianus Iunius in Nomenclatore num. 127. & 128. Sed nudibus duntaxat ſingulorum nominibus propoſitis prætergrediens, quod aliud non ferret inſtitutum Lexicographi, cuiuſmodi ipſe eo loco erat. Vt plura dedit Lazarus Baiſſius comment. de re veſtiaria cap. 19. & 20. quibus Capitis fœminei & virilis integumenta recenſet. Quare relictus nobis eſt liber campus, in quo nemine præpediente ea ſpatietur oratio.

Primum inter Chriſtianos Capitis tegmen, ſacrum eſt & vtrique ſexui commune, & idcirco hic attingendum, hoc eſt, velamen impoſitum Capiti infantis baptizati. Non dico veſtem candidam, cuius crebra fit mentio cum de Baptiſmi ritibus agitur. (tametſi hoc quoque *Velaminis* nomine inſignitur à S. Ambroſio lib. de iis qui myſter. initiantur cap. 7.) Sed ago de velamine ſoli Capiti impoſito: quod item ſecerno à *corona*, quam ex vſu erat imponi baptizatis, ex myrto, vel palma, aliiſvè ſimilibus, vt diſertè habetur in Ordine Confirmationis ex ritu Æthiopum, & apud Seuerum Alexandrinum, ſub finem operis de ritibus bapuſmi. Longè aberat ab huiuſmodi florea corona, velamen Capitis de quo agimus; Erat enim ex panno. Vnde in Concilio apud Belluacum, cuius particulam refert Gratianus de conſecrat. diſtinct. 4. cap. *Si quis voluerit*, (eſt numero 121.) vocatur *pannus*. A Nicephoro lib. 3. cap. 37. cum agit de baptiſmo pueri Hebræi, vocatur *arcana & myſtica galea*. In Ordine Romano cum deſcribitur ritus Baptiſmi conferendi Sabbatho Sancto, vocatur *chriſmale*. Sic enim ibi habetur. [Deportantur ipſi infantes ante Pontificem, & dat ſingulis ſtolam candidam, & Chriſmale, & decem ſiliquas.] Quæ verba expreſſit Albinus Flaccus lib. de diuin. offic. cap. *de Sabbatho Sancto*.

Finem collati, recèns baptizato, huius velaminis, attigit paucis verbis Gloſſa ad cap. *Si quis*, de conſecrat. diſtinct. 4. Quod enim baptizati vertex à Sacerdote liniretur Chriſmate, oportuit Caput hoc tegmine obuolui, ne chriſma difflueret. Et quia vnctio Chriſmatis, Symbolum eſt vnctionis Sacerdotalis ac Regiæ, propterea veteres hoc velamen exponentes, aiunt, velamen Regij diadematis, aut cidaris Sacerdotalis, Symbolum fuiſſe. Ad Sacerdotium Chriſtianum latè dictum, quo omnes baptizati inaugurantur in Sacerdotes, iuxta Sanctum Petrum, refert hanc vnctionem Tertullianus libro de baptiſm. cap. 7. verbis illis. [Egreſſi de lauacro, perungimur benedicta vnctione; de priſtina diſciplina, qua vngi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron à Moſe Vnctus eſt, vnde *Chriſtus* dicitur à *Chriſmate*, quod eſt, *Vnctio*, quæ Domino nomen accommodauit, facta ſpiritalis, quia ſpiritu vnctus eſt à Deo Patre.] Verùm quia Reges non minùs quàm Sacerdotes inungebantur ad regiam dignitatem, idcirco ad ius regni in Baptiſmo collatum ei qui initiatur, refertur chriſma ab aliis Patribus, vt à Saluiano libro tertio de prouid. vbi ait, aſſignatum Chriſtianis eſſe [generationis nouæ munus, ſancti baptiſmatis gratiam, diuini Chriſmatis vnctionem. Scilicet vt ſicut apud Hebræos quondam, id eſt peculiarem ac propriam Dei gentem, cum Iudiciarius honor in poteſtatem Regiam tranſcendiſſet, probatiſſimos & lectiſſimos viros, per vnguentum regium Deus vocauit in regnum, ſic omnes homines Chriſtiani, cum poſt Chriſma Eccleſiaſticum omnia Dei mandata feciſſent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad cœlum.] Quæ accipio de inunctione Chriſmatis in Sacramento præciſè Chriſtianis ad ſalutem neceſſario, hoc eſt in Baptiſmo. Eam enim Chriſmationem à Sacerdote in vertice factam, aliam fuiſſe à Chriſmatione Confirmationis, rectè agnoſcit, priorem ſuam opinationem retractans, Pamelius ad librum Tertulliani de Baptiſmo, num. 48. & benè aſſeritur à Feuardentio ad l. Irenæi cap. 18. num. 7. ac in appendice ad Caſtrum V. *Baptiſmus*, hæreſi 8.

Commodiùs ad Regiam ſimul & Sacerdotalem dignitatem myſticè Chriſtianis per Baptiſmum obuenientem, referri poſſit ea in Baptiſmate inunctio, per Chriſma, quod paſſim pro vtriuſque dignitatis Symbolo proponitur. Ita inſignirer Auguſtinus in appendice ad Sermones 40. nouos, Serm. 3. & creditus Cyprianus de vnctione Chriſmatis. Itaque conſequenter, hoc velamen ad vtramque illam dignitatem pertinere cenſetur. Ita perſpicuè Rabanus lib. 1. de inſt. Clericor. cap. 29. [Tegitur (inquit de baptizato,) poſt ſacram vnctionem, Caput eius myſtico velamine, vt intelligat, ſe diadematis Regij, & Sacerdotalis dignitatis portiorem, iuxta Apoſtolum; *Vos eſtis* (inquit) *genus Regale & Sacerdotale, offerentes voſmetipſos Deo, hoſtiam viuam, ſanctam Deo placentem*, & reliqua. Nam Sacerdotes in veteri Teſtamento, quodam myſtico velamine, Caput ſemper ornabant.] Ivo ſimiliter ſerm. de Sacramentis Neophitorum.] Completis iam Baptiſmi Sacramentis, cum baptizatus de fonte aſcenderit, ſacro Chriſmate vngitur in vertice, vt cognoſcat ſe promotum eſſe in Regium genus & Sacerdotale; id eſt, vt à Chriſti conſortio, vocetur *Chriſtianus*, & æterni regni ſit cohæres, &c. Exinde traditur Chriſtiano veſtis candida; vt qui primæ natiuitatis decorem, vetuſtatis pannis obfuſcauerat, habitu regenerationis, gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam poſt ſacram vnctionem, eius Caput ſacro velamine, vt intelligat ſe diademate Regni, & Sacerdotali, (ſicut dictum eſt) dignitate potiri.] Similia Gulielmus Durandus lib. 6. ration. cap. 82. num. 15. niſi quòd velamen de quo agimus, vocare videtur rotundam mithram, & ad Regnum myſticum referre; veſtem autem candidam, ad Sacerdotium item myſticum. Græci tametſi non inungebant verticem Baptizati, tamen hoc tegmen Capitis adhibebant in Baptiſmo, ad ſignificationem myſticam, non Regni aut Sacerdotij, ſed tutelæ militi Chriſtiano in tam pretioſo membro neceſſariæ. Vndè *galea*

vocabatur, vt colligitur ex illo Nicephori loco, quo deſcribit pueros imitantes ritum Baptiſmi. [Lacinias veſtis lineæ diuidentes in partes, ſimulachra amictus qui in talibus vſurpantur, faciebant, & ſuper Caput myſticam galeam præclarè efformabant.]

Quia verò omne decus nobis in Baptiſmo collatum, promanat à Chriſti ſanguine, eius mentio facienda meritò fuit in hoc Symbolo ornamentorum per Baptiſmum aduenientium. Baptiſmus ſanè non eſt in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine, iuxta Apoſtolum. [Quid eſt enim aqua ſine Cruce Chriſti ? Elementum commune ſine vllo Sacramenti effectu.] Verba ſunt S.Ambroſij lib. de iis qui initiantur cap. 4. Eóque ſpectauit Theophanes Nicenus lib. contra Iudæos adductus à Turriano lib. 2. de dogmat. character. vocans Eccleſiam, *Porphyram*, & Chriſtianos, *Porphyrogenitos*, quia naſcuntur in purpura, hoc eſt in Chriſti ſanguine; quo aqua, Chriſtianorum vterus, perfundatur neceſſe eſt, vt ad Chriſtiani regenerationem fiat idonea. Itaque vt id ſignificaretur, panno illi de quo agimus alicubi inſuebatur filum rubeum, vt ſcribit Guilielmus Durandus lib. 6. rationalis cap. 82. num. 17. & 18. vt intelligeretur aquas noſtras genitales, rubrari ſanguine; quod de mari rubro in noſtri Baptiſmi typum dixit Proſper p. 1. de promiſſ. cap. 38.

Geſtabant Neophyti hoc Capitis tegmen per octiduum à Baptiſmo, æquè ac veſtem candidam. Et ita colligitur ex D. Auguſtinò ſermone 160. de tempor. cap. 2. vbi hæc præter cætera: [Hodie octaua dicuntur infantium: reuelanda ſunt Capita eorum, quod eſt indicium libertatis. Habet enim libertatem iſta ſpiritalis natiuitas, propriè autem carnis natiuitas ſeruitutem,] *reuelata* poſt octiduum, ait Capita infantium: (quo nomine, vt mox exponit, etiam adulti corpore, tunc baptizari donabantur, quia facti erant infantes Dei;) At reuelatio illa Capitum, remotionem tegminis Caput operientis ſupponit. Itaque illuc vſque, geſtabatur ſacrum hoc velamen: & cum deponebatur, poterat adhiberi ad tegendum alium, quod de veſte candida non erat in vſu. Nam hæc vnicuique propria erat, vt notauit Vicecomes lib. 5. de Baptiſ. cap. 15 & perſpicuum eſt ex narratione quam de Murita & Elpidophoro contexit Victor Vticenſis lib. 3. perſecut. Vandal. At velamentum Capitis de quo agimus, poterat eſſe vſui in alio Baptiſmo, iuxta illud Concilij Bellu[a]cenſis apud Gratianum *cap. Si quis*, de conſecrat. diſt. 4. [Si quis voluerit chriſmate pannum iterum linire, & ſuper alium baptizatum mittere, non eſt abſurdum.]

Durauit Velamen hoc Capitis recèns baptizatorum, ſat longo tempore; cum eius meminerit Iuo Carnotenſis qui ſæculo duodecimo ineunte florebat. Poſt illum tamen, videtur abiiſſe in deſuetudinem. Vndè ab Hugone Victorino, (qui non ita multò pòſt vixit,) nulla fit eius mentio, in ſatis minuta rituum Baptiſmi expoſitione, quam adhibet lib. 1. Erudit. Theolog. de Sacram. cap. 19 & 20. Fini autem cui hoc Capitis tegmen deſeruiebat, nempe prohibendo effluxui ſacri Chriſmatis, eiúſque dehoneſtationi, ſi Caput recèns linitum manſiſſet intectum, alia ratione conſultum eſt; nempe abſterſione ſacri Chriſmatis, adhibito albo goſſypio. Neque tamen prorſus obliterata eſt vſurpatio huius ceremoniæ, quandoquidem, (vt Pamelius notauit exponens ritus Baptiſmi in notationibus ad librum Tertulliani de Baptiſmo;) vſus etiamnum viget, vt poſt Baptiſmum & vnctionem verticis à Sacerdote peractam imponatur Capiti baptizati veſtis candida; ad vſus antiqui memoriam, quo Caput baptizati obuoluebatur ſacro tegmine, ſtatim à Baptiſmo & verticis inunctione.

SECTIO V.

De Operimento fœminei Capitis vniuersè.

AD artificialia Capitis humani tegmina delabens, ordior à muliebribus; quod iuxta Apoſtolum maximè proprium ſit fœminei Capitis, operiri, nec in iis duntaxat quæ ſunt vulgari corporis, (vt fert omnino mulierum ſenſus, latè refragante Andrea Pinto Ramires lib. 1. in Cant. cap. 1. verſ. 7. à num. 59.) ſed etiam in iis quæ honeſtate commendantur. Priuſquàm verò ſigillatim dicam, præmittendum generatim eſt aliquid de fœminei Capitis operimento.

Congruere fœmineo Capiti tegmen quo operiatur, Apoſtolus diſertè tradit 1. Corint. 11. Vbi interrogatus à quibuſdam Corinthiis, ſalnúſne eſſe deberet mulieribus vſus patrius procedendi aperto Capite, reſpondet id eſſe planè indecorum; nec tam videri debere conſuetudinem, quàm corruptelam meritiſſimò recidendam. Et quanquam Apoſtolus non agit de mulieribus aliò quàm ad orandum procedentibus, & in templo vacantibus orationi; tamen rationes eius perſpicuè ferunt, omnem fœminæ proceſſum in publicum intecto Capite, eſſe indecorum ac refugiendum. Argumentatur ergo in primis Apoſtolus, ex eo quod mulier ſubiecta ſit viro, velut Capiti ſuo, & toti è quo deciſa eſt, vt benè expendit ibi creditus Ambroſius; ac proinde velanda ſit in ſignum ſubiectionis. Perinde enim eſſe videtur, mulierem intonſam eſſe, ac inuelatam. Tonſuram autem comæ muliebris (extra religioſum ritum de quo poſtea; & extra paucos euentus ex cauſa idonea, quos Apoſtolum non excluſiſſe, benè notat Turrianus ad lib. 1. conſtit. Clem. cap. 3.) omnes habent vt probroſam, quia amolitur naturale ſignum ſubiectionis, viro à muliere debitæ. Et idcirco Tertullianus lib. de corona militis c. 14. tegmen Capitis fœminei, vocat *humilitatis fœmineæ ſarcinam*. Et lib. de vel. Virg. cap. 17. vocat *iugum illarum*. Concilium Gangrenſe cap. 17. vocat *ſubiectionis materiam*. Chryſoſtomus 1. Corinth. 11. *Signum muliebris ſubiectionis*. Roborat Paulus hanc argumentationem, à contrario. Probroſum quippè eſt viro Caput inter orandum obtegere, quia ipſe Deo ſoli ſubiectus eſt; & principatus diuini terrena imago. Vnde non debet ſubiectionis ad terrenum quippiam indicia præferre, ſed Caput habere nudum.

Agit (vt vides) Apoſtolus, de viro & fœmina orantibus; & hanc in ſignum ſubiectionis,

vult, precando ad Deum adire contectam: Illum verò in ſignum exſolutionis à mulieris poteſtate, vult eſſe nudo Capite inter accedendum ad Deum. Si tamen aliquando teſtanda viro eſſet ſua ad eum ſubiectio, non vetaret Apoſtolus, virum donare tegmine Capitis eam ſubiectionem teſtante. Quo pacto eliditur apparens colliſio Apoſtoli, & Auctoris homiliæ de vno legiſlatore, perperam inſcriptæ Diuo Chryſoſtomo. Is quippè Auctor expendens amictum Pontificis Aaronici, cuius prima pars erat tiara Caput operiens, ſic diſſerit. [Quandoquidem Pontifex caput erat populi, par erat eum qui Caput eſſet omnium, in Capite eius rei ſymbolum exhibere. (Abſoluta ſiquidem & remiſſa auctoritas ferri nequit; quæ verò ſui imperij ſymbolum impoſitum gerit, legi ſubijcitur & paret.) Itaque iubet, Caput minimè eſſe nudum, ſed coopertum, vt diſcat populi Caput, ſe Caput habere. Idcirco etiam in Eccleſia cùm ordinatur Sacerdos, Euangelium Chriſti, Capiti imponitur, vt diſcat, quamuis ſit omnium Caput, ſe tamen legibus iſtis ſubijci; & eum qui omnibus imperet, legis imperio ſubeſſe, eúmque qui omnibus dat mandata, à legibus accipere: Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, qui nomen Ignatius, quique Sacerdotio ſimul & martyrio decoratus fuit, ad Sacerdotem quendam ſcribens dicebat; nihil ſine tua voluntate geratur, neque item tu quicquam abſque Dei facias voluntate. Quod igitur impoſitum habeat Euangelium Pontifex, ſignum eſt, eum eſſe ſub poteſtate conſtitutum. Propterea dicit Paulus de muliere quæ velamen habebat, quod erat imago poteſtatis. Erat igitur tiara, figura poteſtatis.]

Eſto igitur, ſi quando viri ad Deum ſubiectio ſit teſtanda, operiat vir quoque Caput ſuum; at in quotidiana precatione in publico cœtu, vbi promiſcuè viri mulieréſque conueniunt, par eſt, vt gloriam & imaginem Dei ſe exhibeat, atque adeò præferat apertum Caput. Neque ob præſentes Angelos neceſſe eſt Caput operiat, cum ipſe quoque ſit quodammodò Angelicæ dignitatis, vt S. Baſilius lib. de vera virginitat. philoſophatur. Mulierem verò quia propter virum facta eſt, eique reuerentiam & obedientiam debet, par eſt habere Caput obductum, ſiue (vt Apoſtolus loquitur,) poteſtatem, ἐξουσίαν ſupra Caput habere *propter Angelos*. Id eſt, vt malos Angelos inter orandum & de ſpiritu concipiendum, ea ſigni ſubiectionis ſuæ oſtentatione confundat, vt S.Paulinus Epiſtola 4. ad Seuerum ſcitè & piè admodùm diſſerit. Quanquam de ſenſu qui magis literæ inhæret, actum plenè in tractatu de ſobria ſexus mollioris per ſacros homines frequentatione cap. 8. Sed hæreamus in loco propoſito.

Vox ἐξουσία, quam ibi vſurpat Apoſtolus, propriè ſonat potentiam, & authoritatem. Vnde quod Latinè apud Marcum cap.6. legitur, *dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum*: Et Ioannis 1. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; Græcè eſt ἐξουσία. Et apud Lucam cap. 22. *qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*, Verbum Græcum eſt, ἐξουσιάζω, quod ſonat, principari & dominium habere, vt etiam Plato epiſt. 3. δύναμιν ἐξουσίας facultatem & ius dominandi appellauit. Mulier ergo orans debet habere ſuper Caput poteſtatem, id eſt tegmen Capitis quod teſtetur mulieris ſubiectionem ad virum, & viri in eam principatum, & auctoritatem à Deo naturæ inſtitutore collatam. Eaque geſtatio adeò decet mulierem, vt accipere vel habere poteſtatem, paſſiuè intellectam, idem ſit quod eſſe fœminam. Locus eſt in eam rem inſignis, Eccleſiaſtici 47. vbi Siracides deſcribens probroſam Salomonis mulieroſitatem, ait: *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.* Quid ſit Salomon habuiſſe in corpore ſuo poteſtatem, varij variè exponunt, vt latè proſequitur Pineda lib. 7. de Salomon. cap. 7. num. 4. Nam aliqui id accipiunt de miro Salomonis corporeo robore in conſueſcendo mille vxoribus. At hoc eſt à ſcopo Sapientis alieniſſimum. Ianſenius accipit de poteſtate, vel potiùs licentia, abutente ſuo corpore. At textus primigenius apertè ſonat ſubiectionem, ſiue poteſtatem paſſiuam, non actiuam. Vetus itaque & genuinus Siracidæ ſenſus eſt, exprobare Salomoni, non quod habuerit ipſe poteſtatem & dominium in corpus ſuum; ſed quod præ ſumma eneruatione corporis per monſtroſam libidinis effrænationem, adeò degeneraſſet à maſcula fortitudine, vt veluti tranſiſſet in fœminam; ita vt videretur habuiſſe in corpore ſuo poteſtatem, id eſt tegimen fœminei Capitis, indicem effœminationis, & veluti degenerationis in mulierem, præ ſubiectione naturali ad virum, obnoxiam poteſtati ſiue velamento. Qua ratione, de Hercule effœminato dictū eſt actu 1. Hippol. *Crinem mitra preſſit*. Et Phryges ab effœminatione, dicti *Phrygiæ*. Eadem loquendi forma, Ioannem VIII. quod à maſcula Nicolai deceſſoris fortitudine deſciſcere viſus eſſet, iactatum eſt, eſſe fœminam. Vnde fabula de Ioanna Papiſſa, quam mendacij & nugacitatis ferè fruſtra conuincunt, Panuinius, Baronius, Remondus, ac Leo Allatius; cum veriſſimus ſenſus ex quo Ioannes audiuit fœmina, ſit quem attigi. Et è contrario, mulieres ſi quæ virili animo, quaſi in viros euaſiſſent, donatæ ſunt nominibus maſculinis; vt Melania dicta eſt *Melanius*, vel *Melanium*; Albina audiuit *Albinus*, vt benè notauit Roſueidus ad epiſtolam 44. S.Paulini. Et S.Franciſcus referente Piſano lib. 3. conformit. 4 part. 2. Iacobam matronam Romanam maſculi pectoris, volebat vocari *Fratrem Iacobum*. Salomon ergo habuit in corpore ſuo poteſtatem, non ſecus ac Hercules canente Deianira, nullam muliebritatis notam reiecit. Et idem de Sardanapalo habet Iuſtinus lib. 1 & de quodam Syriæ Rege Dio orat. 4. Mulier autem, hanc poteſtatem viro probroſam habere debet. Nam ſi omittat demiſſionem ſuam ſigno illo externo teſtari, incurret in odium Sanctorum Angelorum Eccleſiæ præſidum, qui ſuperbam, & debitæ viro reuerentiæ ac ſubiectionis ſigna dedignantem, auerſabuntur. Hæc Apoſtoli argumenta, vniuerſaliter probant, decere vbiuis in publico fœminas, velamentum Capitis. Et hanc fuiſſe Apoſtoli mentem, cõfirmat Tertul. l. de vel. Virg. *ferè per totum.* De Melania Romana ita ſcribitur in eius vita apud Surium tomo 1. Vnde liquet de eius mente in hoc negotio, & de B.Pauli iuxta eam ſententia. [Erat quidem hæc lex apud Romanos, vt nullus vir nec mulier ad Imperatorem

aut Imperatricem operto Capite accederet. Ea verò legem nihil curans velata acceſſit: non Tyrannorum mores, ſed Pauli legem maximè dicens oportere conſeruare; qui non ſinit mulieres nudo Capite incedere.] Latè de hoc Apoſtoli præſcripto, præter Interpretes ad hunc locum, Andreas Sauſſayus lib. de myſtic. Galliæ ſcriptor. *in Paulo*, titu. 10. & *in S. Lino* præcepti Paulini renouatore, titu. 2. qui rectè notant, Centuriatores centor. 1. lib. 2. cap. 10. occaſione illius præcepti allatrantes S. Linum, quòd ad rem minimam & Pontificia cura indignam deſcenderit, proponendo præceptum de velamine Capitis muliebris, non aduertiſſe, ſe eadem operâ Apoſtolum impetere, cui non eſt viſum indignum Apoſtolica cura, eò ſe demittere. Ita execrantur Illyricus & ſocij, ſpurcitiam ſuam atque laſciuiam prodentes, quibus nimirum muliebria Capita ita vt liberè non paſcant oculos plenos adulterij, indignum viſum eſt Pontificia ſollicitudine.

Explorata ergo eſt mens Apoſtoli, de mulieribus in publico velandis. Idem ſemper fuit omnium benè moratarum gentium vſus. S. Macarius homil. 12. *ſub finem*, ait mulieres Apoſtolorum tempore, loco velaminis habuiſſe crines paſſos. Sed hoc non video quàm verè dicatur. Apud Hebræos enim iam à generis exordio velari ac contegi ſexus fœminei Capita, ex vſu fuit. Id ferunt verba illa Abimelechi ad Saram diuina reuelatione ab iniuria ereptam. *Hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt, & quocunque perrexeris memento te deprehenſam.* Senſus eſt, Abraham verè vir tuus, cui te reſtituo intactam, erit pudicitiæ tuæ protector, cui hoc velum flammeo, quali nubentes & illoc vſque intactæ ſponſo traduntur, te addico putam. Idque omnibus in quos incides teſtatum volo. Vtere hoc flammeo, vt omnes te vxorem noſtint; ac deinceps quiſquis Abrahamum eſſe virum tuum reſciuerit, à te & ancillis tuis oculos auertat. Munuſculum quo te dono, erit omnibus in ſignum quod ſis velata, & viro aſtricta. Quare ne deinceps illius coniugium verbo diſſimules. Memento te hac ex cauſa, deprehenſam in ſimulatione periculoſa, & ſpecie mendacij quæ poſſet tibi cauſa eſſe vt ab alio tanquam viro non alligata, vitiareris. Itaque *velamen oculorum* de quo agit Abimelech, eſt tegmen ſubducens oculis contuentium, Caput & faciem Saræ. Ita eum locum exponunt, Prado in cap. 16. Ezech. ad verſ. 18. & Delrio ad cap. 20. Geneſ. Nec me mouent quæ in contrarium latè vrget Salazarius cap. 3. Iſagoges in Cant. §. 4. (in quem his pridem conſcriptis incidi,) & Martinus de Roa tom. 2. ſingular. lib. 3. cap. 4. ſubdens cap. 5. ſuam expoſitionem, qua vult, *per velamen oculorum*, ſignificari prætextum, ne videatur & incurrat in oculos domeſticorum Saræ, iniuria ei illata, cum abducta eſt in domum Abimelechi. Sed non adſcribor; quia nulla erat iniuria Saræ, quod ad regium coniugium non renitens & viro non addicta (vt putabatur, & vir eius aſſerebat) abſumeretur, ipſo inſuper eius fratre exiſtimato, opimè propter eam habito. Deinde propoſita interpretatio videtur diſtorta, & omnibus retrò Patribus incomperta, nec ab vllo interprete hactenus tradita: Apud Lippomanum quidem, in catena ad eum locum, inter omnino multas iſtius loci interpretationes, refertur vna qua operimentum oculorum ſumi dicitur pro prætexto excuſationis à Sara adhibendæ, & ad domeſticos, & ad externos, cum audituri eſſent tantam Abimelechi erga Saram liberalitatem. Sed neque ea interpretatio quadrat; cum potiùs in ſuſpicionem vocanda videretur Sara, præ tanta largitate. Et hic prætextus eſt longè alius, quàm qui ab Auctore cum quo agimus, proferebatur. Quare ſiſtamus in aſſignata primùm interpretatione, quæ & ſimpliciſſima eſt, & genuina; ſitque velationem faciei fœmineæ, inter Hebræos iam à tempore Abrahami inoleuiſſe.

Vſus iam tunc vigens apud Hebræas mulieres, deinceps tenuit, ita vt Tertullianus lib. de corona militis cap. 4. dicat; [Apud Iudæos tam ſolemne eſt fœminis eorum velamen Capitis, vt inde dignoſcantur.] Quod ſtatim confirmat exemplo Rebeccæ, ad primum Iſaaci conſpectum, induentis peplum quo velaretur: & exemplo Suſannæ, quæ cum iudicio ſiſteretur, Danielis 13. operta erat Caput, pro more cæterarum mulierum Hebræarum. Quanquam à ſpurcis ſenibus qui videbantur regere populum, iuſſa eſt diſcooperiri, ut ipſa quidem vt vel conſpectu tantæ pulchritudinis fœdam cupiditatem paſcerent qua tenebantur, vt Scriptura notatur; in ſpeciem autem, vt oſtenderent, Suſannam fidem coniugij violaſſe. Idcirco enim in ſacrificio Zelotypiæ num. 5. Mulier adulterij ſuſpecta, adducebatur ad Sacerdotem Iudicem, Capite nudato, vt inſinuaretur eius impudentia; qua tranſgreſſionis cubilis ſui inſimulabatur [Detecto Capite (ait S. Cyrillus lib. 4. de ador. eum Numerorum locum verſans) mulier ad Iudicem ducitur, id eſt non conſueto decoroque ornatu. Et quænam eſt huius rei ratio? Dedecoris namque crimen eſt, & turpitudinis accuſatio. Recordare verò, mulierem, aperto Capite orare Deum, à Paulo legis peritiſſimo non permitti: cum velari eam debere ex ipſa naturæ lege ducto argumento, probet. Nam comæ (inquit) ei pro velamine datæ ſunt. Non ergo decenti ornatu mulier erat, quæ de indecenti crimina accuſabatur.] Itaque decens & conſuetus mulierum Hebræarum habitus erat, Capita habere contecta.

Idem apud alias gentes vſus viguit. De Græcis mulieribus habetur ex Apuleio lib. 7. Mileſ. vbi Græcæ mulieris Caput, intella textili opertum repræſentat. Nec obſtat quod Plutarchus lib. de Apophtegm. Laconicis *in Charila*, & Clemens Alex. 2. pædago. cap. 10. docent Virgines Lacænas intecta facie, mulieres operta prodiiſſe in publicum: quod hæ maritum iam nactæ cui ſoli placere deberent, faciem meritò tegerent, extra domum, & viri conſpectum: illæ faciem oſtentarent, & quaſi publicarent; inde ſi placerent, captandæ à maritis. Hoc inquam, antedicta non conuellit. Neque enim virgines erant intecto Capite tametſi erant intecta facie; quod vtrumque habebant mulieres iam viris addictæ. Propterea enim in eorum mundo muliebri, numerabantur *Faciales*, vulgò *maſques*. Vnde in veteribus Gloſſis adductis à Rigaltio ad Onoſandri Stratigeticon. cap. 1. *ἀποπρόσωπον*, *Da facialem*. Fuiſſeque olim eas luteas, purpureas, idem Auctor demonſtrat. Plinius lib. 12.

lib. 12. cap. 14, *perſonas* vocat. Potuerunt igitur Græcanicæ illæ virgines, nudare faciem tecto Capite. De Romanis mulieribus velato Capite procedentibus; ſicut mares nudo & aperto, teſtis eſt Plutarchus q. 14. Rom. Idque aſtruunt exempla; non vulgarium modò mulierum, ſed etiam Auguſtarum, Liuiæ, Matelæ, Fauſtinæ, quas nummi antiqui Capite obducto repræſentant, addito lemmate PVDICITIA. Poppæam item Sabinam, Neronis coniugem, tradit Tacitus lib. 13. Annal. nonniſi velatam, (quia ſic decebat) & infrequenter, in publicum prodiiſſe. Quid quod Valerius lib. 3. cap. 3. ſcribit C. Sulpitij Galli vxorem, à marito rejectam, quod Capite aperto foris verſatam cognouiſſet? Etiam barbaris mulieribus perpetuum fuiſſe Capita tegere, Tertullianus auctor eſt lib. de vel. Virg. cap. 17. referens, Arabicas mulieres, non Caput modò habuiſſe tectum, ſed & faciem, contentas dimidiam frui lucem, procedendo; vnum duntaxat oculum liberatas, ne totam faciem proſtituerent. Idque apud eas ſuo tempore retentum, ait S. Hieronymus in cap. 4. Eſaiæ.

Inter Chriſtianos quoque, huiuſmodi velamentum nubentibus eſſe iam olim adhibitum, docemur ex S. Ambroſio qui lib. 3. de Virgin. cum retuliſſet exprobratum ſibi eſſe quod puellas nubere prohiberet, conſecrans eas integritati, reſpondet: [Vtinam poſſem, flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine.] Et lib. de viduis. [Suaſimus (fateor) vt veſtem mutares, vt non flammeum indueres.] Scitè in exhortat. ad Virgines, cùm præmiſiſſet; Virgines eſſe nubes leues & lucidas, addit è contrario de coniugatis. [Nubes ſunt & graues nubes, quæ nupserint. Namque à nubibus, verbum *nubentium* tractum arbitror. Denique operiuntur vt nubes, cum acceperint nuptiræ velamina. Et verè graues nubes, quæ ſuſtinent ſarcinam Matrimonij. Nam etiam grauari aluo feruntur, cum ſemina conceptionis acceperint.] Non pugnat hæc notatio *nubendi*, cum ea quam ex ipſo S. Ambroſio lib. 1. de Abraham. cap. 9. retulimus ſuperiùs, ducta ex eo quod puellæ Caput, obumbretur pudoris gratia. Nam *nubes* quoque, ab operiendo & obnubendo ſunt dictæ. Quæ nubendi & nuptiarum notatio, Ælio & Cincio apud Feſtum V. *Nuptia*, meritò eſt probata, exploſis aliis friuolis notationibus ibidem adductis. Quod ergo inter Chriſtianos quoque, ſponſa nubens velamine operiretur & obnuberetur, meritò verba quoque *nubendi*, & *nuptiarum*, apud nos vſurpantur. Apud S. Ambroſium, quia hoc velamen à Sacerdote imponebatur, vocatur *velamen Sacerdotale*. Sic enim habet Epiſtola ad Vigilium. [Cum ipſum coniugium, velamine Sacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodò poteſt coniugium dici, vbi non eſt fidei concordia?] Et eodem pertinet quod Siricius Papa, Epiſtola ad Mediolanenſes contra Iouinian. ait: [Nos ſanè nuptias non aſpernanter accipimus; quibus velamine interſumus.] Videtur hanc ob cauſam, (hoc eſt quia velamen à Sacerdote imponebatur, & certa prece ſanctificabatur,) dictum eſſe *cœleſte velamen* à Nicolao I. ad Conſulta Bulgar. cap. 3. cum explicat ritus nuptiales Latinæ Eccleſiæ; vbi etiam addit, tale velamen non ſuſcipi in ſecundis nuptiis, ſicut neque ſuſcipitur benedictio, quia recedunt ab vnitate, cui ſoli Deus in coniugiis benedixit. Quod autem Nicolaus, non puellæ duntaxat, ſed vtrique coniugi velamen à Sacerdote impoſitum ſignificet, non eſt opus eo loquendi modo dictum arbitrari; quo ob nexum, quod vnius proprium eſt, alteri item adſcribitur: ſed poteſt ſimpliciter accipi vt ſonat; cum hodiéque, in plerìſque Eccleſiis is vſus vigeat; vt ſponſus & ſponſa inter exprimendum coram Sacerdote conſenſum, velo operiantur. Sicut olim, ſub thalamo, id eſt ſub velo ſuſpenſo vtrumque inumbrante, contrahebatur nuptiale fœdus, vt aduertit Sanctius proleg. 3. in Cant. & in cap. 2. ad illud, *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi*; ſub quam vmbellam quia ſponſus & ſponſa admodùm ornati ſubibant, nihil mirum, Solem orientem, Pſalm. 18. dici procedere vt ſponſum de thalamo.

Fuere tempore Tertulliani, quibus videretur vſum adeò vniuerſalem regendi fœminea Capita, ab Apoſtolo ad Corinthios firmatum, ad ſolas fœminas virum expertas pertinere; ſaltem in templo. Nam extra templum quidem, vſum vbiuis receptum ſeruabant, vt diſertè tradit Tertullianus cap. 13. cuius hæc eſt oratio. [Quid ſingula perſequor? Solemnem manifeſtæ paraturæ iniam circumferunt mulieritatem. Sed virginari volunt ſola Capitis nuditate, vno habitu negantes quod toto ſuggeſtu profitentur. Si propter homines habitu abutantur, impleant illum etiam in hoc, vt & apud Ethnicos Caput velent. Certè in Eccleſia Virginitatem ſuam abſcondant, quam extra Eccleſiam celant. Timent extraneos; revereantur & fratres: aut conſtanter audeant & in vicis Virgines videri, ſicut audent in Eccleſiis. Laudabo vigorem, ſi aliquid & apud Ethnicos Virginitatis nundinatint. Eadem natura foris, quæ intus; eadem inſtitutio, apud homines & apud Dominum, eadem libertate conſtat. Quò ergo foris quidem bonum ſuum abſtrudunt, in Eccleſia promulgant?] Hanc abuſionem, Tertullianus toto eo libro potenter euertit; & Virgines quoque, etiam in templis, tecta debere præferre Capita, accuratiſſimè confirmat. Nec aſſentior nupero ſcriptori qui diſp. 3. de re veſtiaria Iudæorum cap. 1. §. 6. librum illum à Tertulliano iam Montani ſomniis dementato conſcriptum ait, & contra vſum Eccleſiæ Virgines habendi inuelatas, pugnare contendit. Sed hæc omnia gratis dicta ſunt, & præter cæterorum omnium mentem.

Quoad fœminas verò, ſupponit Tertullianus, vt per ſe notum ex vſu receptiſſimo, & Apoſtoli mandato, indubiè ac nemine refragante illas aſtringente, neque in templo, neque alibi, potuiſſe tegmen Capitis abiicere. Vnde cap. 17. ſic concitatur in quaſdam mulieres ad quas orationem conuertit, poſt diſcuſſam Virginum cauſam. [Sed & vos admonemus, alterius pudicitiæ (hoc eſt coniugalis) mulieres, quæ in nuptias incidiſti; ne ſic à diſciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ, vt quia reijcere illa non poteſtis, alio modo deſtruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant Caput, ſe colligant à fronte quidem protectæ:

quâ

quà propriè autem Caput eſt, nudæ. Aliæ modicè linteolis, (credo ne Caput premant) nec ad aures vſque demiſſis cerebro tenus operiuntur. Miſereor ſi tam infirmo auditu ſunt, vt per tegmen audire non poſſint. Sciant, quia totum Caput mulier eſt. Limites & fines eius, eò vſque porriguntur, vnde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, vt ceruice quoque ambiantur: ipſæ enim ſunt quas ſubiectas eſſe oportet; propter quas poteſtas ſupra Caput haberi debet; velamen iugum illarum eſt.] Tantúmne? Protenſiùs certè tegmen, paſſim fuiſſe adhibitum, non dicam. Sed Tertullianus Capitis tegmen, *ne in momento quidem horæ reijciendum*, quod in omni rigore, ac etiam intra domeſticos parietes, præferre mulier teneretur, exponere eo loco contentus fuit. Et mox idem Tertullianus, Angelum in ſomnis Chriſtianæ cuidam fœminæ, velaminis ſpatia metatum eſſe, à Capite ad lumbos vſque, teſtatur. Itaque quod cap.15. dixerat, velamen fœmineo Capiti eſſe galeam, & clypeum protegentem aduersùs ictus tentationum, aduersùs iacula ſcandalorum, aduersùs ſuſpiciones & ſuſurros æmulationum, accipiendum eſt de clypeo oblongo, quales olim in vſu, maiorem partem corporis obtegentes. Quanquam aliquæ adeò tenuibus velis operiebantur, vt ſubtus poſita reticula crines complectentia apparerent, & capillorum elegantia in oculos incurreret. Quod cauendum monebat S. Auguſt. epiſt. 109. verbis illis. [Ne ſint vobis tam tenera Capitum tegmina; ne reticula ſubter appareant.]

Quod tamen, etiam domi velari mulierem volebat Tertullianus, ex auſteriore eius genio profectum eſt, nec ab Apoſtolo Patribúſve inductum. Clemens certè Alexandrinus perelegenti in hanc rem loco, contrarium tradit. Ita enim habet lib. 3. pædag. cap. 11. *ſub finem.* [Mulier ſemper tecta ſit, niſi domi fuerit. Eſt enim honeſtus habitus, & ex quo nihil poſſit offenſionis ſuſcipi. Ipſa enim nunquam labetur, ſi & verecundiam & veſtem ante oculos poſuerit; nec ad peccati lapſum, alium prouocabit, dum vultum ſuum aperit. Hoc enim verbum requirit, quandoquidem conuenit eam tectam orare. Dicunt autem, Æneæ vxorem propter inſignem honeſtatem, ne cum Troia quidem caperetur, perterritam, ſe detexiſſe; ſed etiam dum ab incendio fugeret, manſiſſe coopertam. Eiuſdem operis lib. 2. cap. 10. *ad finem.* Clemens cum retuliſſet laudes, à petulantibus quibuſdam tributas fœminis, quarum intectas partes quaſpiam conſpexiſſent, addit: [Nolo pudicas fœminas præbere talium laudum cauſam, iis qui per huiuſmodi laudes vt probrum eis afferant, venantur. Nec verò ſolùm calceum nudare eſt prohibitum; ſed etiam Caput tegere, & vultum adumbrare iuſſum eſt. Neque enim honeſtum eſt, corporis pulchritudinem, eſſe hominum aucupium. [Hæc ratio tegendi Caput mulieris, non vrget eam, cum intra domum verſatur. Video S. Ambroſium adſcribi Clementini. Nam lib. 1. de pœnit. cap 13. præfatus, non eſſe alligandum ſinni ignem impuri amoris, qui edaci flamma libidinis conſumat animam, ideóque coërcendum eſſe vultus alieni aſpectum, addit. [Vel conſuetudo nos docet: ideò velamine obnubit Caput ſuum mulier, vt etiam in publico tuta verecundia ſit; non facilè vultus eius in adoleſcentis oculos occurrat; nuptiali velamine tecta ſit, ne vel fortuitis occurſibus pateat ad vulnus, vel alienum, vel ſuum. Sed vtrumque, ſuum vulnus eſt. Quod ſi tegmine Caput velat, ne temerè aut videatur, aut videat, (dum enim Caput velatur, vultus abſconditur) quanto magis velare ſe debet pudoris tegmine, vt etiam in publico, habeat ſuum ipſa ſecretum?] Quin etiam iuxta creditum Ambroſium 1. Corint. 11. Apoſtolus mandans vt fœminæ Caput velent, non agit niſi de Eccleſia & conuentu publico ad pſallendum, vel etiam prophetandum. Sic enim format Apoſtoli eo loco argumentationem. [Mulier ergo ideirco debet velare Caput, quia non eſt imago Dei, ſed vt oſtendatur ſubiecta. Et quia præuaricatio per illam inchoata eſt, hoc ſigni debet habere, vt in Eccleſia propter reuerentiam Epiſcopalem, non habeat Caput liberum, ſed velamine tectum: nec habeat poteſtatem loquendi, quia Epiſcopus perſonam habet Chriſti. Quaſi ergo ante iudicem, ſic ante Epiſcopum, quia Vicarius Domini eſt, propter reatus originem ſubiecta debet videri.] Affine eſt quod Tertullianus lib. de Cor. milit. cap. 4. obſeruat, Suſannam in pomario, & (vt ipſe vocat) in ſtadio mariti, aperto viſam Capite, in iudicio tamen comparuiſſe velatam, quia rea veneræ, erubeſcens de infamia ſua. Mulier ergo in Eccleſia, coram Epiſcopo Iudice & locum Dei tenente, velatur, de ſuo reatu & inuecto per eam peccato erubeſcens; domi autem ad Caput velandum non adigitur, quicquid Tertullianus affirmarit, contrarium vt proximè audiſti, de Suſanna faſſus. Quod Laurentius Landmeter lib. 1. de vetere Clerico & Monacho part. 1. c. 5. ex Oecumenio 1. Corinth. 11. & ibidem Eſtio, perperam ipſe quoque, operimentum vbiuis mulieri indictum contendit, audiendus non eſt.

SECTIO VI.

Sigillatim de profanis vſuariis Capitis fœminei integumentis.

QVia iuxta Apoſtolum, priùs eſt animale quàm ſpirituale, & ex ſæculi fœminis Virgines Deo dicatæ oriuntur, recenſebo ſigillatim primo loco, tegmina profana mulierum ſæculi, deinde ad ſacrarum mulierum integumenta progrediar, quæ adeò ſunt illis congruentia, vt Tertullianus lib. de vel. Virg. cap. 16. hortetur Virgines, aſſumpto velamine mentiri aliquid coniugij, vt ſtatum Virginum ſeruare poſſent: nam ſubiectio ad virum per velamen expreſſa, earum maximè propria eſt, quarum eſt ad virum conuerſio, hoc eſt quæ nupſerunt. Vnde aliquatenus ſe nuptas mentiuntur, quæ aſſumunt eam notam, coniugatarum præcipuè propriam. Itaque iure ordimur à tegminibus profanis fœminarum de ſæculo, ſiue quæ iam viris ſeruiunt, ſiue quæ deſtinantur vt ſeruiant, & *Virgines hominum* nominantur à Tertulliano eodem libro cap. 3. nec ſemel alibi.

Inter

Inter hæc Capitis tegmina ordiendum à flammeo quaſi initiante mulierem. Nonius enim, flammeum ait tegmen eſſe quo Matronæ Capite operiunt, vtique cum nubunt, & Matronæ primùm dicuntur. Vnde Tacitus annali 15. propudioſas Neronis cum Pythagora pocillatore, vt viro, nuptias referens cum reliqua omnia in nuptiali pompa adhiberi ſolita, auſpices, faces nuptiales, thorum genialem, interueniſſe docet, tum nominatim ait; [Imperatori impoſitum flammeum.] Et Quintil. declam. 306. vetulam nubentem alloquens; [Operis (inquit flammeo canos.] Et contrario S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, vt Virginem notaret conſecrandam, [Neptis Chriſti flammeo reſeruatur;] *flammeum* porrò aliqui dictum volunt à flaminica, quæ eo ſemper vtebatur, nec facere diuortium poterat. Benè, niſi geminum *m* obſtaret, & à calore potiùs ductum fuiſſe id nomen, ſuaderet: Erat enim primùm flammei, id eſt lutei coloris, Plinio teſte lib. 2. cap. 8 & iuxta illud Lucani lib. 2. Pharſal.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Sicut luteos nubentis ſoccos, Seneca exhibet in Medæa. Et inſinuat Catullus apud Briſſonium de ritu nupt. *pag.* 29. Poſtea tamen mutatus eſt flammei color. Nam album fuiſſe Feſtus docet; purpureum verò antiquus Interpres Iuuenalis ad Satyr. 6. Vtrumque colorem nectit S. Iſidorus, adductus cap. *Fœmina* 30. q. 5. alborem referens ad vitæ munditiam, purpuram verò ad ſanguinis poſteritatem. Niſi mauis eum colorem cum eodem Iuuenalis ſcholiaſte, referre ad ruboris cuſtodiam eo colore inſinuatam; in quem finem adhibitum nubentis Capiti tegmen, & ab ea obnuptione dictas nuptias, S. Ambroſius auctor eſt lib. de Abrah. cap. 9. Ad imitationem nuptialis huius velaminis, & ob proportionem cum eo, velum conſecratum quo piæ Virgines Chriſto nubebant, dictum *flammeum*, proximè dixi ex Hieronymo & infrà pleniùs proſequar. Quanquam quod Latinus Interpres vitæ Chryſoſtomi, per Georgium Alexandrinum cap. 55. cum de ſactis Virginibus, abrepto Capitis operimento dehoneſtatis agit, Græcam Georgij vocem *μαφόριον*, expreſſit per Latinam vocem *flammei*, perperam expreſſit, vt mox patebit.

Mitra tametſi nomen eſt polyſimon, propriè tamen ſignificat tegmen Capitis muliebris. Non dico ſignificare veſtem (vt malè aliquibus viſum apud Petrum Fabrum l. 1. Semeſtr. cap. 15.) ſed tegmen Capitis. Varias quas dixi huius vocis notiones, recenſuit Paſchalius lib. 4. de cor. c. 20. & 21. Nam interdum quidem, ſumitur pro nocturno virilis Capitis pileolo: aliàs pro faſcia, ſeu lamina pectus muliebre conturante, cuiuſmodi item æreas mitras interiùs, circa imam ventris partem geſtabant prægnantes, ad maiorem fœtus ſecuritatem & indemnitatem, eáſque mitras in primo partu ſoluebant, & Dianæ appendebant: quod dicebatur *Zonam ſoluere* iuxta Paſchalium: reclamantibus omnibus aliis, qui ſolutionem Zonæ, referent ad cinguli nouæ nuptæ ex lana ouis confecto, & vincto nodo Herculano, exſolutionem per virum. Videſis Briſſonium de ritu nupt. *pag. mihi* 25. Sed & *mitra* notio pro Diademate, non infrequens antiquis. Cæterum maximè propriè, mitra tegmen fuit ad fœmineum Caput operiendum. Sed aliquandò quidem, ſonat Capitis muliebris redimiculum, è quo pendebant faſciolæ quæ *phylla* dicebantur, quod florum inſtar dependerent, ait Onuphrius in calce libri de vocibus Eccleſiaſticis obſcurioribus. De hac *mitra* notione, pro faſcia circa apicem capillos obligante, videndus Ludou. Cœlius lib. 26. cap. 10 & Pradus ad c. 21. Ezech. ad illud *tolle cidarim*. Hoc ſenſu, Iudith, c. 10. dicitur impoſuiſſe *mitram ſuper caput ſuum*. Et apud Naſonem in Epiſt. Deianiræ ad Herculem, ſubſannatur vir.

Auſus & hirſutos mitrâ redimire capillos.

Id quod etiam Iarbas 4. Æneid. ridet in Paride, eum ſemiuiro comitatu. Et lib. 10. ridentur Troës obſeſſi, habentes redimicula mitræ. Aliàs verò mitra, integrum Capitis tegmen ſignat. Quæ videtur notio *mitra* apud Papinium lib. 9. vbi Atlantiades negans ſe effœminatum, ait, haudquaquam deformes vertice mitras induimus. Lyranus Iudith. 10. muliebre huiuſmodi Capitis tegmen *Calanticam* eſſe cenſet. Ipſe *Cuffam* vocat Gallicè *vne coiffe*. Et ſuffragatus videtur ad locum Maronis annotatum, qui pileum contraponit mithræ; & hanc muliebri Capiti tegendo, illum virili addicit. Vtraque ex variis locis Auctorum illuſtrata mitræ forma, per multiplicatas ſpiras, variis locis ac temporibus habuit locum. Quare non ab re, mitram inter Capitis fœminei tegmina recenſitam voluimus, non inter nuda ornamenta; cuiuſmodi erant *vitta*, ſiue Matronales multiplices ſiue Virginales ſimplices. de quibus plenè Bernartius ad lib. 5. Thebaïdos *ſub finem*. Matronales autem duntaxat aut Virginales vittas dixi, quia famoſis mulierib., æquè vittarum ac ſtolæ vſu interdicebatur. Vnde Naſo, ſcripta obſcœna non pudicis ſed impudicis ſcripta excuſans, aiebat.

Scripſimus hæc illis, quarum non vitta pudicos
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Et idem iterat, negans ſe de illis, aut ad illas ſcripſiſſe,

Quas ſtola contigi, vittáque ſumpta vetat.

Præterea alibi, ſic canit in eandem ſententiam:

Eſte procul vitta tenues, inſigne pudoris;
Quæque tegit medios inſtita longa pedes.

Non potuit diſtinctiùs, vitta pudicis innuptis aut nuptis mulieribus adſcribere.

Stolam Caput quoque mulierem operuiſſe, monſtrat illa eius deſcriptio apud S. Iſidorum lib. 19. cap. 25. [Stola matronale operimentum quod cooperto Capite & Scapula à dextro latere in læuum humerum mittitur. *Stola* autem Græcè vocatur, quod ſupermittatur. Eadem, & *ricinium* Latinio nomine appellatum, eò quod dimidia eius pars retrò reijcitur, quod vulgò *Mauortem* dicunt. Vocatam autem dicunt *Mauortem*, quaſi Martem. Signum enim maritalis dignitatis & poteſtatis, in eo eſt. Caput enim mulieris vir eſt; inde & ſuper Caput mulieris eſt.] Hæc ſtola, metonymicè eſſe videtur illa inſtita inſigne pudoris in Matronis, de qua Ouidius l. 1. de Arte proximè adducto diſticho.

Eſte procul vitta tenues, inſigne pudoris
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

In eodem libro, vt proximè quoque referebam, pudicas deſcribens, vocat,

Quas ſtola contingi, ſumptáque vitta vetat

Matronarum quippè honeſtarum propria erat ſtola, iuxta illud Cæcinæ Seueri apud Tertull. l. de pallio c. 4. [Matrona ſine ſtola, in publico?] Et conſonat illud Martialis,

Qu s floralia veſtis, & ſtolatum
Permittis meretricibus pudorem?

Et Flaccus 1. Serm. Satyr. 2. eodem reſpexit, cum dixit.

——— Sunt qui nolunt tetigiſſe niſi illas
Quarum ſubſuta talos tegit inſtita veſte.

Quia ſolæ Matronæ pudicæ, ſtolatæ erant; & ſtolam ad talos vſi menios pedes demiſſam, ambiebat inſtita. Et idcirco interdum *ſtola*, pro matrona vſurpatur, vt apud Papinium corruptos mores ſub Domitiano deſcribentem.

Omnis plebeio teritur Matrona tumultu.
Hinc eques, Hinc iuuenum cœtu ſtola mixta laborat.

Probroſum enim antea erat, Matronam & honeſtam mulierem, in publicum procurrere. At ſi abſque ſtola apparuiſſet, exauctoraſſe ſe videretur; & Lentuli Auguris conſultis, pro ſtupro erat pœna, ait Tertullia. illo 4. libri de pallio.

Quod addebat S. Iſidorus, *Mauortem* ad ſtolam & fœminea Capitis operimenta pertinere, firmatur ex Seruio ad 1. Æneid. vbi ait: [Ricinius dicitur, ab eo quod poſt tergum reijcitur, quod vulgò *Mauorte* dicitur.] Similiter Nonius. [Ricinium, quod nunc *Maforium* dicitur.] Suidas cum *credemno* idem eſſe ait. Paſſio Pauli, ex Lino, & Beda in Martyrol. 20. Septembris Fauſtam & Plautillam Mauorte opertas Capita, referunt. Et idem ipſum fuit tegmen Capitis S. Soteris, quæ palmis cædi iuſſa; [vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit; fuit inuelata atque intecta Martyrio;] vt de ea loquitur S. Ambroſius ſub finem exhortationis ad Virg. & lib. 3. de Virg. attingens martyrium, huius *pia* (vocat) *parentis*, ac *auctoris generis ſui*. Quomodò ergo Virginis, vt habent tabulæ Eccleſiaſticæ 10. Februarij? Erat itaque *Mauors* huiuſmodi, (aut *Mapborium*, vt ex Gloſſis Arabicis Latinis habet Meurſius, & Suidas ac Phauorinus; vel *Mafors* V. Litera pro digamma F. & viciſſim de more vſurpata:) erat, inquam *Mauors*, tegmen, ſed latius & protenſius, quàm vt Caput ſolum contegeret. Vnde S. Hieronym. epiſt. 12. ſugillans ſacras Virgines ineptientes, & luxum ſæcularem abſurdè vſurpantes, ait præter cætera. [Et per humeros Hyacinthina læna, mauorte volitans. Vbi Marianus, notari ait Virginum illarum vanitatem, quæ Mauortem (vt ex Caſſiano l. de habitu Monachi c. 7. patet,) anguſtum alioqui amictum, adeò laxum haberent, vt per humeros quos tegebat, vna cum eo Hyacinthina læna illi adiuncta velare videretur. Longè etiam ampliorem Mauortem exhibent acta Concilij Pictauienſis, in cauſa Regiarum puellarum, & Abbatiſſæ cœnobij Sanctæ Radegundis. Hæc enim à puellis accuſabatur, quod ex Mauorte holoſerica, per Didimiam donata Eccleſiæ, ornaſſet ſponſam neptem ſuam, iis tu illam vſurpatis, quæ pallæ altaris ex tali Mauorte confectæ ſuperfuiſſent. In ſtatois. eandem Mauortis formam conſpici, notat Baronius anno 583. num. 80. rectè à matronali Mauorte & prælonga & laxa, anguſtam Monachorum breuémque Mauortem ſecernens; de qua rurſus Caſſianus l. 4. c. 13.

Pallia fœminea, quæ item prælonga & laxa erant, Caput quoquè operiebant. De cuiuſmodi pallio, valet quod Geneſ. 24. Rebecca aduentantem Iſaaccum ſponſum audiens, citò pallium ſuum arripuit, & vultum operuit, vt Tertullian. exponit l. de vel. Virg. cap. 11. necnon S. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 2. ac Hieronym. in cap. 3. Eſaiæ & ſcitè S. Paulinus in Epithal. Iuliani & Iæ, ſic canens.

Pulchra Rebecca ſacrum cum Sponſa veniret ad Iſaac
Simpliciter velo tecta pudoris erat.
Non legitur variis veniſſe ornata lapillis,
Sed ſuper obducto prædita palliolo.
Quo pudibunda ſuum texit velamine vultum,
Oblatam ſponſi Virgo Pauens faciem.

Eſſe nuptialem amictum, & vna cum Capite faciem quoque velaſſe, ait Nyſſen. homil. 12. in Cant. Θέριστρον dixere L X X. quod eſſe æſtiuum peplum, Pollux docet, ac Suidas, & benè Lippomanus Geneſ. 38. verſ. 14. vbi de theriſtro quod Thamar ementiens fornicariam, ſumpſit. Hebrææ ſiquidem mulieres, peplum à Capite ad talos ferè demiſſum, geſtare ſolebant; quo Virgines, & faciem (quantum per viæ initionem libebat,) & corpus totum operiebant; Vxoratæ corpus quoque, dempta facie; Fornicariæ autem habitum Virginum ementiebantur, & ſe totas peplo contegebant, vt fecit Thamar Gen. 38. Vnde quod Cant. 1. ait Sponſa, *ne forte vagari incipiam*, iuxta textum primæuum, ſic habetur, *Cur ero quaſi deſuper amicta*, id eſt, *velut meretrix huc illuc aberrans*, quæ eſt ſuperamicta, & contecta per totum, præferens externa ſpecie Virginem, vt procos faciliùs abducat? Iidem L X X. Ezech. 16. voce nouata, huiuſmodi theriſtrum dixere τριχάπτον, de qua voce pulchrè ibi S. Hieronymus, qui vertere maluit, *indui te ſubtilibus*: quia hoc peplum valdè tenue erat & ſubtile, interque ea textilia numerandum, quæ Seneca *nebulam lineam, & ventum textilem* appellauit. Idem Hieronymus ad Lætam, ſtatuit hoc pallium eſſe pudicitiæ ſignum, & humeros texiſſe docet in Epiſtola de ſuſpecto contubernio

Quid eſt autem, quod Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus, ſuam ad Nicephorum Phocam legationem deſcribens, imperatorem Græcorum, ait fuiſſe theriſtratum? Idem lib. 3. Hiſtoriæ cap. 5. ait, Imperatorem penè laceratum fuiſſe, per canes ab Hugone Rege miſſos, eo quod Græcorum more opertus theriſtro, veluti monſtrum canibus appatuiſſet? Num Theriſtrum, à viris quoque, Capiti tegendo adhibitum? Idem Luitprandus deſcribens eandem legationem ſuam ad Nicephorum Phocam, *pag.* 102. [Cum pileatus equitarem (inquit. Meque Curopalates à longè proſpiceret, filio celeriter directo, mihi mandatur, fas non eſſe, quempiam, vbi Imperator eſſet, pileatum, ſed theriſtratum incedere. Cui, mulieres, inquam, noſtræ tiaratæ, & theriſtratæ, viri equitant pileati.] Aliud planè eſt virile hoc theriſtrum à fœmineo, quod peplum à tegendis ἐν θέρει, hoc eſt in æſtate & caumate, fœmineis corporibus, eſt denominatum, vt Sanctus Hieronymus docet Iſaiæ 3. & in Hebraïcis Traditionibus, vtrubique notans, eſſe pallium & genus Arabici veſtimenti, quo mulieres Arabiæ ac Meſopo-

tamiæ

tamiæ tegebantur. Cum Maphorte, aut (vt ipſe loquitur) Maphorio, *theriſtrum* confundit Philo Carpathius in cap. 5. Cant. Apud Suidam, Maphorum eſt operculum Capiti colligatum κεφαλόδεσμον, vt apud eum, videre eſt V. κρήδεμνον. Apertiùs verò Euſtathius Iliad. ξ. κρήδεμνον ait Capitis eſſe velamentum ad humeros vſque demiſſum; quod ne ventorum vi decuteretur, Capiti obligaculo quopiam aſtringebatur; vnde à Suida κεφαλόδεσμον eſt appellatum. Hoc igitur breue Capitis operculum, quod non niſi ad humeros demittebatur, viris quoque in vſu erat, vt habetur ex Caſſiano *Maphortem* illud denominante lib. de hab. Mon. cap. 7. meminitque eiuſdem *Maphortis*, cui poſtea pallij nomen indit Fortunatus lib. 2. de vita S. Hilarij. Sed & Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. Herculem in Theriſtro fuiſſe referens, huiuſmodi maphortem ſignabat.

Calyptram, Delrio Geneſ. 24. verſ. 75. agens de pallio quo Rebecca ſe operuit, cenſet idem eſſe quod *theriſtrum* & *flammeum nuptiale*. Hadrian. Iunius, quorumuis fœminei Capitis tegminum nomen eſſe vult, calyptram. Verùm propriè calyptra, erat ſpeciale Reginarum tegmen: vt propterea Aëtio pictor, apud Lucianum, Alexandri & Roxanes nuptias repræſentans in tabula; expreſſerit Alexandrum detrahentem Regiæ calyptram. Plato item in Alcibiade 1. meminit agri in Perſide cui nomen erat *Reginæ calyptra*, quia agri illius prouentus erant attributi Reginæ in ſumptus Calyptræ. Sicut pendi ſolitam Reginæ Luſitaniæ, nomine Soccorum, certam penſitationem Acta S. Xauerij produnt. Similia ex Tullio Verrina 5. Athenæo ac Diodoro notat Briſſonius lib. 1. de regno Perſar. *pag.* 100. Legeſis item Dauſquejum ad orat. Baſilij Seleuc. de Adamo. Videtur Calyptra idem eſſe cum *Regillo*, quod Reginas operuiſſe & inde nomen traxiſſe ait S. Iſidorus lib. 19. Orig. cap. 25. Inter ſupellectilem Deorum atque Dearum, enumeratam ab Arnobio in calce libri ſexti, habentur *caliandria*, aut vt alij legunt *caliendra*; quæ videntur eſſe Regilla & Calyptræ Dearum, vt expoſuit Turnebus lib. 25. aduerſ. cap. 27. dicens idem eſſe quod *recina*, vtique reſtricta ad Reginas, cuiuſmodi cenſebantur Deæ omnes. Rurſúſque lib. 7. cap. 20. *caliandria* Arnobij arbitratur eſſe ea Capitis operimenta quæ Græci κάλυπτρα vocant: quod allegat illud ex 1. Serm. Flacci Satyr. 8. —— altum Saganæ *Caliandrum*, vbi non omnes Interpretes verum illius vocis notionem expreſſerunt. Lambinus enim & alij quidam, Gualtero non improbante, exponunt comam aſcititiam. Sed quod dixi, verius videtur. Meminit item *Caliendri* tanquam fœminei pepli, Tertullianus cap. 4. de pallio, expoſtulans, ſui æui fœminas eieciſſe omnia quibus obtegere facilè, & videre ac videri prohiberentur; & inter cætera *Caliendrum* prætermiſiſſe commemorat.

* * *

SECTIO VII.

Sigillatim de tegmine Capitis mulierum Deo deuotarum, & ſacrarum Virginum.

VT in cæteris omnibus prælucere exemplo par erat ſæculi mulieribus atque Virginibus, mancipatas Diuino obſequio fœminas, ſiue viduas, ſiue quas Tertullianus l. de vel. Virg. c. 3. nominat *Virgines Dei*; ita hac quoque in parte, ſtudioſè præluxerunt, cum ſedulò velantes Capita; tum adhibentes tegumentum quod modeſtiam & humilitatem inſinuaret. Nec obeſt quod aliquando legimus, Virginem ſacro velamine operiendam non eſſe, ante annum ætatis quadrageſimum. Sic enim edicitur in Concilio Agathenſi c. 19. & in Concilio Cæſaraugustano c. 8. firmatúſque in Majoriani Imperatoris Nouella. Imo apud S. Gregorium l. 3. epiſt. 11. dicitur, non niſi ſexagenariam, eſſe velandam. Hoc inquam non obeſt antedictis. Quamuis enim velamen ſacrũ quod certo ritu ab Antiſtite conſecrabatur, alicubi non imponebatur ei quæ ſpatio lõgi illius temporis in Concilijs prædictis præſcripti virginitatem non probaſſet; tamen cum multo anteriùs virginitatem profiterentur, hoc eſt anno ætatis 16. vel 17. (vt habetur ex S. Baſilio epiſt. 1. ad Amphiloch. c. 18. vel anno 25. vt eſt in Concilio Carthaginenſi III.) nemo non videt velamine vſas; id quod S. Ambroſius infinitiès teſtatur, ſed expreſſiſſimè l. 3. de Virgin. At S. Gregorius non agebat de velo conſecrationis, ſed de velo prelationis. Vetat enim eligi Abbatiſſam ante eam ætatem. Et veriſimile eſt irrepſiſſe mendum; ac vbi legitur *velari permittat*, legendum eſſe *creari permittat*, vt benè coniecit vir doctiſſimus Petrus Monodus in Hierologio V. *velum prelationis*. Omitto paucas quas occulta flamma concupiſcentiæ, in ipſa ſacra vita vaſtabat, quas pœnitebat profeſſionis, & pigebat confeſſionis; (verba ſunt D. Auguſt. l. de Sancta Virginit. cap. 34.) addens de alijs: [In quibus eſt quidem placendi appetitus, aut de elegantiore veſtitu quàm tantæ profeſſionis neceſſitas poſtulat, aut Capitis ligamento notabili, ſiue pro tumidis vmbonibus capillorum, ſiue tegminibus ita teneris vtuntur, vt retiola ſubtùs poſita appareant.] Ligamentum illud notabile, & tumidos vmbones capillorum, à S. Cæſario ſuis Monialibus improbatos legimus, verbis illis capitis ſeptimi recapitulationis. [Moneo ſpecialiùs, vt ſicut iam diximus, veſtimenta lucida vel nigra, vel cum purpura, vel bebrina, (id eſt caſtorinis pellibus,) nunquam in vſu habeant, niſi tantùm laïa & lactyna. Capita nunquam altiori ligent menſura, quàm in hunc locum de incauſto fecimus.] Nimirum adhibito atramento, (id intelligit Cæſarius per *encauſtum* vel *incauſtum*; vt etiam factum eſt à S. Auguſtino lib. 13. contra Fauſtum cap. vltimo, & à S. Iſidoro in Gloſſis) conſtituta erat in pariete, alióve loco, menſura altitudinis ad quam religandum erat caput: ne Moniales pro more ſæcularium mulierum tertio capite apparerent,

tent. In Femina culta de ſæculo, illud ſic notat Iuuen. ſatyr.6.

—— Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Legunt alij.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum.
Turrificat caput: Andromachen à fronte videbis.

Quod plerumque aſcititiis capillis factum, monſtrant illa S. Hieronymi ad Demetriad. [Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere.] Lucanus quoque de ea (vt Tertullianus dixit lib. de cultu fœmin.) enormitate ſutilium capillamentorum affixa capiti, *Turritámque gerens frontem.* Petrus Bellonius lib. 2. obſeruat. cap. 35. ad capitis ornamentum in turriculæ modum, refert *turrus* appellationem. Quanquam Magdalenam alia de cauſa, (ob fidei ſcilicet ardorem) turritam denominat S. Hieronymus Epiſtul. 15. Videndus de eo titulo, Ioannes Antonius Caſtellioneus in opere de Baſilica Vincentiana Medit.faſcic.7.pag.219. & Paſchal.lib.5.de Coron. cap.5. & lib.7.cap.3.& lib.9.cap.10.Sanctius Eſter cap.4.v.4. Illas ergo ſacras Virgines, quæ in tutulos (ſic vocat Varro lib.4.de ling Lat.) faſtigiabant ſæculariter capita, meritò S. Auguſtinus coërcitas voluit. Has liquet non fuiſſe de Capite obtegendo ſollicitas; ſed quæ initæ profeſſionis memores erant, magno ſtudio, ea quoque in parte ſectabant modeſtiæ, & humilitati decenti ſacram Virginem.

Habemus ſtudij prædicti inſignia exempla in Actis Sanctorum. Ac primùm Sancta Matrona, cùm deſerto ex reuelatione marito, inter viros ſpecie Eunuchi, profeſſa eſſet vitam Monaſticam, deprehenſa ex diuino viſo a Baſſiano Abbate, audiuit increpantem; [Quomodo cùm ſis mulier, ad Diuina Sacramenta acceſſiſti nudo Capite, & in pacis ſalutatione os tuum ſecurè exhibuiſti fratribus;] Illa verò (ait Metaphraſtes ſanctæ mulieris exercitationem deſcribens 8. Nou.) [Quod ad diuina quidem dona attinet (inquit) ſimulans imbecillitatem, non omnino auferens tegmen quod erat in Capite, ita ad Sacramentorum accedebam communionem. Charitatis autem apud Fratres ſignum, nunquam recuſabam. Neque enim hominum vultibus, ſed hominibus Angelicam imitantibus impatibilitatem, meipſam offerre exiſtimabam.] Admiſit excuſationem Baſſianus, ſed ita vt adderet, [de cætero ô filia, oportet te vittam tuo Capiti imponere, propter legem naturæ.] Non exiſtimabat pius Abbas, fas ſibi eſſe diſpenſationem interponere in ea lege quæ mulierem, etiamſi Deo addictam, iubet Caput contegere. Acta Sanctæ Melaniæ iunioris, quæ à marito Apiniano ex conſenſu diuulſa, Deo ſe mancipărat, aliud ſtudij prædicti exemplum luculentum continent, vt iam ſupra retuli. Contra legem namque vigentem apud Romanos, vt nullus vir, nec mulier ad Imperatricem operto Capite accederet. Melania legem nihil curans, velata acceſſit non tyrannorum mores, ſed Pauli legem maximè dicens oportere conſeruare; qui non ſinit mulieres nudo Capite incedere. Sic ibi de acceſſu S. Melaniæ ad Verinam Imperatricem. Deſcribens item res geſtas S. Rictrudis Hugbaldus Elnonenſis, refert eam perempto Adalbaldo Coniuge, cum à Dagoberto Rege ad alias nuptias deſtinaretur, ſuper conuiuium cui Rex accumbebat, velum è ſinu promptum, ſuo Capiti impoſuiſſe, ſignum addicti Deo obſequij, & alieni à mortalibus nuptiis animi. [Vt verò (addit Hugbaldus) quod in interiori gerebatur homine, id etiam exterior præ ſe ferret, ſicut mentis mutarat habitum, ita mutauit & corporis, &c. Impoſuit autem Capiti, tetrum quendam amictum, vt interioris hominis luctum & pœnitentiam deſignaret.]

Quis hic eſſet teter Capitis amictus, Rictrudi impoſitus, æſtimare poſſe videmur, ex operimento Capitis quòd adhibebat inter Tabenneſiotas ſancta illa Virgo anonyma, cui cognomen fuit *Salem*, id eſt, *inſana*, iuxta Palladium cap. 41. Lauſ. vel *à Dæmone vexata*, iuxta Pelagium lib. 5. vitæ Patrum libello 18. num. 19. Eam in Parthenone, trecentarum, iuxta Palladium, imò iuxta Pelagium quadringentarum Virginum, viliſſimis quibuſque coquinæ miniſteriis addictam, & verè iuxta Prouerbium *ſpongiam Monaſterij*, omniúmque ſordium perìpſema, Spiritus Sanctus per Pitirum, ſiue Poyterium Abbatem, cui ab Angelo eſt reuelata, ſimilem fecit in gloria Sanctarum & magnificauit. Monitus enim eſt Abbas, vt in eo Parthenone quæreret Virginem ipſo religioſiorem, & notam accepit; [Vnam ex ipſis illic inuenies, habentem in Capite coronam, ipsámque cognoſce te eſſe meliorem.] Corona illa quæ eſſet, ſic paulo poſt exponitur à Pelagio. [Cum ad eum fuiſſet exhibita, vidiſſétque panno frontem ipſius inuolutam, proiecit ſe ad pedes ipſius.] Palladius diſtinctiùs. [Aliarum quidem Virginum erat eiuſmodi habitus, vt eſſent tonſæ & haberent cucullos in Capite. Ipſa verò panno Caput obuoluta, obibat earum omnium miniſterium, &c. Ea ergo adducta, vidit magnus, eius faciem, & pannum in Capite & fronte eius, & cadens ad pedes eius dixit ei, Benedic. Amma.] Aiebam operimentum vſuarium quod à S. Rictrude adhibitum Capiti referebat Hugbaldus, fuiſſe huius rationis; faſciam ſcilicet craſſam & vilem, in modum coronæ, incondité obuoluentem. Caput & in frontem vſque demiſſam, cuiuſmodi eſt plerumque in viliſſimis ancillis, & ruſticanis mulieribus, tegmen Capitis. Quanquam velum quoque à S. Amando conſecratum, quod ſibi ſuper conuiuium teſtem calcati ſæculi impoſuerat, adhibuiſſe non dubito. Sed ea ancilla Dei, anonyma, pro more cæterarum eius oræ Sanctimonialium tonſa erat, quod de ſancta Rictrude non eſt proditum.

Hoc ipſum ſeruatum eſſe in Monaſteriis Orientalibus, tradit in hunc modum S. Hieronymus Epiſt.48. [Moris in Ægypti & Syriæ Monaſteriis, vt tam Virgo quam vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcarint; crinem Monaſteriorum matribus offerant deſecandum; non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ Capite, ſed ligato pariter ac velato: nec hoc quiſpiam, præter tondentes, nouit, & tonſas: niſi quod, quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam, de conſuetudine verſum eſt in naturam:

vel

vel quia lauacrum non adeunt; vel quia oleum nec Capite, nec ore norunt; ne à paruis animalibus quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus, opprimantur.] En deſectum capillum, nec tamen Inlectum Caput; ſed ligatum pariter & velatum per Sanctas Virgines & Viduas.

De vſu illo tondendi ſacrarum Virginum Capita per Orientem, eſt locus illuſtris in actis S. Syncleticæ, conſcriptis per S. Athanaſium cap. 1. Poſtquàm enim narrauit, eam parentibus defunctis accepta ſecum ſorore cœca, diſtribuiſſe omnia ſua in pauperes, ſubdit. [Acceſſito ſene quodam prouectæ ætatis, curauit præcidi comam Capitis ſui. Tunc enim primùm dicitur abieciſſe omnem *κόσμησιν*, hoc eſt *mundum & compturam*. Nam in vſu erat apud mulieres, vt comam vocarent *κόσμον*, & eum comam ponerent, dicebantur poſuiſſe mundum & compturam. Erat autem præciſio iſta comæ, ſymbolum iam animum purum eſſe, & expurgatum ab omnibus ſuperfluitatibus & excrementis: & tunc primùm dignata eſt, vt ſolemni nomine vocaretur Virgo.] Fortaſſis, quia coma muliebris, eſt nota poteſtatis viri in mulierem, iuxta Apoſtolum; vt ſignificaretur, per addictionem puellæ ad Dei obſequiũ, excuſſum ab ea eſſe iugum virilis poteſtatis, idcirco attondebatur. Sed ſunt præterea myſticæ cauſæ complures, de quibus Hipparchus non indiligenter. §. ſ. à nu 9. De vario variis in locis vſu tondendi ſiue non Moniales, latè Franciſcus Meinardus ad cap. 7. recapitulationis Regulæ Monialium S. Cæſarij, & Bened. Haëftenus lib. 5. diſquiſ. Monaſtic. tract. 9. diſp. 6.

Neque verò eum vſum, ſacra virginum Capita attondendi, abſolutè reprehendit S. Hieronymus, cum epiſtol. 22. ait [Sunt nonnullæ exterminantes facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes; quæ ſtatim vt aliquem viderint, ingemiſcunt, demittunt ſupercilium, & operta facie, vix vnum oculum liberant ad videndum: veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidis manibus, pedibúſque: venter ſolus, quia videri non poteſt, æſtuat cibo. His quotidie pſalmus ille canitur; *Dominus diſſipauit oſſa hominum ſibi placentium.* Aliæ virili habitu, veſte mutata erubeſcunt eſſe quod natæ ſunt; crinem amputant, & impudenter erigunt facies Eunuchinas. Sunt quæ ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis, vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.] Non reprehendit (vt dicebam) in his Virginibus & deuotis mulieribus S. Hieronymus, crinem amputatum & opertam faciem, vix vno oculo ad videndum liberato; quæ ipſa in aliis probauerat. Reprehendit ergo duntaxat, vanitatem ex qua, iſta fiebant ab aliquibus, præſertimque reſectionem capilli fœminei, vt mares viderentur, veſte etiam muliebri in maſculinam commutata, ſanè illaudabiliter. Aliquando quidem, ex peculiari inſpiratione Spiritus Sancti cui nulla lex eſt poſita, Sanctæ mulieres, viros habitu ſunt ementitæ vt Eugenia quæ *Eugenius* dicta eſt; Euphroſina quæ *Smaragdus*, Pelagia quæ *Pelagius* De Antonina, Theodora Alexandrina, Athanaſia, Suſanna, Marina, Anaſtaſia patricia, Anna Matrona, Apollinari, Glaphyra, Iachelina, Hildegunde, Raderus in Virid. part. 2. 4. & 20. Septemb. Hallucinatus tamen quoad Annam Matronam quæ dicta eſt *Euphemianus*, vt eſt in Menæis 29. Octobris. Ipſe verò Euphemianam quandam excogitat, quæ dicta ſit Euphemianus, ab Anna Matrona diuerſam. Suppetunt item aliarum mulierum exempla, Anonymæ apud Sophronium in Prato cap. 170. & Pabulæ apud Gregorium Turonenſem de glor. Confeſſor. cap. 16. Videndus Baronius anno 316. & anno 527. Honeſtauit hunc agendi modum peculiaris afflatus Spiritus Sancti. Cæteroqui enim proſtat diuinum edictum; ne fœmina virili ſchemate amiciatur, nec vir fœmineo, proſpiciente Deo ne viri effœminentur, & mulieres ſint plus æquo viriles, vt diſſerit Philo lib. de fortitudine. Itaque meritò arguebantur à D. Hieronymo, quæ talia præſtabant, præſertim ad vanitatem aucupandam.

Nec alia fuit mens Concilio Gangrenſi, cuius Canones Apoſtolica auctoritate conditos, (quippe Oſio Cordubenſi Sedis Apoſtolicæ legato præſente) dixit in VI. Synodo Romana, Symmachus Papa. In Concilio itaque Gangrenſi Canon. 17. ſic habetur. [Quæcunque mulier, religioni iudicans conuenire, comam ſibi amputauerit, quam Deus ad velamen eius, ad memoriam ſubiectionis illi dedit, tanquam reſoluens ius ſubiectionis, anathema ſit.] Intentant hunc Canonem, non ſecus ac arietem validiſſimum, ſectarij in ritum Catholicum attondendi virgines ſacras. Sed perperam, & præter Concilij mentem, quæ ex Sozomeno lib. 3. cap. 13. eruenda eſt. Agens ibi Sozomenus de Euſtathij Sebaſtiani Epiſcopi nouis ritibus in ea Gangrenſi Synodo damnatis, ſic ſcribit. [Mulieres non paucæ adductæ in fraudem, primùm viros deſeruerunt. Nonnullæ pietatis ſimulatione caput totondere, & contra quam ſexum mulierem deceret, virilem habitum induêre. His de cauſis, Epiſcopo finitimi Gangris, in vnum conuenerunt, & iſtis Catholica Eccleſia interdicunt, niſi ſingula dogmata quæ modò recenſuimus, ſecundùm decreta Concilij reiiciant.] Manifeſtum igitur ex Sozomeno eſt, Gangrenſem Synodum non damnaſſe vſum tondendi Virgines ſacras, ſed improbaſſe factum impudens hæreticarum mulierum à viris ſuis ſe abiungentium præter eorum conſenſum, & virilem habitum induentium. Idem habet Balſamon ad 17. Canonem Gangrenſem. Itaque Canon Gangrenſis nullatenus incommodat vſui variis locis recepto tondendi Virgines ſacras, quam S. Pachomius in Regula ab Angelo tradita, ſuis Tabenneſiotis Virginibus præſcripſit, teſte in Lauſiaca Palladio: ſed Canon ille ferit duntaxat eas quas dixi, plus iuſto viriles mulieres; id quod etiam in aliis damnabat (vt præmiſi) S. Hieronymus.

Tectum igitur atque ligatum erat tametſi variis locis attonſum; ſacrarum Virginum & viduarum Caput, nonnullo tamen diſcrimine, & inter ipſas, & inter ſæculi mulieres. Nam viduæ non velabantur eo velamine ritibus ſpecialibus conſecrato; quod erat Virginum proprium; iuxta illud Gelaſij Epiſtol. ad Lucaniæ Epiſcopos, poſtquàm edixerat ſeruanda in velandis Virginibus. [Viduas autem velare, Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas diuina delegat, nec canonum forma præſtituit. Non eſt ergo peni-

tus vſurpandum; eiſque ſic Eccleſiaſtica ſunt fe-tienda præſidia, vt nihil committatur illicitum.] Donauit quidem velamine conſecrato S. Rictrudem Viduam B. Amandus, vt ſupra ex Actis eius retuli, ſed id de ſimplici quapiam benedictione veli, accipiendum eſt, longè alia ab ea, qua vela ſacratum Virginum conſecrabantur. Niſi à S. Amando bona fide factum eſt; ex ea abuſione quam Gelaſius improbauit, nondum tunc exciṫpata inter ſuos. Paſſim velum viduis impoſitum, vocabatur *velum conuerſionis*, niſi ſi aliquando latè accepta voce, conſecrari dicebantur viduæ quoque, quatenus Deo ſe addicebant. Qua ratione in Concilio Aurelian. cap. 3. (quod refertur 27. quæſt. 1. can. 16.) ſic edicitur. [Viduas quæ ſpontanea voluntate, ab altari conuerſionis ſacræ velamen ſuſcipiunt, decreuit S. Synodus, in eodem propoſito permanere. Non enim fas decernimus, poſtquàm ſe Domino ſemel ſub velo conſecrauerint, iterum eis concedi; Spiritui Sancto mentiri.] Latè accepta voce, vt præmiſi,) dicitur vidua conſecrare ſe Deo ſub velo, & ſacræ conuerſionis velamen ſuſcipere, quamuis abeſſet conſecratio ſolemnis, adhiberi ſolita in velatione & vera conſecratione Virginum. Et idcirco Gelaſius ſcribens ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 13. disertè ait, viduas ſuas nulla benedictione velari. In Concilio Nicæno can 19. ex Arabicis, benedictio viduæ præ benedictione Virginis, dicitur *benedictio Laica*, quod eſt additum valdè diminuens, & penè ſonans profanam & non ſacram benedictionem. Et in Concilio Triburienſi cap. 25. dicitur; [Vidua ſi ſponte, velum conuerſionis, quamuis non ſacrum, ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas, oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, Sanctimoniæ habitum vlteriùs debet habere: licet Sacramento firmare velit, eo tenore velamen ſibi impoſuiſſe, vt deponere poſſit.] Aliqui codices mendosè legunt, *velum conuerſationis*. Nam quamuis apud Sanctum Gregorium lib. 7. epiſtol. 18. conuerſatio. ſumatur pro vita religioſa, tamen vt plurimum ea vox non niſi addito adiuncto quopiam, (*Sancta* videlicet, aut *ſacra*, (eam habet notionem. *Conuerſio* autem vt patet ex toto titulo de conuerſ. coniugator, abſolutè & ſimpliciter tribuitur iis qui ſoluto per viduitatem, aut vltrò diſſociato quoad conuictum coniugio, renouerant ſeculo. Eiuſmodi itaque erat velum viduarum Deo ſe addicentium. Videſis Suarem tract. 9 de relig. cap. 11.

At Velum Virginum ſacrarum, illud erat quod Tertullianus libr. de vel. Virgin. cap. 10. *Honorigeram notam Virginitatis*, appellauit: *qua Virgines ſuſpiciantur & circumſpiciantur, & magnificentur à fratribus*. Et cap. 16. vocat *armaturam pudoris, vallum verecundiæ, murum ſexui fæmineo ſtructum, qui nec Virginis emittat oculos, nec admittat alienos* A D. Ambroſio in confutatione relationis Symmachi pugnantis pro præmiis Veſtalium Ethnicarum, vocatur *ignobile velamen, vſu nobile caſtitatis*. Opponit enim velum Sacratum Virginum Chriſtianarum, vittis quas Capite Veſtalium Ethnicarum decoraſſe teſtatur. Id quod etiam Prudentius lib. 2. contra Symmachum attigit, cum dixit de Veſtali.

—— Sedet illa verendis,
Vittarum inſignis phaleris.

Idemque deſcribens Veſtalium capillum in ſpiras quaſdam plexum & diuiſum, tum vittis illigatum, ait;

Perfunduntur quia colla comis bene, vel quia cingunt,
Tempora taniolis & licia crinibus addunt.

Præ illa ergo Veſtalium, Diaboli Virginum, vanitate in Capite ornando, velum Chriſtianarum Virginum Deo dicatatum, dicitur à Sancto Ambroſio *ignobile velamen*, quia conſtabat craſſa & vili materia, & perſonæ ſeculum calcanti, & faſtui ac pompis ſecularibus abrenunciantis deſeruiebat; dignitate tamen & ſignificatione myſtica erat nobiliſſimum, & nota ſublimiſſimi in Virgine gradus.

Hoc vt intelligatur, recolendum eſt, velum hoc conſecratum impoſitum eſſe ſacris Virginibus ad imitationem quandam veli quo Virgines ſeculi obnubebantur cùm viris tradebantur, vnde *nubendi & nuptiarum* vocabulum, vt ſupra notaui ex S. Ambroſio libr. 1. de Abrah. cap. 9. Obſeruátque Varro lib. 4. de lingua Lat. & Arnobius lib. 3. mare dici *Neptunum*, quia terras *obnubit*, id eſt operit; vt nubes cœlum, voce deriuata à *nuptu*, id eſt, *opertione*; à quo *nuptæ* dictæ *nuptiæ*, quia quæ viro tradebatur, velamine obtegebatur. Vnde Caper. l. de Orthogr. [Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit Caput ſuum genáſque.] Etiam apud Ethnicos, (ait Tertull. lib. de vel. Virg cap. 11.) velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt, per oſculum & dexteras, per quæ primùm reſignarunt pudorem ſpiritu, per commune conſcientiæ genus quo totam condixerũt confuſionẽ; quantò magis tempus illas velabit, ſine quo ſponſari non poſſunt, & quo vrgente, ſine ſponſalibus Virgines deſinunt eſſe?] Itaque Virgo ſæculi nubens, tegebat Caput, ſiue obnubebatur, indéque *nupta* dicebatur, vt ſupra contra aliam vocis illius notationem à Feſto adductum, dixi.

Per proportionem ergò ad hoc velamen carne nubentium, Virgo ſacra velamen accipiebat, quia ſpiritualiter Chriſto nubebat, vt loquitur S. Innocentius. Epiſt. 2 ad Victricium Rhotomag. c. 12. Idque eſt quod S. Hieronymus epiſt. 17. intendebat, vocans, *Socrum Dei*, Matrem Virginũ Deo conſecratæ. Riſit quidem hoc Ruffinus, inuehens in S. Hieronymum. Sed huius auctoritas in Dei Eccleſia eſt longè potior, & idcirco illi inhæremus. Facit ad hanc rem, quod Monialibus in earum conſecratione conferebatur annulus, tanquam Chriſti ſponſis. In quam rem Nebridius à Mundelheim in Antiq. Monaſticis Epiſtola 121. adducit Acta S. Genouefæ. Sed in eis nihil inuenio. Habetur illuſtre exemplum in actibus S. Radegundæ, cum de eleuatione corporis eius poſt annos ſupra octingentos ab obitu. Annulus item ad pectus è collo S. Macrinæ dependens, vt narrat Gregorius Nyſſenus, poteſt videri fuiſſe annulus pronubus ab Epiſcopo collatus, quamuis non digito inſertus eſſet, ſed è collo appenſus geſtaretur à beata illa Virgine, taurorum virorum quantos alios vix Græcia tulit, ſorore. Erat verò annulus ferreus, cui ſub pala excauato, particula ligni S. Crucis indita erat; ſuperadiacente pala, æquè ſignum Crucis præferente. Veriſimile igitur eſt, eum annulum quem æquè ac ferream cruciculam è collo ad cor

dependentem

dependentem ſemper geſtabat B. Macrina; fuiſſe illius digito inſertum, in ſua per Epiſcopum conſecratione; ſed poſtea præ reuerentia de collo ſuſpenſum; veluti ſacrum Monile, cùm ob conditas intra eum reliquias, tum quia pignus erat ſuæ cum Chriſto deſponſationis. Non ita geſtabant annulum Moniales illæ Anglicanæ quas coercuit Concilium Oxonienſe anno 1222. verbis illis. [Sola Monialis conſecrata deferat annulum, & vno ſolo ſit contenta.] Aliquæ enim plures annulos geſtabant; & aliæ abſque conſecratione ſe gerebant pro ſponſis Chriſti iure à Concilio reprehenſæ, ſicut Innoc. III. in Concilio Lateranenſi cap. 16. Clericis vſum annuli dempſit, ſolis Epiſcopis tanquam Eccleſiarum ſuarum ſponſis, conuenientem. Siquidem iuxta Bleſenſem, Omnis annulatus, aut fatuus eſt, aut coniugatus. Sunt ergo Moniales, Chriſti ſponſæ, & idcirco nubunt Chriſto, atque velantur. Verum eſt, primariam Chriſti viri ſponſam, eſſe Eccleſiam, è qua progignitur Chriſto noua ſoboles, vt Apoſtolus ſæpè tradit, & declaratur latè in Tractatione de Cereo Agno. c. 1. Tamen ad Virgines quoque ſacras, vt Eccleſiæ partem lectiſſimam, eadem denominatio extenditur. Sunt enim ipſæ quoque, abſque macula & ruga, ac dignæ Chriſti conſortio, quia Eccleſiæ & Chriſti Coniunctionem puriſſimam congruè repræſentant. Vnde quia in iis quæ ſunt vitiatæ, deeſt myſtica illa ſignificatio, etiam ſi vitiatæ eſſent ante Baptiſmum, ex D. Auguſtino lib. de bono coniug. cap. 18. velari & conſecrari non poſſunt. Valétque id etiam, quando vitiatio ſine culpa, & renitente puella interueniſſet, ex S. Leone Epiſt. 87. cap. 5. Et verum quidem eſt ex doctrina S. Auguſtini 1. Ciuit. c. 18. quod reniſus ille poſſit ad retinendam formaliter virginitatem & ius ad aureolam ſufficere; tamen eiuſmodi puella defectu ſignificationis propoſitæ, conſecrari non poteſt. Sicut neque Catechumenus bigamus, admitti poteſt ad ordines, ob excluſionem ſignificationis prædictæ per bigamiam. Eſto in foro Eccleſiæ, valeat quod Rupertus affirmat lib. de leſione Virginit. cap. 16. corruptam occultè, poſſe velari & conſecrari. Virgines autem, & materialiter & formaliter, hoc eſt viri cum Virginitate materialiter ſumpta pugnantis expertes, quia aptè Chriſti cum primaria ſponſa ſua nitentiſſimam coniunctionem repræſentant, meritò cenſentur ſponſæ Chriſti. Quid in hanc rem clarius, quàm quod ſpiritale hoc nubendi genus eſſe, ait Optatus lib. 6. Et ideò acriter expoſtulat, quod Donatiſtæ, ſoluerent crinem ancillarum Dei, quaſi eas iam Chriſto nuptas vellent, ſponſo non demortuo, qui in æternum viuit & viuet, nubere iteratò.

Sed præclarè præter cæteros, has nuptias ſpiritales expreſſit Auctor libri ad Virginem lapſam (ſiue Ambroſius, ſiue quiſpiam alius) c. 5. [Non es (inquit) memorata diei ſanctæ Dominicæ reſurrectionis, in quo diuino altari te obtuliſti velandam. In tanto itaque ſolemni conuentu Eccleſiæ Dei, inter lumina illa ſplendida, inter candidatos Regni cæleſtis, quaſi Regina Regi nuptura proceſſeras. Non es memorata, qualis allocutio facta eſt illa die ad te: Aſpice filia, & intuere, & obliuiſcere populum tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus. Aſpice ergo quantus ad ſponſi tui, & Domini nuptias conuenerit populus. Seruare te oportuit fidem; quam ſub tantis teſtibus pollicita es, ſemper cogitare cui virginitatem ſpoponderis. Faciliùs te oportuit ſanguinem cum ſpiritu fundere, quàm perdere caſtitatem tuam. His tunc in illo die conſecrationis tuæ dictis, & multis ſupra caſtitatem tuam præconiis, ſacro velamine tecta es, vbi omnis populus dotem tuam ſubſcribens, non atramento, ſed ſpiritu, pariter clamauit, *Amen*. Vincor lachrymis, cum hæc recordor, compungor ſtimulis cùm hæc exempla conſidero. Nam ſi inter decem teſtes confectis ſponſaliis, nuptiis conſummatis, quævis viro fœmina coniuncta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium; quid putes fore ſi inter innumerabiles teſtes Eccleſiæ, coram Angelis, exercitibus cœli, facta copula ſpiritalis, per adulterium ſoluitur? Neſcio an poſſit ei digna mors, ac pœna cogitari. Dicet aliquis; Melius eſt ergo nubere, quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.] Vocat *ſacrum velamen*, quia & conceptis precibus conſecrabatur ab Epiſcopo ſolo, & ad altare Dei conferebatur: de quo extat apud eundem Ambroſium inſignis locus lib. 1. de Virgin. *in ipſo fine*. Et ſicut in Eccleſia non omnes dies ſunt Nuptiales, ita neque Virginum conſecratio atque velatio, quacunque die peragi poterat. Conſtat; diem dictum reginam (vt dicam cum Nazianzeno orat. 19. & 42. Auguſtino quæſt. 151. ex vtroque mixtim, Ephræmo ſerm. de Cruce Domini, Epiphanio orat. de reſurrect. Domin.) his nuptiis fuiſſe ſolemnem, conſentaneè ad latum poſtea à Gelaſio decretum epiſtol. ad Epiſcopos Lucaniæ: qui tamen alios prætereà dies his Virginum cum Chriſto nuptiis addicit, his verbis. [Deuotis quoque Deo Virginibus, niſi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis, ſacrum minimè velamen imponant, niſi forſitan (vt de Baptiſmo dictum eſt,) graui languore correptis, ne ſine hoc munere de ſeculo exeant, implorantibus non negetur.] Collati die Paſchatis, velaminis meminit S. Ambroſius ad Virg. lapſ. cap. 5. & in exhort. ad Virg. Quamquam Liberius Papa, S. Marcellinam ipſius S. Ambroſij germanam, in Saluatoris natali, velo ſacro contexit; vt ſcribit ipſe Sanctus Ambroſius initio libri tertij de Virgin. Et maximè accommodatum cêſet fuiſſe talibus nuptiis eum diem, quo Virgo poſteritatem acquiſiuit. Et *bonas* eiuſmodi *nuptias* appellaſſe in ſua allocutione Liberium, ibidem teſtatur S. Ambroſius Poſtea Alexandrin. III. dominicæ cuius diei, velaminis impoſitionem addixit, de tempor. ordin. lib. 1. titul. 11. cap. 1.

Tandem ſolemnitatem hanc habitam eſſe Nuptialem (vt præmiſi,) monſtrat Auguſtinus Epiſtol. part. 179. vbi gratulans Probæ Demetriadis auiæ, & Iulianæ matri, nobiliſſimæ illius Virginis conſecrationem, ait id eſſe *cæleſte conſortium*, id eſt, coniugium, (vt mox ſubdit;) quod non habet finem. Et in calce Epiſtolæ, miſſum ad ſe velationis apophoretum, teſtatur.

Vnde licet æſtimare, ſummam ſolemnitatem qua hæ ſacræ nuptiæ peragebantur, cum in eis darentur apophoreta, vt aſſolet in magnificentiſſimis nuptiis. Nomen ipſum *veli ſacri*, confirmat quod dico. Dicebatur enim [flammeum Virginale ad imprecationem Pontificis Sanctum operiens Caput;] vt eſt apud S. Hieronym. Epiſt. 8. *Chriſti flammeum conſecrans puellam* vocat Epiſtol. 48. At hæc vox, vt apud Nonium videre eſt c. 14. eſt vox Matronalis, & ad coniugio illigatas pertinens. Et idem *Mitella* vel *mitrella* dici poteſt, vt ex Apuleio 7. Miles. habetur. Et tamen eo nomine, Afri Chriſtiani donabant operimentum Capitis ſacrarum Virginum; ex lana, auro ac purpura contextum, vt eſt apud Optatum lib. 6. vbi flebiliter expoſtulat, Virgines ſacras ſpoliatas mitrellis ab Epiſcopo impoſitis, cineribus aſperſas Capita, & ſalſa aqua perfuſas, vt exuerent primam conſecrationem; & ritu Donatiſtarum de nouo conſecrarentur, vel potiùs profanarentur, ſoluentes iteratò crinem; id eſt repetentes ritum illum qui in nuptiis crinium ſolutione adhibebatur. Veterea enim cœlibari haſta quæ in corpore gladiatoris abiecti occiſique ſteriſſet, nubentis Caput comebant, iuxta illud ex 2. Faſtor.

Nec tibi quæ cupida matura videbere matri,
Comat Virgineas haſta recurua comas.

Aberrant, qui *haſtam recurnam* interpretantur calamitatem; Quid enim calamiſtro & haſtæ? Agit igitur de haſta cœlibari, ſacra Iunoni Nuptiarum præſidi, quæ de nomine Sabino *haſta*, dicebatur Iunonis Curetis nomine. Videſis Philippum Beroaldum initio Annotationum, qui alia in eam rem ex Feſto & Plutarchi problematis adducit. Senſus ergo Naſonis eſt, menſe Februario, quem eo libro deſcribit, ſuperſedendum fuiſſe nuptiis. & haſtæ cœlibaris admotione, ad diſcriminandam nubentium comam, eo quod nuptiæ eo menſe (quippe parentalibus addicto,) futuræ eſſent ominoſæ & inauſpicatæ. Eiuſmodi ritum cœlibaris haſtæ, ſuo tempore deſueuiſſe, Arnobius l. 2. ſublatos ritus enumerans, ita monſtrat. [Cum in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis. nubentium crinem cœlibari haſta mulcetis?] Quaſi dicat, non ſanè quoad hæſtæ gladiatoriæ admonitionem. Non ſolutio crinium nouæ nuptæ, retenta videtur, etiam poſt Arnobium; & inde fortaſſis manauit vt Virgines nondum Viris addictæ, dicerentur *eſſe in capillo*, quod multis teſtimoniis confirmat Hotomanus in Dictionario Fudali. V. *In capillo*. Ex tali ergo vſu ſoluendi nouarum nuptarum crines, impij Donatiſtæ, Virginum ſacrarum pridem Chriſto iunctarum crinem ſoluerunt, quaſi tunc primùm nuberent Chriſto, ſponſo immortali; cuius connubium (quantum ex ipſo eſt,) nunquam ſoluitur. Concinnè ergò Afri Chriſtiani, tegumentum Capitis matronarum coniugio illigatarum, accommodabant Chriſti ſponſis, tanquam ei ſancto fœdere copulatis; niſi quod cum mitra matronarum eſſet amplior, Virginum verò ſacrarum anguſtior, illa ſimpliciter *mitra* dicebatur, hæc *mitrela* vocabatur; ſiue *mitella* eliſo *r*: quo pacto ea vox legitur apud Tullium orat. pro Rabirio, & apud Apuleium l. 6. Miles. *Mitrulam* dixit Solinus c. 30. agens de baſiliſco.

Aurum huic mitræ Virginum intexebatur. Sic enim accipio quod Optatus lib. 6. hæc ſigna profeſſæ voluntatis deſcribens, vocat *mitrellas aureas*, quas à Donatiſtis proiectas queritur, vt alias imponerent. Nihil quippè eſt neceſſe, arbitrari, hæc Capitis ſacratum Virginum ornamenta, apud Afros fuiſſe ex puro auro, vel etiam ex Citeello auri ſolidi integrata eſſe, qualem in Romani Pontificis Calliſti II. phrygio expreſſit Sugerius Abbas in vita Ludouici Craſſi. Aliena eſſet hæc ſtructura à Virginum ſacratum ſtatu, vt per ſe liquet. *Aurea* ergo *mitrella* dicitur, quæ ex aureis aliquot filamentis intexta erat, cuiuſmodi haud ita pridem erat tegmen Capitis Matronarum noſtratium. Purpura verò tingebantur hæ Sacratum Virginum mitellæ, vt Optatus docet, [Nec vlla (inquit Optatus) ſunt præcepta coniuncta, vel de qua lana mitella fieret, vel de qua purpura pingeretur. Non enim panno hoc poteſt Virginitas adiuuari.] Concilium item Toletanum X. cap. 4. admittit (tametſi non præcipit) huiuſmodi tegmen capitis in ſacris Virginibus, cum ait. [Pallio purpureo, vel nigri coloris, caput contegat ab Initio ſuſceptæ religionis.] Hæc purpura ſacratum Virginum tegminibus capitis vel appicta vel impenſa iuxta Franciſcum Menardum ad c. 7. recapitulationis regulæ Monialium S. Cæſarij, eo ſpectabat, vt ſacræ Virgines, *Quaſi Regalis purpura coronamento, Regis æterni ſponſa denotarentur.* Vel quia ipſæ Ancillas Dei, humillimè ſe denominant, dici poteſt notaculum purpureum illis impoſitum fuiſſe, ad ſignificandam tranſcriptionem earum in domum Regis æterni, id quod ſignificaſſe clauum purpureum veſtibus Monachorum aſſutú, docet S. Dorotheus doctor. 1. Niſi malis eam purpuram referre ad ſacratum Virginum perpetuum Martyrium: quo etiam in Monachis referri potuit illud aſſumentum purpureum. In quam rem plenè actum eſt in Tractatione de Martyrio per peſtem part. 1. quoad Martyrium verò Religioſæ vitæ cap. 3. Quanquam autem hæc ſacratum Virginum calyptra, vt plurimum *mitella* vel *mitrella* dicebatur, vt præmonui; quæ verò matronarum Capita tegebat, ſimpliciter nominabatur *mitra*; tamen aliquando *mitra* nomen pro Virginibus erat in vſu, iuxta illud Optati lib. 2. de Felice Donatiſtarum Epiſcopo agentis. [Compreſſam ab eo puellam cui mitram ipſe impoſuerat; à qua paulo ante *Pater* vocabatur, nefariè inceſtare minimè dubitauit.]

Quando quidem igitur velamen conſecratum, erat flammeum nuptiale Chriſto nubentium, meritò affirmabam, ſummam eſſe huius velaminis nobilitatem, nec à D. Ambroſio dictum eſſe *ignobile*, niſi ratione materiæ. S. Auguſtinus, velationem Demetriadis nobiliſſimæ Virginis ex Anicia familia celebrans Epiſt. 179. decus ab huiuſmodi velo, præfert dignitati Conſulari, quæ apex erat & vertex dignitatum ſeculi: & glorioſius eſſe decernit illi familiæ, Virgines Chriſti fœminas habere, quàm Viros Conſules, mundi rectores. Concludit verò, [Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior ſanctitate, quod ſit per diuinum conſortium præcipuam in cœlis conſecutura ſublimitatem, quàm ſi eſſet per humanum connubium, prolem propagatura ſublimem.] Quanquam quia apud Deum, nulla dignitas æquè honeſtat, atque gratia interior virtutes habens comites,

nuo

iure Sanctus Ambroſius in Inſtitut. Virginis cap. 17. anteponit velamini adeò nobili & anguſto, velamina virtutum, ſic commendans Deo ſacram Virginem quam tunc conſecrauerat. [Non ſolitaria dos pudoris eſt. Succingat ſacræ Virginis crinem, modeſtia, ſobrietas, continentia, vt virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici ſanguinis redimita velamine, mortificationem Domini IESV in ſua carne circumferat. Hæc ſunt enim meliora velamina, quæ ſunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocentia reuelatur.] Hoc dixit Sanctus Ambroſius eodem loquendi modo, quo Sanctus Auguſtinus, maternitatem Beatæ Virginis quæ eminentiſſima eſt dignitas, poſtponit Sanctimoniæ qua Chriſtum corde concepit.

Vt hic velaminis Virginei puellam Chriſto planè addicentis nexus cum Chriſto eſſet expreſſior, ea externa ſpecie eius efformationem præſcribebat Petrus Abelardus, quæ ad id eſſet accommodata. Sic enim ſanciebat epiſtol. 8. [Vela ſponſarum Chriſti, non de ſerico, ſed de tincto aliquo lineo panno fiant. Duo autem velorum genera eſſe volumus; vt alia ſint ſcilicet Virginum iam ab ipſo ſponſo Chriſto conſecratarum, alia verò minimè. Quæ verò pudicarum ſunt Virginum, Crucis ſibi ſignum habeant impreſſum: quo ſcilicet ipſæ integritate quoque corporis, ad Chriſtum maximè pertinere monſtrentur: Et ſicut in conſecratione diſtant à cæteris, ita & hoc habitus ſigno diſtinguantur: quo & quiſque fidelium territi, magis abhorreant in concupiſcentiam earum exardeſcere. Hoc autem ſignum virginalis munditiæ, in ſummitate Capitis, candidis expreſſum filis virgo geſtabit. Et hoc nullatenus antequàm ab Epiſcopo conſecretur, geſtare præſumat. Nulla autem alia vela, hoc ſigno inſignita ſint.]

SECTIO VIII.

Integumenta profana Virilis Capitis in vſu communi, apud varios varia.

PRofana & ſacra fœminei Capitis tegmina, proſecuti hactenus ſumus. Nunc ad virorum integumenta progredimur, initio facto à tegminibus profanis vſuariis; dicturi conſequenter de tegminibus ſacrorum hominum. Inter profana tamen, ſecernemus tegmina Capitis quæ in vſu communi vſurpabantur, ab iis quæ poteſtatum ſublimiorum propria erant, apud Romanos, Græcos, & Barbaros.

Ac primùm quod ad tegmina capitis Romanorum in communi vſu attinet, recolendum eſt quod ſect. 2. præmiſimus, Romanos paſſim Capitibus nudatis inceſſiſſe, extra Sacra, ludos, Saturnalia, Peregrinationem, Militiam, grandis Luctus expreſſionem, ac nominatim Damnationem; ac cum Sol aut imber aliúdve ſimile incommodum vrgeret. Tunc enim Capita tegebant, vt Lipſius l. de Amphit. c. 19. & 20. eruditè monſtrat. Tegebant autem vel togæ parte, vel palliolo, vel pileolo, aut galero, ac poſterioribus etiam temporibus, linteolo. Quod de toga dixi, diligenter exponitur ab Octauio Ferrario l. 2. de re veſtiaria cap. 10. & 11. Monſtrat enim exeri ſolitum è toga brachium, & ſummam togæ oram à dextro humero defluxiſſe. Eandem tamen togæ partem deiectam cum res ferebat, facilè fuiſſe reuocatam; ita vt Caput tegeret, aut inuolueret. Rectè ſummam togæ oram inſeruiſſe tegendo Capiti tradit; contra quàm Lipſius, qui imam togæ laciniam ad velandum Caput tractam cenſuit. At veteres nummi & lapides, planè monſtrant, trahi ſolitam partem togæ ſuperiorem ad ceruicem quæ dextro humero deiiciebatur, & ſiniſtro inſidebat. Idémque habetur ex facto Cæſaris; qui cadens, Caput vt in magno luctu obuoluit, ſimúlque ſiniſtra manu ad ima crura togam deduxit, honeſtati conſulens vt narrat Suetonius. Et idem feciſſe Pompeium cum oppreſſus eſt, ſcribunt Dio atque Plutarchus. Non nego, quin aliquando reiecta ſit pars togæ inferior ad Caput ea inuoluendum. Sic enim Scipio Naſica, togâ imam in rugas contractam ac complicatam Capiti impoſuit, vt eſſet ei pro galea in ſubito contra Gracchos incurſu, de quo Plutarchus. Et idem videtur accidiſſe iis qui præ deſperatione, in ſummo diſcrimine Caput inuoluebant reducta toga, aut quibus obtorquebatur collum, veſtis circa illud adſtrictione & inuolutione. Sic ille apud flaccum lib. 2. Sat. 4.

Nam malè re geſta, cum vellem mittere operto
Me Capite in flumen, dexter ſtetit.

Et Liuius l. 4. agens de plebe famem nō ferente. [Capitibus obuolutis, ſe in Tiberim præcipitauerunt.] Similiter Tullius. Orat. 6. in Verrem. [Quem obtorta gula, de conuiuio, in vincula atque in tenebras abripi iuſſit.] Et Orat. 7. [Ciues Romanos, Capitibus inuolutis ad necem rapiebat.] Idque eſt quod obtorto collo, & faucibus intortis vel adſtrictis, aut ceruice aſtricta tractos aliquos, legimus apud Plinium l. 7. c. 44. Iuuenalem Sat. 10. Suetonium in Iulio cap. 62. Tacitum lib. 4. annal. & alios. Veſte enim ab imo reducta, & ſupra caput ac circum collum & fauces intorta, rapiebantur. Et hæc videtur ea mollis toga de qua Naſo 5. Faſtor.

Non pudet, & vultus velamine celat amictos
Oráque ſunt multa, regia tecta, toga.

Tegebantur igitur Romanorum Capita per togam, vel ſummam, vel imam reductam. Facta tamen interdum contectio Capitis, adhibito palliolo. Sic enim Suetonius Claudium ægrum, caput palliolo texiſſe ſcribit, cum ludum gladiatorium memoriæ matris ederet. Tullius item teſtatur, Piſonem inuoluto Capite prodiiſſe ſoleatum; quod de inuolutione Capitis pallio facta neceſſariò accipitur, cum neminem ſoleatum, (qualis tunc Piſo erat,) ſimul fuiſſe togatum, idem Tullius docet Philipp. 2. & orat. pro Cœlio. Disertè Seneca epiſt. 14. de Mœcenate. [Hunc eſſe qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu, ſic apparuerit, vt pallio velaret Caput, exclusis vtrinque auribus.] Plautus item in Curcul. [Iſti Græci palliati, Capite operto qui ambulant.] Denique Petronius: [Operuerat Aſcyltos pallio Caput.] Et: [Coccino pallio adraſum incluſerat Caput.]

Aliàs pileo, aut galero, vel linteo factam

ablactionem, monſtrant varia Autorum loca. Nam pileo vſum Tarquinium, conſtat ex eius abreptione & in Caput repoſitione per aquilam, vt eſt apud Dionyſium Halicarn. lib. 3. De Nerone ſic Suetonius. [Poſt crepuſculum, ſtatim arrepto pileo vel galero, propinas inibat.] In Saturnalibus (quippè liberrimæ vitæ diebus,) vſurpatus pileus, nota libertatis. Eóque ſpectat illud Martialis.

Permiſsis pute pileata Roma.

Item illud eiuſdem.

Dúmq; decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

De pileo incanistu Sereniſsimi Ducis, affectantis Imperium, Ammianus lib. 14. A nonnullis adhibitus pileus Theſſalicus ſiue petaſus, de quo mox. Et ita de Auguſto, Suetonius. [Domi nonniſi petaſatus ſub Diuo ſpatiabatur.] In militia vſus erat pileorum, ea pellibus quos *Pannonios* vocat Vegetius lib. 1. cap. 20. ea pellibus inquam ouiū villoſis, vt ex Athenæo lib. 6. habetur. Paſſim tamen pilei è lana conficiebantur: cuiuſmodi plerumque ſunt pileoli lecticarij: quali vſum S. Bernardum, eóque in Hiſpaniam tranſmiſſo, edita eſſe miracula, ſcribitur lib. 4. vitæ cap. 4. Aliàs pilei, apud Romanos è lacernis cæſis concinnabantur, vt apud nos pilei quadrati: quod ex Papinio & Martiale ſcribit Pierius lib. 40. cap. de pileo. Pleniùs in eam rem Magius lib. 3. Miſcell. cap. 7.

Quod de linteolis tegendo Capiti vſurpatis addebam, ad poſteriora tempora pertinet, & tanquam molliriem ſapiens, ſugillatur à S. Hieronymo ad Pammach. verbis illis. [Caput opertum linteo, galeam recuſat.] Ad Marcellam quoque, comatos linteatóſque iuuenes, improbat. Aliter tamen accipiendum eſt illud Saluiani lib. 7. de prouid. quod vir eruditus, in hunc quoque ſenſum allegauit; [Cum muliebrem viri habitum ſumerent, &c. & fœmineis tegminum illigamentis Capita velarent.] Ain hæc tegmina à Saluiano memorata, non fuiſſe tegmina linteolorum viris aptata; ſed verè fuiſſe tegmina fœminea, quæ ſporci illi, ementientes ſexum, aſſumebant; cum omni deteſtatione proſciſſi ibi à Saluiano, & à S. Aſterio homil. in feſtum Calendarum, ac etiam à S. Maximo homilia de iiſdem Calendis. Quare tale Capitis tegmen, non eſt inter virilia Romanis recepta numerandum.

Venio ad virilia Capitis tegmina à Græcis vſurpata. Nam Græci tametſi paſſim nudis erant Capitibus; tamen aliquando ex iiſdem cauſis ex quibus Romani, aſſumebant pileos. Negat id vniuerſè Polydorus lib. 3. de Inuent. rerum c. 18. Sed rectè affirmat Brodæus lib. 8. Miſcell. c. 17. Sic Vlyſſem pileatum, plerumque exhibent. Et Hippocratis imago, pileata viſebatur. Caſtores item ſoliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, vt Feſtus ſcribit. Itaque Catullus *pileatos fratres* vocauit eo Scazonte.

A pileatis, nona fratribus pila.

Quem verò latent pilei Theſſalici, & Macedonici, & Athenienſium crobyli? De Theſſalicis galeris, arcendo ſoli accommodatis, multa habet Adrianus Iunius lib. 2. animaduerſ. cap. 6. Erant enim marginati, ac iidem cum Petaſo; quales ſunt galeri noſtrates: At pilei communes, marginati non erant, ſed quales pilei noſtri dormitorij. Communis Macedonum pileus, erat *Cauſia*, ex *Polluce* lib. 10. cap. 96. Quanquam enim erat Regibus Cauſia peculiaris, cui diadema apponebatur, vt ex Plutarcho in Demetrio, & Athenæo lib. 12. liquet, erátque etiam potentioribus Macedonibus certum Cauſiæ genus, illuſtre ſupra communem omnibus Cauſiam, vt demonſtrat in Eumene Plutarchus; tamen pileus quoque vulgaris Macedonicus, *Cauſia* nomine donatus eſt: ſicut Tiara apud Perſas, & popularis, & Regius pileus erat. De huiuſmodi Cauſia communi accipiendus eſt Strabo lib. 15. cum ait eliſiſſe Calanum, conſpectu Oneſicrito, Alexandri ad Indicos Philoſophos Legato, ferente Cauſiam. Hoc ipſum eſſe quod Demoſthenes Orat. de legatione malè obita, vocauit πιλίδιον malè à Budæo tranſformatum in *comam aſcititiam*, notauit Andrianus Iunius lib. 2. animaduerſ. cap. 6. Vetus Etymologicum, *Cauſiam* confundit cum *Camelauco* de quo poſtea. *Crobylum* Athenienſibus erat Capitis inuolucrum Cauſiæ & tiaræ ſimile. Quanquam eſt crobyli apud Tertullianum libro de vel. Virg. cap. 10. mentio: ſumit enim crobylos, pro plexis crinibus; & Athenienſibus tribuens cicadas pro inſigni & nota, *Crobylos* iuxta Rhenanum ſumpſit pro Scrobiculis, ſeu Scrobulis, & foraminulis aurium, ad inferendas gemmas. In altera verò editione, ſumpſit *crobylum*, pro *ſtrobulo*, ſiue pro nuce pinea ex auro, quod erat Barbarorum geſtamen. Verùm bis impegit Rhenanus; cum *Crobylus* nuſquam tale quid ſonet, vt benè aduertit Adrianus Iunius lib. 2. animadu. cap. 1. Apud Thucididem in 1. & Lucianum in Nauigio, Crobylus ſonat plexum crinium deſinentem in acumen; quo etiam pacto ſumpſiſſe videtur *Crobylos*, Tertullianus. At apud Sanctum Aſterium homil. in Feſtum Calendar. *Crobylus* pro tegmine Capitis fœminei accipitur, in ea acri caſtigatione virorum effingentium ſe in mulieres, & veſtitum quoque muliebrem adhibentium, quaſi pœniteret illos eſſe quod erant, vt Sanctus Maximus eandem inſaniam caſtigans dixit homilia de Calendis. Apud Athenienſes, *Crobyli* erant pilei ad tegenda virorum Capita quales ante deſcripſi.

Tiara paſſim tegebat Perſarum Capita, indéque apud omnes conſpicui Perſæ. Vnde aſtus Cimonis, qui nauibus aliquot Perſicis interceptis, vt eſt apud Diodorum lib. 11. fefellit & oppreſſit Perſas, nihil ſibi metuentes à nauibus quarum vectores tiaris inſignes, Perſas ſe eſſe mentiebantur. Erat porrò tiara quintuplex, vt eruditè proſequitur Paſchalius lib. 10. de Coro. Vnus erat omnibus communis; alter procerum; Iudicum tertius; quartus ſacrificantium, de quo Valerius Flaccus;

Subligat extrema patrium ceruice tiaram.

Quintus ac poſtremus, majeſtatis Regiæ peculiaris. Hærendo autem in iſta omnibus apud Perſas communi, S. Hieronym. Daniel. 3. ait, genus fuiſſe pileoli Perſis Chaldæiſque commune. A mitra ſecernebatur, quod tiara in occipitio ſubſtringebatur. Vnde illud docti Poëtæ in 8.

——Et longa redimicula mitra,

Mæonia mentum mitra, crinémq; madentem.

Subnixus, &c.

Pleriſque Barbaris, fuere in vſu pilei, ſed variè efformati.

efformati. Parthi ex vſu patrio, pileati procedebant. Vnde Parthos *pileatos* dixit Martialis l. 10. epigr. 22. Et in nummis quos Goltzius exhibet, Romano Imperatori, ob recepta à Parthis ſigna de Romanis exportata, ſupplex proponitur Parthia, pileum demiſsè porrigens. Apud Scythas, ſoli honorati erant pileati. Videndus Lucianus de Scyth. & Dionyſ. Traianus, cum de Decebalo. Garamantæ pileo vſi, ex dimidio ouo ſtruthionis in æquas partes diffiſſo. Ex vno quippè tali ouo duplex pileus efformabatur abſque margine, vt Lucianus in Dipſade tradit. Eáque formâ viſitur pileus in nummo Gordiani Imperatoris, vt refert Pierius lib. 40. cap. *de Pileo*, addens, ſe in nonnullis ſtatuis ac nummis obſeruaſſe aliqualem ſurſum verſus tanquam ſpeciſe inflexum pilei marginem extremum; alibi verò deprehendiſſe, pileos alia formâ effictos; nunc admodùm paruulis marginibus, nunc eadem parte preſſos, alios planos, plerunque eadem ex parte acuminatos. Pileos ſeu potiùs petaſum Æthiopum, adeò patet, referente Nicolao Godino lib. 1. de rebus Abaſſino. cap. 12. vt decem hominibus inumbrandis par eſſe queat. Pileos Sinarum deſcribit Trigaultius lib. 1. de Sinica expedit. cap. 7. & 8. Moſcorum nobilium pileos, ſic deſcribit Sigiſmundus Herbeſtenius. [Veſtes habent oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, quas penulas Barbaricas confectas videmus, ſolidóſque ex officina geſtant.]

Tegmen Capitis quod Turcæ Turbantem vocant, ſatis accedit ad tiaram Perſicum popularem; Græci recentiores vocant φακιόλιον quaſi faſciam complicatam. Gretſerus ad lib. 2. Codini cap. 5. deriuat vocem *Turbant* à Corybantio Græcorum. Huiuſmodi Turbantes, albos geſtant Turcæ. Ita vt Iudæi quibus in vſu eſt color flauus, peregrinantes ex ora Turcarum in Italiam, albos Turbantes geſtent, vt Turcæ videantur; ait Petrus Bellonus lib. 3. obſeruat. cap. 13. Malunt enim Turcæ haberi, quàm agnoſci Iudæi, eo quod plus fidei tribuatur Turcis, quàm Iudæis, adeò perſpecta vbiuis eſt Iudæorum mala fides atque malignitas gestant ergo albos Turbantes, Turcæ. At Tartari, (& ipſi quoque Mahumeto mancipati.) virides habent, hoc Tartarorum Capitis tegmen ſic deſcribit Martinus Martinius in hiſtoria de bello Tartarico. [Biretum Capiti æquale, rotundum gerunt, ac humile. Hoc pretioſæ pellis faſcia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem: Ea plerunque Caſtoris vel Zibellinarum eſt. Hæc pellis aures, frontem, ac tempora, à frigore defendit. Quantum verò Bireti ſupra pellis faſciam eminet, tantundem rubra byſſos vndique ſparſa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrimè tingere norunt. Planè res commoda ſatis, & non inconcinna.] Eſt igitur ruber Tartarorum pileus (nunc ſaltem;) olim viridem fuiſſe produnt; rubrum autem pileum geſtant Perſæ, qui Mahumeti ſub Ali ſunt addicti. Nec mirum colore turbantum diſſidere, qui implacabiliter diſſident occaſione ſuperſtitionis, aliter à Turcis, à Perſis aliter acceptæ, vt fuſiùs tradunt Ioan. de Barros decade 2. Aſiæ lib. 10. cap. 6. Ororius de rebus Emman. lib. 10. Samſouinus de reb. Turcicis. Florim. Remondus de Hæreſeos natalibus lib. 1. cap. 4.

Quod hic ruber pileus tranſierit in notam diſcriminatoriam Sectæ, ac Imperij, perſtringo eius initia perpaucis. Ales ergo frater patruelis Mahometis, ac gener, ipſi defuncto ſuccedens, legem ſoceri ſuis interpretationibus adeò interpolauit, vt planè alia videretur. Itaque Homar, affinis Mahometis, pro legis à Mahomete propoſitæ integritate, & recepta interpretatione, acriter aduerſùs Alim certauit; vndè ſuperſtitionis in duas ſectas diſciſſio, hodiéque vigens, manauit Arabibus Homaris Sectatoribus, Perſas Ali addictos, non ſecus ac exleges, & deſertores, ac legis patriæ corruptores auerſantibus; nec Perſis mitiùs agentibus in Arabes Homari addictos. Cùm autem non exiguo tempore pars Homaris præualuiſſet, exortus eſt circa annum Chriſti 1370. qui ſe ex Ali propugnatum diceret *Sofi*, & acerrimus vindex ſectæ ab Ali conſtitutæ haberi vellet, & reuera eſſet. Is ergo vt ſuos ab Homaritis diſcriminaret, pro lineo albo turbante quo Homaritæ vtebantur, in memoriam duodecim filiorum Hocemi Aiis filij, turbantem inſtituit è cuius medio pileolus acuminatus è lana conſtipata colore rubro confectus & ſenis vtrinque gradibus diſtinctus, accommodatè ad contractionem vel diffuſionem emicaret. Eum pileum, notam ſectæ Perſicæ Ali inhærentis, Iſmaël Sophi potentiſſimus Rex Perſarum, Vſumcaſſanis ex filia nepos, magno ſtudio, & partim blanditiis ac precibus, partim vi & armis, vſurpari à multis populis curauit, magna Turcarum conſcientia; qui aduerſarios ob rubros pileolos, exprobatam defectionem à Mahomete, vocant *Kiſulbaſſi* hoc eſt *Capita rubra*. Sicut à lana qua conſtant pileoli illi, ſunt qui velint Perſarum Regem per excellentiam dictum *Sofi*, quod nomen Arabicè *lanam* ſonat, cum turbantes Turcici ſint lintei. An ex veteri vſu Regum Ægyptiorum? horum enim iudicio, laneæ veſtes profanæ erant, vnde linteis in templis vtebantur, & funebres tunicas quibus in ſepulchra religione coniectata inferrentur; habebant linteas. Id quod Orpheo & Pythagoræ addicti, ſeruabant. Cauſas ſcrutantur Plutarchus tract. de Iſide & Philoſtratus libro 8. vitæ Apollonij, Apuleius in Apologia, & qui *linigeros* dictos, (*linigera* item denominatæ Iſidis Sacerdotes,) enucleant apud Iuuenalem Satyr. 6. & Martialem lib 12. epigr. 29. Quod ſi Tertullianus lib. de coro. mil. cap. 8. linteum quo ſe Chriſtus ad lauandos Diſcipulorum pedes præcinxit, vocat *propriam Oſiridis veſtem*, idcirco ita locutus eſt, quia idem erant Iſidis ac Oſiridis Sacerdotes. Sed de his alibi.

SECTIO IX.

Tegmina Capitis Mundanorum Faſtigiorum.

SVſcepi agendum de tegminibus. Itaque non huc aduocabo coronas, quæ duntaxat Caput cingunt, non etiã obtegunt. Verum eſt, coronam Imperatoriam eſſe ſupernè opertam, & vt Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone III. appellat,

ſpanocliſtam; id quod etiam de Pontificia corona eſt admittendum. Cæterorum verò Regum ac Principum coronæ radiatæ, supernè patent; vel (vt veriùs dicam,) ſupernè patebant, non ita pridem; quamuis abuſione ab vno temerè cœpta, omnes ferè Regiæ coronæ, aliter nunc habeant. In coronarum ergo tractationem à tam multis conſcriptam, non eſt conſilium excurrere, ſed in tegminibus principalibus ſiſtam, initio facto à tegminibus Capitis ſummorum Dynaſtarum; tum progrediendo ad ea quibus inferiores Magiſtratus operiebantur.

Imperatores Romani, in bello, & vbi operiri Capita mos erat, Pileis Laconicis contecti Capita, deſcribuntur à Syneſio in orat. de regno. De faſtu namque & pompa Auguſtorum ſui temporis multa prælocutus, qui Homericam imprecationem, (lapideam ſcilicet tunicam,) in ſeipſos trahebant, gemmis vbique & lapillis diſtincti pauonum inſtar, interrogat; [Num meliùs nunc vobiſcum agitur à quo hæ circa Reges ceremoniæ inſtitui cœperunt, latibuliſque vos lacertarum in modum continetis; ægrè, ſi fortè ad Solis ſplendorem prodeuntium, ne vos homines aſſe, homines ipſi deprehendant? An potiùs tunc cum exercitibus præficiebantur homines in propatulo vitam agentes, Sole aduſti, reliquóque in victu, ſine vllo artificio ſimplices: non Dithyrambicum ac Tragicum timorem ſpirantes, ſed Laconicis pileis recti, quos in ſtatuis pueri ſpectantes derident; quóſque ſenior plebs, felices fuiſſe non putat, imò verò ſi vobiſcum conferantur, planè infelices.] Nec ita multo poſt, deſcribens, Carinum Imperatorem in fines Parthorum progreſſum, aduenientibus Parthorum Legatis, detracto pileo, caluum Caput oſtentaſſe ait, minatum ni ſatisfacerent iuſtis Romanorum poſtulatis, ferro & igni vaſtandum perbreui omnem hoſtilem agrum: territúmque Carini abſtinentia & magnis animis Parthorum Regem, qui tiara & Candye ornabatur, ceſſiſſe ei, cui ea viliſſimis lanis, amictus, pileúſque eſſent.] Itaque Carini pileus laneus erat.

Imperatores Conſtantinopolitani, in vſu communi vtebantur pileo, vt videre eſt apud Codinum de offic. Conſtantinopol. cap. 6. n. 18. Eum verò pileum, (vt ibidem additur,) in ſolemnitatibus, mutabant alio tegmine; puta *crinonia*, vel *tetraphyllo*. Crinoniam à ſpecie lilij nomen inueniſſe, exiſtimat Gretſerus ad eum locum lib. 3. commentar. cap. 2. §. 8. vt & tetraphyllum, cenſet ſic denominatum, à quatuor foliis. Idem Codinus cap 6. num. 36. meminit variorum Imperatorij Capitis tegminibus, ac nominatim eius quod dicebatur *Tropæuchia*, à tropæo ſeu trophæo; & *Iuſtinianai*, quod ſcilicet Iuſtinianus aſſumpſit. Certant de eius tegminis forma Alemannius ad arcanam Procopij hiſtoriam, & Gretſerus tomo 3. de Cruce lib. 2. c. 20. & ad Codinum in ſupplemento pag. 304. & 305. Et fortaſſis immeritò certant, cum Codinus diſertè notet, Iuſtinianum varia habuiſſe Capitis tegmina propria: & nunc vnum, nunc aliud geſtaſſe, pro arbitrio. Notanda verò ſunt Curopalatis verba in opere de Offic. aulæ Conſtantinopol. *pag.* 100. [Quod nunc appellatur *ſtemma*, id olim nominatum fuit *diadema*. Id autem erat textile aureum, cum lapillis & margaritis, poſitum ad Imperatoria frontem, & ponè reuinctum, cerebrum versùs: (quamobrem etiam, dicitur *diadema*:) quod ea eo paulatim mutatum, effectum eſt quale videtur hodie, & nominatur *ſtemma*. Quod autem nunc vocatur *diadema*, id olim *militaris zona* dicebatur, honorem indicans: qua olim Tyranni Chriſtianos milites primùm priuabant, tum eos tortoribus dedebant.] Aliqua in his Curopalatæ verbis, rectè habent, alia depoſcunt cenſuram. Quod enim vocis *diadema* ethymologiam, à circumligatione & nexu repetit, benè habet. Ineptit ſiquidem Ioannes Andreas, in Clement. *Romani*, de iureiur. deriuans *diadema*, à *δύο* id eſt *duo*, & *demo*, quia demit principium & finem, ſua rotunditate. Dicitur ergo diadema, *ἀπὸ τοῦ διαδεῖν* quod eſt *circumligare* ac *cingere*, vt benè cenſuit Curopalates. At non benè, *diadema* cum militari zona antiqua permiſcet. Neque enim omnes, zonæ militaris iure donati, erant diademati, vt eſt notiſſimum: Cum diadema ſemper fuerit nota ſupremæ poteſtatis Regiæ, vnde Tryphon. 1. Machab. 3. dicitur ſibi impoſuiſſe Aſiæ diadema; Et pro numero Regnorum, multiplicabantur diademata, vt videre eſt apud Herodianum lib. 6. cum de Artabano. Et lib. 1. Machab. cap. 11. verſ. 13. dicitur Ptolemæus impoſuiſſe *duo diademata Capiti ſuo; Ægypti, & Aſiæ*. Erat ergo diadema, manifeſtum inſigne; & idcirco vel in neceſſitate, impoſuiſſe Capiti diadema, erat crimen læſæ Majeſtatis, & morte luendum, vt contigit illi nautæ, qui deſiliens in mare, vt Alexandri diadema in aquas prolapſum educeret, cum illius conſeruandi gratia ſuo capiti inter natandum illud impoſuiſſet; ita præmio luculento ob receptum diadema donatus eſt, vt mox ſit Capite minutus. Rem deſcribit Arrianus lib. 7. Multa de diademate collegit Alex. Neapol. lib. 1. geni. c. 28. & Ioſephus Stephanus Opuſc. de coronat. Rom. Pontificis, ac in cap. 1. libri primi Machab. ad v. 10.

Perſarum tiaris Regius, longè differebat à tiaris reliquorum. Erat enim rectus, tantiſper à fronte remotior, & quâ frons media eſt, exacutus ac faſtigiatus in mucronem, vt ex Ariſtophanis auibus colligitur. Nummi à Goltzio exhibiti, Tiaram Perſicum Regium, repræſentant figura erecta, & ſumma ſui parte retorta, cum infulis à poſteriori parte pendentibus, & bucculis ad labra vſque ex anteriori parte demiſſis: Cuiuſmodi bucculas, in Magorum quoque Tiaris, deſcribit Strabo lib. 15. Diligenter de hoc Tiara, Paſchalius lib. 10. de coron. cap. 2. Erectam tiaræ formam, Regibus Perſicis fuiſſe peculiarem, habetur ex Seneca lib 6. de benef. cap. 31. & ex Triſapherne apud Xenophontem lib. 2. Cyripæd. Huiuſmodi rectum tiaram, Zonaras in *Baſilio Imperatore*, ait vocari, *tuphan*, ob typhum quem ingenerat. Et meritò ſanè expoſtulabat Dio Pruſæus orat. 14. *in fine*, tanto ſtudio Perſarum Regem cauiſſe ne quis alius rectum tiaram aſſumeret, illicò interficiendus ſi aſſumpſiſſet: [vt autem rectum haberet animum, & nemo alius prudentia eum ſuperaret, nunquam illi curæ fuiſſe] Regium hunc tiaram, cumulabat diadema, id eſt faſcia fronti applicita, non corona: vt contra vulgarem perſuaſionem benè confirmat Alexander Neapolitan. lib. 1.

Gen.

Gen.cap.28. Apud Perſas ergo, eam faſciam cumulaſſe tiaram, liquet ex Xenophonte lib.8. Cyripæd.vbi Cyrum deſcribit in publicum prodeuntem, Regio apparatu conſpicuum; [habentem, (inquit,) diadema circa tiaram.] Idipſum tradit Dio Pruſæus orat.14. Et inter alias quidem gentes, diadema cingebat nudum caput, & pro *inſigni Regio* vſurpabatur, vt loquitur Tacitus lib.2.Annal.& Virgilius 11. Æneid. agens de Rege Tyrrheno,ac Silius lib.16. agens de Syphace; vbi diadema Africanis Regibus fuiſſe album oſtendit, quale etiam fuiſſe Iulio, habet Sueton.c.79. vnde *alba faſcia* vocabatur à Luciano *in Nauigio*. At apud Perſas (de quibus agebam,) diadema ex cæruleo & albo interſtinctis conſtabat, vt habet Curtius lib.3. quod item volunt, qui illud conteaunt ex albo & purpureo. Nam cæruleus color, non rarò *purpureus* dicitur: vt cum mare dicitur *purpureum* id eſt *cæruleum*. Et viceuerſa, pro purpureo cæruleum dicitur 4.Georg.& 10.Æneid. Reginas quòque, vſas tali diademate, monſtrat Bayffius lib.de re veſtiaria cap.20. & conſtat ex Plutarcho *in Lucullo*, cum de Monima. Sic igitur confectum diadema, & multiplicatum pro numero Regnorum, vt diſertè habetur de Ptolemæo 1. Machab.2.) adponebatur tiaræ apud Perſas: de quibus proinde poreſt valere vtcumque, id eſt materialiter, & propter appoſitionem, ac nexum, quod falsò aliqui vniuerſaliter dicunt; diadema fuiſſe pileolum cum faſcia. Et in eundem ſenſum accipio Sidonium, qui carmine 23. ſic canit de tiara Perſico.

Vt faſtu poſito tumentis aula,
Qua ſupra Satrapas ſedet Tyrannus;
Ructans ſemideûm propinquitates,
Lunatam tibi flecteret tiaram.

Et carmine 2. ad Anthemium.

Flectit Achæmenius Lunatum Perſa tiarã.

Vocat *Lunatam tiaram*, qui reuera Lunatus non erat: idéòque à Bulengero reprehenditur lib.de veſtim Pont.cap.5. Sed præterquàm quod Sidonius facilè caponi poſſet de Tiara, in quo efficta acu, aut appicta eſſet imago Lunæ, quam Perſarum fuiſſe ſymbolum dixit Curtius lib.4. & fuiſſe omen augendi ſubinde imperij, cenſet Paſchal. lib.9. de coron. cap.18. Præter eam inquam Lunari tiaræ capoſitionem, optimè dicitur, tiaram Perſicum fuiſſe Lunatum, ratione diadematis tiaræ appoſiti, quod erat Lunatum. Erat & aliud Perſarum Regibus capitis tegmen pellitum, vt habetur ex Polluce lib.7. cap.13. *Candya* appellabant. Sed hîc cauenda eſt æquiuocatio. Nam *Candys* alibi, nomen eſt veſtimenti, vt iam ex Dione Chryſoſtomo retuli, & multis ſignatis Authorum locis illuſtrat Briſſonius lib.2. de Regno Perſ. Videndus Paſchalius lib.10.de coro.cap.3.

Cidarim idem fuiſſe quod diadema, cenſet Budæus in Pandectas, & Pancirol. lib.1. variar. cap.9. At Cidarim, vix niſi nomine à Tiara diſcrepaſſe, notat Alexander Neapolit.lib.1.genial. cap.28. & patet ex Curtio lib.3. qui tegmen Regum Perſarum, appellat *Cidarim*. Agathias item lib.4. Regium Perſarum pileum, promiſcuè nunc *tiaram*, nunc *cidarim* nominat, agens de Artaxerxe. Itémque agens de Varanne Perſa, cui in vtero adhuc latenti, impoſita eſt Regia cidaris recta, id eſt tiara Regia. Genus erat pilei, è pilis contexti. Pollux lib.10.cap.36. ex Herodoto, *cittarim* vel etiam vnico *taccrarim* ſcribit; quod Grammaticale litigiolum non moror, contentus notaſſe, vſum inualuiſſe vt *cidaris* dicatur. Mirum videri poteſt, S.Auguſtinum q.123. in Exod. ſcripſiſſe, ignorari quid ſit *cidaris*; & putare ſe, non eſſe Capitis tegmen, vt nonnullos cenſuiſſe refert. Benè, quod ipſemet D. Auguſtinus q.81. in Leuit. agnoſcit cidarim eſſe Capitis operimentum. Vſi ſunt hoc Capitis tegmine, Reges Armeniorum, Ponti: vt de Mithridate agens tradit Plutarchus *in Pompeio*. Item Reges Ægypti, vt proditum eſt in Æſopi vita. Nec diſſonat Diodorus Siculus lib.4. aſſerens Regum Ægyptiorum ac Æthiopicorum tegmen Capitis, fuiſſe pileum oblongum aſpidibus circumuolutum, vt monerentur omnes, Regij Capitis violatione abſtinere, ni vellent perire morſibus mortiferis. Non inquam pugnant iſta cum cidari Regibus Ægyptiis attributa. Nihil quippè vetat, cidarim, oblongum pileum dicere. Malè tamen aliqui, de huiuſmodi cidari ſeu pileo, accipiant illud Martialis lib.1.epigr.42.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga;
Olidæque veſtes murice.

Quamuis enim erant plerique Summatum pilei pelliti, quales hodiè Germanis nonnullis Principibus ſunt inſignia poteſtatis, vt latè proſequitur Paſchalius lib.9. de coron. cap 23. Tamen Martialis eo loco qui proferebatur, non ſpectabat geſtamen Capitis, ſed pedum in quo erat Lunula, inſigne nobilitatis, iuxta illud Iuuenalis Satyr.7.

—— Nobilis & generoſus,
Appoſitam nigra Lunam ſubtexit aluta.

Videſis prouerbium. *Nobilitas in Aſtragalis*, quod ab Herode Attico in Bradeam leoirum ſuum, magnificè crepantem generis nobilitatem, iactatum refert Philoſtratus lib.2. Sophiſt. Agit de ſimili pedis geſtamine, idem Martialis lib.2. cum de nobilitate non nupera & heſterna, ſed antiqua ſupertalari luniformi notata, ait,

Non heſterna ſedet Lunata lingula planta.

De eodem ergo tegmine agebat priori illo loco; qui proinde malè ab aliquibus, ad Capitis tegmina eſt detortus. Medorum Regum Capitis tegmen, quod commune eſſet Iudicibus Perſarum, mox ex Codino deſcribam.

Ruſſorum Imperator, vulgò *magnus Dux Moſcouiæ*, pileum habet quem in hæc verba deſcribit Sigiſmundus Baro, in rerum Moſcouiticarum commentario. [Pileus ipſorum lingua, *Schapka* dictus, quo Vuolodimerus Monomach vſus eſt, & quem gemmis ornatum, aureis item laminis quaſi quibuſdam ſpiculis ſubinde ſe vibrantibus mirè concinnatum reliquit.]

Magnatum Sarmaticus inferiorum, tegmina Capitis, peculiaria alicubi fuere. In Imperio Conſtantinopolitano, magna hac in parte erat varietas. Andronico cum creatus eſt Imperator, detractum eſſe pullum & acutum pileum, quo antea vtebatur, & rubram mitram eius Capiti fuiſſe impoſitam, Nicetas Author eſt libro ſingulari de Alexij Comnenij Imperio numer.18. Birretum acuminatum, Nicephorus Gregoras lib.11. *in fine*, proceribus ætate pro-

vectioribus in vſu fuiſſe, ait, ſerico tectis pro dignitate cuiuſque, adoleſcẽtibus Capite nudato agentibus Andronicum verò Palæologum omnibus conceſſiſſe pileos, & variis varios placuiſſe, his Latinos, aliis Myſios & Triballicos, aliis Syrios & Phœnicios, prout cuique libebat. Ita ille de pileis in vſu communi procerum. Nam tegmina Capitis, quæ erant veluti teſſeræ ac notæ dignitatis, non videntur abrogata. Apud Codinum lib. de offic. Eccleſ. & aulæ Conſtantinop. multa de huiuſmodi tegminibus. Capitis inferiorum Magnatum & Magiſtratuum legere licet, præſertim cap. 3. & 4. [Tegumentum Capitis, inquit eo c. 3.) quo Deſpota vtitur, quod *vmbella* ſeu *vmbraculum* appellatur, totum ex margaritis conſtat. Vmbo ſeu ambitus præfert nomina eius qui geſtat illud, auroclauatum, fimbriatum, τὰ ὦτα qualia ſunt Imperatorij pilei, exceptis nodo & palmulis.] Hæc illius pilei ὦτα, *apicem* expoſuit Iunius. Quid ſint, ambigit Gretſerus lib. 2. comment. cap. 4. Notat verò paulò pòſt Codinus, de eo ipſo Deſpotæ pileo. [Cum Deſpota adhuc puer eſt, nullum tegumentum fert in Capite dum in palatio verſatur, ſed manet aperto Capite. At quando equitat, tunc fert eum quem antea deſcripſimus pileum. Cum ad ephebi ætatem proceſſit, tunc fert eum quem ante deſcripſimus pileum, idque etiam in palatio.] Inferiùs, de pileo generi Imperatoris, ſic ſcribit. [Pilei generorum Imperatoris, ſi ſint Deſpotæ, aurei & coccinei coloris ſunt, & fimbriati, habéntque Cruces ex margaritis, & gyros ſeu circulos. Pileus Sebaſtocratoris, aurei & coccinei coloris eſt, & limbatus. Vmbo eius & τὰ ὦτα qualia Deſpotæ, &c. Cæſaris pileus fimbriatus eſt, aurei & coccinei coloris, qualis eſt Sebaſtocratoris. Vmbo & denſitas, qualia eiuſdem.] Addit cap. 4. Codinus de tegminibus Capitis aliorum Magnatum. [Pileus magni Domeſtici, aureo & coccineo colore tinctus eſt; Clauatus cum vmbone aureo & coccineo, qui & ipſe clauatus eſt, τὰ ὦτα inſtar vmbonis Chryſococcinea, &c.] Pileus magni Ducis, colore aureus & coccineus eſt, clauatus abſque vmbone.] Huic pileo ſimiles fuiſſe pileos Logothetæ & Magni Stratopedarchæ, ait inferiùs. Subdit verò [Magni Primicerij pileus, fimbriatus eſt, &c. Protoſebaſti pileus aureo & praſino colore nitet, excepta fimbria quæ purpurea eſt, &c. Logothetæ generalis ærarij, pileus eſt albus pannus, cum margellis, &c. Protoueſtiaritæ pileus, clauatus eſt, &c. Primi Secretarij pileus eſt blatiuus, duplicis coloris, purpurei & albi, habens margellis fimbriata, lata non in Crucis formam, ſed in orbem circa verticem pilei, ambitúmque trullæ quæ ſupra habet figuram trifolij, margellis ornatam.] Vocat trullam, partem ſummam pilei, qua clauditur & quaſi concameratur; voce ab ædificiis tranſlata. Demum addit [Præfecti exercitus pileus, clauatus eſt.] Erant hæc tegmina Capitis Magnatum & aulicorum. De Iudicum verò Pilaticiis, mox dicam.

Inter Perſas erat peculiaris tiara Iudicum, de qua Paſchalius. A Medis acceſſit, & *Pilaticia* vocat huiuſmodi iudiciaria Capitum tegmina, Codinus; ſic ſcribens cap. 6. num. 46. [Cum Perſarum gens parua eſſet; & vitam Paſtoritiam ageret; Cyrus, relictis Perſarum moribus, vtebatur ritu & conſuetudine Medorum, vtpotè gentis magnæ & magnificæ. Horum verò Iudices ferebant epilorica ſeu ſuperulas, & in Capite lineum tegmen, *Phaceolidem* appellatum. Ex quolibet Phaceolio, pendebat à ſiniſtra parte margellium, ſiue fimbria ex margella, alteram autem eius qui geſtabat obtegens. Quo ſignificabatur, aurem quidem retectam accuſatoribus dari; tectam verò autem, accuſatis ſed abſentibus reſeruari. Ex collo Iudicum, pendebant in ſericis filis margellis, cum fimbria. Longitudo erat ſpithama minor, latitudo vnius palmæ. Quæ Rex Medorum ferebat, ſimilia et & Iudices. Quemadmodum igitur olim, exercituum Duces ferebant torques, qui erant honoris indices, ſic & pilaticia honorem Iudicum manifeſtabant.]

Apud Sinas, peculiaris eſt Magiſtratibus omnibus pileus, quem ſic deſcribit Nicolaus Trigaultius lib. 1. expedit. Sinicæ cap. 6. [Omnes Magiſtratus, ſiue Philoſophici ſiue militares; infimi iuxta ac ſummi, eodem pileo inſigniuntur. Is eſt è velo nigro, & vtrinque duas velut alas habet; ferè ſupra aures ouatæ figuræ. Eæ ita pileo adhærent, vt tamen facilè excidant. Hoc aiunt modo, ſe ad modeſtè tectáque incedendum cogi; & à Capite leniter inflectendo, prohiberi: quod ſi fecerint, Magiſtratuum violant majeſtatem.] In Gallia, qui in ſupremis Curiis eminent Præſides, habent peculiare capitis tegmen. Is eſt honorarius cudo, vulgò *mortier*; voce per ſcomma ei pileo indita, quod nonnihil accedat ad formam mortarij, in quo pinſuntur & piſtillo deteruntur quæ operæpretium eſt terere. Pileus eſt, ex nigro heteromallo villoſo, in orbiculatem formam contextus, auri vitta fimbriatus qui in vſu Regum quòndam erat, extra ſolemnem apparatum. Vt autem liqueret, huiuſmodi ſupremis Iudicibus, indultam eſſe Regiæ poteſtatis participationem, ea parte Regij amictus vſuarij donati ſunt. Sanè pleræque Regum icones antiquæ, in Regio ſacello etiamnum proſtantes, iam à tempore S. Ludouici Noni, ad eum modum pileatos Reges exhibent, vt refert Ludouicus ab Aurelia, in Opere de forenſibus Curiarum proluſionibus cap. 23. qui obſeruat, aliàs quidem hos pileos fuiſſe acuminatos, & faſtigiatos; poſtea tamen etiam Regum pileos fuiſſe depreſſos & planos; quali etiam forma ſunt nunc Præſidum pilei de quibus agimus. Cum è contrario, Perſicus faſtus, non tiaram deletam, ſed acuminatam & rectam præferret, vt Seneca 6. de benef. agens de Demorato prodidit, & in Themiſtocle Plutarchus, necnon Arrianus, agens de Beſſo Perſici imperij occupatore.

SECTIO X.

Pileus Doctorum.

PEr antiqui moris eſt, vt ſit Doctoribus certus habitus, cuius vſu interdicatur iis qui iudicio illorum penes quos eſt ea poteſtas, probati non fuerint, ac velut inaugurati. Sic enim Sophiſtæ olim Athenis, pallium Philoſophicum,

vnáqua

vnáque Sophiſtarum dignitatem certis ritibus ſeruatis aſſequebantur, vt ſcribit Olympiodorus apud Photium Cod. 80. Neque ſermo dontaxat eſt de facultate aſſumendi pallij, quaſi ad tyrocinium Scholaſticis illico ac aduentabant, facta à Magiſtris non abſque annumeratione pecuniæ, & pleriſque ludicris, (vt memorat orat. 20. Nazianzenus, liberatum ea pompa Baſilium Athenas appulſum deſcribens;) ſed ſermo eſt de pallio veluti Magiſtrali, quod concedebatur ſolis ad docendum idoneis, qui ſimpliciter ἐγγεγραμμένοι appellabantur; eo quod inter ſapientes eſſent allecti, & legitimè inſcripti, vt diligenter ea pleriſque antiquis notauit Creſolius lib. 3. theatri cap. 16. Et perſpicuè habetur ex can. 71. Trullano, vbi memoratur vſus Ethnicorum in veſte certa, candidatis Sapientiæ; & certa item, iam decurſo ſtudiorum curriculo aſſignanda, quod Synodus fieri deinceps vetat (vtique adhibitis ritibus illis, è cœnoſa Ethnieiſmi ſcrobe hauſtis, & alicondè lutulentis.) Inter eas autem Magiſterij ac Doctoratus notas, numerabatur corona, quæ ab initiatore myſta imponebatur, vt eſt apud Ariſtophanem in Nubibus, cum deſcribitur Strepſiadis inauguratio per Socratem. Et tunc nomen *Sophiſtæ*, ſiue Doctorum titulum aſſequebantur, vt eſt apud Philoſtratum lib. 2. de vita Sophiſt. Præceſſiſſe porrò huius tituli delationem, ſuffragia in licum ad id authoritate inſtructorum, docet Lucianus *in Eunucho*, *&* Eunapius *in Proæreſio*. Quamuis ergo Synodus Trullana, ob maturas aliquas impuras, vetuerit peragi quas dicebant *cyliſtras*, & ritus illos Ethnicos qui vſurpabantur in Tyronum initiatione, & iam conſummatorum inauguratione, retineri noluerit à Chriſtianis, tamen eſſe ſuas Doctoribus peculiares notas, non prohibuit. Imo cum id ſpectat ad honorem artes alenté, prohiberi nec decuit, nec debuit. Vt enim benè in hanc rem ratiocinator Rebuffus tract. de priuil. ſtudio. & Iacobus Middendorpius lib. 1. de Academiis cap. 13. poſt Iuuenalem Satyr. 10. & Bionem in Bucolicis, & Iamblichum & alios, virtus inhonorata iaceret, nec eſſet qui vellet labores in literarum adeptione decernandos exantlare, niſi eſca præmij & honoris pelliceretur. Is autem honor, præſertim cernitur in peculiari amictu & peculiaribus exteris notis, inter quas eminet pilei conceſſio. *Burretum* vocat Bertachinus, atque eſſe ſignum victoriæ, & gratiæ, necnon Sacerdotij, & ſuperioritatis; & has omnes ob cauſas meritò concedi Doctoribus cum inaugurantur, addito in vertice lapſu, ſeu flocco, pro Doctorum varietate, coloris diuerſi.

Tangit his paucis Bertachinus, compagem, & colorem ac fines pilei Doctoralis, quæ breuiter percurrenda ſunt, & diſtinctiùs exponenda. Et pileus quidem, alicubi; non eiuſdem eſt coloris, tamen apud noſtrates ſemper eſt niger. Aio alicubi aliter rem ſe habere, quia vt ſcribit Middendorpius libro primo de Academiis capite 13. & Maximilianus Sandæus in Theolog. Iurid. commentat. 10. apud Germanos (inter quos ipſe ſcribebat,) ſolus Doctoralis pileus Theologorum, eſt nigri coloris, ad innuendum eos eſſe mundo mortuos. Eſt quippè nigredo, mortis Symbolum; vt propterea Satyricus, *nigros manſiſſe* dixerit pro *mortuis*. Qui verò apud eam gentem in aliis facultatibus promouentur ad lauream Doctorum, pileos habent alterius coloris quàm nigri. Nempè Iuriſperitorum pileus eſt ruber, & quod adſint Regibus & Principibus terræ, quorum præcipuum ornamentum, eſt purpura. Medicorum verò & Philoſophorum Pileus Doctoralis, eſt violaceus, aut cæruleus, vt moneantur oculos ſuos non declinare in terras. Ex Godelmanno lib. 1. de Magis cap. 1. Dæmon in Marchia, ſpecie Aduocati obiectus, pileum cæruleum prætulit. Cum enim quidam miles perfidè deceptus à caupone; cui in morbum incidens, vim magnam pecuniæ crediderat, nonmodò re ſua ſpoliatus eſſet, ſed etiam accuſatus apud Iudicem de impoſtura & vi illata, adiudicandus eſſet morti, nec eſſet qui pro miſero cauſam ſuſciperet, obtulit ſe Diabolus cauſæ eius tuendæ, multis argumentis & auctoritatibus comprobans eius innocentiam, & cauponis perfidiam atque malignitatem. Erat enim Diabolus externa ſpecie Aduocatus, pileum cærulei coloris capite præferens. Adeò verò peritè & fortiter, militi militis cauſam egit, vt caupone omnibus ſe diris deuouente, & Diabolo ſe addicente ſi falleret. Diabolus palam, acceptum cauponem per feneſtras & forum medium, omnibus horreſcentibus abduxerit, nullis poſtea infeliciſſimæ Orci victimæ vſpiam deprehenſis reliquiis. Et teterrimum ſub cæruleo pileo more Aduocatorum illius regionis Borealis cauſidicum. Hæc igitur eſt coloris quoad pileum alicubi multiplicitas, quæ apud noſtrates locum non habet. At floccus, apud nos quoque, pro variis eſt varius. Enim floccum aliqui ſuperiore ſæculo, Geneuæ, cum ea vrbs ſub auſpiciis Spiritus ſancti reformati, omnia ſuſdéque euertit, porro hortenſi mutauere, quem pileis aſſuerunt vel adiunxerunt: quod quantum bilem, Farello meri Dei verbi pincernæ inter primos ſtrenuiſſimo excitauerit, docet in Caluini vita Laingæus cap. 7.

Nunc in tactos ex Bertachino pilei Doctorum fines, eiuſque quadratam formam, inquiramus. Victoriæ ſignum haud iniuria ſtatuitur pileus Doctorum; nec abs re cum oleaſtro Olympionicarum confertur ab Adriano Iunio lib. 5. animaduerſ. cap. 2. quia diligens ſtudium quod neceſſe eſt in Doctore præceſſiſſe, perinde eſt ac lucta & agon cum ignorantia, & ignauia. Et quemadmodum Agoniſtici variè probabantur & examinabantur, priuſquàm ad certamen & victoriæ viam admitterentur; ita qui Doctorum lauream captant, variis probationibus & examinibus ſubiaceant neceſſe eſt. Proportio eſt manifeſta. Triplicem enim Athletarum coronam, pro triplici eorum gradu, agnoſcit Imperator l. *Athletas ita*, C. de Athletis, vbi Bartolus & DD. paſſim. Similiter igitur, inter ſtudioſos ſapientiæ; alij depoſiti Tyrocinij inſignibus donati, dicuntur *Baccalaurei*; ſiue à lauri baccis, vt ſignificetur ſpem fieri; quod à baccis ad laurum ſeu plenam lauream denique pertingant; ſiue à bacillis quorum olim collatione creabantur, vt volt Renatus Berrenſis, in Admonitione de Tertull. dogmatibus. (Quanquam in Italia primum hunc gradum honorum Scholaſticorum non requiri ad Doctoratus titulum & decus adipiſcendum, notat Quintilian. Mandoſ. ad reg. Cancell. 36. q. 11.) Alij vlteriùs

pingte

progredientes denominantur *licentiati*, & *pro-doctores*. Tertiò denique alij, ad ipſum prouecti apicem honorum Scholaſticorum, *Doctores* plene & abſolute appellantur. Atque ita, hi Athletæ ſapientiæ, ſeruant proportionem cum antiquis athletis; ſicut quoad probationes & examina agoniſticis præmitti ſolita, vt Faber in Agoniſtico lib. 3. cap. 17. aliique notarunt, ita quoad gradus, & varia externa Signa tanquam laborum præmia, meritò rependenda iis qui probati ſiue laurea digni, atque oraculo quo ab aliis ſecernerentur. Videndus Faber eod. lib. 3. cap. 28. Hæc porrò nota, nullibi ſtatui conuenientiùs ac principaliùs poteſt, quàm in Capite. Inprimis, quia ob neceſſariam, dum hîc viuimus, intellectus ac phantaſiæ in operando connexionem, & phantaſmatum inter intelligendum ſpeculationem; Capitis per ſtudia fatigatio, maior fuit, quàm reliquorum membrorum. Præterquàm quod eminentia Capitis, vt ſupra ſ. 2. diſputatum eſt, notas victoriæ in Capite collocatas, conſpicuas omnibus facit. Quare poſt luctam & certamē, optimè hac quaſi laurea donantur Doctores, imitatione Dei, qui in cœlo ſpeciale decus quod *aureola* Doctorum dicitur, conferet Doctoribus probatis, de quo benè diſſerit Carolus Regius lib. 1. Orator. Chriſt. cap. 22. & Ioannes Bagotius in demonſtrationibus Chriſtianis t. 2. lib. 5. diſp. 7.

Quod gratiæ ſimul ac victoriæ notam, pileum Doctoris ſtatuebat Bertachinus, exiſtimo referendum ad probatos mores, & vitæ Sanctitudinem veri Doctoris. Supponitur enim non excepturus tot labores, quot exanclare neceſſe eſt eum qui dignè ad aſſecutionem huius decoris pertingit, niſi virtute & gratia præcelleret, qua tot illicibus voluptatum & auocamentis à recto, conſtanter obſiſteret. Eraſmus ſanè Adag. *ad pileum vocare*, exiſtimat, pileum eſſe notam virtutis ſpectatæ, & idcirco conferri Doctoribus. Quo etiam pertinet longa diſputatio Lucæ de Penna ad l. *Murileguli* C. de murileg. & gynæciar. monſtrantis, pileum Doctoris dici *birretum*, quia ſupponit duplicem rectitudinem in eo cui confertur. Eam verò duplicem rectitudinem ita explicat idem Doctor, vt omnem planè ſanctimoniam comprehendat.

Eodem reuoluitur *Sacerdotium*, cuius pileum Doctorum, teſſeram eſſe, ſtatuebat Bertachinus: & idem habet Mat. Socinus cap. *Quantò*, de Magiſtris. Diſciplinæ enim, etiam humanæ, ſub quodam Sacerdotio exercendæ ſunt, & facultates, quibus partis decernitur pileus, veluti quædam numina habentur, vt de Iuſtitia & Iuſtitiæ adminiſtris pronunciaux Vlpianus, quatenus ex Celſo dixit; Iuriſperitos, boni & æqui Sacerdotes eſſe, atque adeò iuris atque Iuſtitiæ. Quod Hotomanus in Epitome ad titulum 1. digeſtorum, & in commentario renouato ad Inſtitutiones tit. 1. de Iuſtitia Dea Ethnicorum dictum contendit, Θεμίδα aut Θέμιστα vel Δίκην dixere Ethnici, vt ex Euſtratio obſeruat Budæus ad lib. 1. tituli primi ff. Iuſtitere Hotomani veſtigiis, in eo ſenſu definitioni ab Vlpiano aſſignatæ admittendo. Donellus tom. I. lib. 1. c. 4. & Henricus Salmuth ad Pancirolum de rebus deperditis, circa proœm. Et quanquam Vlpianus, homo Gentiliſſimus & acerbe Chriſtiani nominis inſectations infamis, dignus non eſt pro quo ſatagamus; tamen longè aliam fuiſſe eius mentem, cum Iuriſperitos dixit eſſe *Iuſtitiæ Sacerdotes*, monſtratum eſt lib. 3. de Virtut. num. 39. & ibid. num. 40. hoc Sacerdotium in ſancta tractatione & dictione iuris conſiſtens, eſt illuſtratum. Addo nunc, Iulianum Imperatorem in longo fragmento ſiue orationis, ſiue epiſtolæ, eodem modo ac ſenſu pronunciantem. [Ciuiles magiſtratus, quodam veluti Sacerdotio fungi, quatenus legum ſunt cuſtodes.] Indéque infert Iulianus, dici poſſe, parem honorem ac cultum, Sacerdotibus & Magiſtratibus tribui oportere. Quod approbaſſe videtur apud Caſſiodorum Rex Theodoricus lib. 6. epiſt. 3. in calce formulæ Præfecti prætorio, cum dicit. [Quod Sacerdotium eſt, præfecturæ prætorianæ competenter agere dignitatem.] Affine eſt; quod doctus Poëta 6. Æneid. & viris doctrina præſtantibus, & Sacerdotibus, commune poſt obitum vittas decernit. Ait enim:

Quique Sacerdotes caſti dum vita manebat,
Quique pij Vates & Phœbo digna locuti;
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes;
Quique ſui memores, alios fecere merendo;
Omnibus his, niueâ cinguntur tempora vitta.

En capitibus Sacerdotum & Doctorum, vittæ in Elyſiorum camporum beatitate, decretæ; perinde ac ſi vtrique fungantur Sacerdotio; & illi Numinis, hi ſapientiæ Antiſtites ſtatuantur. Plinius ſanè lib. 7. cap. 30. Platoni tanquam ſapientiæ Sacerdoti & Antiſtiti, vittatam nauem à Dionyſio miſſam, teſtatur.

Facit huc non incongruè, quod Theon Smyrnæus nuperrimè editus cap. 1. Mathematicorum ex Platone *pag.* 18. tradit, de initiatione myſtarum, reſpondente traditioni ſapientiæ philoſophicæ, & initiationi in ea. Præibat enim purgatio. Tum deinde ſequebatur traditio Sacrorum. 3. Concedebatur Sacrorum inſpectio. 4. Interueniebat ſcopus & finis inſpectionis, hoc eſt Capitis religatio, & impoſitio coronæ, inſerens poteſtatem tradendi aliis ſacra, Myſtæ collata. Hac proportione ſeruata, locum habuiſſe in traditione poteſtatis alios imbuendi philoſophia, (qui eſt verè Doctoratus Philoſophicus,) affirmat Theon eo capite 1. quod ex Platonis Libris de Republica & Epinomide conſarcinatum eſſe, obſeruat ibi in Notis Iſmaël Bullialdus. *pag.* 2. 5. Ex ſenſu igitur Theonis Platonem exprimentis, corona Philoſophico Doctori imponebatur, tanquam Myſtæ perfectè initiato, poſt examen & probationem, ac veluti expurgationem ab ignorantia. Et ſicut corona illa, à Sacerdotibus ad Magiſtros Philoſophos traducta erat, ita pileus Doctorum qui ei coronæ Magiſtrorum ſuffectus eſt, pro Sacerdotali tegmine haberi debet. Sunt enim etiam Philoſophorum Magiſtri inter Doctores; & eo nomine iam olim vſos eſſe pileo, conſtat ex iis quæ de Philoſophis ſcribit Palladius agens de Serapione Sindonita c. 8. Lauſiacæ.

Quod denique adducebatur à Bertachino, de conceſſione pilei Doctoribus facta; eo quod pileus ſit nota ſuperioritatis & poteſtatis, ſupponit antiquum vſum quo pileus ſtatuebatur nota libertatis; quam Philoſophi & Theologi, præeunte Apoſtolo, definiunt poteſtatem ſuæ voluntatis, & dominium in actum ſuum. Eſſe porrò pileum notam [Libertatis, vulgatiſſimum eſt, &

fusè

fuſè illoſtratur à Bodino lib. 1. de Repub. c. 5. & à Pancirolo lib. 2. var. lect. iuris cap. 21. Inde vocare ſeruos ad pileum, idem eſt ac vocare ad libertatem, vt videre eſt apud Senecam epiſt. 47. & Liuium lib. 34. Suetonium *in Tiberio*, paſſimque alios. Et quoties libertatis expreſſio vel profeſſio facienda fuit, adhibitus eſt pileus. Sic Henricus II. Galliæ Rex, ei publico ſcripto quo rationem reddebat initi abs ſe fœderis contra Carolum V. cum Mauritio Saxone aliiſque Lutheranis, præfixit in ſcripti fronte, pileum inter duos pugiones, vt ſcribit Spondanus in Annalibus Gallicanis ad annum 1552. num. 6. Pileus enim Symbolum eſt libertatis, quam Gallicis & Germanicis copiis, Germaniæ quæri, prætendebatur eo bello. Imitatione veterum ſic factum. Nam Brutus tyrannidis excuſſor, in veteribus nummis pileum manu præfert. Et in variis nummis Cæſarum, mulier cum pileo, imago eſt libertatis, vt teſtantur Pancirolus lib. 1. var. lect. iuris cap. 17. & Pierius lib. 40. cap. *de pileo*. Tito Flaminio triumphanti, ciuium Romanorum duo millia affuiſſe pileata, vt profiterentur ſe ab eo accepiſſe libertatem, ſcribit in eius vita Plutarchus. In Neronis obitu, Suetonio atque Victore referentibus, plebs Romana vniuerſa diſcurrit pileata, quaſi tum demum donatam ſe libertate conteſtans. Terentius Culleo, vt Scipionem libertatis ſuæ Authorem profiteretur, triumphanti aſtitit pileatus, iuxta Oroſium lib. 4. cap. 19. Mancipia ipſa, vt ſcribit Seruius ad 8. Æneid. cum libertate donabantur, raſis Capitibus pileum in Feroniæ templo accipiebant. Fuiſſe pileum album, ſcribit Diodorus, agens de Pruſia Rege; qui vt ſe Romanorum libertum profiteretur, Legatis eorum, raſo Capite & pileatus occurrit. Et raſura quidem Capitis, in ſerui manumiſſione, nota erat declinatæ tempeſtatis ſeruituti comitantur. Nam qui è naufragio emerſerant, radebantur, iuxta illud Iuuenalis.

——Gaudent ibi vertice raſo,
Garrula ſecuri narrare pericula nauta.

Ad illorum ergo ſimilitudinem, qui ſeruitutem euaſerant, radebantur, ait Nonius in V. *pileus*. Et ſic raſis imponebatur pileus, vulgata apud Romanos libertatis teſſera. Vnde votum mancipij apud Plautum in Amphitr.

——Quod ille faciat Iupiter,
Vt ego hodie raſo Capite caluus, capiam pileum.

Erat igitur pileus nota & teſſera libertatis; quod ſerui contumaces, vt ex Cœlio Sabino prodit Gellius lib. 7. cap. 4. pileati proſtabant venales, cum eorum nomine nihil vellet præſtare qui venum illos exponebat, quod malè carpit Straccha parte 2. de Mercat. numer. 76. Videndus Iacobus Durantius lib. 1. var. cap. 10. Sed hoc ex adiunctis diiudicabatur. Alibi autem pileus, libertatis iam aditæ nota erat. An quia pileus inſigne erat iam olim nobilitatis? Vlyſſes ſanè, cuius cum Aiace de nobilitate contentio apud Naſonem proſtat, vt nobilis exprimeretur, pingebatur pileatus. Item Dioſcurorum nobilitas pileis eſt adumbrata. Byzantini etiam, (vt ait Pierius lib. 40. cap. *de pileo*,) qui quidem genere nobiles erant, vt nobilitatem ſuam teſtarentur, appulſi in Italiam, pileos geſtabant. An inſigne libertatis pileus; quia ingenuis, tametſi nudo Capite incedere ſolerent, ius tamen erat tegendi Capita, quo carebant mancipia? Nam mancipiis quamdiu ſeruitutem ſeruiebant, Caput neceſſariò nudum erat, quicquid demum accideret incommodi; non ita iis qui liberi erant. Quæ eſt germana expeditio nodi quem in hac re proponit, nec ſatis extricat Heraldus ad lib. 2. Martialis epigr. 68.

Ex his ſatis ſupérque liquet, pileum fuiſſe teſſeram libertatis, atque adeò etiam poteſtatis, cum libertas poteſtate definiatur. Idque fortaſſis voluit Pipinus concedens decimarum dominium per pileum ſuum vt teſſeram, vt eſt in Actis S. Momonis, *in fi* e. Sunt qui ad Noëmum authorem id referant. Ab eo quippè ſub Iani nomine apud Latium regnante, Latinos aiunt donatos pileo poſt diluuium, in Symbolum libertatis à tot malis, vt ſcribit Maximil. Sandæus in Theol. Iurid. comment. 50. Mirum igitur non eſt, donari pileo Doctores, qui exſoluuntur ſcholaſtica ſeruitute; & poteſtatem accipiunt, ſiue docendi, ſiue exercendi certa munera, ad quæ neceſſaria eſt eruditio, cuius teſtimonium publicum accipiunt. Scholaſtica ſeruitute exſolutos dixi, quia diſcipulus alterius fert nomen; nec ſi ſapit, ſuo ductu, ſed Magiſtri dirigitur; in eius verba iurat, & eius ſe ſententiis addicit: quæ tanta eſt ſeruitus, & quidem præſtantiſſimæ ac ſupremæ in homine facultatis, vt faſtidiens eam addictionem quiſpiam, *Serua pecora* appellarit, qui non auſint ab alienis ſenſis placitiſque diſcedere. Hanc igitur ſeruitutem excutiunt, & per Doctoratum quaſi manumittuntur, qui à doctrina ſufficienter inſtructi deprehenduntur; nec vltra indigent ductu Magiſtri, ſed aliis potiùs dirigendis atque informandis idonei declarantur. Ex ea autem ſignificatione pilei, manauit concertatio, de qua Menardus diſp. de iure Epiſcop. cap. 5. an excipere benedictionem à Iudice pileato, pugnet cum exemptione, & benedicentis poteſtatem ſupra benedictos aſtruat, quia pileus videtur teſſera poteſtatis. Quanquam quoad Doctores, pileus eius tantùm libertatis & poteſtatis teſſera eſt, de qua dixi. Decoratur pileus apice, ſiue hapſo è ſerico, pro variis facultatibus colore vario; quia apex erat flaminis geſtamen peculiare. Doctores autem quaſi inaugurari in flamines ſapientiæ, quam ſanctè & piè tractare debent, iam præmiſſum eſt. Hæc igitur eſt cauſa, aſſignati Doctoribus pilei in ſua inauguratione, vt notauit Stephanus Paſchal. lib. 4. obſeruat. Francic. cap. 7.

Forma pilei Doctoralis, apud varios varia eſt. Rotundum ſuo tempore fuiſſe, notat Petrarcha lib. 1. de remediis dialog. 12. non ſignata tamen regione. Apud ſuos Cadomenſes eſſe rotundum, ſcribit Petrus Lenaudiere tract. de priuilegiis Doctorum part. 1. q. 3. referens hanc tradendi pilei formulam. [Accipite birretum rotundum ad modum coronæ, in ſignum ſanctitatis & veritatis ac doctrinæ, vt tales ſitis in mente, quales fueritis in conuerſatione; nec à docendo ceſſaueritis, quia non coronabitur in regno cœlorum, niſi qui legitimè certauerit.] Addit idem Author, delectæ in pileo rotunditatis rationem; quia corona ſignum eſt perfectionis,

cum ſit ſphericæ figuræ, angulis carentis, in ſignum quod abſint ſordes, quas in angulis non deeſſe, monuit Gloſſa Clement. 1. de vita & honeſt. Clericor. verb. *tonſuram.* Videtur eandem formam pilei innuere, quod Signorellus de Homodeis Conſilio 23. num. 7. tractans, Doctoris & militis, vter vtri præferendus ſit, prærogatiuas, vocat pileum Doctoris *diadema*, quod figuræ eſt ſemicircularis, & ſapit rotunditatem; quæ ex eo maximè capite accommodata videtur huic pileo, quod æternitatis Symbolum ſit. At Doctorum fama, æternitati adæquanda eſt, nec labefactanda cum tempore.

Nihilominus forma quadrata, cujus pleriſque locis eſt pileus Doctorum, non minùs commodas aut minùs fœtas myſteriis rationes ſuppeditat. Vt propterea, non modò Italis, teſte Pancirolo lib. 1. var. lect. iuris cap. 23.) ea figura in hoc pileo iam olim ſit probata, tametſi ſuo tempore in deſuetudinem abiiſſe non neget; ſed etiam Sinæ (vt ſcribit Nicolaus Trigaultius l. 1. exped. Sinicæ cap. 8.) eam formam pileis litteratorum adamauerint; cæteris nonniſi rotundorum pileorum vſu conceſſo. Et eſt ſanè forma quadrata, Symbolum immobilitatis & ſtabilitatis, vt conſideratt eruditus Auguſtinus q. 52. ex 65. & S. Gregorius hom. 22. in Ezech. At Doctoris qui verè id nomen impleat, doctrina non eſt facilè mobilis. Omni quippè doctrinæ vento circumferri, in vitio ponitur ab Apoſtolo. Idque fortaſſis expreſſum voluit, qui Mercurium, Diſciplinarum cœleſtium iuxta Manilium lib. 1. Aſtronom. ac etiam eloquentiæ & veritatis præſidem, cubicum & quadratum effinxit, vt ex Leonide refertur lib. 1. Anthol. epigrammate ad Deos agreſtes 1 vbi Mercurium vocat *τετράγωνον*. Eſto verò forma illa Mercurij quadrata, aliò iuxta nonnullos pertineat, vt refert Brodæus ad locum prædictum Anthologiæ: tamen ſenſus quem ei ſubjicimus, non malè quadrat. Eam ergo firmitatem & ſtabilitatem doctrinæ, forma pilei quadrata, meliùs adumbrat quàm rotunda: cum rotunditas ſit Symbolum volubilitatis: vt propterea S. Auguſtinus in Pſalm. 85. *Sub initium*, obſeruauerit, pecuniam apud omnes gentes ſignari rotundam, quia facilè voluitur, & ab vno Domino ad alium tranſit. Itaque qui propter probatam doctrinam, ſententiæ præconceptæ optimè inſiſtit, nec facilè dimouetur de ea; (qualem par eſt eſſe eum qui Doctor publica authoritate renunciatur,) meritò teſſeram doctrinæ accipit, non rotundam, ſed quadratam; quæ innuat, illum adeò firmum & ſtabiliter in doctrina conſtitutum eſſe, vt nullis aduerſis flabris, nullo contrario impetu concutiendus ſit, nedum dimouendus aut euertendus.

Hinc perſpicuè deprehenditur, quanta ſit ſtoliditas eorum, qui pileum Doctoris carò emunt, malè à doctrina, cuius teſſera pileus eſt, conſtituti. Quales innumeros iam ſuo tempore, orbem vacuis nominibus impleſſe, deplorabat Petrarcha lib. 1. de remed. cap. 12. & 46. Abuſio eius planè germana, qua pleriqne titulo tenus habentur Chriſtiani, quia Baptiſmi Sacramento initiati ſunt, & Chriſti charactère inſigniti, tametſi profeſſione & vita, nihil minùs ſint, quàm Chriſtiani, quos cum Simia perſonata, meritò confert Gregorius Nyſſenus lib. ad Harmonium de notione Chriſtiani nominis. Nec diſſimile eſt, quod de fele in nuptiali conuiuio refert Nazianzenus Orat. de Epiſcopis, & accommodat iis quos Scriptura vocat paſtores & idola. Haud aliter ergo ſe habent, qui doctrina vacui, & titulo ac gradu quem emercantur indigni, vacuum Doctorum nomen præferunt; vaſa vacua tametſi ſignata, vt Dæmoniacam vocem huc transferam, de homine non Chriſtiano, qui externum Chriſtiani ſignum vſurpauerat. Nihil talibus prodeſſe quæ oſtentant diplomata, nec poſſe Doctorum priuilegiis potiri, ex Ancharano, Panormitano, Baldo, ac Felino, confirmat Petrus Lenandiere tract. de priuilegiis Doctorum p. 1. q. 13. Peccati mortalis tetra labe ſordere eam inſignium Doctoratus poſtulationem vel acceptionem, tradit Gloſſa Clement. *cum ſit*, de Magiſtris V. *honorem*: in quam etiam ſententiam alios adducit & ſequitur Bonus de Curtili Tract. de Nobilitate parte 3. num. 107. Verba quibus Ioannes Ludouicus Viualdus lib. de perſecutionibus Eccleſiæ id exponit, adſcriptu digna videntur. Recenſet ille inter Eccleſiæ perſecutiones, decimam, quæ exiſtit ab indigna Doctoris titulorum aſſumptione: & poſt expenſam ac illuſtratam doctrinæ parandæ in futuro Doctore neceſſitatem, concludit §. *porrò quantu*. Patet itaque ex dictis, quod gradus Magiſterij vel Doctoratus, non poteſt rationabiliter appeti, niſi priùs qui talia ambiunt, ſub diſciplina labores & tædia multa ſufferant, & diſcant ab idoneis præceptoribus, quod poſtea alios docere valeant: quia teſte Vegetio in primo libro de re milit. cap. 1. nemo facere metuit; quod ſe benè didiciſſe confidit. Et per conſequens, reſponſio ad quæſtionem; & quod Doctores noſtri non excuſantur à laqueo culpæ mortalis, ſi indignè aſſumuntur ad gradum. Contra quos Gloſſa ſuper Matth. cap. 4. ait: Diabolus multos decepit, honore Magiſterij inflatos, quibus pro mercede ambitionis ſuæ, ſi pœnitentiam non egerint, apud Inferos dabitur LVTEOLA, non autem *Aureola*, quia talis conuenit veris Doctoribus in æterna gloria.] Hæc ille; pro ſigno Luciferianæ ſuperbiæ ſtatuens, appetentiam Doctoratus, in eo qui verè doctus non ſit: Qui tamen in particulari, quoad gradum Magiſtri in Theologia, tot & tanta depoſcit, vt deſperanda ferè videatur idoneitas ad eum titulum. Nam teneri qui talis eſſe affectat & Grammaticam, & Rhetoricam, & Dialecticam, & Arithmeticam, & Muſicam, & Geometriam, Aſtrologiam, & Naturalem Philoſophiam, & Medicinam, & Iura callere, latè contendit. Neſcio an auditurus ipſemet; *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras.*

Inferre præterea ex dictis de Doctoris pileo licet, quantoperè peccent, qui pro pecunia, Doctoris pileum & titulum, indigno conferunt. Hoc in Medico & Theologo, à peccato mortali non liberat, Caietanus in ſumma V. *Doctor*, & Fumus *eodem V.* Et ratio eſt, quia ſunt Medici, ille corporum, hic animarum: ac proinde ingenti cum damno Reipublicæ, proponuntur authenticè, tanquam digni quibus fidatur, in curatione ægritudinum, ſiue corporis, ſiue animæ. Anceps verò nonnihil eſt Caietanus, quem Fumus de more aſſectatur, an

idem ſit pronunciandum de Doctore iuris ciuilis, eſſe tamen admodùm veriſimile, peccare item mortaliter, eos qui in iure ciuili promouent apertè indignos, vterque agnoſcit, & diſertè tradit Sà V. *Doctor*; habetúrque etiam ex Quintiliano Mandoſio ad 16. regulam Cancellar. q. 13. & 14. Nec ratio eſt obſcura. Proponunt enim vt dignos qui Clientum cauſas ſuſcipiant, aut populis iura dicant, eos qui præ imperitiâ præſtare reuera talia non poſſunt. Vnde fortuna, & non rarò honor, ac vita Clientum, manifeſto periculo exponitur, quantum eſt in ipſis, atteſtantibus dignum eſſe ea munera obire, eum qui reuera non eſt dignus. Inter ipſos Ciuilis iuris peritos, peccati mortalis damnat, conferre indigno gradum Doctoris in iure, Petrus Lenaudiere Tract. de priuil. Doctorum parte 1. quæſt. 14.

Inferri denique ex dictis poteſt, diiudicatio agitatæ non ita multo ante controuerſiæ; ſitne pileus Doctoris cucullo Monaſtico potior. Rem deſcribo ex Prato ſpirituali de varia Chriſtiana hiſtoria æui noſtri num. 79. Non ita pridem in Academia Arauſicana Promotor Hæreticus, Religioſi Ordinis deſertorem inaugurabat Medicinæ Doctorem. Et cum de more pileum ei imponeret, amplificata tantiſper formula; *Ego te* (inquit) *dono hoc pileo, potiore quouis cucullo*. Suluri ſunt in riſum qui aderant Catholici, & inter ipſos Sectarios, non nemo de his propudiis erubuit. Robore ſanè dignum fuit, cernere excucullatum hominem, captare inſignia Medici Doctoris, cuius profeſſio à ſtatu Clericali ac Religioſo (iuxta Canones) abhorret: vetantur enim cap. *Non magnoperè* ne Cler. vel Monachi, &c. *ſuper ſpecula* eod. adire ſcholas Medicinæ, qui Eccleſiæ vel Religioni ſunt mancipati. Et verò ea inſignia doctrinæ non vulgaris, adeò cuilubet ſunt, præ eorum qui illa conferunt ſocordia, & captantium auerſa à recto mente, vt videatur vniuerſum illud negotium ioco agi. Vnum exemplum nuperum, eit in hanc rem luculentum. Notarius Aueniouenſis ab elephantino Barrito nomen meritò nactus, cogitauit promoueri in Iuris vtriuſque Doctorem, homo tricarum fori peritiſſimus, & de illis Metaphyſicis Sophiſtis, quos Domnolus deſignatus in Epiſcopum Aueniouenſem depinxit ſuis coloribus, vt eſt apud Gregorium Turonenſem lib. 6. hiſtor. Francor. cap. 9. Canonum autem ac legum adeò ignarus, vt qui ne lineam quidem è Gratiani aut Iuſtiniani voluminibus vſurpaſſet oculis. Vt tamen ex imo tabulariorum forenſium ſubſellio gradum faceret, ad altiora cogitauit de pileo Doctoris obtinendo. Et cum in patria deſperaret eum honorem, vigentibus inibi præclaris inſtitutis, ad aliam apud Cauares Academiam iter arripuit. Intercluſo tamen ob luis timorem vrbis aditu, ex pacto apud excubitores publicæ incolumitatis, depoſuit pecuniam ad emercandam Doctoris titulum neceſſariam. Poſt paucorum horarum capedinem, nullo interpoſito examine, homo eo loci prorſus ignotus, accipit diploma quo renunciabatur DOMINVS DOCTOR. Vel non intellecto (quippe Latinè ſcripto) vel ne lecto quidem diplomate, nouus ex Syngrapha publica Doctor, quàm citiſſimè regreditur Aueniunem, vbi literis, quibus Doctoris titulo decorabatur, communicatis, deprehenſus eſt Medici Doctoris non Iuriſperiti (vt experiebatur) titulo cohoneſtatus. Res cum effuſo riſu, multorum ſermonibus diſſeminari cœperat, cum ſuaſione amicorum conſilium iniit eas literas premendi, & relegendi iter quod confecerat ad nouum diploma exorandum quo Iuris vtriuſque Doctor renunciaretur. Et factum eſt ita, poſtquam pecuniæ ſummam nouo titulo aſſequendo neceſſariam prodegit in vmbraticum titulum, eodem modo & Artium Magiſter & S. Theologiæ Doctor ac Magiſter in ſacra pagina renunciandus, ſi ad eos quoque titulos oculum adieciſſet, pecuniámque conuenientem appendere induxiſſet in animum. Huiuſmodi tu pileum Doctoralem Promotor Aſiniſſime, cum cucullo Monaſtico, totius ſanctimoniæ indice componas & anteferas? Næ tu dignus cuculo pro cucullo proſciſſo, & pileo ſupra Suenonis pileum ventoſo, religioſæ teſſeræ antepoſito.

SECTIO XI.

Integumenta Capitis ſacrorum hominum apud Ethnicos.

FVere Ethnicis, fuere Hebræis, ſunt hodiéque Chriſtianis, ſacra quædam Numini addictorum Capitum tegmina, quæ conſequenter ad hactenùs recenſita, operæpretium eſt attingere.

Quoad Ethnicos, Suetonius l. de genere veſtimentorum, obſeruat, Romanos triplex pileorum genus habuiſſe, Sacerdotum & Sacrorum hominum proprium; *apicem, tutulum, galerum*. Apicem, quem aliàs *pileum Epiroticum*, ſiue *Albanum* vocari ferunt, Straboni *πῖλημα πυργωτόν*, Dionyſius Halicarnaſſ. l. 2. agens de Saliis qui ſacra in Palatio celebrabant, ita deſcribit. [Geſtant etiam Capitibus, quos vocant *apices*, faſtigiatos in coni formam pileos; Græci appellant *κυρβασίας*.] Non eſt hæc apicis Sacerdotalis deſcriptio ſic accipienda, quaſi ſolus apex eſſet turbinatus & faſtigiatus in coni aut metæ formam; aut quaſi ſolum id genus pilei, nomen *apicis* proprium haberet. Nam etiam pileum lanatum, cui nomen *tutulus*, metæ figurà erat. Et in Albogalero, qui Flaminibus Dialibus vſui erat, & ex pelle hoſtiæ albæ Ioui cæſæ conficiebatur, teſte Feſto, ac Gellio l. 10. c. 15. Pontificales Codices exſcribente,) apex affigebatur virgula oleagina: vt proinde liqueat verum eſſe quod Viues 2. Ciuit. cap. 15. variis teſtimoniis demonſtrat, apicem quandoque, non pileum totum ſonare, ſed pilei faſtigium duntaxat, ac veluti hapſum. Qui igitur *apex* peculiariter dicebatur, indè à cæteris item turbinatis pileis ſecernebatur, quod pileum ſubtile eſſet, circa medium virga eminente. Eum pileum Flamines, amentis, *qui offendices* dicuntur, ſub mentum adductis, religabant: cum ne excideret Capite, tum vt ponè pendere pro libito poſſet ac regeri. Cum alij Flamines apicem, duntaxat ſacra obeuntes geſtarent; Flamen tamen Dialis, eum ſemper gerebat teſte Appiano l. 1. bellor. Ciuil. & Plutarcho, in qq. Romanis: quod tamen ex iis quæ Gellius l. 10. c. 15. ex Fabio Pictore & libris Pötificalibus

excerpſit, limitandum eſt ad Flaminem ſub Dio exiſtentem. Nam ſub tecto, liberum erat pileum deponere. Imò neceſſarium fuiſſe Flamini morituro illum deponere, ne inſigne Sacerdotij eſſet inter feralia, obſeruat ſuperiùs, Appianus. A pileorum geſtatione, dictos *Flamines*, quaſi *pileamines*, nonnullorum ſententia fuit, cui adſcriptus eſt Pierius lib. 40 Alij tamen magis probant alias notationes, quas Viues loco allegato, & Lilius Gyraldus Syntagm. 17. *pag.* 45. profeiunt; & omnes reuoluuntur ad aliquid Capiti impoſitum. Abſurdiſſimè verò Suidas V. *ἀστρίφ.ξ*, Flamines Romanis dictos cenſet, quaſi *flumines* à cura fluminis, ſicut *Pontifices* à *pontis effectione* denominatos, multi ſunt arbitrati. Quomodò hic apex ad tutulam ſe haberet, ac etiam ad galeram, ſiue albogalerum, à galeæ forma denominatum, & ex pelle hoſtiæ confectum, non attigi.

Sed non eſt omittendum, fuiſſe qui Romanum tutulum confunderet cum phrygio amictu, cuius eſt mentio apud Maronem eo verſu.

Et Caput ante aras Phrygio velatus amictu.

Gyraldus Syntagm. 17. hiſt. Deor. hunc Phrygium amictum accipit de tulo Romano; quem Fulgentius ad Chalcidium, ait fuiſſe pallium, quo Sacerdotes ad Sacrificium accedentes Caput tectabant. Sed meliùs antiquus interpres Iuuenal. ad illud Satyr. 6. —— *Phrygia veſtitur bucca tiara*, oſtendit *Phrygiam* fuiſſe tiaram ſeu galeam Sacerdotis, quæ per malas veniens, mento ſubligabatur. Vnde lux effunditur Val. Flacc. l. 6. dicenti.

Subligat extrema patrium ceruice tiaram.

Necnon Senecæ, cuius illa ſunt in Thyeſte Act. 4.

——*Hac Phrygius loca*

Fixus, tiaras Pelopis.

Quod autem Phrygium per malas veniens ſubligaretur mento, inde factum videtur, vt Andreas Baleníis ex Hebræo Chriſtianus, referente Petro Nannio in Notis ad S. Ambroſij expoſitiones in Exodum, dixerit; inaures quas Iacob vnà cum Idolis ſepeliuit & infodit, non fuiſſe vulgares inaures; (quid enim illæ ad cultum idolorum, vt propterea idolis conſepeliri deberent?) ſed fuiſſe huiuſmodi tegmen Capitis Sacerdotum, in cultu idolorum aures tegens, quales fuere apud Romanos infulæ: Eaque inaurium interpretatione, exemptum ſibi antiquum ſcrupulum profitetur Nannius. Sed non deeſt alia ratio ſcrupulum omnem eximendi, & inaurium cum idolis nexum monſtrandi, etiamſi de inauribus vulgaris ſermo eſſet, vt dicitur lib. de Stigmatiſmo, ſect. 2. c. 7. poſt D. Auguſtinum q. 1 1 1. in Geneſ. & Epiſtol. 73.

Apud alios Ethnicos, certa ſignantur ſacrorum hominum tegmina Capitis. Summus Sacerdos Syriæ Deæ, qui ſolus erat purpuratus, aurea tiara vſus proditur à Luciano libello de Syria Dea, cuius hæc ſunt verba. { Sacerdotes ipſi multi eliguntur; quorum alij quidem hoſtias mactant, alij autem libamenta ferunt: rurſus alij flammiferi vocantur, & alij aræ miniſtri. Veſtis autem tota candida eſt, & pileum in Capite geſtant. Summus autem Sacerdos, alius ac nouus vnoquoque anno ſubrogatur; ſolúſque hic purpuream veſtem gerit, & tiara aurea redimitur. } Sacerdotes Ægyptios & Æthiopicos, Diodorus lib. 4. author eſt fuiſſe pileatos.

Sacerdotes Perſarum Sacrificantes, Strabo l. 15. ait geſtare ſolitos tiaras πιλωτάς καθιείσας ἑκατέρωθεν. Vnus interpres vertit *Filtraceas infulas ex vtraque parte dependentes.* Repræſento contextum ex altera interpretatione. { In Cappadocia, (etenim maxima eſt ibi Magorum multitudo, qui *Pyrethi* vocantur, & multa Perſicorum Deorum templa) non cultro ſed ſtipite quodam mactant, tanquam malleo verberantes. Sunt & pyratheia, ſepta quædam ingentia; in quorum medio ara eſt. In ea Magi & cinerem multum & ignem perennem ſeruant, & eò quotidie ingreſſi, imprecationes faciunt, per horam ante ignem virgarum faſciculum tenentes, pileis infulis velati ex vtraque parte dependentibus; adeò vt vittæ, labia contegant ac malas. }

SECTIO XII.

Tegmina Capitis Sacrorum hominum, apud Hebræos.

ALiud apud Hebræos fuit tegmen ſacrum Pontificij Capitis, aliud Capitis Sacerdotum; tametſi LXX. & S. Hieronymus, communi *cidaris* nomine vtrumque illud tegmine deſignant. vt notauit qui de ea voce diligenter diſſeruit Ribera in c. 3. Zachariæ à num. 14.

Pileum Sacerdotalem, (quem tamen Pontificibus quoque communem ſtatuit, ſeluis appendicibus de quibus mox, ſoli Pontifici propriis,) S. Hieronymus ita deſcribit in Epiſtola ad Fabiolam de veſtitu Sacerd. [Quartum genus eſt veſtimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Vliſſæo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa, & pars vna ponatur in Capite; hoc Græci & noſtri, *τιάραν* nonnulli *galerum* vocant, Hebræi *Miznepheth*: Non habet acumen in ſummo, nec totum vſque ad comam Caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, vt non facilè labatur ex Capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus veſtigia appareant.] Quid illud vt in Vlyſſæo? Eraſmus diuinauit hac in re aliquid ioſe à Mariano reiectum. Vera illius vocis notio eſt, porticus in qua geſta Vlyſſis depicta cernebantur. Vlyſſem autem cum pileo depingi ſolitum, ex Plinio habetur l. 35. c. 10. Nicomachus enim Ariſtodemi filius, Vlyſſem pileo primus operuit. Pileolus itaque qui in Vlyſſæo multiplici Vlyſſis imagine exornato cernebatur, ſimilis ex parte erat pileo Summi Hebræorum Sacerdotis, iuxta Hieronymum. De eodem Hebræi Pontificis pileolo Ioſephus l. 3. antiquit. c. 8. *aliàs* 11. hæc in eandem ſententiam habet. { Super Caput, geſtat pileum, non faſtigiatum, neque totum Caput comprehendentem, ſed paulo plus quàm medium. Hic vocatur *maſna emphthes.* Eſt autem tali paratu, vt videatur vitta linea ſæpè in orbem replicata & conſuta. quam ſupernè alia tela integit, vſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accuratè, ne inter ſacrificandum delabatur. } Corruptè codex Ioſephi, non Latinus modò, ſed & Græcus, vocem Hebræam

cidaris

cidaris Sacerdotalis, ait eſſe *Maſna emphthes* cum legendū ſit *Miſnephthes* vel *Miſnephthes*, vt inueſtigato themate è quo ea vox prodit, rectè aduertit Ribera Zach.5.n.14.

Cæterùm vt appareat, quid cidaris Pontificia ſupra Sacerdotalem proximè ex Ioſepho expreſſam haberet, audiendus eſt idem Ioſephus, mox de proprio Summi Sacerdotis ornatu diſſerens, & tegmen Capiti eius impoſitum, deſcribens. Sic porrò habet Ioſephus. [Pileo quali cæteri Sacerdotes, vtebatur: ſuper quem extabat alius conſutilis, ex hyacintho variatus. Hunc autem corona triplici ordine circundabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur *daccharus*, apud Græcorum herbarios *hyoſcyamus*. Quòd ſi quis, aut viſam aliquando non ſatis animaduertit, aut nomine tenus auditam de facie non nouit, huic etiam deſcribere eam non grauabor. Herba eſt tres palmos ſæpè in altitudinem excedens, napo ſimilem radicem habens: vis enim hac parte, eſt alia ſimilior; ſolis verò apio. Hæc è ramis emittit calyculum ipſiſ inhærentem, veſtitúrque tunica quadam, quam exuit fructu ad maturitatem tendente. Calyculus autem eſt, quantus articulus minimi digiti, circumferentiam habens crateri ſimilem. Quod ipſum clariùs faciam propter ignorantes. Ima ſui parte circa fundum, dimidiato globo eſt rotunditate ſimilis, mox in proceſſu, paulatim coarctatur; donec in extremitate rurſum dilatatus in labrum exeat, mali punici vmbilico inciſuris ſimile, cui operculum orbiculare inhæret, quaſi de induſtria tornatum, eminentes habens inciſuras quas dixi, vt in malo punico, aculeatas, & in acutos mucrones deſinentes. Continet autem ſub periculo fructum per totum calyculum, herbæ Sideritidis ſemini ſimilem. Florem verò fert, qui papaueris videri poſſit. Eiuſmodi corona, ab occipitio circum tempora vtraque, procedebat: nam frontem iſti calyculi non ambiebant; Sed ceu lorum quoddam latum aureum, quod Sacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.]

Videtur Ioſephus coronulas ſoli Pontificiæ cidari adſcribere, cùm hîc eas expreſſerit, non item deſcribens cidarim Sacerdotalem. Lyranus tamen in cap.39. Exodi, in Sacerdotali quoque cidari, agnoſcit coronulas; non quidem aureas, quales erant Pontificiæ, ſed byſſinas. Quod videtur disertè habere Scriptura Exodi 39. verſ.25. vbi ſic mandatur. *Facies & tunicas byſſinas opere textili, Aaroni & filiis eius, & mitras cum coronulis ſuis ex byſſo.* Quid clarius? Et ex his Sacerdotum coronulis byſſinis, denominari potuere coronati. Qua ratione expedire fortaſſis liceat, nodum quem Proſper Stellarius in opere de Coronis, habuit pro Gordio, in Diui Auguſtini ſerm.13. de tempor. Ait enim ibi Sanctus Auguſtinus. [Tunc ille Simeon ſenex, famoſus, annoſus, probatus, coronatus, tunc cognouit, tunc adorauit, infantem.] Hæret Stellarius, quomodò dictus ſit Simeon, *coronatus*. Hoc puto de multis Simeonis meritis accipiendum conſentaneè ad locum ex vita Sancti Epiphanij §. de Philoſopho conuerſo. [O qui geſtas coronam, Epiphani.] Id eſt ô vir multorum meritorum: fauet item locus in vita Simeonis Sali 1. Iulij de corona ſolitudinis toleratæ, & de corona animarum Deo oblatarum meritis & labore ſapientis illius fatui. Eſt enim corona Symbolum meritorum; vnde qui inibant coniugium, coronabantur in ſignum ſeruatæ illuc vſque pudicitiæ, & victoriæ de hoſte interno per conſeruatam corporis integritatem. Ideóque cum celebrabantur ſecundæ nuptiæ, præter alium apparatum qui deerat, amittebantur quoquè coronæ nuptiales, vt Sanctus Chryſoſtomus tradit Tractatu altero ad viduam iuniorem, ſiue libro de non iterando coniugio *pag. mihi* 559. Erat ergo ea corona in primis nuptiis, ſymbolum inſignis virtutis, & præclarorum meritorum, ob ſeruatam ad eum diem caſtimoniam. Et ſimiliter qui multorum eſſe meritorum ſignificatur, poteſt dici *coronatus*. Qua ratione (vt dixi,) Simeonem ſenem, multorum meritorum virum, dictum eſſe ab Auguſtino coronatū, alibi cenſui. Sed fortaſſis poteſt quoque, ex doctrina propoſita, de coronato Sacerdotum Iudaïcorum Capite, erui ratio alia eiuſdem denominationis. Non enim eſt improbabile Simeonem fuiſſe Sacerdotem, vt Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus homilia de occurſu Dom. & Sanctus Epiphanius libro de Prophetarum vita, tradiderunt; quamuis Maldonato & Iunſenio ſecus viſum ſit, ob ſilentium Lucæ de ea prærogatiua: quod tamen non eſt adeò firmum argumentum, vt probabilitatem ſententiæ contrariæ prorſus excludat. Inhærens ergo ei ſententiæ Diuus Auguſtinus, Simeonem inter Sacerdotes habere potuit, atque adeò *coronatum* denominare. Eſt enim ſua Sacerdotio corona, iuxta illud Rabbi Simeonis in Capitulis Patrum. [Tres ſunt coronæ; corona Legis, Sacerdotij, & Regni: corona autem boni nominis, aſcendit ſupra omnes.] Apud ipſos quoque Ethnicos, *coronatum*, idem ſonare quod gerentem Sacerdotium, probat Paſchalius lib.4. de Coro.cap.13. ex eo quod Theopus apud Plutarchum de Socratis Dæmonio, iugulans Cabiricum Sacerdotem Tyrannorum fautorem, dixit; [Iace cum his quibus es adulatus; Neque enim liberis Thebis, tu coronabere.] id eſt *Sacerdotium geres*. Addit enim continenter; [Neque poſthac ſacrificies illis diis, quorum Numina periurio violaſti, dum ſæpè pro hoſtibus vota feciſti.] Tertullianus item libro de Idolat. memorat aureas prouincialium Sacerdotum coronas: & Prudentius corona repeatum aurea Sacerdotem deſcribit. Eſt enim regium quid, aut etiam regio principatu multò ſublimius, Sacerdotij maieſtas: vt proinde mirum videri non debeat, auream coronam tametſi regium inſigne, adſcribi Sacerdotibus. Potuit ergo Diuus Auguſtinus ei inhærens ſententiæ, quæ Simeonem cenſuit Sacerdotem, denominare eum *coronatum*, quia verè apud Hebræos, coronabantur Sacerdotes: ſin minùs omnes corona aurea quæ ſummi Pontificis propria erat, at lanea, vt dictum eſt.

Pontificem autem Hebræorum, ob præcellentiam ſupra Sacerdotes reliquos, aurea corona ſplendere par fuit, vt quanto aurum lanæ præſtat, tanto ipſum cæteris præſtare Sacerdotibus fieret manifeſtum. Celebrat magnificè eam Pontificiam Hebræorum cidarim, Siracides cap.45. verſ.14. quem locum ex Ioſepho proximè

ximè adducto, illuſtrat ibi Ianſenius. Vocat Siracides tegmen illud Pontificium, *gloriam honoris*, id eſt claritatem & veluti emphaſim ac præcellentiam honoris, tantæ ſublimitati meritò debiti. Vocat prætereà *opus virtutis*, ſiue *fortitudinis*; quia erat opus repræſentans autoritatem & poteſtatem Pontificiam. Addit fuiſſe *deſideria oculorum ornata*, quia micabant in eo opere quæ viſum mirabiliter paſcerent ac oblectarent. *Sic pulchra, ante ipſum*, (Aaronem primum Hebræorum Pontificem,) *non fuerunt talia, vſque ad originem.* Fuerunt tamen poſt ipſum pulchriora, vt mox attingam.

SECTIO XIII.

Quæ Noſtrorum Pontificum, Cardinalium, & Epiſcoporum Capitis tegmina.

POntificia Hebræorum cidaris proximè tacta, non obſcuram præferebat imaginem cidaris Pontificiæ Chriſtianæ, vt dicitur in præfatione ad opus de attributis Romani Pontificis, cui titulus: *Corona aurea ſuper mithram.* Continet enim Pontificium hoc inſigne, triplicem coronam, ſupra ſimplicem Epiſcoporum inferiorum mithram. Inuentum vt pleriſque viſum, Bonifacij VIII. in quo multa myſteria detegunt Antonius Mazarinius libello de tribus Pontificis coronis, & Carolus Paſchalius lib. 9. de Coronis cap. 14. & lib 4. cap. 21. Fuiſſe tamen hoc geſtamen antiquius quàm ipſi arbitrentur; nec à Bonifacio adinuentum, vel (quod alij ſunt arbitrati,) à Paulo II. primùm inductum; ſed à Paulo cum exoleuiſſet, fuiſſe reuocatum, monuit Iacobus Cardinalis Papienſis l. 2. Commentar. de rebus Pauli II. Sed quando coronas hinc iampridem ablegauimus, non eſt in iſta hærendum, ſed obiter duntaxat dicendum, eam nunc, vnico textu, mitram & diadema comprehendere, ad binas Pontificis poteſtates inſinuandas: æquè ac in Pontificis Hebræorum cidari, idem expreſſum eſſe, notauit Ioſephus 3. antiq. cap. 8. & attingit etiam Philo lib. 9. de vita Moſis. Siue autem operis maieſtatem; ſiue myſteria eo comprehenſa quis attendat, vel perfunctoriè; ſiquidò deprehendet, tantò magnificentius eſſe hoc noſtri Pontificis geſtamen ſupra Aaronicum, quanto differentior præ Hebræo Pontifice, numen hæreditauit.

Sed his in præſentis dimiſſis, integumentum Pontificij Capitis quaſi viuarium, eſt *camelaucum.* Ita legendum, non vt apud Suidam *camelauxin*; vel vt apud Bedam lib. 3. de tabernac. cap. 8. *camelautum*, vel *calamacum.* Nec magis commodè Achmet Onirocriticus c. 219. vocat *calymauchium.* Ethymologicon, deriuat eã vocem ἀπὸ τὸ ἀπαύειν τὸ καῦμα, *quod prohibent calorem.* A Beda ſupra, dicitur eſſe pileus, in modum paruulæ caſſidis, extenſus ſupra ſummitatem Capitis. Huiuſmodi ergo Capitis, tegmine, vti ſolitum Romanum Pontificem, ſcribit Anaſtaſius *in Conſtantino Papa*, cuius magnificentiſſimum ingreſſum Conſtantinopolim, deſcribens, ait. [Pontifex & eius primates, cum ſellaribus Imperialibus, ſellis & frenis inauratis, ſimul & mappulis, ingreſſi ſunt Ciuitatem: Apoſtolicus Pontifex cum camelaugo, vt ſolitus eſt Romæ procedere.] Non videtur hoc tegmen Capitis tum Pontifici vſuarium, aliud fuiſſe quàm pileolus purpureus, quo ſemper operitur; cuiuſmodi Camelauciis vſos item Imperatores, docemur ex Conſtantino Porphyrogenito in Chorographia. Alterius materiæ erant, quæ eo nomine paſſim apud Italos dumbantur Capitis tegmina, quæ Cedrenus in ... memorat. [Eſt & aliud genus Sportæ, quæ pilei loco Capiti Imponitur; Italis *Camela* dicta, vnde & *Camelaucia.*] De Camelaucio, pluſcula Roſweydus in Onomaſtico V. *Camelauchium.*

Secundùm Pontificem, eminent in Dei Eccleſia Cardinales, vt latè probat Manfredus lib. de Cardinalibus cap. 6. & Albanus de Cardin. quæſt. 6. Cardinalibus ergo pileus & galerus ruber, conceſſus primùm ab Innocentio IV. Concilio OEcumenico Lugdunenſi anno 1244. vel anno 1245. (vt Spondanus in Breuiario ſtatuit,) in peruigilio Natalis Domini; creatis 12. Cardinalibus eo loco digniſſimis, inter quos Hugo de S. Caro Ordin. Prædicatorum, ſcriptis geſtiſque notiſſimus. Non deſunt tamen qui multo antiquiorem pilei rubri vſum fuiſſe contendant, & initio omnibus Epiſcopis fuiſſe communem ſtatuant. Ita Eraſmus lib. 3. de ratione concionandi; eo referens factum Diui Auguſtini, qui repudiauit pileum *pyrrhum*, id eſt *rubrum*, dicens talem byrrhum decere Epiſcopum, at non decere pauperem Auguſtinum. Ita vt Sanctus ſerm. 50. de diuerſ. Verùm neque Diuus Auguſtinus repudiauit pileum *pyrrhum*, vt abſurdè refertur: neque byrrhus quem ob pretioſitatem repudiauit, erat merum Capitis tegmen, cuiuſmodi eſt hodiernus Cardinalium pileus, atque galerus. Æquè extra rem eſt quod Pancirolus lib. 1. theſaur. var. lect. iuris cap. 81. ait *byrrhum* ſignificare pileum quadratum, quod probat ex Actis S. Cypriani, qui Capite minuendus byrrhum depoſuit. Sed quid hoc ad pileum quadratum, vel etiam ad pileum? Non minùs abſurdè vetus Iuuenalis Scholiaſtes ad illud Satyræ octauæ.

—— *Si nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Exiſtimauit his verbis ſignificari, quem Græci Κίσσον, Latini *byrrhum* appellant. Abſurdè omnino. Nam *coccus*, granum eſt valde rubens; vndè veſtes *coccinea*, vel neutro genere *coccina*, apud Martialem lib. 2. epigr. 43. aut *coccea*; vt habet lectio emaculata apud Ieremiam, eo verſiculo, *qui nutriebantur in coccis* (volgò minùs aptè,) *in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Quid igitur cocco & byrrho? cum coccus grani vel coloris nomen ſit, byrrhus verò indumenti, quod poterat non eſſe pretioſum, quale ſemper eſt coccineum? Nam *byrrhum* fuiſſe quoque pauperibus accommodatum, Auguſtini propoſita verba demonſtrant, necnon acta S. Deicoli cap. 4. & habetur etiam ex illo Perſij verſu Satyra 1.

Scis comitem, byrrhi tetra donare lucerna.

Necnon ex illo Auſonij ad Drepanium.

Nobilis horribili iungatur purpura burra.

Burrus

Burrum enim dicebant antiqui, Feſto teſte, quod poſtea *ruſſum*, vel Græca voce *byrrhum* eſt dictum. Quamquam S. Gregor. lib.7.reg. epiſtol.5. *byrrhum album*, in baptiſmo datam agnoſcit. Denique in Cod. Theodoſ. cum habitus cuique pro conditione definitur. lib.14. l. *ſine exceptione* titul. de habitu, in hunc modum legimus. [Seruos omnium, (quorum tamen Dominos ſollicitudine conſtat militiæ non teneri,) aut byrrhis vti permittimus, aut cucullis.] Vbi vides, byrrhum aliquem, fuiſſe vile indumentum, & ſeruis accommodatum. Eſto poſſint item dari byrrhi pretioſi, quales à ſe ablegabat Diuus Auguſtinus, & à Monachis Iſidorus in regula cap. 14. necnon Caſſianus lib. 1. cap. 7. E contrario, Epiſcopis in vſu fuiſſe byrrhos, legimus: vt S. Athanaſio ex Palladio in Lauſ.cap.51. S. Nono ex Actis Pelagiæ pœnitentis cap.12. S. Brictio ex Gregorio Turonenſi lib. 2. hiſtor. Franc. cap. 1. & ex Honorio ſerm. de Sancto Brictio. Item Sancti Cypriani acta ferunt, cum plectendus eſſet, exuiſſe *byrrhum*; inde Dalmaticam, & ſic in linea expectaſſe ſpiculatorem. Alibi dicitur exuiſſe ſe *lacernum byrrhum*. Vbi iunguntur *byrrhus* & *lacerna*, quæ Seuerus 1. Dialog. cap.14. diſcriminat, Byrrhum rigentem ſtatuens, lacernam verò fluentem. Erat ergo byrrhus in vſu Epiſcoporum; proindéque potuit eſſe pretioſus: vnde in Concilio Gangrenſi cap.12. compeſcuntur ſub anathemate, Monachi qui palliis vtentes, damnabant vtentes byrrhis cum reuerentia. Quod Cuiacius ad lib.11. Cod. tit.8. de veſtib.holoſ. *byrrhos* fuiſſe ſericas veſtes cenſuit, quas Græci Βίρροι appellabant, vt aiunt Zonaras, & Theodoretus ab eo adducti, non placet: Cum byrrhum fuiſſe genus veſtis quod ſeruile eſſe poterat, nec pretioſum neceſſariò erat, ſi demonſtratum. Plura de byrrho Laurentius Landmeter lib. 1. de vet. Cler. Mon. parte 1. cap.12. Salmaſius ad Vopiſci Carinum, Roſuedius in Onomaſt. V. *byrrhus*. Molanus lib. 3. de Canonic. cap.8. Lælius Biſciola tom.2. ſubſec. lib.16. cap.8. & Pennotus lib. 1. hiſtor. Canon. regul. cap.21. qui concludit, *byrrhum* fuiſſe cappam cum caputio, cuiuſcunque demũ eſſet coloris. *Palliolum* vocat Gregorius Turonenſis agens de Sancto Brictio, qui in ſuo byrrho prunas collocauit ad innocentiæ ſuæ aſſertionem; vt ſuſpicio eſſe poſſit, byrrhum fuiſſe pallium multo breuius, quale ſuper albam tunicam geſtant Epiſcopi. Qualecunque verò indumentum fuerit; (venit enim nomine veſtis, & eius definitionem admittit, ex Martiano Capella de nupt. Philol. lib.4.) longè aliud fuit à pileo rubro, nec fuit ſolis Epiſcopis peculiare Capitis tegmen, vt blaterabat Eraſmus.

Pileum itaque & galerum rubrum, qui ex Innocentij IV. decreto quod referebam, Cardinalibus in vſu eſt, nunquam fuiſſe proprium Epiſcoporum, ratum eſto. Quamquam aliquos Antiſtites extra Cardinales, poſt Innocentium IV. id genus tegminis ſibi arrogaſſe, intelligitur ex Pauli II. decreto, & pœnis in delinquentes ſtatutis, vt Platina qui aderat, ſcribit in Paulo II. Vſus tamen legitimus, Cardinalium duntaxat ſemper fuit: quos Martinus Polonus qui Innocentij æuum attigit, teſtatur purpureo illo Colore donatos, vt meminiſſent, ſi res ferret, occumbendum ſibi eſſe pro Eccleſia, & ceruices gladio meſſori ſubijciendas. Acris enim hyems à Federici II. Imperatoris malignitate, Eccleſiam infeſtabat, nec deerat Martyrij occaſio. Eodémque reuoluitur, quod ait Ludouicus Viueldus in Opere Regali, Tractat. de 52. perſecutionibus, in ſuaſione ad Carolum de Carreto creatum Cardinalem. [Pileos (inquit,) rubeos dator Cardinalibus, quia igne amoris & charitatis, pro Eccleſia Chriſti ardere debent, & ex Charitate omnia facere, vt mente ac ſpiritu, etiam Martyrio non deficiant.] Idem fortitudinis & charitatis ſiue incentiuum ſiue monimentum, ex attributo Cardinalibus purpureo Colore, proponit Sanctus Antoninus tertia parte ſummæ maioris titulo 21. cap. 1. §. 2. & Ciaconius in Innocentio IV. Et eodem recidunt quæ in hanc rem profert Petrus de Alliaco libro de poteſtate Eccleſiæ part.1. cap.3. Poſſumus etiam meditari cum Facundo Hermianenſi lib. 12. cap.4. Zenonem Imperatorem admonente, purpuræ colorem, ſignificare flammam curarum, quibus perpetuò circundari debent Cardinales. [Si hoc ipſum (aiebat Zenoni Facundus,) quod tibi omnia licent, caminum eſſe tuæ probationis intelligeres, etiam ipſius purpuræ qua veſtiris, ſpecie, id eſt colore, ſemper admonitus, velut in medio flammæ te crederes conſtitutum.]

Germaniſſima tamen ratio purpuræ Cardinalibus attributæ, petenda videtur, ex ſignificatione participij, aut potiùs viciniæ, poteſtatis Cardinalium ad ſummam & Regiam Pontificis in Eccleſia poteſtatem. Fuit enim purpura iam olim, Regium indumentum: vt idcirco Conſtantinus Magnus, vſum purpuræ Pontifici Romano in ſignum Regiæ poteſtatis attribuiſſe legatur, & eo priuilegio caruiſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum teſtetur Balſamon in prima Meleta: [quia (inquit) non coronatur loco Regni: & idcirco neque cocco tinctis calceis ſe ſpectandum præbet, neque alio priuilegio veteris Romæ vtitur.] Apud Nicetam Choniatem libro primo, hiſtor. Alexius datis purpureis calceis deſignatus eſt Imperator. Similiter apud Nicephorum Gregorium libro quarto. Irene filia Alexij, quia deſtinata hæres Imperij, iubetur rubras induere. Literæ rubro ſigillo & ſerico munitæ & conchæ ſanguine pictæ, propriæ erant Imperatoris. Videſis Nicetam Choniatem libro primo de geſtis Manuelis *ferè initio*, & Georgium Logothetam in Chronico Conſtantinopol. Ipſi Domeſtici Imperatoris vt ſpectare ad eius familiam agnoſcerentur, Clauo purpureo veſtem inoculabant, vt affirmat S. Dorotheus doctr.1. Vt ergo innueretur coniunctio Cardinalium cum Romano Pontifice, tanquam Eccleſiæ Principum cum Rege, donati ſunt purpura. Et videre eſt apud Georgium Logotheam in Chronico Conſtantinopol. *pag. mihi* 399. Pelagium Romani Pontificis Legatum, (vtique Cardinalem,) ante Innocentium IV. habuiſſe talaria purpurea, & veſtem, ac ſagum, ac etiam frœnum purporei coloris; in ſignum participatæ Regiæ in Eccleſia poteſtatis ſummi Pontificis. Eodem ergo ſpectat pileus, & galerus purpureus Cardinalium ab Innocentio IV.

attributos,

attributum. Nam veſtem purpuream, communem omnibus Cardinalibus, fecit poſt Innocentium IV. Bonifacius VIII. vt in eius vita aſſerit Ciaconius, & Hieronymus Albanus de Cardinal. quæſt. 8. quanquam plures tribuant Paulo II. à quo id ſtatutum dicunt anno 1464. Sabellicus Ennea 9. lib. 6. Platina, Volaterranus. Quanquam Azor Tomo 2. libro quarto, capite tertio, quæſt. 18. coccineum duntaxat pannum ad ephippiarium instragulum à Paulo Cardinalibus conceſſum, tradit.

Et congruit ſanè Cardinalibus veſtis eo colore, tum ob coniunctionem cum Summo Pontifice nunc tactam, tum etiam quia eorum eſt Duces agere in præliis Domini. At prælianti-bus & maximè Ducibus, appoſita eſt veſtis rubra & purpurea, idque eſt quod Plinius lib. 22. capite ſecundo, coccum ait Imperatoriis dicatum paludamentis. Et ita olim tulit vſus, quod de Laconibus agens ſic tradit Ælianus libro ſexto, var. hiſtor. cap. item ſexto. [Purpuram in præliis induere, neceſſitas fuit. Color ipſe habet neſcio quid auguſti. Deinde fluorem ſanguinis è vulneribus occulit. Denique cum purpuræ aſpectus acrior ſit & terribilior, hoſtem percellere poteſt.] Sic rectè, eum locum ab alio Interprete luxatum, exprimere par eſt. Carthaginenſibus pugnantibus idem color placuit, ex Silio cuius illa ſunt lib. 3.

——Rubra velamine veſtis,
Ars erat in pugna fuſum occuluiſſe cruorem.
His rector fulgens aſtra ſuper altior omnes
Germanus nitet Annibalis.

Iberes purpureis veſtibus in pugna amictus more patrio, fuiſſe hoſtibus terribiles, prodit Polybius libro tertio. Potuit ergo hanc quoque ob cauſam, præter aliam iam propoſitam, attribui Cardinalibus purpura, tanquam Ducibus in bellis Domini; aut Triariis in præliis Eccleſiæ, contra Satanam & Dei hoſtes.

Si quis malit ad dignitatem in Eccleſia veluti Senatoriam, vſum purpuræ Cardinalibus attributæ referre non refragabor. Senatorum quippè Eccleſiæ munus, dignitate Cardinalitia conferri, Palæotus in Opere de ſacris conſultationibus, & alij tractantes de Cardinalibus, agnoſcunt. At purpura Senatoribus in vſu erat. Idque eſt quod Plinius lib. 9. cap. 36. ait, purpuram diſtinguere ab Equite Curiam. Nec illud ab hoc loco alienum, quod Plinius ibidem ait, purpuram Diis placandis aduocari, omnémque veſtem illuminare; nimirum quia prætexebatur. Addit Hieronymus Catena, diſſertatione de concedendo Cardinalibus è Religione aſſumptis, pileo rubro, qui inter Philoſophos ſapientiæ laude fuere celeberrimi, purpura eſſe amictos, Empedoclem, Hippiam, Gorgiam, Porphyrium, & alios: quod vnde habuerit, mitto quærere. Hæc omnia ad purpuram Cardinalibus attributam, non difficile poſſunt accommodari; & nominatim ad pileum purpureum, cuius vſus ad Gregorium vſque XIV. negatus Cardinalibus è Monachiſmo aſſumptis, ad iſtos quoque ab eo Pontifice extenſus eſt anno 1591. Nono Iunij.

In pileo Crux supernè efformatur, æquè ac in pileo Clericorum. Vnde etiam monentur Cardinales, tesseram hanc Regiæ ſuæ dignitatis, non minùs Crucem & Martyrium præferre, quàm coronam Regiam, cui nomen *Martyrij*, in ſcriptura inditum, notauit Procopius in libro quarto Regum ad cap. 11. Sanè Sanctum Carolum Borromæum, qui flagrabat Crucis amore, nunquam purpureum pileum ſuum Cruciatum, deponere ſolitum, & in ipſa etiam ægritudine extremos trahentem ſpiritus, eo amiciri voluiſſe, produnt eius Acta pleniora. De hoc pileo, librum edidiſſe fertur Scapius, hactenùs mihi non viſum.

Vnum ſingulare pilei huius priuilegium proferunt aliqui, vt ſi alicui reo dum ad ſupplicium deducitur, ſuper caput ab obuio Cardinali imponatur, liber dimitti debeat, effugiatque ſupplicium. Non ſecus ac olim, Veſtales, referente Plutarcho in Numa, ſi caſu incidiſſent in reum morti addictum, exoluebant illum & ſubducebant cruciatibus. Tradunt quod dixi de Cardinalibus, Baldus in libro *addictos*, Cod. de appellatione & ibidem Abbas & Salyc. & Paulus de Caſtro. Cepola cautela 2. Barbat. Tractat. de præſtant. Cardin. quæſt. 9. Iaſon. §. *pœnales*. Inſtitut. de actionib. Hippol. de Marſil. ſingul. 273. Martinus Laudenſis Tractat. 1. de Cardinal. quæſt. 6. & tractat. 2. quæſt. 47. Felinus ad cap. *querenti* de Offic. delegat. Tiraquellus de pœnis cauſa 55. Marquardus de Suſania tractat. de cœlibatu Sacerdotum non abrogando cap. 9. numero 26. Hieronymus Albanus de Cardinal. quæſt. 42. qui vnum adducit in contrarium Antonium Corſetum in ſuis ſingularibus verſ. *Cardinalis*, & ſingula eius argumenta diſſoluit. Fatetur tamen Albanus, excipi crimina quædam, vt læſæ maieſtatis, & falſi; Idem de crimine falſi, notant plerique adducti à Cenedo part. 2. collectan. ad Decretales, Collect. 26. & 115. n. 4. ac 139. num. 10.

Cæterum quod de pileo rubro dictum eſt, æquè aptari poteſt ad rubrum galerum, quo item vtuntur Cardinales. Et ſimili galero rubro ob ſimilem finem donatum piiſſimum Regem Scotorum Vuillelmum ab Innocentio III. inſupérque enſe, ſcribit Hector Boëthius.

Epiſcopis peculiare Capitis tegmen eſt, viridis galerus, & mitra. Vtuntur quidem mitra alij quoque; ſed vel prout Epiſcopi, vel ex priuilegio: quod in Abbatibus improbabat Petrus Bleſ. Epiſt. 90. & Sanctus Bernardus ad finem Epiſtol. 42. Viridi autem galero, vtuntur ſoli Epiſcopi, ita vt in Clero Chriſtiano, hæc ſit nota gradus in religione ſublimioris, ſicut Petrus Bellonius lib. 3. obſeru. cap. 24. notauit, apud Turcas, viridem tiaram, eſſe maioris religionis inſigne, nec caligarum aut veſtium viridium vſum vlli concedi, præter quàm iis inter ipſos nobilioribus, qui ad Mahumetem genus ſuum referre poſſint. Nolo ego ex adeò cœnoſa ſcrobe haurire vſum Chriſtianum, hac in parte vigentem. Sed malim dicere, viridem colorem admonere vigentis ſtudij, quod viuidum ſit, nec marceſcat. Sicut plantæ quamdiu virent, vigent; nec vel à calore ſub nube torrente tabeſcunt, vel ab vligine nimia putreſcunt. Quid ſi etiam viror, qui in herbis nota eſt prorogationis, iuxta illud Geneſ. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen,*

commoueat

commoneat qui eius coloris galerum præferunt, non eſſe illis otiandum ſed eorum eſſe, propagare ſobolem ſanctam Deo, in agro Eccleſiæ? Viderint verò quibus venuſtas muneris Epiſcopalis arridet, ne ſignificatum ſic illis bone eſſe virorem mox exſiccandum. Sicut corporea pulchritudo mox marcens, caducitate fœni virentis mox exſiccati, adombratur in Scripturis, vt perpulchrè proſequitur S. Ambr. 3. hexaëm. cap. 7.

Mitra Epiſcopalis bicornis, & paulo curuamine ſupernè hians, reſpondet pileo cornuto priſcorum Sacerdotum Ethnicorum, quem in Nabide Ammonis Sacerdote, ſic deſcribit Silius lib. 13.

Ardebat gemma Garamantide, cærula veſtis:
Vt cum ſparſa micant ſtellarum lumina cælo,
Et gemmis galeã clypeúmque accenderat auro:
Caſſide cornigera dependens infula, ſacros
Præ ſe terrores Diuúmque ferebat honorem.

Cornuta item erat Bacchi mitra, vt meminit Lucianus in Bacch. indéque Bacchus Κερασφόρος ſiue *corniger*, eſt denominatus. Non nemo mitram vocat *infulam*. Imo Hugo Victorinus libro primo de Sacrament. cap. 55. mitram, tiaram, infulam, pileum, pro eodem accipit. In rigore tamen aliud fuit *infula*, aliud *mitra*. Infula enim erat faſcia lanea, partem Capitis capillo tectam ad bina tempora operiens, vtrinque adſtricta ac dependente vitta; vt propterea vittæ & infulæ ſæpè confundantur; in quam rem diſſerit copiosè & eruditè Bernartius ad librum quintum, Thebaïdos Statij ad V. 678. ac proinde idipſum erat *infula* in Pontifice, quod *diadema* in Rege: Videſis Paſchalium libro quarto, capite vigeſimo ſecundo. At mitra aliter ſe habet, vt notum eſt. Non raiò mitra, *phrygium* dicitur. Vt enim Sanctus Cœleſtinus I. dicitur miſiſſe Sancto Cyrillo *phrygium*. Baronius quidem anno 430. id accipit de pallio, indice plenißimæ poteſtatis. Nicephorus autem libro 14. cap. 34. id accipit de mitra. Nam eodem modo accipitur phrygium in Edicto Conſtantini, quod agnoſcit ea in parte Leo IX. Epiſtol. ad Michaëlem & Leonem cap. 13. Item Sanctus Iſidorus libro 19. Orig. cap. 31. *phrygium* interpretatur, pileum Caput protegentem. Optimè Suggerius Abbas in vita Ludouici Craſſi. [Circundantes Capiti eius phrygium ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum, imponunt.] Et optimè quoque ex ipſis Græcis hanc Phrygij notionem illuſtrat Eugubinus ſub finem libri primi contra Vallam *pag. mihi* 263. Phrygium ergo à Cœleſtino tranſmiſſum Cyrillo, eſt mitra phrygio opere conſtans; quali fortaſſis poſt Conſtantini donationem vtebatur Romanus Pontifex. Quod enim in eo donationis Conſtantini edicto, Balſamon, *lorum* cuius ibi quoque fit mentio, accipit pro mitra, rectè reijcitur à Gretſero ad Codinum libro primo, cap. 16. num. 12. Diſertè enim in edicto illo, *lorum* ſecernitur à *Phrygio*, quod mitram ſonare non eſt dubium. Nouum porrò videri non debet; quod mitram à Cœleſtino tranſmiſſam dicamus ad Sanctum Cyrillum, cum conſtet Gregorium VII. tranſmiſiſſe Beato Anſelmo Lucenſi [mitram Capitis ſui, tanquam poteſtatem ſuam ligandi & ſoluendi,] vt refert Baronius anno 1085. Similitérque Innoc. II. ablatam de Capite ſuo mitram, Capiti S. Malachiæ impoſuit, indicem plenitudinis poteſtatis. Sic igitur ſentio de phrygio ad S. Cyrillum tranſmiſſo, à Cœleſtino Papa, quo poſtea vſos S. Cyrilli ſucceſſores, prodit Nicephorus. Ex quo vides, vſum mitræ eſſe in Eccleſia perantiquum, quamuis recentius ſit, vt auro, & attextis gemmis exornetur: quod non ante annos ſexcentos accidiſſe, ſcribit Onuphrius in calce libri de vocibus Eccleſiaſticis obſcurioribus. Et ſanè mitra S. Syluestri, Auenione Romã tranſmiſſa, linea erat & alba, eámque procedentem geſtaſſe Eugenium IV. ſcribit in eius Actis Platina. Et veriſimile eſt, fuiſſe mitram, qua ante phrygium à Conſtantino acceptum, vtebatur S. Syluester; vel certè fuiſſe mitrã minùs ſolemnem, & quaſi vſuariam. Qui autem ſcripſit, vſum mitræ ante annos ſexcentos fuiſſe Eccleſiæ incompertum, vel ex hoc exemplo ſatis reuincitur. De ſignificatione geminorum cornuum mitræ Epiſcopalis, varij varia ſtatuunt. Petrus Gregorius lib. 15. Syntagm. c. 12. exiſtimat inſinuari binis illis cornibus, neceſſariam Epiſcopo cognitionem vtriuſque Teſtamenti. Paſchalius l. 4 de Coro. cap. 21. putat ſignificari geminas dotes præcipuas, Epiſcopo conſentaneas; ſcientiam videlicet, & ſanctitatem. Quo eodem iure dicere licet, ſignificari charitatem in Deum & in proximum, Epiſcopi propriam quarto modo. Vel certè ſignificari ſui & aliorum curam. Eo quippè Bleſenſis ſerm. 40. refert binos cereos ardentes, quos ait adhiberi, cum Pontifex Romanus, aliquem inaugurat. Quodcunque horum eligatur; perinde eſt ad rem noſtram.

SECTIO XIV.

Pileus Sacerdotum & Clericorum.

Reliquo Clero communis eſt pileus, quem etiam Epiſcopi extra ſolemnitates vſurpant. Alicubi tamen non Clerus vniuerſus; ſed ſoli Sacerdotes, aut qui in Clero eminent iam inſigniti ſacro ordine, pileo vtuntur. Ita ſeruatur in Eccleſia Metropolitana Lugdunenſi, in qua nulli infra Sacerdotes, ſiue in choro, ſiue extra chorum, conceditur vſus pilei, præterquàm iis è prima nobilitate Canonicis, (*Comites* paſſim audiunt, titulo ei gradui conſerto,) qui iam ſubdiaconatu ſunt initiati. Cæteri omnes, ac ipſi etiam Comites nondum ſacro ordine inſigniti, nudis Capitibus in choro adſunt, & domum nudis regrediuntur Capitibus, vt me vir Doctus Comitis primarij frater Ioannes à S. Albino admonuit. Affine eſt, quod item apud Gothos ſoli Sacerdotes, omnibus laïcis excluſis, ſunt pileati. Audi enim Iordanem libro de rebus Gotthicis num. 33. [Dicenus Gothus è Gotthorum gente, elegit nobiliſſimos & prudentiores viros, quos Theologiam edoctos, fecit Sacerdotes, nomen illis *pileatorum* contradens: (vt reor,) quia opertis Capitibus tiaris, quos *pileos* alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem, *Capillatam* dicere iuſſit;

quod nomen, Gotthi pro magno ſuſcipientes, adhuc hodie ſuis cantionibus remoſcentur.]. Viderit Curioſus Lector cui ſano Diui Auguſtini Codice frui contigerit, num tale quippiam de Africanis ab eo inſinuetur, Tractat. 7. in Ioann. cum de ſeductione Chriſtianorum, per adhibitum doloſè nomen Chriſti. Nam noſter quidem Codex fœdè corruptus eſt, nec bonus ſenſus elici poteſt ex illis verbis. [Noui aliquo tempore, illius pileati Sacerdotem, ſolere dicere; & ipſe pileatus, Chriſtianus eſt.]

Forma pilei Clericalis, inter Chriſtianos non eſt vbiuis eadem. De extremis orbe toto Moſchis, ita Sigiſmundus Baro Commentario de rebus Moſcouiticis. [Sacerdotes veſtitum propè laïcorum habent, extra biretum paruum & rotundum, quo raſuram tegunt, pileum amplum contra calorem & imbrea ſuperimponentes: aut pileo oblongo ex caſtorum pilis, colore griſeo vtuntur.] Vſus, huiuſmodi oblongorum pileorum, frequens eſt Clericis in oris Septentrionalibus. Alicubi forma pilei Clericalis eſt rotunda, vt videre eſt apud Barboſam allegat. 9. Paſſim alibi vſurpatur forma quadrata, quam pilei formam ad Clericos Chriſtianos deriuatam eſſe à Regibus Perſarum, Armeniorum, ac Medorum, affirmat Pancirolus libro primo, var. lect. iuris cap. 21. Perſas quoque & Lydos Dynaſtas, pileo quadrato vſos, ait Caracciolus ad regulam Theatinor. parte 2. cap. 2. §. *pileus* adducto Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 3. Sed Dionyſius non agit de tegmine Capitis, ſed de veſte quam Lydis & Perſis fuiſſe quadratam, (cuiuſmodi apud nos eſt Diaconorum,) obſeruat Hadrianus Iunius libro 1. animaduerſ. cap. 13. Verba Dionyſij rem clarè conficiunt. Deſcribens enim reditum Legatorum Ethruriæ, ad Tarquinium, ait eos attuliſſe, [Principatûs inſignia, quibus ſuos Reges ornare conſueuerant, coronam Regiam, & ſellam eburneam, ſceptrúmque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureúmque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum Reges geſtarunt: niſi quod non quadrata, vt illa, ſed figura erat ſemicirculi. Hoc veſtimenti genus, Romani *togam*, Græci τιάρας appellant.] Nihil (vt vides,) apud Dionyſium eſt, pro pileo quadrato ad Lydos vel Perſas referendo. Allegantur verò in eandem ſententiam à Pancirolo cap. illo 21. Plutarchus in Artaxerxe, & in Antonio, Arrianus libro ſexto, geſtor. Alex. Curtius libro tertio. Athenæus libro 12. cap. 3. & Alexander Neapol. lib. 1. cap. 28. Sed quod hi autores de veſte quadrangula dixerunt, cur ad pilei formam quadratam ſit relatum, non aduerto. Et fortaſſis, ab hoc Autore in errorem impactus eſt, prior quem adducebam. Neque tamen inficior; formam quadratam in pileo Clericali eſſe perantiquam. Argumentum ducit Caracciolus ad regulam Theatinor. parte 2. cap. 2. §. *pileus*, ex effigie Tertulliani quæ eum pileo quadrato opertum exhibet, cui triplex pilula ſeu globulus, fortè ad Trinitatis adumbrationem inſeritur. Idem ferè pileus cernitur Romæ, in perantiqua pictura Sancti Syluestri, aſtante Sacerdote pileato. Item quod Pierius lib. 40. cap. de pileo ait, ſua ætate renouatum eſſe pridem antiquatum Romanorum morem, pileos è fruſtis conſutis concinnandi Sacerdotibus, ſi de Romanis Chriſtianis, & quadratorum pileorum apud eos pro Clericis vſu intelligatur, bellè facit antiquæ formæ huiuſmodi Clericalium pileorum: quicquid ſit, an vſus ille ſub ætatem Pierij, (hoc eſt ante ſeculum) exoleuiſſet: quod ægrè aduiſerim; & fortaſſis à Pierio refertur, non ad formam, ſed ad materiam noſtratium pileorum, ex pannis conſutis concinnatorum.

Cur quadrata ſit pilei forma, variæ cauſæ excogitari poſſunt. Plerique ad Crucis expreſſionem in pileo referunt: atque ita in Crucis formam, Clericalem pileum efformatum volunt. Qua ratione non aliqui duntaxat Clerici eſſent Cruciferi, ſed omnes: contra quam apud Græcos, aliqui tantùm à Cruce in pileis efformata dicebantur *Cruciferi Cardinales*, vt notat Spondanus anno 1438. num. 12. Facit verò ea Crucis expreſſio in pileo, ne vnquam excidat Chriſti in quatuor orbis plagas Dominatus per Crucem comparatus, vt philoſophatur S. Proſper in Opere de promiſſ. part. 2. cap. 10. exponens virgam nuceam Aaronis, & monſtrans nucem continere ſeptum medianum in formam Crucis, quod Chriſti crucifixi dominatum in quatuor orbis plagas bellè repræſentet. Videntur ſic accepiſſe quadratam huius pilei formam, vt ſit formæ Crucis expreſſio, Homobonus 1. part. tract. 3. qu. 7. (referens tamen quatuor pilei angulos ad quatuor ligna è quibus Crucem compactam ferunt,) & Caracciolus ad regul. Theat. part. 2. cap. 2. §. *pileus*: inde admonens, & manè cum ſumitur pileus, & veſperi cum deponitur; figendum eſſe pileo oſculum. Pierius ad quatuor mundi cardines, quadrangulam pilei formam refert vt mox ſubiungam.

Quid ſi dicamus inſuper, eandem eſſe huius formæ quadratæ rationem, quæ quondam quadrati, quod viris aut ex muneris quod obibant debito, aut virtutis eximiæ decore perfectis, quondam ſupra verticem collocabatur? Hoc verò fuiſſe ſuperſtitum indicium, dixit Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap. 34. ita vt ex vſu pictorum illius temporis, homo cui ea tabula appingebatur, ſignificaretur adhuc viuere, & ſuperſtes poſuiſſe alterius monumentum. Quod Alemannus diſſertat. de parietinis Lateran. c. 7. ſexcentis priſcarum imaginum teſtimoniis confirmari poſſe ſcribit; etiamſi perrarò vita quoque functis adhibitum id genus ornamenti eſſe contigerit; more erga viuentes ſeruato, ad defunctum quempiam, extenſo, per oſcitantiam vel imperitiam apponentium id genus ornamenti. Cum autem idem cap. 9. ex innumeris antiquis imaginibus confirmet, iis tantùm qui cum dignitate ac imperio eſſent, puta Pontificibus Maximis, Epiſcopis, nonnunquam Monachorum Præſulibus, Imperatoribus, ac Regibus qui cum poteſtate populis præſunt, adhibitam eſſe huiuſmodi tabulam, quid vetat arbitrari, hanc fuiſſe veluti mortis aliquando conſecuturæ monelam, quæ poſtea, vt fert abuſio in pleriſque ad pompam ex neceſſario vſu tranſlatis, degenerauerit in vmbellã ſolia Principibus adhiberi ſolitã? Mortis monelã dico, id eſt operculum loculi condentis cadauer, qua planè

L

ratione

ratione efformatur illud quadratum: (ſic dicatur à quatuor angulis, tametſi reuera erat altera parte longius, non exquiſitè quadratum.) Sicut ergo triumphatori ponè aſſidebat, qui mortis & caducitatis fortunæ ſubmoneret, ne efferretur; ita viro Principi, aut ſub poteſtate conſtituto, dum viueret, & tumoris periculum ea poteſtate ingrueret, videri poteſt eſſe adhibitum illud quadratum, operculi mortuarij formam referens, quod mortis commoneret. Vnde non malè à Ioanne Diacono dictum eſt *iudicium ſuperſtitum*, quia Defuncto ſuperuacua foret ea monitio. Non video cur hæc coniectura debeat vana videri.

Neque tamen obluctabor pertinaciter, ſi cui hæc ſit tanquam nota præcellentiæ, eodem modo quo nunc vmbella quadrata, conſidentibus viris Principibus ſuperponitur. Nunc ſuperponi dico, non quod ſit vſus nouus aut recens inductus, ſed quod nunc quoque vigeat etiamſi iam olim vſurpatus vt ſapienter monuit vir doctiſſimus D. Petrus de Maridat, in magno Concilio Regius Senator. Et conſtat. Id enim eſt, quod Iudith. c. 10. legitur, eam adoraſſe Holophernem, ſedentem in conopæo, quod erat ex purpura. Ibi quippè non agitur de conopæo cubiculari, quale fuit de quo mentio eſt cap. 13. vbi dicitur, Iuditham abſciſſo capite Holofernis, diſieciſſe conopæum quod erat circa lectum, eóque obuoluiſſe truncū corpus Holofernis: ſed capite 10 agitur de conopæo, ſub quo Holofernes audiebat aduentantes. Et tale etiam fuit, quod ab Athenæo lib. 5. ex Maſurij Callixeni Rhodij, libro quarto de Alexandria, deſcribitur in pompa Ptolomæi Philadelphi. Vox Græca quam Dalechampius expreſſit nomine *Conopei* eſt ὑφάντρια. Alij σκιάδιον appellant. Heſychius κυλλοτίνη κάλυμμα. Seruius contignationum *cælum* dixit. Quid ſi eòdem pertinere dicamus, ἀετοστήριον in Iulij Cæſaris æde, ornatûs, maieſtatiſque cauſa poſitum, Plutarcho teſte. Non nemo, *Cadurcum* dici putat eo Iuuenalis loco, *violato pœna cadurco*. Sic nuncupauit peplum *ſiue* velum de quo agimus, eo quod vt eſt apud Plinium lib. Cadurci Galliæ populi, exquiſitè in eo genere laborarent. Qui *apicem* quoque flaminis Dialis, huc transtulerunt, minùs appoſitè ſunt locuti; tametſi *apicem* abſolutè dici potuiſſe hoc conopæum, inſinuat illud Claudiani.

Ædificetur apex, qualem non Lydia diues.
Erexit Pelopi; nec quem ſtruxere Lyæo.

Iuxta Mercurialem 1. Gymnaſt. c. 11. nomini *aulæorum* denotatur huiuſmodi conopæum; quo ſpectat illud Flacci 2. ſerm. Satyr. 8.

Interea ſuſpenſa graues aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulueris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Accepit hæc aulæa in hunc ſenſū vetus Scholiaſtes. Ait enim. [Aulæa ſub cameris tendebantur, vt ſi quid pulueris caderet, ab ipſis exciperetur.] Conſonat Seruius, ad illud 1. Æneid. *cum venit aulæis*, dicens. [In domibus tendebantur aulæa. Vt imitatio tentoriorum fieret, ſub quibus bellantes ſemper habitauere maiores: Vnde etiam in lectis hoc fieri, hodie cōſpicitur. Varro tamen dicit, vela ſolere ſuſpendi, ad excipiendum puluerem, quia tunc vſus cameræ

ignorabatur.] Longè alia ergo ſignificatione vſurpata ſunt in eo ſenſu aulæa, quam paſſim fiat, cum ea vox adhibetur ad ornatum parietum per tapetes ſiue peripetaſmata denotandum. Quod quondam *aulæum*, vel frequentiùs *aulæa*, nunc Italis *Baldachinum* appellatur; aliàs *pallium* vt eſt apud Matthæum Villanium 4. hiſtor. c. 44. Gallis *Dais* voce obtorta, à *dorſo*, vernaculè *dos*. Nam ea vox vt ſcribit *Meſnage* libro de Origine Linguæ Gallicæ, tabulam deſignat ſupernè opertam, ne puluis in ſubiecta decidat. Morellus libro de inſignibus Galliæ cap. de pallio, huc accommodat pallium magno Galliæ ſigillo circumpoſitum; & eam loquendi formulam *Rex ſue Iuſtitia lecto inſidet*, id eſt *ſub pallio*. Quam dixi tabulam dorſo primùm appoſitam, in ſignum hominis quadrati, vt ſupra philoſophabar, mutato primo ſitu quo ad dorſum locabatur ſuperpoſitam ad præcellentiæ notam, originem præbuiſſe huic vſui, haud multus dederim: Et ab hominibus inter mortales præcellentibus, is vſus ad ipſam quoque Diuinam Maieſtatem inter nos exhibendam eſt traductus. Videmus enim ſuper diuinam Euchariſtiam cum circumgeſtatur, deferri vmbellam, quæ vulgo dicitur *baldachinum*. Super altaria abſque aſſeruata inibi Euchariſtia, ex vſu eſt, attolli huiuſmodi vmbellam, & operimentum quadratum. Cuius rei luculentum exemplum recitatur in actis S. Theoctiſtæ Lesbiæ, cum agitur de altari templo Beatæ Mariæ in Inſula Paro. Ex quibus colligitur, illud quod dicebam, quadratum, ſignificaſſe videri viros illos eſſe tetragonos. Qua ratione Methodius libro de virginitate actione vitæ & conſilio χάριν τε τῷ τε τετραγώνους *quadratos* dixit, viros perfectæ virtutis. Nec aliter Chriſtianum perfectum, *quadratum* eſſe oportere, Sanctus Gregorius tradit homil. 21. in Ezech. Et affinia habent Origenes ligna arcæ quadrata ad Chriſtianos ſapientes accommodans homil. 2. in Geneſ. & qui eum expreſſit Sanctus Ambroſius libro de Noë & Arca capite ſexto, necnon Nyſſenus libro de vita Moſis. In pictura certè Lateranenſi, Conſtantini Magni, quatuor virtutum diſtinctè exhibitarum tetractis, Capiti eius imminens, expreſſa eſt, iuſſu Leonis tertij. Eodem igitur, ſymbolicè (ſi lubet) referatur quadratum viris præcellentibus appictum, & conſimilis ſit quadratæ pilei formæ cauſa.

Quærit porrò loco ſupra allegato Pierius, quorſum in quadrata huius pilei forma, deſideretur ferè ſemper quarta coſta. Neminem quippè fugit, huiuſmodi pileum è quatuor coſtis aſſurgere, quibus Crux integra, extans efformaretur, niſi quarta introrſum merſa lateret. Rationem ducit idem Autor, ex ſignificatione quatuor mundi Cardinum per coſtas illas: vnde quarta in plicam deſidit, quaſi deſcribens polum quem ſub pedibus Styx atra videt, manéſque profundi. Vt ergo ſignificetur, nos ſemper cœli memores eſſe oportere, eius figura quadam, Caput contegimus. Quamuis autem ſupponamus cum alijs, quadrangularem formam pilei, Crucem exhibere, dici poteſt, Crucem non extare ſupra totum pileum, niſi imperfectam, vt ſignificetur, noſtrum eſſe adimplere quæ deſunt paſſionum Chriſti, vt Paulus dixit. Eſſe inquam Cle-

ricorum, ſubiungere mortificationem ſuam, perpeſſionibus Chriſti. Phyſica verò ratio ſic efformandi pileum, vt vna coſta ſubſidat, eſt, vt ſtructura pilei ſit firmior, nec coſtæ omnes concidant introrſum, & grauent Caput.

Alio Schemate myſtico, pileum quadratum quo in ſacris duntaxat vtuntur, expreſſere nuper Sinæ Neophyti; vt lego in annuis literis Sinenſibus anni 1621. *pag.* 236. In quam rem eſt recolendum quod ſupra attigi, apud Seres, ſiue Sinas, nefas, & ſaltem apprime inorbanum eſſe, Capite vnquam eſſe nudo. Is enim eſt habitus eorum qui ad patibulum rapiuntur. Itaque Sinæ Chriſtiani, tunc tantùm Capita aperiunt, cum de peccatis confitentur. Tunc enim vt ſe criminoſos ac reos profiteantur, nudant Capita. Cum ergo eſſet apud eos probroſum, quod Sacerdos ſacrificans, eſſet aperto Capite, inſtitere apud Paulum V. vt pateretur eos ſeruire conſuetudini, nec Sacrificium dehoneſtari vellet, nudatione Capitis, Sacerdotis ſacrificantis. Annuit Pontifex, dummodò tegmen Capitis, ſuper Sacrum duntaxat & rem Diuinam, vſui eſſet; & à profano diſcreparet. Quare Neophyti, nouum genus pilei ingenioſè ſunt architectati, quod eſſet in ſuperiori parte perfectè quadratum, & à vertice vſque ad medium vniuſcuiuſque quatuor eius angulis, pendente filo pretioſo tripartito ornatum: ita vt in toto tegmine, appareant duodecim partes, ad inuicem ſeiunctæ. Ad quamlibet partem, extat portata acu facta, Phrygio opere. Sic exhibere voluerunt Hieruſalem ſanctam in quadrato poſitam, & duodecim portis inſignem.

Clauſulam apponam, ſi obiter retulero potiùs quàm diſcuſſero ſolemne dubium de laïcis ad ſacra miniſteria non deſtinatis, & vt eſt per ſe euidens, à literatum profeſſione alienis, qui in quibuſdam Clericorum Regularium cœtibus, ſicut communi toga vtuntur, ita & pileo. An is vſus ad abuſionem pertineat, iure ambigi poteſt, non modò quia à principio non fuit ſic; ſed etiam quia geſtatio inſignium probatæ doctrinæ, vel ſacri ordinis, aut deſtinationis ad illum, non debet falſitate & reali mendacio laborare. Ad hæc, origo huius vſus, fuiſſe videtur, ſuperba laïcorum affectantium ſupra gradum ſuum eminere, ſaltem externa ſpecie; Et acceſſit mollities eorum qui huiuſmodi laïcorum obſequia propenſiora captabant. Tandem in talium inſignium doctrinæ vel ordinis, geſtatione, per laïcos, non deeſt periculum implanationis ſimplicium. Nihil enim procliuius eſt, quàm vt alij laïci cernentes perſonam pileo Sacerdotali decoratam, adeant ad eam tanquam ad alterius conditionis perſonam, conſilia petituri, vel etiam exquiſituri ſuam cum Deo conciliationem per Sacramenta, ad quæ conferenda indonei ſunt Religioſi laïci. Et vtinam nunquam euenerit, aut nunquam euenturum iure timeri poſſit, ne per immanitatem ſacrilegij nunquam ſatis deteſtandam, pullus onagri in ſuperbiam erectus, refugiens agnoſci quod eſt, tentet ementiri quod non poteſt, Indignitas eſt, falcem ſeueritatis Apoſtolicæ, meritò interpellans. In ordine item Præmonſtratenſi, cum propter indiſtinctionem habitus fratrum Conuerſorum, ſiue laïcorum, ab habitu cæterorum, extra eſſent ſcandala; Capitulum Generale anno 1306. edixit, vt ſcapulare conuerſum, efformaretur angulariter ad modum ſcuti, decidum antrorſum, æquè ac retrorſum, vſque ad cingulum; quæ forma procul abeſt ab ea qua cæterorum veſtitus effingitur. Et cum aliqui conuerſi cappas albas, quæ illius ordinis Canonicis erant in vſu geſtare cœpiſſent, reſcidit eum abuſum Capitulum Generale & firmauit reſciſſionem Gregorius IX.

Non videntur laïci Templariorum, dediſſe occaſionem talia ſumendi; & tamen cum inter eos aliqui, veſtem albam militum propriam aſſumpſiſſent, ſic in eos decretum eſt in regula Templariis à Sancto Bernardo conſcripta capite 21. [Hoc quod erat in domo Dei, ac ſuorum militum templi, ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli, obnixè contradicimus, & funditus; quaſi quoddam vitium peculiare. amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta, vnde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in vltramõtanis partibus quidam Pſeudofratres & coniugati, & alij, dicentes ſe eſſe de Templo, cum ſint de mundo. Hi nempe tantas contumelias, tótque damna militari ordini acquiſierunt, & clientes remanentes, plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſſiduè nigra. Sed ſi talia non poſſunt inuenire, habeant qualia inueniri poſſunt in illa prouincia, in qua degunt; aut quod vilius vnius coloris comparari poteſt, videlicet burella. Nulli ergo conceſſum eſt, candidas chlamides deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis militibus Chriſti.] En quanto ſtudio Templarij, initio probatiſſimi Religioſi, ſuos laïcos arcuerint ab vſurpatione veſtis propriæ militum Templi abſolutè dictorum. Affine eſt, quod Claudius de la Sangle, Magnus Magiſter Ordinis Sancti Ioannis Hieroſolymitani in ſuo Ordine cauit quoad Donatos, (vt ipſe loquitur,) ſiue Confratres, vetans ne Crucem albam quadrimembrem deferrent, qua equites abſolutè dicti vtuntur; ſed nonniſi trimembrem præferrent dempto ſtipite ſuperiori, vt habetur in ſtatutis Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani tit. 2. cap. 31.

SECTIO XV.

De Camelaucho & Cucullo Monaſtico.

IAm ſupra ſect. 12. attigi, quid ſit *Camelauchum*, vel *Caumelauchium*: (vtrumque enim legitur in Gloſſariis.) Paruam Caſſidem quæ ſupra Capitis ſummitatem extendatur referre, dixit Beda lib. 3. de tabernac. cap. 8. Extendi verò etiam aliquando ſupra faciem, ita vt operta huiuſmodi Camelaucho ſubduceretur proſpectui aliorum, & in eum finem vſurpatum eſſe à Monialibus, legimus in vita Mariæ, Neptis Abrahæ, quæ eſt inter opera Sancti Ephrem. Ibi capite quinto ſic habetur. [Camelauchium quoque longum Capiti ſuo, vt facies eius velaretur, impoſuit.] Et c. 9. [Auferens quoq; Camelauchium, à Capite ſuo.] Sicut ergo cucullis vſas quoque Moniales, mox dicemus, ita vſæ etiam ſunt oblongis hiſce Capitis integumentis,

quæ

quæ ſubducerent eas conſpectui externorum. Antiquos item Canonicos almutia in eundem finem adhibuiſſe quæ nunc Canonici ſæculares brachio immittunt, monſtrat Molanus lib. 3. de Canon.cap.5.

Commune permultis Monaſticis cœtibus Capitis tegmen,eſt cucullus; & quamuis *cucullam à cucullo* ſecernit Author Vitæ S. Deicoli cap.1. tamen *Cucullam* æquè dicere liceat, cum S.Hieronymo in Hilarione,de quo ait: [Omnes diuitias ſuas ei derelinquens, Euangelium ſcilicet, & tunicam ſaccineam, cucullam, & palliolum.] Mox etiam addit, iuſſiſſe S.Hilarionem, ſe ſepeliri ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, & cucullâ. Item S.Paulinus carm.13. ad Cytherium de homine Dei Martinianum naufragum excipiente.

Donúmque tunica qua Sodalem ornauerat,
Geminat cuculla munere.

Ennodius item lib.9. Epiſt.17. cucullæ ad ſe tranſmiſſæ tanquam religionem profitenti, meminit. Idem haberi in Manuſcript. Caſſiani libris, aut Ciaconius in Onom. *Cuculla* ergo vel *cucullus*, pleriſque vt dicebam, Monaſticis cœtibus eſt attributus. Cucullum S.Simeonis Stylitæ, miſſum ab ipſo ad Leonem Imperatorem, Sergius Monachus dedit S.Danieli Stylitæ. Apud Abaſſinos, ex ſolius cuculli geſtatione internoſcuntur Monachi, cæteroqui profaniſſimi ex Godino lib.1.c.34. Apud S.Sidonium lib.7. epiſt.16. quæ eſt ad Chariobaudum Abbatem, mentio eſt tranſmiſſa ad eum villoſi cuculli nocturnalis, quo membra confecta ieiuniis, inter orandum cubandúmque dignanter tegerentur. Hinc vides, vocem *cuculli* non ſemper ſonare ſolum Capitis tegmen, ſed veſtem multo diffuſiorem. De qua cuculli notione apud poſteriores Monachos, plenè Author diſquiſitionum Monaſticarum lib.5.tract.3.diſquiſ.1.

Propriè, cucullus eſt tegmen Capitis infantilis. Itaque vt Religioſi docerentur ſimplicitatem & mores quaſi modò genitorum infantium, inductum eſt in vſum Monachorum, geſtare cucullum. Audi Caſſianum lib. de habitu Monachi cap.4. [Sunt quædam in Ægyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo ſimplicitatis & innocentiæ obſeruantia, etiam in ipſa veſtitus qualitate, teneatur. Cucullis namque perparuis vſque ad ceruices, humerorúmque demiſſis confinia, quibus tantùm Capita contegant, indeſinenter diebus vtuntur ac noctibus: ſcilicet vt innocentiam & ſimplicitatem paruulorum iugiter cuſtodire, etiam imitatione ipſius velaminis commoneantur. Qui reuerſi ad infantiam Chriſti, cunctis horis eum affectu ac virtute decantant; *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matre mea.*] Eadem Nicephorus lib.9.cap.14. infrà adducendus. Hanc rationem attribuit Monachis cuculli. S.Dorotheus doctr.1.num.17.iungit cum alia, ex beneficiis cuculli in puſionem deprompta. Sic igitur habet: [Geſtamus & cucullum, quod Symbolum quidem eſt innocentiæ animi, pueri, & verè humiliati. Pueri enim infantuli & innocentes, cucullum geſtare ſolent, non viri perfecti. Nos autem præterea illum geſtamus, vt malitia ſimus paruuli, (vt ait Apoſtolus;) *Nolite pueri eſſe mente, & ſenſu; malitiâ eſtote paruuli.* Quid verò eſt, paruulum eſſe malitiâ? Paruulus abſque malitia eſt. Etiamſi contemnatur, non iraſcitur. Si honore afficitur, non in vanam gloriam effertur; ſi rebus ſuis ſpolietur, non dolet, neque affligitur. Paruulus enim eſt malitia. Non vlciſcitur iniuriam, non gloriam affectat inanem. Eſt etiam cucullus, diuinæ gratiæ Symbolum. Quoniam quemadmodùm cucullus tegit ac fouet pueruli caput, ita & Dei gratia mentem noſtram tuetur & fouet; vt maiorum noſtrorum monumenta teſtantur. Eſt igitur cucullus, ſignum gratiæ Saluatoris noſtri Dei, mentem noſtram tuentis, ac protegentis, necnon ſimplicitatem noſtram & innocentiam, quæ in Chriſto eſt, circumfouentis, propter eos qui nos quotidiè vulnerare ac deuorare conantur.]

Potuit præterea in cucullo Monachis aſſignando, haberi ratio vilitatis huiuſmodi operimenti. Erat enim cucullus tegmen Capitis ſimul & humerorum, aut etiam reliqui corporis, ad genua vſque protenſum, quo ſerui vtebantur, & viles perſonæ: Cuiuſmodi etiam hodie ſunt penulæ cucullatæ mulionum & ruſticorum, præſertim paſtorum, ad arcendos imbres & frigus repellendum excogitatæ. Sic apud Columellam lib.1.cap.8. & lib.1.cap.1. legimus, vſum veterum tuliſſe, vt familiam haberent munitam Sagis cucullatis, aduersùs imbres & rigores. Vnde Martialis lib.10.epigr.76. expoſtulans de fortunæ iniquitate, *pullum cucullum* pro ſeruili habitu poſuit, dicens;

Pullo Mæuius alget in cucullo;
Cocco Mulio fulget Incitatus.

Mæuius ſiquidem, vir bonus, & Poëta lingua vtraque diſertus, cucullo mulionico præ egeſtate vtebatur; cum è contrario mulio, curator equi cui nomē erat *Incitato*, ſplendidiſſimè veſtiebatur. Nam talis nominis equo, priùs Caius Caligula, præter cætera inſaui affectus argumenta, & deſtinatum conſulatum, familiam illuſtrem, ac ſplendidam ſupellectilem aſſignarat vt Suetonius cap.55. memorat. Et ad eum equum & equiſonem, alludere videtur ſub Domitiano, Mulionem vel agaſonem aliquem ſplendidè habente, Martialis. Vel certè deſignat aurigam nomine *Incitatum*, vt ſignificatur l.11. epigram.1. expoſtulans, quod is coccineis veſtibus, admodùm pretioſis, vteretur; non cucullo, (ſiue vt Lampridius in Heliogabalo appellat *cucullione*) qui fuiſſet mulioni conuenientior, & humilitatem perſonæ ac conditionem ſeruilem redolens. Et idcirco Tacitus lib.13. Annal. Neronem veſte ſeruili ad diſſimulandam Perſonam ſuam, amictum deſcribens, exhibet illum, noctu percurrentem lupanaria, atro pallio, cum cucullione adopertum. Quod aliter dixit Iuuenalis Sat.8. Neronem ſugillans ſub Damaſippi nomine.

—— Quo ſi nocturnus adulter,
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Incōmodè igitur Suetonius in Nerone c.26, has ipſas nocturnas Neronis diſcurſationes deſcribens, pileo & galero contectum proponit. Sed confirmat quod diſi, Capitolinus in Vero, Nam de ſimilibus eius diſcurſationibus ait. [In

tantum, vitiorum Caianorum, & Neronianorum fuiſſe æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto Capite, cucullione vulgari viatorio.] Id quod æquè de ſpurciſſimo Elagabalo, aut vt vulgus vocat Heliogabalo, notat Lampridius, dicens ſic diſcurſaſſe tectum cucullione mulionico, ne agnoſceretur. Quem porrò *cucullum Santonicum* vocabat Iuuenalis *bardocucullum* à Martiale dictum lego lib. 14. epigr. 117. aliàs 128. quod ſic habet.

Gallia Santonico veſtit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Libro 1. Epigr. 46. aliàs 54. vocat *lingonicum*, à regione æquè Gallicana, Lingonum. Componens enim verſus ſuos cum verſibus Fidentini, ait non minùs internoſcenda eſſe Carmina à Fidentino ſublecta, ab iis quæ ipſemet confeciſſet, & ſuis admiſcuiſſet, quàm internoſcitur craſſus & barbarus Lingonum bardocucullus, Tyrianthinæ purpuræ admiſtus. Is eſt ſenſus illorum verſuum.

Sic interpoſitus villo contaminat vncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Iuuenalis Satyra 7. *Cadurcum* dixit, vtique ab alia Galliæ Regione in qua etiam in vſu erat. Eſt ergo *bardocucullus*, idem quod *cucullus*, craſſus, & rupicibus ac petronibus, (qui ferè ſunt craſſi ingenio & bardi,) accommodatus. Vnde à Martiali, opponitur *vrbicis*, id eſt Romanis purpuris, perelegantibus ac pretioſis. Cæterum bardocucullus, non ſicut cucullus tegebat Caput duntaxat, ſed penulæ attexebatur, vlteriùs tegenti corpus: iuxta illud de hoc ipſo indumento apud eundem l. 1. epigr. 93.

Cerea ſi pendet lumbis & trita lacerna;
Dimidiáque nates, Gallica palla tegit.

Quæ eſt bardocuculli Gallicani periphraſis. Fuit qui ad epigramma 117. libri 14. iam allegatum, ſcriberet, bardocucullum eſſe pallium vatricum, attexto cucullo: à *βάρδος* quod Gallorum lingua *vatem* ſonat apud Heſychium, inemendatum. Nam ſana lectio *βάρδοι ἀοιδοὶ παρὰ Γαλάταις*. Hoc eſt *Bardi vates apud Gallos*, de quibus ex vetere Gloſſario Heraldus ad lib. 4. Martialis epigr. 4. & memorantur etiam à Lucano l. 1. illis carminibus.

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas,
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Alij à Bardaïcis ſiue Bardæis militibus, quibus ea craſſa penula cum ſuo cucullione vſui erat, deriuant hanc vocem: vt propterea *bardaicus cucullus*, aliquando dicta legaunt, vt apud Capitolinum *in Pertinace*. Vt vt ſit, conſtat ex dictis, bardocucullum & cucullum, fuiſſe humile & craſſum veſtis genus, accommodatum vilibus perſonis, ac ſeruis priuatorum vilioribus, vt Lipſius animaduertit lib. 1. Elect. cap. 25. Videndus item Petrus Faber 2. ſemeſtr. c. 20.

Ob hanc igitur cauſam, haud abs re, cucullus Religioſis Monachis attributus eſt, vt ſignificaretur humilitas ſtatus eorum, & conditio ſeruilis. Non dico Religioſum, reſpectu ſuperioris, quem ſuper Caput ſuum habet impoſitum, annumerandum eſſe ſeruis: quod rectè diffitentur Suarez Tract. 7. de Relig. lib. 6. cap. 2. num. 18. & Baſilius Poncius quodlib. 3. Scholaſt. cap. 5. & qui contrarium exiſtimantes, Dominatum exercent in ſacris cœtibus, Tyranni audiunt, Iudice Ioanne Satisberienſi in Polycr. lib. 8. cap. 37. Hoc igitur non aſſero. Sed tantùm contendo, Religioſos, reſpectu Dei, ſeruire glorioſam ſeruitutem, & humilem ſubiectionem profiteri: ac idcirco, meritò præferre ſeruilem habitum. Et quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, ac qui ſe Deo in ſeruum addicit; mundum & quæ mundi ſunt, calcare & deſpuere tenetur, propterea S. Germanus in rerum Eccleſiaſtic. Theoria, declarans myſteria habitus Monaſtici, ait cucullum ſignificare, impleri à Monacho quod dixit Apoſtolus, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Tantùm de fine attributi Monachis cuculli. Materia, tametſi vbique vilis, tamen variis locis ac temporibus varia fuit. Lineam inſinuant illa S. Hieronymi ad Heliod. [Caput opertum linteo, galeam non recuſat.] Icones Monachorum Monaſterij Sula Conſtantinopoli, talia linea amicula, capitibus præferunt. Clarè idem habet Nicephorus lib. 9. cap. 14. agens de Tabenneſiotis. Iiſdem tamen, laneum cucullum aſſignat Sozomenus lib. 3. cap. 13. vbi præfatus, Monachos Tabenneſiotas ſub S. Pachomio aliud indumentorum genus aſſumpſiſſe, quàm quo vterentur reliqui Ægyptij Monachi, nempe quoad totam complexionem indumentorum, numerat cucullum inter eorum veſtes. [Caput (inquit,) integumento quo cucullum appellare ſolent, operiebant; quo oſtenderent, ſe vitam perinde ſimplicem ac ſynceram degere, atque pueros lacte nutritos, quorum Caput quod in membris obtinet principatum, eiuſmodi tiaris obuoluitur, vti tum tegatur ab æſtu & frigore, tum vndique foueatur.] Et mox. [Si quis cum ipſis habitare cuperet; vt primò omnium, ad triennium grauioribus laboribus exerceretur, & ita eorum conuictus particeps fieret, *mandauit*: Et vt veſtiretur pellibus, & Caput tiaris laneis tegeret: Has autem tiaras, tanquam punctis purpureis notari iuſſit.] Cuiuſmodi eſſent hæ purpureæ notæ, ſic exponit Palladius cap. 38. Lauſi agens de Pachomio Monachos ſuos informante. [Fecit eis cucullas molles, tanquam pueris, in quibus etiam iuſſit imponi figuram Crucis purpureæ.] Quas *laneas tiaras* dixerat Sozomenus, Palladius *molles* nominat, quales eſſe puerorum ſolent; hoc eſt *laneas*. Ex qua etiam materia, Sidonius, Chariabaudo Abbati cucullum, his verbis tranſmittit lib. 7. Epiſt. 16. [Per libertos tuos, nocturnalem cucullum, quo membra confecta ieiuniis inter orandum cubandúmque dignanter tegeres, tranſmiſi. Quanquam non opportunè, ſpecies villoſa, mittatur hyeme finita.] *Speciem villoſam*, atque adeò non lineam, ſed laneam, cucullo hyemali conficiendo adhibuerat Sidonius. Sicut etiam S. Benedictus cap. 55. reg. *alias* 62. indicat, [cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam.] S. Danielis Stylitæ cucullum, ex pelle fuiſſe confectum, narrant eius Acta. Vix autem arbitror, hunc fuiſſe illum S. Simeonis Stylitæ cucullum, quem ab eo tranſmiſſum ad Leonem Imperatorem Sergius illius Diſcipulus non valens ad Leonem penetrare, tradidit Sancto Danieli, cui fuit pretioſiſſimus. Ac proinde vix eo vſus paſſim eſſet

Sanctus Daniel. Non plura de cuculli materia.

Formam cuculli antiqui, petere licet ex illis Nicephori verbis lib.9. cap.14. [Capitis verò tegmen acuminatum, vt ſimplices ſint. & iniurias non vindicent, puréque & innocenter viuant lactentium puerorum inſtar, quorum Capita eiuſmodi lineis mitris operiri ſolent, quæ partem, rationis principatum imperiúmque obtinentem tegunt atque fouent.] Eapropter voces illas *mitra*; & *tegmen acuminatum*, Euagrius 1. hiſtor.cap.13. *tiaram* vocat. Ex quo patet, fuiſſe *Κωνοειδῆ*. Et verò cucullus, propriè dicitur de papyraceis illis inuolucris forma pyramidali quibus pigmentarij & propolæ aromatum, obuoluunt ſuas merces, iuxta illud Martialis ad ſuum libellum lib.3.epigr.2.

Feſtina, tibi vindicem parare:
Ne nigram citò raptus in culinam,
Cordyllas madido tegas papyro;
Vel thuris, piperiſue ſis cucullus.

Vbi Raderus, cum Scaligero ad Catullum, Scombrorum laxas tunicas è chartis ſubſannantem, *cucullum* dici notat, chartam ſic inuolutam vt conum inuerſum exprimat. Talis ergo erat forma cuculli. Eius longitudinem iam exhibui ex Caſſiano, qui eum ait, ad ceruicis tantùm & humerorum confinia, fuiſſe demiſſum. Poſterioribus tamen pleriſque Monachis, fuit protenſior. In ſancti namque Benedicti Anianenſis vita, ſic lego. [Monachos in habitu diſſimiles, fecerat multorum conſuetudo. Siquidem nonnullis vſque ad talos cucullæ pendebant. Quamobrem Vir Dei, vniformem cunctis tenendum Monachis inſtituit modum; vt non amplius à duobus cubitis excederet menſura vel vſque ad genua pertingere poſſet.] Ea menſura duorum cubitorum in cucullo, probata eſt in Additione 1. ad Capitularia Regum Francor.cap.21. Antiquum cucullum profanum, apud Gallos, dimidias tegentem nates, iam ſupra ex Martiale retuli.

De protenſione ac forma cuculli Franciſcanorum, acris & longa iampridem eſt contentio. Verùm eſt, initio S. Franciſcum aliquando inceſſiſſe ritu Paſtorali, aperto Capite, capillis promiſſis, & diffluentibus; Et verum item eſt, Minoritas eodem Paſtorali modo inceſſiſſe vſque ad S.Bonauenturam, qui Narbone in Comitiis Generalibus anno 1260.caputium tunicæ adiecit, vt habet Volaterr. lib.21. Anthropol. & Galeſinius in vita S.Bonauent.cap.9. Ita igitur ferè veſtiebantur Minores initio, ex vſu S. Franciſci: tamen & ipſe S.Franciſcus, & planè primi Fratres, vſurparunt aliquando cucullum; de quo (vt dicebam,) eſt contentio: quibuſdam affirmantibus formam cuculli à Sancto Franciſco vſurpati, fuiſſe pyramidalem. Ita latè Zacharias Bouerius Tract. de habitu Minorum, qui adiunctus eſt Tomo 1. Annalium Capucinorum. In quam rem profert multas antiquas picturas, & imagines muſiuo opere expreſſas; in Baſilica Lateranenſi, & S. Mariæ maioris, & alibi. Profert præterea, oculatos teſtes ipſiuſmet veſtis S. Franciſci, qui pyramidale ei veſti fuiſſe Caputium teſtentur. Quæ narratio non eſt obnoxia cauillo, quo aliqui eum cucullum longiorem, referunt ad laxatam per Fratrem Eliam, ſuperſtite S. Franciſco diſciplinam, & immutatum præſcriptum à viro Sancto habitum; vt ex Mariano habet Vuadinghus anno 1208. num.6. Et præmiſerat num.5. viſum abs ſe Aſſiſij, in æde Clariſſarum, vnum & alium eſſe in monte Aluerniæ, ac etiam Florantiæ, ipſiuſmet S.Franciſci habitum, cuius caputium eſſet quadrata propè forma, tantiſper acuminatum. In qua etiam ſententia de vera forma Caputij Franciſcani, eſt Frater Arturus à Monaſterio, Author Martyrologij Franciſcani ad 5. Auguſti, tractans à §.10. de caputio pyramidali aſſumpto à B. Matthæo Baſcio. Fortaſſis non improbabiliter quis dixerit, S.Franciſcum, bardocucullum paſtoritium & ruſticanum, ad ſui contemptionem vſurpaſſe; cui eſſet Capitis tegmen acuminatum; eóque veſtis genere ab initio Conuerſionis aſſumpto, ſemper deinceps vſum eſſe: ſed interdum pro offerentium liberalitate, magis vel minùs acuminatum & oblongum caputium habuiſſe: vnde ea varietas extare potuit, quæ in antiquis picturis, ipſiſque etiam Sancti viri veſtimentis, ad hæc vſque tempora aſſeruatis, notatur. Sanè F. Bonauentura Columbi, in Apologia Seraphica cap.10. ex antiquis picturis, & veſtibus huc vſque aſſeruatis, contendit, verum S.Franciſci caputium, ex quo is Religionem ſuam fundauit, fuiſſe rotundum, quale nunc habent Conuentuales. Quod non videtur poſſe aliter extricari, quàm eo modo quem attigi.

Non videtur quoque poſſe aliter expediri, quod apud Cardinalem Vitriacum habetur in hiſtoria cap.32. Is in periluſtri elogio quod contexit Ordini Minorum, hæc de illis verba habet. [Non vtuntur pellibus, neque lineis; ſed tantummodo tunicis laneis cappuciatis, non cappis, vel palliis, vel cucullis.] Et poterat hic Author certa ſcribere, cum teſtetur ſe vidiſſe S.Franciſcum; cum Ordine iam conſtituto, Ægyptum peteret, Euangelij diſſeminandi gratia. Quomodò ergo de S. Franciſci cucullo litigatur, cum oculatus hic teſtis, neget, ſuo tempore Minores, atque adeò ipſum S.Franciſcum, habuiſſe cucullum? Senſus Vitriaci eſt, non habuiſſe Minores cucullum; per ſe, (vt ſic dicam,) cohærentem, & à veſte exemptilem, cuiuſmodi eſt cucullus Monaſticus in pleriſque cætibus, & in pleriſque familiis S.Franciſci. Habuiſſe tamen cucullum aſſutum togæ, quem vocat *caputium*. Id quippè apertè admittit Vitriacus, eo ipſo quod admittit, tunicas Minorum ſui temporis fuiſſe caputiatas. Contrarium latè contendit F. Bonauentura Columbi in Apologia Seraphica, contra aſſerentes S. Franciſcum fuiſſe aliquando Auguſtinianum, cap 9. affirmans, omnia quæ proferuntur pro cucullo aſſuto togæ, ſpectare ad primum ſtatum S.Franciſci cùm vixit more Eremitarum ſæcularium. Ex quo autem Ordinem ſuum inſtituit, habuiſſe caputium à toga ſeiunctum, quod probat ex verbis regulæ Seraphicæ, & ex nonnullis locis Chronicorum, ac ex antiquis ſtatuis. Verùm pleræque antiquæ ſtatuæ & picturæ, apertè exhibent S. Franciſcum, vel primos illos Minoritas, cum cucullis aſſutis, vt videre eſt in ea imagine S.Franciſci, quam Ioachimus Abbas ſpiritu prophetico confici curauit, ſeruatúrque Venetiis, in templo S.Marci. Idem cernitur Aſſiſij, in imagine F.Eliæ ad pedes Crucifixi. Et de

pleriſque

pleriſque ipſius S. Franciſci antiquis iconibus, idipſum admittit idem F. Columbi. Teſtimonium quoque prolatum ex Cardinale Vitriaco qui S. Franciſcum in Ægypto ſatis diù poſt conſtitutum Ordinem vidit, ſuffragatur cucullo conſuto: vt proinde S. Franciſcus, etiam iam Religioſus, videri poſſit in hoc fuiſſe varius: vel aliquos Minoritas quos eæ imagines exhibeant, vel qui eas ad ſuum ſenſum aut guſtum effici curauerint, iam ab initio à cæteris in hoc puncto diſcrepaſſe. Sicut negari non poteſt, deflexiſſe aliquanto poſt, à priſca forma habitus Minorum, & ipſius S. Franciſci; Minores illos quos Aluarus Pelagius, & ipſe Minorita ac Summi Pontificis Ioannis XXII. Pœnitentiarius lib. 2. de planctu Eccleſ. cap. 76. refert & expoſtulat, caputia habuiſſe vſque ad nates protenſa; & in ea viſos exiſtimatione eſſe, vt qui longiùs & diffuſiùs caputiatus eſſet, ſanctior & religioſior haberetur; perſuaſione ſanè vana & inſulſa. An verò omnes quoque Religioſæ propagines Ordinis S. Franciſci, quæ nunc in Chriſti vinea fœliciter ſoboleſcunt, deſciuerint à vera forma cuculli & habitus S. Franciſci, quod affirmat F. Arturus ſupra num. 17. pronuncient alij.

Satis de Religioſorum cucullo, & de Caputio quod reuolutum in cucullum aſſutum togæ, vel vnius cum ea texturæ. Nunc addendum eſt; Moniales quoque, iam olim, ob eaſdem cauſas quibus Religioſi, vſas eſſe cucullis. Ita enim habetur ex S. Athanaſio libro de Virginitate, & ex Palladio in Lauſiac. cap. 41. cum agit de Anonyma Virgine, quam S. Pitirum diuino monitu ſibi prælatam agnouit. Etiam inter Moſchos, Moniales cucullam induunt, vt ſcribit Sigiſmundus. Neque id abſolutè carpit S. Hieronymus Epiſtola 22. *ſub medium*, damnans in quibuſdam Sanctimonialibus fabricam cucullorum; idque annumerans iis quæ mox vocat argumenta Diaboli; ineptiis inquam variarum mulierculaturum ſpeciem pietatis habentium, virtutem autem eius abnegantium. Hieronymi verba ſunt, ad Euſtochium. [Sed ne hoc ipſum tibi iactantiam generet, quod ſæculi iactantiam contempſiſti: ne cogitatio tacita ſubrepat, vt quia in auratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordidis: & ſi quando in Conuentum fratrum veneris, vel ſororum, humilis ſedeas, ſcabello te cauſeris indignam: vocem ex induſtria, quaſi confectam ieiuniis, non tenues: & deficientis imitata greſſum, humeris ne innitatis alterius. Sunt quippè nonnullæ, exterminantes facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes: quæ ſtatim, vt aliquem viderint, ingemiſcunt, demittunt ſupercilium, & operta facie, vix vnum oculum liberant ad videndum. Veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidis manibus, pedibúſque, venter ſolus, quia videri non poteſt, æſtuat cibo. His quotidiè Pſalmus ille canitur; *Dominus diſſipabit oſſa hominum ſibi placentium.* Aliæ virili habitu, veſte mutata, erubeſcunt eſſe quod natæ ſunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies Eunuchinas. Sunt quæ ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactatis, vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.] Eo quo loco habere videatur S. Hieronymus Sanctimonialium cucullos; vt illis vtentes, inngat illis aliis adeò turpiter impingentibus. Sed dicendum eſt, S. Hieronymum ibi, carpere duntaxat oſtentationem fictæ Sanctimoniæ, & hypocriſim, ex qua nonnullæ Sanctimoniales, vel certè Agapetæ, eo tempore non ex communi cœnobij lege, ſed ex priuato ſtudio vanitatis & ſingularitatis, aſſumebant cucullos. Qua ratione alia nonnulla, cùm in viris, tum in fœminis, reprehendit ibi S. Hieronymus, quæ piè obiri poſſe, non eſt dubium, vt nudipedem in patientia frigoris eſſe, hircinam barbam atque promiſſam præferre, & nigro amiciri pallio; catenis ad carnis macerationem aſſumptis grauari, crinem amputare virgines ſacras, & nonnulla alia. Hæc tametſi per ſe pura & ſancta, idcirco tamen à S. Hieronymo ſugillantur, quia ex vanitate fiebant, atque adeò fauillacea Pentapoleos poma referebant, quæ oculis tenus poma, cineraſcebant contacta, Tertulliano teſte cap. 40. Apolog. Ceteroqui pleraque ex eis, purè & religioſè obita, alibi effusè celebrantur ab ipſomet S. Hieronymo.

SECTIO XVI.

De Galero Pontificia benedictione initiato.

HIc, nudum ſectionis numerum conſignaſſe contentus, tranſilio. Nam de huiuſmodi ſacro galero quæ hîc breuiùs aliàs acpreſſiùs dixeram, ſeponere viſum eſt, eo quod iuſta tractatione poſtea ſim executus illuſtratione ſacri illius titus, eo opere cui titulus eſt, *Splendorum naſcentis Chriſti, emblematica inſignia; Galerus Sole ac columba intextus, cum appoſito gladio, Pontificia benedictione conſecratus, in nocte Natalis Domini.* Ne ergo in Tractatione de Sacris tegminibus Capitis, hunc galerum prætermiſiſſe videremur, retinere nudum numerum capitum placuit, Tractatione in illud alterum opus dimiſſa.

SECTIO XVII.

De Sudario Capita Mortuorum operiente.

PErcurrimus tegmina Capitis quorumcunque mortalium ſuperſtitum. Nunc priuſquàm excedamus, attingenda ſunt tegmina capitis mortuorum. Eſt enim eorum mentio Ioan. 11. & 20. Cum enim narratur reſurrectio Lazari è ſepulchro prodeuntis, dicitur fuiſſe ligatus manus & pedes inſtitis, & faciem eius ſudario fuiſſe ligatam. Item cum narratur Apoſtolorum aduentus ad monumentum Chriſti, nominatim annotatur, ſudarium quod fuerat ſuper tumulati Caput, repertum eſſe non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. Quo vtroque loco, linteum operimentum Capitis hominis demortui, appellatur *Sudarium.* Itaque fruſtra Sopranis

tractatu

tractatu de re veſtiaria Iudæorum diſp.2. cap.1. §.3. expoſtulat, Sudarium, Capitis tegminibus eſſe annumeratum à Sanctio in cap.19. Actor. num.5. Id enim ille de mortuorum Capitibus, verè pronunciauit.

Non aſſero omne Sudarium, fuiſſe ad vſum mortuorum. Cum enim vox ipſa *Sudarij*, vſum eius ad tergendum ſudorem aliosque ſuperfluos humores naribus, oculis, ore effluentes præferat, nec is vſus in Defunctis habeat locum; liquet, vocem *Sudarij* latiùs patere, quàm vt ad mortuos reſtringi poſſit. Sicque videmus Actor.19. memorari Pauli viuentis ſudaria ab eius corpore delata, quibus mira edebantur. Et ideirco S. Proclus orat.19. (quæ eſt Pauli encomium, ait Pauli Epiſtolas fuiſſe *ſalutis rete*; linguam, *Crucifixi tubam*; plagas, *vniuerſi orbis medelam*; Sudaria, *falces morborum*. Nec diſſimiliter S. Nilus in Aſcetico, præfert Regum diadematis hæc ſudaria, quod diademata nunquam expulerint mortem, ſicut fecerunt ſudaria Apoſtolorum. Præterea Lucæ 19. Seruus piger & iners, refert Domino ſuo mnam, quam ait ſe habuiſſe in Sudario repoſitam. Suetonius in Nerone, ait eum plerumque, ligato circa collum Sudario prodiiſſe. Iuxta Nonnum in paraphraſi Capitis vndecimi ac vigeſimi Ioannis, vox *Sudarij*, eſt Syrorum popularis ad ſignificandum cingulum Capitis, ζωςῆρα κεφαλῆς. Et à Theophylacto Actor.19. inde ſecernitur ſudarium à Semicinctio, quod ſudarium Capiti imponatur; Semicinctium verò manu teneatur ab iis qui *oraria* geſtare non poſſunt: ſicut ſunt qui Conſulares geſtant ſtolas, ſiue *Gabia*. Vbi vox Græca ὠράρια ſonat ſudarium à ſemicinctio diſtinctum. Et ſemicinctium tamen & ſudarium, Suidas φακιόλιον eſſe dicit. Italicè *facciolетta*. Veriſimilius tamen eſt, ſemicinctium idipſum fuiſſe quod Plautus *cincticulum* ſeu *cinctutum* appellat, vulgò *gremiale* aut *ventrale*, vel *Epigonatium*; cuius ad faſciæ modum præcincti, & per limbum manu prehenſi, atque ſurſum abſque ſolutione elati, vſus operarijs plerunque ſit, ad humores detergendos. Diligenter de his Grammaticis minutalibus Lorinus, & alij Interpretes Actor.19. verſ.12. & Vincentius Ricardus ad orat.19. S. Procli, ac Iacobus Chiffletius de Linteis Chriſti ſepulchralibus c.5. obſeruans Catullum *Setaba Sudaria* celebraſſe, à Setabi oppido Hiſpaniæ; cui olim in Europa, lini palma dabatur. In Sacris *manipulum* pro *Sudario* accipi multorum teſtimoniis firmat Steph. Durantus l.2. de ritib. cap.9. n.16.

Non pertinent porrò ad præſens inſtitutum, pleraque ſacra Sudaria quæ memorantur in hac ſignificatione; pro linteolo nimirum faciei extergendæ accommodato; *Strophiolum* paſſim appellant. Arnobius lib.2. à muci deterſione vocat *mucinium*; vnde Gallica vox *mouchoir*; ſicut Italica *Fazzoleto*, à faciei deterſione. Einſmodi eſt Sudarium Edeſſenum, quod Abagaro Toparchæ à Chriſto ipſo ſubmiſſum, impreſſa ſuæ faciei effigie, produnt Damaſcenus 4. fid. cap.17. & Euagrius l.4. c.27. Eſtque etiam eiuſdem Sudarij mentio in ſecunda Nicæna Synodo actione 5. Plura de eo inter tractandum anomalias ſacrarum imaginum, cùm de imaginibus non manufactis. Affine eſt, Sudarium Veronicæ Romæ, in

Theophili Raynaudi Philologica.

ſancti Petri Eccleſia aſſeruatum. Piam hanc Matronam, Chriſto in Caluariam tendenti, & vndecunque ſudore diffluenti, lineum Capitis ſui peplum, ad extergendam faciem porrexiſſe, & in eo imaginem faciei Dominicæ fuiſſe exquiſitè expreſſam, ſcribit Adricomius in deſcriptione vrbis Ieruſalem num. 44. & omninò multi quos notauit Malonius ad cap.1. Palæoti de S. Sindone num.12. Scripſit tamen S. Birgitta lib.4 cap.81. ex Chriſti ipſius reuelatione, hunc ſudorem exiſſe de Chriſti facie, *propter qualitatem rogantis Chriſtum, ad conſolationem futurorum*: quaſi Veronica, ad ſolamen poſterorum, ſudarium porrexerit ea mente, vt Chriſtus effigiem ſuam imprimeret illi linteo, etiamſi non egeret exterſione, neque ſudor extergendus ex digna eius facie efflueret. Quod ægrè admittendum video, etiamſi ex abundanti, ea poſterorum conſolatio, propoſita Chriſto videri poſſit.

Negabam hæc ſudaria ad præſens negotium ſpectare: tum quia non fuere mortuorum, tum quia non fuere tegmina Capitis ſimpliciter dicti, ſed duntaxat faciei, quam operiebant, admota ad extergendum ſudorem vel lauationem adhibitam. Et idem dico de Sudario quo obtectum Neronem prodiiſſe Roma, quatuor duntaxat comitantibus, ſcribit Suetonius, quod nuperus Scriptor de ſudario mortuali accipit: quaſi Nero habens ſe pro conclamato, tegmen mortuarium aſſumpſerit. Qua ratione dicendum eſſet, eum reliquam quoque veſtium quibus defunctorum corpora amiciebantur, varietatem aſſumpſiſſe, quod liquet eſſe commentitium. Prodiit ergo cum ſudario, non vt mortuus, ſed vt lateret, & fuga non præpediretur. Atque ita illud ſudarium, eſt extraneum ab hac diſputatione. Idem dico de Sudario, quo dato S. Saluius incendium Ambianenſe reſtinxit. Iacebat in lecto vir ſanctus febribus æſtuans, & iniectis per Satanam flammis vrbs penè tota conflagrabat. Accurrentibus autem ciuibus & aduersùs tantam calamitatem præſidium expoſcentibus, tribuit vir ſanctus ſudarium ſuum, iubens ignibus obijci: ad cuius obiectum, illico flamma reſedit. Neque de hoc ſudario, (quippè minimè mortuali) agimus.

Nobis hic, vox *Sudarij*, vſurpatur prout in re funebri habuit locum, vt notatum eſt ex Ioannis 11. ac 20. Ex eo autem c. 20. manifeſtum eſt, Sudarium, à ſindone corpus totum contegente aut obuoluente, eſſe ſecernendum. Nam ſeorſim Linteamina exhibita ſunt, & ſeorſim Sudarium quod fuerat ſuper Caput. Mira de iſto refert Beda lib. de locis Sanctis cap.5. ex relatione Arnulfi Epiſcopi. Inuentum enim ætate Bedæ, & iuſſu Regis Saracenorum igne probatum, manſit illæſum; & eum cui hæreditate obtigerat, ditauit affatim. E contrario autem qui eius poſſeſſionem præ aliis bonis neglexerit, ad extremam eſt redactus inopiam. Hoc Sudarium, quod ſuper Chriſti in ſepolchro iacentis Caput eſt poſitum, M. Attilius Serranus in Syllabo reliquiarum quem adiunxit tractatui de 7. vrbis Eccleſiis, ait aſſeruari in Baſilica Lateranenſi. Verùm cum Beda loco allegato, addat, hoc Sudarium habuiſſe longitudinis pedes octo, veriſimile admodùm eſt viſum, non-

nullis hoc Capitis Chriſti inuolucrum illud ipſum eſſe, quod Veſuntione apud Sequanos magna cum veneratione aſſeruatur. Eſt enim eius longitudo octo pedum. Taurinenſe autem, Sudarium (quod Alfonſus Palæotus cap. 1. de Sacra Sindone vult eſſe hoc Sudarium Capitis Chriſti in ſepulchro iacentis,) eſt longum pedes duodecim. Ac proinde Sudarium Taurinenſe, aliud eſt à Sudario quod fuerat ſuper Caput Domini; cuius longitudo à Beda ſignata, quadrat exquiſitè in Sudarium Veſontionenſe, vt Chiffletius ſupra cap. 8. pleniùs confirmat: ſumens tamen Sudarium Capitis, pro linteo alteram tantùm cadaueris partem à Capite ad pedes vſque contegente, & ſuperinductu toti antiquo corpori, ſed tæniis ad collum religato. Quod autem inſtitis ſupra hoc Sudariũ circumuolutis à collo ad imas vſque calces, ſola huius Sudarij pars faciem operiens & Caput obtegens extaret, dici potuit Sudarium obuoluens Caput, & Sudarium faciei reſupinæ iacentis Chriſti. Circa quem tamen nihil in hac re factum eſt ſingulare, cum Ioannes cap. 19. diſertè notarit, Sanctos pollinctores accepiſſe Corpus Chriſti è Cruce depoſitum, & ligaſſe illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Itaquè communi more quo in cæteris apud Iudæos, inuolutum eſt ſanctum Chriſti corpus demortuum, quamuis in ſindonis munditia, & Sudarij pretioſitate, potuerit eſſe differentia, ſicut erat magna differentia in quantitate & pretio aromatum, pro varietate perſonarum, condiendis corporibus adhibitorum.

Hoc Sudarium faciem ligans & ſuper demortui Caput poſitum, non eſt cogitandum eiuſdem fuiſſe formæ cuius velum illud breue, quod ex more morientium (vt loquitur S. Gregorius homil. 37. in Euang.) S. Caſſius Narnienſis dedit aſſiſtentibus, vt ſibi contra faciem tenderetur. Quali etiam velo, Monachus Engoliſmenſis deſcribens funus Caroli Magni, ait faciem eius opertam fuiſſe ſub Diademate. Et Græci vt eſt in Euchologio, Sacerdotis mortui faciem, velant breuiori illo velamine quo panem & vinum, ad futurum ſacrificium contegi ex vſu erat. Erit qui eodem referat, operimentum madefactum expaſſum ab Hazaële ſuper faciem Benadad Regis Syriæ, de quo 4. Reg. 8. v. 15. Quanquam id operimentum, & vt vulgatus vertit *ſtragulum*, & villoſum pannum, ſuperſtiti iniectum eſt, non demortuo. Quod autem faciei mortuorum ſuperiiciebatur, panniculus erat ad faciem duntaxat operiendam, ne vel terro obiectu, vel inconditu motu, ſpectantes offenderet, ad quod ſat erat æquans faciem latitudo. At Sudarium obuoluens Defunctorum Capita, erat multo amplius atque prolixius, vſque affine oblongis linteis quibus pœnitentium ſodalium, cum apud nos linteati incedunt, operiri Capita vndecunque, & ad pectus vſque protendi, ex vſu eſt: niſi quod in iſtis, Sudarium huiuſcemodi ſacco lineo reliquum corpus operienti aſſuitur, quod in Hebraïco mortuorum Sudario non habebat locum; vnde Sudarium quod Chriſti demortui ſacrum Caput obuoluerat, à reliquis linteaminibus ſeparatim inuolutum, ab Apoſtolis eſt repertum. Et de huiuſmodi Sudario accipiendum eſſet, (ſi veritate niteretur,) quod Gregorius Papa apud Bedam in Opere retractationum in Acta Apoſtolorum, ad c. 19. interrogatus à quodam Britanno, quid eſſet ſemincinctium; dixit, fuiſſe Sudarium genus tegminis quo Caput ab Hebræis operiebatur, quod reſtringendum eſt ad Capita mortuorum. Nam viuorum Capitibus, tegmen illud non adhibebatur. Fuit Gregorius ille tunc Archidiaconus; poſtea ſuperſtite Beda, Romanus Pontifex, Gregorius II. potius quam Gregorius III. ad cuius initium pertigiſſe Bedam centenario maiorem, exiſtimat Card. Baronius anno 732. Dixi ergo, reſponſum Gregorij poſtea Papæ, circa ſemicinctij notionem à Sudario non diſcrepantem, ſi placeat eam admittere, accipiendam eſſe Sudario, quale propoſui: quamuis reuera non putem admittendam talem ſemicinctij notionem, cum ſemicinctium eſſet viuentium operimentum, nec cingeret vndecunque Caput, vt ipſe vocis cortex præfert: Sudarium autem Capiti tegendo in mortuis addictum, obuolueret illud omni ex parte.

SECTIO XVIII.

De Tegmine Capitis Sanctorum, cælo illatorum.

NOn agitur de operimento quo Sancti in cælo Capita contegent. Nam in cælo beatos, neque Sol per diem vret, neque luna per noctem. Itaque non egebunt vmbella, aut tutela Capitis. Quinimo ſub pennis illucentis ſibi Solis iuſtitiæ, erit ſanitas, vt Malachias affirmauit. Multo ſanè liquidiùs eſſe debet, quod Sancti ſint futuri in cælis nudo Capite, cum cætero corpore futuri ſint nudi, vt rectè ſtatuit Leſſius lib. 3. de ſummo bono num. 63. & Antonius Ludouicus l. de pudore *ſub finem*. Nam ſi Adam & Eua, in ſtatu innocentiæ nudi erant, & non erubeſcant, quanto magis non erubeſcent beati in ſtatu gloriæ, etiamſi inueſtes planè ſint, ac nudi prorſus? In ipſis Angelis quos corpora ſpecie exhibemus, Scripturæ & Patres, analogiam aliquam veſtimentorum noſtratium agnoſcunt, & vt illis appingantur permittunt: videmus tamen, ſemper pingi ac deſcribi intectos Capite, nec vel S. Dionyſium, vel Tractatores Symbolicæ Theologiæ, inter alia corporea Symbola quæ Angelis appingunt, recenſuere vnquam pileos, aut galeros, vel ſimile quodpiam Capitis tegmen. Itaque non eſt (vt dixi,) hoc loco quæſtio de cæleſti tegmine Capitis Sanctorum. Nec eſt item quæſtio, de tegmine Capitis, quod Sancti dum hic ſupereſſent, adhibuerunt. Vſi enim ſunt integumentis Capitis, receptis in oris quas incolebant. Et ſi alicubi non erat vſus tegendi Capita, nudis erant Capitibus, quod de Chriſto Domino pro more Iudæorum inter quos viuebat, receptum paſſim videtur.

Quod ergo hic exponendum ſuſcepimus, ſpectat ad tegmina, quæ paſſim videmus apponi Capitibus Sanctorũ in picturis ac ſtatuis. Paſſim quippè exhibentur Capitibus vmbella radiantа

operti

opertis, & veluti ſcuto fulgente contectis. Eſſéque hoc tegmen Sanctis peculiare, vſus docet. Nam quod Alemanius in diſſertatione de Lateranenſibus parietinis cap. 9. negat eam eſſe ſanctitatis notam, difficilè ſuadetur. Et quod vnum opponit, de imaginibus Conſtantini & Salomonis; quorum neuter eſt probatæ in Romana Eccleſia ſanctitatis facilè enodatur. Nam Conſtantinum Græci paſſim, & Latinorum plerique, habent pro Sancto. Salomonem quoque, S. Ambroſius diſertè *Sanctum* nominat, cui omnino multi, eius pœnitentiam habentes ratam, ſunt adſtipulati. Itaque ex ea ſententia, potuit orbiculatum diadema, appingi Romæ Conſtantino, iis locis quos notauit Author Operis de Sanctitate Illyriacena; cum de Conſtantini rebus diſſerit. Ex eodem ſenſu, Romæ in Sacello S. Syluestri, ad ædem SS. quatuor Coronatorum, potuit Salomon eo orbiculato diademate inſignis exhiberi, tanquam Sanctus, in eorum qui ſic exhibebant ſententia.

De hoc ergo Capitis Sanctorum tectorio, Ioſephus Scaliger in Catalecta Virgilij *pag. mihi* 475. approbante Henrico Salmuthio in Notis ad Pancitoli vetera deperdita cap. *de fibula*, exiſtimauit, aliud non eſſe, quàm *μηνίσκον*, ſiue vmbellam lunatam, Capitibus ſtatuarum impoſitam apud Ethnicos, ne auium ſtercoribus inquinarentur. Quod damnum ſibi ab albis coruorum ſtercoribus, imprecabatur Horatianus Priapus. Adducit in eam rem Scaliger, locum Ariſtophanis *in Auibus*, vbi Scholiaſtes, ita expreſſit hanc vocem; tametſi quod notauit Henricus Stephanus in Theſauro V. *μηνίσκος*, apud Ariſtotelem, Polybium, Heſychium, & alios, vox illa non ſonet quod ex Ariſtophane præmiſimus. Hunc vſum breui vmbella contegendi ſtatuarum Capita; à ſtatuis extantibus, ad imagines, pictorum errore, & Catholicorum (ſcilicet,) ruditate, tranſiſſe, pronunciant prædicti Sectarij, ſugillantes Eccleſiam, quæ tanquam honoris cauſa, approbet vel ſinat apponi ſuper Sanctorum Capita, quod à Gentilibus inductum primò eſt, ad auertendam idolorum ſuorum inquinationem, per auium ſtercora. Annuit Fauinus l. 3. theatri pag 564.

Negari non poteſt, quin aliquando Patres, Ethnicis exprobrauerint eam ſimulachrorum fœdationem per auium ſtercora. Lactantius 2. inſtit. cap. 4. aues, quas Ethnici terrore falcis, alteriuſve Priapo adiuncti abigi exiſtimarent, ſimulachro illi fabrefacto, ac cæteris inſidere, & ibi nidificare, ſordéſque egerere, ſubſannans dixit. Arnobius item lib. 6. [Non videtis ſub iſtorum ſimulachrorum caſis, ſtelliones, ſorices, mures, blattáſque lucifugas, nidamenta ponere, atque habitare? Sparcitias hoc omnes, atque alia vſibus accommodata conducere, ſemiroſi duritias panis, oſſa in ſpem tracta, pannos, lanuginem, chartulas, nidulorum in mollitie ſollicitè miſerorum fomenta pullorum? Non in ore aliquando ſimulachri ab araneis orditi retia, atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint, impudentiúmque muſcarum? Non hirundines denique intra ipſos ædium circumuolantes tholos iaculariter ſtercoris plenas, & modò ipſos vultus, modò numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos; aliáſque omnes partes in quaſcunque ſe detulerit deonerati proluuies podicis? Erubeſcite ergo vel ſerò, atque ab animantibus mutis, vias rationis accipite, docéantque vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulachris, in quæ, obſcœna ducere neque metuunt, neque vitant; leges ſuas ſequentia & diſtincta veritate naturæ.] Eò igitur ſpectaſſe vult Scaliger, operculum illud Capitum ſtatuis appoſitum, vt arceretur inquinatio ab auibus: & inde manaſſe ad Chriſtianos abuſionem ſimilis tegminis, Capitibus Sanctorum, non expreſſis tantùm, ſed etiam pictis apponendis.

Hoc ſtercoreum ſpurciloquium, procul amandandum eſt. Neque enim vel Ethnici tegmen ſtatuis impoſuere ad abigenda ab auibus conſpurcamenta; vel vllus Catholicorum cogitauit vnquam, de hac Capitis Sanctorum tutela ad arcendas ſordes ab auibus prætervolantibus, aut inſidentibus. De Ethnicis res eſt perſpicua, quia ſi id intendiſſent; oportuiſſet eos non ſummo duntaxat vertici tegmen adhibere arcens auicularum fœculentias, ſed etiam toti faciei, ac reliquo corpori inducere, aliquid aptum tegendo ſimulachro, quod vndecumque conſpurcari contingebat, vt modò ex Arnobio audiuimus. Deinde vt notauit S. Iſidorus lib. 19. Orig. c. 31. Ethnici, circellum illum dixere *nimbum*. Id quod etiam habet Seruius ad illud tertij Æneidos,

Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Idem habet ad librum 2. eiuſdem operis, vbi de Pallade Tritonia, quæ ſummas arces iam inſederat nimbo effulgens, & Gorgone ſæua. Spectabant ergo in eo circello adhibendo Ethnici, expreſſionem nimbi effulgentis, vt æthereum & cœleſte quippiam inſinuarent; non autem vt ſpurcitias à ſimulachris prohiberent. Quomodò verò vmbella ſuperponi potuit aut debuit; ad auertendas ſordes à Capite ſtatuæ, in illo Idolo quod S. Auguſtinus tract. 7. in Euang. Ioannis, ait fuiſſe pileatum? Idolum quippè fuiſſe conſtat, quia habebat Sacerdotem; & ita rectè agnoſcunt ad eum locum Louanienſes: qui quod *paleatum* putant legendum, id eſt paleis contectum, vel paleis opertum, non conſonat cum vetuſtis Codicibus: vt nec lectio ingeſta ab aliquibus, qui volunt legi, *palatum* id eſt *cælum*, ea vſu quorundam Latinorum de quo D. Auguſtinus 7. Ciuitat. cap. 8. ita vt ſenſus ſit, Sacerdotem *Palati*, id eſt Dei cœleſtis Aſtrorum, ſeducere ſimplices; fingendo, benè Deo ſuo cum Chriſto conuenire. Qua ratione, idolum de quo D. Auguſtinus agebat, non fuiſſet pileatum. Sed vt dixi, ea lectio diſſonat omnibus antiquis Códicibus, qui conſtanter legunt *pileatus*, vel per librarij errorem *pilleatus*. Capiti itaque Idoli pileati, non timebatur conſpurcatio per aues; ac proinde non eguiſſet ad eum finem vmbella Scaligeri, ſed aliquis alius erat vſus operculi ſtatuis Numinum apud Ethnicos appoſiti. Liquida verò præſertim eſt inanitas Scaligeriani commenti, in imaginibus non extantibus, ſine

eminentibus, cuiuſmodi ſunt imagines pictæ, quibus ridiculè apponeretur huiuſmodi aliquod Capitis tegmen. Accedit quod in templis ritè obſeratis, non plus timendum fuiſſet Capitibus idolorum, à ſtercoribus auium, quàm nunc timeamus operculis Capitis noſtrarum ſtatuarum Sacrarum; quæ opercula, quis vnquam queſtus eſt conſpurcari ab auibus?

Quod ergo notauit Lazius lib. 9. commentar. Reipub. Rom. cap. 19. apponebant Ethnici ſtatuarum Capitibus circulum, ſpecie dimidiæ ſphæræ tanquam coronam. Sic enim in hanc rem philoſophatur, deſcribens varias formas ſtatuarum. [Cum ahenea Sphæra ſtatuæ; vt hodie ſimulachra Sanctorum exprimuntur; ſupra quorum Capita circulus ſemiſphæram referens nectebatur, quod & ipſum erat coronationis ſtatuarum genus, à Chriſtianis poſtmodùm receptum, & ſimulachris quæ Martyribus & Sanctis Dei, ob merita in religionem ponebantur, impaſitum. Meminit Marcellinus l. 17. de obeliſco è Thebis Romam perlato à Conſtantino, ſic locutus [Per arduum inane protentus, diúque penſilis, hominibus millibus multis tanquam molendarias rotantibus metas, cauea locatur in media; eique Sphæra ſuperponitur ahenea, aureis laminis nitens; qua confeſtim vt ignis Diuini contacta, ideóque ſublata facis imitamentum in figura æreum itidem in auro imbracteatum, veluti abundanti flamma candentis.] Idem lib. 25. *ſub finem.* [Antiochiam venimus, vbi per continuos dies veluti offenſo Numine, multa viſebantur & dira, quorum euentus fore luctificus, gnari rerum prodigialium præcinebant. Nam & Maximiani ſtatua Cæſaris locata in veſtibulo Regiæ, amiſit repente ſphæram æneam, formatam in ſpeciem Solis, quam geſtabat.] Ad huiuſmodi coronas, ſiue Solares quibus maiores noſtri Sanctus Dei expreſſerunt, alludit etiam Velleius Paterculus, his verbis de Octauio Cæſare ſcribens. [Cui aduentanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia. Et cùm intraret vrbem, Solis orbiſque ſuper Caput eius curuatus æqualiter circundatúſque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri Capiti imponens, conſpectus eſt.] Et ſic patet cauſa, concludit Lazius, quamobrem in hodiernum diem Sanctorum imagines cum tali ſemicirculo & pinguntur & ſculpuntur. Prædictum ergo morem Ethnicorum, piè æmulatam eſſe Eccleſiam, Sanctorum Capitibus radios aut coronas ſuperponentem, cenſet Lazius. Neque enim refugit Eccleſia, ſicubi deprehendit inter ſordes Ethniciſmi, aliquid honeſtum & vtile, exprimere illud imitatione, vel potius ab iniquis poſſeſſoribus repetere ea quibus illi abutebantur; & in vſum pium conuertere; quod multis exemplis illuſtrat Baronius ad annum Chriſti 44. *ſub finem*, & Martinus à Roa lib. de die Natali, cap. 1.

Teguntur itaque Sanctorum Capite tectorio referente coronam gloriæ qua potiuntur. Si enim reducibus è nauigatione, imponebatur *corona ſalutis*, de qua Paſchalius lib. 2. de coro. cap. 9. *ſub finem*; quanto iuſtiùs coronantur Sancti, tot perfuncti periculis in huius vitæ mari? Planè hæc eſt *corona felicitatis*, de qua idem lib. 7. cap. 7. & *corona gloriæ* ac *diadema ſpeciei* apud Iſaïam: necnon Corona Cruci olim circumpingi ſolita, ex S Paulino epiſt. 12. ad quem locum multa & benè Roſuedius. Significabat autem ea Crucem cingens corona, poſteriores glorias ad quas per Crucem pertingitur. Et quia vmbella Capitis Sanctorum, cœleſtem Coronam ſignificat, idcirco ea Corona paſſim appingitur radiata, vt inſinuetur gloriæ ſplendor quo Sancti potiuntur ex Dei viſione, & peruentione ad optatam requiem, poſt labores. Sicut enim pleriſque Sanctorum, iam ex hac vita, dum in tantis tenebris reptarent, facies radiauit, perſpicuo argumento ſplendoris interni, vt variis exemplis declarat Boſius lib. 15. de ſignis cap. 5. éſtque manifeſtum de Moyſe, cuius facies cornuta, id eſt radians viſa eſt, ex conſortio & familiaritate cum Deo: Ita iiſdem Sanctis in plena iam luce conſtitutis, meritò appingitur ea gloriæ emphaſis, quæ Capitibus coronatis & radiatis continetur. Et verò fuiſſe Deitatis teſſeram quandam, radiare tempora, & coronam habere radiatam, de Ethnicorum etiam ſententia, tradit Dauſquieius ad l. 3. Silij Italici ad illum verſum;

Sydereo iuxta radiabant tempora nati.

Vbi obſeruat, Domitianum affectatorem Deitatis, Capite radiato, quod Deorum inſigne erat, pingi ac effingi amaſſe, vt ex antiquis nummis docet. Eiuſdem vanitatis, Perſarum Reges inſimulat Petrus Chryſologus ſerm. 20. tractans dictum Apoſtoli Rom. 12. *Nolite conſigurari huic ſaculo.* Ait enim, vetari præter cætera ab Apoſtolo, [ne ſimus vt Perſarum Reges, qui ſubiecta nunc pedibus ſuis ſphæra, vt palam ſe calcare per vices mentiantur, nunc radiato Capite ne ſint homines, Solis reſident in figura; nunc impoſitis ſibi cornibus, quaſi viros ſe eſſe doleant, effœminantur in Lunam; nunc varias velut Syderum ſumunt formas, vt hominis perdant figuram; & nihil ſupernæ claritatis acquirant.] Vallaris item corona, erat radiata, vt ex Liuio lib. 10. & 30 habetur. Quare corona radiata perbellè quadrat in Sanctos, vallum mortalitatis, magno impetu ac violentia tranſgreſſos.

Cæterùm minùs aptè Troilus Maluetius lib. de SS. Canonizatione dub. 1. numer. 19. & 20. diſtinguit inter *radios* & *coronam*: ſiue (vt vocat) *diadema*: affirmans, radios appingi beatis, iis ſcilicet quorum æterna felicitas nondum eſt Eccleſiaſtica vindicatione planè comperta: Coronam verò tribui Sanctis, id eſt iis qui donati ſunt canoniſmo. Quam minùs congruam beatorum & Sanctorum diſtinctionam, nullo vſu probatam, cumulat idem Author Grammaticali ineptitudine, qua eam Sanctorum Coronam, *diadema* dici ſupponens, addit, nomen eſſe ductum à *dia*, quod eſt *duo*, & *dema*: quia caret perfecta rotunditate, ob dimidietatem circuli ademptam. Has notationis inſulſæ gerras, Grammaticis conuertendas & euentilandas permitto.

Maluere alij, vmbellam Capitibus Sanctorum ſuperpoſitam, interpretari ſcutum, ſeu clypeum. Quo pertinere poteſt, quod Paulinus deſcribens extrema S. Ambroſij tempora, cum dictante S. Antiſtite, Paulinus ipſe exciperet,

vltimam

vltimam, ideóque incompletam lucubrationem eius in pſalmum 43. [Subitò in modum ſcuti breuis, ignis Caput eius cooperuit; atque paulatim per os ipſius, tanquam in domum habitator ingreſſus eſt, & facta eſt facies eius velut nix: poſteà verò reuerſus eſt vultus ad ſpeciem ſuam.] Symbola hæc erant Sanctimoniæ Beati Ambroſij & afflatus Spiritus Sancti. Dimiſſis verò cæteris, inſiſtamus ſcuto, quod Capiti hominis Dei, viſum eſt incubare. Neque abs re, Sanctorum Capitibus impoſitus clypeus dicitur; [quia Sancti Dei, protectione Diuina fruuntur: vnde cantant gratulabundi, *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.*] Verba ſunt Guilielmi Durandi de hac Sanctorum vmbella diſſerentis, lib. 1. ration. cap. 3. num 20. Idémque habet Sanctus Thomas; niſi quod ſcutum denique reducit ad coronam, diſtinguítque de ſcuto. Tractans enim illud Pſalmi quinti, *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*, cum præmiſiſſet, bonam Dei voluntatem eſſe velut ſcutum contra omnia mala, addit: [Vel eſt hîc, vt ſcutum protegens, in patria verò vt ſcutum coronans. Conſuetudo namque fuit Romanis antiquitus, vti ſcutis rotundis; & in illis habebant ſpem victoriæ; & quando triumphabant, illomet ſcuto vtebantur vt corona. Et inde Sancti pinguntur cum ſcuto rotundo in capite, quia de hoſtibus adepti triumphum, ſcutum rotundum, ad inſtar Romanorum, gerunt in Capite pro corona. Dicit ergo; *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*; quaſi dicat, pro ſcuto coronationis noſtræ, habemus bonam voluntatem tuam, quæ nos hic defendit & ibi coronat.] Subſcribit ad eundem Pſalmi 5. verſiculum Ayguanus, & Molanus lib. 4 de imag cap. 26.

Scriptor per omnis eruditus, Laurentius Pignorius in tabulæ Iſiacæ expoſitione, (*pag. mihi* 23.) hodiernum diadematis nomen, penes ſolum Deum & Sanctos locum habere demonſtrans; quorſum beatis cœleſtibus appingatur, rationem reddit, ex vſu antiquo orbem Capiti circumſcribendi, venerationis ac maieſtatis indicem. Obſeruaſſe namque ſe ait, Imperatoribus quos ſupra mortalitatem elatos ſtatuebant, Prouinciis item ac vrbibus primariis, & Deorum animalibus circumpoſitum huiuſmodi orbem. Domitiani radiatum Caput, Plinius in Trajani Panegyrico ſubſannat. Erat autem id Statij pro Domitiano votum. Sic enim accipit Bernartius illud ex 1. Thebaïdos.

Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum,
Imprimas.

Adulatur enim Papinius Domitiano, cui ex inſano veterum vſu, Principum ſtatuis apponendi quæ ſunt ſigna Deorum propria, arcum radiantem, id eſt coronam radiantem, apprecatur, qualis Auguſto appoſita eſt, vt nummi pleríque docent. Suetonius item in Auguſto his verbis ſuffragatur. [Sequenti nocte, ſtatim videre viſus eſt filium, mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine ac ſceptro, exuuiiſque Iouis Opt. Maximi, ac radiata corona.] Antonini & Conſtantinij numiſmata quæ exhibet Pignorius, tali circulo circundata Capita præferunt. Iuſtiniani & Theodoræ Auguſtæ imagines, Rauennæ in æde S. Vitalis, hodiéque muſiuo opere reſiduæ, eodem circulo ambiuntur Capita. In notitia vtriuſque Imperij, & in tabula itineraria per M. Velſerum edita, viſuntur Prouinciarum & vrbium imagines, ſic diadematæ. Eadémque ſpecie exhibetur pano, quem Æternitas manu geſtat, in antiquo nummo Fauſtinæ Auguſtæ. Ægyptij eum orbem ſummo Capiti ſimulachrorum ſuorum circundabant: Ab illis id mutuatos Romanos & habita decoris ratione variaſſe, quod Capiti cui Diuinum quid ineſſe putabant, eo ſitu corona appareret, coniectat Pignorius; addens eum ornatum inſequentium Principum moderatione, tacitóque omnium conſenſu; Deo & ſanctis eius in totum ceſſiſſe, retento antiquo *diadematis* nomine. Abſunt iſta, à ſtercoreis Scaligeri Sectarij, de Sanctorum vmbella cogitationibus, quàm longiſſimè.

INDEX AVTORVM,

Qui in hoc opere laudantur vel emendantur.

Petrus ABelardus
Abbas *Panormitanus.*
Acron
Adricomius
Ælianus
Hieronymus Albanus
Alcuinus
Nicolaus Alemannus
Alexander *Neapolitan.*
Alexander PP. III.
Leo Allatius
Petrus de Alliaco
Sanctus Ambroſius
Ammianus *Marcellin.*
Anaſtaſius *Bibliothecar.*
Ancharanus
Annellus *Perſic.*
Sanctus Antoninus
Appianus
Apuleius
Ariſtophanes
Arnobius
Arrianus
Artemidorus
Arturus à *Monaſterio.*
Sanctus Aſterius
Sanctus Athanaſius
Athenæus
Sanctus Auguſtinus
Rufus Auienus
Auſonius
Ayguanus
Azor
Ioannes BAgotius
Lazarus Baiffius
Baldus
Balſamon
Barbatius
Barboſa
Cæſar Baronius *Cardinalis.*
Renatus Barrenſis
Ioannes de Bartos
Sanctus Baſilius
Beda
Robertus Bellarminus *Cardin.*
Petrus Bellonus
Sanctus Benedictus
Sanctus Bernardus
Ioannes Bernartius
Philippus Beroaldus
Berthachinus
Bion
Sancta Birgitta
Lælius Biſciola
Ioannes Bodinus
Hector Boëthius
Thomas Boſius
Zacharias Bouerius
Braſſicanus
Briſſonius
Brodæus
Guilielmus Budæus
Iulius Cæſar Bulengerus
Iſmael Buliadus.
CAietanus *Cardin.*
Quintus Calaber
Henricus Caniſius
Antonius Capella
Caper
Capitolinus
Philo Carpathius
Carracciolus
Caſſianus
M. Aurelius Caſſiodorus
Paulus de Caſtro
Hieronymus Catena
Catullus
Cedrenus
Cenedus
Cepola
Iacobus Chifletius
S. Petrus Chryſologus
S. Ioan. Chryſoſtomus
Ciaconius
M. Tullius Cicero
Clemens *Alexandrin.*
Codinus
Ludouicus Cœlius *Rhodig.*
Pandulphus Collenutius
Bonauentura Columbi
Columella
Antonius Corſetus
Creſolius
Iacobus Cuiacius
Curopalates
Bonus de Curtili
Quintus Curtius
Sanctus Cyprianus
Sanctus Cyrillus *Hieroſolymit.*
Sanctus DAmaſcenus
Dauſqueius
Delrio
Demoſthenes
Diodorus *Siculus*
Dion *Pruſæus*
Donellus
Sanctus Dorotheus
Guillielmus Durandus
Iacobus Durantius
Stephanus Ducæus
Dionyſius *Halicarnaſſeus.*
ENnodius
Sanctus Ephræm

Epiphanius

Epiphanius
Deſiderius Eraſmus
Eſtius
Euagrius
Eugubinus
Eunapius
Euſebius
Euſtathius
Euſtratius
Petrus FAber
Facundus *Hermianenſ.*
Felinus
Octauianus Ferrarius
Feſtus
Feuardentius
Albinus Flaccus
Fortunatus
Fulgentius
Fumus.
GAleſinius
Gaudentius
Gelaſius PP.
A. Gellius
Sanctus Germanus
Giergouitz
Godelmanus
Nicolaus Godinus
Goltius
Gratianus
Sanctus Gregorius PP.
Sanctus Gregorius *Nazianzenus*
Sanctus Gregorius *Nyſſenus*
Petrus Gregorius *Toloſanus*
Gregorius *Turonenſis*
Gretſerus
Antonius Guainerius
Lylius Gyraldus.
Benedictus HAëftenus
Henriques
Heraldus
Herodianus
Herodotus
Heſychius
Sanctus Hieronymus
Hildebertus
Hippocrates
Homobonus
Signorellus de Homodeis
Horatius
Hotomanus
Hugbaldus *Elnonenſis.*
IAcobus *Card. Papienſis*
Iamblicus
Cornelius Ianſenius *Epiſc. Gandauenſ.*
Iaſon
Sanctus Ignatius
Innocentius PP.
Ioannes *Diacon.*
Ioannes *Grammaticus*
Ioannes *Sariſberienſis*
Iornandes
Ioſephus
Paulus Iouius
Iſaac
Sanctus Iſidorus *Peluſiota*
Iulianus *Imperat.*
Adrianus Iunius
Iuo *Carnutenſis*
Iuſtinus *Hiſtoricus*
Iuuenalis.
KIrchmanus
LActantius
Langæus
Lambinus
Lampridius
Laurentius Laudmeret
Laymannus
Lazius
Leuinus Lemnius
Petrus Lenaudiere
Sanctus Leo
Leonides
Leonardus Leſſius
Lippomanus
Iuſtus Lipſius
Titus Liuius
Georgius Logotheta
Lorinus
Lucanus
Lucianus
Lucretius
Antonius Ludouicus
Luitprandus *Cremonenſ.*
Nicol. Lyranus.
Sanctus MAcarius
Macrobius.
Magius
Maldonatus
Troilus Malueſius
Quintilianus Mandoſius
Marianus
Hippolitus de Marſiliis
Martialis
Martinus Martinius
Martinus *Laudunenſis*
Martinus *Polonus*
Sanctus Maximus
Antonius Mazaronius
Franciſcus Mainardus
Methodius
Ioannes Meurſius
Iacobus Middendorpius
Antonius Mizaldus
Molanus
Petrus Monodus
Petrus NAnnius
Nicephorus *Calixtus*
Nicephorus *Gregor.*
Nicetas *Choniates*
Nicolaus PP. I.
Sanctus Nilus
Nonnius
ONuphrius *Panuinius*
Optatus *Mileuitanus*
Origenes
Oroſius
Oſorius
Ouidius *Naſo*
Alphonſus PAlæotus
Palladius
Pamelius
Pancirolus
Carolus Paſchalius
Stephanus Paſchaſius
Sanctus Paulinus
Aluarus Pelagius
Lucas de Penna

Pennotus

Pennotus
Perſius
Petrarcha
Petronius
Petrus *Bleſenſis*
Phauorinus
Philo *Iudæus*
Philoſtratus
Photius
Pierius *Valerianus*
Laurentius Pignorius
Pineda
Pithœus
Fulg. Placiades
Platina
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Iulius. Pollux
Polybius
Polydorus *Virg.*
Baſilius Pontius
Hieronymus Prado
Sanctus Proclus
Procopius
Propertius
Sanctus Proſper
Prudentius.
QVintilianus.
RAbanus
Raderus
Claudius Rangolius
Raymondus
Petrus Rebuffus
Carolus Regius
Beatus Rhenanus
Ribera
Vincentius Ricardus
Nicolaus Rigaltius
Riolanus
Martinus à Roa
Heribertus Roſueydus
Rupertus
Emanuel SA
Sabellicus
Salazar
Claudius Salmaſius
Henricus Salmuch
Saluianus
Saluſtius
Salycetus
Sancius
Maximilian. Sandæus
Claudius de la Sangle
Sanſouinus
Andreas Sauſſayus
Scapius
Ioſephus Scaliger
Scheckius
Scortia
Seneca *Philoſ.*
Seneca *Tragicus*
Attilius Serranus
Sulpitius Seuerus
Seuerus *Alexandrinus*
Honoratus Seruius *Maurus*
Petrus Seruius
Sidonius *Apollinaris*
Sigiſmundus *Baro liber*
Silius *Italicus*
Rabbi Simeon
Simeon *Theſſalonicenſis*
Marianus Socinus
Solinus
Sophronius
Sopranis
Sozomenus
Spondanus
Statius
Proſper Stellartius
Henricus Stephanus
Ioſephus Stephanus
Strabo
Stracka
Franciſcus Suares
Suetonius
Sugerius *Abbas*
Suidas
Marquardus de Suſannis
Symmachus
Syneſius
Syricius PP.
Cornelius TAcitus
Tertullian.
Theodoretus
Theon *Smyrnæus*
Theophanes *Nicænus*
Theophilactus
Theophraſtus
Sanctus Thomas
Thucidides
Tiraquellus
Toſtatus *Abulenſis*
Trigantius
Adrianus Turnebus
Turrianus
Lucas VVadinghus
Valens *Fl.*
Valerius *Max.*
Valla
Varro
Velleius *Paterculus*
Vegetius
Marcus Velſerus
Vgolinus
Ioſephus Vicecomes
Victor *Vticenſis*
Aurelius Victor
Hugo Victoricus
Virgilius
Vitrianus *Cardin.*
Ioan. Ludouic. Viualdus
Viues
Raphaël Volaterranus.
XEnophon.
ZOnaras
Zozimus.

FINIS.

INDEX VNIVERSALIS
RERVM ET VERBORVM,
Quæ in his Opuſculis continentur.

A.

ABBAS Barrabas. 330
Ferox quomodo à ſuis correctus. 333
Abbatum diſtractiones mentis. 397
Abbatia idem quod paternitas. 328
Abimelech Satam velat : explicatio literalis. 598
Accommodet ſe ſingulorum geniis ſuperior. 305.360
Acetis vis adſtrictius. 43
Acœmetæ. 316.419
Actio, & contemplatio nectendæ. 335
Actiuitas Dei. 419
Actus boni duratio quomodo honeſtatem eius augeat. 421
Actus interruptio & repetitio. 425
Acus tres in pallio paſtorali quid notent. 364
Adoleſcentes iungendi matrimonio antequam amicas habeant. 469
Ducere non debent citò vxores. 466.467
Adoleſcentum ſcriptiones grandes eſſe debent, ſed non maturæ. 460
Adulatores ſubditi ſuperiorum. 378
Adulterorum vita ſuccidit. 521
Adultorum impiorum mors præpropera Deo innoxia. 265
Aduocati damnati. 456
Aduocatorum longitudines. 453.435
Ægyptiorum ars condiendi. 44
Aër vbi omnibus exitialis. 250
Æs inhibet putredinem. 41. præſertim vetuſtionis. ibid. Cauſa eius. ibid.
Afflicti terræ in Cantico Annæ, qui. 393
Agathæ S. Epitaphium. 465
Agnes & Cæcilia puſillæ. 489
Agni inter lupos, qui. 338
Agricola Rectoris idonei ſymbolum. 363
Ahalot *Aloë*. 39
Alberti Magni corpus integrum. 58
Alexandri caput an ab aqua ſtygia incorruptum. 30. vnde? 40.
Altitudo quæſita, & oblata damnatur. 299
Amandi Sancti corpus. 58
Ambiens an cauſa putrefactionis. 26
An ſola. 25
Ambitus Præfecturæ improbatus. 295.296.299. 325
Ambroſius, Ansbertus Author comment. in Apocal. 47
Amicorum longi ſermones. 344. otioſa verba. 445
Anagnoſtes, quis. 523
Anaſtaſij Imperatoris mors à Deo decreta. 206.
Ancora Seleucidarum natiua. 158
Andreæ de Sauſſay luculenta ſcriptio de pallio. 364
Andreæ Chio corporis incorruptio à martyrio. 66
Angelorum potentia. 317
In nos benignitas. ibid.
Rectio lenis, & exacta. 367
Angeli hominum pædagogi. 316
Cuſtodes alumnum plectunt cum res fert. 348
Inflexibiles. 344
Amici auſcultantes. 317
Angelus Cuſtos rector noſter. 348
An derelinquat obſtinatos peccatores. ibid.
Angelus teſtamenti Chriſtus. 367
Angeronia & Volupia deæ. 214
Anglia plura habet SS. corpora integra. 57
Anima eſt velut hominis ſal arcendæ putredinis.
Deus noluit eſſe priorem in formatione corporis Adæ, quare? 14
An aliquando in corpore poſt mortem. 28
Animæ damnatorum an redeant, an ſoli Dæmones. 188
Animarum poſt mortem in terris congreſſio refellitur. 264
Animalcula mirabilia. 484
Anni additi Ezechiæ, quomodo. 233
Annuli religioſarum Virginum. 606
Antonius Maria Vbaldinus poſt mortem integer. 64
Antonij Betini Senenſis, decora. 231
Apes Religioſorum ſymbolum. 372
Apex Flaminum. 610
Aphronitrum. 16
Apollonius Tyaneus, fatarius. 243
Apollonij de cauſis peſtis, oratio repulſa. 225
Apologia diuinæ ſapientiæ quoad inæquales

vitæ terminos. 265
Apoſtatæ à fide martyres. 60
Apoſtoli ſal terræ. 33
Dij fortes terræ. ibid.
Vnius laus alijs communis. 312
Apoſtolorum rectio lenis ac vigens. 368
Rigor rectionis. 369
Aphuræa Dei, quæ. 312
Applauſuum captatio cauenda rectori. 339
Aqua benedicta Græcorum conſeruatur, quia benè obturata. 54
Aquæ benedictæ incorrupta exempla. 54
Aqua marina quomodo dulceſcat. 36
Arati impietatem, quid. 335
Aratus Iudæorum fautor morte punitus. 205
Arbor bona fit, non naſcitur. 305
Arcula aperta, peſtem intulit. 225
Arena infoſſa corpora. 46
Armenij filius adoleſcens mortuus, laudatus ab Ennodio. 276
Armentarius puer, in cœlum ſublatus. 216
S. Arnulphi futura natiuitas, patri ab Angelo prænunciatur. 271
Ars attinum rectio. 299.300
Artes malæ regendi. 375
Aſperitatis origo multiplex. 332
Aſphaltum. 37
Athenienſium *calida* conſilia. 468
Athanaſij quod regimen. 369
Atra die ablati, impij. 268
Attingere fortiter à fine ad finem, quid. 340
Atys fabuloſus incorruptus. 53
Auenio famoſa iam olim tricis Aduocatorum. 453
Auguſti notæ quædam à natura. 158
Auguſtinus S. an ſtigmatis notatus. 831
Auguſtini cor. 69. eius incorrupti varia miracula. ibid.
Auris ſeruorum perfoſſio, quæ. 97. eius myſteria. 98
Aurium fabrica. 495
Stigmata. 845
Aures longæ vitinſutum. 496
Auctoritas non fouetur ferociendo. 335
Ianuam rationi aperiens. 236
Auxentij Abbatis breues orationes. 395

B.

BAbylonij muri ex Piſſaſphalto. 37
Baccalaurei. 615
Bacconus punctum hominis. 485
Baculus Cruciger Moſchis, quid. 366
Nucinus efflureſcens. 358
Baldachinum. 627
Balſamum quid. 18
Balſamum catechreſin. ibid.
Baptiſmus in ſpiritu, & igne, cur. 348
Cur cum ſale. 33
Baptiſmum quomodo eluerit Iulianus Apoſtata. 876
Baptizati velabantur capita. 525
Vnde hic ritus. ibid.
Barba, Barba quid. 496
Longa robur. 496
Decus. ibid.
Barba Clericorum & Monachorum. 498
Barbæ legatum. ibid.
Raſio contumelia. 499
Contrectatio an iniurioſa. 500
Barbam radebant Romani. ibid.
Bardi. 630
Bardocucullus. ibid.
Barnabæ Apoſtoli corpus integrum. 55
Battologia. 415.416
Battologia ſermones obſcurat. 44
Bellum diuinum, peſtis. 227
Habere Regibus commodum. 463
Belli deſcriptio apud Chryſoſtom. 294
Incommoda. 462
Bellonarij. 164
Beneficia non profundenda. 447. citò. 448
Benignitas Dei in peccatores. 308
In Adamum. 310
Benignitas inimica palpantium præſidum. 358
Bernardi S. placiditas in concitatos. 336
Beſtiæ ſurſum, aues deorſum, quid. 333
Bibendi ad ſanitatem, vſus. 240
Biblia qui in capita digeſſerit. 335
Bidental. 38
Biothanati fatarij, ſcelerati. 247
Birreti Doctoralis forma. 617.618
Etymon ridiculum. 646
Blandiens peccatori. 358
Bleſillæ filia S. Paulæ laudes, à D. Hieronymo. 274
Bonauentura S. laudatus. 878
Bonauenturæ S. capitis integritas. 69
Cordia. ibid.
Boni aliunde mali. 308
Bonus Deus etiam puniendo. 34
Bonum opus id eſt laborioſum. 295
Boues leonibus in baſi admixti, quid. 370
Boues Templi peluim ſuſtinentes, quid. 279
Breuitas orationis obſcuritatem facit. 438.439
In libris ſeruanda. 440
Veſtium commoda. 514
Breuia an ſtigmata, aut Amuleta. 852
Breuiarium: Imbreuiare quid? 395
Britannicus Cardinalis inuritur in fronte ſigno S. Crucis à S. Rocho. 834
Britannorum corpora picta. 844
Βρωκολάκοι qui. 58
Baſſones in foueis oculorum Cæſaris iacentis in ſepulchro reperti. 20
Burgundiones ſaliti. 33
Burrha quid? 622
Byrrhus vilis. 624

C.

CAdaueris ſanguinatio præſente homicida, vnde. 223
Non eſt perpetua. ibid.
Cadauera expoſita aëri computreſcunt. 455
Cur Chriſtiani non cremauerint. 12
Cadauerum Romanorum à Perſia diſcrimen. 20
In ſepulchris vita. 31
Cadurcum. 627.630
P. Cæſaris de Bus piæ memoriæ corporis integritas. 63
Caini ſtigma. 81
An tremor. 82
An cornu. 83
Quid? 84
Caino diuturna vita, mors diuturna. 268

Calamus

Calamus quaſſatus, non contritus à Chriſto. 312
Calendaria origo Martyrologiorum. 539
Calefcunt quæ putreſiunt. 25
Caliendrum. 603
Callimachus ob mortem immaturam laudatus. 278
Caluinus Fatarius. 246. eius Hæreſis. 186. Dorſum iniuſtum. 352
Calumniatores apud Turcas quomodo puniuntur. 154
Caluitij deformitas. 503
Calx conſeruat & conſumit corpora. 41. Calcis natura. ibid.
Calyptra. 603
Cambuta virga paſtoralis. 366
Canoya. 613
Camelauchium. 628
Canes non valentes latrare. 356
Cannabi qui. 488
Canonizatio SS. an breuiet dies Pontificum. 219
Capilli Religioſorum antiquitùs. 603. Raſio aut promiſſio in pœnitentibus. 511
Capillitij horribilitas in Gallis. ibid.
Caput nudum in ſacris. 590. 592. In crucem diffuſum ſignatis cruce, ab Federico. 254. Paruũ inualetudinis nota. 491
Capitis humani laus. 587. Comparatio cum cœlo. ibid. Nuditas olim. 589. 609
Capitibus & Sectionibus libri diſtinguendi. 440
Capitolium Monaſticum. 353
Capitoſorum confuſio caritas. 353
Capitoſitas Præfectorum, noxiæ. 344
Carbones, trabes & reliqua in fodinis incorrupta. 30
Carnis amor ſuæ & alienæ inſanus. 16
Caro molliter habita potentior poſt mortem. ibid.
Carolus Claudus integer Aquis Sextiis. 28
Caroli Magni amore, fabulæ. 50. Corpus Amaſiæ. ibid.
Carolus Magnus an barbatus. 505
Caroli Sancti in Demophilum, iuſta concitatio. 315
Carrera Ioannis incorruptum cerebrum. 49
Caſſinenſis Abbatis tituli. 442
Caſtigatio corporis Pauli quæ. 11. Caſtigatio amantis eſt. 342
Caſtillioneorum *de Beine* familia Arelatis. 532
Caſtè viuentium corpora incorrupta. 65
Caſtitatis pugna. 469
Caſtores pileati. 610
Caſtæ Dei Religio. 297
Caſus Magnatum. 214
Catharinæ S. Senenſis ſtigmata. 127. eorum veritas probatur. 128. defenditur ab obſtrectatoribus. ibid. quid de illis Romani Pōtificis. 129. Quodnam latus ipſi apertum. ibid.
Catharinæ Bonon. S. corpus. 52
Cauſas protrahentes tenentur ad reſtitutionem. 454
Cauſia. 610
Cauterium ſæpe à Satana ſagis adhibitum. 18
Ad oculorum morbos. 155
Cauteria Satanæ quæ. 166
Cauteria an olim in vſu. 556
Cauteriata conſcientia. 190
Cedria 36. blattas auertit. 37
Cedri & citri diſcrimen. ibid.
Cedrinæ candelæ, ibid.
Celſi pueri obitus laudatus à Sancto Paulino. 270
Cera corpora conſeruantur. 40
Χειρογραφία. 555
Cerebrum Caluariæ illæſum Auenione. 49
Ceruæ Doctores non Cerui, cur. 560
Character Beſtiæ. 565
Charitas Paſtoris propriæ. 315
Charitas Martyrium. 280
Charitatem in egenos exercentes vitam habent longiorem. 212
Chriſti efficacia & lenitas. 367
Chriſti vitæ terminus an præfinitus. 210
Chriſti ac Ioannis Baptiſtæ vitæ breuitas. 177
Chriſti hirs quæ. 209
Fortitudinis in regendo ſpecimina. 347
Lenitas recta & iuſta. 367
Chriſtus quomodo incorruptibilis. 7
Chriſtus, facies Dei. 318
Perfectus pædagogus. 347
Chriſtianorum mos vngendi corpora reprehenditur à Tertull. 32
Chriſtophori Pereiræ caſus & reſipiſcentia. 60
Chryſoſtomus illimis atcæ gratiam præuenientem. 304
Cicatrices confeſſorum venerandæ. 315
Ciconia in ſceptro, quid. 374
Cidaris. 613
Cinerarij qui. 489
Circulus Imperatorũ ſtatuis ſuperpoſitus. 636. 637
Circulum aureum in naribus ſuis eius loci ridicula interpretatio. 347
Circumciſio Chriſti. 510
Circumciſio an remedium legis naturæ. 300
Circumciſio an ſignum ſolum. 95
Cordis ibid. quid de illa Rabbini. ibid.
Circumciſionis cauſæ. 89. cuius figura ibid. Cur ea parte 90. An hodie licita ibid. quos obligarit & quibus in vſu 91. Secunda quæ. 92. quis miniſter. 93. Inſtrumentum. ibid. An finis eſſet gratiam conferre. 94
Circumciſionis notæ an in Chriſto remanſerint. 132
Circumciſionis cauſæ 86. allatrarunt illam aliqui 85. Morales cauſæ ex Patribus. 87
Circumciſionem cur admiſerit Chriſtus. 312
Claudius Aquauiua, optimus regendi Magiſter. 360
Claudiani Mamerci ſtylus. 440
Clauus & vulnus quo confixus eſt Chriſtus an orbicularis. 101
Clauum pangere ad Peſtem. 43. 102
Claui fixio, ſolemnis, quorſum. 228
Clauellorum familia è qua ſancta Philomena. 50
Clematides qui. 588
Clementis Alexandrini locus laxatus, reſtituitur, 366
Clericorum Tonſura. 506. 511
Clero dominari quid. 519
Colloquia ſympoſiaca qualia? 538
Colloqui quam periculoſum inter conuiuandum. 531

Colobius *Ioannes* Nanus. 489
Columba, & ignis ſymbola Spiritus ſancti cur. 30
Columbæ ſyluestres, vt cicurentur. 312
Comæ ornamentum muliebre. 523.524
adſcititiæ. 523.604
Comæ longioris commoda. 502.503. decor ibid. Libertatis nota. 504.505. Mulierum propria. 509
Comæ nutritio obtundit ingenium. 510
Comati qui. 489
Comati Sancti. 504
Comedendi celeritas improbata. 515
Commentaria hodie longiora in Scripturam. 417
Compunctio Dæmoniaca quæ. 190
Concionũ breuitas. 413. Prolixitas damnoſa. 414
Eius origo loquacitas, vanitas. 414.416
Conciones & homiliæ ad ſingula feſta & Dominicas à pag. 547
Concio longa neceſſaria. 410
Concurſus explicatur. 215
Condeſcenſioni dandus locus. 354
Conditura corporum recens. 48. Ægyptior. 46
Confeſſionis præparatio. 396
Confeſſionum formulæ faſtidioſæ confeſſariis. 397. Vitia longarum Confeſſionum. 398
Coniugij bona iuuenibus. 468
Coniuges cur coronentur. 469
Coniuges bicorpores. 296
Conopæi vſus antiquus. 627. nomina. ibid.
Conradus ex Villar. Abbate, Cardin. 294
Conſolatio poſt carorum mortem accipienda. pag. 464
Conſolationes ob mortem Carorum. 293. Ante & poſt. Sylua Autorum ad id. 294
Conſtantinus vt Romanos alliceret Conſtantinopolim quid fecerit. 305
Conſummati in breui Sancti. 428
Contentio Sanctorum Baſilij, & Damaſi. 336
Conuerſatio pro vita religioſa. 606
Conuiuium mundanum, è terra, & mari. 311
Copronymus deiecto Artabaſdo pio Principe, nefariè viuit. 263
Cor Dei in electos, quod. 308
Docile, Salomoni, aptum docere. 353
Eccleſiæ, Sacerdos. 295
Sancti Auguſtini incorruptum. 69
Cornelij à Lapide paruitas corporis. 486
Cornu, & oleum cur iuncta. 362
Cornu ſeu coſta vna cur deſit pileo quadrato. 627. ſeq.
Cornua naturaliter adnata hominibus. 83
Correctio qualis eſſe debeat. 324.325
Corruptionis cauſa calor. 25. etiam internus. ibidem.
Corruptio corporum iuſte à Deo prouiſa. 34
Humilitatis materies. ibid.
Corona clauſa. 611. ad finem.
Corona cur mortuis impoſita. 288
Corona Chriſti ex tribulis noſtris. 367
Coronatus quid ſignet. 621
Corpora in regno Chile plures annos incorrupta in æthere. 26
Quæ cito creſcunt fluxa. 460
Sanctorum Congruenter aliqua incorrupta. 53. & ſeqq.
Impiorum putrida. 69
Corpus Chriſti pignori relictum Saladino à S. Ludouico. 43
Corpus Animæ carcer. 285
Corpus Danielis. 48
Crinonium. 612
Crobyli. 610
Crucis inuſtio realis Chriſtianis & Turcis. 116
Cuculli S. Franciſci an aſſuti. 633
Cucullus monialium. 632
Quatenus ab Hieronymo improbatus. 632
Cucullus nullus Franciſcanis quomodò. 631
Monachorum. 629
Puerorum tegmen. 629
Noctambulonum. 630
Cucullorum materia qualis. ibid.
Cucullatus puer, & Pileatus alter naſcitur. 594
Cunctatio in rebus bona. 458
Apologus id explicans. ibid.
Cuphiæ. 591.606
Curſus Eccleſiaſticus. 524
Curſus Philoſophicus an triennalis eſſe debeat. 435
Cuthberti S. Corpus. 55.56
Cypreſſina Paſtorum virga quorſum. 366

D.

DÆmon incorrupta in ſpeciem obſidere aliquorum cadauera exemplis oſtenditur, 49. & ſeq.
Poteſt permiſſu Dei conſeruare à corruptione corpora defunctorum. 51
Dæmon aduocatus vbi. 615
Pumilos. 481
Sub ſpecie muſici. 56
Dæmonum aſſiſtentium exempla. 50
Dæmones peſtem immittentes. 224
Carnifices, Dei. ibid.
An aſſiſtant cadaueribus. 53
Damaſus Papa faſtûs accuſatus. 336
Damnati quos corporis defectus retineant. 122
Danielis corpus incluſum vitro. 36
Dare in tempore quid. 366
Dauid ob impiorum longæuitatem, ſuſpenſus animo. 267
Dauidis authoritas à demiſſione. 336
De particula Gallica nominibus ſuis à quibuſdam addita. 450
Decretum conſequens de vitæ termino. 255
Delatura & detractio quid apud Siracidem. 464
Deletio, è libro, quid. 232
Deletiua ſtigmatum medicamenta. 151
Deliberatio de ſtato vitæ. 423
Deliberatione in cauſis forenſibus opus. 451
Demophili præceps zelus. 315
Denaſatio virginum. 494
Dei in regendo fortitudo. 342
Dei bonitas, & vindicta cohærent. 342
Condeſcenſio in monendo homine. 303
Vltio temperata. 309
Deus *Galenus Magnus*. 458
Deus caſtigat adactus. ibid.
Diadema. 612
Eius Etymon ridiculum. ibid.
Diadema Sanctorum. 636.637
Diadumeni qui naſcuntur an fœlices. 594
Dies magnitudinis, quæ. 268
Pleni, qui. 236
Polliouctúræ ex Scriptura & Herodato. 44. 45. 47

Differendum

Differendum nihil præſertim in bello. 463
Difficultates regiminis vnde. 299
Digiti S. Ioannis Baptiſtæ prodigia. 68
Dignitas dignitatis humilitas. 336
Dignorare. 77
Dij fortes terræ, qui. 349
Dilatio beneficium corrumpit. 447
Omnis noxia virtuti. 428
Diligentia & feſtinatio in virtute neceſſaria. 427
Diſciplina pueto neceſſaria. 370
Diſcolis ſuperioribus parendum. 384
Diſcordias inter ſubditos ſerere ad dominandum, Diabolicum. 375.380
Diſtinctiones vanæ Syluij & aliorum pro vitæ termino. 251.252
Diſtractiones ſuperiorum. 296.297
Diuina ſimplicitas. 429
Diuturnitas Rectionis Origo aſperitatis. 335
Doctorum titulum quam immeritò multi ferant. 618
Tenentur ad Doctrinam. 619
Doctoris Arauſicani ridicula promotio. 619
Dolor in impreſſione ſtigmatis magici. 182
Dominicus S. an ſtigmatis notatus. 151
Domnus Medicus, circa peſtem, nugatus. 224
Dormientes diutiſſimè. 61
Ducia Venetorum vxoris corpus viuum computruit, & fœtore ſuo omnibus horrori fuit. 87. & ſeq.
Dulcedo Dei quanta. 308

E.

Eccleſiaſticus Præſes ſeruus ſubditorum. 314
Eccleſiæ cor, & ſtomachus Sacerdos. 295
Efficaciæ, & ſuauitatis nexus pernéceſſarius. 300
Egreſſus è vita comparatus egreſſui ex vtero. 289
Elementa an putraſcant. 24
Elephantini libri. 441
Eliæ laudes. 309
Zelus plerunque durior. 303
Elizabethæ Luſitanæ S. corporis integri tranſlatio. 60
Ellychnia ex lino. 112
Elucidarium Anſelmo adſcriptum, cuius reuera ſit. 139.148
Encauſtes quis. 155
Encauſtum pro Atramento. 603
Enoch cur à Deo tranſlatus. 273
Ephebi comam radebant. 510
Ἐπιγονάτιον quid inter Pontificis veſtes. 314
Epiſcopatus bonum opus, quomodo. 293
Epiſcopus nomen periculi. ibid.
Epiſtola ad Demetriadem fœtus Pelagij. 307
Epiſtola ſcripta in ſerui capite. 150
Epiſtolæ breues ſuaues. 446
Longarum laus. 434
Epitaphiorum virtus. 463
Equitum Melitenſium Donati Fratres geſtant crucem trimembrem. 628
Equi coxæ inuſta natiua nota. 78
Equo ſtylus comparatur. 440
Equorum ſtigmata. 78
Eruditio alientus, eius generatio. 332
Ethnici fatanj pro præfixo vitæ termino. 245
Ethnici præcocem piorum obitum prouidentiæ adſcribentes. 278

Euangelij lectio publica quo ritu olim audita. 592
Euchariſtiæ & Miſſæ præparatio. 406
Quæ præparatio neceſſaria. 405
Euchariſtiæ vmbella antiquitus ſuperpoſita. 627
Euchitæ Heretici. 394
Eunuchiſmus quis improbatus. 118
Euocati è mortuis, quaſi per errorem. 315
Euripidis lapſus. 31
Excommunicatorum cadauera incorrupta permanere probatur variis exemplis. pag. 51. & ſequent.
Excubitoris dormitantis, mala. 356
Executioni celeritas neceſſaria. 461
Exenteratio & elixio corporum quatenus prohibita. 48
Exitium cætus ab enerui rectione. 321
Ezidus Saracenorum Princeps vitæ cupidiſſimus breui extinctus. 265

F.

F. f. cur Pandectas ſignificet. 438
Fabricæotium notæ. 183.148
Facc j Cardani corpus vnde incorruptum. 82
Facies Dei Chriſtus, cur. 315
Facies quadriformis Ezechielis, imago Præfecti. 363
Falſarij Clerici pœna. 154
Faſces & ſecures quid ſignent. 411
Faſcijs cur inuoluti mortui. 289
Fatum apud Ethnicos, quid. 240
Fatarij anæ quanimiùs mortem ferant. 242
Felicitatis cœleſtia deſcriptio. 288
Per mortem acquiſita. 278
Febris ſtigmata. 78
Feſtinatio damnoſa negotiis. 458
Ficus cur vſurpata in funeribus. 262
Quorum à Chriſto areſacta. 347
Fides Chriſtiana quomodo breuis. 430
Fili tenuis attractus, peſtem inferens. 215.219
Filius Patris denſatur. 356
Flagellatio Chriſti Domini. 301
Flagellatio Epiſcopi ab Angelis. 330
Flammeum. 601
Flante Deo perire peccatorem, quid. 342
Flumina diuerſæ profunditatis ſymb. Dei iudiciorum. 265
Flumeo poteſtas iracunda. 344
Fluuij ictus, ferox ſuperior. ibid.
Fluſtrum & Malacia ſpiritus. 463
Fœminini generis virtutes noſtræ, cur. 301
Foratæ aures inſigne nobilitatis & contrà. 146
Vanitas. 147
D. Foreſterij Ephebia laudatur. 524
Fortitudo rectionis diuinæ. 341
Fortuna barbata. 492
Franciſci S. corpus integrum. 58
Franciſci S. Stigmata à fol. 123. eorum veritas probatur. 124
Forma. 125
Cicatrices apertæ. 126
S. Fr. Paulani corpus. 60
Quomodo à Caluiniſtis habitum. ibid.
Franciſci Illiberalitas. 166
Franciſci Georgij præceps iudicium de incorruptione corporum Sanctorum. 52

Franciſcanorum qualis cucullus. 31
Frigida quædam poſt putrefactionem. 25
Frigus impedit putrefactionem. 26
An putrefaciat. 24
Fuga in peſte, fatua. 224
Fugitiuorum notæ & collaria. 150.152
Fulguriti ſacri repræſentant à Deo percuſſos. 31
Fulgurita cur ſacra. ibid.
Fulmine icta non putreſcunt. ibid.
Furſæi viſio inferni & nota inde illi impreſſa. 188
Futuritio, non ex præſcientia. 239

G.

GAbbara. 46
Galerus Cardinalitius. 624
Galerus à Pontifice benedictus. 574
Galliæ Rex titulos non curat. 450
D.Gaſparis de Mauty laudes. 52
Gaufridus à Perona, quid de ſe poſt mortem. 294
Gaufridi Ludouici ſtigmata. 173
Gelonorum & Agathyrſorum notata corpora. 144
Gemma & lapilli Impendium & Patrimonium 146
Generales Ordinum an præſtet eſſe perpetuos. 432
Genibus notæ in luctu impreſſæ. 161
Genitiuæ notæ. 79.158
Genius hominis, obſeruatus à Satana. 357
Gentium variarum notæ & ſtigmata. 146
Gervaſij & Protaſij corpora. 55
Gigantes impij. 489
An reperiantur. 487
Bardi. 488
Gigantæa ſtatura. 480
Gigantæum corpus lapideſcens. 42
Gladius Columbæ quid. 374
Glaſtum *Paſtel* quid? 145
Gradus ſeruandi in rebus. 460
Græcorum calumniæ de Aquæ à Latinis benedictæ corruptione. 54
Mos vngendi chriſmate mortuos. 32
Grammaticus mortuorum. 44
Gram crines. 506
Gratiæ morientis ſuauitas. 305
Gratianus in flore ætatis decerptus, à S.Ambroſio commendatur. 273
Gratioſitas quorundam. 331
Grolierij *Caroli* laudes. 389
Grolieriæ Familiæ decora à *pag.* 388
Grypi naſuti in veneratione Perſis. 423
Gubernationis tempus breue eſſe præſtat. 432
Guido Sfortia Card.vir maximus. 226
Guilielmus Conuentrienſis Author elucidanj. 348

H.

HÆreticorum conſcientiæ cauteriatæ. 190
Hæretici Magiæ vicini. 186
Stigmate inuſti. 152
Notas ſibi inurebant. 165
Haſta cœlibaris. 608
Hebræi imbre beneficiorum perfuſi. 342
Hebrææ mulieres vt latæ. 598
Heduigis S.Manus integra. 56
Heli falſa pietas. 358
Henrici Card. Regis Luſitaniæ corpus incorruptum. 63
Hercules paruus. 483
Herculani Epiſcopi corpus. 73
Hierocles an fatarius. 243
Hildeberti fortitudo regendi. 349
Hieronymi S. impreſſæ vibicum notæ quomodo. 120. deridet Vallalibid. Eraſmi in hanc Hiſtoriam Sannæ. ibid.
Hieronymi locus contra nomen Patris. 289
Hirci ſpecie ſæpius Satan. 182
Homiliæ ad lectiones & conciones pro toto anno. 547
Homiliaria qui ſcripſerint. 524
Homo puluis. 10. etiam Reges. 12. vermes, ſerpentes ex homine. 10
Homines non Angeli cur Sacerdotes. 309
Honeſtatis curam habuere aliqui mortui. 21
Honor Eccleſiaſticus eſt miniſterium. 314
Honorificatio miniſterij quid. 336
Hora Chriſti. 209
Hora decretoria quæ Senecæ. 242
Hora concioni ſolùm an impendenda ex Scriptura. 412
Horæ Canonicæ an longæ? 395
Horrenda ſacrilegia in cœtibus Sagarum. 182
Huberti S.clauis & ſtigmata per eam inuſta. 121. Clauis forma multiplex. ibid. ceremoniæ exerciuntur. 123
Huberti S. mirabilis integritas corporis. 58
Hugbaldus Monachus de Capillitio. 512
Humaniores literæ ſemper commodæ. 436
Humiditas mater, calor pater putredinis. 31
Humilitas *dignitas dignitatum*. 336
Antiſtiti neceſſaria. 323
Hyacinthini Coquetij fabulæ. 131

I.

IAcob, veri paſtoris Idea. 356
Iacobus Gauterius vir magnus, paruus & dictus *Nanus*. 486
Iacobi *Bon homme* coronatio. 154
Ictus fluuij, ſymbolum regiminis violenti. 310
Idola in ventre Mumiarum. 45
Idolorum ſeruitus, ambitio. 298
Ieiunij laudes. 420
Ieroboami aſtus. 373
Ieſus *Naue* quomodo dictus prouectus dierum. 476.477
Ignis, & lux Deus, quare ignis non conſumit multa Sanctorum corpora. 341
Illuſio dæmoniorum corpora impuris hominibus ad voluptatem ſubijcientium. 49
Illuſiones dæmonum cauendæ. 135
Imaginatio an cauſa ſtigmatum S.Franciſci. 126
An cauſa notarum in ſagis. 168
Imaginationis effectus. 158
Vires. 178.179
Imberbium turpitudo. 497
Imitationes abſurdæ. 301
Immatura mors. 199
Immenſitas Dei. 428
Immortales eſſe certo die natos ſomniú eſt. 19
Impatientia, amica poteſtati. 336
Imperium omne Paulo, quod, ibid.
Cum potentia Ezechieli quid. 310

Diuturnitas

Diuturnitas in religione nocet. 335
Imperandum rarò in virtute obedientiæ. 343
Impiorum vitæ terminus ſæpe à Deo decretus. 204
Impoſtor fingens ſe ſtigmata portarè. 536
Impoſtores ignem aut ſerpentes attrectantes. 561
Inaures quas Deus prohibuerit. 563
Inciſio corporum in luctu. 561
Inciſuræ & ſtigmata Ethnicorum. 564
Increpatio, cuiuſmodi eſſe debeat. 371
Incorruptio corporis donum Dei. 55
Incorruptio corporum virorum, piorum. 63
Incorrupta cadauera Ethnicorum. 20
Chriſtianorum. ibid.
Innocent. SS. 55
Indigitatio. 532
Indulgentia in ſubditos commendata. ibid.
Ineditæ damna. 420
Inferiorum inſtructio. 582
Vitia ſuperiorem probant. 377
Infirmitatum ceſſatio in altera vita. 289
Informes fœtus ſcripturientium. 442
Ingeniorum præcocium exempla. 205
Aut hebeſcunt aut moriuntur. ibid.
Ingeniorum varietas. 299
Inde præſertim regendi labor. ibid.
Ingrati pœna. 253
Inſtrumenta paſſionis Chriſti in corporibus ſæpe apparuerunt. 189
Inſynceritas ſuperiorum. 379
Integritas plurium corporum virorum piorum. 63. & ſeqq.
Intellectus hominis Angelo non ſubeſt. 317
Intemperantia quorundam erga cadauera fœminea. 44
Inuſtio caracterum ad impuritates abigendas. 517
Ioannis Columbini prudentia. 373
Ioannis Chryſoſtomi corpus. 56
Ioannis Eleemoſynarij corpus Matthiæ Regi à Turca miſſum. 56
Ioannis à Ieſu Maria corpus integrum. 64
Ioannis d'Achey Epiſcopi corpus integrum. 64
Ioannes de Stampis longæuus. 205
Ioannæ à Cruce ſtigmata. 534
Iordanis Aqua incorrupta. 54
Ioſephi exemplo, humiles ſint ſuperiores. 333
Ioſias Princeps in ætatis flore ſucciſus à Ieremia deploratur. 263
Ire, dedecet rectorem. 303
Ira Dei, miſericordia. 310
Ira quædam, manſuetudine potior. 350
Quædam neceſſaria. 351
Iudæorum vſus quoad tegmen capitis. 589. 590
Iudam Chriſtus ſuauiter habet. 333
Iudex malus publicanus. 414
Iudicium de cadauere Carpentoractenſi. 72
Iudicium de non auditis ſubditis. 379
Iudicis ad mortē cunctatione opus habent. 452
Quæ? 455
Iuliani S. Caput. 57. & ſeqq.
Iulianus Apoſtata paruus cercops. 485
Cædes, nunciata diuinitùs. 265. 232
Iurgia ſeminare. 389
Iuſtitia Dei ſepta vtrinque miſeratione. 380
Iuſtitiæ exceſſus crudelitas. 370

K.

K Litera inuſta fronti calumniatorū. 124. 154

L.

Labia perforata alicubi ad inſigne nobilitatis. 148
Lacænæ ſine coma. 502
Laconum breuitas. 443
Laïci fratres an pileum geſtare debeant. 628
Habitu ab aliis diſtincti apud Templarios & alios. 628
Lamberti Danæi cauſa blaſphema multiplicationis ſagarum. 186
Lancea genitiua Thebanorum, 358
Lapis, vitæ terminum mirabiliter indicans. 222
Lateris Chriſti apertio quando facta. 502
In quo latere. 503
Figura. ibid.
Laudes. ibid. ſeqq.
Ad hoc vulnus & alia confugiendum. 506
Foſſæ & foramina petræ. 507
Ibi amor. 508
Latratus non voces aliquorum. 332
Laus indefeſſa Dei nocte. 517
Laxi Superiores. 300
Laxorum ſuperiorum excuſationes falſæ. 352
Lectiſternia Ethnicorum. 228
Lectionis ad menſam materia ſit pia. 543
Amæna. 544
Menſæ accumbentibus legendum aliquid pium. 523. 524
Lectio vtilis ad menſam. 533
Lector ſimplex Papa. 534
Lectoris probi conditiones. 534
Sint ſine arrogantia. 535
Non ſibi ſed aliis legit. 537
Lentè an feſtinatò legendum. 538
Benedictio olim data antequam legerent. 536
Lector ſumit merum ante lectionem. ibid.
Lector reſonat, vbi alter deſiit. ibid.
Titulum libri legat. ibid.
Lectorum correptiones ridiculæ. 538
Correptionem ferre debet. 239
Lenimina mortis charorum extra fatum. 582
Lenocinia de promoto ſuperiore. 352
Lenta ad perfecta prouectio. 303
Leo in domo ſua, quid. 485
Leuiatham maxillæ perforatio.
Lex cur data inque, & fumo. 343
Liberi ſcintillæ, lucernæ, ac lumen Parentum cur extinguantur. 266
Serò ſuſcepti an debiles. 470
Liberi à patribus adoleſcentibus ſuſcepti non omnes ſtupidi. ibid.
Libitinarij ſaliti. 33
Libri in anguſtiſſimo denario aut annulo ſcript. 438
Liber vitæ quid. 257
De conſolatione, an Tullij. 240
Chryſoſtomi de Sacerdotio laudatus. 292
De prædeſtinatione, & gratia malè ſuffixus. 304
Liberti Chriſti Monachis ideo raſi. 331
Libertatis nota pileus. 617
Lidoinæ B. Stigmata. 332
Lilis prima vxor Adam commentitia. 8

Lingua

Lingua Sancti Antonij Patauini incorrupta. 68
Linguæ Ludouici Medinæ incorruptio. 69
Linguoſi homines. 446
Litera longa quid? 478
Literati *Stigmatiæ.* 150
Lites longæ. 456
Forenſe bellum triſte. 456
Lites vt bellum dulce inexpertis. 457
Litium longitudo non Chriſtiana. 450
Loci ſani captatio in peſte, valet. 230
Longa vita optatur ab omnibus. 473.474
Longæuorum exempla. 205
Longæuitas à Deo promiſſa certis operibus, non aſtruit præfinitionem termini vitæ. 223
Longanimitas Dei ex ſcripturis. 429
Longi Fratres. 479
Libri longi optimi. 439
Longis Auribus aliqui ingenioſi. 496
Loth vxoris ſtatua ſalis an vera. 34
Bodini de illa Opinio. ibid.
Rabbinicæ nugæ. ibid.
Luciferi morbus, ambitio. 298
Luciæ S. cum alia confuſio. 117
Ludouicus Sanctus Blaſphemos inurit. 112
Ludouici de Bils artificium condiendi corpora. 43
Ludorum Scenicorum origo. 228
Lues Byzantina, ſæuiſſima. 224
Lues venerea, infertur à Deo. 227
Non corripitur ex vſu coniugij. ibid.
Lugdunenſes Comites in Eccleſia nudo capite ante Sacros ordines. 525
Lugendum ſuper mortuis. 463
Etiam probis. 464
Quanto tempore. ibid.
Luna maſculus. 243
Quomodo humectet & ſoluat. 42
Effectus. 41
Lunares radij noxij. ibid.
Lunata calceamenta. 613
Lutheri cadaueris fœtor. 49

M.

M. Litera homicidis inuſta. 154
Macarij viſum de Satana ſeplaſiario. 318
Macedonius medicus, circa peſtem, ſapiens. 224
Macrocephali bardi. 492
Magiſtratus ſunt Sacerdotes. 616
Magiſterium conuiuij, quodnam. 311
Magni corpore Heroes. 480
Magnum fœminæ ingenium ſub paruo corpore. 488
Magici Stigmatis imprimendi ceremoniæ. 180. & ſeq.
Cauſa aut Ægritudo. 179
Magorum & ſagarum res an omnes fictæ & effectus imaginationis. 168
An cum dolore eorum notæ. 169
Magorum SS. Corpora incorrupta. 67
Miraculo ſeruata à lapidis grandis caſu. ibid.
Mahometica lex violenta. 310
Majeſtas imperandi ridicula. 343
Maiolus S. coërcet ferocem Abbatem. 333
Malachiæ S. perſecutores pereunt. 31
Maledicta ob iuſtitiam non timenda. 153
Maledicti à Parentibus an poſt mortem corrumpantur. 512
Mali aliqua ex parte boni. 301
Mane Thecel Phares an faciat terminorum vitæ præfinitionem. 233
Manichæi, fatarij. 244.245
Manumiſſio Religioſi. 331
Manus incorruptæ ob ſignum Crucis formatum. 68
Manſuetudo ſuperiori neceſſaria. 323
Manſuetus verè, quis. 350
Maphortes. 603
Margaretæ à Cortona conuerſio ad cadaueris conſpectum. 28
Margarita minima ſed pretioſa. 413
Maris ſalſedo vnde. 35
Martyres cur gladio ſuccumberent. 394
Martyres in ſacra Præfectura. 293
Religioſi à furente Superiore. 345
Caritatis in Martyrologio Romano. 541
Martyrum tormenta varia. 112. ſeqq.
Martyrologij onera. 540
Legendum ad menſam Religioſam. 542
Maſſilienſium veſtes. 513
Matrimonij vnitas. 468
Maturitas in negotiis. 460
Mauortes maforres. 601.603
Maurienas Capucinus incorruptionis miraculum. 62
Maximus Rhegienſis, optimus Præfectus. 360
Medicina iure laudata contra Fatarios. 249
Medici contra vitæ & mortis præfinitionē. 240
Partes impleuit Chriſtus. 295
Medicus ſpiritualis, Rector. 360
Medicus ſapiens Lantgrauij. 245
Medicorum curationes ſenſim fiunt. 457
Peccatum morbos producentium. 457
Mel ad incorruptionem. 41
Altari non inferendum. 341
Mellis vis ad condituram. 41
Membra quædam per quæ quis peccarat poſt mortem incorrupta. 52
Membrana fœtum obuoluens an Faſcino apta. 594
Menardus correctus. 153
Menecratis de ſenectute epigramma. 277
Μήνισκος ſtatuis ſuperpoſitus quid. 615
Menſæ quantum debeat eſſe tempus. 515
Breuis. 516
Ad religioſam menſam legendi vſus antiquus. 516
Etiam apud ſæculares & prophanos. à p. 527
Merita conditionata, Deum non mouent ad præmiandum. 269
Metalla an putreſcant. 24
Μητροπάτωρ, qui. 361
Milites ſine capillis. 511
Militaris nota ſtigma. 148
Militia, Religioſus ſtatus. 297
Mimus Dei, Satan. 319
Miſſæ tempore geſtare calanticam an nunc liceat. 592
Miſſæ breuis captatores. 406
Miſſa non ſit longior. 408
Mitella. 608
Mitra. 610
Mitra Epiſcopalis. 525
Antiquitas. ibid.
Infula. ibid.
Mitigas eſt tarditas. 447
Mixtura ſuauitatis & fortitudinis. 362
Moderatoris Regularium, onera. 296

Moderatorum nemo, omnibus placuit. 352
Modeſtia Chriſti apud Paulum, quæ. 313
Μείρας quid Ariſtoteli. 241
Mollis regiminis pericula. 355
Monachi barba renus. 500
Cumari exagitantur. 508
Stigmata mentientes. 153
Monaſterium quomodo carcer. 285
Monialis naſum ſibi abſcindentis miraculum. 495
Monilia naſi, quid. 147
Moratores cauſarum forenſium. 452
Moroſitas nimia in libris expoliendis. 445
Mors initium vitæ. 289
Natales. 291. 289
Abitio reuiſendorum. 292
Omnes promiſcuè demetit. 218
Somnus & migratio. 292
Sanctorum aliquot Deo vocante. 208
Portus. 284
Immatura cum multis vtilis. 278
Acerba. 262
Mortis metus. 279
Monebantur Imperatores Græci in inauguratione. 15
Fœlicitas. 478
Neceſſitas. 201
Fuga. ibid.
An ineuitabilis alieni. 202
Incertitudo eius neceſſaria. ibid.
Mortem omnium qui cenſuerint præfinitam. 229
Mortui in flagranti luxuria. 206
Mortui tondebantur. 503
Mori bonum. 475
Mortarium Præſidum. 614
Moyſes decreto Dei mortuus. 207
Imago regiminis ſacri. ibid.
Calumnioſè notatus ſeueritatis. 350
Moyſis lapſus, cur permiſſus. 319
Manſuetudo. 224
Seueritas in diſcolos tanta mititas, vnde. 311
Rectio mixta. 373
Muhammed macrocephalus. 493
Mulieres in Eccleſia aperto capite. 600
Virum emeritæ. 604. 605
Piæ, ſtigmatis Chriſti notatæ. 150
An tecto capite procedere debeant. 599. 600. 604
Mulierculæ patent ludibriis Dæmonum. 135. 136
Mulieris, longæ veſtes. 513
Mulier obnoxia ſententiæ, de reuerſione in terram ſuam. 50. 8
Molſum an potiu regia. 43
Momia. 46. 47
Mundus noſodochium. 286
Carcer. 284
Muſonij effata. 373
Myrrhæ effectus & natura. 38

N.

NAbuchodonoſor quid feroces Rectores doceat. 33
Nardinum vnguen ad luctum. 32
Nardus picata, ſpicata, piſtica. ibid.

Narium perfoſſio ad inſigenda monilia & nobilitatem. 147
Naſi magni commoda. 493
Contractio, in mortuis non corruptio. 21
Breuitas & demiſſio. 494
Naſo priuari quod damnum. ibid.
Naſus iræ & patientiæ ſymbolum. 493
B.V. oblongus. ibid.
In cadaueribus non ſemper effluit. 22
Naſicarum vitia. 494
Naſuti emunctæ naris, prudentes. 492
Natalis Confeſſor, caſtigatus ab Angelo. 349
Naudei Opinio de Aſphalto examinatur. 38
Nazaræi coma promiſſa, quorſum? 333
Nazaræorum coma. 504. 507
Nazarij & Celſi ſacra corpora. 55
Nebridius florens ætate mortuus, præconiis exornatus à D. Hieron. 274
Neceſſitates corporis vnde nos eximit mors. 278
Animæ. 279
Neceſſitatio hominis, Deum dedecens. 307
Neocæſarienſium clades à peſte. 224
Nicenæ Synodi Patres, incorrupto poſt mortem corpore. 66
Nicetius S. tutatus Treuirenſes. 215
S. Nicolaus Arium an colaphizauerit. 68
Eiuſdem corporis incorruptio. ibid.
Nitri vis mundificans. 36
Nobilitas religioſi. 331
Noërica ſeca quandiu ſuperſtes. 13
Noli me tangere, quorſum morbus. 333
Nominis mutatio ad martyrium. 115
Nomina ſola ſine titulis proponi olim ſolita Epiſtolis. 450
Nonni qui. 229
Notæ à Dæmone apparente impreſſæ. 158
Notæ à parentibus tranſmiſſæ per traducem poſt aliquot generationes. 159
Notaculum Chriſtianorum an olim aliquod. ibid.
Notirius damnatos ſtigma inurit alteri apparens. 189
Nouati error. 400
Nouitij obitus repentinus. 263
Nubendi verbum & ritus. 606
Nubes grauidæ mulieres coniugatæ. 599
Nucinus baculus, quid. 351
Nudatores cadauerum quam graui crimine ſe obſtringunt. 46
Nugæ philoſophicæ aliquibus in pretio. 435
Numa Magus. 385
Numeros annorum quomodo Deus inierit. 256
Nuptiæ inter diſparis religionis perſonas ex Ambroſ. 599
Immaturæ. 467
Tardæ. ibid.
Nuptiarum velamen. 599
Origo. 466
Nutibus loqui. 532
Nutrix Paulus, Rector. 322

O.

OBfirmatio in iudicio. 144
Oblationes à ſagis factæ Dæmoni. 181

Obliteratio ſtigmatis Magici an fiat aliquando in pœnitentibus. 187
Obruti caſu turris Mediolarenſes aut alij an Deo antecedenter decernente. 206
Oculus totus regit. 296
Oculi ſapientis in capite. 312
OEſypus ad cauteria. 156
Officia Angelorum in homines. 316
Oleo cur delibuti Principes. 362
Onera muneris Epiſcopalis. 294
Oleum gratiæ Climaco, quid. 332
Operimentum Fratrum Abbas. 327
Opertum vbi caput in ſacris. 590
Signum reuerentiæ. 591
Rica. 150
Opobalſamum. 38
Opobalſamum ad incorr. 39
Opportunitas ipſa Deus, cur. 359
Oppreſſio inferiorum, cauenda. 324
Oppreſſores ſuccidantur. 325
Opus in ſcriptura, quid. 293
Oratio pro vitæ protogatione. 236
Pro Trajano, affiicta Sancto Gregorio. 283
Ad Deum, graſſante lue. 225
Ad plures directa, minus vtilis. 320
Tecto & nudo capite. 592. & 593
Orationis longæ commoda & laus. 323
Valdenſes eam impugnant. 324
Orationes breues optimæ. 394
Semper orandum quomodo explicetur. ibid.
Ordinata omnia Dei iudicio, quomodo. 235
Oſcula ex lue demortuis, innocua. 226
Oſtentatio Principum contra ſolem, quæ. 296
Oſuualdi S. Regis Manus incorrupta ob liberalitatem. 67

P.

PAchomio adſcripta regula, cuius. 323
Pacis fructus honeſtas. 462
Pacta cum Satana aliquando reddita ab ipſo. 521
Pactum ſalis. 33. 34
Παιδαριογέροντες. 477
Pædagogi in moderatores euecti, quales. 315
Pædagogi noſtri, Angeli. 316
Palarum quid. 635
Palium. 627
Pallium paſtorale, quid notet. 363
Palmeæ virgæ tormentum. 223
Pamphilius decimo poſt mortem die, cùm pyræ impoſitus eſſet, ipſius cadauer reuixit. 28
Paneſij aurici. 496
Panis benedictus incorruptus. 54
Papæ Etymon quoddam. 215
Papinianus expenſus. 242
Parcæ, quid. 243
Parabolarij, qui. 244
Parentibus inobedientes vitam habent breuem. 325
Parochus æmulator malus, repreſſus. 294
Pars ea corpore ſagarū notata ſine ſenſu eſt. 173
Non ſemper. 174
Partus decimeſtris. 273
Feſtinati exempla. 470
Præcox an partus. ibid. Spirituales tardi. 473
Parui an magni aptiores ad literas. 486. 487
Nulli in cœlo. ibid.
Magni Duces & milites. 483
Paruuli obeuntes inexpiati, an Dei prouidentiam lædant. 268
Paruitas confert ad pulchritudinem. 414
Paſtorale S. Gregorij, vnde expreſſum. 293
Paſtores, cur nobis homines, non Angeli. 309
Pater ſiue Abbas, vox ſuauitatis. 330
Nomen datum rectoribus. ibid.
Pater ſimul ac mater, bonus ſuperior. 360
Patres pro termino vitæ præfixo. 232. 233
Patres quales eſſe debeant in filios. 361
Patrui Iuliani Apoſtatæ viuum corpus computruit. 27
Patientiæ thronus. 303
Pauli & S. Catharinæ pſeudogentiles. 159
Pauli ſtigmata quæ 109. ſeqq.
Suauitas. 321
Conciones an longæ. 416. 410
Charitas quanta. 322
Paulus pennatus, agricola. 349
Pauus. 485
Paulus Diaconus emendatur. 38
Dom. Pauli de Ioannis Auenionenſ. Elogium. 49
Paulinæ in flore ætatis mortuæ decora, ex D. Hieronymo. 275
Pauo & ligna ſetim quomodo imputribilia. 24
Pax optima. 463
Peccata, cur Deus permittat. 307
Peccati ſtigma. 198
Peccatorum ſera conuerſio. 400
Peccatores vim Deo faciunt. 343
Peccatum ad mortem. 249
Peccatum ad mortem, quodnam. 223
Pecuniæ contactus, peſtifer. 225
Pedi paſtoralis ſtructura exponitur. 365
Pedum ex cypreſſo, quorſum. 366
Pedis ſiniſtri Chriſti cur apertura latior. 103
Pelagius author epiſtolæ ad Demetriadem. 307
Pelagianane ſit ſententia negans termini vitæ prædefinitionem. 260
Pentagonum Medicum. 108
Perfectum opus, Iacobo, Martyrum. 293
Pericula in ſacro regimine. 294. 295. ſeqq.
Periſcelides notæ honoris. 593
Περισκυφισμὸς quodnam ſtigma. 155
Permiſſa Chriſti paſſio non definita. 213
Perruques ſutiles comæ an inter ſacrum ſeruari poſſint. 591
Perſarum interfectorum corpora inareſcunt in modum ſtipitum, vt nec liquantibus membris nec ſanie perfuſa madeſcant. 20
Perſecutio à ſuperiore infeſto teterrima. 45
Perſius de capite induto libertinorum explicatus. 590
Perſuaſio fortior compulſione. 341
Petra à S. Columba benedicta. 227
Petri Apoſtoli efficax ſimul, & ſuauis rectio. 368
Lapſus eius, ouibus vtilis. 319
S. Petrus tonſus. 510
Petri Tonduti Sanlegeri laus, & Iudicium de ſtigmate magico. 183
Peſtis aliquando, ex Dei præfixione. 229
Cauſæ naturales ſæpenumero. 227
Auctor, Deus, iuxta quos. 224
Phaceolis. 614. 612
Philibertæ Nemoroſij duciſſæ cadauer incorruptum. 63
Philomenæ ſanctæ Corpus prodigioſum. 59
Philoſophi Barbati. 497. 501

Philoſo

Philoſophiæ ſtudium & libros an longos eſſe præſtet. 434
Phocionis ſapientia.
Phrygius amictus. 620
Phrygium Epiſcopale. 325
Pili poſt mortem creſcunt. 21
Pili ſeruiles qui. 331
Pilei Sacerdotalis Iudæorum forma. 620.621
Doctoralis colores. 615
Pileus Pyrrhus, quem recuſauit Auguſtinus qualis. 622
Pileus quadratus. 626
Eius antiquitas. ibid.
Myſteria. ibid.
Pileo quadrato cur deſit vna coſta. 628
Piorum vita aliquando præfinita. 207
Piſſaſphaltum. 37
An ex pice. ibid.
Piſſaſphaltum Claromontanum. ibid.
Plagarum Chriſti laudes. 102
Plagarum Chriſti notæ in Patria ex PP. 140. 191.
An cicatrices ſolum vel hiantia vulnera. 141
Platoni, fatum quid. 241
Plumbei homines. 462
Pluuia in vellus Chriſtus, quomodo. 312
Pica prænuncius tigridis. 83
Pœnitentia ſera an probabilia? 400
Pœnitentiam differentes exagitantur. à pag. 401
Pœnitentia momentanea. 329
Pollex Pyrrhi incorruptus. 29
Pondus vltra ſe leuare, quid. 294
Pontifices Romani cur 25. annos non ſuperent. 212
Qui breuiſſimè ſederint. ibid.
Cauſæ breuitatis vitæ eorum. ibid. ſeq.
Congruentiæ. 213. ſeq.
An vi decreti Diuini. ibid.
Pontifex vnus, ſed Reges multi. ibid.
Pontificum vita antecedenter non præfinita. 215
Cauſæ veræ breuitatis. a 215. ſeq. 218.
Non epularum lautities contra Rodericum. 216
Pontificatus ærumnæ. 216. 217
Ponticorum in condiendis corporibus inſolita ratio. 47
Poteſtas tempeſtas mentis, non eſt honor, ſed onus. 295
Præcepta noui Teſtamenti, auſteriora antiquis. ibid.
Præceptum in virtute obedientiæ inſtequens. 343
Præcocia ingenia aut non vitalia aut tandem ſtupida. 452
Prædeſtinatio pro reprobatione. 261
Vtraque an ante præuiſa merita. Ibid.
Quæ opinio S. Auguſtini. 262
Prædeſtinatio, Gennadio, quid. 329
Prædeſtinatianorum hæreſis antiqua. 245
Prædeterminantes illigant voluntatem. 216
Prædeſtinatio Dei mouens ad malum impia. 242
Præeſſe, quam laborioſum. 296
Præfectura ſacra, gradus Apoſtolicus. 351
Præfectus, totus oculus. 296
Præfinitio termini vitæ quid apud S. Auguſtinum. 258
Terminorum vitæ, reiecta. a 23. 258
Præfinitionis mortis ſententia an reddat homines audaciores. 278
Dei immanens an admittenda. 248
Præfixio terminorum priva à Deo an admittenda neceſſariò. 252
Præoccupatus homo, Apoſtolo, quis. 320
Præputium Chriſti an ſuperſit. 38
Præſcientia termini vitæ in Deo an præfinitio. 258. 259
Prætextus peccandi vberes. 331
Præuentionis negatio in Deo, cuiuſmodi. 304
Preces pro vitæ prorogatione, vtiles. 247. 39
Principes peccante populo, plexi. 296
Principatus dulcedo mixta amaritudine. 217
Presbyteri à maturitate non ætate. 476
Procella ſonans, ſuperior ferox. 344
Proceritas monſtroſa fœminæ. 472
Corporis an conferat ad pulchritudinem. 479. 480
Pulchritudo mulieris. 481
Proceſſiones, tempore peſtis. 226
Proclus ab Aduocato luſus. 219
Promiſſio comæ. 504
Prouidentia ordinaria pro vitæ termino. 255
Prouidentia ſpecialis circa vitam & mortem. 254
Pueri naſcendo cadunt in terram. 8
Pueri an à Dæmone noceantur. 169
Quomodo formandi. 327
Puerilis inſtitutio quam tenax. 334
Pugna pro comà. 504
Pro barba. 499
Puellæ incorruptum cadauer caſu detectum celebri miraculo ſibi tegumen procurauit. 21
Pulcheriæ præcox obitus ornatus encomiis à Gregorio Nyſſeno. 274
Pulchri corporis viuentis cum mortuo comparatio. 17
Punitio inferioris, non explicata ipſi cauſa pœnæ. 389
Purpureus pro cæruleo. 615
Puſillitas corporis. 479
Puſio & Secundilla Gigantes. ibid.
Putrefactio ſecundum partem. 26
Putrefactionis Ariſtotelicæ definitio examinatur. 28
Pygmæi an verè populus. 485
Pyrrhi Regis pollex dextri pedis incorruptus, ſed vnde, examinatur. 29
Pythagoras Magus & ſtigmatias. 185

Q.

QVadratum impoſitum capiti magnatū olim quid? 626
Quadrati viri perfecti. 617
Quæſtionum ad Simplicianum liber, planè nitens. ibid.
Querelæ de Deo peccata permittente, iniuſtæ. 307
Quis ſuperior cauda operiens turpitudinem. 358

R.

RAbanus author Cōmentarij adſcripti Smaragdo. 334
Rabbinicus vſus. 832
Rabidorum animalium morſus curantur ſtigmate S. Huberti. 121. ſeqq.

Simplicitas pia à Deo remuneratur. 123
Rabies ſuperioris inferiorum rabiem excitat. 340.
Radegundis S. Corpus. 56
Rapiditas orationis damnata. 411
Raſtelli deuotio, pro Offico. 236
Raſores Barbæ compruli. 499
Raſura Monachorum. quorſum. 331
Recapitulatio apud Paulum quid. 367
Rector idem cum ſympoſiarcha. 321
Rectorum ſæculi, & religionis diſcrimen. 328
Reges curare deberent vt ſuprà menſam legeretur. 529
Regio morbo vnde nomen. 41
Regillum tegmen capitis. 603
Regnum Dei, gratia lenis, non tyrannica. 307
Regum luxus perſtringitur à ſyneſio. 612
Regimen debet eſſe temperatum. 373
Subditos opprimentum vita breuis. 121
Religio, militia. 297
Religioſus, non eſt ſeruus. 327
Religionem qua ætate præſtet ingredi. 424. 425.
An pueri cum obligatione ingredi poſſint, ibid.
Religionis ingreſſus ætas olim. ibid.
Religioſæ vitæ conſilium cito exequendum. 424.
Religioſus & Chriſtianus ferunt ſtigmata Chriſti, 137
Reliquiæ falſæ detectæ. 71
Reliquiarum origo falsò à ſectario allata. 164
Remedium peccati quod in lege naturæ & Iudaica. 24. 25
Reſcindi nihil debet à lectore niſi prudenter. 545
Reſiſtendum non eſt ſuperiori. 383. ſeqq.
Reuerentia Dei erga nos. 303
Reuerendæ nomen datum mulieri. 329
Reuerſio omnium hominum in terram ſuam. 7
An pro ſolis viris. 8
Reus eſt culpæ, qui eam non impedit. 358
Rex apum, exaculeatus. 372
Ricinum. 601
Rictrudis virginis velum & corona. 604
Roboami ſtulta aſperitas. 326
Rochus S. quem Pontificem adierit Romæ? 134
Romani an legerent ſuper menſam in conuiuiis. 510
Roſſelinæ B oculi. 68
Rubeus color cur tributus Cardinalibus. 624

S.

SA *Emanuel* nomen truncat. 417
Sabinæ Sanctæ corpus integrum. 55
Sacerdos Græcis gerens ſacram Præfecturam. 295.
Sacerdote ægrotante, ægra tota Eccleſia. ibib.
Sacerdotis vox iudicibus data. 414
Sacerdotes Ethnici raſi. 506
Sacrarum Virginum nuptiæ. 607. 608
Sacri longitudo vnde. 408
Sacrificij tempore quinam operuerint caput. 591
Sacrificandum nudato capite. ibid.
Sagæ cur tondeantur. 175
Sagarum notæ cuius figuræ plurimum. 174
Verè dantur. 167. ſeqq.
Sagis quæ corporis partes notentur. 172
Salis ad arcendam corruptibilitatem vis. 55
Salem cur odio habeat Dæmon. 35
Laudes. ibid.
Sal foſſile configuratum in inſtrumenta. 55
E ſale vir integer & Gallina per plura ſæcula in fodinis conſeruantur. 55
Salini euerſio ominoſa. 54
Salutatores Hiſpani. 159. 160
Sancti an notam aliquam in cœlo habituri. 142.
SS. Plures corpore incorrupto. 57
Sancti corpore proceri. 480
Sanctis addicti an moriantur in eorum feſtis. 208.
Sanctorum vita breuis. 476
Corpora quædam integra. à pag. 55
Statuis impoſita rotunda vmbella vnde? 635
Sanctitas, neceſſaria Rectori. 300
Sanguineum viri breuiori vita. 210
Sapientes comati. 505
Raſi. 510
Sapor vitalis per gratiam. 306
Saporiæ Medici Audacia Blaſphema. 126
Saraceni Fatarij. 244
Satan, carnifex Dei. 348
Dei mimus. 317
Eius pellacia. 318
Odium in homines. 179
Sanctus Satyrus ætate florens, obiit. 273
Saulis ſtulta in Agagum mitias. 350
Scandalum ſtruentes ſuperiores inferioribus. 380.
Schinocephali. 491
Schola cœli, ac terræ mixtæ. 342
Scorpiones quibus Martyres cæſi. 111
Palmatæ. ibid.
Scribendi genus ieiunum. 416
Scriptiones longo tempore elaborandæ. 442
Scriptura ignem mortis, non firmat, eius præfinitionem. 214
Scripturæ pro præfinitione vitæ explicatæ. 257.
Scytharum ſterilitas vnde. 155
Sebuſianæ Mulieris illuſiones & ſtigmata. 189.
Sedendi vox pro conſultatione. 455
Semaxij. 489
Semicinctium an ſudarium. 634
Semiſſij dicti Chriſtiani. 489
Senectus ſero obrepit in locis editis. 26
Morbus inſanabilis ex Seneca. 277
Non annorum ſed morum, laudabilis. 272
Senectutis incommoda deſcripta. 274. 277
Dignitas. 474
Septimi Maſculi vis ad ſanandum. 160
Sepulcra ante portas vrbium. 15
Sepulchrum humilitatis ſchola. 16
Serpentes è corruptis cadaueribus. 41
In corporibus viuis geniti. ibid.
Serpentis notam habens in corpore caret à ſerpentibus demorſos. 159
Serpentium tractatores aliquando morſi. 161
Seruorum ſtigmata. 149
Serui vix homines. 150
Seuerinus S. Corpus S. Philomenæ condit ſeruepedæ. 59
Seueritas pia tollens peccata. 358
Sphynx ſymbolum Rectoris. 374
Siagrio, non niſi Epiſcopo datum pallium. 364.

Sibilus

Sibilus auræ tenuis ſuauitas regentis Dei. 363
Signa temporum Geneſ.1. quæ. 231
Simæna genus nauigij inſcripta ſeruit. 249
Simeon Stylita viuus putrem habuit corporis partem. 70
Cimicibus & vermibus voratur. Ibid.
Simeonis Stylitæ corpus. 55
Simiæ zeli. 338
Simonidis vanitas in augendo Simonis nomine. 450
Simoni & Iudæ Apoſtolorum corpora coronata. 288
Simplicius non Chriſtianus, ſed Ethnicus. 307
Sinarum Sacerdotum Chriſtianorũ pileus qualis in ſacrificio. 628
Smaragdus num author Commentarij in regul. S. Benedicti. 331
Sodales S. Eligij mirabiles. 225
Solis vis deſiccatiua & conſeruatiua cadauerum. 33
Somni neceſſitas. 516.489
Somnus longus Epimenidis fabuloſus. 516
Somnus nimius reprehenditur. 517
Somni damna. ibid. 55
Sonos epulantis. 537
Sortiarij qui. 169
Species Sacramentales diu in ſtomacho hærentes non augent gratiam. 405
Spes virtus & eius laudes. 280
Speculatores ex ſpeculatoribus. 334
Spina Superior ferox. 346
Spiritualis pater, amat ſupra carnalem. 330
Spiritus S. in columba, & igne, cur. 308
Spiritus S. ſal terræ. 33
Spleniati ſtigmatia. 351
Spontanea rectio Apoſtolo, quæ. 319
Statuæ Paganorum an contegerentur eadem vmbella qua SS. noſtri. 655
Statuæ pileatæ. ibid.
Stephani S. Hungariæ R. manus incorrupta ob eleemoſynas. 67
Stigma quid. 77
Stigmata Chriſti viris & mulieribus SS. impreſſa per ſatyram, à p. 131
Pietatis cauſa à piis viris exarata in corpore. 118
Inciſio corporum quænam facta à prophanis & ſanctis viris. 119
S. Franciſco an ab Angelo impreſſa. 126
Finis illorum. 127
Furfur doctrinæ circa illa. ibid.
Stigmatum & figurarum inuſtio Iudæis prohibita. 145
Stigmata in puella Saxonica apparentia, an Dæmoniaca. 189
Superſtitioſa. 163. ſeq.
Stigma Magicum quod genus probationis in foro externo. 183
An indicium indubitatum. 184
Stigmatis Magici effectus, qui. 176
Dæmonum arte impreſſa quæ poſt mortem perſeuerent. 192
Cur Satan inurat ſagis. 171
Stigmatis Magici fines. 176
An ad Baptiſmum delendum. ibid.
Stigmata Moniali cuidam arte Dæmonis impreſſa. 175
Stilico Comes, cur D. Ambroſio diuturnam vitam optaret. 272
Stillia pluuiæ verba Apoſtolorum. 418
Stola quid. 601
Stomachus Eccleſiæ, Sacerdos. 295
Strigum congregationes. 170
Striges non omnes notatæ. Ibid.
Strumas curant Galliæ Reges. 159.160
Studia ludicra dedecent viros ſtatu grandes & Epiſcopos. 417
Studij longi neceſſitas. 444
Studio nimio obſconditur ingenium. 444
Suauitas rectori neceſſaria à p. 323
Diuinæ rectionis. 302
Suauitatis & efficaciæ nexus, quàm neceſſarius. 300
Subditorum humilitas & ſubiectio neceſſaria. 384
Subiectio poteſtatibus. 382
Subiectio Religioſi, non vt ſerui. 340
Subſtantia Dei, dulcedo. 308
Sudaria Chriſti. 634
Sudarium aut velum morientibus obtenſum. 654
Mortuorum. 632
Viuentium. 633
Sudores ſtatuarum. 37
Suibus anima pro ſale. 25
Sufficiens prouidentia pro paruulis. 269
Superbia an ſtabiliat regimen. 337
Superbiæ notata caſtigatio per calumniam. 353
Superbia, origo aſperitatis. 332
Superiores timidi, feroces erga mites corde. 378
Superiores mali in pœnam inferiorum à Deo dati. 383
Ob mollitiem gubernationis damnati. 358
Cæſi, peccatoribus ſubditis. 317
Medici, non Domini. 335
Superioris noui typhus. 300
Superioris Idea Chriſtus. 316. & ſeq.
Superioris inſtructio. 382
Superiorum gubernationis interruptio neceſſaria. 431.432
Symbola eiuſdem. 363
Patres ad id. 364
Syluij diſtinctio inanis probata Caluino. 252

T.

T litera apud Anglos furibus inuſta. 154
Taciturnitas fortiſſimorum vnde. 175
Taſcodrugi hæretici Naſuti. 493
Tau ſignum SS. apud Ezechielem quid? 158
Taurus, Deæ peſti, mactatur. 229
Τέλος matrimonium. 468
Tempeſtuoſi ſuperiores. 339
Tempori parcendum. 445
Tentationes carnis ſepulchri conſideratione curantur. 57
Termentum & tormentum longæ veſtis. 513
Infamia. ibid.
Hominum mulieroſorum. ibid. 514
Terminus vitæ quibus peccatoribus breuis. 210
Non præfixus ineuitabiliter. 255
Terra es & in terram, &c. explicatio. 18
Terra omnis à corruptione vindicat corpora. 30
Teſtamentum inferorum quid. 203
Theriſtrum. 62
Thiaræ & mithræ diſcrimen. 610.648.643
Thomæ S. Aquin. corporis incorruptio. 66

Thracum ſtigmata. 143
Thuſciæ Comitis Hugonis pia mors. 222
Timor diſpendij honoris in ſuperiore, exitialis. 355
Timor ne aliqui abſcedant, vanus. 354
Timor ſubditorum, quatenus quærendus. 353
Tituli Sultanorum vani. 449
Titulorum longitudo. ibid.
Toga Romani caput obuoluebant. 609
Toloſæ crypta vbi cadauera incorrupta manent. 21
Tonſio virginum an prohibita in Conc. Gangrenſi. 605
Taiani lingua & caput an incorrupta. 70
Tranſitus virtutum in vitia. 370
Tria fata, Romæ quænam. 243
Trinitatis nominatio quid operetur. 69
Triſtitiæ damna. 464
Troili Maiorij nepta grammatica. 636
Tropeuchium. 612
Truculentia e gentium. 344
Comparationibus explicatur. 345
Truncatio aliquarum corporis partium ad ſeruandam caſtitatem. 227
Tulliola incorrupta quomodo. 20
Turbantes Turcarum. 621
Cur linei. ibid.
Turcæ contra præfixionem termini vitæ. 240
Fatarij. 244
Turcarum Pſeudomonachorum inciſuræ. 265
Turonibus fallitur de Fulgurita. 31
Turtura cur Magdalena. 480
Tumulus quid. 580. 620
Tyranni, in Cœnobio. 275

V.

VAlentis Imp. præcipitantia in reis damnandis. 458
Valentinianus defunctus, laudatus à S. Ambroſio. 273
Vaſorum Templi myſtica expoſitio. 362
Vber ſpirituale, Paulus. 333
Vela virginum ſerica non ſint. 609
Velandæ virgines ad quadragenariæ. 603
Velum viduarum. 606
Venereorum incommoda. 468
Venter exactor. 278
Venius arcet putredinem. 26
Verbera & minæ an pueros benè forment. 337
Verberatio contra fatarios. 246
Verboſatores. 414. 415
Verbum abbreuiatum. 430
Vermes mutati in Margaritas. 70
Vermis filius hominis. 10. 367
Veſtiariam rem qui tractarint. 587
Veſtis oblonga. 512
An decens & commoda. ibid.
Longa ſuperba. 514
Fœminea viro inepta, quæ. 314
Viduus, Deus, quis. 243
Vigiliarum & fugæ ſomni, laus. 418
Vigiliarum ſacer vſus. 419
Villaregius monſtrum prudentiæ paruo capite. 492
Vinum & oleum Samaritani, quid. 361
Violentia Chriſto probata, quæ. 355
Violentia breuis. 308
Viperæ & lacertæ ex cadaueribus. 21
Vires furioſorum. 343
Virga, & flos, cur nexa. 321
Virga ferrea apud Pſaltem, quæ. 333
B. Virginis mors decreta à Deo. 207
Virgines Deo ſacræ tondebantur. 604. 605
Comam radebant. 502
An tecto capite eſſe debeant. 599
Lacænarum mos circa tegmen capitis. 598
Viri comæ curioſi ridendi. 510
Magni parui corpore. 485
Viridis color Galeri Epiſcopalis. 614
Virtus humana, ſemper clauda. 301
Virtutum in vitia tranſitus. 370
Virtutibus non annis vitæ longitudo metienda. 477
Virtutis via pedetentim incedendum. 416
Virulentia præfectorum, improbata. 326
Vita longa bonum belluinum. 479
Hominum quam breuis. 478
In præmium alicuius boni impiis prorogata. 268
Vita hominum quomodo. ſ 20. annorum. 105
Tota morbus. 286
Eius miſeriæ. 286. ſeq.
Vitæ breuitas. 476
Pericula & mala. 476
Longæ calamitates. 474. 475
Longiſſimæ qui terminus. 474
Termini præfixi antecedentes ſtatus quæſtionis. 203
Miſeria & pugna. 283
Cum tela collatio. 245
Vitam mei prorogat. 43
Vitrum hermeticè clauſum impedit à corruptione. 36
Vltio Dei temperatiſſima. 309
Vmbraculum pro pileo. 614
Vnctio corporum apud Iudæos & Romanos an eum exenteratione. 47
Vngulæ quibus Martyres lacerati. 112
Voces vſurpatæ alio ſenſu quàm à prima origine. 110
Voitre fratris brachium, quid. 345
Vrceolum Cantorum. 156
Vſtiones membrorum ad medicinam. 51
Vulpis ſpecie Satan. 382
Vulnera Chriſti. 102
Vxor, pondus honoratum. 296

X.

XAuerij S. incorruptio corporis defenditur à morſu cuiuſdam fratris. 60
Xylobalſamum. 38

Y.

ὑπωπιάζω. 120

Z.

ZAchariæ Prophetæ corpus incorruptum. 55
Zelatores inſenſati. 338
Zeli inconſulti damna. ibid.
Proſopopeia inſignis. 378
Zelus pro furore. 338
Putatus, ira. 308
Zoroaſter, magus. 385

F I N I S.

620755


INGENIVM
B R
SVPERAT VIRES

H 49.

Digitized by Google